F61

D./mk

Staatliche Museen



Joh: Dor: Philippin geb: Sysangin. sc. Lyrsiae 1752.

# CODEX
# DIPLOMATICVS
## REGNI POLONIAE
ET
## MAGNI DVCATVS LITVANIAE
IN QVO
## PACTA, FOEDERA, TRACTATVS PACIS,
MVTVAE AMICITIAE, SVBSIDIORVM, INDVCIARVM, COMMERCIORVM,
NEC NON
## CONVENTIONES, PACTIONES, CONCORDATA,
TRANSACTIONES, DECLARATIONES, STATVTA, ORDINATIONES, BVLLAE, DECRETA, EDICTA, RESCRIPTA, SENTENTIAE ARBITRALES, INFEVDATIONES, HOMAGIA
PACTA ETIAM MATRIMONIALIA ET DOTALIA
## LITERAE ITEM REVERSALES, CONCESSIONVM,
LIBERTATIS, IMMVNITATIS, DONATIONVM, OPPIGNORATIONVM, RENVNTIATIONVM, ERECTIONVM, OBLIGATIONVM, VENDITIONVM, EMPTIONVM, PERMVTATIONVM, CESSIONVM, PROTESTATIONVM
ALIAQVE OMNIS GENERIS
PVBLICO NOMINE ACTORVM ET GESTORVM
## MONVMENTA
NVNC PRIMVM EX ARCHIVIS PVBLICIS ERVTA AC IN LVCEM PROTRACTA
## EXHIBENTVR.

~~M~~ 80.–,




VILNAE
Ex Typographia Regia & Reipublicae Collegii C. C. R. R. Scholarum Piarum.
M DCC L VIII.

Apskr. muziejus Šiauliai

Lietuvos TSR
Centr. Bibliotekа
Mokslų Akademija
91776
~~11680~~

# SERENISSIMO
ET
# POTENTISSIMO
# PRINCIPI AC DOMINO
# DOMINO
# AVGVSTO TERTIO
# POLONIARVM
# REGI

MAGNO DVCI LITVANIÆ, RVSSIÆ, PRVSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, KIIOVIÆ, VOLHYNIÆ, PODOLIÆ, PODLACHIÆ, LIVONIÆ, SMOLENSCIÆ, SEVERIÆ, CZERNICHOVIÆQVE.

DVCI SAXONIÆ, JVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM, ANGRIÆ, ET WESTPHALIÆ, SACRI ROMANI IMPERII ARCHI-MARESCHALLO, ELECTORI, ET EIVSDEM IMPERII IN REGIONIBVS JVRIS SAXONICI, ET FINIBVS AD HVNC VICARIATVM PERTINENTIBVS, VICARIO, LANDGRAVIO THVRINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, SVPERIORIS, INFERIORISQVE LVSATIÆ, BVRGRAVIO MAGDEBVRGI, COMITI PRINCIPALI HENNEBERGICO, COMITI MARCÆ, RAVENSBERGÆ, ET BARBIÆ, DYNASTÆ IN RAVENSTEIN &c. &c.

# REGI AC DOMINO
# NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO.

# SERENISSIME
## ET
# POTENTISSIME
# REX

*Cum multa ſint immortalia, quæ olim ſera magnopere ſuſpiciet poſteritas,* TUORUM *in hanc Rempublicam beneficiorum monumenta, tum nec illud poſtremo loco habendum eſt, quod ſub fortunatiſſimo Maieſtatis* TUÆ *Imperio bonæ artes, & diſciplinæ poſtliminio in Polonia ſint reſtitutæ, unde fore*

*fore iam nemo dubitat, ut quemadmodum tempus illud apud Romanos, quo ſub Optimo Principe Studia Literarum maxime floruerunt, ita ætas hæc Polonorum, quæ* TUO *numine beata, tranquillaque ducitur, Sæculum* AUGUSTI *deinceps appelletur. Poſtquam enim ſedandis Reipublicæ perturbationibus, & tempeſtatibus, ſummisque periculis, quæ ad eius perniciem continue incumbebant, avertendis, maiore pæne tranquillitatis Regni huius, quam commodi Dominiorum* TUORUM *Hæreditariorum ſtudio, animum, mentemque adieciſti, indeque vitam* TUIS *ſubditis ſine vi, ſine metu, quietam, placatamque traducere licuit, ut facultatibus omnium florentiſſima fortuna obtigit, ſic otii literati copia data eſt longe feliciſſima. Nam cum inter graves Reipublicæ neceſſitates, arduaque negotia, quæ ad Maieſtatem* TUAM *propius accedunt, illud etiam a dignitate Gentis omnino alienum cenſueris, ſtudia penitus neglecta iacere, Polonasque Muſas craſſiores, Exteris eſſe deſpectui, ſingularibus* TUIS *in Literarum cultores gratiæ, benevolentiæque teſtimoniis effectum eſt, ut brevi iniqua liberalibus diſciplinis fortuna immutata eſſet, ac Literæ in veterem ſuum nitorem fuerint reſtitutæ. Ut igitur totum id, quod ex cultura bonarum Artium provenit,* TIBI REX POTENTISSIME *acceptum referendum eſt, ita hæc multorum annorum noſtra opera, quæ iam magni ad utilitatem Regni publicam*

*intereſt, progreſſum, exitumque ſuum* TUIS *debet Auſpiciis. Neque vero dubitandum nobis erat, quin pro ſumma* TUA *Clementia benevolentiſſime concederes, ut ei ab Inſcriptione Auguſtiſſimi* TUI *Nominis, auctoritas & ſplendor accederet. Opus itaque argumento ſuo præſtantiſſimum, quod ut aliquando in lucem prodiret, fortunatiſſimi Imperii* TUI *temporibus reſervatum fuit, Maieſtati* TUÆ *quam humillime offerimus,* TIBIQUE *Pacis Publicæ Servatori, Poloniæ* TUÆ TRAIANO, *Principi Juſto, Pio, Sapienti, Optimo, diuturnitatem maximam, ac de hoſtibus ſub iugum miſſis multiplices triumphos ex animo precamur*

# MAIESTATIS TUÆ

Fideles, infimique Subditi
COLLEGIUM VILNENSE
*Scholarum Piarum*

# PRÆFATIO.

Postquam discussa temporum caligine acutiores, severioresque in dies prodirent rerum Inquisitores, & Judices, eorumque observationibus veritas in liquidum explorari cœpisset, tum vero *quid distent æra lupinis* internoscere, omniaque perquisitius, & quam diligentissime expendere Eruditorum animos incessit studium. Brevi inde magna Reipublicæ Literariæ conversio, atque ab alio in aliud vicissitudo, priorumque Institutorum immutatio, cum quæ pro veris ante hac haberentur, inter commenta, & fabulas, quæ pro certis, inter verisimilia, quæ pro genuinis, inter supposititia recenserentur. Eadem ratione multorum Scriptorum raptim se fortuna inclinaverat, ut quibus olim magna auctoritas, eorum alii subleſtæ esse fidei, alii pigmentis, & specie inanium fallere, alii omnino inter nugivendulos referendi viderentur. Quo igitur & rerum causæ, exitusque a Lectoribus certo sciri possent, & sua dictis constaret fides, consvetudo paulatim serpere, ac prodire cœpit, ut quæ in medium afferrentur, Tabulis plana fierent, firmarenturque. In multis sane difficultatibus hæc assequendæ veritatis ratio posita primum fuit, diuque Scriptoribus, qui id tenebant propositum, in salebra hærendum erat. Ad Tabularia enim Principum, in quibus veteris ævi Monumenta tumulata erant, aditus olim patebat nemini. Vicit tamen flagitantium assiduitas, sensimque hic nodus ita expeditus fuit, ut novum sibi, hac in re ingenium, ii, penes quos summa Imperii erat, induisse viderentur.

# *PRÆFATIO.*

Itaque Tabulæ, Chartæ, Diplomata, Literæ, aliaque Inſtrumenta, quæ tot temporum intervallis in illis tumulis delituerant, magna vi, & copia in publicam prodierunt lucem, ex quibus plenior, eaque ſincera, & integra unicuique Genti rerum ſuarum acceſſit notitia.

Jam vero inter eos, qui vel res geſtas Documentis appoſitis illuſtrarunt, vel ipſorum Monumentorum ſeriem ex Inſtituto collegerunt, facile ſtudio, numerisque cæteros antecellunt, ſuperantque Germani. Cum enim apud illos ſæpe a fide unius Diplomatis pendeant Territoria, & Principatus, dici non poteſt, qua cura, animorumque contentione adnixi ſunt, Inſtrumenta omnis generis undequaque conquirere, eorumque adornare apparatus. Prodierunt igitur congeſtæ ab eis Diplomatum Collectiones tanta copia, & multitudine, ut eas non modo recenſere, ſed etiam attingere longum eſſet.

Quanquam vero, cum jam alii Diplomatum Reliquias quoque, nedum rem ipſam pridem abſolverint, evulgaverintque, nos penſum noſtrum nunc primum ordimur, ſperamus tamen fore, ut ſapientes Viri exiſtiment, longiorem hanc Rerum Polonicarum expectationem delectu earundem, ſummaque fide, tanquam gratiſſimo fœnore abunde eſſe compenſatam. Cum enim omnia, quæ in hoc Codice Diplomatico Regni Poloniæ continentur, ex Originalibus, & Authenticis, Auctoritate publica deſcripſerimus, nullum in toto Opere Documentum, nullæ Literæ ſunt, quæ veritatis diligentibus imponere, negotiumque facere poſſint. Quo in genere Acta Rymeri noſtrorum ſunt ſimilia. (*a*) Rerum tamen minus utilium copia, Voluminum magnitudinem, numerumque creſcere noluimus.

Equidem fatemur non inviti non ita perfectam, cumulatamque hanc eſſe Collectionem, quin pleræque momenti maximi res in ea deſiderentur, neque tamen Nobis integrum erat, ut ſuis numeris prodiret abſolutior. Multæ veteres Tabulæ bellis, incendiisque, communi omnium Orbis Tabularum fato, multæ temporum iniuria conſumptæ ſunt. Neque enim putandum eſt in moribus Polonorum olim poſitum fuiſſe, ut non in Literis

---

(*a*) Is, cum Actorum Publicorum Angliæ Collectionem iuſſu Reginæ ANNÆ, ex voluntate Supremi Senatus faceret, univerſum pæne Tabularium Regale publicavit, ediditque ſub Titulo: *Fœdera, Conventiones, Literæ, & cuiusque generis Acta Publica inter Reges Angliæ, & alios Principes, ab An.* 1101. *ad An.* 1625. *Londini.* Ab An. 1704. ad An. 1718. Voluminibus XVII. fol.

ris contraherent, cuius rei teſtes ſunt Originales Comitum, Baronum, & Nobilium Regni Poloniæ, inde jam a milleſimo Salutis humanæ Anno, variæ de Bonis ſuis hæreditariis factæ Tranſactiones. Vetuſtiſſima igitur illa Poloniæ cum Exteris Fœdera, quorum paſſim in recentioribus, quæ in hoc Codice exhibentur, mentio fit, nobis habere non licuit.

Neque vero minor Diplomatum Patriæ jactura inde facta eſſe videtur, quod ea a Privatis, quorum fidei, cum Legatorum, vel Commiſſariorum munere fungerentur, credita erant, repetendi cura eſſet remiſſior. Unde accidit, ut obortis ſubinde Reipublicæ internis, externisque turbis, quibus pæne continue exagitabatur, ſenſim ex memoria etiam deponerentur. Id autem eo facilius evenire poterat, quod Inſtrumentorum Reipublicæ Originalium Repertorium, eo, quo par erat, modo ad tempora SIGISMUNDI III. Regis confectum non extaret. Unde, quod curſim annotamus, Documenta, cum jam res cogeret, in tanta varii generis Tabularum multitudine, ne perquirenti quidem erant obvia. Quanquam vero plerasque harum Literarum, ſic diſtractarum interiiſſe veriſimile eſt, multas tamen in ſcriniis Privatorum etiamnum deliteſcere, conſtat ex Lege Anno 1736. ea de re ſancita.

Jam quantum incommodi, detrimentique ex hac Monumentorum incuria Reſpublica acceperit, Rei Patriæ peritis ignotum non eſt. Cum enim parvis quotidie finium carperetur diminutionibus, eo tandem res devenit, ut integræ (exemplo ſit Nova Marchia) amitterentur Provinciæ. Sane ſi tempore tot celebrium Commiſſionum, quæ ſub CASIMIRO Jagellonide ad conſtituendos inter Regnum Poloniæ, & Marchiam Brandeburgenſem Limites, expeditæ ſunt, hæ ſaltem Originales Literæ (*b*) quas adhuc reperimus, producerentur, magna Pars Marchiæ Novæ pro illo rerum ſtatu ad Poloniam poſtliminio redire potuiſſet.

Eandem horum, aliorumque huiusmodi Inſtrumentorum rationem, ævo etiam poſteriore fuiſſe, patet ex Literis SIGISMUNDI I. Regis, datis Anno 1541. *Commiſſarii*, inquit, *noſtri cum ad regundos fines* (inter Regnum, & Marchionatum Brandeburgenſem) *profecti fuerint, conquirent undique Diplomata &c. Non dubitamus autem, quin eiusmodi Diplomata habeat alicubi Magnificus Andreas de Gorka Caſtellanus Poſnanienſis, & Capitaneus Majoris Poloniæ &c.*



(*b*) Vide Tit. *Nova Marchia.*

# *PRÆFATIO.*

Quid reſponſi a CASIMIRO Rege FRIDERICUS III. Imperator acceperit, cum Anno 1473. in contumaciam ERICKONIS, & VLADISLAI Ducum, Vaſallorum Coronæ Regni Poloniæ, FRIDERICO Electori Brandeburgenſi Pomeraniam conferret, reperire nuſquam potuimus. Certe Imperator, cui Jus Regum, & Regni Poloniæ in Pomeraniam notum erat, Literis ſuis animum CASIMIRI Regis ea de re explorari voluerat. Veriſimile tamen eſt Homagium, & fidelitatis Juramentum, quo Duces Pomeraniæ Anno 1390. Regi, & Coronæ Poloniæ ſe obſtrinxerant, oblivione apud Polonos obſcurata fuiſſe. Neque vero id mirum videri debet, cum nunc Renovatio Feudi Præfecturarum Butavienſis, & Leoburgenſis (reliqui Pomeraniæ Tractus ſunt, qui Poloniæ remanſerant) contra Pacta Velavienſia, quæ omninm teruntur manibus, non præſtita, ex memoria excidere videatur.

Hæc cum ita ſint, ſaluberrimo, divinoque Reipublicæ conſilio factum eſt, ut inveniretur modus, ne Uſucapioni locus eſſet. Reges enim Poloniæ poſt Electionem ſuam Juramentum hac Formula præſtare ſolent: *Omnia illicite a Regno, & Magno Ducatu Litvaniæ, & Dominiis eorundem quocunque modo alienata, vel bello, vel alio quovis modo diſtracta, ad proprietatem eiusdem Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Litvaniæ aggregabo.* Huius vero Conſtitutionis cauſam Sileſiam fuiſſe, in Diſſertatione peculiari, in qua de Jure Regni Poloniæ in hanc Provinciam egimus, ex Inſtituto demonſtravimus. Cum enim JOANNES Rex Bohemiæ, Duces Sileſiæ, (*c*) & Maſoviæ (*d*) fiduciarios Regni Poloniæ Principes transverſos

---

(*c*) 1327. VLADISLAUS Dux Cozlenſis, BOLESLAUS Dux Opolienſis, CASIMIRUS Theſchinenſis fatentur ſe eſſe Vaſallos JOANNIS Regis Bohemiæ &c.

1327. Homagium JOANNIS Ducis Oſviecimenſis, Scholaſtici Cracovienſis JOANNI Regi Bohemiæ factum.

1329. CONRADUS Dux Glogoviæ, JOANNES Steinaviæ, HENRICUS Saganenſis Ducatus ſuos reſignant, & in Feudum ab eodem JOANNE Rege Bohemiæ, &c. recipiunt. &c.

1331. Literæ BOLESLAI, VENCESLAI, & LUDOVICI Ducum Sileſiæ, Dominorum Lignicenſium, quibus ſe ante fores Eccleſiæ B. JOANNIS in Vratislavia Regi Bohemiæ ſubmiſiſſe teſtantur.

(*d*) 1329. Literæ JOANNIS Regis Bohemiæ, &c. quibus teſtatur ſe tranſegiſſe cum VENCESLAO Duce Maſoviæ, ut is Maſoviam, & præſertim Plocenſem, Wyſſogrodenſem, & Goſtinenſem Terras a Regibus, & Regnis Bohemiæ, & Poloniæ, & Ducatibus Lucemburgenſibus in Feudum teneat cum Succeſſoribus ſuis, & Juramentum fidelitatis ipſis præſtet.

1329. VENCESLAUS Dux Maſoviæ, & Dominus Plocenſis Maſoviam reſignat, & Vaſallum ſe Regis Bohemiæ profitetur.

1329.

verſos egiſſet, atque his paulo poſt ad Officium (*e*) redeuntibus, de alteris, eorumque Ducatibus (*f*) cum CASIMIRO Rege, Pactionibus nullius juris (*g*) tranſegiſſet, ac poſt varios ſub VLADISLAO Jagellone conſiliorum de hoc negotio exitus, (*h*) ea ſpes, quæ Regibus Poloniæ de Stirpe Jagel-

---

1329. Homagium VENCESLAI Ducis Maſoviæ, & Domini Plocenſis JOANNI Regi Bohemiæ, & Succeſſoribus Bohemiæ Regibus factum.

1329. SIGISMUNDI Romanorum Regis, & ALBERTI Ducis Auſtriæ vidimus Literarum VENCESLAI Ducis Maſoviæ ſubiectionis Ducatus ſui JOANNI Regi Bohemiæ.

1329. VENCESLAUS Dux Maſoviæ promittit JOANNI Regi Bohemiæ fidelitatem, & obſequium contra VLADISLAUM Regem Cracoviæ &c.

(*e*) 1355. Homagium SEMOVITI Ducis Maſoviæ, & Domini Czirnenſis, CASIMIRO Regi Poloniæ præſtitum.

1355. ZEMOVITUS Dux Maſoviæ profitetur ſe Zakrocimum, & Viſnam a CASIMIRO Rege accepiſſe ad triennium

1355. ZEMOVITUS Maſoviæ Dux fatetur ſe in Feudum habere a CASIMIRO Rege Varſaviam, Sochaczow, Wiſkitki, Ciechanow, Nowogrod, & Nowydwor. Renovat etiam Feudum priorum Ditionum ſuarum, videlicet Czernenſis, Ravenſis, Liverſis, & Goſtinenſis Terræ, promittitque ſe absque voluntate Regis nulla Fœdera cum quopiam, præſertim cum Litvanis initurum &c. Vide Tom. III. P. 2. Tit. *Maſovia.*

(*f*) 1329. CASIMIRI Poloniæ Regis Literæ, quibus Vratislavienſem, & Głogovienſem Principatus JOANNI Bohemiæ Regi cum omni Jure tranſcribit.

1335. Procuratores CASIMIRI Poloniæ Regis profitentur JOANNEM Bohemiæ Regem, & CAROLUM Primogenitum eius Marchionem Moraviæ Titulo Regni Poloniæ cedere, Regem vero Poloniæ Ducatibus Sileſiæ, omnibus, & ſingulis.

1339. Recognitio generalis, & Renuntiatio CASIMIRI Regis Poloniæ, quod nullum Jus habeat, nec ſibi competat in Ducatibus Sileſiæ, & Poloniæ ſub pœna Excommunicationis Domini Papæ.

1348. Promiſſio CASIMIRI Regis Poloniæ, quod Civitates Namſlavia, Creutzburg, Bytzin, & Cuntzenſtadt pro 3000. Marc. Polonici pagamenti Denariorum Pragenſium CAROLO Marchioni Moraviæ cedere vult. Dat. Sabbatho poſt Feſtum Nativitatis Domini Anno 1348.

1356. CASIMIRUS Rex Poloniæ renuntiat Juribus ſuis in Terram Svidnicenſem, & Ducatum Jaurenſem, &c. Vide Tom. VIII. P. 1. Tit. *Sileſia.*

(*g*) Verum enim vero non erat in poteſtate CASIMIRI Regis, privatis Tranſactionibus (nullum prorſus earum Exemplar in Archivo Regni exſtat) alienandi Provinciam, ad Corpus Regni antiquitus pertinentem. Conſenſum enim Ordinum Regni in rebus multo minoris momenti neceſſarium omnino fuiſſe, probant Receſſus Comitiorum Anni 1331. & An. 1337. Vide Cod. Diplomatici Tomum VII. Certe longe alia conditione ſub hoc CASIMIRO Poloniæ erat Libertas, ac Galliæ ſub FRANCISCO I. Rege, cum tamen Anno 1527, ageretur ibi trium Ordinum Conventus de eo, utrum FRANCISCUS Rex ceſſione Ducatus Burgundiæ deberet præſtare fidem, nec ne, quam An. 1526. CAROLO V. Imperatori dederat, ita concluſum fuit: *Que ſa Perſonne appartenoit au Royaume, non pas à lui; que la Bourgogne étoit membre de la Couronne, & qu' il n' étoit qu' uſufruitier de l' un, & de l' autre; qu' ainſi il n' en pouvoit pas diſpoſer.* Abregé Chronologique de l' Hiſtoire de France par Mezeray Tom. 4. f. 217.

(*h*) Fœdus inter VENCESLAUM Rom. & Bohemiæ Regem, & VLADISLAUM Regem Poloniæ concluſum, quo præfatus Rex VENCESLAUS pollicetur, ſe Regi Poloniæ cum ſexcentis Lanceis, & totidem Baliſtariis, toties quoties ab eo requiſitus fuerit, fideliter contra quosvis hoſtes auxilio futurum &c. Dat. Pragæ 25 Junii Vide Tit. *Bohemia* fol. 6.

# PRÆFATIO.

Jagellonica oriundis, non Sileſiæ modo vindicandæ, ſed etiam Regni Bohemiæ ſibi aſſerendi injecta erat, Anno 1527. penitus concidiſſet; (*i*) ne Jus Reipublicæ Polonæ in Sileſiam, avitum Patrimonium ſuum præſcriptione temporis antiquaretur, dicta Jurisiurandi Formula SIGISMUNDO AUGUSTO, eiusque Succeſſoribus, in Comitiis Piotrcovienſibus Anno 1550. ab Ordinibus Regni decreta fuit.

Sed enim ratio Inſtituti exigere videtur, ut cum de Re Poloniæ Diplomatica hoc loco tractemus, ea Privilegia Imperialia, quæ plerique Scriptorum Germanicorum, tanquam Polonæ Libertatis everticula jactitant, expendamus. Id vero quo fiat diſtinctius, & diſtributius, aliqua præfari neceſſe eſt.

Gentibus finitimis ſimultates quædam innaſci videntur. Ut enim multæ olim illis infenſæ æmulationes, & bella, ita mutuarum injuriarum occulta ſenſim inducta ſunt odia, quæ etiam Pacis ictis Fœderibus Stylo proſequi nonnullis mos eſt. (*l*)

Huius

---

1421. Reſponſum SIGISMUNDI Imperatoris ad Legationem VLADISLAI Regis Poloniæ. Vide Tom. I. P. 2. Tit *Sileſia*.

(*i*) 1526. SIGISMUNDI I. Regis Poloniæ ad Status, & Ordines Bohemiæ de Jure ſuo in Regnum Bohemiæ. Vide Tit. *Bohemia* fol. 28.

(*l*) Suſcipere, & ingredi rationem conciliandorum utrinque animorum placuit quondam (exemplo ſane ſingulari) Andreæ Opalinſki, Supremo Mareſchalco Regni, ut coniecturam faciunt Literæ, quas ſubiungimus:

*Electores Saxonicus, & Brandeburgicus ad Magnificum Regni Mareſchalcum in negotio tranquillitatis, & amicitiæ inter Polonorum, & Germanorum Gentes. Ex Arch. Regni, Lib. Legat. ſub Lit. W. fol.* 74.

Spectabili, & Magnifico ſincere Nobis Dilecto Domino Andreæ Opalinſki Supremo Regni Poloniæ Mareſchalco, & Rohatinenſi, Sremenſique Capitaneo. Nos AUGUSTUS Dei Gratia Dux Saxoniæ, Sacri Romani Imperii Archi Mareſchalcus, & Elector, Landgravius Thuringiæ, Marchio Miſniæ, & Burgravius Magdeburgenſis. Et Nos Dei Gratia JOANNES GEORGIUS Marchio Brandeburgenſis, Sacri Romani Imperii Archicamerarius, & Elector, Pruſſiæ, Stetini, Pomeraniæ, Caſſuborum, Vandalorum, & Sileſiæ in Croſna Dux, Burgravius Norinbergenſis, & Princeps Rugiæ, Spectabili, & Magnifico ſincere Nobis Dilecto Domino Andreæ Opalinſki, Supremo Regni Poloniæ Mareſchalco &c. Salutem cum benevolentia noſtra coniunctam adſcribimus.

Non modo jam antea Generoſe, & Magnifice Vir, Nobis Electori Saxonico ſignificavit Fidelis noſter Dilectus Dominus Fabianus a Schonaig, quæ pro ſingulari tuo erga Rempublicam Chriſtianam ſtudio, cum ipſo locutus fueris. Sed & cum hoc tempore Illuſtriſſimus Princeps Dominus JOANNES GEORGIUS Marchio Brandeburgenſis, & Elector, Avunculus, idemque Affinis, & Frater chariſſimus, una Nobiſcum eſſet, eadem utrique noſtrum ita expoſuit, ut facile intelligeremus, Te ſalutis publicæ, & pacis inter potentiſſimas Germanorum, & Polonorum Gentes ſtabiliendæ cupidiſſimum eſſe. Quæ egregia voluntas Tua, cum utrique noſtrum valde probaretur, exiſtimavimus hunc animi noſtri ſenſum declarandum Tibi eſſe, ut ſcires, quod noſtrum de negotio hoc eſſet iudicium, & ſententia. Cumque Dominus Fabianus a Schonaig Nobis oſtenderet, ſe denuo iter ad Te hac de cauſa inſtituiſſe, quædam illi in Mandatis dedimus, de quibus Te noſtris verbis moneret. Quamobrem benigne poſtulamus, ut illi hæc Tecum agenti fidem adhibeas

# *PRÆFATIO.*

Huius igitur cauſæ impulſu, prodierunt multæ nonnullorum Germanicorum Scriptorum invidioſæ contra Polonos Animadverſiones, magna ingenii amaritudine. Verum enim vero avitam Polonorum Libertatem ferre non poſſunt, inde bonis viris illæ lacrymæ. Sed jam ut contrarium, & dicant, & credant, facile apud animum ſuum impetrant.

Itaque Poloniam ab OTTONIS M. ævo, ad FRIDERICI II. tempora, Imperio Germanico & ſubiectam, & tributariam fuiſſe, in ea ab OTTONE III. Archiepiſcopatum Gneſnenſem inſtitutum eſſe, eandem a CONRADO II. in tres partes diviſam fuiſſe, Imperatoribus Germaniæ Duces Poloniæ Sacramentum fidelitatis præſtitiſſe, per tacitum Imperatorum conſenſum Regium Titulum uſurpaſſe &c. Id porro ex eo conſecutionis filo, quod OTTO III. Polono Duci Regiam Dignitatem contulerit, quod Duces Poloniæ Comitiis Germanicis interfuerint &c. Sed hæc cum ſuaviter ſomniant, fugit acutos homines rem potiri multo maximam. Imperatores enim Orientis, Regesque Galliæ Comitiis Germanicis per Legatos aderant, Reges præterea Cypri, & Armeniæ ab HENRICO VI. Regalem Dignitatem obtinuerant, quidni igitur eadem ratione Imperio Germanico obnoxii eſſe debeant? Ita illi tricas, caſſam glandem, curculiunculos minutos egregie fabulantur. In his vero nugatoribus præclarum inprimis nomen meretur Conrigius, & qui eo præloquente nugis obſtrepit, totus ex fraude, & mendacio, quod res Poloniæ attinet, factus Goldaſtus. Enim vero ſi antiquiora expendantur, certe extincta ſtirpe Carolingica parum abfuit, quin potior Germaniæ Pars a Gentibus Slavicis, quarum Natio Polona longe præſtantiſſima fuit, ſub jugum iterum mitteretur, unde evenit, ut Saxones, & Thuringi, cum Suevis & Francis Rhenenſibus unirentur, indeque fieret Reipublicæ Germanicæ Syſtema pactitium. Inde vero ab HENRICO Aucupe, ad HENRICUM V, ſi quando Polonis periculi procella, famæque, & fortunarum dimicatio timenda erat, certe Anno 1109. cum in Conventu Francofurtenſi generalis adverſus eos expeditio decreta eſſet. Quo tamen exitu hoc bellum finitum eſt, campus prope Vratislaviam,



---

beas, Tibique certo perſuadeas, ſi huic negotio conficiendo, etiam porro operam dederis, nihil Nos prætermiſſuros eſſe. eorum, quæ ad veterem amicitiam. & benevolentiam mutuam inter florentiſſima Germanorum, & Polonorum Regna perpetuo conſervandam, & ad amovendum omnia, quæ hanc quocunque modo labefactare poſſent, conducere videbuntur, Bene vale, & Nos Tibi benigne cupere ne dubites. *Budiſſini Nonas Maji Anno MDLXXVII.*

AVGVSTVS *Dux Saxoniæ. Elector. manu propria.*

ubi prælium commiſſum erat, caninus dictus rei memoriam conſervat. Sed de his liberius, pro more ſuo, clariusque Hiſtorici. (*m*) Nunc res poſtulat, ut de formularum ſolennibus, & de modo, quo in Curiis Imperialibus Literæ eiusmodi dabantur, aliquid dicamus. Suffecerat igitur ad publicam fidem Auguſtale Nomen, & Monogramma, quod æri, aut ligno inſculptum apponeret Scriba. Subſcriptione Cæſaris opus non erat. Inceſſerat porro hic mos in gratiam Principum, quod eſſent Analphabeti. (*n*) Jam vero tot Originalium Literarum fieri poterant exempla, quot conficere placebat Notariis. Neque enim in addendis illis Signis, a quibus Schedis erat ſua vis, & auctoritas, requirebatur conſenſus Cæſaris, eoque etiam abſente chartæ ſignari, atque his, quorum intererat, dari poterant. Itaque cum fides Inſtrumentorum penderet ab illis Nominibus Auguſtalibus, & Monogrammatis, Monogrammata vero Scribarum, obſcurorum magnam partem Virorum agerentur arbitrio, eorumque eſſent alimentaria, & ſolaria, quod iam inventum aptius, quæ via ad Diplomaticas impoſturas commodior, expeditiorque excogitari poterat? Ut enim Scribis illis, ſive pro partium ſtudio, ſive ad lacunam rei familiaris explendam fallendi, ita deinceps falſariis fingendi, fallaciamque ſimilitudine condiendi magna facilitas. Hoc igitur nomine provenerunt gravia illa, non dico literaria, verum forenſia Germaniæ prope univerſæ bella Diplomatica. Vix enim ullus Imperii Potentatus, vix ullus Princeps eſt, qui de his, in dubium vocatis chartis litem non habuerit. Producuntur in Supremis Imperii Tribunalibus controverſæ Tabulæ, vocantur in arenam Icti, conſeritur prælium, inardeſcit animorum contentio, certant pugnaciſſime. His productum Diploma non modo ſuſpectæ fidei, ſed etiam omnino commentitium, arte veteratoria effictum, ſpurium, adulterinum eſt, illis membranæ, elementa, formulæ, tenor, omniaque ſuo ævo ſimillima, vera omnino, & genuina ſunt: Ut jam Inſtrumenta momenti maximi problemmata illis quædam eſſe videantur, quæ in utramque partem graphice defendi poſſint. Neque vero apud eos fabulæ finita Hiſtoria eſt. Nullum enim Artis Diplomaticæ hucuſque conſpicitur excogitatum Siſtema, quo vera a falſis diſcerni, contentionesque, & controverſiæ ſiſti poſſint.

Ex

---

(*m*) Kadl. III. 19. Dlug. IV. 385.

(*n*) Fatentur inſcitiam ſuam ipſi Cæſares, his ſolennibus formulis, quæ paſſim in eorum Diplomatis occurrunt: *Quia Literas neſcio, characteres pingere ignoro, propter ignorantiam Literarum &c.*

# PRÆFATIO.

Ex his facile colligi poteſt, quid de Privilegio FRIDERICI Imperatoris (*o*) quo Ducibus Bohemiæ concedit, ut cenſum de Terra Poloniæ percipere poſſint, aliisque eiusmodi ineptiis cenſendum ſit. Cum enim (ut Exemplum aliquod ex infinitis, quæ extant, adferamus) in eiusdem FRIDERICI Literis, datis Anno 1160. quas Bambergenſes Præſules adverſus Virzburgenſes in Camerali Judicio produxerant, cum in aliis innumerabilibus aliorum Imperatorum Diplomatis, quæ authentica eſſe videbantur, ſolertes iſti veteratores mox dolum oboluerint, cur in Rebus Polonicis tam hebeti ingenio ſint, ut unius ſuppoſititii Exemplaris nenias tanti faciant, haud video.

Sed Privilegium FRIDERICI I, de quo agitur, tranſumptum eſt ſub nomine CAROLI IV. Imperatoris, habeturque Electorum S. R. Imperii Atteſtatio de eodem cenſu. Ita nugas blatis. Mos enim erat falſariorum effictas ſchedas obtrudere Imperatoribus, & Curiis Imperialibus, ut mendacia magnifica, rataque facerent. Sic (ut alia omittamus) Diploma commentitium, & ſpurium CAROLI M. datum Anno 802. quod Friſii Orientales contra ſuum Principem in medium protulerant, confirmatum fuit à VILHELMO Cæſare Anno 1248. *Libertates* (inquit) *Friſonibus* (ne Principi ſuo parerent) *a* CAROLO M. *Anteceſſore noſtro conceſſas innovamus, & confirmamus &c.* Sic Privilegium eiusdem CAROLI M. datum Aquisgranenſibus, omnino adulterinum, confirmarunt FRIDERICUS I. & FRIDERICUS II. Imperatores.

Hoc igitur tantum de illa Innovatione Privilegii FRIDERICI I. contra Polonos efficti obſervandum venit, quod falſario ad peritiam fingendi, induſtria quoque rei hiſtoricæ acceſſerit. Nam cum in antiquioribus Exemplaribus legeretur; *cenſum de Terra Poloniae*: advertit ſuppoſtor nevum Diplomatis, quod indocte, aperteque falleret. Poloniæ enim nomine (*p*) Sileſia olim intelligebatur. Itaque ad vocem *Poloniæ* addidit & *Sile-*



*ſiæ*

---

(*o*) 1157. Privilegium FRIDERICI Imperatoris; quod Duces Bohemiæ in certis Feſtivitatibus Circulum aureum in capite geſtare; & cenſum de Terra Poloniæ percipere poſſunt.

(*p*) Nam quo tempore Slavi ex Illyrico in Moraviam; & Bohemiam; eodem etiam in Sileſiam demigrarunt; LECHO Duce primo Polonorum Principe; hinc ſub Poloniæ indigitamento delituit. Hinc paſſim Polonia pro Sileſia, ab Hiſtoricis illorum temporum uſurpatur, hinc tributum, quod Romanæ Eccleſiæ ab Sileſiis penditur, Polonicum in Literis Summorum Pontificum appellatur; hinc denique moneta Vratislavienſis in Jure Canonico dicta eſt Polonica. Goldaſt. de Sileſ. l. 1. p. 119.

Elogium CAROLO IV. Imperatori ſcriptum ab INNOCENTIO VI. ob promotionem denarii Petrini in Terris Poloniæ; ac Bohemiæ. Vide plura huiusmodi Exempla Tom. VIII. P. I. tit. *Sileſia*.

*ſiæ* Aliis tamen compendioſior impoſtura placuit: ſcripſerunt igitur *a Polonis.*

Alterum eiusdem generis ſpecimen, Privilegium nempe FRIDERICI II. Imperatoris, quo Polonos Imperio Germanico olim ſubiectos probare nituntur, cum ita contextum ſit, ut ne intelligi quidem poſſit, ingenioſe de ſuo ſupplevit Goldaſtus, (*q*) ac torquendo, & retorquendo verba, addidit, quod ad propoſitum hominis nugacis pertinuit.

Jam quod ad reliqua ſimilis argumenti (*r*) Imperialia Diplomata attinet, eorum cauſa, & fons erat illa exiſtimatio, & perſvaſio, quæ Curiarum Imperialium iudicium prævenerat, quod omnia in unius Cæſaris poteſtate, ac moderatione verterentur, quod in eius humeris Orbis ſederet Imperium, quod ex æquo, & bono Jure omnia ad Cæſarem pertinerent. Is vero ſtupor adeo illos tenuit, ut rebus etiam iniquiſſimis facile obtenderent rationem. Hinc cum a ſe mutuo quærunt, ex qua prærogativa FRIDERICUS II. Imperator in Pruſſia nunquam ſibi ſubiecta diſponere, quo Jure Donationem Terræ Culmenſis, a CONRADO Duce Maſoviæ, & Kuiaviæ Hermanno a Saltza oblatam Diplomate ſuo confirmare potuerit, præſcriptio illis honeſtiſſima in promptu eſt, quod videlicet idem FRIDERICUS Cæſar in Epiſtola ſua ad LUDOVICUM IX. Regem Galliæ data Anno 1247. dictum CONRADUM Ducem Maſoviæ, Fidelem ſuum appellaverit. Truncus ſit oportet, qui ad hæc non riſerit.

Reſtat, ut de Tranſactionibus CASIMIRI M. cum JOANNE Lucemburgenſe Rege Bohemiæ, de Jure in Regnum Poloniæ factis, quæ nonnullorum

---

(*q*) 1212. FRIDERICI II. Imperatoris Privilegium, quod Reges Bohemiæ ad nullam Curiam venire teneantur, niſi in Nuremberg, vel Bamberg, ubi dicitur: *Quod ſi Dux Poloniæ vocatus acceſſerit, ipſi* (Reges Bohemiæ) *ſibi Ducatum præſtare debeant, ſicut Anteceſſores ſui quondam Reges Bohemiæ facere conſueverunt.* Goldaſtum, aliosque iniquos Poloniæ Scriptores falſarios, mendacesque eſſe non puduit cum Privilegii huius verba, quæ in rem eorum videbantur, adulterarent, hoc modo: *Ipſe ſibi* (Dux Poloniæ) *tributum præſtare debeat, ſicut Anteceſſores ſui, Bohemiæ Regibus facere conſueverunt &c.*

(*r*) 1226. FRIDERICI II. Romanorum Imperatoris Literæ, quibus Donatio Terræ Culmenſis a CONRADO Duce Maſoviæ, & Kujaviæ Hermanno a Saltza promiſſa confirmatur, eidemque Terra Pruſſiæ cum omnibus Regalibus conferetur &c.

1300. ALBERTI Regis Romanorum Privilegium, quo concedit VENCESLAO Regi Bohemiæ ſubiugandi Terras VLADISLAI Ducis Maioris Poloniæ. *In obliqualis tuæ ſinceritatis, & fidei reſtitutionem, quibus præ cæteris Regibus* &c. Perſimiles huic Privilegio Literæ a STEPHANO olim Rege Poloniæ obtentæ, in Archivo Regni Literario ſic inſcriptæ leguntur: *Provinciarum Moſchoviticarum vaſtandarum, & occupandarum Martino Holland, & Rudigero conceſſio &c.*

1335. Archiepiſcopus Trevirenſis recognoſcit ſe vidiſſe Literas LUDOVICI IV. Romanorum Imperatoris conceſſas JOANNI Regi Bohemiæ ſuper Infeudatione in partibus Poloniæ, Cracoviæ, & Terra Minſcenſi. &c.

lorum prædicatione circumferuntur, aliquid innuamus. Rempublicam Polonam jam inde ab origine ſua liberrimam ſemper fuiſſe, & Principes ſuos eligendi, atque Electis Summam Imperii deferendi Jus, poteſtatemque habuiſſe, magnis rationum, & teſtimoniorum momentis aſſeruit, expoſuitque in Diſſertatione luculentiſſima, quam primo Volumini Legum Regni a ſe collectarum præmiſit, Vir ille celeberrimus, longeque ſapientiſſimus, Staniſlaus Konarſki, latini ſermonis, eloquentiæ, ſtudiorumque liberalium in Regno Poloniæ Inſtaurator. Aut igitur omnibus Hiſtoricorum monimentis (quis jam in tantum deſiperet) nulla fides, aut ea, quæ ex communi Scriptorum omnium ſententia de libertate Polona affirmantur, a vero omnino non deflectunt. Gravis porro illa, quæ propter Optimatum privatas ſimultates, diſſenſionesque poſt obitum BOLESLAI Crivouſti An. 1140 accidit, rerum Polonarum converſio, hoc tantum infortunio inſignis erat, quod Respublica Regni nomen amiſerit. Facta enim Poloniæ inter Filios BOLESLAI partitione, cum eſſent Principes potentia, opibus, copiis, viribus ſibi fere æquales, in nullo tantum erat auctoritatis, qui præ cæteris Rex appellari mereretur. Nam quod plerique tradunt Regnum BOLESLAO Audaci a GREGORIO VII. fuiſſe abrogatum, cum nulla huius rei, nec in Literis GREGORII, nec in monumentis hiſtoricis illius ævi mentio ſit, Succeſſorque BOLESLAI Audacis VLADISLAUS HERMANNUS, Regis Titulo (*s*) uſus fuerit, id non videtur eſſe veriſimile. Tantum vero abfuit, ut Statuti, quo BOLESLAUS Crivouſtus filio maiori natu Jura Regalia hæreditate addixerat, ratio habita fuerit, ut is VLADISLAUS, quem Pater tanto honore mactaverat, brevi omnibus Ditionibus, quas inauſpicato capeſſiverat, detractus, nullum in poſteris ſuis Regem Poloniæ habuerit. Nec vero in rem Poſterorum eius, Ducum Sileſiæ conduxerat, quod de Jure in Principatum, INNOCENTIUM III. (*t*) interpellaverint, eo maxime, quod Statutum eiusmodi a Sede Apoſtolica fuerit confirmatum. Præſtari enim a



(*s*) 1082. Epiſtola VLADISLAI HERMANNI ad Patres Cœnobii S. Ægidii. *Patrum Reverendiſſimis.* VLADISLAUS *Dei Gratia Rex Poloniæ, & Coniunx Regina* JUDITHA *filialis reverentiæ devotionem, etſi &c.* Allucinatur hic more ſuo Conrigius: cauſa verior (inquit) quod & VLADISLAUS ille (Hermannus) & Succeſſores eius ad PREMISLAUM, reverenter coluerint Imperii Vim, & iniuſſu Cæſarum haud fuerint auſi, nomen illud oſtentare. &c. l. 1. c. 19.

(*t*) An. 1185. Epiſtola INNOCENTII III. *Gneſnenſi Archiepiſcopo, & univerſis Suffraganeis eius.* Significavit Nobis dilectus Filius Nobilis Vir Dux Zleſiæ, quod cum BOLESLAUS quondam Dux Poloniæ certam dederit ſingulis filiorum ſuorum in Polonia portionem &c. Quocirca Fraternitati Veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus inſtitutionem de maioritatis præeminentia, ſicut ad utilitatem, & pacem totius Provinciæ dinoſcitur eſſe facta, faciatis per Cenſuram Eccleſiaſticam &c. obſervari &c. *Epiſtolæ Innoc. III. Edit. Baluzii Tom. II. fol.* 453.

Republica non poterat, quod ex Dignitate ejus non eſſet. Jam quicunque rerum Poloniæ, quæ a BOLESLAO Crivouſto ad PREMISLAUM Regem interceſſerant, paulo gnarus eſt, illi plane liquet, Rempublicam iisdem ſemper ſtetiſſe Legibus, eadem Juris publici vixiſſe formula, ut nimirum Principes, pleraque majoris momenti negotia ex conſilio Ordinum, reliqua omnia ex ſuo arbitratu agerent, boni Filii, ad evitanda Interregnorum incommoda Patribus in Regno ſuccederent, ita tamen, ut nullum hæreditariæ Succeſſionis Jus illis eſſet. Sic Anno 1146. in locum VLADISLAI, propter impotentem dominationem Regno expulſi, minor natu frater eius ſuffectus eſt BOLESLAUS Criſpus. Anno 1178. ad CASIMIRUM Juſtum BOLESLAI Crivouſti quintum Filium, qui a Patre Hæres ſcriptus non erat, prætermiſſis aliis ejusdem BOLESLAI ſuperſtitibus Filiis, Summa Imperii delata eſt. Anno 1195. neglectis illis itidem, eorumque Stirpe, LESCUS Albus, CASIMIRI Juſti Filius. Anno 1226. eius Nepos BOLESLAUS Pudicus. Anno 1279. eiusdem Pronepos LESCUS Niger, rerum in Polonia potiti ſunt. Jam vero anno 1295. non immediate ad VLADISLAUM Locticum, alterum CASIMIRI Juſti Pronepotem, LESCI Nigri Fratrem, ſed ad PREMISLAUM de Stirpe MIECISLAI, qui BOLESLAI Crivouſti tertio genitus Filius erat, oriundum, eo fortaſſe conſilio Imperium delatum eſt, ut plane conſtaret, nullum in Regno Poloniæ Succeſſionis hæreditariæ, quæ deſcendit, non aſcendit, Jus obtendi poſſe. Cum igitur PREMISLAUS Rex Regnum, cui ſeptem Menſibus præfuit, liberrimum acceperit, quid Juris in Poloniam, ex Matrimonio cum Nepte eius ELISABETH JOANNES Bohemiæ Rex habere potuit, niſi tibi ſcirpum Sibylla dixerit, credo interpretari poſſe neminem. Neque vero RUDOLPHUS Bohemiæ Rex, qui Matrem iſtius ELISABETH, eodem nomine ELISABETH dictam, PREMISLAI Regis Poloniæ Filiam, VENCESLAI IV Bohemiæ Regis relictam Viduam, Uxorem duxerat, ſiqua hac in re æqui, & boni eſſet ratio, Jus ſuum diſſolute relinqueret, tanto magis quod illum acris opum appetentia eo impulerat, ut, quemadmodum ab Hiſtoricis proditum eſt, mercaturam faceret. Sed prudens rerum æſtimator cenſuit, ex inanibus nihil lucri poſſe accreſcere. Enim vero nec JOANNEM Regem Bohemiæ ita rerum fuiſſe rudem, quo minus hæc ſciret, exiſtimandum eſt. Obtentu igitur Juris, quod nullum erat, uſus eſſe videtur, ut compreſſum odium, quod iam erat incitatiſſimum, in CASIMIRUM profunderet, atque ab occultis offenſionibus, ad teſtatas inimicitias progredi poſſet. Magnis enim animorum diſſidiis hi

duo

duo Reges invicem conflictabantur. Ut tamen ingenio inter ſe longe erant diſſimiles, ita diverſa utrique voluntatis, ſtudiorumque fuit inclinatio. JOANNES in rebus ſolicitiſſimus, ſummæ induſtriæ, ſummi laboris, calliditatisque acerrimæ, omnes vias, quibus ſe ad id, quod voluit, pervenire poſſe putaverat, diligentius percurrere, in omnibus opportunitatis rationem habere, & cum erudita ſimulationis artificio, fraude non proficeret, armis rem perſequi, & ſe ipſum ad omnes periculorum caſus, quandoquidem ſua ei indoles præruptam (*u*) audaciam fecerat, obiicere ſolitus erat. CASIMIRUS natura ſimplex, ingenio miti, & tractabili, eoque magis ad iniuriam tardus, quo otii, rerumque tranquillarum ſtudioſior, modo ſe difficultatibus tantiſper explicaret, ut negotiis vacuus eſſe poſſet, ne ab iniquis quidem pactorum conditionibus abhorruit. Inde eſt, quod vix ulla ab eo cum Exteris Tranſactio ex dignitate Regni facta ſit, licet omnes pæne, quibuscum damnoſam Pacem fecerat, potentia excederet.

Cum vero in Comitiis Generalibus An. 1337. dato ſibi propulſandæ iniuriæ conſilio, ceſſionem, quod iam exequi in animum induxerat ſuum, Terrarum Pomeraniæ, Culmenſis, & Michalovienſis Ordini Crucigerorum facere, interceſſione (*x*) Statuum Regni prohibitus eſſet, ne in controverſiis (*y*), quas cum JOANNE Lucemburgenſe Rege Bohemiæ

 habuit,

---

(*u*) PHILIPPO Franciæ Regi, contra EDVARDUM Regem Angliæ auxilio veniens, cum rem Gallorum in acie male habitam intellexiſſet, cæcum ſe in locum, ubi prælium erat acerrimum, duci iuſſit, ibique tumultuans magis, quam dimicans, ridicula pugna mortem oppetiit anno 1346.

(*x*) In deliberationem autem re perducta, omnium Prælatorum, & Baronum vota, ſententiæque evidentiſſimis rationibus, reſpectibusque concludebant, nullatenus Crucigerorum petitioni, deciſionem Regum excedenti, ne in poſterum ad debiti, & coactionis neceſſitatem poſſit referri, & Juris Regno Poloniæ in Terris prædictis Pomeraniæ, Chelmenſi, & Michalovienſi competentis abdicatio cauſari, aſſentiendum &c. *Dlug. L. 9. fol.* 1038.

(*y*) 1335. CAROLI Hungariæ Regis teſtimonium, JOANNEM Bohemiæ Regem renuntiaſſe prætenſioni, & Juribus ſuis in Poloniæ Regnum; eiusque Titulum pro ſex millibus marcis addita fideiuſſione.

1343. Formula Mandati Regis Poloniæ CASIMIRI, quo Legatos ſuos inſtruit ad JOANNEM (a) Bohemiæ Regem cum ipſo ineundi pacem, & tranſigendi de Jure in Regnum Poloniæ.

(a) CAROLUS IV. Imperator in Vita ſua cap 18. rem ita enarrat: Statim tamen (inquit) eadem die Cracoviam

(JOAN-

habuit, ſimili modo Procerum ſententiis, & rationibus a propoſito redimendæ litis avocaretur, privatis de ea Pactionibus tranſegit. Hæc dixiſſe ſufficiat: cætera Tomis ſequentibus pro ratione materiæ ſuis locis præfabimur. Unum monendum eſt, quod ad rationem univerſæ huius Collectionis pertinet: æque nimirum Reipublicæ Polonæ, ac aliis Regnis, & Principatibus multiplicia eſſe Archiva. Quemadmodum igitur in Imperio Germanico habentur Tabularia Secretiora, Curialia, Provincialia, Imperialia, Civilia, Feudalia, Cameralia, &c. ita in Regno Poloniæ ſunt Acta Conſiſtoriana, Succameralia, Caſtrenſia, Terreſtria, Tribunalitia, Metrica Maior, & Minor Regni, Metrica Maior & Minor Magni Ducatus Litvaniæ, quarum illæ Archivi Regni, hæ Archivi Magni Ducatus Litvaniæ nomine appellantur, Tabularium præterea Theſauri Regni, in quo Inſtrumenta Regni Originalia aſſervantur, ac inſuper Archivum Reipublicæ *Sanctius*, Privatis omnino interdictum, cuius, cum cæterorum mihi copia fieret, ne Indicem quidem habere potui.

---

(Joannes Rex) cum magno obſedit Exercitu &c. Tunc Casimirus Rex nuntiavit Regi Joanni, ut ad evitanda multarum perſonarum pericula, ſecum ſolus cum ſolo in ſtuba clauderetur, & qui alium vinceret, ſuum propoſitum de eo obtineret; ſed quia Rex Joannes omnino tunc cæcus erat, nuntiavit illi, ut ſe prius excæcari faceret, & tunc libentiſſime paribus armis, quod vellet, intraret duellum. Poſt hoc fuerunt treugarum trium ſeptimanarum inter eos Induciæ procuratæ, quibus pendentibus tota inimicitiarum materia fuit complanata &c.

PRO-

# PROSPECTVS OPERIS

## IN QVO CONTINETVR EIVSDEM IN TOMOS DISTRIBVTIO.

*AD PRÆSTANTISSIMOS*
REGNI POLONIÆ, ET M. D. LITVANIÆ
CIVES

MATHIAS DOGIEL *Cler. Reg. Schol. Piar.*

Cum ſingularem aliarum Gentium in congerendis, divulgandisque Patriæ ſuæ Monumentis curam, ſtudiumque expenderem, revolveremque ingentes illos editorumGermaniæ, Galliæ, Angliæ, Italiæ, Diplomatum apparatus, ſæpe mecum cogitavi, quid cauſæ fuerit, quamobrem Rerum Polonicarum Scriptores, iique Viri ſolertes, & rerum publicarum uſu, atque exercitatione præditi, non antiquiora tantum, ſed ſui etiam temporis Monumenta nobis inquirenda reliquerint. Quid enim illi aut argumenti præſtantia dignius, aut ad communem utilitatem accommodatius, aut quod rationibus Reipublicæ magis conduceret, agere potuiſſent, quam ſi Tabulas publicas, rerumque geſtarum Monumenta, e tumulis ſuis eruta, ac in unum congeſta, In lucem emiſiſſent, ex quibus, & rei patriæ notitia fuco, atque figmentis libera comparari, & Majeſtas illa Poloniæ, cui olim ingens cum univerſi prope Orbis Imperiis, Regnis, Populis, Nationibus, uſus, ſocietas, conſvetudo, atque commercium, ab exteris, quibus pleraque horum incognita ſunt, merito ſuſpici poſſet. Neque video quo telo acriùs, expeditiuſque iniquorum Poloniæ Scriptorum opiniones, & ſententiæ labefactari poſſent. His enim Documentorum ponderibus re examinata, facile eſſet oſtendere, egregios illos Chronographos, partium ſtudio abreptos, fidem inter poſtremas curas habuiſſe, Gentibus, quæ nunquam ſervierant, tributa impoſuiſſe, atque in odium finitimorum lepidiſſimarum fabularum ſeriem texuiſſe.

# PROSPECTVS

Hæc nobis, cum eo tempore in Galliis eſſemus, ita cogitantibus, ingens conquirendorum undequaque Patriæ Monumentorum inceſſit ſtudium, reique a nemine adhuc tentatæ dare operam, apud animum conſtituimus. Favit inſtituto noſtro loci opportunitas, neque enim in tanta præſtantiſſimorum, atque alta quadam mente præditorum Virorum frequentia, aut patrocinio, aut ſubſidiis carere potuimus. Itaque Archiva ſtudioſe revolvimus, forulos Bibliothecarum excuſſimus, libros editos in quibus hac de re tractari novimus, perluſtravimus, reſque hinc inde diſperſas in Collectanea noſtra retulimus. Idem cum in Germania, idem cum alibi verſaremur egimus. Non contemnenda hæc noſtra nobis primo videbatur Collectio, ſed brevi aliter ſenſimus, totamque rerum ſeriem, præterquam quod ex Archivis publicis profectum erat, nauci habere cæpimus. Cum enim perficiendæ huius Lucubrationis cauſa ad revolvenda Cancellariæ Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ Acta (Metricas vocant,) acceſſiſſem, atque Ttransactionum Exemplaria ex libris editis deſcripta, cum Exemplaribus Authenticis conferrem, omnia plane infinitis ſcatere mendis deprehendi, pleraque vero ſic vitiata, & corrupta ut diverſa omnino a ſuis Authenticis eſſe viderentur. Ut enim Exempla quædam Inſtrumentorum Regni Poloniæ ab ineptis librariolis collecta, & in Germaniam delata, ita deinceps cum aliis communicata, Typisque impreſſa ſunt. Hæc nobis cauſa fuit, quamobrem ſcripta illa, quorum nullum in Archivis publicis, unde emendari poſſent, Exemplar deprehendimus, ſtudio in Supplementum rejecerimus, atque ad comparandam Codici noſtro publicam Auctoritatem, ſummum operæ pretium exiſtimavimus, nihil jam in eum referre, quod aut ex Originalibus, aut ex Authenticis, quæ in Privatorum Tabulariis extarent, congeſtum non eſſet. Ne vero exilis, jeiunaque hoc modo noſtra redderetur Lucubratio, in id omnes nervos induſtriæ noſtræ contendimus, ne quid in Actis Cancellariarum intactum relinqueremus, quod quidem multis difficultatibus conflictati præſtitimus. Ex illa igitur immenſa Scriptorum omnis ævi, maximam partem ad cauſas privatas accommodatorum multitudine, quæ noſtri erant inſtituti, ſumma cum fide delegimus. Equidem quantum elaboravimus, quam gravi opere perfuncti fuimus, illi probe ſciunt, quibus rationes Metricarum harum ignotæ non ſunt.

Hoc nobis noſtrum Inſtitutum ita proſequentibus accidit, ut vix dum Collectioni illi ſummam manum impoſuiſſemus, cum tota, quanta, quanta fuit, ſubito diſperierit. Suborto enim Varſaviæ An-

no

no 1754. nocte intempesta incendio, domus, in qua paulo ante versabamur, una cum Collectaneis nostris flammis absumpta est. Grave certe erat Thesaurum illum ex tot optimarum Rerum copiis conflatum, tam raris opibus instructum, tot laboribus, & impensis comparatum, tam facile, tam repente amittere. Tæduit jam, piguitque laboris, non tamen destitimus incepto, revocatamque a calce, ut ajunt operam, eadem, qua prius animi, viriumque contentione iterum egimus. Cumque beneficio Celsissimi Principis FRIDERICI MICHAELIS CZARTORYSKI Supremi Cancellarii Magni Ducatus Litvaniæ, nec non Illustrissimi Comitis WODZICKI Procancellarii Regni, liberior jam nobis Actorum Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ copia fieret, rem feliciter ad exitum perduximus.

Jam quod ad multiplicia Tabularia Illustrissimi Domini JOSEPHI Comitis ZALUSKI Referendarii Regni attinet, penum illam insignium Patriæ Monumentorum nullo plane negotio lustravimus. Cum enim propositum nostrum tanto Viro non potuit non probari, comem ille se nobis, & facilem, ultra, quam dici potest, præstitit. Ex ipsius igitur promptuariis, in quibus ingens anecdotorum numerus, quæ in rem videbantur, decerpta accepimus.

Grati æque animi testificationem debemus Illustrissimo Domino Comiti DĘBOWSKI Episcopo Cujavienſi, Viro summo, atque incomparabili; qui cum in publicis Patriæ gerendis negotiis consenuerit, non solum multas momenti maximi, ad evincendum, quæ Juris Poloni sunt, ex Archivis Hispaniæ, Austriæ, Regnique Neapolitani Literas conquisivit, verum etiam quotidie (quæ hodieque exactæ jam ipsius ætatis oblectamenta sunt) res actas in adversaria referendo, admirandos negotiorum Reipublicæ Codices (Protocolla vocant) ipse sua manu confecit, atque has omnes opes mecum liberaliter communicavit. Ex quibus quanta Collectioni nostræ Documentorum, quæ alibi frustra quærerentur, ad negotium summarum Neapolitanarum pertinentium accessio facta est, suis locis notamus.

Refertissima antiquiorum æque, ac recentiorum Diplomatum illa series, a perfectione quidem proxime abesse videbatur, multa tamen desiderabantur, & quod nos maxime anxios, solicitosque habuit, supplendi ea, quæ deerant, præterquam ex Archivo Cracovienſi, nullus omnino erat modus. In difficilem sane nodum incideramus, nec quidquam jam tot difficultatibus implicatum, & quod Herculis, ut ajunt, labor diceretur,

tentari potuit. Aditus quippe ad Archivum illud non jam arduus, perdifficilis, & qui magna cuſtodia teneatur, ſed omnino intercluſus eſt. Namque omnes Tabulæ Authenticæ, omnia Inſtrumenta Originalia, aliaque Scripta momenti maximi in Arce Cracovienſi, ſimul cum Theſauro Regni recondita, ſub Sigillo, & Clavibus Supremi Theſaurarii Regni, & Septem Senatorum aſſervantur: Legeque cautum eſt, ne locus ille, niſi ſcito Ordinum Regni recludi, & adiri poſſit. Arcta hac Monumentorum Regni, quorum nuſquam extant Exempla, cuſtodia id demum effectum fuit, ut pleraque Fœdera cum Exteris icta ignorarentur. Ita enim in Literis Pactorum inter SIGISMUNDUM I. & Pomeraniæ, atque Megapolenſes Duces Anno 1525. initorum legimus: *Ut cum Illuſtribus Principibus &c. Fœdus, Societatem, & Amicitiam ineamus, quam Noſtros Majores, etiam cum Majoribus eorum tenuiſſe, & ſervaſſe, Literæ ultro, citroque deſuper confectæ, ac in ſcriniis repertæ teſtantur &c.* Extant in Archivo Regni Literæ Originales FERDINANDI II. Imperatoris, ad VLADISLAUM IV. Regem Poloniæ, Anno 1633. in eo ſolum negotio ſcriptæ, ut compacta inter Auſtriam & Poloniam inita Typis imprimi mandaret, quo melius ſubditis conſtare poſſent Leges, quibus invicem obligati tenentur.

Nos quidem vehemens deſiderium, quo bene merendi de Patria tenebamur, impulit, ut rei non modo arduæ, ſed etiam, ut videbatur, impoſſibilis periculum faceremus, ſpe ducti Deum O. M. bonis conatibus non defuturum. Neque vana fuit hæc noſtra fiducia. Namque Patrocinium hujus Operis a Celſiſſimis, & Illuſtriſſimis Reipublicæ Miniſtris, JOANNE Comite MALACHOWSKI Supremo Cancellario Regni, FRIDERICO MICHAELE Duce CZARTORYSKI Supremo Cancellario Magni Ducatus Litvaniæ, CAROLO Comite ODROWĄZ SEDLNICKI Supremo Theſaurario Regni, quod immortale eorum Monumentum futurum eſt, ſuſceptum erat. Illorum igitur Numine effectum fuit, ut cum Senatus Conſilium Frauſtadii Anno 1755. ageretur, apertio Archivi Cracovienſis decreta fuerit, Nosque propitiam Nobis Sacram Regiam Maieſtatem, Univerſumque Senatum habuerimus.

In illo igitur celeberrimo Antiquitatis Domicilio, ac rerum reconditiſſimarum admirando Theſauro, qua accuratione, & fide, veterum juxta, atque recentiorum Inſtrumentorum Exemplaria confecimus, quave ratione multa inſignia Patriæ Monumenta ab interitu vindicaverimus, luculentiſſimum nobis ea de re a D. D. Commiſſariis, Auctoritate publica ad id delegatis, in quorum præſentia elaboravimus, teſtimonium datum eſt.

Sane

Sane quam pro eo, ac debuimus, ſollicite, perattenteque id penſi peregimus, fideliorque opera, ne voto quidem fingi poterat.

Prodit itaque in Publicum Codex Diplomaticus Regni Poloniæ, omnis ævi Diplomatum, Pactorum, Tractatuum, Conventionum, Fœderum, aliarumque hujus generis Transactionum refertiſſimus: quo in genere haud video quicquam, a Scriptoribus vicinarum Gentium, quod huic Operi diligentia, & auſim dicere, fide comparari poſſit, divulgatum unquam fuiſſe. Quid enim inter hanc noſtram Collectionem, & illorum coagmentationes interſit, æquis rerum æſtimatoribus pronum erit advertere. Nos enim auſpiciis S. R. Majeſtatis, Domini Noſtri Clementiſſimi, Auctoritate Ampliſſimi Senatus, Celſiſſimorum, Illuſtriſſimorumque Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ Cancellariorum approbatione, ex Archivis publicis non ſolum ea congeſſimus, quorum ſingula Auctoritatis publicæ ſunt, verum etiam in iis ipſis ſecernendis, ad rerum momenta magis, quam molem attenti, ſingularem rerum delectum inſtituimus, atque ut nonnulla conſulto in Supplementum retruſimus, ita a plerisque, quæ leviora videbantur, prorſus temperavimus. Illi dum in hoc ſe conterunt, ut immanem, ſequioris ævi maxime, Diplomatum copiam aggerant, nunquam dicunt, unde ſua hauſerunt Apographa, niſi plerique forte eos citent, e quibus res huiusmodi conſarcinatas acceperint. Quo effectum eſt, ut magnam Literarum turbam Civitate donarint, cujus potior pars, ſi rationum calculi bene ſubducti eſſent, exilio mulctanda erat. Jam utilitatem, neceſſitatemque Operis non eſt cur multis explicemus. Ineruditus enim admodum, rudisque ſit oportet, qui hæc ignorat. Sane cum *ad Conſilium de Republica dandum caput eſt noſſe Rempublicam*, exiguam illi rei Patriæ habent notitiam, qui eam e Monumentis publicis non compararunt. Neque vero huius Argumenti, Hiſtorici fidi interpretes ſunt. Quis enim Scriptorum Legibus Hiſtoriæ unquam obtemperavit, ne qui eam ſcribit quid falſi dicere audeat, ne quid veri non audeat, ne qua ſuſpicio gratiæ ſit, ne qua ſimultatis. Nam ut antiquiora omittamus, in quibus illi præter auditum nihil habuerunt, commune id omnium pæne Hiſtoricorum vitium eſt, ut occultis odiis, quæ Gentibus finitimis inſita penitus ſunt, exſtimulati Genio indulgeant, res Patriæ quam maxime poſſunt, figmentis etiam exornent, in illorum nomine, ex quibus ea corrogant, quæ ad Argumentum conducunt ſuum, facile conquieſcant, tum ſi quid opinione forte per ſe ipſos invenerint, mordicus tueantur. Sed demus plerosque eorum (ſi quidem ita mens ſana fuiſſet) a partium ſtudio omnino liberos fuiſſe

cum tamen non e Monumentorum fide, ſed e Commentariis, atque Hypomnematis, ut tum erant tempora, ex variorum lectione congeſtis, Annales ſuos confecerint, fieri non potuit, quin multis in locis fucum facerent. Verum enim vero *quis tam lynceus, qui tantis tenebris nihil offenderet, nuſquam incurreret?* Livium quoque celeberrimum Hiſtoriæ Conditorem, quod Monumenta Romanæ Gentis fortaſſe minus perſpecta, cognitaque habuerit, plures narrationi ſuæ falſi maculas aſperſiſſe, jam in hac Literarum luce videre eſt. Sic noſter Cromerus aliter certe de rebus Ruſſiæ ſcripſiſſet, ſi veteres Ruſſorum Tabulas exploratas habuiſſet.

Cum vero ſtudium Rei Diplomaticæ ad illuſtrandam Hiſtoriam, reſque Patriæ geſtas tantopere conferat, tum in iis, quæ ad negotia Regni publica, atque uſum rerum faciunt, præcipua illius neceſſitas eſt. Qui enim multiplices Conventiones, Pacta, Stipulationes, atque Fœdera cum Exteris icta ignorat, minimeque compertum habet, quæ inter Rempublicam, aliaque Regna, & Dominia intercedit neceſſitudo, quid cui a quoquam præſtari neceſſe ſit, qui modus adminiſtrandæ utrinque Juſtitiæ, quæ rerum converſiones, earumque cauſæ, conſilia, exitus, quæ rationes finium, acceſſiionesque Regni, & diminutiones, *cætera:* Ille Juris publici patrii omnino ignarus eſt, neque intelligi poteſt, qua ratione non jam Miniſtri, non Senatoris, non Officialis Regni, vel Magni Ducatus Litvaniæ, ſed ne privati quidem Patriæ Civis, cui in Sententia locus eſt, Officio probe defungi poteſt.

Supereſt, ut de methodi, ac diſtributionis modo, quam in hac Collectione ſervavimus, aliquid dicamus. Primum igitur confuſam rerum ſeriem Sectionibus, quæ ex Operis Inſtituto naſcebantur, diſpunximus, deinde earum ipſarum ſic digeſtarum rerum capita ordine chronologico collocavimus. Cum vero multa ſeſe offerrent, luce quidem, quam nunquam viderunt, digna, ſed quæ Lectorem rerum momentis intentum, longo perſæpe contextu interpellarent, ea ad Supplementum revocavimus, ut pleraque alia ex libris editis collecta, quorum in Archivis Reipublicæ, nec vola, nec veſtigium.

Indicem tandem totius Operis Prima ſui Parte, Chronologico-Diplomaticum, Altera Res Ordine Alphabeti demonſtrantem texuimus, atque Opus in Octo Tomos, eo qui ſequitur modo, diſpertivimus.

# PRIVILEGIVM.

AVGVSTVS Tertius DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kiioviæ, Volhiniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czernichoviæque, nec non Hæreditarius Dux Saxoniæ, & Princeps Elector.

Significamus præſentibus Literis Noſtris, quorum intereſt Univerſis, & Singulis. Omnes quidem bonarum Artium, Literarumque cultores, præſertim vero eos, quorum ſtudia ad publicam Patriæ utilitatem collimant, ſingulari complectimur benevolentia. Cum igitur cura, & labore Religioſorum Scholarum Piarum præparetur luci publicæ Codex Diplomaticus Regni Poloniæ, ſeu Collectio omnium Tractatuum Regni cum Exteris: decere bonitatem, & æquitatem Noſtram duximus: ut intentionem, & induſtriam Authoris egregiam, Opusque ipſum pro uſu, & commodo publico non utile duntaxat, verum & maxime neceſſarium, diſerto Gratiæ, & Benevolentiæ Noſtræ proſequeremur teſtimonio: illudque Typis Publicis quantocius mandari non modo libenter concederemus, ſed quod Rei præſtantia a Nobis expoſcit, etiam optaremus; Prout quidem proſequimur, concedimus, atque optamus præſentibus Literis Noſtris. Edicentes, atque prohibentes, ne quispiam alius, qui non ſit ex prælibato Scholarum Piarum Inſtituto, Opus ſimilis Argumenti, & Materiæ, idque ſive in toto, ſive in parte, Typis publicis excudere audeat, tam in Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Litvaniæ, annexisque Provinciis, quam in reliquis Dominiis, & Ditionibus Noſtris Hæreditariis, ſub mulcta mille Aureorum Hungaricalium, cæterisque pœnis, contra convulſores Mandatorum Noſtrorum Lege Publica ſancitis. Quod omnibus, quorum intereſt, præſertim vero ordinariis Librorum Cenſoribus, & Typographis ad notitiam deducentes, mandamus, quatenus præmiſſa & ipſi obſervent, & ab aliis obſervari faciant, ſub pœnis ſimilibus contra ſe extendendis, & pro Gratia Noſtra Regia. In quorum fidem Præſentes Manu Noſtra ſubſcriptas, Sigillo Regni communiri iuſſimus. Dat. Varſaviæ die X. Menſis Decembris An. Domini MDCCLIV. Regni vero Noſtri XXII. Anno.

AVGVSTVS Rex

JOANNES KLOSSOWSKI *Canonicus Cathedralis Premisliensis, Sacræ Regiæ Maieſtatis Sigilli Regni Secretarius. mpp.*

# PRIVILEGIVM
## PRO TYPOGRAPHIA VILNENSI
*PP. Scholarum Piarum.*

AVGVSTVS Tertius DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kiioviæ, Volhiniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czernichoviæque, nec non Hæreditarius Dux Saxoniæ, Princeps & Elector.

Significamus præſentibus Literis Noſtris quorum intereſt, Univerſis, & Singulis, quod cum Regiæ Providentiæ Noſtræ interſit, ut artes, quæ divino cultui propagando, rerum geſtarum gloriæ ab oblivione vindicandæ, magnorumque in Re Literaria Virorum lucubrationibus, & ſcriptis ad poſteritatem transmittendis ſerviunt, in Regno Noſtro excolantur; eosque, qui ſtudium ſuum, & operam ad eas exornandas, perficiendasque conferunt, ſingulari favore, & benevolentia Noſtra complectamur. Ideo ſupplicationibus Patrum Scholarum Piarum benigne annuentes, iisdem permittimus, ut in Metropoli Noſtra Vilnenſi, in Collegio ſuo Officinam Typographicam variis præſtantiſſimorum characterum, ab iisdem Patribus conductorum, generibus inſtructam pro publico Reipublicæ uſu erigant, & conſtituant. Quam quidem Typographiam in Protectionem Noſtram Regiam accipimus, eidemque omnia Privilegia, & Conceſſiones ſingulas, quibus aliæ in Regno Noſtro Typographiæ quomodolibet gaudent, nullis penitus exceptis, applicamus, concedimus, elargimur. Quod quidem ad omnium & ſingulorum Magiſtratuum, & Officialium Regni, & M. D. Litvaniæ, aliarumque Provinciarum Dominiis Noſtris ſubiectarum, potiſſimum vero ad Officii Conſularis Vilnenſis notitiam deducendo, mandamus, ut eandem Typographiam Collegii Vilnenſis Patrum Scholarum Piarum pro Typographia Noſtra Regia & Reipublicæ habeant, eandemque omnibus Juribus, Libertatibus, Immunitatibus, Prærogativis, quæ aliis in Regno Noſtro Typographiis quomodolibet conceſſæ ſunt, uti, frui, & ab aliis quibuscunque ita defendi, ac tueri curent, ne ratione præmiſſorum a quopiam quovis colore, aut prætextu difficultatem habeat, idque pro Gratia Noſtra ſecus non facturi. Non obſtantibus quibuscunque in contrarium emanatis; vel emanandis. In cuius rei fidem Præſentes manu Noſtra ſubſcriptas Sigillo M. D. Litvaniæ communiri fecimus. Dat. Varſaviæ die 16. Menſis Novemb. An. Domini MDCCLIV. Regni Noſtri Anno XXII.

AVGVSTVS Rex.

Joſephus Dulęba *S. R. Maieſtatis Sigilli Maioris M. D. Litvaniæ Secretarius. mpp.*

PRI-

# PRIVILEGIORVM EORVNDEM CONFIRMATIO ET DECLARATIO.

AVGVSTVS Tertius DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kiioviæ, Volhiniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czernichoviæque, nec non Hæreditarius Dux Saxoniæ, & Princeps Elector.

Significamus præſentibus Literis Noſtris, quorum intereſt, Univerſis & Singulis. Singularem benevolentiam, favorem, protectionemque Noſtram Regiam merentur Patres Scholarum Piarum, qui omnem induſtriam, conatus, ſtudiaque ſua in id conferunt, ut publicæ, quam maxime poſſunt, proſpiciant utilitati. Cum igitur ſupplicatum Nobis ab iis eſſet, ut Privilegium Noſtrum, quod ipſis die decima Decembris Anno MDCCLIV. pro imprimendo Codice Diplomatico huius Reipublicæ ab eis collecto, ſub Sigillo Regni conceſſimus, nunc confirmaremus, ac Confirmationem Noſtram Regiam ſub Sigillo M. Ducatus Litvaniæ edi faceremus, propterea, quod dictum Opus Vilnæ in Typographia Noſtra Regia, & Reipublicæ Collegii ipſorum imprimendum venit; Nos petitionem eorum gratam habentes, Privilegium Noſtrum, quod die 10. Menſis Decembris Anno MDCCLIV. pro impreſſione huius præſtantiſſimi Operis, diu a multis hucusque fruſtra deſiderati, conceſſimus, in omnibus punctis, & clauſulis ibidem expreſſis, innovamus, confirmamus, & approbamus, ac denuo edicimus, ne quisquam alius, præter præfatos Patres Scholarum Piarum Collegii Vilnenſis, Opus ſimilis Argumenti & Materiæ, ſive in toto, ſive in parte Typis publicis excudere audeat, tam in Regno Poloniæ, quam in M. D. Litvaniæ, annexisque Provinciis, ſub pœna mille Aureorum Hungaricalium, & confiſcatione omnium Exemplarium, aliisque pœnis contra convulſores Mandatorum Noſtrorum Lege publica ſancitis. Inſuper conſervationi, bonoque ſtatui, ac ordini Typographiæ Noſtræ Regiæ, & Reipublicæ in Metropoli Noſtra Vilnenſi, Collegioque Patrum Scholarum Piarum inſtitutæ proſpicere volentes, Privilegium Noſtrum, quod die 16. Menſis Novembris Anno Domini MDCCLIV. pro erectione eiusdem Typographiæ Noſtræ Regiæ, & Reipublicæ conceſſimus, innovamus, approbamus, & confirmamus, eidemque omnes Prærogativas, Libertates, Exceptiones, Jura, & Privilegia, quæ aliis, tam in Regno, quam in Magno Ducatu Litvaniæ Typographiis Noſtris quomodolibet conceſſa ſunt, nullis penitus exceptis, applicamus, concedimus, addicimusque. Ordinationem quoque inter Artis Typographiæ Socios Typographiarum Noſtrarum Varſavienſium die 28. Menſis Februarii Anno Domi-

ni MDCCXXXIX. a Nobis præſcriptam, in Metropoli Noſtra Vilnenſi, inter Typographiam Noſtram Regiam, & Reipublicæ apud Patres Scholarum Piarum, nec non Typographias PP. Societatis Jeſu, & PP. Franciſcanorum, & ſi quæ aliæ in futurum erigendæ forent, ſervari omnino volumus, & præcipimus, prohibemuſque, ne Socii Artis Typographicæ ex Typographia Noſtra Regia, & Reipublicæ poſt factum Contractum, temere, & licentioſe recedentes, ad alias Typographias ſuſcipiantur, multominus ne Præfecti Typographiarum illos ad ſuas Typographias quovis modo pertrahere præſumant, idque ſub libera horum Artis Typographicæ Sociorum, temere, & licentioſe recedentium, ſeu tranſeuntium arreſtatione, & ſequeſtratione facienda, & peragenda. Quod ad notitiam omnium, & ſingulorum Magiſtratuum, & Officialium Regni, & M. D. Litvaniæ, aliarumque Provinciarum Dominio noſtro ſubiectarum, potiſſimum vero Officii Conſularis Vilnenſis notitiam deducendo, ipſis committimus, ac demandamus, ut in tali caſu Typographiae Noſtræ, & Reipublicæ Collegii Scholarum Piarum contra eiuſmodi temerarios, & licentioſos Artis Typographicæ Socios præſto adſint, & aſſiſtant pro Gratia Noſtra Regia, non obſtantibus quibuſcunque in contrarium emanatis, vel emanandis. In quorum fidem Præſentes Manu Noſtra ſubſcriptas, Sigillo Magni Ducatus Litvaniæ communiri mandavimus. Dat. Varſaviæ die XVI. Menſis Martii Anno Domini MDCCLVII. Regni vero Noſtri XXIV. Anno.

AVGVSTVS Rex.

Joſephus Dulęba *S. R. Maieſtatis Sigilli Maioris M. D. Litvaniæ Secretarius. mpp.*

# CODEX DIPLOMATICVS

## REGNI POLONIAE

ET

## MAGNI DUCATUS LITVANIAE.

## BOHEMIA.

I.

ANNO 1255. PREMISLAVS *Rex Bohemiæ deprecationem* S. STANISLAI, *de cuius Corpore Brachium opera* BOLESLAI *Ducis obtinuerat, tempore expeditionis ſuæ contra Pruſſos expertus, condonat univerſæ Poloniæ acceptam ab ea iniuriam.* Datum Pragæ Indictione 13, quarto Nonas Octobr. Anno 1255. *Ex Originali.*

Venerabili in Chriſto Patri, Domino PRANDOTHAE, Epiſcopo & Decano, & Capitulo Cracovienſi, PREMISLAUS Dei gratia Dominus & Hæres Regni Bohemorum, Dux Auſtriæ, & Marchio Moraviæ, cum ſinceritate affectus, paratam ad quævis honoris & honeſtatis beneplacita voluntatem. Quo affectu, & quanta fidei noſtræ devotione, glorioſum Pontificem Chriſti, & Martyrem STANISLAUM, qui Nobis in peregrinatione Pruſſiæ poſitis, ſuo apud Deum profuit interventu, & affuit præſidio auxilii oportuni, ſingulariter veneremur, nec lingua dicere, nec ſcripturis calamus poſſet explicare. Hinc eſt, quod amore, & obtentu Brachii Eiusdem Sancti Nobis deſiderabilis, ſuper aurum & topazion pretioſum, omnem noſtram offenſam Nobis in gravi, & enormi læſione noſtrarum Terrarum, præſertim Opavienſis, ſine noſtris meritis irrogatam, Poloniæ univerſæ penitus ex animo relaxamus. Ita tamen, quod amicabiliter petimus, ut noſtri, qui adhuc in partibus Poloniæ detinentur, reſtituantur captivi, eo modo, ut, ſi qui forte ſunt ſervituti per filios Poloniæ mancipati, huiusmodi libere abſolvantur; redempti vero ab Ungaris, & Chomanis etiam, ſeu Ruthenis, aut interpellatione precum libertati votivæ reddantur, vel a noſtris hominibus eorundem captivorum propinquis, & charorum iuſto pretio redimantur, quod Nobis ex Divina lege maxime pro reintegrandis matrimoniis congruit ſollicitius exequendum. Ad hæc Præſentibus proteſtamur; quod Vos Venerabilis Domine Epiſcope, ANNO 1255.

Anno 1255. Episcope, Nos specialem præeligentes in Patrem in Christo, & loco Patris Vos & vestros Successores in perpetuum specialiter colere statuentes, vestris volumus salutaribus monitis erudiri, & Divinis institutionibus informari, quemadmodum per omnem subiectionem & obedientiam, erga generalem Ecclesiam, in Domino Matrem nostram, Nos operæ pretium sit componi, qui ratione adeo pretiosi sacri muneris memorati, Vobis & Ecclesiæ vestræ, in vestris necessitatibus Magnificentiæ nostræ præsidia repromittimus opportuna, cupientes interventu nostro veluti lapide angulari duos e diverso parietes coniungendo in unum, Nobis indissolubilis fœderis & amicitiæ vinculo, cunctos Poloniæ Principes sociari, quorum Nos Terras, & præsertim Dilecti Consanguinei, & Affinis nostri Illustris, Cracoviæ & Sandomiriæ Ducis Boleslai, qui pro impetrando Nobis munere præfato a Nobis, dedit operam efficacem, promittimus ab omnibus Invasoribus, præsertim Schismaticis & Paganis, favente Domino, deffensare, tanto efficacius, quanto potentiæ magnitudo Nobis amplior cælitus aspirarit. Datum Pragæ, Anno ab Incarnatione Domini Millesimo Ducentesimo quinquagesimo quinto, Indictione tredecima, quarto Nonas Octobris.

## II.

1335. *Instauratio & Declaratio Pacis inter* Casimirvm *Poloniæ, &* Joannem *Bohemiæ Reges.* Datum in Vissegrado 19 Nov. Anno 1335. *Ex Arch. Regni. Lib. 3. n. 4. fol. 466.* Item *Lib. Legationum, Lit. F. fol. 217.*

In Nomine Domini Amen.

Nos Casimirus Dei gratia Rex Poloniæ, Universorum notitiæ deferimus per Præsentes, quod, Terrarum pacem & tranquillitatem pro viribus nutrire cupientes, ordinamus, & indissolubiliter observari debere volumus, & promittimus, quodsi aliquam discordiæ materiam insurgere contigerit inter Principes, Nobis subiectos, vel Capitaneos nostros, ex una parte: nec non Principes Feudales, & Subiectos Excellentissimi Domini Joannis Regis Bohemiæ, limites nostri Regni attingentes, vel alios Subiectos ipsius eosdem limites contingentes, parte ex altera, & ob hoc hinc inde damna aliqua perpetrari: propter hoc pacis unio, inter Nos, & ipsum Regem Bohemiæ ordinata, non debet aliqualiter violari, sed in suo robore firmiter perdurare; discordiæ autem materia taliter excitata per Capitaneos, tam per Nos, quam per ipsum Regem Bohemiæ deputandos, sine procrastinatione qualibet, prout rationabile fuerit, dirimatur, sicut nostram gratiam observare cupiunt, & diminutionem honoris proprii evitare. Sin autem de Regno nostro Terram alicuius Principis, præfati Domini Regis Bohemiæ Subiecti, per aliquos Nobis Subiectos, habitantes Fortalitia, aut Castra, vel non, aliqua spolia committi contingeret, mox ille Princeps, aut Capitaneus, sub cuius Iurisdictione talia committuntur, super eo requisitus, eadem spolia committentes, ad satisfactionem congruam compellere teneatur. Quodsi requisitus compellere ipsos non curaret, ad hoc ipsemet ad satisfactionem huiusmodi teneatur, postquam fuerit suo Regi querimonialiter nominatus. Si vero taliter spolia committentes, Domino suo temporali, sive Duci, aut Capitaneo, vel Episcopo, temporale Dominium habenti, cum hoc ipsis inobedientes existerent, & ad mandatum ipsorum de spolio, a se commisso, satisfacere recusarent, mox ipsorum Dominus temporalis, sub quo Castra, Fortalitia, aut Possessiones habebunt, ipsorum Castra, Fortalitia, aut Possessiones vallare, & expugnare tenebitur. Etsi per se ipsos ad id sufficere non valerent, hi tamen, quorum Terris spolia sunt commissa, ipsos ad eadem expugnanda, prout melius poterunt, adiuvabunt, adhibito ad hoc etiam Regum adiutorio, si fuerit oportunum. Quibus Castris, aut Fortalitiis acquisitis, & expugnatis, penitus destruantur, nisi talia Castra, aut Fortalitia Terrarum confinia contingerent; tunc enim Dominorum temporalium arbitrio relinquatur: an magis ipsa destrui velint, aut potius, locatis in ipsis hominibus pacificis, ea pro se, & Terrarum defensione, servare, ac Possessiones, & Bona eorundem Spoliatorum ad Dominos temporales, in quorum Terris consistunt, libere revertantur. Cum autem Spoliatores quoscunque de Regno nostro in Terras quorumcunque Principum Feudalium Domini Regis Bohemiæ memorati (quod absit) transire contingeret, spolia commissuros, volumus, & mandamus, per Principes, & Capitaneos Regni nostri, eosdem efficaciter impediri, & si fieri poterit detineri; alioquin damna, per Spoliatores facta, ipsimet læsis de proprio resarcire debent. Ipsi autem Spoliatores in Regnis Bohemiæ, & Poloniæ, & in omnibus Terris omnium Principum, Regibus subiectis, & adhærentibus eisdem, efficaciter sint proscri-

Anno 1335.

Anno 1335. proſcripti. Ipſi quoque etiam poſt factam emendam de ſpoliis memoratis, tanquam degeneres, & infames in conſpectu omnium Principum, & bonorum hominum penitus ſint abiecti, & vox eorum tanquam funeſta, & reproba, contra neminem audiatur. Illud etiam ſpecialiter ordinamus, & promittimus inviolabiliter obſervare: quod, quicunque notabiliter proſcripti fuerint, vel in Regno Hungariæ, Poloniæ, aut Bohemiæ, ſeu Terris aliquibus Principum eisdem ſubiectorum, aut adhærentium eisdem, in omnibus dictis Regnis & Terris, pro proſcriptis haberi debebunt. Si quod, cum in aliquo locorum prænominatorum aliquis talis repertus fuerit; mox tamen in ipſum, tanquam in hominem omni jure privatum ultio ultima debeat exerceri. In quorum omnium teſtimonium præſentem Literam fieri, & noſtri Sigilli munimine iuſſimus communiri. Actum & Datum in Wiſſegradō in Hungaria, Die S. Eliſabeth, Anno Domini MCCCXXXV.

## III.

1337. *Compacta inter Poloniæ & Bohemiæ Reges, quibus modus præſcribitur, quo Controverſiæ inter utriusque Partis Subditos dirimi debeant.* Actum & Datum Poſnaniæ 12 Martii, Anno 1337. *Ex Archivo Regni. Lib. Legationum, ſub Lit. F. fol. 216.*

Nos Joannes Bohemiæ, & Casimirus Dei gratia Poloniæ Reges, Univerſis præſentes Literas inſpecturis, ſalutem & notitiam ſubſcriptorum. Salus, vita, & perennis tranquillitas, benedictio pacis irradiata claris fulgoribus, per orbis refulget climata, dum Regnorum Subditis, & Terrarum Incolis de commodis ſalubriter providetur. Ea propter Terrarum pacem, & tranquillitatem nutrire pro viribus cupientes, ordinamus unanimiter, & indiſſolubiliter obſervari debere volumus, Nos invicem, & inſimul promittentes, quod ſi per aliquos homines Principum Nobis utrobique ſubiectorum, ſeu de Terris eorundem, aliqua damna parte ab utraque contingerent perpetrari, propter hoc pacis unio inter Nos concorditer facta non debet violari, ſed in ſuo robore temporibus perpetuis firmiſſime perdurare. Sane diſcordiæ materia taliter perpetrata, aut damna vel ſpolia quæcunque hinc inde per maleficos irrogata, per Capitaneos, Vratislavienſem, Caliſſienſem, Glogovienſem, & Poſnanienſem, inter ſe ipſos mutuo requiſitos ſine procraſtinatione qualibet, prout rationabile fuerit, dirimantur. Ita tamen, quod ſi de aliquo dictorum Regnorum, aut de Terris noſtris, & Principum Nobis alternatim ſubiectorum aliqua damna, & ſpolia perpetrarentur, Capitanei Caliſſienſes, Vratislavienſes, & Poſnanienſes, & Glogovienſes inter ſe, ac viciſſim tenebuntur intimare, ac ipſe Capitaneus ſub quo talia ſunt commiſſa, ipſos maleficos pro iuſtitia facienda ſtatuere tenebitur, in Locis, & Civitatibus infra ſcriptis, videlicet Capitaneus Vratislavienſis in *Vartemberg*, & Capitaneus Caliſſienſis in *Oſtrzeczow*, & Capitaneus Glogovienſis in *Thrawenſtad*, & Capitaneus Poſnanienſis in *Coſten*, a die Requiſitionis ad duas ſeptimanas indilate, & eundem, ſeu eosdem maleficos, ſi ſe ipſe vel ipſi proprio juramento, adhibitis duobus teſtibus probis, & honeſtis, de furto non ſuſpectis, non expurgaverint, ab eodem die per alias duas ſeptimanas per fideiuſſoriam cautionem parti adverſæ contentam eidem ad ſatisfactionem congruam, & condignam compellendo. Anno 1337.

Si vero taliter ſpolia committentes, Domino ſuo, vel Capitaneo inobedientes in hoc exiſterent, aut rebelles, & ad mandatum ipſorum de ſpolio ſic commiſſo comparere, aut ſatisfacere recuſarent, mox ipſe Dominus ſive Capitaneus, ſub quo Caſtra, Fortalitia, aut Poſſeſſiones habebunt, ipſa vallare, & expugnare tenebitur. Et ſi per ipſos ad id ſufficere non valerent, ipſe Capitaneus ſub quo ſpolia ſunt commiſſa, ipſos ad eadem expugnanda, prout melius poterit, etiam ſuis ſumptibus adiuvabit. Quibus Caſtris ac Fortalitiis expugnatis, ac acquiſitis ipſa penitus deſtruantur, & Bonis eorundem venditis, læſis indilate fiat emenda, niſi talia Caſtra aut Fortalitia Terrarum, confinia contingerent. Tunc Dominorum arbitrio temporalium relinquatur, an ea magis deſtrui vellent, aut potius in ipſis locatis hominibus pacificis, ipſa pro ſe, & Terrarum defenſione reſervare, prius damna paſſis ſatisfactione condigna præmiſſa. Cum autem ſpoliatores quoscunque de uno Regno ad aliud, ac Terras noſtræ Ditionis, aut Principum Nobis ſubiectorum (quod abſit) contingeret tranſire, ſpolia committentes, volumus & mandamus, per Capitaneos utriusque Partis ipſos maleficos per Fora publice proclamari, & efficaciter impediri, & ſi fieri poterit detineri, alioquin damna per huiusmodi Spoliatores facta, ipſimet, in quorum Munitionibus, & apud quos reperti fuerint, læſis de proprio infra duas, ut præ-

ANNO 1337. mittitur, ſeptimanas ſatisfacere tenebuntur; Spoliatores vero ipſi in Regnis Bohemiæ, & Poloniæ prædictis, ac in omnibus noſtris, & Principum Nobis ſubiectorum Terris, efficaciter ſint proſcripti. Et licet poſt factam emendam damna paſſis, in prædictis omnibus Regnis atque Terris, pro profugis habeantur, & vox ipſorum tanquam funeſta, & reproba contra omnem hominem reputetur, donec gratiam utriusque noſtrum mereantur obtinere. Cæterum volumus inviolabiliter ordinantes, quod hi, qui profugos aut Spoliatores huiusmodi, de uno Regno ad aliud cum ſpoliis, vel ſine ſpoliis inſequuntur, per Terrigenas eiusdem Regni ad quod fugiunt, in agitatione, & in inſecutione fideliter adiuventur. Alias ipſi qui pro auxilio, & iuvamine in agitatione huiusmodi Spoliatorum requiſiti fuerint, inobedientes & rebelles, noſtrum amborum indignationem procul dubio ſe noverint incurſuros. Et nihilominus iidem requiſiti, & rebelles omnia damna inde ſecuta, ſine quavis difficultate perſolvent eisdem, per quos fuerint ſuper huiusmodi inſecutione, ut præmittitur, requiſiti. Volumus etiam, ut hæc noſtra Pacis Ordinatio per decem annos continue computandos, in ſuo robore immutabiliter, & inviolabiliter permaneat, & inconcuſſe perſeveret. In huius rei teſtimonium &c. Actum & Datum Poſnaniæ, die S. Gregorii Papæ, Anno Domini MCCCXXXVII. *[illegible]*

IV.

1341. *Declaratio Unionis, Amicitiæ, & Neceſſitudinis inter* CASIMIRVM *Poloniæ Regem, &* JOANNEM *Regem Bohemiæ, & Filium Eius* CAROLVM, *Marchionem Moraviæ.* Datum 13 Julii, Anno 1341. *Ex Arch. Regni. Lib. 3. n. 4. fol. 487.*

NOs CASIMIRUS Dei gratia Poloniæ Rex, ad Univerſorum notitiam tenore Præſentium volumus pervenire, quod cum dudum Magnificos Principes, Dominum JOANNEM Regem Bohemiæ, & Dominum CAROLUM eius Primogenitum, Marchionem Moraviæ, Illuſtres, in Patrem, & Fratrem noſtros aſſumpſerimus, ac ipſi Nobis Inclytam Dominam MARGARETHAM, quondam Comitiſſam, Palatinam Rheni, Duciſſam Bavariæ, Filiam, & Sororem ſuam piæ memoriæ, ſpoponderint tradere matrimonialiter in Uxorem, Nosque promiſerimus ipſos ſemper, & in omnibus, tanquam Patrem Carnalem, & Fratrem Uterinum tenere, & contra omnem hoſtem juvare. Cumque Nobis tandem juxta vocationem, & informationem ipſorum ad conſumationem matrimonii, & celebrandum nuptias huiusmodi venientibus, dicta Domina MARGARETHA ſponſa noſtra Cariſſima, ſicut Domino placuit, viam ſit univerſæ carnis ingreſſa, propter hoc ligam, ſive vinculum Dilectionis, Unionis, & Fidei deſideranti animo, & ingenti deſiderio inter Nos utrinque initum taliter, & firmatum diſſolvi nolentes quomodolibet, aut corrumpi, ſed volentes id ipſum potius novis Colligationibus, & ſincero Fœdere indiſſolubiliter innovari, & perfectius roborari, præſtito, tactis per Nos Sacroſanctis Evangeliis, corporali juramento, promiſimus, & promittimus in his Scriptis ex nunc jurantes ſemper in omnibus, & ubique prædictum Regem Bohemiæ, tanquam Patrem Carnalem, & Dominum Marchionem, tanquam Fratrem Uterinum tenere, eorumque, & Regni, ac Terrarum ſuarum profectum, honorem, & commodum omni tempore tota diligentia fideliter procurare, & eis in Regno, ac Terris ſuis, & extra in Perſona propria, & rebus, ac potentia noſtra aſſiſtere, & in omnibus vitæ noſtræ temporibus contra omnem hominem viventem, cuiuscunque Præeminentiæ, Conditionis, aut Status exiſtat, nullo penitus excluſo, præter Magnificum Principem Dominum BOLKONEM, Ducem Sileſiæ, & Dominum de SVIDNITZ, Nepotem noſtrum Cariſſimum, fideliter adhærere, & ipſos in univerſis Cauſis, Eventibus, & Neceſſitatibus ſuis, Auxiliis & Conſiliis noſtris bona fide, & absque omni doli ſcrupulo proſequi, & juvare. Et hoc ſpecialiter addito: quod ſi Principes quicunque, unus vel plures, Regnum ſive Terras ipſorum intrare, ſive invadere, occupare, vel devaſtare vellet, contra illum, vel illos, ipſos promittimus adiuvare. Et ſi ipſi Domini Pater & Frater noſtri prædicti proceſſu temporis Nobis deferrent, quod Princeps aliquis, aut Baro Regnum, vel Terras eorum, aut partem aliquam detineret, & illicite occuparet; extunc ipſos ad evincendum & obtinendum Bona talia univerſa, & pacifice poſſidendum juvare promittimus, & tenemur. Si vero ipſi contra aliquem Principem, Vaſallum, Baronem vel Subditum noſtrum cuiuscunque Conditionis, vel Status, qui in limitibus, ſive metis Terrarum ſuarum ipſis iniuriaretur, & indibite occuparet easdem, Nobis deferent querelam, illum ad noſtram vocare præſentiam, & ad tenendum eis juxta placita, ac ad faciendum ſuper hoc, quod rationabile ſit, & juſtum coa-

ANNO 1341.

ctare

Anno 1341. ſtare tenebimur prævia ratione. Quodſi Princeps, Vaſallus, Baro, vel Subditus noſter huiusmodi animo fortaſſis rebellionis Regiæ Maieſtatis ductus, juſtitiam recipere ſuper huiusmodi Bona, & reddere non curaret, extunc Metas, & Limites taliter occupatos, & ad ipſos Dominos Patrem, & Fratrem noſtros, vel alterum ipſorum ſpectantes, evincere, & ipſos ad aſſecutionem eorum, & poſſeſſionem pacificam tenebimur adiuvare, ad quod, & ipſi ſuum Nobis præſtabunt, ſi opus erit, auxilium, dum per Nos fuerint requiſiti. Præterea ſpecialiter duximus exprimendum: quod ſi dictos Dominos, Patrem & Fratrem noſtros Cariſſimos, aut alterum eorum inpoſterum ullo tempore cum Excellentiſſimo Principe Domino Carolo, Rege Hungariæ, Illuſtri Fratre noſtro Guerram ſuſcitari, & in manu potenti Terras eius intrare contingeret, extunc licebit Nobis, ac poterimus, & tenebimur cum ipſo Rege Hungariæ ſtare, & eum in ſuis duntaxat Terris ad defendendum easdem contra præfatos Dominos Patrem & Fratrem noſtros, pro viribus adiuvare. Si vero idem Dominus Rex Hungariæ, Terras ipſorum ſimiliter devaſtaturus intraret, extunc pro defenſione ipſorum, Terrarum ſuarum, cum ipſis tanquam Filius, & Frater prompte, & conſtanter ſtabimus, & ipſos juvabimus toto virium noſtrarum omnipotentatu. In quorum omnium teſtimonium præſentes Literas fieri, & Sigillorum noſtrorum munimine juſſimus roborari. Actum Pragæ, præſentibus, Venerabili Domino Joanne Epiſcopo Olomucenſi, ac Illuſtribus Principibus Dominis Boleslao Duce Sileſiæ, & Domino Lignicenſi, Bolekone Svidnicenſi, & Nicolao Opaviæ, & Ratiboriæ Ducibus, nec non fidelibus Nobis Dilectis Hermano *de Duba*, Domino in *Nachod* Zbinkone, dicto Haze, Hinkone dicto Halawacz, Jeskone dicto Jura Subcamerario Cracovienſi, Jeskone Venatore Cracovienſi, Raczkone Borkowicz Caſtellano Landenſi, & Segnio Præpoſito Sancti Michaelis in Caſtro Cracovienſi, Vicecancellario Curiæ noſtræ, teſtibus ad præmiſſa vocatis pariter, & aſſumptis. Quorum etiam Sigilla ad maiorem evidentiam præſentibus ſunt appenſa. Datum Anno Domini 1341. in die Virginis Margarethæ Glorioſæ.

## V.

*Induciæ inter* Joannem *Regem Bohemiæ, &* Carolvm *Marchionem Moraviæ, &* Joannem *Ducem Carinthiæ Filios Eius ab una, &* Casimirvm *Poloniæ Regem ab altera parte.* Datum in Pysdry feria tertia proxima ante Nativitatem Mariæ, Anno 1346. *Ex Originali, Sigill. 6.* Anno 1346.

Nos Conradus *de Valamhdyn* Regia Maieſtate Sereniſſimi Principis Domini Joannis Regis, nec non Capitaneus Vratislavienſis nomine ſuo, ac ſuorum Filiorum, Domini Caroli Marchionis Moraviæ, & Domini Joannis Ducis Carinthiæ, notum facimus tenore Præſentium Univerſis, quod ex juſſu & mandato ſpeciali Dominorum noſtrorum prædictorum, Treugas pacis fideles cum Excellenti, & Magnifico Principe Domino Casimiro Rege Poloniæ, Regno, & Terris ſibi Subiectis, nec non cum præclaro Principe Domino Bolkone, Duce Svidnicenſi, a data Præſentium, ad terminum infra ſcriptum, obſervandum firmiter duximus, iniendum, contrahendum, & faciendum, pro quarum obſervatione Treugarum Honorabiles Viros Dominos videlicet: Henricum *de Beberſtein*, Henricum *de Veſtenberg*, Jeschonem *de Smolcz*, Lutoldum *de Lobel*, & Pasconem Rannhabe conſtituimus Fideiuſſores, promittentes una cum ipſis, bona & ſincera noſtra fide in ſolidum, ſine dolo quolibet a data Præſentium usque ad feſtum Beati Martini proxime affuturum, & ulterius, quamdiu noſtra ex parte dictis Dominis, Regi Poloniæ & Duci Svidnicenſi, vel per ipſos Nobis Diffidatio nunciata, vel præmiſſa non fuerit. Quæ quidem Treugæ poſt diem huius Diffidationis infra quatuor decem dies continuos incluſive, inviolabiles & conſtantes ex utraque parte permaneant, ut ſuperius eſt præmiſſum, & inſertum, intelligi volumus per Præſentes, ea debere firmiter & fideliter obſervari, nec eas ulla cauſa, vel occaſione per Nos, vel quascunque antepoſitas Perſonas, quæ cauſa noſtri quidquam faciunt, & admittunt, de noſtra ſcientia, voluntate, vel facto quomodolibet non tenere. Et nos pænominati Henricus *de Beberſtein*, Henricus *de Veſtenberg*, Jesco *de Smolcz*, Lutoldus *de Lobel*, & Pasco Rannhabe prædictæ fideiuſſioni Treugarum, bona & ſpontanea voluntate Nos ſubiicientes, & obligantes, promittimus ſine omni dolo, in ſolidum, bona fide pro omnibus ſubſcriptis Civitatibus, Caſtris, & Incolis earundem univerſis, videlicet Vratislavienſi, Novoforo, Czobotenkant, Erwas, Seynania, Gora Reczm, & Lubin &c. obſervationem

Anno 1346. tionem prædictarum Treugarum usque ad terminum ſupra ſcriptum fideliter, & inviolabiliter obſervandum. Et ſi inter Nos, & Loca præſcripta, ac eorum Inhabitatoribus ab una, atque prædictum Dominum Regem Poloniæ, & Ducem Svidnicenſem, & eorum Terras & ſubiectos parte ab altera, qui Præſentibus ſunt incluſi Treugis, aliqua, quod abſit, oriretur diſſenſio, tunc hunc, qui ex noſtris eſſet huiusmodi diſſenſionis cauſa efficiens, a die quo proinde moniti fuerimus, infra quatuor decem dies continuos in Caſtro *Halicz* debemus ſtatuere, ut ſe de his expurget legitime de quibus fuerit incuſatus, & ſi id nollet, nec poſſet facere, tunc ad reſtaurationem omnium dampnorum per ipſum factorum, Nos Domino Regi prædicto, & Duci Svidnicenſi aſtringimur fideliter, & conſtanter. In cuius teſtimonium Sigilla noſtra Præſentibus ſunt appenſa. Actum & Datum in Pysdry feria tertia proxima ante Nativitatem Sanctæ Mariæ. Anno Domini Milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſexto.

1360. *Promiſſio* Caroli IV. *Imp. tanquam Regis Bohemiæ, quod non velit laborare apud Sedem Apoſtolicam pro ſciſſione Vratislavienſis Epiſcopatus a Gnesnenſi Metropoli facienda.* Die 7 Cal. Auguſti, Anno 1360. *Ex Arch. Regni.* Vide Tom. I. Partem II. tit. SILESIA ad annum 1360.

## VI.

1395. *Oratores* Venceslai *Romanorum & Bohemiæ Regis ad conficiendum Fœdus cum* Vladislao *Rege Poloniæ miſſi, teſtantur ſe hoc ipſum Fœdus confeciſſe, conditionibus in eo expreſſis.* Datum Cracoviæ ipſo die Corporis Chriſti, Anno 1395. *Ex Originali Sigill. 2.*

Joannes Dei gratia Epiſcopus Lubucenſis, & Vilhelmus Hase Præpoſitus Boleslavienſis, Ambaſiatores, Procuratores, Negotiorum Geſtores, & Statores per Sereniſſimum Principem, & Dominum, Dominum Venceslaum Dei gratia Romanorum Regem, ſemper Augustum, & Bohemiæ Regem, Dominum noſtrum gratioſiſſimum, ſpecialiter ad infraſcripta deputati, & transmiſſi, Cunctorum quibus expedit notitiæ commendamus, quod dum inter præfatum Dominum Venceslaum Regem, ac gloriosiſſimum Principem Dominum Vladislaum eadem gratia Regem Poloniæ &c. materia ſuper ordinandis, & confirmandis Commodis, & Fœderibus bonae Pacis extitit agitata, præfatus Dominus Venceslaus Rex, aſpirans promptis affectibus ad conſummationem huiusmodi pacis Fœderum, Nos in ſolidum in ſuos veros Procuratores, ſuorum negotiorum Geſtores, & Nuncios fecit, conſtituit, & ordinavit, de ſua certa ſcientia, maturo ſuper hoc conſilio præhabito, & tractatu. Nos itaque tanquam Ambaſiatores, Geſtores, & Nuntii ſpecialiter venientes ad Præſentiam præfati Domini Regis Poloniæ, virtute & Nomine Procuratorio fecimus, & ordinavimus pro parte præfati Domini Regis Romanorum, & Bohemiæ Regis, cum eodem Domino Rege Poloniæ Pacem, Fædera mutuæ colligationis, & amicitiæ, quæ clarius in Literis prædictorm Regum, inter eosdem alterutrum ſuper huiusmodi Contractibus, & Ordinationibus Pacis, Fœderibus confectis, & luculentius ſunt expreſſa: promittentes bona fide ſine dolo, pro præfato Domino noſtro Rege Romanorum, & Bohemiæ Rege, quod omnia & ſingula contenta in literis prædictis, & expreſſa, tenebit, & obſervabit inviolabiliter, & ſine qualicunque corruptela. In quorum teſtimonium omnium præmiſſorum, Sigilla noſtra Præſentibus ſunt appenſa. Datum Cracoviæ ipſo die Corporis Chriſti, Anno Milleſimo trecenteſimo nonageſimo quinto. Anno 1395.

## VII.

*Fœdus inter* Venceslavm *Rom. & Bohemiæ Regem, &* Vladislavm *Regem Poloniæ concluſum, quo præfatus Rex* Venceslavs *pollicetur ſe Regi Poloniæ cum ſexcentis Lanceis, & totidem Baliſtariis, toties quoties ab eo requiſitus fuerit, fideliter contra quosvis hoſtes auxilio futurum &c.* Datum Pragæ 25 Junii, Anno 1395. *Ex Originali.*

Venceslaus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex. Notum facimus tenore Præſentium Univerſis: Quod conſiderato ſinceræ dilectionis affectu, quem ad Sereniſſimum Principem Dominum Vladislaum Regem Poloniæ, Litvaniæque Principem ſupremum, & Hæredem Ruſſiæ &c. Fratrem noſtrum Cariſſimum, Regia noſtra gerit Serenitas, & non minus ipſe

ANNO 1395. ipſe ad Nos compenſatione ſimili ferventem, ſicut accepimus, obtinet reciprocam caritatem, Nos ad hoc, ut ardor amoris mutuus auſpice Domino ſuccenſus in nobis in antea realibus nutriatur indiciis, & votivis proficiat incrementis, animo deliberato, non per errorem, aut improvide, ſed de certa noſtra ſcientia, ſano Baronum, & Procerum noſtrorum accedente Conſilio, cum præfato Fratre noſtro Cariſſimo Rege Poloniæ certas Confœderationes, & Ligas ineundas duximus in hunc modum. Primo videlicet, quod bona fide in verbo Regio promittimus cum præfato Fratre noſtro mutuam dilectionem, & fraternam amicitiam, cunctis vitæ noſtræ temporibus inviolabiliter obſervare. Quodque Nos Dominum Fratrem noſtrum, & ipſe Nos viceverſa in omnibus opportunitatibus ſuis juvabimus contra univerſos .. Reges .. Principes .. Barones .. & Dominos quoscunque, ac etiam quoslibet alios impedientes, & invadentes ipſius Perſonam, & Regna, Subditos, Diſtrictus, Dominia, Provincias, & loca quæcunque, exceptis duntaxat Sacri Romani Imperii Electoribus Fratribus noſtris, ac etiam Epiſcopo, & Civitate Vratislavienſi, & Ducibus noſtris Poloniæ, & Sileſiæ, Omnibusque aliis, & ſingulis Omagialibus Vaſallis, & Subditis Regno noſtro Bohemiæ ſubiectis, cum quibus Unionis, & Ligæ vinculis inter Nos firmatis hactenus obligamur. Et in caſum quo dicto Fratri noſtro Regi Poloniæ in neceſſitatibus exigentia Guerrarum incumberet, extunc ipſum *cum ſexingentis lanceis, & totidem Baliſtariis* totiens, quotiens fuerit opportunum, quotiescunque per dictum Fratrem noſtrum requiſiti fuerimus, infra menſem in noſtris ſumptibus, & expenſis juvabimus, & ſibi fideliter aſſiſtemus. Sic videlicet quotiens Nos pro ſuccurſu dicti Regis Gentem armorum contingeret transmittere, extunc quamprimum Gentes noſtræ, Limites, ſeu Granities Regni ſui attigerint, ipſe Rex eisdem Gentibus armorum de eſculentis, & poculentis, & equis eorum de pabulamentis providere tenebitur, quamdiu easdem Gentes in Regno ſuo, & Diſtrictibus continget pro ſuis indigentiis permanere; cum autem ipſas Gentes extra Limites, & Granicies dicti ſui Regni ad acquirendum, aut vincendum aliquas Terras, ſeu Dominia, aut in aliquo triumphandum egredi continget, extunc propriis ſumptibus, & expenſis militabunt inibi expeditionaliter, & facient facienda. Si vero in terris ſeu Dominiis huiusmodi, quæ ad hoc faciendum dictæ Gentes armorum ingrederentur, Prohibitiones, vel Treugæ Pacis aliquæ editæ forent, ita quod ipſis Gentibus inibi ſumptus, & nutrimenta expeditionaliter acquirere non liceret, tunc dictus Frater noſter Rex Poloniæ de ſumptibus, & nutrimentis eisdem Gentibus armorum, & equis earum de pabulamentis debebit providere, tam diu videlicet, quam diu ipſæ Prohibitiones, aut Treugæ fuerint obſervatæ. In caſum etiam, quo favente Domino Gentes armorum de inimicis forſitan triumpharint, extunc omnes Armigeri, qui triumpho potito duntaxat interfuerint, raptam prædam, videlicet arma, equos, & alias res ſupellectiles inter ſe dividere poſſint & debent, prout eſt in Actuum militarium exercitio fieri ſolitum, & conſuetum. Capti vero, qui forent rebelles, videlicet Nobiles Regni ſui, præfato Regi velut crimine læſæ Maieſtatis obnoxii, per ipſum deputandi & puniendi, debebunt ſine difficultate qualibet præſentari. Alii vero capti extranei, qui contra Dominum Regem in ſubſidium ſuorum rebellium acceſſiſſent, debebunt taxari per Nos, utrinque quæſitum lucri, juxta quantitatem Armigerorum proportionabiliter diviſuros. In caſu vero quo Nos cum Gentibus dicti Fratris noſtri Regis Poloniæ, aut ipſum Fratrem noſtrum cum Gentibus noſtris aliquas Terras, Provincias, Dominia, & Poſſeſſiones acquirere, & obtinere contigerit, extunc per Nos acquiſita, & obtenta, ad Regna noſtra, & ſimiliter per Dominum Fratrem noſtrum acquiſita, & obtenta ad ipſius Regnum Poloniæ debebunt plenarie pertinere. In caſum præterea, quo Nos, aut dictum Fratrem noſtrum ad expeditionem contingeret præſentialiter proficiſci, extunc Nos adſtringimur, hinc inde ad immittendum Gentes in auxilium alterutrum, quam diu in itinere huiusmodi expeditionis fuerimus perſonaliter conſtituti. Inſuper promittimus bona fide, quod Nos Inimicis dicti Fratris noſtri per Nos vel alium, ſeu alios directe, vel indirecte, publice vel occulte, verbo aut facto, Patrocinium, Conſilium, Auxilium, non præſtabimus, vel favorem. Inſuper Nos etiam, Principes Vaſallos, Barones, vel ſubditos, ac etiam Limites, & Granicies, dicti Fratris noſtri, & Regni ſui, quæ tenet, & poſſidet, non vindicabimus, impetemus, impediemus, inquietabimus, aut moleſtabimus quoquomodo. In caſum etiam quo inter noſtros ſubditos, & ſubiectos etiam dicti Fratris noſtri materia diſſenſionis in quacunque cauſa vel cauſis, quod abſit, exſurgeret, extunc præfati ſubditi, & noſtri, eiusdem nequaquam ſe ulciſci, ſeu vindicare debebunt, ſed noſtram utrinque Sententiam, & Definitionem omnimode expectare, propter bonum Pacis, & charitatis vinculum, inviolabiliter

ANNO 1395. labiliter duraturum. Ad quas Sententiam & Definitionem ferendas Conſiliarios noſtros in loco competenti, in Limitibus Regnorum utrorumque deputare debebimus, & ipſe Frater noſter modo pari, ſi aut aliqui Omagiales, vel ſubditi noſtri, aut dicti Regis Fratris noſtri protervi, & rebelles fuerint, in tantumque in aliquo præmiſſorum Nobis, aut eidem Fratri noſtro contravenerint, tunc ambo in ſolidum debebimus, eosdem rebelles compeſcere, & unus alteri aſſiſtere conſilio, & auxilio, taliter quod ipſi protervi, & rebelles Nos, & ipſum Fratrem noſtrum in Regnis noſtris, & ſuo, ac Dominiis alterutrius non inquietarent, neque perturbarent, prout etiam idem Dominus Rex Poloniæ Frater noſter omnia præſcripta, tam in Nobis, quam in noſtris promiſit inviolabiliter obſervare, ſicut hoc ipſum in ſuis Literis Nobis datis deſuper luculentius continetur. Præſentium ſub Regiæ noſtræ Maieſtatis Sigillo teſtimonio Literarum. Datum Pragæ, Anno Domini Milleſimo trecenteſimo, nonageſimo quinto, Die 25 Junii, Regnorum noſtrorum Anno Bohemiæ Triceſimo ſecundo, Romanorum vero Decimo nono.

## VIII.

1405. VENCESLAVS *Rom. & Bohemiæ Rex, compromittit in* VLADISLAVM *Regem Poloniæ, de controverſiis inter ipſum, & Duces Opolienſes &c. eiusque judicio ſe pariturum promittit.* Datum in Karlſtein d. 18 Maji, Anno 1405. *Ex Originali.*

VENCESLAVS Dei gratia Rom. Rex ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex, Sereniſſimo Principi, Domino VLADISLAO Regi Poloniæ &c. Illuſtri Fratri noſtro Cariſſimo ſalutem, & mutuæ dilectionis continuum incrementum. Sereniſſime Princeps, Frater Cariſſime, ſuper cauſis Actionis, Impetitionis, Diſplicentiæ, & Controverſiæ, inter Nos & Fideiuſſores illos, et omnes fideiuſſores noſtros, quos præſens tangere poterit negotium parte ab una, ac Venerabilem JOANNEM Epiſcopum Leslavienſem, Illuſtres BOLKONEM, & BERNHARDUM Duces Opoliæ Avunculos, Principes noſtros, ac omnes ſibi ſubiectos, quos hoc ipſum tangit negotium, ab alia parte vertentibus, dudum in Vos, velut Fratrem noſtrum Cariſſimum Fraternam fiduciam obtinentes compromiſimus, & modo compromittimus Auctoritate Regia Bohemiæ, & de certa noſtra ſcientia, per Præſentes; ſic videlicet: quidquid veſtra Fraternitas in ſingulis Actionibus, Cauſis, Impetitionibus, Diſplicentiis, & Controverſiis, receptis prius utriusque partis propoſitionibus, Munimentis, Probationibus, Teſtationibus, Querelis, Reſponſionibus, & Autenticis arbitrata fuerit, pronuntiaverit, edixerit, decreverit, & judicaverit inter partes, quod hoc ipſum ratum, gratum, & firmum volumus, & debemus inviolabiliter obſervare, & effectui mancipare, dolo, & fraude quibuslibet procul motis, Præſentium, ſub Regiæ noſtræ Maieſtatis Sigillo, teſtimonio Literarum. Datum in Karlſtein Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinto, die octava Maji, Regnorum noſtrorum Anno Bohemiæ quadrageſimo ſecundo, Romani vero Viceſimo nono. *Ad relationem* SIGISMUNDI *Succamerarii*, FRANCISCUS *Præpoſitus Boleslavienſis.* ANNO 1405.

*Reſponſum* SIGISMVNDI *Imp. ad Legationem* VLADISLAI *Poloniæ Regis, reſtituendæ Sileſiæ cauſa miſſam, datum. Ex Arch. Regni.* Vide Tom. I. Partem II. tit. SILESIA ad annum 1421. 1421.

## IX.

BERNHARDI, JOANNIS, & NICOLAI *Ducum Opolienſium, nec non* BOLESLAI *Glogovienſium, & Opolienſium, item* VENCESLAI *Opaviæ, & Ratiboriæ Ducum Conventio (uno exemplo) cum* VLADISLAO *Rege, Poloniæ eiusque in Regem Bohemiæ Electo Fratre* CASIMIRO, *qua præfati Duces* CASIMIRVM *pro Rege Bohemiæ agnoſcunt.* Actum & Datum in Campo ante Strzelcze feria ſecunda proxima poſt S. Franciſci, Anno 1438. *Ex Originali, Sigill. 3.* 1438.

In Nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam.

NOS BERNHARDUS, JOANNES, & NICOLAUS Dei gratia Duces, & Domini Opolienſes &c. Significamus tenore Præſentium, quibus expedit Univerſis, tam præſentibus, quam futuris. Quomodo cupientes diſplicentiarum, iniuriarum, diſſenſionum, & dampniorum materias, ac fomites inter Nos, Ducatus, Dominia, & Subditos ab una, ac Sereniſſimos Principes Dominos VLADISLAUM Dei gratia Regem Poloniæ &c. Coronam & Regnum ſuum

ANNO 1438. ſuum Poloniæ, ac CASIMIRUM Electum Regni Bohemiæ Fratrem ſuum Germanum, & eorum Subditos ab alia partibus quomodolibet hactenus ſuſcitatas, exortas, & attemplatas tollere, ac penitus ſuffocare, & ad ſtatum debitum mutuæ charitatis unione, & concordia perpetua deducere volentes, ad talem ex certa noſtra ſcientia Pacis, & Concordiæ unionem perpetuo duraturam cum præfatis Dominis, videlicet Rege Poloniæ, Corona, & Regno ſuis, ac CASIMIRO Electo Regni Bohemiæ, & ipſorum Subditis univerſis devenimus, prout in articulis infraſcriptis deducitur. Imprimis itaque deducimus, quod omnes diſſenſiones, controverſiæ, & dampna, inter Nos, Ducatus, & Subditos noſtros, ac præfatos Dominos Regem Poloniæ, Coronam, & Regnum ſuum Poloniæ ipſius Subditos, quomodolibet utrinque facta, dimiſſa, & totaliter ſopita perpetuo eſſe debent. Item ex quo Dominus CASIMIRUS Electus Regni Bohemiæ prædicti in Regem, & Dominum per Barones, Milites, Nobiles, Civitates, & Communitatem eiusdem Regni Bohemiæ exiſtit rite Electus. Ideo etiam Nos non errore ſeducti, ſed animo deliberato, & Noſtrorum fidelium Conſiliariorum freti conſilio, in ipſum Dominum Ducem CASIMIRUM Electum noſtram voluntatem, conſenſumque pariter, & aſſenſum dedimus, & tenore præſentium damus, juxta voluntatem & Electionem dictorum Dominorum Regni Bohemiæ de ipſo factam. Poſtquam autem favente Domino, ipſe Dominus CASIMIRUS Electus Regni Bohemiæ ſacro eiusdem Regni Diademate fuerit inſignitus, extunc Nos verbo noſtro Ducali promittimus, ſub fide, & honore noſtris, quovis exquiſito Colore ſemoto, ſibi debitum fidelitatis actu, & re præſtare Omagium, libertates, & jura noſtra Ducalia, hoc tamen ſpecialiter expreſſo, quòd prælibatus Dominus CASIMIRUS Regni Bohemiæ Electus, non debebit Nos arcere ultra jura, & libertates noſtras Ducales ad quævis ſervitia Coronam Regni Bohemiæ concernentia, ſed Nos circa jura, & libertates noſtras prædictas conſervabit. Item omnibus Nuntiis præfatorum Dominorum VLADISLAI Regis, Coronæ, & Regni ſui, & CASIMIRI Electi Regni Bohemiæ, & Gentibus eorum quocunque tranſeuntibus, & ad propria redeuntibus, dum, & quoties expoſcet neceſſitas, noſtræ ſecuritatis tranſitum per Ducatus, Caſtra, Fortalitia, & Terras noſtras dare, & impertiri volumus fideliter. Item promittimus præſentibus, quod nulli homini contra præfatos Dominos VLADISLAVM Regem, Coronam, & Regnum ſuum, ac CASIMIRUM Electum Regem Bohemiæ, & eorum Subditos, Auxilia, Conſilia, vel Favores noſtros dabimus per Nosmet ipſos, vel Perſonas ſubmiſſas publice, vel occulte. Item falſam pecuniam quamcunque adinſtar monetæ ſuprafati Domini VLADISLAI Regis in Ducatibus, & Dominiis noſtris cudi, ſeu cum ea in foris Civitatum, Oppidorum, & Villarum, Ducatum noſtrorum forizari non permittemus, imo ſine dolo & fraude iuxta totale noſtrum poſſe, eam per Ducatus, & Dominia noſtra duci minime permittemus. Et ut jugis amor, & caritas inter Nos & præfatos Dominos VLADISLAUM Regem, & CASIMIRUM Electum, & Dominia noſtra, utcunque queat permanere, & hæc felix Concordia, & Unio Fraterna poſſit perpetuo inconcuſſa permanere, omnia ſupraſcripta implere, fideliterque, & conſtanter tenere, & attendere promittimus, & volumus ſine dolo, & fraude, & quovis exquiſito colore ſub fide, & honore noſtris. In quorum omnium præmiſſorum robur, & eiusdem teſtimonium Sigilla noſtra Ducalia præſentibus ſunt ſubappenſa. Actum & Datum in Campo ante Strzelcze, feria ſecunda proxima poſt Sancti Franciſci, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octavo. 1438.

## X.

*Reſponſum* VLADISLAI *Regis Poloniæ ad Legationem* ALBERTI *Imp. qua rogabatur, ut in Regem Bohemiæ Electum Fratrem* CASIMIRVM, *a ſuſceptione Regni illius dehortaretur.* Anno 1438. *Ex Archiv. Cap. Cracov.* 1438.

RES quidem publica & notoria eſt, & aliqua tergiverſatione adumbrari non poteſt, quod morte SIGISMUNDI ſecuta, Barones, Nobiles, & Civitates Bohemiæ CASIMIRUM Fratrem meum in eorum elegerunt Regem, & ut huiusmodi acceptaret Electionem, Nos ſubnixè ſuplicarunt; quorum precibus motus, Regnum prædictum acceptavit, neque exiſtimat ſe per huiusmodi acceptationem ALBERTO Romanorum & Hungariæ Regi aliquam iniuriam facere, cum ſcitum ſit, Regni illius ſucceſſionem in ſexum fœmineum non cadere. Sed etſi aliqua Pacta, aut Inſcriptiones extant inter Regnum Bohemiæ, & Domum Auſtriæ, quibus prætendit ſe ALBERTUS ad Regnum Bohemiæ jus habere: illa contraria obſervatione, & longæva praxi ſunt abrogata. Miſſi itaque ſunt per Nos in proſecutionem Electionis huiusmodi duo Palatini

ANNO 1438. Regni noſtri, cum exercitu haud grandi, qui illuc cum his Mandatis & Inſtructionibus per Nos eis factis vadunt, ut in Regno Bohemiæ primum errores purgent, deinde ſingula ad pacem reducant, quoniam non eſt propoſiti noſtri, nec eam habet germanus noſter CASIMIRUS ambitionem, ut velit aliter Regni Bohemiæ ſuſcipere regimen, niſi ad priorem rectitudinem Catholicæ puritatis, & ad Pacis unionem, atque amœnitatem fuerit reductum. CASIMIRO Fratri noſtro, quem primarii Barones Regem vocaverunt, Jus auferri non poteſt: Polonis ac Bohemis una eſt lingua, & una utrique Genti origo, cum Teutonicis nihil utrique commune.

## XI.

1460. GEORGII *Regis Bohemiæ Mandatum ad Conventum Bithomienſem, pro ineunda Pace cum* CASIMIRO *Rege Poloniæ.* A. 1460. *Ex Originali. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. 3. n. 4. f. 470.*

GEORGIVS Dei gratia Bohemiæ Rex, Moraviæ Marchio, Lucenbergenſis, & Sileſiæ Dux, ac Luſatiæ Marchio. Notum facimus Univerſis; Quod fiduciam plenam obtinentes de ſinceritate fidei, legalitate, & virtutum plurima conſtantia, Illuſtris PRZEMKONIS Ducis Theſſinenſis Principis, & Nobilium ZDENKONIS *de Sternberg* ſupremi Burgrabii Pragenſis, VILHELMI *de Roſenberg, & de Rabie,* & JOANNIS *de Czymburg & Biczyn,* Conſiliariorum noſtrorum, Fidelium Dilectorum, ipſos animo deliberato, de certa noſtra ſcientia, Auctoritate Regia facimus, creamus, & conſtituimus melioribus modo, via, forma, & jure, quibus fieri poteſt, & debet, noſtros veros, & legitimos Ambaſiatores, Procuratores, & Factores, ac Nuntios ſpeciales dantes, & concedentes eisdem in ſolidum, aut ſi quempiam ex his quovis caſu abeſſe contigerit, eis, qui præſentes fuerint, plenam, liberam, & omnimodam facultatem noſtro Nomine cum Conſiliariis, Ambaſiatoribus, & Nuntiis Sereniſſimi Principis Domini CASIMIRI Regis Poloniæ &c. Fratris noſtri Cariſſimi, quos ad Dietam in *Bithom* Oppido tenendam venire continget, de his, quæ bonum Pacis, & Regnorum noſtrorum felicia tangunt crementa, tractandi, faciendi, diſponendi, ordinandi, concludendi, acceptandi, & quomodolibet Tractatus huiusmodi agendi, ac ſi Nos ipſi, ſi perſonaliter adeſſemus, eadem facere- ANNO mus. Etiam ſi talia ſint, quæ Mandatum 1460. exigant magis ſpeciale. Promittentes in verbo noſtro Regio ratum, gratum, atque firmum obſervare perpetuo, quidquid per præfatos Conſiliarios, & Oratores noſtros actum, factum, ordinatum, diſpoſitum, & concluſum fuerit quomodolibet in præmiſſis, dolo, & fraude, quibuslibet in his procul motis, præſentium ſub appenſione noſtri Regalis Sigilli teſtimonio Literarum. Datum Pragæ, die 17 Novembris, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo, Regni noſtri Anno tertio.

## XII.

*Fœdus inter* CASIMIRVM *Poloniæ, &* GEORGIVM *Bohemiæ Reges in Conventu Bithomienſi per Oratores ipſorum ſancitum, quo veteres inter utraque Regna Inſcriptiones confirmantur, Articulis ad Duces Maſoviæ ſpectantibus exceptis, ſocietas contra omnes hoſtes conſtituitur, controverſiæ vero de certis Caſtris, & de Dote Reginæ* ELISABETH *ad Conventum Regum perſonalem Glogoviæ celebrandum reiiciuntur.* Datum in Bythom, 29 Novembris, Anno 1460. *Ex Originali. Extat in Arch. Cancell. Regni Lib. 3. n. 4. f. 471.* 1460.

NOS JOANNES *de Thanczyn* Caſtellanus Cracovienſis, STANISLAUS *de Oſtrorog* Palatinus Caliſſienſis, JOANNES *de Brzezie* Juris utriusque Doctor, Archidiaconus Gneſnenſis, Regni Poloniæ Vicecancellarius, NICOLAUS PIENIĄŻEK *de Withowice* Succamerarius, & Capitaneus, & JOANNES DŁUGOSZ Canonicus Cracovienſis, Nuntii, & Ambaſſiatores Sereniſſimi Principis Domini CASIMIRI Dei gratia Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Domini & Hæredis. Significamus tenore Præſentium, quibus expedit Univerſis, qualiter pro Feſto S. Catharinæ in diebus ſequentibus, tenendo Dietam in præſenti Oppido Bithomienſi, cum Nuntiis Sereniſſimi Principis Domini GEORGII, Dei gratia Regis Bohemiæ, Marchionis Maroviæ, & Sleſiæ, Comitis de Lucemburg, videlicet Magnificis & Nobilibus Dominis: ZDEMKONE *de Sternberg* ſupremo Burgrabio Pragenſi, VILHELMO JUNIORE *de Kiſſenberg,* & *de Kabre,* & JOANNE GICZYNSKI *de Czymburg,*

ANNO 1460. *burg*, ad infraſcriptos Articulos deveni-
mus, & ipſos concordavimus, plena Auctoritate, & Mandato ab utroque Sereniſſimo Domino Rege ſuffulti, in hunc modum: Inprimis quod Sereniſſimus noſter Poloniæ Rex cum præfato Sereniſſimo Domino Rege Bohemiæ in pura Fraternitate, Favore, & amicitia ab utraque parte remaneant, & ſe mutuo pertractent, nec unus contra alium cum Regnis, Principatibus, Terris, & Dominiis ſuis, ullo unquam tempore erga quascunque Perſonas Eccleſiaſticas, vel Mundanas, ſolo Summo Pontifice excepto, debebit eſſe auxilio, conſilio, per ſe, vel per alium, publice, vel occulte, & uterque Regum tenebitur alterius, & Regnorum, Principatuum, & Terrarum ſuarum bonum, & honeſtum procurare, juxta ſuum poſſe ſupremum, & juxta ſuam omnimodam poteſtatem, fideliter & ſine dolo. Item tenebitur Sereniſſimus Dominus Rex Poloniæ providere, & efficere, ne de Regno Poloniæ, Principatibus, & quibuscunque Dominiis ſuis, ſibi & Regno ſuo ſubiectis, inferantur dampna Regno Bohemiæ. Similiter et Dominus Rex Bohemiæ tenebitur efficere, et providere, ne de Regno ſuo Bohemiæ, Marchionatu Moraviæ, Ducatibus Sleſiæ, et quibuscunque Dominiis, Regno ſuo ſubiectis, dampna quæcunque Regno Poloniæ et Terris ſibi ſubiectis, et habitatoribus eorundem inferantur. Quod ſi ex aliquo Regno aliqua dampna contingerent, ſive inter Reges, ſive inter eorum Subditos Eccleſiaſticos, vel Sæculares, (quod Deus auferat) extunc Rex ex cuius Regno, et Terris huiusmodi contingerent, et ſequerentur dampna, tenebitur effectualiter operam dare, et quoslibet inobedientes mulctare, et punire, et ad id illos cogere, ut impendant læſis, et dampnum paſſis ſatisfactionem ſine dolo, et fraude, et ſine dilatione. Item ſi continget, quod aliquis ex Regno Poloniæ haberet aliquam culpam, et iniuriam ad aliquas Perſonas in Regno Bohemiæ, Principatibus, et Terris, in eisdem habitantes, talis tenebitur cauſam ſuam jure proſequi, et eum, quem aſſerit reum, in Jurisdictione et Jure, ubi reſidet, convenire, cui debet juſtitia miniſtrari ſine dilatione. Parique modo in Regno Bohemiæ debet miniſtrari juſtitia Subditis Regiis, et Regni Poloniæ. Item debet proclamari in utroque Regno, ut ſtratæ ſint pacificæ, et ſecuræ, et ut homines utriusque Regni poſſint iuſtis ſtratis ſecure ire, ſolutis Teloneis, et aliis Daciis ſolitis, et conſuetis. Item moneta, ubicunque in Regnis utrisque falſa cudetur, tenebuntur Reges quilibet in Regno, et Terris ſuis operam dare, et efficere, ut nec cudatur falſa moneta, nec importetur ſine dolo. Item ſuper reliquis cauſis et articulis, videlicet dampnis quibuscunque, quæ inter Regna, Terras, et Dominia eisdem ſubiecta contigerunt, ſive Regno Poloniæ ex Regno Bohemiæ, et Terris eidem Subiectis, ſive Regno Bohemiae, et Terris eidem ſubiectis, Regibus perſonaliter convenientibus debet fieri proviſio, et tale dari ab utraque parte conſilium, ut inter Principes, Barones, Milites, Civitates, et quoscunque Subditos eorundem, quod iuſtum eſt, ſubſequatur. Conventio autem utriusque Regis, tam Poloniæ, quam Bohemiæ concluſa eſt, et debet fieri in maiori *Glogovia* a proximo die Circumciſionis Domini, in altero Circumciſionis die Anno revoluto, eo ſignanter expreſſo, quod futura Conventio Regum, ſi eam celebrari, Glogovienſi expedita, ex quacunque neceſſitate contigerit, debet etiam celebrari in Civitate apta in Regno Poloniæ. Quodſi aliquis ex Regibus ad prædictam Dietam Glogovienſem pro die Circumciſionis Domini poſt annum revolutum ſine dolo venire non poſſet, tenebitur alterum duobus menſibus ante, de ſuo impedimento aviſare, et nihilominus ex poſt tenebuntur in eodem Oppido Glogovienſi ambo Reges pro die SS. Philippi et Jacobi perſonaliter convenire. Item pro omnibus Caſtris, Fortalitiis, pro quibus Dominus Rex Bohemiæ Dominum Regem Poloniæ inculpaverit, ſuper his agatur juſtitia Domino Regi, et Regno Bohemiæ, in primo Regum perſonali Conventu iuxta antiquas Inſcriptiones. Quodſi Rex Poloniæ habuerit aliquam juſtitiam ad Caſtra et Fortalitia prædicta, iſtud debet in eodem primo Regum Conventu circumſpici, et iuxta juſtitiam finiri. Item omnes Inſcriptiones antiquæ iuſtæ, et legitimæ inter Reges, et Regno Poloniæ et Bohemiæ debent innovari et teneri, hoc excepto, quod ſi in præfatis Inſcriptionibus contineretur aliquis Articulus, qui Maſoviae Duces contineret, illud non tenebitur Dominus Rex Poloniæ confirmare. Item ſuper dote, (alias o *Poſag* in Polonico, et in Bohemico o *Wiano*) Sereniſſimæ Principis Dominæ ELISABETH Reginæ Poloniæ, ſuper quo in præſenti Dieta concordare non potuimus, Deciſio ſuſpenſa eſt ad perſonalem Regum Conventum, ubi dante Domino, finis huic rei iuſtus, et bonus iuxta juſtitiam imponetur. In cuius rei teſtimonium Sigilla noſtra Præſentibus ſunt ſubappenſa. Datum in Bithom Sabbatho in Vigilia S. Andreæ Apoſtoli, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo.

ANNO 1460.

ANNO 1460.

## XIII.

*Exemplar eiusdem Fœderis ex parte Oratorum Regis Bohemiæ. Ex Originali.*

NOs ZDEMEK *de Sternberg* Supremus Burgrabius Pragenſis, VILHELMUS Iun. *de Kiſſenberg*, et *de Kabre*, et JOANNES GICZYNSKI *de Czymburg* Nuntii, et Ambaſiatores Sereniſſimi Principis et Domini, Domini GEORGII Dei gratia Regis Bohemiæ, Marchionis Moraviæ, et Sleſiæ, et Comitis de Lucemburg etc. Significamus tenore Præſentium, quibus expedit Univerſis, qualiter pro Feſto Sanctæ Catharinæ, et diebus ſequentibus tenendo Dietam in præſenti Oppido Bytomienſi cum Nuntiis Sereniſſimi Principis Domini, et Domini CASIMIRI Dei gratia Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Domini, et Hæredis, ad infra ſcriptos Articulos devenimus, et ipſos concordavimus plena Auctoritate, et Mandato ab utroque Domino Sereniſſimo Rege ſufficienti, in hunc, qui ſequitur modum. Imprimis quod Sereniſſimus Dominus Rex noſter Bohemiæ cum præfato Domino Poloniæ Rege in perpetua fraternitate, favore, et amicitia ab utraque parte remaneant, et ſe mutuo pertractent, nec unus contra alium cum Regnis, Principatibus, Terris, et Dominiis ſuis ullo unquam tempore erga quascunque Perſonas Eccleſiaſticas, et Mundanas, ſolo Summo Pontifice excepto, debebit eſſe Auxilio, Conſilio, per ſe vel per alium, publice, vel occulte, et uterque Regum tenebitur alterius, et Regnorum, Principatuum, et Terrarum bonum, et honeſtum procurare, iuxta ſuum poſſe ſupremum, et iuxta ſuam omnimodam poteſtatem, fideliter, et ſine dolo. Item tenebitur Sereniſſimus Dominus Rex Bohemiæ providere, et efficere, ne de Regno Bohemiæ, Principatibus et Dominiis ſuis, et quibuscunque Dominiis ſibi, et Regno ſuo ſubiectis inferantur dampna Regno Poloniæ. Similiter et Dominus Rex Poloniæ tenebitur efficere et providere, ne de Regno ſuo, et quibuscunque Dominiis Regno ſuo ſubiectis, dampna quæcunque Regno Bohemiæ, et Terris ſubiectis ac habitatoribus eorundem inferantur. Quod ſi aliquo ex Regno aliqua dampna contingerent, ſive inter Reges, ſive inter eorum Subditos Eccleſiaſticos, et Sæculares, (quod Deus auferat) ex tunc Rex ex cuius Regno, et Terris huiusmodi contingent, et ſequentur dampna, tenebitur effectualiter operam dare, et quoslibet inobedientes mulctare, et punire, et ad id illos cogere, ut impendatur læſis, et dampna paſſis ſatisfactio, ſine dolo, et fraude, et ſine dilatione. Item ſi continget, quod aliquis ex Regno Bohemiæ haberet aliquam culpam, et iniuriam ad aliquas Perſonas in Regno Poloniæ, Principatibus, et Terris in eisdem inhabitantes, talis tenebitur cauſam ſuam jure proſequi, et eum quem affecit reum, in Jurisdictione et in re, ubi reſidet, convenire, cui debet juſtitia miniſtrari ſine dilatione. Pari quoque modo in Regno Poloniæ debet miniſtrari juſtitia Subiectis, et Subditis Regni Bohemiæ. Item debet proclamari in utroque Regno, ut ſtratæ ſint pacificæ, et ſecuræ, et ut homines utriusque Regni poſſint juſtis ſtratis ſecure ire, ſolutis teloneis, et aliis daciis ſolitis, et conſuetis. Item Moneta ubicunque in Regnis utrisque falſa cuderetur, tenebuntur Reges quilibet in Regno, et Terris ſuis operam dare, et efficere ut nec cudatur falſa moneta, nec importetur, ſine dolo. Item ſuper reliquis cauſis, et articulis videlicet dampnis quibuscunque inter Regna, Terras, Dominia eisdem ſubiecta contingentibus, ſive Regno Bohemiæ ex Regno Poloniæ, et Terris eidem ſubiectis, ſive Regno Poloniae ex Regno Bohemiae, Marchionatu Moraviae, et Terris Sleſiae, ac Terris ipſis ſubiectis, Regibus perſonaliter convenientibus debet fieri proviſio, et tale dari ab utraque parte conſilium, ut inter eorum Principes, Barones, Milites, Civitates, et quoscunque Subditos, quod juſtum eſt ſubſequatur. Conventio autem utriusque Regis tam Bohemiae, quam Poloniae concluſa eſt, et debet fieri in maiori *Glogovia*, a proximo die Circumciſionis Domini in altero Circumciſionis die Anno revoluto, eo ſignanter expreſſo, quod futura Conventio Regni, ſi eam celebrari, Glogovienſi expedita, ex quacunque neceſſitate contingeret, debet etiam celebrari in Civitate apta in Regno Poloniae. Quod ſi aliquis ex Regibus ad praedictam Dietam Glogovienſem pro die Circumciſionis Domini per annum revolutum, ſine dolo venire non poſſet, tenebitur alterum duobus menſibus ante, de ſuo impedimento aviſare, et nihilominus ex poſt tenebuntur in eodem Oppido Glogovienſi ambo Reges pro die SS. Philippi et Jacobi perſonaliter convenire. Item pro omnibus Caſtris, et Fortalitiis, pro quibus Dominus Rex Bohemiae, Dominum Regem Poloniae inculpaverit, ſuper his agatur juſtitia Domino Regi, et Regno Bohemiae in primo Regum perſonali Conventu, iuxta antiquas Inſcriptiones. Quodſi Rex Poloniae habuerit juſtitiam aliquam ad Caſtra, et Fortalitia praedicta, iſtud debet in eodem proximo Regni Conventu circumſpici,

ANNO 1460.

ANNO 1460. ſpici, et iuxta juſtitiam finiri. Item omnes Inſcriptiones antiquae, juſtae, et legitimae inter Reges, et Regna Bohemiae et Poloniae debent innovari, confirmari, et teneri, hoc excepto, quodſi in praefatis Inſcriptionibus contingeret aliquis Articulus, qui Maſoviae Duces contingeret, illum non tenebitur Dominus Rex Poloniae confirmare. Item ſuper dote (alias o *Poſag* in Polonico, et in Bohemico o *Wiano*) Sereniſſimae Principis Dominae ELISABETH Reginae Poloniae, ſuper quo in praeſenti Dieta concordare non potuimus, Deciſio ſuſpenſa eſt, ad perſonalem Regum Conventum, ubi dante Domino finis huic rei iuſtus, et bonus iuxta iuſtitiam imponetur. In cuius rei teſtimonium Sigilla noſtra Praeſentibus ſunt appenſa. Datum in Bythom Sabatho in Vigilia Sancti Andreae Apoſtoli, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo.

GEORGII *Regis Bohemiæ Articulorum in Conventione Bithomienſi conditorum Approbatio, & Promiſſio, quod non inſtabit pro Ducibus, & Ducatibus Maſoviæ, neque eos petet.* Datum in Olomucz in Vigilia Nativitatis Chriſti, Anno 1460. *Ex Originali.* Vid. Cod. Dipl. Tom. III. tit. MASOVIA ad an. 1460.

XIV.

1461. CASIMIRI *Regis ad Archiepiſcopum Gnesnenſem Literæ, ut Conventionem in Terris Maioris Poloniæ inſtituat, ex cuius ſententia vult capere conſilium de rationibus, quibus Fœdus cum Rege Bohemiæ iniri poſſet.* Anno 1461. *Ex Archivo Regni Cracov. Extat in Archivo Cancell. Regni Lib. 3. n. 4. f. 142.*

Reverendiſſime in Chriſto Pater, ſincere Nobis Dilecte.

Quamvis integro fere, ut Paternitati veſtrae aliquantulum conſtare autumamus, biennio, per inſignes et graves Perſonas crebro ſollicitaremur, ut cum Gerzykone Podyebracki, qui poſt mortem Domini LADISLAI Conſortis noſtrae germani, in Bohemiae Regem ſuffectus eſt, Ligam, et Amicitiae vinculum iniremus, ex bonis tamen reſpectibus conſummationem huiusce rei differebamus, donec Illuſtris Princeps PRZEMYSLAUS, Teſchnenſis Dux, caeteris, qui id munus ſummopere ſibi mandari depoſcebant, reſilientibus, futuri Fœderis Tractator, ratus ſe transferendum ad Bithomienſe Oppidum, quo utrinque noſtri Conſiliarii convenientes, obſtacula, difficultatesque, tam ortas, quam orituras diſſolverent, et de Conditionibus, quibus Fœdus ſanciri, componique debeat concordarent, rem ex amborum noſtrum annuentia, et aſſenſu condictaſſet: In eam itaque Dietam dum Nos Nobiles, et Magnificos STANISLAUM *de Oſtrorog* Palatinum Caliſſienſem, NICOLAUM PIĘNIĄŻEK Succamerarium, et Capitaneum Cracovienſem, et JOANNEM DŁUGOSZ Canonicum Cracovienſem, cum nonnullis inſtructionibus per Nos et Conſiliarios noſtros digeſtis transmiſiſſemus, affuerunt, et ex parte Regis praedicti, praefatus Dux PRZEMYSLAUS Teſchnenſis, et Nobiles, ac Magnifici ZDEMEK KONOPNICKI *de Sternberg* Burgrabius Pragenſis, et JOANNES ZAGIMACZ *de Cruſtat* Regis ipſius Patruelis, inter quos, dum ad Tractatus mutuos ventum eſſet, Nuntii quoque noſtri, quemadmodum par erat, ſingulas obſtantias removebant, et eam primum ut jus Succeſſionis, et Haereditarium Conſortis noſtrae ad Regnum Bohemiae Avitum, Patruum, et Fratrinum penitus non oboleretur ſolum, ſed ut ſalvum, et totum conſervaretur. Bohemici Nuntii, etſi id parumper refellerent, et nedum Faeminam, ſed nec Maſculum poſſe in Regno Bohemiae haereditare aſtruerent, negabant tamen ſe ad ea aut quaecunque alia obſtantia decidenda, ſed ad ineundam Amicitiam atque Ligam a Rege ſuo Mandatum accepiſſe, pro eo quod Dux PRZEMYSLAUS utrarumque Partium Mediator, ſuperficie tenus nullam obſtantiarum huiusce aut aliarum faciens mentionem, amicitiaeque tantum Fœdus commemorans rem abſolviſſet. Inſtabant itaque Bohemici Nuntii brevem aliam Dietam, qua Perſona cum eorum Rege Fœdus ſancituri conveniremus, indici, quo inito maximos Profectus utrique Regno, Pruthenici belli finem provenire, et ſingularum difficultatum nodos diſſolvi, furta quoque, et clandeſtinas invaſiones ex Sleſia poſſe conquieſcere, amplo ſermone monſtrabant, abnuentibus Nuntiis noſtris, et nondum maturam perſonalem conventionem Regum evidentibus rationibus docentibus, cum et conditiones, quibus Fœdus inter Nos, et Regna iniendum foret, limari ſtabilirique, et ſuper dampnis ex Sleſia dudum illatis jus dici primum, etiamſi alia conſo-

ANNO 1461.

Anno 1461. consopita essent, oporteret: Ea demum conclusio capta est, ut in eodem Bithomiensi Oppido pro primo die Maji Consiliarii Regni utriusque, conditiones Fœderis moderaturi concordaturique conveniant, et illic aliam diem, quo Nos cum eorum Rege personaliter conveniamus, Fœdus firmaturi, instituant. Eam tamen conclusionem etsi Bohemici Nuntii laudassent, probassentque, non tamen absque Regis sui speciali consensu audebant illam in liquidum concludere, infra tamen tempus carnisprivii Nuntiis nostris renuntiaturos se obligaverunt, si conclusionem ipsam Rex eorum ratam, et acceptam esse voluerit. Cum itaque res, quas praescripsimus, extent magnae importantiae, et ponderis, et sine Vestrae Paternitatis, aliorumque Consiliariorum Maioris Poloniae speciali deliberatione et consensu nolumus in eis quidquam innovare, nec Fœdus cum Rege ipso iniungere, nec personaliter convenire; quocirca requirimus et hortamur Paternitatem Vestram, ut ob eam rem solam, conventionem in Terris Maioris Poloniae instituat, et quid agendum erit cum caeteris Consiliariis definiat, et Nos tempestive Scripto vel Nuntio informet. Magno enim studio, atque cura praefatus Bohemiae Rex satagit, atque solicitat ut vinculo Amicitiae et perpetui Fœderis se Nobiscum quanto celerius uniat et inscribat, asserens et sibi, et Regno suo nullam aliam Amicitiam et Unionem, ac nostram, Regnique nostri, tantas commoditates aeque allaturam. Quae omnia uberius, latius, largiusque Vobis praefatus Palatinus Calissiensis, et quaedam secretiora, quae ne vulgarentur, praesentibus inserere prohibuimus, velut is, qui omnibus interfuit, declarabit.

1462. Georgii *Regis Bohemiæ, ad* Casimirvm *Regem Poloniæ Literæ Deprecationis pro Civitate Lignicensi.* Datum Pragæ, die Maji, Anno 1462. *Ex Archivo Regni. Lib. 3. n. 4. f. 634.* Vide Tom. I. Partem II. tit. SILESIA ad annum 1462.

XV.

1462. *Tractatus Fœderis inter* Georgivm *Bohemiæ, &* Casimirvm *Poloniæ Reges, in Conventu eorum personali concluſi. Alter alteri in propria Persona cum omni potentia sua contra Turcas subsidio veniet. Rex Poloniæ Dotem* Elisabethae *Reginæ vivente Rege Bohemiae non repetet, &c.* Datum Glogoviæ ipso die Ascensionis Domini Anno 1462. *Ex Originali.* Anno 1462.

In Nomime Sanctae et Individuae Trinitatis, Amen.

Nos Georgivs Gei gratia Rex Bohemiae, Marchio Moraviae, Lucemburgensis, et Silesiae Dux, ac Lusatiae Marchio. Notum facimus tenore Praesentium Universis. Quod Considerantes Reipublicae Sacrosanctae Romanae, Universalisque Ecclesiae Fidei Orthodoxae, Sacri Romani Imperii, ac Regnorum, Terrarum, ac Subditorum nostrorum bonum, commodum, et utilitatem ad Dietam praesentem Glogoviensem una cum Sereniſſimo Principe, Domino Casimiro Rege Poloniae, Magno Duce Litvaniae, Russiae, Prussiaeque Domino, et Haerede, Fratre nostro Casimiro personaliter convenimus nonnulla ardua, et Reipublicae utilia ponderantes, ita, ut primum periculis, quantum in Nobis est, publicis Christianae Religioni imminentibus, demum Regnorum nostrorum, et nostris in hoc nostro Conventu occurratur, et consulatur, ubi itaque illud arduissimum urgens periculum Christianitatis, infestationem videlicet Christianorum illius Turci hostis totius boni, nec non Nominis Christiani, quam Deus omnipotens sua ex permissione in Ecclesiam permisit orthodoxam, in mentibus nostris, ut iustum fuit versavimus, perpendimusque qua impietate, et qua insolentia idem perfidus Turcus Christianos persequatur, Terras invadit, Regna occupat, Dominia, et Christianos Principatus, proh dolor! destruit adeo, ut certe paucos Catholicos reperire possimus, qui non magna animi cum compassione in his rebus moveantur. Jam enim magna pars Dominii Christiani ab eo possidetur, jam Christicolæ Machometum confiteri plurimi compulsi sunt, jam certe si non providebitur, pericula in dies maiora timentur. Quare Nos una cum jam dicto Domino Rege Poloniae pro laude Dei omnipotentis, pro fidei Catholicae augmento, nec non pro Sedis Sacrosanctae Apostolicae, ac in ea Residentis, contra Turcos tutela, et defensione, ponderato periculo quam maximo rei istius, inspectoque demum, qua in insecuritate nunc nostra Regna versentur, quae destructioni, nisi consulatur, vicina sunt, ex quorum, quod absit destructione, et annihilatione, non mediocre, imo maximum detrimentum Reipublcae oriretur Christianae. Ideo ex certa scientia, sano Principum tam Eccle-

ANNO 1462. Ecclesiasticorum, quam Saecularium, Prælatorum, Baronum, Nobilium, Militarium, caeterorumque fidelium nostrorum ad hoc accedente consilio, bona cum animi deliberatione haec Pacta, quae sequuntur, cum jam dicto Serenissimo Domino CASIMIRO Rege Poloniae etc. pepigimus, hanc Unionem inivimus, et Concordiam Praesentibus facimus. Imprimis si, quod absit, Dei occulto judicio Turcus jam dictus hostis fidei orthodoxae immanissimus, aut sui contra Regem, et in Regnum Poloniae, Fines, aut Metas, Terrasque subditas eidem intraverint, eas invaserint, vel invadere, aut occupare vellent, extunc Nos per eundem Fratrem nostrum Dominum Regem Poloniae ammoniti, et requisiti praedicto Domino CASIMIRO Regi Poloniae in Persona propria, cum nostra nostrorumque omnimoda potentia, contra eos se cum eo opponere, et adiuvare, sibi, Regnoque suo, et Terris eidem Regno subiectis adiutorium, et effectuale subsidium et auxilium dare, et praestare tenebimur, et obligabimur, tenemur, et obligamur, similique modo, si quovis casu praedictus Turcus, aut sui contra Nos, Regnum nostrum Bohemiae, Fines, aut Metas, Terrasque subditas Nobis, Regnoque Bohemiae intraverint, invaserint, intrare, et invadere, aut occupare vellent, extunc praedictus Rex Poloniae per Nos ammonitus, et requisitus, in Persona propria, cum sua, et suorum omnimoda potentia contra eosdem Turcos se Nobiscum una opponere, Nos adiuvare, Nobis Regnoque nostro, Terris eidem Regno subditis adiutorium, et effectuale subsidium, et auxilium dare, et praestare tenebitur, tenetur et obligatur, quavis tergiversatione, dolo, et fraude, tam in adiutorio nostro, quam in Domini Regis Poloniae, procul motis. Et quia pensatis publicis bonis, de privatis nostris Regnorum, Subditorumque nostrorum non est oblivisc endum: Idcirco ob Pacem et Concordiam tam Regni nostri, et Terrarum nostrarum, quam Domini Regis Poloniae praedicti, et Terrarum ipsius, hos Articulos, et has Concordias una cum voluntate praefati Domini Regis Poloniae ordinavimus, et dispositimus, tenoreque Praesentium ordinamus, disponimus, et suscipimus, videlicet, quod Nos in pura Fraternitate, Favore, et Amicitia ex utraque parte manebimus, et etiam ita sese mutuo pertractabimus, nec unus nostrum contra alium cum Regnis, Principatibus, Ducatibus, Terris, et Dominiis suis ullo unquam tempore cum quibuscunque Personis, in favorem quarumcunque Personarum Ecclesiasticarum, vel Saecularium, solo Domino nostro Summo Pontifice excepto, debebit esse auxilio, vel consilio, per Nos, aut alios publice, vel occulte, et uterque nostrum tenebitur alterius Regnorum, Principatuum, Ducatuum, et Terrarum bonum et honestum, iuxta suum posse, et iuxta suam omnimodam potestatem fideliter, et sine dolo procurare. Item tenebimur providere et efficere, ne de Regno nostro, Principatibus, Ducatibus, et quibuscunque Dominiis nostris jam dicto Serenissimo Domino Regi Poloniae, Regno, sibique Terris subiectis, damna aut incommoda inferantur. Similiter et ipse Dominus Rex Poloniae tenebitur efficere et providere, ne de Regno suo Poloniae, Ducatu Litvaniae, Terris Russiae, et Prussiae, et quibuscunque Dominiis Regno suo subiectis, damna quaecunque Regno, Terris, Dominiis, Subiectisque nostris, et eorum inhabitatoribus inferantur, et si quod Deus auferat, ex nostro aut ipsius Domini Regis Regno, aut Terris, aliqua damna contingerent, sive inter Nos utrosque Reges, sive inter nostros Subditos Ecclesiasticos, vel Saeculares, ex tunc Rex, ex cuius Regno et Terris huiusmodi contingerent, et sequerentur damna, tenebitur effectualiter operam dare, ut omnes tales inobedientes mulctentur, et puniantur, et ad id eos coget, et compellet, quatenus laesis et damna passis satisfactio sine dolo, et fraude, et dilatione impendatur, reddaturque. Item si contingat aliquem ex Regno nostro Bohemiae, Ducatibus, Terris, Dominiisque nostris aliquam culpam, et causam iniuriae ad aliquas Personas movere in Regno Poloniae, Principatibus, Ducatibus, Dominiis et Terris in eisdem habitantes, talis tenebitur causam suam jure prosequi, et Actor illum, quem reum asserit, in Jurisdictione, et Jure, ubi reus residet, convenire, cui sine dilatione justitia ministrabitur. Parique modo in Regno Poloniae, Ducatibus, Terris, et Dominiis eiusdem Domini Regis ministrabitur justitia Subditis nostris, Regni nostri Bohemiae, Dominiorumque nostrorum. Item in utroque Regno, tam nostro Bohemiae, quam Poloniae proclamabitur, et publicabitur, ut stratae publicae, et aliae viae sint pacificae, et securae, quatenusque homines ex utrisque Regnis justis stratis secure ire, et transire, quovis impedimento cessante, possint, et valeant, solutis tamen teloneis, et daciis aliis antiquitus solitis et consuetis. Item tenebimur monetam prohibere ubicunque, tam in Regno nostro Bohemiae, quam in Regno Poloniae, et aliis nostris hinc inde Ducatibus, Terris et Dominiis, ne falsa, deordinata, et illegitima cuderetur. Nos similiter et Dominus Rex Poloniae, quilibet nostrum in Regno, et Terris suis operam dabit, et efficiet,

ANNO 1462.

ANNO 1462. efficiet, ut nec cudatur moneta falsa, nec ex Regno nostro Bohemiae in Regnum Poloniae, nec ex Regno Poloniae in Regnum nostrum Bohemiae, ac Ducatus, Terras, et Dominia eisdem Regnis subiecta inferatur dolo et fraude procul motis. Item super omnibus Causis et Articulis, videlicet damnis, et differentiis quibuscunque, quae inter Regna, Terras, Dominia, Principes, Barones, Militares, Civitates, Civitatum Communitates, ac caeteros eisdem subiectos contingerent, sive Regno nostro Bohemiae ex Regno Poloniae, et Terris eidem subiectis, sive Regno Fratris nostri Regis Poloniae, ex Regno Bohemiae et Terris eidem subiectis, debet haberi Conventus in Octava Epiphaniarum Domini proxime ventura, in Oppido *Bandzin*. Itaque Nos Consiliarios, et Oratores nostros, similiter et Dominus Rex Poloniae, ad eandem diem, et eundem locum mittemus, ubi per Consiliarios, et Oratores utriusque partis cura diligens adhibebitur, quatenus res hae partiales et differentiae concordentur, fineque laudabili concludantur, laesis omnibus et iniuriam passis satisfactio, redhibitio, et contentatio secundum jus, et justitiam fiat, pro Pace et concordia Regnorum, et Terrarum utriusque partis. Si tamen aliqui illic non venirent, vel interesse non possent, ex tunc Oratores partis utriusque poterint Dietam aliam, ac locum congruum, et consuetum illis absentibus nominare. In causa autem Illustris Ducis Silesiae HENRICI Crosnensis, et Maioris Glogoviae, quemadmodum ad nonnullas Possessiones, Oppida, et Villas, quae Frater noster Rex Poloniae, suique Regnicolae tenent, et possident, se jus habere praetendit, veluti Articulos conscriptos Bonorum illorum dedit, volumus ut praedicto Duci per Oratores utriusque partis scilicet nostros, et Domini Regis Poloniae, venientes ad Oppidum *Babinmost*, in die Dominico proxime sequente Festum S. Nicolai immediate affuturum, justitia fiat, et ministretur. De Metis et Finibus ex utraque parte per Oratores, et Consiliarios causae justitia mediante in locis consuetis terminabunt. Sed cum de illis partialibus rebus, de quibus Dominus Rex Poloniae, et sui Subditi contra Ducem jam dictum HENRICUM, et suos Subditos, Dux HENRICUS et Subditi contra Dominum Regem Poloniae, vel eius Subditos, et e converso agere vellent, mox post quatuor hebdomadas diem jam dictum Dominicum immediate sequentes, Dieta per utriusque partis Consiliarios, et Oratores in Monasterio Paradisi celebrabitur, et tenebitur, de quibus etiam justitiam pars utraque assequetur. Item si Nos contingat futuram Dietam, seu Conventum Personalem, cum praenominato Domino Rege Poloniae ex quacunque causa, vel necessitate celebrare, illa Dieta celebrabitur in Civitate Regni Poloniae apta, et congrua, ex quo nunc iste noster Personalis Conventus in Magna *Glogovia*, Civitate Regni nostri Bohemiae tentus, et habitus est. Item pro Castris et Fortalitiis *Osiwenczyn*, *Wolek*, *Dewoz*, *Zathor*, *Berwald*, *Zilbez*, cum Terris, Oppidis, Villis, Vasallis, Districtibus et Subditis earundem ad ipsa pertinentibus, sicut nunc Frater noster Dominus Rex Poloniae tenet, et possidet, quemadmodum eundem Dominum Regem inculpabamus, quod haec ad Regnum, et Coronam nostram pertineant, in hanc Concordiam et Unionem una cum voluntate eiusdem Domini Regis Poloniae devenimus, ut pro eisdem Castris et Fortalitiis supra scriptis, quae, ut praemissum est, ipse Dominus Rex modo tenet, et possidet, quoad Nos vita fungimur, saepe dictum Dominum Regem Poloniae non impetemus, nec amovebimus, quin imo praefata Castra et Fortalitia, Districtus et attinentias eorundem, quemadmodum nunc ipse Dominus Rex tenet, tenebit et possidebit. Item quia Serenissimus quondam Princeps, Dominus VLADISLAUS Hungariae, Bohemiae, etc. Rex, Austriae Dux, Marchio Moraviae, felicis memoriae Praedecessor noster carissimus nonnullas (*) et notabiles summas florenorum sive pecuniarias suis patentibus Literis, et Inscriptionibus in vim dotis (in Bohemico *Wiano*, in Polonico *Posak*) cum Serenissima Principe Domina ELISABETH Regina Poloniae dicti Regis LADISLAI defuncti germana, de Regnis, Dominiis, Ducatibus et Territoriis suis praefato Domino Regi Poloniae se inscripsit, et submisit daturum, et soluturum sub certis modis, capitulis, et conditionibus in eisdem Literis contentis, et expressis, ex singulari vero affectu, et benevolentia, quam invicem cum memorato Rege Poloniae gerimus de portione, sive sorte pecuniarum dotis memoratae, quam Dominus Rex Poloniae sibi et Regno suo, de Regno nostro Bohemiae obvenire, & cedere debere praetendit, Nos dictus Dominus Rex Poloniae non inquietabit, nec amovebit ad tempora vitae nostrae. Sublatis vero per mortem Nobis e medio, causa memo-

ANNO 1462.

(*) Summa videlicet centum millium aureorum Hungaricalium, dotis nomine Anno 1453. inscriptorum, & altera summa itidem centum millium aureorum, ratione vadii in iisdem Literis stipulati, cuius summae (hucusque a Domo Austriae Reipublicae Poloniarum debitae) LADISLAUS Rex Bohemiam quoque hypothecam esse voluit.

Anno 1462. memoratæ dotis in eo ſtatu, robore, & firmitate, prout ante præſentem noſtram Unionem, & Inſcriptionem fuit, illæſe, & inconcuſſe perſiſtet, & permanebit. Item iſtæ noſtræ Inſcriptiones, & Concordiæ nunc habitæ & factæ, antiquis prioribus, iuſtis, legitimis, ac veris Privilegiis, Literis, Inſcriptionibus inter Nos, Prædeceſſores noſtros, & Regnum Bohemiæ, Dominumque Regem Poloniæ, Prædeceſſores, & Regnum eius factis, minime nocebunt, aut in aliquo derogabunt. Et has ſupra ſcriptas Unionem, Concordiam, Diſpoſitionem, & Inſcriptionem in omnibus ſuis punctis, articulis, verbis, ſententiis, & clauſulis verbo noſtro regio, & bona fide promittimus obſervare, & tenere, ac eis inviolabiliter ſatisfacere, dolo, & fraude ac aliis quibusvis exquiſitis coloribus procul motis, iam ſcriptis omnibus nunc factis Concluſionibus, usque vitam noſtram tantummodo duraturis. In quorum omnium præmiſſorum fidem, robur, & teſtimonium præſentes Literas fieri, & Sigillo noſtræ Regiæ Celſitudinis iuſſimus communiri. Datum in Maiori Glogovia Civitate Ducatus noſtri Sileſiæ feria quinta, ipſo die Aſcenſionis Domini. Anno eiusdem Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſecundo Regni noſtri Anno quinto.

## XVI.

*Exemplar eiusdem Fœderis ex parte* Casimiri *Regis Poloniæ. Ex Originali.*

In Nomine Sanctæ Trinitatis, & Individuæ Unitatis, Amen.

Nos Casimirus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Dominus, & Hæres &c. Notum facimus Univerſis, quod conſiderantes Reipublicæ, ſacroſanctæ Romanæ Univerſalis Eccleſiæ Fidei Orthodoxæ, ac Regnorum, Terrarum, & Subditorum noſtrorum, bonum, commodum, & utilitatem, ad Dietam præſentem Glogovienſem, una cum Sereniſſimo Principe Domino Georgio Rege Bohemiæ, Marchione Moraviæ, Lucemburgenſi, & Sileſiæ Duce, & Marchione Luſatiæ, Fratre noſtro Cariſſimo, perſonaliter convenimus, nonnulla ardua, & Reipublicæ utilia ponderantes ita, ut primum periculis, quantum in nobis eſt publicis Chriſtianæ Religioni imminentibus, demum Regnorum noſtrorum, & noſtris in hoc noſtro Conventu occurratur, & conſulatur. Ibi itaque illud arduiſſimum urgens periculum Chriſtianitatis, infeſtationem videlicet, Chriſtianorum illius Turci, hoſtis totius boni, nec non nominis Chriſtiani, quem Deus Omnipotens ſua ex permiſſione in Eccleſiam permiſit Orthodoxam, in mentibus noſtris, ut iuſtum fuit, verſavimus, perpendimusque, qua impietate, & qua inſolentia idem perfidus Turcus Chriſtianos perſequatur, Terras invadit, Regna occupat, Dominia, & Chriſtianos Principatus, proh dolor! deſtruit adeo, ut certe paucos Catholicos reperire poſſumus, qui non magna cum compaſſione in his rebus moveantur; jam enim magna pars Dominii Chriſtiani ab eo poſſidetur, jam Chriſticolæ Machometum confiteri plurimi ſunt compulſi, jam certe ſi non providebitur, pericula indies maiora timentur. Quare Nos una cum jam dicto Domino Georgio Bohemiæ Rege pro laude Dei Omnipotentis, pro Fidei Catholicæ augmento, nec non pro ſedis Sacroſanctæ Apoſtolicæ, ac in eo reſidentis contra Turcos tutela, & defenſione, ponderato periculo quam maximo rei iſtius, inſpectoque demum, qua in inſecuritate nunc noſtra Regna verſentur, quæ deſtructioni, niſi conſulatur, vicina ſunt, ex quorum, quod abſit, deſtructione, & annihilatione non mediocre, imo maximum detrimentum Reipublicæ oriretur Chriſtianæ. Ex certa igitur ſcientia, ſano Principum, tam Eccleſiaſticorum, quam Sæcularium, Prælatorum, Baronum, Nobilium, Militarium, cæterorumque fidelium noſtrorum ad hoc accedente Conſilio, bona cum animi deliberatione hæc Pacta, quæ ſequuntur, cum jam dicto Sereniſſimo Domino Georgio Rege Bohemiæ &c. pepigimus, hanc Unionem inivimus, & Concordiam præſentibus facimus. In primis ut ſi, quod abſit, Dei occulto judicio Turcus jam dictus hoſtis Fidei Orthodoxæ immaniſſimus, aut ſui contra Regem, & in Regnum Bohemiæ, fines aut metas, Terrasque ſubditas eidem intraverint, eas invaſerint, vel intrare, invadere, aut occupare vellent, extunc Nos per eundem Dominum Regem Bohemiæ Fratrem noſtrum ammoniti, & requiſiti, prædicto Domino Georgio Bohemiæ Regi in Perſona propria, cum noſtra, noſtrorum omnimoda potentia contra eos ſecum, eo opponere & adiuvare ſibi, Regnoque ſuo, & Terris eidem Regno ſubditis adiutorium, & effectuale ſubſidium, et auxilium dare, et præſtare obligabimur, tenemurque, & obligamur. Similique modo, ſi quovis caſu prædictus Turcus, aut ſui contra Nos, Regnumque noſtrum Poloniæ fines aut metas, Terrasque ſubditas Nobis, & Regno Poloniæ intraverint, eas invaſerint, intrare, invadere, aut occupare vellent, extunc præ-



Lietuvos TSR Centr. Biblioteka Muzeių Abonementas 91776

Anno 1642. dictus Dominus Rex Bohemiæ per Nos ammonitus & requisitus in Persona propria, cum sua, & suorum omnimoda potentia, contra eosdem Turcos se nobiscum una opponere, Nos adiuvare, Nobis, Regnoque nostro, Terrisque eidem Regno subditis adiutorium, & effectuale subsidium & auxilium dare, & præstare tenebitur, & obligabitur, teneturque, & obligatur, quavis tergiversatione, dolo, & fraude, tam in adiutorio nostro, quam in Domini Regis Bohemiæ, procul motis. Et quia pensatis publicis Bonis, de privatis nostris, Regnorum, Subditorumque nostrorum non est obliviscendum, idcirco ob Pacem, & Concordiam, tam Regni nostri, & Terrarum nostrarum, quam Domini Regis Bohemiæ prædicti, & Terrarum ipsius hos Articulos, & has concordias, una cum voluntate Præfati Domini Regis Bohemiæ ordinavimus, & dispositimus, tenoreque præsentium ordinamus, disponimus, & suscipimus, videlicet quod Nos in pura Fraternitate, favore, & amicitia ex utraque parte manebimus, & etiam ita sese mutuo pertractabimus, nec unus nostrum contra alium cum Regnis, Principatibus, Ducatibus, Terris & Dominiis suis ullo unquam tempore, cum quibuscunque Personis, in favorem quarumcunque Personarum Ecclesiasticarum, vel Sæcularium, solo Domino nostro Summo Pontifice excepto, esse debebit auxilio, vel consilio per Nos aut alios publice, vel occulte, & uterque nostrum tenebitur alterius Regnorum, Principatuum, Ducatuum, & Terrarum bonum, & honestum iuxta suum posse, & iuxta suam omnimodam potestatem fideliter, & sine dolo procurare. Item tenebimur providere, & efficere, ne de Regno nostro, Principatibus, Ducatibus, & quibuscunque Dominiis nostris, jam dicto Serenissimo Domino Regi Bohemiæ, Regno, sibique Terris subiectis, damna, aut incommoda inferantur. Similiter & ipse Dominus Rex Bohemiæ tenebitur efficere, & providere, ne de Regno suo Bohemiæ, Marchionatu Moraviæ, Ducatibus Silesiae, & quibuscunque Dominiis Regno suo subiectis damna quaecunque Regno, Terris, Dominiis, Subiectisque nostris, & earum inhabitatoribus inferantur, & quod Deus auferat, si ex nostro, aut ipsius Domini Regis Regno, aut Terris aliqua damna contingerent, sive inter Nos utrosque Reges, sive inter nostros Subditos Ecclesiasticos, vel Saeculares, extunc Rex, ex cuius Regno, & Terris huiusmodi contingerent, & sequerentur damna, tenebitur effectualiter operam dare, ut omnes tales inobedientes mulctentur, & puniantur, & ad id eos coget, & compellet, quatenus læsis, & damna passis satisfactio, sine dolo, fraude, & dilatione impendatur, reddaturque. Item si contingat aliquem ex Regno nostro Poloniæ, Terris, Dominiisque nostris aliquam culpam, & causam iniuriae ad aliquas Personas movere in Regno Bohemiae, Principatibus, Ducatibus, Dominiis, & Terris in eisdem habitantes, talis tenebitur causam suam jure prosequi, & Actor illum, quem reum asserit, in Jurisdictione, et Jure, ubi reus residet, convenire, cui sine dilatione iustitia ministrabitur. Parique modo in Regno Bohemiae, Terris, Dominiis, ac Ducatibus, eiusdem Domini Regis, ministrabitur justitia subditis nostris Regni nostri Poloniae, Dominiorumque nostrorum. Item in utroque Regno, tam nostro Poloniae, et aliis Dominiis nostris, ac Ducatibus, quam Bohemiae, ac aliis Terris, Ducatibus, et Dominiis eiusdem Domini Regis proclamabitur, et publicabitur, ut stratae publicae, et aliae viae sint pacificae, et securae, quatenusque homines ex utrisque Regnis, justis stratis secure ire, et transire quovis impedimento cessante possint, et valeant, solutis tamen teloneis, et daciis, aliis solitis, et consuetis. Item tenebimur monetam prohibere, ubicunque tam in Regno nostro Poloniae, quam in Regno Bohemiae, ac aliis nostris hinc inde Dominiis, et Terris, falsa, et deordinata, et illegitima cuderetur, Nos similiter, et Dominus Rex Bohemiae quilibet nostrum in Regno, & Terris suis operam dabit, & efficiet, ut nec cudatur moneta falsa, nec ex Regno nostro Poloniæ in Regnum Bohemiæ, nec ex Regno Bohemiæ in Regnum nostrum Poloniæ, & Terras, Dominia eisdem Regnis subiecta inferatur, dolo, & fraude procul motis. Item super omnibus causis, & Articulis, videlicet damnis, & differentiis quibuscunque, quæ inter Regna, Terras, & Dominia, Principes, Barones, Militares, Civitates, Civitatum Communitates, ac cæteros eisdem subiectos contingerent, sive Regno nostro Poloniæ, ex Regno Bohemiæ, & Terris eidem subiectis, sive Regno Fratris nostri Regis Bohemiæ ex Regno Poloniæ & Terris eidem subiectis, debet haberi conventus in Octava Epiphaniarum Domini proxime ventura in Oppido nostro *Bandzin*. Itaque Nos Consiliarios, & Oratores nostros, similiter & Dominus Rex Bohemiæ ad eandem diem, & eundem locum mittemus, ubi per Consiliarios, & Oratores utriusque partis cura diligens adhibebitur, quatenus res hæ particulares, & differentiæ concordentur, & fine laudabili concludantur, læsisque

Anno 1462.

Anno 1462. læsisque omnibus & iniuriam passis satisfactio, redhibitio, & contentatio secundum Jus, & justitiam fiat pro Pace, & Concordia Regnorum, & Terrarum utriusque partis. Si tamen aliqui illic non venirent, vel interesse non possent, extunc Oratores partis utriusque poterint Dietam aliam, & locum congruum, & consuetum illis absentibus nominare. In causa autem Illustris Ducis Silesiæ Henrici Crosnensis, & Maioris Glogoviæ, quemadmodum ad nonnullas Possessiones, Oppida, & Villas, quæ Nos, & nostri Regnicolæ tenent, & possident, se Jus habere prætendit, veluti Articulos conscriptos Bonorum illorum dedit, volumus, ut prædicto Duci per Oratores utriusque partis, scilicet nostri, & Domini Regis Bohemiæ, venientes ad Oppidum *Babinmost* in die Dominico proxime sequente Festum S. Nicolai immediate affuturum, iustitia fiat, & ministretur; de metis, & finibus ex utraque parte per Oratores, & Consiliarios causa, justitia mediante, in locis consuetis terminabitur. Sed cum de illis partialibus rebus, de quibus Nos, & nostri Subditi, contra Ducem Henricum, vel suos Subditos, vel Dux Henricus, & sui Subditi contra Nos & nostros Subditos, & e converso, agere vellent, mox post quatuor hebdomadas diem jam dictum Dominicum immediate sequentes, Dieta per utriusque partis Oratores, & Consiliarios in Monasterio Paradisi celebrabitur, & tenebitur, de quibus etiam justitiam pars utraque consequetur. Item si Nos contingat futuram Dietam, seu conventum personaliter cum prænominato Domino Rege Bohemiæ ex quacunque causa, vel necessitate celebrare, illa Dieta celebrabitur in Civitate Regni nostri Poloniæ apta, & congrua, ex quo nunc iste noster personalis Conventus in Magna Glogovia, Civitate Regni Bohemiæ tentus, & habitus est. Item pro Castris, & fortalitiis *Oswęcim*, *Wołek*, *Szewer*, *Zator*, *Berwald*, *Szywecz*, cum Terris, Oppidis, Villis, Vasallis, Districtibus, & Subditis earundem ad ipsa pertinentibus, sicut nunc tenemus, & possidemus, quemadmodum Dominus Rex Bohemiæ Nos inculpabat, quod hæ ad Regnum & Coronam eius pertineant, in hanc concordiam, & unionem una cum voluntate eiusdem Domini Regis Bohemiæ devenimus, ut pro eisdem Castris, & fortalitiis infrascriptis, quæ ut præmissum est, modo tenemus, & possidemus, a Domino Rege Bohemiæ non impetemur, nec amovebimur, quinimo præfata Castra, Fortalitia, Districtus, & Attinentias eorundem, quemadmodum nunc tenemus, tenebimus, & possidebimus. Item Anno 1462. quia Sereniſſimus Princeps Dominus Ladislaus Hungariæ, & Bohemiæ quondam Rex, Dux Austriæ, & Marchio Moraviæ, Affinis, & Frater noster Carissimus nonnullas notabiles summas florenorum, sive pecuniarias suis patentibus Literis, & Inscriptionibus in vim Dotis, in Polonico *Posag*, & in Bohemico *Wiano*, cum Sereniſſima Principe Domina Elisabeth Regina Poloniæ, Consorte nostra Carissima, & dicti defuncti Ladislai Regis Germana de Regnis, Dominiis, Ducatibus, & Territoriis suis Nobis se inscripsit, & submisit daturum, & soluturum, sub certis modis, capitulis, & conditionibus in eisdem Literis contentis, & expressis, ex singulari vero affectu, & bonivolentia, quem invicem cum memorato Domino Rege Bohemiæ gerimus, de portione, sive sorte pecuniarum Dotis memoratæ, quæ nobis, & Regno nostro Poloniæ de Regno Bohemiæ obvenire, & cedere debent, dictum Dominum Regem non amovebimus, neque inquietabimus ad tempora vitæ ipsius Domini Regis; sublato vero per mortem e medio memorato Domino Rege Bohemiæ, causa memoratæ Dotis in eo statu, robore, & firmitate, prout ante præsentem nostram Unionem, & Inscriptionem fuit, illæse, & inconcusse persistet, & permanebit. Item istæ nostræ Inscriptiones, & Concordiæ nunc habitæ, & factæ antiquis prioribus iustis, legitimis, & veris Privilegiis, Literis, & Inscriptionibus inter Nos, Prædecessores nostros, et Regnum Poloniæ, Dominumque Regem Bohemiæ, Prædecessores, et Regna eius factis minime nocebunt, aut in aliquo derogabunt, et has suprascriptas Unionem, Concordiam, Dispositionem, et Inscriptionem, in omnibus suis Punctis, Articulis, Verbis, Sententiis, et clausulis, verbo nostro regio, et bona fide promittimus observare, tenere, ac eis inviolabiliter satisfacere, dolo, et fraude, ac aliis quibusvis exquisitis coloribus procul motis, jam scriptis omnibus, nunc factis Conclusionibus, usque vitam sæpe nominati Domini Regis Bohemiæ, tantummodo duraturis. In quorum omnium præmissorum fidem, robur, et testimonium præsentes Literas fieri, et Sigillo nostrae Regiae Celsitudinis jussimus communiri. Datum in Maiori Glogovia Civitate Ducatus Silesiae, feria quinta ipso die Ascensionis Domini, Anno eiusdem Millesimo, quadringentesimo, sexagesimo secundo.

ANNO 1467.

## XVII.

*Proceres Regni Bohemiæ Confœderati ſignificant* CASIMIRO *Regi Poloniæ*, GEORGIVM *quondam Regem Bohemiæ a* PAVLO II. *tanquam hæreticum excommunicatum eſſe, & Regno privatum, ſeque ab illo receſſiſſe, flagitantque, ut Rex Poloniæ eorum patrocinium ſuſcipiat, cum Coniunx eius, & Filii ſint veri, & legitimi Hæredes Regni Bohemiæ.* Datum in Nova Domo Sabbatho poſt SS. Philippi, & Jacobi Apoſtolorum, Anno 1467. *Ex Originali, Sigill. 15.*

Sereniſſime Rex et Domine, Domine noſter gratioſiſſime. Servitiis indefeſſis Veſtræ Regiae Maieſtati, iugiter praemiſſis, Veſtrae Regiae Maieſtati innoteſcimus: Quomodo ſuper illo quondam Rege Bohemiae jam excommunicato et abiudicato, totaque Ipſius dignitate privato, a Sanctiſſimo Domino noſtro Papa PAULO Secundo, excommunicationes emanarunt, ac proceſſus exierunt propter juramentum, et praeſcriptum, quod in ſacro Evangelio praeſtitit, et fecit, ut per hoc in Regnum intraret. Quemadmodum hic introcluſam copiam ipſius juramenti ac proceſſus D. N. mittimus, quibus plenius intelligere poteritis, quomodo Beatiſſima Sanctitas ſua Nobis ſub excommunicationis pæna & formidabilibus ſententiis ſtrictius præcipiendo inhibet, quod eundem amodo pro Domino non agnoſceremus, nec haberemus, ut ſe amplius non ſubiugaremus. Sereniſſime Rex, & Domine, Nos volentes præcepta Clementiſſimi Domini noſtri obſervare, & obedientiæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſatisfacere, Colla, & bona noſtra poſtpoſuimus, propter Sanctam ac Catholicam Chriſtianam Fidem habentes deſiderationem, ac affectum ſicut Progenitores, ac Prædeceſſores noſtri habuerunt, fecerunt, & propter hoc Colla ipſorum expoſuerunt. Quapropter Illuſtriſſime Rex ac Domine, Domine noſter gratioſiſſime D. N. humili cum rogatu attentius flagitantes rogamus, quatenus D. N. in Nos gratioſe tueri, protegere, ac defenſare velit non delinquentes, tanquam Rex & Dominus noſter gratioſiſſimus, propter Sanctam Catholicam Chriſtianam Fidem, & D. N. in ſummum honorem etiam propter, quod Sereniſſima Regina Veſtra Coniux & Domina noſtra gratioſiſſima, vera, iuſta & legitima hæres extat, & D. N. Duces & Filii veri, & iuſti hæredes Domini noſtri gratioſiſſimi incliti Regni Bohemiæ extant, quia iam ille abiudicatus Rex obſedit, & circumvallavit Nobis aliqua Caſtra, volens veros, & bonos opprimere, & deſtruere. Inſuper rogamus D. N. pro ſubſidio & auxilio gratioſo, ne ab illis perfidis & incredulis hominibus ſupplantaremur, ne poſterneremur, & a noſtris gratioſiſſimis Hæredibus & Dominis perpetue ſepararemur, quia in firmo propoſito ſtamus, & modo alio non faciemus, niſi in obedientia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & mandato ac præcepto Sanctiſſimi Domini noſtri teneri, Nos intendimus, ac volumus, non compatientes collis & bonis noſtris, propter Chriſtianam Fidem tanquam obedientes Filii Sanctæ Matris ac Romanæ Eccleſiæ. Super quibus a D. N. in tanquam a Rege & Domino noſtro gratioſiſſimo petimus gratioſe provideri. Ex nova Domo Sabatho poſt Sanctorum Philippi & Jacobi Apoſtolorum, Anno Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo. ANNO 1467.

ZDENKO *de Sternberg*, Supremus Burgrabius Pragenſis liber Dominus in *Weytra* &c. JOANNES *de Harzmburg & Koſty*, ſupremus Judex Curiæ Regalis per Bohemiam, ULRICUS *de Harzmburg & Koſty*, BOGUSLAUS *de Swarmberg*, VILHELMUS *de Ilburg*, HENRICUS Senior *de Plawen*, HANUSSIUS *de Colowrath*, & in *Zbierth*, DIPPOLDUS *de Ryzemberg*, JAROSLAUS *de Sternberg*, JOANNES *de Sternberg*, HENRICUS *de Nova Domo*, STEPHANUS *de Leugtnburg*, & *Wietowia*, BURSANUS *de Gutſtein*, & in *Hetczyn*, VILHELMUS Senior *de Ryzenberg*, HENRICUS Junior *de Plawen*, LEONARDUS *de Gutſtein*, & in *Clenow*, DOBROHOST *de Romsberg*, cæterique Epiſcopi Prælati Domini & Amici noſtri Vratislavienſes & Olomucenſes. Quorum Sigilla noſtra ſunt appreſſa, qui nobiſcum in Liga, Fœdereque exiſtunt.

## XVIII.

*Literæ Eorundem ad Proceres Regni Poloniæ in eodem negotio,* ſub eodem dato. *Ex Originali Sigill. 15.*

Magnifici Domini Amici noſtri Præſtantiſſimi: Servitiis præmiſſis ubilibet paratis. Non lateat Vos ſcire quod ſuper

Anno 1467. Anno ſuper illo Rege Bohemiæ jam excommunicato, & abiudicato, totaque dignitate ipſius privato, a Sanctiſſimo Domino noſtro Paulo Papa II. Sententia emanaverit, ac proceſſus exiverit propter iuramentum, & præſcriptionem, quod in Sacro Evangelio præſtitit, & fecit, ut per hoc Regnum introiret. Quemadmodum Sereniſſimo Regi Domino noſtro gratioſiſſimo copiam ipſius juramenti, & proceſſus transmiſimus, quomodo Beatiſſima Sanctitas ſua nobis ſub excommunicationis pæna, & formidabilibus ſententiis ſtrictius præcipiendo inhibet, quod eundem amodo pro Domino non agnoſceremus, nec pro Rege haberemus, ac ſe amplius non ſubiugaremus. Magnifici Domini Nos volentes præcepta Clementiſſimi Domini noſtri ſervare, & obedientiæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſatisfacere, colla & bona noſtra poſtpoſuimus, propter Sanctam ac Catholicam Chriſtianam Fidem, habentes deſiderationem & appetitum ſicut Progenitores, ac Prædeceſſores noſtri habuerunt, fecerunt, & propter hoc colla ipſorum expoſuerunt. Quapropter Magnifici Domini Amici præſtantiſſimi Domini Vos attentius erogamus, flagitantes quatenus ad Sereniſſimum Regem & Dominum, Dominum noſtrum gratioſiſſimum pro nobis intercedere velitis, ut ipſius Regia Maieſtas Nos gratioſe tueri, protegere, ac defendere dignaretur, non derelinquentes Nos tanquam Rex & Dominus noſter gratioſiſſimus, propter Catholicam Chriſtianam Fidem, etiam propter quod Sereniſſima Regina Sereniſſimi Domini noſtri Regis Coniux, Domina noſtra gratioſiſſima, vera, iuſta & legitima hæres extat, et ipſius Regiæ Maieſtatis Duces et Filii veri, et iuſti hæredes Domini noſtri gratioſiſſimi incliti Regni Bohemiæ extant. Quia ille abiudicatus Rex jam obſedit, et circumvallavit nobis aliqua Caſtra volens veros et bonos Chriſtianos opprimere, et deſtruere; Inſuper rogamus M. V. quatenus Sereniſſimum Regem et Dominum noſtrum gratioſiſſimum noſtra ex parte petere velitis, ut ipſius Regia Maieſtas nobis ſubſidium, et auxilium gratioſum facere dignaretur, ne ab illis perfidis et incredulis hominibus ſupplantaremur, ac proſterneremur, et a noſtris gratioſiſſimis hæredibus, et Dominis perpetue ſepararemur, quia in firmo propoſito ſtamus, et modo alio non faciemus, niſi in obedientia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, et Mandato, ac præcepto Sanctiſſimi Domini noſtri tenere Nos intendimus, ac volumus, non compatientes collis, et bonis noſtris propter Chriſtianam Fidem tanquam obedientes Filii Sanctæ Matris, ac Romanæ Eccleſiæ, hæc rogamus, in nunc, et imposterum in cunctis beneplacitis ſtudebimus complacere. In Nova Domo: Sabbatho poſt Sanctorum Philippi et Jacobi Apoſtolorum, Anno Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo. Anno 1467.

Zdenko *de Sternberg*, Supremus Burgrabius Pragenſis liber Dominus in *Weytrà* &c. Joannes *de Harzmburg & Koſty*, ſupremus Judex Curiæ Regalis per Bohemiam, Ulricus *de Harzmburg & Koſty*, Boguslaus *de Swarmberg*, Vilhelmus *de Ilburg*, Henricus Senior *de Plawen*, Hanussius *de Colowrath*, & in *Zbierth*, Dippoldus *de Ryzemberg*, Jaroslaus *de Sternberg*, Joannes *de Sternberg*, Henricus *de Nova Domo*, Stephanus *de Leugtnburg*, & *Wietowia*, Bursanus *de Gutſtein*, & in *Hetczyn*, Vilhelmus Senior *de Ryzenberg*, Henricus Junior *de Plawen*, Leonardus *de Gutſtein*, & in *Clenow*, Dobrohost *de Romsberg*, cæterique Epiſcopi Prælati Domini & Amici noſtri Vratislavienſes & Olomucenſes. Quorum Sigilla noſtra ſunt appreſſa, qui nobiſcum in Liga, Fœdereque exiſtunt.

## XIX.

Pavli II. *Papæ, ad* Casimirvm *Regem Literæ: Vitio ei vertit quod per Oratores ſuos cum* Georgio *excommunicato Rege Bohemiæ Tractatus habuerit.* Datum Romæ, 31 Decembris, Anno 1470. *Ex Arch. Theſauri Regni.* 1470.

Paulus II. Cariſſimo in Chriſto Filio noſtro Casimiro, Poloniæ Regi Illuſtri, ſalutem &c. His proximis diebus pervenit ad auditum noſtrum, quod non ſine magno cordis dolore accepimus, quosdam, qui ſe tuæ Serenitatis Oratores dixerunt, nuper apud damnatum hæreticum Georgium de *Podiebrat*, cum adverſus Chriſti Fideles, & præſertim Cariſſimum in Chriſto Filium noſtrum Mathiam Hungariæ Regem Illuſtrem, in Caſtra exiſſet, prope Oppidum *Radicz* Moraviæ, fuiſſe contra Decreta Sanctorum Patrum, & emanatas a nobis etiam ſub graviſſimis Cenſuris Literas: cum eodem hæretico, & complicibus ſuis publica Commercia, & quod damnabilius eſt, etiam Tractatus, & Conventiones habuiſſe,

habuiſſe, ex quibus cum dicti transgreſſores, ſicuti fide digna relatione percipimus, eisdem hæreticis inter alia promiſerint, quod Nos medio tuo, & nonnullorum aliorum Principum, quos tunc nominabant, compactata eorum per Apoſtolicam Sedem damnata, etiam faciliter confirmaremus, & Cenſuras latas penitus tolleremus, perfidorum hæreticorum illorum animi non parum confortati, & Catholicorum deiecti ſunt, maximumque negotiis Catholicæ Fidei detrimentum illatum; ut taceamus, quod honorem Apoſtolicæ Sedis, noſtrum, ac etiam tuæ Serenitatis vehementer offenderunt. Nos autem Cariſſime Fili, etſi firmiter credamus homines illos, aut tuos non fuiſſe, vel a tua Serenitate nihil talium in commiſſis habuiſſe, quem non dubitamus, veluti decet Catholicum Regem, & Principem, hæreticorum Commercia abhorrere, & potius, ut Nos ad extirpandos obſtinatos illos pro ſua virili aliquando juvet, quam ut eos in ſua perfidia confirmare cogitet, voluimus tamen hæc tuæ Serenitati ſignificare, ut & tu, ſi ad te pertinent, huiusmodi tantorum malorum fabricatores tanquam excommunicatos, & anathemate innodatos, ac Reipublicæ Chriſtianæ hoſtes debita caſtigatione coerceas, & ita cohibeas, quod ipſos de ſua temeritate pæniteat, & ne talia præſumant, ſint cæteris ad exemplum. Hortamur etiam Serenitatem tuam, quatenus pro divina reverentia, & Fidei Catholicæ profeſſione, ac honore tuo contra ipſos hæreticos inſurgere velit, & Fidelibus Catholicis, taliter aſſiſtere, quod Serenitas tua ab Omnipotente Deo præmia meritorum, & ab hac Sancta Sede uberiores commendationes, atque a tota Republica Chriſtiana laudem, & honorem deportet, idque ut citius faciat, ipſa Serenitas tua, obnixe requirimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno MCCCCLXX. pridie Cal. Januarii. Pontificatus noſtri Anno VII.

Anno 1470.

## XX.

1471. *Oratores Statuum, & Ordinum Regni Bohemiæ ex Comitiis Cuthanenſibus miſſi,* Vladislavm Casimiri *Regis Poloniæ Primogenitum, poſt mortem* Georgii, *in Regem Bohemiæ Electum, ad præfatum Regnum poſtulant.* Datum Cracoviæ, 29 Junii, Anno 1471. *Ex Originali, Sigill. ii.*

In Nomine Domini Amen.

Azimbor *de Azimborka*, et *de* Thomaczowa Haitman Marchionatus Moraviæ, Joannes Kolbaczowski in *Boleslavia*, Haitman Diſtrictus Boleslavienſis, Nicolavs *de Lamſtina* Supremus Notarius Terreſtris Regni Bohemiæ, Andreas *de Omirzic*, Paulus Præpoſitus Pragenſis, Tay *de Radicze* ex antiqua Civitate Pragenſi, Clemens *de Koſtelcze*, Nicolaus *de Zieiwcze* Novae Civitatis Pragenſis, Bernardus Bierka *de Naſilce*, Haitman Ducatus Opaviæ, Benesius *de Oſtromirze* Nuntii Illuſtriſſimorum, Magnificorum, Nobilium, Famoſorum, circumſpectorum, Principum, Dominorum, Militarium, Terrigenarum, Civitatum, totius Regni Bohemiæ vigore plenæ poteſtatis ab univerſis Statibus, et Ordinibus Nobis datæ, ad Sereniſſimum Principem Vladislaum, Sereniſſimi Casimiri Dei gratia Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Domini, et Haeredis Primogenitum in Regem a Nobis Electum, invitandi eiusdem, poſtulandique ad Regnum cauſa miſſi: Notum facimus Praeſentibus, omnibus, et ſingulis, quorum intereſt. Quomodo praefati Principes Domini, Nobiles, Militares, Terrigenae, et Civitates Univerſi Regni Bohemiae praedicti volentes eidem Regno Fideliter, et circumſpecte conſulere, atque rebus illius in melius providere, poſt mortem Sereniſſimi Principis Domini Georgii Regis Bohemiae, habitis in montibus *Kutnach* (ut moris eſt) Comitiis ad eligendum novum Regem, cum varii in illo Conſiliorum loco Reges, et Principes propoſiti, et nominati eſſent, nullus utique Sereniſſimo Principe Domino Vladislao, Sereniſſimi Domini Casimiri Regis Poloniae Primogenito viſus eſt dignior, aptior, Regnoque iſti utilior, idque propter multas cauſas, et rationes. Quare Diviniſſimi Spiritus Inſpiratione omnes ora, mentes, animos, et corda in praefatum Sereniſſimum Principem Dominum Vladislaum direximus, atque Principes, Domini, Nobiles, Militares, Civitates, omnisque Ordo, Status, et Magiſtratus una omnium voluntate eundem Sereniſſimum Dominum Principem Vladislaum in Regem ſibi elegerunt, et aſſumpſerunt, atque ad ſuſcipiendum Diadema Regni noſtri Bohemiae avide expoſtulant, Electumque perhumaniter expectant. Ideo Nos unanimiter, atque omnium praedictorum Principum, Dominorum, Nobilium, Militarium, Terrigenarum, Civitatum totius Regni Bohemiae una voluntate, ac de expreſſo Mandato ad dictum Sereniſſimum Dominum Vladislaum Electum ad Regnum Bohemiae Nuntii miſſi, Eundem praeſentem

Anno 1471.

ANNO 1471. tem in Civitate Cracoviae, ad idem Regnum Bohemiae invitavimus, rogavimusque, ut ad illud quantocyus venire, et Regimen illius, ac Coronam ſuſcipere dignaretur. Promittunt vero praefati Proceres, et Ordines totius Regni Bohemiae per Nos hic Cracoviae praeſentes Legatos praefato Sereniſſimo VLADISLAO Electo Regi ſuo Fidem, ſubiectionem, debitumque tanto Principi Homagium. Pacta vero ſub his duntaxat Articulis comprehendi volunt, quos ut Electus Sereniſſimus Princeps VLADISLAUS, Sereniſſimi CASIMIRI Regis Poloniae, et Sereniſſimae Reginae ELISABETH Primogenitus, Parentum ſuorum, nec non Praelatorum, atque Procerum Regni Poloniae Conſilio adhibito, et approbatione, ſubſcribat, poſtulamus. Nimirum: Nemini ſit conceſſum in Regno noſtro aliam, praeter Chriſtianam ab Omnipotente Deo acceptam profiteri Religionem. Lingua etiam Sclavonica in toto Regno noſtro duntaxat ſit in uſu, neque in Inſtrumentis publicis, alia aliqua extranea lingua uti liceat. Reliquos etiam Articulos a parte adnotatos, ut Sereniſſimus Dominus VLADISLAUS Electus Rex Bohemiae propria manu ſubſcribat, et Sigillo maiori appenſo roborari faciat, maiorem in modum oramus. Nos vero Nomine omnium Ordinum, et Statuum Univerſi Regni Bohemiae promittimus praefato Sereniſſimo Domino VLADISLAO Electo in Regem Bohemiae omnem obedientiam, ac omnimodam ſubiectionem, et quod ad omnia eiusdem Mandata, praeſto ſemper erimus. Inſuper Nos ſupradicti Nuntii una cum Statu Equeſtri, et omnibus Ordinibus Regni promittimus, quod in Actu ſolennis Inaugurationis Regiae, eum ſervabimus Ordinem, et modum, quo glorioſae memoriae Reges noſtri ab olim inaugurari ſolent. Quamobrem Literis praeſentibus Fidem, ac obedientiam Sereniſſimo Electo Regi noſtro, Domino Clementiſſimo praeſtamus, atque juramus, quod quam primum praefatus Sereniſſimus Princeps VLADISLAUS, Electus et Nominatus Rex noſter, ſatisfaciendo deſideriis noſtris Pragam, ad Metropolim Regni noſtri venerit, nobisque Articulos noſtros confirmaverit, mox ei Regium Diadema, die S. Laurentii Martyris imponemus. Impedimenta vero omnia, ſi quae occurrent, procul amovebimus, in authores eiusmodi protervos graviſſime animadvertemus, Actumque Coronationis cum omnibus ſolennitatibus, antiquitus obſervari ſolitis, celebrabimus. Quodſi vero poſt inunctionem Sereniſſimus VLADISLAUS Rex noſter (quod Deus Optimus avertat) fatis cederet, eundem Deo Teſte obſtringimus, ut Nobis Literae hae una cum appenſis Sigillis extradantur, nec ullum amplius valorem, ac robur habeant. Actum, et Datum Cracoviae, Anno Domini 1471. Die Sabbathi in Feſto SS. Petri et Pauli Apoſtolorum. ANNO 1471.

*Inducíæ inter* MATHIAM *Hungariæ*, VLADISLAVM *Bohemiæ*, *&* CASIMIRVM *Poloniæ Reges.* Datum in Antiqua Villa, Feria ſecunda proxima ante Feſtum Cathedræ Beati Petri, Anno 1474. *Ex Originali, Sigill. 6.* Vide tit. HUNGARIA ad annum 1474.

## XXI.

*Tractatus Fœderis inter* VLADISLAVM *Bohemiæ, Filium, &* CASIMIRVM *Poloniæ, Patrem, Reges & Regna ipſorum concluſi, contra* MATHIAM *Regem Hungariæ.* Datum Pragæ, 23 Aprilis Anno 1489. *Ex Originali. Cum Sigill. Vlad. Regis & aliis Sigill. 34.* 1489.

NOS VLADISLAUS Dei gratia Bohemiæ Rex, Marchio Moraviæ, Lucemburgenſis, & Sileſiæ Dux, Luſatiæ Marchio &c. Notum facimus tenore præſentium, quibus expedit Univerſis. Animadvertentes utilitatem, & gloriam Regni noſtri, cui in præſentia Domino ita diſponente præſidemus, in eo maxime conſiſtere, ſi omni ſtudio & diligentia operam dederimus, ut Subditos noſtros non ſolum hoc tempore in Pace, otio, & tranquilitate conſervemus, ſed etiam a futuris & imminentibus caſibus, & periculis, quantum ſaltem humana providentia fieri poteſt, muniamus, quo & calamitate, & metu calamitatis liberi, commodis ſuis eo melius incumbere, & inſiſtere poſſent. Id autem Nos potiſſimum ea ratione efficere poſſe confidimus, ſi Principes & Populos Regno finitimos Fœdere nobis, & amicitia iunxerimus, quorum ope & auxilio his, qui ſe nobis non culpa noſtra, ſed propria temeritate, & præſumptione inimicos conſtituent, acrius, vehementiusque reſiſtere valeamus. Quoniam autem Sereniſſimus Princeps & Parens noſter Cariſſimus Dominus CASIMIRUS Poloniæ Rex &c. eo Nos affectu fovet, & amplectitur, ac his proſequitur beneficiis, ut facile appareat eum, & indulgentiſſi-

ANNO 1489. mum Patris, & Amiciſſimi Principis erga Nos animum habere, dignum putamus, neque tantum Regnis noſtris, ſed etiam Univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ utile & neceſſarium, cuius ſalus in Concordia Regum & Principum maxime verſatur, arctiſſimum illud naturæ, quod inter Nos eſt vinculum, ſolidius, & firmius reddere, & Principes, Proceresque noſtros, tam Eccleſiaſticos, quam ſæculares, & Populos utriusque noſtrum dictorum, & imperio ſubiectos ita colligare, & coadunare, ut mutuo fulti præſidio, omnem hoſtilem vim, ſiqua ſaltem emerſerit, cavere & propulſare poſſent. Quam ob rem matura deliberatione & conſilio habito & utilitate Regni noſtri cum Proceribus conſilii noſtri participibus ſedulo diſcuſſa, cum memorato Sereniſſimo Domino Rege Poloniæ ſub hac forma, & Conditionibus Fœdus, Unionem, et Concordiam inivimus, imo inimus, facimus, et firmamus promittentes, quod ſi Sereniſſimus Princeps Dominus MATHIAS Rex Hungariæ Concordias, Tractatus, Pacta, et Fœdera inter utrumque noſtrum et Regna noſtra cum præfato Domino Rege et Reno Hungariæ habita, et facta, quibus nolumus hac nova noſtra Concordia in aliquo derogari, prior violaret, et contra Nos vel præfatum Dominum Regem Poloniæ, aut Regna noſtra hoſtiliter inſurgeret, Nosque vel alterum ex Nobis, aut Regnum alterius noſtrum per ſe, vel quempiam alium, aut quascunque ſubmiſſas Perſonas aggredi conaretur, vel de facto invaderet quocunque tandem colore quaeſito, extunc Nos cum primum a præfato Domino Rege Poloniæ admoniti, et requiſiti fuerimus, pro omnibus noſtris et Regni noſtri viribus, atque potentia contra præfatum Hungariæ Regem Exercitum congregare, et Copias noſtras in eum ducere, ipſique Domino Regi et Regno Poloniae in auxilium venire, et deſiderio ſuo, atque voluntate cognita conſtanter, et perſeveranter ei adhærere, atque ipſi præfato Regi Hungariæ communi conſilio, et iunctis viribus reſiſtere, et adverſari. Et ipſum Dominum Regem Poloniæ nullo modo deſeremus, et auxilia, Exercitumque noſtrum Deo favente ex Caſtris, et Campo minime revocabimus, neque ab eo recedere patiemur, donec huiusmodi bellum cum præfato Rege Hungariæ inceptum honeſtis mediis finitum, et ad Pacem, Concordiamque plene redactum fuerit. Inducias etiam et qualiacunque Pacta, et Tractatus ſine ſcientia et voluntate ipſius Domini Regis Poloniæ, cum præfato Domino Rege Hungariæ non intrabimus, paciſcemur, neque habebimus, ita tamen, quod etiam ipſe Dominus Rex Poloniæ ſine ſcientia, et conſenſu noſtro contra ipſum Regem Hungariæ conſurgere, ipſumque vel Dominia ſua invadere, aut oppugnare nequaquam debebit, quemadmodum et Nos ſine ſcientia et voluntate prædicti Domini Regis Poloniæ ſimiliter non faciemus, neque attentabimus quoquo modo. Caſu vero, quo alter noſtrum ſine ſcientia et voluntate, ut præfertur, alterius noſtrum, contra Eundem Dominum Regem Hungariæ inſurgeret, ſibique bellum moverit, et intentaverit, ex tunc alter alterum, qui taliter fecerit, non tenebitur defendere, et adiuvare, Fœdere et Concordia præſenti nihilominus in ſuo robore permanente, promittentes in verbo noſtro Regio hæc omnia præfato Domino Regi CASIMIRO, qui ſe Nobis ad ſimilia obligavit ſine omni dolo et fraude inviolabiliter obſervare, tam diu, donec alterum ex Nobis decedere contigerit harum noſtrarum, quibus Sigillum noſtrum Regium eſt appenſum, vigore et teſtimonio Literarum. Datum in Arce noſtra Pragæ die Viceſima tertia, Menſis Aprilis, Anno ſalutis Milleſimo quadringenteſimo octogeſimo nono, Regni noſtri Anno decimo octavo. Et Nos WOK *de Roſenberg*, JOANNES *de Janowicz* et *Petrsburg* ſupremus Burgrabius Pragenſis, HENRICUS *de Nova Domo* Regni Bohemiæ Camerarius ſupremus, PROSTHA *de Rezenberg* in *Twihom* eiusdem Regni ſupremus Judex, JOANNES ZAGIECZ *de Haſenburg*, et *Koſt*, Regni prætacti ſupremus Dapifer, JAROSLAUS *de Oſtenberg*, JOANNES *de Oſſelnberg* Regni prænominati Cancellarius, JOANNES *de Oſvanberg* in *Otrakomcz*, Magiſter Prioratus per Regnum prædictum, GEORGIUS BERTA *de Duba* et *Lippei*, BENESIUS *de Colowrath* in *Libsſtein*, SIGISMUNDUS *de Wartemberg* in *Dieczm* Præfati Regni Pincerna ſupremus, *Buſcode*, *Ziemberg*, *Zdenko*, *Coſtka*, *de Poſtupicz*, BENESIUS *de Weytimlle* Burgrabius in *Carlſtein*, et Magiſter monetæ in montibus Scuthinis, JOANNES *de Raupow*, Notarius ſupremus Terræ Zabularum Regni prænominati et Magiſter Curiæ Regalis, NICOLAUS Junior *de Horzicz* Hradecenſis Diœceſis Burgrabius, ALBERTUS *de Leskowecz* Prædicti Regni Bohemiæ Succamerarius, PETRUS CAPLERZ *de Suleiowicz* in *Wintrberg*, NICOLAUS ZREZKA Jun. *de Lippa* in *Lipnicz*, JAROSSIUS *de Sowoiewicz* in *Novo Otranow*, ALBERTUS OGIERZ *de Ogiedelicz* in *Lobkowicz*, BOGUSLAUS MALOWEZ *de Paczow*, CITIBORIUS *de Wolſtein*, BORZKODE *de Duhulicz*,

ANNO 1489.

ANNO 1489. *de Duhulicz*, JOANNES OSPETLE *de Prudiz* in *Zlebeth* Magiſtratuum, et Conſules Civitatis Antiquae Pragenſis Magiſtratuum, et Conſulatus Montium Cuthnarum Magiſtratuum, et Conſules Civitatis *Zatz* Magiſtratuum, et Conſules Civitatis *Tradecz*, ſuper Albeam Magiſtratuum, et Conſules Civitatis *Budweis* Bohemicalis Magiſtratus, et Conſules Civitatis *Tabor* Magiſtratus, et Conſules Civitatis *Elathomiæ*, Barones, Proceres, et Provinciales Regni Bohemiæ, pleno et ſufficienti Mandato cæterorum Dominorum Baronum, et Provincialium Regni præfati ſuffulti, conſiderantes Ligam, Confœderationem, et Concordiam prænominatam commodo, et defenſioni præfati Regni plurimum conducere, et utilem eſſe pro præfato Sereniſſimo Principe et Domino, Domino VLADISLAO Rege Bohemiæ, Domino noſtro, et pro Nobis ipſis, et cæteris Baronibus, et Provincialibus dicti Regni data fide promittimus, quod hæc omnia et ſingula ſuper annotata, ipſe Sereniſſimus Dominus et Rex noſter, Nos quoque ac totum Regnum Bohemiæ inviolabiliter, et inconcuſſe, ſine omni dolo et fraude obſervabunt, et obſervabimus, facient, et faciemus per omnes, quorum intereſt, obſervari. In quorum omnium et ſingulorum fidem, et teſtimonium, Sigilla noſtra penes Sigillum Sereniſſimi Domini Regis VLADISLAI appendi fecimus. Datum Anno, die ut ſupra.

*Diploma* VLADISLAI *Hungariæ & Bohemiæ Regis, quo* SIGISMVNDO *Duci Fratri ſuo Ducatum Opaviæ donat.* Datum Budæ, 8 Decemb. Anno 1501. *Ex Archivo Regni, Liber ſub Lit. RR. fol.* 7. Vide tit. SILESIA ad annum 1501.

XXII.

1504. *Marchionatus Luſatiæ Inferioris a* VLADISLAO *Hungariæ, & Bohemiæ Rege, confertur Duci* SIGISMVNDO *Fratri.* Datum Budæ Feria Sexta, Die S. Bonifacii, Anno 1504. *Ex Originali.*

NOS VLADISLAUS Dei gratia Hungariæ, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae &c. Rex, Marchio Moraviae, Dux Lucemburgenſis, et Sleſiae, Marchio Luſatiae etc. Notum facimus Univerſis, quod cum Illuſtris, ac Magnificus Princeps Dominus SIGISMUNDUS, Sereniſſimi Principis Domini CASIMIRI Regis Poloniae Filius, Dux Sileſiae, Opaviae, Maioris Glogoviae, Freuſtadii, Gorae etc. Frater noſter Chariſſimus Marchionatus noſtri Luſatiae Inferioris, noſtris faciendo ſatis petitis, deſideriisque curam, gubernium-que ſuſceperit, Eundem una cum Incolis in eo contentis, qua ſupremus Terrarum eiusmodi Dux a Nobis manutenere, et gubernare Incolas ſupradicti Marchionatus ab omni iniuria, atque hoſtili aggreſſu defendere voluerit, ideo Nos ex peculiari Fraterno amore, Fratri noſtro Chariſſimo, mature praecogitatis, et perpenſis omnibus poteſtatem penitus omnem, quae vel Nobis ipſis in eundem Marchionatum Inferioris Luſatiae jure contigit, contulimus, dedimusque. Damus praeterea Eidem, et concedimus Regia noſtra authoritate, cum certa noſtra ſcientia facultatem omnimodam vigore Praeſentium, ut Frater noſter Chariſſimus toties, quoties opus fuerit, et quamdiu eundem Marchionatum Inferioris Luſatiae a Nobis ſibi collatum in ſua tenuerit poſſeſſione, ibidem conſueta telonea recipiat, cenſus conſtituat, omniaque in praefato Marchionatu agendi et diſponendi ſummam habeat poteſtatem, eadem prorſus ratione, qua Nos ipſi dictum Marchionatum tenuimus, poſſedimusque; Inſuper volumus, ut Frater noſter Chariſſimus omnibus noſtris Feudatariis in praenominato Marchionatu noſtro inferioris Luſatiae jus feudatarium in bona eorum, prout res exigere videbitur, non ſecus ac ſupremus et abſolutus Terrarum illarum Dominus concedere, Literasque hac ſuper re Regio noſtro Sigillo conſignatas conferre poſſit. Datum Budae, Feria ſexta, Die S. Bonifacii, Anno Chriſti Milleſimo quingenteſimo quarto.

ANNO 1504.

*Tractatus Fœderis perpetui inter* VLADISLAVM *Hungariæ, & Bohemiæ, ac* SIGISMVNDVM *Poloniæ Reges, Fratres, nec non hæredes, & Regna eorum, per Oratores Regis Poloniæ concluſi.* Datum Budæ, Feria ſexta proxima ante Feſtum Sanct. Trinitatis, Anno 1507. *Ex Originali.* Vide tit. HUNGARIA ad annum 1507.

VLADISLAI *Hungariæ, & Bohemiæ Regis, Fœderis eiusdem Approbatio.* Sub eodem dato. *Ex Originali.* ibid. ad an. 1507.

*Innovatio & Confirmatio eiusdem Fœderis, a* SIGISMVNDO *Rege Poloniæ in Consilio generali Piotrcovienſi facta.* Anno 1509. d. 1. April. *Ex Originali.* ibid. ad annum 1509.

## XXIII.

ANNO 1517. SIGISMVNDVS I. *Rex Poloniæ Tutor, & Protector* LVDOVICI *Regis, & Regni Bohemiæ, promittit ſe Jura, & Conſuetudines eiusdem Regni conſervaturum.* Datum in Arce Braclavienſi Feria ſexta, Die S. Galli, Anno 1517. *Ex Arch. Regni Lib. 19. n. 20. fol. 566.* Item *Lib. 21. n. 22. fol. 15.*

NOS SIGISMUNDUS Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiaeque Dominus, et Haeres. Recognoſcimus, et Notum facimus tenore praeſentium univerſis, quia cum duo ſtatus Baronum, et Militarium Regni Bohemiae ſponte, et libera eorum voluntate ſine praeiudicio Jurium, et Libertatum ſuarum, Nos in Tutorem, et Protectorem illius Regni una cum Sereniſſimo, et Excellentiſſimo Principe, et Domino, Domino MAXIMILIANO Divina favente Clementia Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, ac Hungariae, Dalmatiae, Croatiae Rege, Archi-Duce Auſtriae, Duce Burgundiae, Brabantiae, et Comite Palatino, Fratre, et Conſanguineo noſtro Cariſſimo usque ad legitimos annos Sereniſſimi Principis, et Domini LUDOVICI Hungariae, et Bohemiae, etc. Regis, et Marchionis Moraviae, Nepotis noſtri Cariſſimi per ſuos Inſignes Oratores ſuſceperint ea lege, ut ipſos, et Regni Bohemiae Terras, ac Dominia ad id pertinentia in eorum Privilegiis, Juribus, Ordinationibus, Inſtitutionibus, et laudabilibus Conſuetudinibus, ac etiam fide ſeu Religione, prout in litteris a priscis Romanorum Imperatoribus, et Regibus, ac etiam a Sereniſſimis Bohemiae Regibus deſuper conceſſis, ſimiliter a bonae memoriae VLADISLAO Hungariae, et Bohemiae Rege, Germano noſtro Chariſſimo, confirmatis, et novis Litteris per Status etiam Regni Bohemiae factis, et in Tabulam, ſeu Regiſtrum Regni inſcriptis patet, et continetur, conſervare dignaremur, ita ut Rex Bohemiae illorum Dominus facere teneretur. Nos conſiderantes eorundem Statuum Regni Bohemiae ſingularem fidem, bonum animum, et confidentiam erga Nos, et eorum honeſtam poſtulationem, promiſimus ipſis ſub Fide, et Dignitate noſtra Regia, et tenore praeſentium promittimus, et pollicemur: Quod una cum praefato Sereniſſimo Fratre noſtro Romanorum Imperatore, quandoquidem ab ipſis ſtatibus ſimili modo ſuſceptus eſt, Nos tanquam Tutor, et Protector, Status ſupra nominatos Regni Bohemiae, ac Terras, et Dominia ad id pertinentia, in praedictis eorum Privilegiis, Juribus, Ordinationibus, Inſtitutionibus, et antiquis eorum bonis, et laudabilibus Conſuetudinibus, et etiam in Fide, ſeu Religione, et ad quae praedicti Status in Regno Bohemiae jus habent gratioſe permittere, et inviolabiliter obſervare, et in eo ipſos manu tenere; Et ſi qui eſſent, qui in contrarium eos, vel Regnum Bohemiae aggravare attentaverint, contra eos ipſos tuebimur, et protegemus, ſicuti facere tenetur Rex Bohemiae ſine dolo, et fraude. ANNO 1517.

Harum teſtimonio Litterarum, quibus Sigillum noſtrum eſt appenſum. Datum in Arce noſtra Braclaviae Feria ſexta die S. Galli, Anno 1517. Regni vero noſtri anno 11.

## XXIV.

SIGISMVNDI I. *Poloniæ Regis Literæ plenæ poteſtatis Oratoribus ſuis datæ ad eligendum Regem Romanorum. Ex Archivo Regni, Lib. Legationum Lit. E. fol. 90.* 1518.

SIGISMUNDUS Dei gratia Rex Poloniæ etc. Manifeſtum facimus per Praeſentes Univerſis, quia cum poteſtas, et dignitas Sacri Romani Imperii primum apud fideles, et alias Nationes conſtituta, deinde Divina Providentia diſponente ad Ordinem, et Electionem Germanicae Nationis devenit: cumque Respublica Chriſtiana in dies magis tam a fidelibus, quam etiam infidelibus infeſtetur, et labeſcat, Sereniſſimo ac Excellentiſſimo Principe et Domino, Domino MAXIMILIANO Divina favente Clementia Electo Imperatore Romanorum, et Archi-Duce Auſtriae, Fratre et Conſanguineo noſtro Chariſſimo, in bona et felici ſua aetate jam ingraveſcente, ut perdifficile ſit ſoli eius Maieſtati tantis rerum momentis, et actionibus praeeſſe, atque inde neceſſitas poſtulet, nunc in eius Maieſtatis vita Perſonam idoneam eligere, quae tantum ipſius Sacri Romani Imperii onus ferre adiuvaret, ob eamque rem illius Sacra Maieſtas Caeſarea, omnesque Imperii Principes, in Auguſta una convenerunt, 1518.

ANNO 1518. nerunt, ut in providenda et conſtituenda tam ardua et neceſſaria re conſulatur, et felici auſpicio concludatur: Nos ut Patruus Tutor Sereniſſimi Principis Domini LUDOVICI Hungariae et Bohemiae Regis, Fratris, et nepotis noſtri Chariſſimi, cuius nomine, et loco tanquam Sacri Romani Imperii Princeps Elector, dedimus, et tenore praeſentium damus omnimodam, et plenam facultatem noſtram Reverendo in Chriſto Patri Domino ERASMO Epiſcopo Plocenſi, RAPHAELI *de Leſcho* Caſtellano Landenſi, et BOGGUSSIO Marſchalco Magni Ducatus Litvaniae, Conſiliariis noſtris ſincere Nobis dilectis, ut ipſi loco Noſtri, pariterque cum Sereniſſimo Domino MAXIMILIANO Imperatore, qui eſt una Nobiscum dicti Sereniſſimi Domini Regis LUDOVICI Tutor, illius Serenitatis nomine ſimul cum aliis Sacri Romani Imperii Principibus, Electoribus, juxta conſuetudinem, et ordinationem ipſius Sacri Romani Imperii, Regem Romanorum eligere, et ſuſcipere, ac ſuper Decretum, Titulum, et Sigillum noſtrum erigere, et apponere debeant et poſſint. Promittentes verbo noſtro Regio, quod quid in his egerint, tractaverint, et concluſerint, id Nos non ſecus ratum, et firmum habituros, ac ſi per Nos ipſos, actum, tractatum, et concluſum fuerit: Et ſi quid amplioris facultatis, quam praeſentibus continetur, adhuc egeret, hanc illis omnem hisce Literis noſtris concedimus, in quorum teſtimonium etc.

## XXV.

*Eiusdem Mandatum ad Conventum Regni Bohemiæ.* Anno 1518. *Ex Archivo Regni.*

SIGISMUNDUS Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, etc. Manifeſtum facimus Univerſis. Quia intelligentes officii, et debiti noſtri eſſe, ut pro neceſſitudine, et vinculo Sanguinis, quod Nobis eſt cum Sereniſſimo Principe Domino LUDOVICO Hungariae, et Bohemiae Rege, Nepote noſtro Chariſſimo, illius Maieſtati, ac Regnis eius conſilio, et auxilio noſtro opportuno ſemper adſimus, conſtituimus, et deputavimus ad Conventum Generalem in Regno Bohemiae pro Dominica Tertia poſt Feſtum S. Georgii, Conſiliarium, et Oratorem noſtrum Magnificum ANDREAM *de Thanczyn* Palatinum Lublinenſem ſincere Nobis dilectum, cui plenam authoritatem, et poteſtatem dedimus, damusque harum ſerie Literarum agendi, conſulendi, et determinandi noſtro Nomine omnia, et ſingula cum Caeſareae Maieſtatis, et praefati Sereniſſimi Domini LUDOVICI Regis Oratoribus, et Conſiliariis, ac Statibus, ſeu Ordinibus Regni Bohemiae, promittentes Verbo noſto Regio, quod quidquid per eum, actum, conſtitutum, et determinatum fuerit, pro bono, et tranquillo ſtatu, ipſius Sereniſſimi Domini LUDOVICI Regis, et Regni eius Bohemiae id Nos aeque gratum, et firmum habituros, ac quemvis Actum noſtrum proprium. In cuius rei teſtimonium etc. ANNO 1518.

## XXVI.

SIGISMVNDVS I. *Rex Poloniae Mandata & Legatos mittit ad eligendum Regem Romanorum.* Datum Cracoviæ, die 22 Maji, Anno 1519. *Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. E. fol. 115.* 1519.

NOS SIGISMUNDUS Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae etc. Dominus, et Haeres, nomine Tutoris Sereniſſimi Principis et Domini, LUDOVICI eadem gratia Hungariae, et Bohemiae etc. Regis, Marchionis Moraviae, et Sacri Romani Imperii Principis Electoris, Nepotis noſtri Chariſſimi, notum facimus tenore praeſentium univerſis: Quod cum Electio Romanorum Regis ex rationabilibus cauſis imminet facienda, Nos de honore Sacri Imperii, ſollicitudine debita intendere cupientes, ne tam gravibus diſpendiis periculoſe ſubjaceat, de Fide, et circumſpectionis induſtria Reverendi in Chriſto Patris Domini MATHIAE Epiſcopi Vladislavienſis, et Magnifici RAPHAELIS *de Leſcho* Caſtellani Landenſis, et Capitanei Slochovienſis, Conſiliariorum noſtrorum, ſincere Nobis dilectorum, obtinentes utique praeſumptionis indubiae ſingularem fiduciam, ipſos, et quemlibet ipſorum in ſolidum, ita quod non ſit melior conditio occupantis, ſed quod per unum eorum inceptum fuerit, per alium finiri debeat, et licite terminari, jure, modo, et forma, quibus melius, et efficacius poſſumus, ſeu volumus, noſtros veros, et legitimos Procuratores, et Nuntios ſpeciales facimus, conſtituimus, et ordinamus ad tractandum ubilibet, una cum aliis Principibus Electoribus, tam Eccleſiaſticis, quam Secularibus, et cum ipſis concordandum, et conveniendum, et concludendum de perſona quacunque habili, et idonea, in Regem Romanorum eligenda, ac de ipſis Tractatibus ſuper Electione talis Perſonae habendis, pro Nobis, loco, et Nomine

Anno 1519. noſtro intereſſendum, Perſonamque nominandam, et in ipſam conſentiendum, ac etiam in Romanorum Regem promovendum, et ad Sacrum Imperium eligendum, ac in animum noſtrum praeſtandum quodcumque juramentum neceſſarium, debitum, ſeu conſuetum fuerit circa praemiſſa, et quodlibet praemiſſorum alium, vel alios Procuratores in ſolidum ſubſtituendi, et revocandi, omnia alia, et ſingula faciendi, quae in praemiſſis, et circa praemiſſa etiam usque ad conſummationem Tractatuum Nominationis, Deliberationis, et Electionis huiusmodi de praeſenti faciendae neceſſaria, aut utilia fuerint, ſeu etiam quomodolibet opportuna, etiamſi praemiſſa, vel eorum quodlibet Mandatum exigant ſpeciale, etiamſi maiora, vel magis ſingularia fuerint ſupradicta, et quae Nos ipſi facere poſſemus, ſi huiusmodi Tractatuum Deliberationis, Nominationis, et Electionis futurae negotiis praeſentes, et perſonaliter adeſſemus, gratum, et ratum habentes, et habere volentes, et Nos perpetuo habituros firmiter promittentes, quidquid per ante dictos Procuratores, et Nuntios noſtros, nec non ſubſtitutos, aut ſubſtituendos ab eis, ſeu eorum altero in praemiſſis, ſeu ipſorum quolibet actum, geſtum ſeu factum fuerit, aut quomodolibet ordinatum. In cuius rei teſtimonium, firmiſſimumque robur, praeſentes Literas manu noſtra propria ſubſcripſimus, Sigilloque noſtro obſignari fecimus. Datum Cracoviae, die 22 Menſis Maji, Anno 1519. Regni noſtri 13.

## XXVII.

1525. Sigismvndi I. *Regis Poloniae ad Status Regni Bohemiae Literae, ut Regi ſuo, & Regno Hungariae contra Turcas ſubſidio eant.* Datum Cracoviae Dominica proxima ante Feſtum S. Mariae Magdalenae, Anno 1525. *Ex Archivo Regni Lib. 26. n. 27. fol. 208.*

Spectabiles et Magnifici Domini. Jam ſatis conſtare debet Vobis, Turcarum Imperatorem ſumma vi, et conatu Regnum Hungariae adortum, Arcem *Salbacz* intercepiſſe, *Birlihrad*, et *Temezwar*, praecipua Regni propugnacula, et in praeſens Capitaneis, et praeſidiis opportunis deſtituta omni vi oppugnare, quibus potitis, quod Dominus Deus avertat, actum videbitur de illo Regno univerſo, et praeſertim minus nunc, quam unquam alias ad reprimendum tantum hoſtem inſtructo. Eo vero Regno tam potente in diſcrimen deducto, quis non videt, et alia vicina Dominia, et univerſam dehinc Rem Chriſtianam, hanc calamitatem ſubituram. Quare Nos, licet a bello Prutenico, quod magno impendio geſſimus, nondum reſpiraverimus, licet etiam Moſchi, et Tartari Nobis nunc magis, quo maior videtur commoditas, impendent, et prope fines opportunitatem irrumpendi jam expectant, in his tamen difficultatibus noſtris, et quod in celeri, et inopinato eventu praeſtari a Nobis tumultuarie potuit, mittimus ſuppetias Sereniſſimo Domino Nepoti noſtro, ac Regno eius Hungariae, et Veſtras Dominationes in commune, et ſigillatim unumquemque omni ſtudio monemus, et rogamus, ut ad ſuccurrendum quam celerius Regi ſuo, Regnoque vicino, arma capiant, et accurrant, et ad arcendum tantum diſcrimen, quod licet paulo ſerius, certiſſime tamen primum, dehinc ad reliquos promanaret, omnes vires intendant, factum pro ſua virtute, et prudentia, proque communi re, et Statu ſuo, de quo non minus agitur, quam de his, qui jam naufragium patiuntur, ſed credimus Dominationes Veſtras in tanto negotio, ex cuius eventu vita, honor, et ſalus tam Regis, quam omnium veſtrum dependet, multis admonitionibus non egere, quae valeant feliciter. Datum Cracoviae Dominica proxima ante Feſtum S. Mariae Magdalenae, Anno Domini Milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo, Regni vero noſtri decimo quinto.

*Commiſſio Sacrae Regiae Maieſtatis propria.*

Anno 1525.

## XXVIII.

*Idem ad Status & Ordines Regni Bohemiae, de Jure ſuo in Regnum Bohemiae. Ex Archivo Theſauri Regni.* 1526.

Spectabiles, et Magnifici, Generoſi, Nobiles, et Famati Domini, ſincere et grate Nobis dilecti. Non egimus hactenus quidquam cum Veſtris Dominationibus ſuper iſto Regno Bohemiae, ſuo Rege orbato, quod Nos et ingens dolor, quem ex caſu ipſius Regis, et Nepotis noſtri Chariſſimi accepimus, nihil prorſus cogitare ſinebat, et nondum plane de interitu illius Maieſtatis conſtabat, variis varia de ſucceſſu eius referentibus. Verum cum tandem res certa eſſe partim ex Hungaria, partim etiam multorum ex veſtris Dominationibus Literis ad Nos confirmetur, Maieſtatem ſuam caſu iſto, et fato miſerabili functam eſſe, nec obſcurum ſit, quantum

ANNO 1526. quantum juris Nobis competat, ex antiquis Privilegiis ad iſtud Regnum Bohemiæ; admonendas duximus veſtras D. D. ut quæ ad commune bonum, non ipſarum tantum, ſed etiam totius Rei Chriſtianæ pertinent, mature cogitent, & exequantur. Ac inprimis teſtamur Dominum Deum, qui eſt humanarum mentium Scrutator, Nos nulla ambitione, nullaque cupiditate aliorum Regnorum teneri, præſertim hoc adverſiſſimo tempore, hisque Regionibus, ad quas tota communis tempeſtas eſt devoluta, ſatisque eſſe Nobis hoc Regnum, & Dominia, in quibus eius Divina Maieſtas Nos conſtituit, quæ utinam in tanto diſcrimine, quod videmus indies magis imminere, integra, et inconcuſſa conſervare poſſimus. Tamen nolentes & deeſſe communi periculo Rei Chriſtianæ, & ſocordes videri in his, quæ iuris noſtri ſunt, hortamur, & rogamus veſtras D. D. ut matura deliberatione de creando Rege conſilium & rationem ineant, ne poſtea ſera ſit omnis adverſus imminens periculum proviſio, ac de creando quidem tali Rege, qui maturitate, & experientia ſua, iunctisque viribus aliorum Regnorum, & Dominiorum vicinorum poſſit, & ſciat tantam hoſtilem molem, & tempeſtatem propulſare. Perpendantque etiam apud ſe juſtitiam noſtram, quam ex vi antiquorum Privilegiorum Regni Bohemiæ, non ignoramus Nobis eſſe in ipſum Regnum legitime ex avita fraterna linea ſuccedendi, & adverſus hanc iuſtitiam noſtram nihil tractare, & conſtituere velint. Nos vero, quod ad defenſionem ipſius Regni, quod ad jura, & Privilegia veſtra, tam publica, quam privata, quod denique ſigillatim ad quemque Statum, & Ordinem, nec non ad Perſonas veſtras pertinebit, in his omnibus Nos, uti probum, benignum, & Chriſtianum Regem decet, ſemper gerere, & conſervare volumus. Bene valeant D. D. Veſtræ.

## XXIX.

### *Eiusdem ad Duces Sileſiæ* (uno exemplo) *Literæ in eodem negotio.* Indidem.

Illuſtris Princeps & Domine Affinis noſter Chariſſime. Jam in dies magis confirmatur Sereniſſimi olim Domini LUDOVICI Hungariæ, & Bohemiæ Regis Nepotis noſtri Chariſſimi funeſtus interitus, & edocemur certo de juſtitia noſtra in Regnum Bohemiæ, vigore veterum Privilegiorum, præſertim vero Bullæ Aureæ, ſuccedendi; quare ſcribimus Literas omnibus Ordinibus in commune commemorando ipſam juſtitiam noſtram, non quidem cupiditate aliqua latius regnandi, hoc præſertim tempore, quo cernimus extremum diſcrimen his Regionibus imminere, ſed ne omnino, vel deeſſe rei Chriſtianæ, vel ita ignavi eſſe videremur, ſi quod malum in commune Nobis inſtat, negligere, & jus noſtrum miſſum facere deberemus. Nec dubitamus veſtras Dominationes rationem habituras ipſius juris noſtri, & huius temporis neceſſitatis, nihilominus Veſtram Illuſtritatem, de cuius ſingulari erga Nos fide, & affectu plurimum Nobis pollicemur, ſpeciatim hortamur, & rogamus, tueatur pro virili ſua jus ipſum, & dignitatem noſtram adverſus eos, qui Nobis iſthic adverſi eſſent. Experietur Nos huius operæ & ſtudii ſui perpetuo gratos, & memores futuros, valeatque feliciter Veſtra Illuſtritas. ANNO 1526.

## XXX.

### *Eiusdem ad Conſiliarios Regni Bohemiæ* (uno exemplo) *in eodem negotio.* Indidem.

Spectabilis & Magnifice Nobis ſincere dilecte. Jam indies magis confirmatur Sereniſſimi olim Domini LUDOVICI Regis Nepotis noſtri chariſſimi funeſtus interitus, & edocemur certo de iuſtitia noſtra in iſtud Regnum Bohemiæ vigore veterum Privilegiorum ſuccedendi. Quare ſcribimus Literas veſtris Dominationibus in commune commemorando ipſam juſtitiam noſtram, non quod cupiditate aliqua latius regnandi hoc præſertim tempore, quo cernimus extremum diſcrimen his Regionibus imminere, ſed ne omnino, vel deeſſe Rei Chriſtianæ, vel ita ignavi eſſe videremur, ut negligere, & Jus noſtrum miſſum facere deberemus. Nec dubitamus veſtras Dominationes rationem habituras ipſius Juris noſtri, & huius temporis neceſſitatis. Nihilominus tuam ſinceritatem, de cuius ſingulari erga Nos fide, & affectu plurimum Nobis pollicemur, ſpeciatim hortamur, & rogamus, tueatur pro virili ius ipſum, & dignitatem noſtram adverſus eos, qui Nobis iſthic adverſi eſſent. Experietur Nos huius obſequii ſui perpetuo gratos & memores futuros, valeatque feliciter Tua ſinceritas.

ANNO 1527.

## XXXI.

FERDINANDI *Bohemiæ Regis Declaratio Articulorum Fœderis inter* CASIMIRVM *Poloniæ, &* GEORGIVM *Bohemiæ Reges, Anno 1462. initi, ſibique per Oratorem* SIGISMVNDI *Poloniæ Regis exhibiti. Articulum primum de Societate belli contra Turcas ad Ordines Regni ſui reiicit, alterum vero de Societate contra omnes, exceptione* CAROLI *Imp. Fratris ſui reſtringit. Articulum denique de Judicibus, qui Controverſias in finibus utriusque Sileſiæ, & utriusque Poloniæ dirimant, ita intelligi vult, ut ii de communi partium conſenſu eligantur.* Datum Pragæ, feria quarta poſt Dominicam Oculi, Anno 1527. *Ex Originali.*

Sciendum, quod cum ego CHRISTOPHORUS *de Schidlowitz* in *Szmielow*, & *Magna Opatow* Dominus, ac Palatinus ac Generalis Capitaneus Cracovienſis, Regni Poloniæ Supremus Cancellarius, ac Sereniſſimi Principis Domini SIGISMUNDI Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Ruſſiæ, & Pruſſiæ, ac Maſoviæ Domini, & Hæredis &c. Domini mei gratioſiſſimi Orator Nomine Maieſtatis ſuæ Regiæ, Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi, & Domino, Domino FERDINANDO Bohemiæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Regi, Infanti Hiſpaniarum, Archiduci Auſtriæ, Duci Burgundiæ &c. Domino meo Clementiſſimo exhibuerim quosdam Articulos in certo Tractatu, & Confœderatione inter Sereniſſimos quondam CASIMIRUM Poloniæ &c. & GEORGIUM Bohemiæ Reges inita, & concluſa comprehenſas; quorum primum eſt de ſubſidio mutuo hinc inde ferendo, ſi quando Turcus alterius Regnum invaſurus eſſet; Maieſtas vero ſua Regia Articulum, ſubſidium iſtud contra Turcas ferendum, concernentem, ſine ſcitu, & conſenſu Statuum Regni ſui Bohemiæ, & cohærentium Provinciarum, pro nunc ſic acceptare, & concludere non potuerit, idcirco eadem Maieſtas ſua accepit deliberationem referendi eundem Articulum, totamque ipſius continentiam ad Status præfati Regni, & aliarum Provinciarum Regno Bohemiæ pertinentium, & deſuper cum eisdem tractandi, deliberandi, & tranſigendi. Unde quoque ego ipſe Orator antedictus, conſimilem deliberationem accepi, rem omnem ad Sereniſſimum Dominum Regem Poloniæ referendi, & communicandi. Itaque quidquid Maieſtas ſua præfata, una cum Statibus & Provincialibus antedictis deſuper concluſerit, & tranſegerit, de eo Sereniſſimum Dominum Regem Poloniæ per Literas ſuas certificare debeat. Similiterque, quidquid Sereniſſimus Dominus Rex Poloniæ antedictus ſuper eodem Articulo concluſerit, de eo Serenitatem ſuam etiam per Literas ſuas admonere debebit. Deinde ubi in ſecundo Articulo fit mentio, quod unus contra alium cum quibuscunque perſonis, vel in favorem quarumcunque perſonarum, cum Regnis, Dominiis, & Principatibus ſuis eſſe non debeat auxilio, & conſilio, Summo duntaxat Pontifice excepto, Maieſtasque ſua antedicta egerit, quod ubi exceptio fieret de Summo Pontifice, etiam Sereniſſimus, & Potentiſſimus Princeps & Dominus Dominus CAROLUS Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus &c. Dominus meus gratioſiſſimus exciperetur, & excluderetur, egoque Orator antedictus ad hunc Articulum concludendum non habuerim a Sereniſſimo Rege, & Domino meo præfato ſpeciale Mandatum, ideo ego etiam accepi deliberationem referendi eundem Articulum ad Sereniſſimum Dominum Regem Poloniæ præfatum. Quantum vero ad renovationem aliorum Articulorum eiusdem Contractus, & Confœderationis antiquæ Regum, & Regnorum Bohemiæ, & Poloniæ pertinet, Maieſtas ſua præfata eosdem Articulos ſuſcepit, & acceptavit cum Conſilio, & Conſenſu præfatorum Statuum Regni Bohemiæ in hunc, qui ſequitur, modum. Item tenebimur efficere, & providere, ne de Regno noſtro, Principatibus, Ducatibus, & quibuscunque Dominiis noſtris jam dicto Sereniſſimo Domino Regi Poloniæ, Regnoque & Terris ſibi ſubiectis damna, aut incommoda inferantur. Similiter & ipſe Dominus Rex Poloniæ tenebitur efficere, & providere, ne de Regno ſuo Poloniæ, Ducatu Litvaniæ, Terris Ruſſiæ, & Pruſſiæ, & de quibuscunque Dominiis Regno ſuo ſubiectis damna quæcunque Regno, Terris, Dominiis, Subiectisque noſtris, & eorum inhabitatoribus inferantur. Et ſi, quod Deus auferat, ex noſtro aut ipſius Domini Regis Regno, aut Terris aliqua damna contingerent, ſive inter Nos utrosque Reges, ſive inter noſtros Subditos Eccleſiaſticos vel Sæculares: Extunc Rex ex cuius Regno, & Terris huiusmodi contingent, & ſequentur damna, tenebitur effectualiter operam dare, ut omnes tales inobedientes mulctentur, & puniantur,

ANNO 1527.

ANNO 1527.

Anno tur, & ad id eos coget, & compellet, quatenus læſis, & damna paſſis ſatisfactio ſine dolo, & fraude, & dilatione impendatur, reddaturque. Item ſi contingat aliquem ex Regno noſtro Bohemiæ, Ducatibus, Terris, Dominiisque noſtris aliquam culpam, & cauſam iniuriæ ad aliquas Perſonas movere in Regno Poloniæ, Principatibus, Dominiis, & Terris in eisdem habitantes, talis tenebitur cauſam ſuam jure proſequi, & Actor illum, quem reum aſſerit in Jurisdictione & Jure, ubi reus reſidet, convenire, cui ſine dilatione juſtitia miniſtrabitur, parique modo in Regno Poloniæ, Ducatibus, Terris, & Dominiis eiusdem Domini Regis miniſtrabitur juſtitia Subditis noſtris Regni noſtri Bohemiæ, Dominiorumque noſtrorum. Item in utroque Regno tam noſtro Bohemiæ quam Poloniæ proclamabitur, & publicabitur, ut ſtratæ publicæ, & aliæ viæ ſint pacificæ, & ſecuræ, quatenusque homines ex utrisque Regnis noſtris ſtratis ſecure ire, & tranſire quovis impedimento ceſſante poſſint, & valeant, ſolutis tamen teloneis & daciis. Item tenebimur monetam prohibere ubicunque tam in Regno noſtro Bohemiæ, quam Poloniæ Regno, & aliis noſtris hinc inde Ducatibus, Terris, & Dominiis, ne falſa, deordinata, & illegitima cuderetur. Nos ſimiliter & Dominus Rex Poloniæ quilibet noſtrum in Regno, & Terris ſuis operam dabit & efficiet, ut nec cudatur moneta falſa, nec ex Regno noſtro Bohemiæ in Regnum Poloniæ, nec ex Regno Poloniæ in Regnum Bohemiæ, & Ducatus, Terras, & Dominia eisdem Regnis ſubiecta inferatur, dolo & fraude procul motis. Item ſuper omnibus cauſis, & articulis, videlicet damnis, & differentiis quibuscunque, quæ inter Regna, Terras, Dominia, Principes, Barones, Militares, Civitates, Civitatum Communitates, & cæteros eisdem ſubiectos contigerint, ſive Regno noſtro Bohemiæ ex Regno Poloniæ, & Terris eidem ſubiectis, ſive Regno Sereniſſimi Domini Fratris noſtri Chariſſimi Regis Poloniæ, & Regnis illi ſubiectis, debent haberi primo Anno Conventus locis, & temporibus certis in ſuperiori & inferiori Sleſia per Literas utriusque noſtrum ſpecificandis, in finibus tam utriusque Sleſiæ, quam utriusque etiam Poloniæ poſitis. Et ſimiliter debent haberi Conventus ſecundo Anno ſequenti in utraque Polonia, & ſic alternatis vicibus huiusmodi Conventus de cætero fiant, pro adminiſtranda hinc inde Subditis Regnorum prædictorum juſtitia. Itaque Nos Conſiliarios, & Oratores noſtros, ſimiliter & Dominos Poloniæ ad eosdem dies & loca mittemus, ubi per Conſiliarios, & Oratores noſtros utriusque partis cura diligens adhibebitur, quatenus res iſtæ partiales, & differentiæ concordentur, ſineque laudabili concludantur, læſis & iniuriam paſſis ſatisfactio, redibitio, & contentatio ſecundum Jus, & juſtitiam fiat pro pace, & concordia Regnorum, & Terrarum utriusque partis. Ultra autem Articulos omnes præinſertos hic quoque Articulus de novo adiectus eſt, videlicet, quod ſi quis Sereniſſimorum Regum, aut Regna, & Dominia eorum prætenderent aliquid ab altero petere Regum, & Regnorum ſuorum, id fiat Jure mediante coram Judice, vel Judicibus, in quem, vel in quos ambo Reges utrinque conſenſerint, ſalva tamen & incolumi in omnibus Confœderatione iſta, cui per hoc non derogabitur. Et quia ego Orator præfatus egi, & tractavi cum Sereniſſimo Domino Rege antedicto, ut Maieſtas ſua ex una, & Joannes Comes Scepuſienſis Vaywoda Tranſylvanus partibus ex altera, & præfatus Sereniſſimus Rex Poloniæ Nuntios, & Oratores ſuos mittant ad Civitatem Olomucenſem, ad diem primam Menſis Junii proxime futuri, pro tractandis, & definiendis inibi differentiis inter Maieſtatem ſuam, & præfatum Vaywodam vigentibus, ac pro tractatione, & concluſione iſtorum Articulorum præinſertorum, evenire poſſit, quod talis Conventus forte impediretur, aut diſſolveretur: Idem Sereniſſimus Dominus Rex Ferdinandus cum Sereniſſimo Rege Poloniæ præfato convenit, & concludit, ut uterque habeat mutuam inter ſe intelligentiam ſuper mittendis Oratoribus ad alium locum, & tempus per utrumque Regem deſignandis, qua intelligentia præhabita, ipſi poſtea Nuntios & Oratores ſuos deputent, qui in tali loco, & ad tale tempus legitimis Mandatis ſuffulti compareant, ibidemque nomine utriusque præinſertam Confœderationem, & Contractum cum effectu tranſigant, & concludant. Quod ſi itaque medio tempore talia occurrentia quæ ad bonum & emolumentum utriusque Regni prædictorum, ac Regnorum, & Dominiorum ſuorum cedere poſſent, inter eosdem pariformiter concluſum eſt, quod iidem Nuntii & Oratores plenam quoque habeant poteſtatem ſuper eisdem tranſigendi, & concludendi. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium evidens, Nos Orator antedictus, & Adam *de Nova Domo*, Præfati Regni Bohemiæ Cancellarius ex ſpeciali Commiſſione, & Mandato Sereniſſimi Regis Bohemiæ præfati, hic Nos manibus propriis ſubſcripſi-

ANNO 1527. ſcripſimus, Sigillaque noſtra appoſuimus. Datum, & Actum in Arce Pragenſi, Feria quarta poſt Dominicam Oculi. Anno Domini Milleſimo quingenteſimo viceſimo ſeptimo.

Idem ADAM Cancellarius Regni mpr.
Idem CHRISTOPHORUS Palatinus Commiſſarius, & Orator. mpr.

## XXXII.

1538. *Compacta inter* FERDINANDVM *Rom. Hungariæ, & Bohemiæ Regem, &* SIGISMVNDVM I. *Regem Poloniæ, pro felici, & tranquillo Statu Regnorum Bohemiæ, & Poloniæ, in Conventione Glogovienſi per Commiſſarios ab utrinque delegatos inita, cum Ratificatione eorundem* FERDINANDI *Regis.* Datum Vratislaviæ, 17 Junii, Anno 1538. *Ex Archiv. Regni Lib. Legationum Lit. G. fol. 14.*

FERDINANDUS Divina favente Clementia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Infans Hiſpaniarum, Archidux Auſtriæ, Marchio Moraviæ, Lucemburgenſis, & Sleſiæ Dux, ac Luſatiæ Marchio &c. Quum almæ pacis procuratione nihil ſit uſpiam auguſtius, ſubindeque in primis ſummos Principes deceat eiusdem pacis ſtabilitionem ſedulo alere, atque promovere; hinc eſt, quod Nos cognitioni tam præſentium, quam poſterorum patere volumus per Præſentes: Quod cum inter Regni noſtri Bohemiæ contiguas Ditiones *Sleſiæ & Luſatiæ*, atque Regnum Poloniæ ſuperioribus annis ex crebris latrociniis, & ſimilibus graſſationibus, ac diffidatorum utrobique hoſpitationibus, non ſolum mutuorum commerciorum ingens difficultas, verum etiam gravis contrariatio, & offenſa emerſerit, Nosque exinde pro diſſidiis huiusmodi pacandis, & utrorumque Regnorum tranquillatione, ac bonæ vicinitatis conſervatione firmanda cum Sereniſſimo Principe Domino SIGISMUNDO Rege Poloniæ, Magno Duce Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque &c. Domino, & Hærede, Fratre, & Conſanguineo noſtro chariſſimo ſuper talibus defectibus, & diſſidiis, mediatione hinc inde ad hoc deputandorum Commiſſariorum tollendis amicabiliter reſolviſſemus, ideoque ex huiusmodi utriusque noſtrum directione tam noſtri, quam præfati Fratris noſtri inſignes Commiſſarii, & Mandatarii tertio ab hinc Anno, Menſe Majo, in Oppido noſtro Glogoviæ maioris utrinque convenientes, habitisque deſuper diutinis tractatibus, poſt quorundam particularium differentiarum mediationem, & compoſitionem, generalem Pacificationem, Unionem, atque Fœderamentum, tam inter utriusque Regias Perſonas, quam inter Regna, Ditionesque, & Subditos noſtros utrobique degentes, usque ad ulterius utriusque noſtrum beneplacitum pariformi conſenſu, finaliter pacti ſunt, atque concluſerunt, nec non in publicam formam, & authenticam eorum Sigillis firmatam, Nobisque productam, redigi fecerunt, tenoris ſubſequentis. SACRATISSIMI, ac Invictiſſimi Principis, & Domini, Domini FERDINANDI Romanorum Regis ſemper Auguſti, nec non Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Infantis Hiſpaniarum, Archiducis Auſtriæ, Marchionis Moraviæ, Lucemburgenſis, & Sleſiæ Ducis, ac Luſatiæ Marchionis, &c. Commiſſarii ad infra ſcripta ſpecialiter deputati, Dei gratia JACOBUS Epiſcopus Vratislavienſis, FRIDERICUS Dux Sleſiæ Legnicenſis, Bregenſis &c. JOANNES KURTHBACH Liber Dominus in *Frathenbergk*, & *Mylyth*, & JOACHIM MALZAN Liber Dominus in *Warthenbergk*, & *Penſchlin*, JOANNES SEYDLITH *de Schonfelt* Eques auratus, Caſtellanus in *Laych*, & Ducatum *Schweidnitz*, & *Laver* Capitaneus, ac ULDARICUS SCHOFFGOTSCH dictus in *Kinaſt*, & GREIFFENSTAIN Eques auratus, ex una, & ab altera partibus Sereniſſimi, Potentiſſimique Principis, et Domini, Domini SIGISMUNDI Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, et Maſoviæ Domini, et Hæredis ſimiliter deputati Commiſſarii: JOANNES Epiſcopus Poſnanienſis, LUCAS Comes *a Gorka* Caſtellanus Poſnanienſis, ſupremus Capitaneus maioris Poloniæ, JANUSSIUS LATALSKI Caſtellanus Gneſnenſis, et ANDREAS KROTASKI Caſtellanus Covalienſis. Recognoſcimus tenore præſentium, quibus expedit, univerſis: Quod quum Nos ex Commiſſione, locoque, et nomine utrarumque Regiarum, Romanorum etc. ac Poloniæ, Maieſtatum, Dominorum noſtrorum gratioſiſſimorum, ad præſentem celebrem Conventionem huc in Oppidum Glogovienſe congregati, juxta traditam Nobis facultatem inſtructionum, et mandatorum, Nos ſuper pacificatione, unione, et retentione bonæ, et fraternæ Coniunctionis, atque vicini- ANNO 1538.

ANNO 1538. vicinitatis, præcipue inter ipſas Regias Perſonas, deinde inter earundem collimitia Regna, Ditiones, atque Subditos utrobique degentes, ſimulque pro ſtabilitione, aſſecuratione, augmentoque mutuorum commerciorum, ac coniunctionum, quibus eædem Provinciæ ab antiquo devinctæ, atque invicem plerarumque rerum communione aſſociatæ ſunt, in Tractatus immiſerimus, inibique plerisque diebus attritis, audiendis, mediandis, & componendis variis variorum hinc inde diffidatorum in Sleſiam irruptorum, violatorum, iniuriatorum, atque ſpoliatorum querelis, differentiis, & diſceptationibus ex utraque parte allegatis, huiusmodique diffidationibus, & differentiis, ac diſceptationibus, partim periudiciorum, partim etiam aliis componendi rationibus ad mediationem deductis, ultimarie poſt plerasque transactiones Nos invicem ſuper principali articulo Unionis, & tranquillationis utrarumque Regiarum Maieſtatum, & Subditorum earundem, loco, & nomine utrarumque ipſarum Maieſtatum ad alterutrius beneplacitum Dominorum ipſorum Regum, pro communi quiete, & conſervatione bonæ vicinitatis in præſentiarum amice reſolvimus, univimus, & convenimus modis infraſcriptis. *Primo.* Quod tam in Sacræ Romanorum, quam Poloniæ, Maieſtatum, utrobique Bohemiæ, Poloniæque Regnis, Sleſiæ, & adiunctis Provinciis alterutrius Dominorum Regum, Regnorum, & Subditorum eorundem diffidatores, hoſtes, homicidæ, raptores, ſeu damnificatores, necnon profugi, ſive rebelles, Subditi quicunque in alterius Regum Regnis, & Ditionibus, ubi primum id ipſum ab altera earum Maieſtatum, aut Capitaneis ipſarum Provincialibus, ſive Subditis, alteri parti inſinuatum, vel per ipſosmet perveſtigatum fuerit, peramplius nequaquam foveri, & aſſervari, multo minus eorundem Regum permiſſu, per Subditos ipſorum ulla hoſpitalitate, advitatione, ſive receptatione, quocunque prætextu, aut colore, directe, vel indirecte, publice, vel occulte interteneri debent, ſed ubicumque huiusmodi graſſatores, & contrariatores, ubilibet in præfatis Regnis, & Ditionibus deprehenſi fuerint, contra eos juſſu Regio, & directione, atque intendentia Officialium, utrobique parti læſæ, atque deferenti juſtitia immediate, & irrecuſabiliter permitti, atque adminiſtrari, aut etiam citra partium requiſitionem, de iis, ut communibus hoſtibus, a Capitaneis, & Magiſtratibus, ubicunque per ſe ipſos ex officio inquiri, inſequi, & capitaliter procedi debet. Caſu autem, quo aliquis ex Officialibus, aut Subditis utrarumque earundem Maieſtatum, receptatione, aſſecuratione, hoſpitationeque præmiſſorum contrariorum, aut omiſſione inſecutionis, captivationis, ſive animadverſionis in eosdem ſcienter contravenerit, in tales utrobique, ſive delati forent a parte altera, ſive alias veriſimili ſuſpicione deprehenſi, capitali ſupplicio irremiſſibiliter debet animadverti. Quodſi unus vel plures Incolæ Regni Bohemiæ, Marchionatus Moraviæ, & Ducatus utriusque Sleſiæ in communi Regno Poloniæ, vel ſingularibus Perſonis, eius Regni Incolis, & Subditis privatim hoſtilitatem denuntiabit, vel denuntiabunt, tunc ſtatim Præfectus, aut Capitaneus, aut Officialis illius loci, aut diſtrictus, cui diffidatio indicta eſt, generales Præfectos, & Capitaneos Regni Bohemiæ, Marchionatus Moraviæ, & Ducatus Sleſiæ, ea de re certiores reddere, & ipſis exemplar diffidatoriarum Literarum transmittere debebit, quibus acceptis literis Præfecti, & Capitanei in Regno Bohemiæ, Marchionatu Moraviæ, Ducatuque Sleſiæ, talem, vel tales, diffidatorem, vel diffidatores, pro publico hoſte, vel publicis hoſtibus indicare, promulgare, & publicare, omnibusque, & ſingulis Incolis Regni, Marchionatus, & Ducatus prædictorum cuiuscumque ordinis, & conditionis extiterint, eius, vel eorum conſuetudinem interdicere, & ne a quoquam hoſpitio recipiantur, aut juventur conſilio, aut re aliqua alia, prohibere, & cavere, Bonaque diffidantium applicare fiſco, & Cameræ Regiæ, & demum in hoſpites, ſocios, conſcios, & complices, pari ſeveritate animadvertere conabuntur. Nam tali facta divulgatione, & interminatione, neminem ignorantiæ excuſatio ſublevare poterit. Si vero contigerit vice verſa, quod unus, vel plures Incolæ Regni Poloniæ, necnon aliarum terrarum Ditioni Regni Poloniæ ſubiectarum in communi, Regno Bohemiæ, Marchionatui Moraviæ, aut Ducatui Sleſiæ, vel ſingularibus Perſonis eius Regni, & prædictarum Provinciarum Incolis, & Subditis hoſtilitatem denuntiabit, vel denuntiabunt, ſimiliter etiam, ut ſupra expreſſum eſt, Præfectus & Capitaneus illius loci, & Diſtrictus, cui diffidatio indicta eſt, generales Præfectos, & Capitaneos Regni Poloniæ, ea de re certiores facere, & ipſis exemplar diffidatoriarum literarum transmittere debebit. Quibus acceptis, Præfecti, & Capitanei per Regnum Poloniæ, & terras eidem Regno ſubiectas talem, vel tales, diffidatorem, vel diffidatores, etiam pro publico hoſte, vel hoſtibus, indicare, promulgare, publicare, ac omnibus & ſingulis Incolis prædicti Regni, & pertinentiarum eiusdem cuiuscunque

ANNO 1538.

ANNO 1538. ordinis, & conditionis extiterint, eius, vel eorum conſuetudinem interdicere, & ne a quoquam hoſpitio recipiantur, aut juventur conſilio, vel re aliqua alia, prohibere, & cavere, Bonaque diffidantium applicare fiſco, & Cameræ Regiæ. Ac perinde in hoſpites, ſocios, conſcios, & complices, pari quoque ſeveritate animadvertere tenebuntur, ignorantiæ excuſatione univerſis penitus ſublata. Singulatim vero ſi quispiam Capitaneus, aut Magiſtratus, in huiusmodi caſibus damnificatis ſubitam juſtitiam adminiſtrare cunctaretur, aut etiam extra id ex officio, inquiſitione, & animadverſione debita non procederet, tales præfatorum Maieſtatum punitioni immediate obnoxii, & rei eſſe debent. Ut autem præcipuus diffidationum, & graſſationum fomes, quo huiusmodi latrocinia in primis aluntur, e medio tollatur, coerceaturque licentia, & impunitas hoſpitandi, quæ inter hæc Regna hactenus pernicioſe duravit, finaliter inter Nos convenit, ut, quicunque promotores, detentores, hoſpitatores, & complices dictorum maleficorum hominum, ex fuga captivorum, aut veraci intimatione ſpoliatorum, qui captivi, vel ſpoliati bonæ fidei, & integræ famæ forent, ſine alias apertis indiciis, ita, ut tam manifeſtarium factum ulteriori probatione non egeat, utrobique deprehenſi forent, intra ulteriorem purgandi ſui admiſſionem, & indulgentiam ſpoliatis, et damnificatis, ad refuſionem, & ſatisfactionem probabiliorum damnorum de bonis ſuis teneantur, aut, quod ſibi in bonis deſit, ſecundum qualitatem delicti, corporis punitione luant, atque compenſent. Si vero tales ad cædem, damnificationem, ſeu irruptionem evidentem, atque enormem occaſionem voluntarie, & ſcienter præbuerint, iidem tam parti ad refuſionem damnorum, ut jam expreſſum eſt, quam Superioritati ſuæ ad ſumendum de iis pro modo delicti ſupplicium, citra evaſionem ſubiaceant. Si vero aliqui huiusmodi hoſpitatorum, aut complicium non ſimiliter manifeſtis, & apertis indiciis, ſine huiusmodi graſſatorum, & damnatorum confeſſatis, aut quæſtionibus, ſeu alias fuerint delati, & de eiusmodi maleficio ſuſpecti potius, quam convicti, contra tales tam ex delatione damnificatorum, vel alterius ſuperioritatis Officialium, quam ex officio per Capitaneos, aut Magiſtratus eius Regni, aut Ditionis, in qua fuerint, evocatos, hac tamen differentia, & moderatione debet procedi, ut, ſi forent Nobilitares, aut aliqui Poſſeſſionati Cives, antehac in talibus non infamati, neque anterioribus confeſſatis ſuſpecti, videlicet in caſu negationis ſeſe proprio eorum juramento coram ſupremo eius Ditionis Magiſtratu, publice huiusmodi infamationem exonerare, & purgare queant. Si vero iidem anterioribus infamiæ, aut confeſſatorum præindiciis confeſſi, & ſemimanifeſtarii forent, ita tamen, ut huiusmodi confeſſata non omnimode certum facti indicium præbere poſſent, talis, vel tales etiam ad purgationem ſui, medio juramenti mettertia manu, integræ famæ poſſeſſionatorum vicinorum admitti, aut ſi in utroque caſu in purgatione defecerint, debitæ capitis animadverſioni ſubiici, & ſubiacere debent. Caſu autem, ſi quis ex Regno Poloniæ auſu temerario contra jus, & æquitatem, ac publica, mutuaque iſtorum Regnorum fœdera in Regnum Bohemiæ, Marchionatum Moraviæ, vel Ducatum Sleſiæ, excurſionem, vel impreſſionem faceret, atque ibi mercatores, & vectores deprædaret, aut detineret, homines occideret, vel abduceret, pecora abigeret, incendio ſæviret, aut alio quovis modo damnum, & injuriam inferret, & ſic ex effrænis animi libidine, patrato nefario ſcelere, rurſum ſe in Poloniam, vel cum præda ſecurus, vel fugiens inſequentium manus, in hoſpitia conſueta, & ſolita diverticula reciperet, tum in Regno Poloniæ, & Præfecti illius Territori, vel Diſtrictus, & omnes Incolæ, totaque vicinitas continuo a damnum, & iniuriam paſſis, aut prævaricatorem, et communium fœderum violatorem inſequentibus, commonefacti, evocatique eum extiterint, debebunt læſis ferre opem, adeſſe in armis fortiter, et gnaviter inſequi, et inquirere noxios, et turbatores publicæ pacis, et tranquillitatis. Et ſi ſui tuendi cauſa in aliqua caſtra, aut fortalitia, vel loca abdita, ſeu natura munita profugerint, acrius, et diligentius inſiſtere, et ipſos, eorumque hoſpites, ſocios, conſcios, complicesque obſidere, oppugnare, et ita ſimul omnes ad deditionem, et debitum ſupplicium, ac emendam, recompenſationemque damnorum illatorum cogere. Si quis autem negligentiorem, et remiſſiorem in ferendo offenſis auxilio, et in perſequendo hoſtes, et damnificatores ſeſe exhibuerit, is ſe indignationem ſui Regis, et ſeveram animadverſionem irremiſſibiliter ſubiturum eſſe ſciat, et ſentiet. Idem debere obſervari decernentes, et mandantes in præſumentes, et auſuros tale quicquam ex Bohemiæ Regno, Marchionatu Moraviæ, et Ducatu Sleſiæ contra Regnum Poloniæ, et eius Subditos, ac Incolas. Si vero contingeret, aut per ſubordinationem Superioritatis, aut alioquin per privatim damnificatos, atque diffidatos, contra

ANNO 1538.

præmiſſos

ANNO 1538. præmiſſos damnificatores, diffidatores, malefactores, hoſpitatores, aut complices captivandos, ſive etiam jam tum captivos, et convictos in alterutrum Regnum, aut Ditionem ſuper poſtulatione juſtitiæ mitti, aut requiri, iidem poſtulatores non ſolum ad exemptionem juſtitiæ cum ratione delicti, cum omnibus in tali facto neceſſariis admitti, et provideri, verum etiam tam in loco adminiſtrandæ juſtitiæ, quam in reditu ad propria aſſecurati, et omnimode tuti, atque inviolabiles eſſe debent. Caſu etiam, quo in utroque ſeu alterutro Regno, aut Ditione aliquis ex Nobilitate, vel alias zelo honeſtatis, et ſtudio ſupprimendorum huiusmodi publicorum maleficiorum, aut juſſu Magiſtratus ſui, aut motu proprio, in, vel poſt deſignationem direptionum, aut aliarum damnificationum, ſive alios huiusmodi publicos prædones, et graſſatores, inſequeretur, prout id ipſum ad eradicationem diffidationum, et meliorem bonæ vicinitatis ſtabilitationem, in utroque Regno peramplius obſervari convenit, atque ante hac in Ditione Sleſiæ communi conſenſu eſt tentum, et introductum, idque ſibi a quoquam, ut inhoneſtum exprobraretur, talis inculpatio, ſeu obiectio nulli, cuiuscunque ſtatus in honore ſuo offenſiva, aut præiudicialis eſſe debet, ſed talis exprobrator, aut revocationem probri una cum aliquali incarceratione, et carcerum punitione, refuſioneque impenſarum cogi, atque læſum rogare debet, ut ſibi talem mendacem imputationem propter Deum dimittere velit, prout hoc etiam antehac per Sereniſſimum Dominum Poloniæ Regem in Conventu Piotrcovienſi, Anno Domini Milleſimo quingenteſimo duodecimo, ut ſtatutum Laudi eſt introductum, et ſancitum. Ut autem ſemel amputetur generalis illa occaſio ſubululantium diffidationum, quæ hactenus ex defectu aſſequendæ juſtitiæ utrobique invaluit, ut cuius ex utroque Regno debita, ac indilata juſtitiæ adminiſtratio ſufficienter, et citra occluſionem, aut ſuperfluam dilatationem pateat, finaliter, et concluſive convenit, ut ſi Regnicola Poloniæ contra Indigenam Bohemiæ, et Sleſiæ, aut e converſo actionem iniuriarum, violentiarum, ſuper ſpoliatione, ſeu ſimilium bona fixa non concernentium habeat, eidem ab judice competenti, cui reus ſubiaceat, permiſſione ſubitarii judicii de ſimplici, et plano per Præfectos, et Magiſtratus accuſati in promptu citra indulgentiam ſuperfluarum dilatationum, aut evaſionum, omnimode æquitas exhiberi debet. Si autem actio bona fixa concerneret, id apud accuſati Superioritatem, aut Magiſtratus requiri, et inibi ſecundum conſuetudinem uniuscuiusque Ditionis procedi debet, ut quilibet citra dilationem, executionem juſtitiae obtinere queat, quod per Superioritatem, et Magiſtratus fideliter provideri, et dirigi par eſt. Inſuper ad ulteriorem evitationem vicinalium differentiarum in antea vetitum, et pænaliter prohibitum eſſe debet, ne alterutrius Regni, aut Ditionis, atque Superioritatis Subditi citra exhibitam literariam probationem licentiæ a priori Domino, ſeu Magiſtratu, cui ſuberant, obtentæ in ſubditos ſuſcipiantur, ſub mulcta quinquaginta Florenorum Hungaricalium ſuper receptore, adcitatione Magiſtratus exigenda, et ſubitaria exemptione facienda, ita, ut dimidium eius mulctæ Magiſtratui, dimidium vero priori Domino cedat. Pariformiter, et ſub tali mulcta profugi ruſtici ad requiſitionem priorum Dominorum utrobique in inſtanti eis olim eorum hæredibus libere dimitti, et reſtitui debent. Et ſi aliquis talem in requiſitione doloſe occultaverit, et prima citatione evocatus, deque hoc convictus fuerit, duplum prior expreſſæ mulctæ luere citra recuſationem tenebitur. Si autem huiusmodi receptor ad talem mulctam in facultatibus deficiat, loco mulctae quatuor ſeptimanarum captivatione puniri debet. Finaliter conventum, et cautum eſt, ut nullus Incola eorum Regnorum, et pertinentiarum earundem, cuiuscunque conditionis exiſtat, neminem ex qualicunque cauſa, ſeu praetextu, ſalvo conductu providere, aſſecurareque facultatem habere debeat, niſi cum praeſcia voluntate Domini, et haeredis ſui, ac partis adverſae. In quorum omnium, et ſingulorum fidem praeſentes Sigillorum, et Secretorum noſtrorum appreſſione fecimus communiri. Actum, et Datum in Oppido Glogoviae maioris, ipſo die Divi STANISLAI Epiſcopi, Anno Domini Milleſimo quingenteſimo trigeſimo quinto. Nos igitur FERDINANDUS Romanorum, ac Bohemiae etc. Rex praefatus, huiusmodi pacificandi articulationibus, matura Procerum, et Conſiliariorum noſtrorum deliberatione ſufficienter penſatis, atque examinatis, quod Nobis, et utrique Regno feliciter vertat, omnia, et ſingula talium Articulationum contenta pro bona pace, et mutua fraternitate, tranquilloque utrorumque Regnorum ſtatu, inprimis pro felicitate totius Chriſtianitatis, cuius ſplendor, et utilitas Nobis praecipue cordi eſt, una cum praefato Sereniſſimo Poloniae Rege, ex certa ſcientia, ac de conſenſu Regni noſtri Bohemiae, Ditionumque eidem ſubiectarum,

Annorum, laudavimus, acceptavimus, approbavimus, et ratificavimus, prout et in robur perpetuae firmitatis, ac obſervationis laudamus, acceptamus, approbamus, et Regia noſtra auctoritate ratificamus per praeſentes, in verbo noſtro Regio, et bona fide noſtra mediante, promittentes praemiſſa omnia, et ſingula absque omni dolo, et praeſuppoſita fraude in noſtra, Haeredumque, et Succeſſorum noſtrorum, ac Regni Bohemiae, et Subditorum eiusdem Perſona inconcuſſe, et inviolabiter obſervari, et manuteneri debere, faciemusque per omnes, quorum intereſt, pariformiter obſervari. Speciatim etiam, quaecunque Privilegia, lauda, ſeu Statuta Regni Bohemiae, et Ducatus Sleſiae contra praemiſſa facientia, durantibus huiusmodi compactatis, auctoritate noſtra ſuſpendentes, eisque in hoc caſu derogantes, talibus tamen Privilegiis, et Immunitatibus alioquin extra praemiſſa per omnia ſalvis. In quorum robur omnium, et evidens teſtimonium Praefato Domino Sigismundo Regi has literas noſtras Sigillo noſtro munitas permiſimus, et ab eo conſimilis Tenoris Literas ſubappenſo ſuae Celſitudinis Sigillo reaccepimus. Datum in Civitate noſtra Vratislavia, decima ſeptima die Menſis Junii, Anno Domini MDXXXVIII. Regnorum noſtrorum, Romanorum octavo, aliorum vero omnium duodecimo.

1538.

FERDINANDUS.

Wolff *de Krayg*, Supremus Regni Bohemiae Cancellarius.

N. Ziabka.

## XXXIII.

1539. *Mandatum* Ferdinandi *Rom. Regis ad Dietam Glogovienſem pro componendis Controverſiis, inter Regnum Poloniæ ab una, & Regnum Bohemiæ, eique annexas Provincias ab altera parte.* Datum Viennæ, die 20 Menſis Septembris, Anno 1539. *Ex Arch. Regni Lib. 6. Lit. F. f. 228.*

Nos Ferdinandus Dei gratia Romanorum Rex, ſemper Auguſtus, Germanorum, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex, Infans Hiſpaniae, Dux Auſtriae, Marchio Moraviae, Dux Lucemburgenſis, et Sleſiae, Marchio Luſacenſis etc. Fatemur, et recognoſcimus univerſis: Quemadmodum Nos Sereniſſimo Principe, et Domino, Domino Sigismundo Rege Poloniae, Magno Duce Litvaniae etc. Noſtro Chariſſimo Fratre, et Affini, gratia relaxationis viarum, et aliorum inveteratorum errorum, et defectuum inter Regnum noſtrum Bohemiae, et Ducatum Sleſiae, ac aliarum Terrarum Regno noſtro Bohemiae incorporatarum, parte ex una, et SACRAE MAIESTATIS Regis Poloniae parte ex altera pendentium, indiesque emergentium, per quod viae publicae e converſo relaxentur, aliique errores, ac controverſiae componantur, et finiantur, pradictaque Regna, et Dominia in bona, diuturna, et firma vicinitate retineri poſſint, conſtituimus, et concluſimus, quod Nos ex ambabus partibus noſtros Conſiliarios, et Plenipotentes Commiſſarios, ac Nuntios in Civitatem noſtram maioris Glogoviae, ad Feſtum S. Galli, hoc eſt, diem decimam ſextam Menſis Octobris proximam ingrediendi, et praefata negotia incipiendi, et finiendi deputaremus. Nos itaque Generoſos, Venerabiles, Strenuos, et Nobiles fideles noſtros, Joannem Popel *de Sbyraw*, Supremum Curiae Regni Bohemiae, Sebastianum *de Wegmul* in *Chomothaw* praenominati Regni Germanorum Feudi Capitaneum, Hinkonem *de Werbna* in *Nameſt*, Zdenkonem *de Medzericz*, et *Lomnicz* in *Trawna*, Laurentium Praepoſitum in *Stulweg ſenburg* Conſiliarium noſtrum, et dilecti Filii noſtri Praeceptorem, Joannem Bechmgic noſtrum Supremum Regni Bohemiae Notarium, Andrzychum Brzesinski, et Georgium Rechersdorff Conſiliarium noſtrum, et Regni noſtri Hungariae Secretarium, coniunctim, et diviſim ad praefata negotia ad hoc ipſum tempus futurum S. Galli cum ea plenaria noſtra Regia facultate, et inſtructione amandavimus, ea conditione, ut quicquid cum Regiae Maieſtatis Poloniae Commiſſariis pro eo tempore, ad utrorumque Regnorum noſtrorum, Ducatuum, et aliarum Terrarum, occaſione recluſionis viae publicae, nec non ſopiendis aliis omnibus erroneis defectibus ad commoda et utilitates augendas tractarent, agerent, et concluderent, ea omnia plenam, et integram firmitatem, et robur ſunt habitura, firmiterque retinenda. Sed quicquid grave illis, et difficile, pro eorum debito non ferendum, nec conſonum videretur, Nobis ea, quam celerrime declaranda eſt noſtra propenſa voluntas, et animus. Harum ſerie Literarum obſignatarum noſtro appenſo Regio Sigillo. Datum in Civitate noſtra Vienna 20 die Menſis Sept. Anno Domini MDXXXIX. Regni noſtri Romanorum IX. et aliorum XIII. Anno.

Anno 1539.

HUNGARIA.

ANNO 1355.

# HUNGARIA.

ANNO 1355.

I.

Transumptum trium Literarum LVDOVICI Regis Hungariæ, sub nomine JANVSSII Doctoris Decretorum, Decani & Cancellarii Cracovienſis, in forma Vidimus editum:

*Primis Literis promittit* LVDOVICVS *Rex non repetiturum ſe debitum, quod ei* CASIMIRVS *ratione Regni Ruthenorum debebat, priusquam idem integram eiusdem Regni poſſeſſionem adeptus fuerit.* Budæ, d. 24 Januarii Anno Domini 1355.

*Alteris permittit mercatoribus, ut Sal ex Regno Poloniæ in Regnum Hungariæ usque ad Civitatem Sarus advehere poſſint.* Budæ in Feſto Converſionis S. Pauli Apoſtoli, Anno Domini 1355.

*Tertiis Literis* LVDOVICVS *Rex pollicetur ſe* CASIMIRO *Regi contra Litvanos in Subſidium venturum, vel ipſe ſi venire non potuerit, maiores quam antea Copias miſſurum.* Datum Budæ d. 24 Januarii, Anno Domini 1355. Tranſumpti Anno eodem Kalend. Septembr. *Ex Autographo ſub Sigill. Civitatis Cracovien.*

In Nomine Domini Amen.

*Noverint univerſi & ſinguli præſens Tranſumptum, ſeu Tranſcriptum publicum inſpecturi: Quod Nos* JANUSSIUS *Doctor Decretorum, Decanus & Cancellarius Cracovienſis, vidimus, & diligenter inſpeximus tres Literas apertas, ſanas, & integras, omnique ſuſpicione carentes, quarum tenor infra ſcribitur: quæ quidem Literæ Sigillis, æqualibus in rotunditate effigiis, & ſignis, ac Literis circumferentialibus, de cera communi a tergo ſunt ſigillatæ. In ſuperficie Sigillorum prædictorum quædam Imago ſedentis in Sede Regiæ Maieſtatis induta purpura, coronata, habens Sceptrum in manu dextra, & globum cum Cruce in manu ſiniſtra, Literæ circumferentiales Cruce præmiſſa ſunt iſtæ:* LUDOVICUS *Dei gratia Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ. Quarum quidem Literarum tenor de verbo ad verbum eſt talis:*

NOs LUDOVICUS Dei gratia Rex Hungariae, Vobis Sereniſſimo Principi Domino CASIMIRO eadem gratia Polonorum Regi Illuſtri, Avunculo noſtro praedilecto aſſumpmimus, et promittimus, ac ſpondemus, quod debitum, quo Nobis occaſione Regni Ruthenorum tenemini, quod ante recognoviſtis, et ſuper quo mediantibus Literis veſtris Nobis exiſtitis obligati, a Vobis non repetemus, nec Vos impetere intendemus ſuper ipſo, vel illud exigere, donec poſſeſſionem pacificam, ſeu Dominium, prout Praedeceſſores veſtri habuerunt, obtinere valueritis Regni praenotati. Sed cum illam obtinueritis Deo Duce, volumus, ut debitum ipſum plenarie, prout tenemini, perſolvatis. Datum Budae, vigeſimo quarto die Menſis Januarii, Anno Domini Milleſimo trecenteſimo quinquageſimo quinto. *Item alia Litera eſt talis:*

LUDOVICUS Dei gratia Rex Hungariae fidelibus noſtris Univerſis Praelatis, Baronibus, Comitibus, Caſtellanis, Nobilibus, et aliis cuiusvis Status, et Praeeminentiae hominibus, quibus praeſentes oſtendentur, Salutem, et Gratiam. Noveritis, quod Nos ad caritativam, et fraternalem inſtantiam Excellentis Principis Domini KASIMIRI, eadem gratia Regis Poloniae, Fratris noſtri Cariſſimi, annuimus, ut Sales Domini Regis Fratris noſtri de Polonia usque Civitatem noſtram *Sarus*, et Liptovienſem per Hungaros, Polonos, et alterius cuiusvis Idiomatis homines Mercatores libere, et ſine omni contradictione ac impedimento adducantur venditioni exponendi. Igitur Fidelitati veſtrae firmo Edicto Regio praecipientes mandamus, quatenus praedictos Mercatores cuiuscunque nationis exiſtant, praedictos ſales de Regno Poloniae in Regnum noſtrum, ſcilicet usque Civitatem noſtram *Sarus* importantes, nullo modo praeſumpmatis impedire, ſed eosdem libere incedere admittatis, aliud obtentu noſtræ dilectionis facere non audentes, et hoc volumus ubique in illis finibus palam facere, et proclamari. Datum Budae, in Feſto Converſionis S. Pauli, Anno Domini Milleſimo trecenteſimo quinquageſimo quarto. *Item tertia Litera eſt talis:*

Princeps Sereniſſime, et Frater Chariſſime Domine KASIMIRE Illuſtris Rex Poloniae: Quia pro praeſenti veſtra ex-

Anno 1355. peditione, quam contra Litvanos Vos fatemini habiturum, subsidium nostrum personale, aut Gentis opportunae Vobis per Nos impendi fraternaliter exposcitis, idcirco Nos Ludovicus Dei gratia Rex Hungariae promittimus, ut si protunc aliquo negotio impediti, in ipsa expeditione personaliter interesse nequeamus, Gentis tamen amplioris, quam alias consueveramus, praesidium fraternali vestrae Celsitudini, impertiri promptos Nos offerimus, et paratos, pro exterminio et confusione eorundem. Datum Budae, Vicesimo quarto die Mensis Januarii, Anno Domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto.

Quibus quidem Literis visis et diligenter inspectis, inventisque sinceris in omnibus, ad instantem petitionem discreti viri, digni Nicolai Skalcze Procuratoris Magnifici Principis Domini Kasimiri Dei gratia Regis Poloniae Illustris, habens ad hoc speciale Mandatum per Jacobum Subscriptum publicum Notarium, Authoritate nostra ordinaria transumi, et conscribi mandavimus, et in hanc formam publici redigi Documenti: volentes, et decernentes, ut huic Transumpto deinceps plena fides adhibeatur ubique locorum, ipsumque Transumptum fidem faciat in agendis, ac si ipsae Originales Literae apparerent. Quibus omnibus, et singulis sedentes pro Tribunali, Authoritate nostra ordinaria, ad maiorem huius rei evidentiam Sigillum nostrum duximus appendendum. Actum et Datum in Cracovia, in Castris circa Thesaurum Magnifici Principis Domini Kasimiri Dei gratia Regis Poloniae Illustris, sub Anno Domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto, Indictione Decima, Calendis Septembris, hora quasi Completorii, Praesentibus his testibus: Petro, et Voislao Subthesaurariis Domini Regis praedicti, Henrico *de Kuscow* Notario Poloniae Regis praefati, Joanne Procuratore Ecclesiae de *Zagoicz*, et aliis fide dignis.

Et Ego Jacobus quondam Nicolai *de Paczonow* Clericus Cracovienſis Diœcesis, publicus Authoritate Imperiali Notarius, exhibitioni Literarum, una cum praescriptis testibus praesens interfui, et ea omnia, requisitus per Venerabilem Virum Dominum Janussium Doctorem Decretorum, Decanum, et Cancellarium Cracovienſem, in hanc publicam Formam redegi, meoque Signo, et Nomine consignavi in testimonium praemissorum.

II. Anno 1355.

*Transumptum Literarum, quibus continetur Juramentum a Proceribus Regni Hungariæ* Casimiro *Regi Poloniæ praestitum, quo illi Pacta inter Eundem* Casimirum, & Carolum *Hungariæ Regem de successione Filiorum eiusdem Regni Hungariæ in Regnum Poloniæ inita, confirmant.* Datum in Zadoch in Vigilia SS. Philippi & Jacobi, Anno 1355. datum vero Instrumenti Cracoviæ 5 Calend. Octobris 1357. *Ex Autographo.*

In Nomine Domini Amen.

*Noverint Universi praesens Transumptum, seu Transcriptum publicum inspecturi. Quod Nos* Joannes *Decanus, & Cancellarius Cracovienſis vidimus, & diligenter inspeximus quandam patentem Literam sanam, & integram, omnique prorsus vitio carentem, tenoris, & continentiæ infrascriptæ. Cui quidem Literæ decem Sigilla, duo oblongæ figuræ, octo vero Sphæricæ figuræ, de cera communi ad tergum, sed ad faciem de cera rubra, solum ultimum Sigillum de cera communi, ex utraque parte in pargameni pressulis appendebant, tenor vero eiusdem per omnia sequitur in hæc verba:*

In Christi Nomine Amen.

Quoniam est moris, Consuetudinis, atque consonum rationi, ut quidquid Regia Maiestas de Consilio, et beneplacito Praelatorum, et Baronum, Procerum, ac Nobilium Regni sui decreverit, faciendum, sive statuendum, et matura deliberatione praehabita agit, ordinat, et disponit, in his praesertim, quae ad utilitatem, honorem, et commodum suum, suique Regni venire possunt, non immerito sic ordinata, acta, et dispositа ab omnibus Regnicolis debent approbari, et inviolabiliter observari. Hinc est, quod Nos Nicolaus Dei, et Apostolicæ Sedis gratia, Archiepiscopus Strigonienſis, locique eiusdem Comes perpetuus *de Tharath*, Thomas Petl Magister Janitorum Regalium, et Castellanus *de Chokokow*, Marochwen Magister Agazonum Reginalium, et Comes *de Beregh*, Nicolaus Praepositus Steucienſis, Ladislaus Praepositus Chazmenſis, Comes Capellae Regiae, Gregorius Custos Varadienſis Decretorum Doctor, Joannes Oliveri Magister Dapiferorum

Anno 1355. rorum Reginalium, ac Joannes Alexandri Comes Szagradienſis, et Caſtellanus *de Symus*, et *de Zdendren*, de Conſenſu, Mandato, beneplacito, et voluntate Sereniſſimorum Principum Domini Ludovici praedicta gratia Regis, et Dominae Elisabeth Reginae Hungariae Genitricis eiùsdem, Dominorum noſtrorum, Vobis Excellentiſſimo Principi Domino Kazimiro ſaepedicta gratia Polonorum Regi perſonaliter recipienti, promittimus bona fide absque omni dolo ſine fraude, quod ad hoc, ut compoſitio, ordinatio, et diſpoſitio, quae dudum inter Vos, et Potentiſſimum Principem quondam Dominum Regem Carolum Sororium veſtrum, Dominumque noſtrum, ſuper ſubiectione Omagii, et Regimine Regni Veſtri Poloniae, in Perſona Sereniſſimorum Principum, Dominorum Ludovici, Andreæ, et Stephani Natorum ipſius, in caſu, ubi Vos absque haerede Maſculini Sexus decedere contigerit, inita fuit, et firmata, et nunc praefatis Dominis Andrea, et Stephano ſublatis de hac vita, inter Vos, et praelibatum Dominum Regem, ac Inclytum Principem Dominum Joannem Ducem totius Sclavoniae, Croatiae, et Dalmatiae, ſupradicti Domini Stephani Ducis Filium, Nepotes veſtros quoad eorum, haeredumque ipſorum ſexus, de quo ſupra, Perſonas innovata, perpetuis temporibus inviolabiliter, et inconcuſſe, quoad omnes ſuos Articulos, ac Clauſulas, tam quo ad ea, quae per Vos ſunt aſſumpta, quam quo ad ea, quae per praedictos Dominos noſtros, Regem, et Reginam, Vobis, Regnique Veſtri Regnicolis aſſumpta exiſtunt, viceverſa perſeverent, toto noſtro poſſe, et conamine erga praedictos Dominos noſtros efficaciter inſiſtemus, ipſisque quo ad omnia praedicta, et quae ea contingere poſſent quoquo modo, aſſiſtemus conſiliis, et auxiliis opportunis. Et nihilominus quae per Nos circa praedicta alias debent fieri, efficaciter curabimus adimplere. Sic Deus Nos adiuvet, et haec Sancta, quae tangimus, Evangelia. In quorum teſtimonium Sigilla noſtra praeſentibus duximus appendenda. Datum in Zadoch in Vigilia SS. Philippi, et Jacobi Apoſtolorum, Anno Domini Milleſimo trecenteſimo quinquageſimo quinto.

Qua quidem Litera viſa, et diligenter inſpecta, inventaque ſincera in omnibus, ipſam ad inſtantem petitionem Diſcreti Viri Domini Nicolai Skalka Procuratoris Sereniſſimi Principis Domini Casimiri Regis Poloniae, habens ad hoc ſpeciale Madatum, per Henricum Nicolai *de Ruskow* infraſcriptum publicum Notarium Authoritate noſtra ordinaria tranſumi, et conſcribi mandavimus, et redigi in hanc formam publici Documenti, volentes, et decernentes, ut huic Tranſumpto deinceps ubique locorum plena fides adhibeatur, ipſumque Tranſumptum fidem faciat in agendis, ac ſi ipſa Originalis Litera appareret. Quibus omnibus, et ſingulis pro Tribunali ſedentes authoritatem noſtram Ordinariam interponimus, et Decretum, et ad maiorem huius rei evidentiam Sigillum noſtrum praeſentibus duximus appendendum. Datum, et Actum Cracoviae 5 Calendras Octobris, in Domo noſtrae habitationis, Anno Domini 1357. Indictione 10, hora quaſi prima, Praeſentibus Honorabilibus, et diſcretis Viris, Dominis Jesdeone Lancicienſis, Jacobo Sandomirienſis Eccleſiarum Scholaſticis, Thanicone Canonico Cracovienſi, Philippo Capellano, et Nicolao Clerico noſtris Familiaribus, Teſtibus ad praemiſſa. Anno 1355.

Et ego Henricus Nicolai *de Ruzkow* Clericus Vratislavienſis Diœceſis, publicus Imperiali Authoritate Notarius, praeſcriptam Literam de Mandato praefati Domini Cancellarii, et ad inſtantem petitionem ſupradicti Procuratoris, de verbo ad verbum tranſumpſi, et fideliter exemplavi, nihil addendo, vel minuendo, praeter quam fortem literam, vel ſyllabam, quae mutat ſenſum, ſeu vitiat intellectum, et facta diligenti collatione cum ipſo Tranſumpto ad Originalem Literam utramque, inveni bene per omnia concordare. Ideo me cum Signo, et Nomine meis ſolitis conſignavi in teſtimonium omnium praemiſſorum.

## III.

*Fœdus inter* Lvdovicvm *Hungariæ, &* Casimirvm *Poloniæ Reges, Budæ in Conventu Eorum perſonali ſancitum, quo vetera Pacta confirmant, & Societatem ineunt contra omnes, eos hoſtiliter aggredi volentes, præcipue vero contra* Carolvm *Imperarem.* Datum Budæ, Feria quarta Cinerum, Anno 1369. *Ex Originali.* 1369.

Ludovicus Dei gratia Rex Hungariæ &c. Recognoſcimus publice per Præſentes: Quod cum in Civitate Noſtra Budenſi una cum Sereniſſimo Principe

ANNO 1369. Domino CASIMIRO eadem gratia Rege Poloniæ, Fratre noſtro Cariſſimo conveniſſemus, expeditis, & reformatis quibusdam negotiis Rempublicam, & commune Bonum utrorumque Regnorum reſpicientibus, habito inter Nos maturo tractatu, & conſilio Baronum noſtrorum unanimi voluntate cenſuimus, & convenimus omnia Pacta, Conventiones, Ligas, Confœderationes primitus utrobique habitas, factas, diſpoſitas, & firmatas quoad omnes clauſulas, & puncta, earum in ſuis juxta tenorem Literarum deſuper confectarum firmitatibus, & vigoribus irrefragabiliter permanere, promittentes bona fide, & absque dolo, & fraude, quod unus alterum contra quaslibet Perſonas, cuiuscunque Status, dignitatis, & præeminentiæ exiſtant, nullo penitus excepto, vel excluſo, & ſpecialiter contra Magnificum Principem Dominum CAROLUM Romanorum Imperatorem, & Regem Bohemiæ, Regna, Terras, & Dominia noſtra quælibet, quæ vel quas in præſenti habemus, aut inpoſterum poſſidemus, invadere molientes, defenſare, tueri, adiuvare, protegere, & ſuccurrere teneamur, non parcentes Perſonis, laboribus, & expenſis, demum alternatim cum omni ſinceritate promiſimus, quod nullus noſtrum in antea cum aliqua Perſona de quibus præmittitur, quæ Nobis Guerras movere præſumpſerit, vel cui ipſas movebimus, aliquas concordias perpetuas, Contractus Matrimoniales de perſonis Nobis coniunctis, cum ipſo Imperatore, & ſibi coniunctis, uniones, Pacta, & Ligas, ſive Treugas Pacis faciet, ſeu facere attemptabit, quovis modo, alterutrius ſine requiſitione conſenſu & beneplacita voluntate. Harum, quibus Sigillum noſtrum eſt appenſum, teſtimonio Literarum. Actum & Datum Budæ, Feria quarta Cinerum, Anno Domini Milleſimo trecenteſimo ſexageſimo nono.

## IV.

1386. ELISABETH *Regina Hungariæ promittit* VLADISLAO *Regi Poloniæ Genero ſuo auxilia, & defenſionem contra omnes hoſtes, cum tota potentia Regni ſui.* Datum Budæ in Vigilia Pentecoſtes, Anno 1386. *Ex Originali.*

ELISABETH Dei gratia Regina Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc. Significamus harum Notitiam habituris, quibus expedit, Univerſis: quod Nos Sereniſſimum Principem Dominum VLADISLAUM Regem Poloniae etc. Maternalis dilectionis amplexu tanquam Filium, et Generum noſtrum cariſſimum ſuſcepimus, et ſuſcipimus per Praeſentes, ſibique ex certa noſtra ſcientia, bona noſtra fide, ſine omni dolo, et fraude promittimus, quod ipſum contra quoscunque homines, Terras, Jura, et Dominia ſua impugnare, et attemptare volentes, et contra quoslibet ſuos æmulos, et inimicos cum omnibus noſtris hominibus, Terris, Caſtris, et Civitatibus, munitionibus, et omnimoda noſtra facultate, quotiescunque opportunum fuerit, ſuffragantes volumus fideliter adiuvare, et quod omnia noſtra Caſtra, Civitates, et munitiones ſibi, ſuae neceſſitatis tempore contra quoslibet ſuos æmulos et inimicos, absque dilationis obſtaculo prompta, et aperta eſſe debeant tanquam Nobis: MARIA Regina Hungariae etc. Filia noſtra cariſſima duntaxat excepta. Quod ſi dicta Domina MARIA quempiam praeter noſtram voluntatem adiuvare voluerit contra Regem, et Reginam Poloniae, tunc volumus cum Domina HEDVIGI Filia noſtra cariſſima Regina Polonia, et conthorali ſuo remanere, ipſosque in omnibus noſtris munitionibus ſupportare. Caeterum dicto Domino VLADISLAO Regi Poloniae Filio noſtro cariſſimo ſinceriter promittimus, et ſpondemus, quod ipſum a quibusvis damnis, et periculis publicis, et ocultis ſibi in Perſona propria, bonis, atque rebus quomodolibet imminentibus, noſtrae notitiae patentibus volumus, et tenebimur fideliter praemunire, et omnia praeſcripta noſtra promiſſa rata, et firma volumus obſervare praeſentium ſub noſtrae Maieſtatis Sigillo teſtimonio Literarum. Datum Budae in Vigilia Pentecoſtes, Anno Domini Milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſexto. ANNO 1386.

## V.

*Ordinum Regni Hungariæ, cum Ordinibus Regni Poloniae Fœdus perpetuum, quo vetera Pacta inter Maiores ſuos inita renovant, & confirmant, ac mutuam ſibi invicem opem, & defenſionem promittunt, cætera.* Datum in Oppido Zalatuak Zagrabienſis Diœceſis, die 4 Aprilis, Anno 1403. *Ex Originali, Sigill. 51. Extat in Arch. Cancell. Regni, Lib. Legationum, ſub Lit. C. fol. 3.* 1403.

In

ANNO 1403. In Nomine Domini Amen. Ad perpetuam Rei Memoriam. Sereniſſimi Regis diſpoſitio ineffabili ratione cuncta diſponens, inter caeteras virtutes, hanc, quae Pax dicitur, praeſtantiorem dignata eſt reputare, a qua Filius Altiſſimi, tanquam a digniori, Rex pacificus voluit nominari, qua praeordinante exſuperari omnem ſenſum, Nobis reliquit exemplum, inquiens Apoſtolis, *Pacem meam do Vobis, Pacem meam relinquo Vobis*, innuens, ut in Pacis amplitudine iugiter ambulemus, ſine qua etiam non poteſt coli bene coeleſtis Medicus, et Auctor verae Pacis: In cuius dulcedine ſingulari ratione fruentes, merito deberent firmiter ſua loca figere, et fundare. Proinde Nos Praelati et Barones, Proceres, Nobiles, et Communitas Univerſorum Terrigenarum Regni Hungariae ad Notitiam tam praeſentium, quam futurorum per haec ſcripta deducimus. Quomodo cogitantes ea, quae Pacis ſunt, et non afflictionis, conſiderantesque, quod effuſa contentio ſuper Principes facit eos errare in invio, et non in via, futurorum etiam periculorum diſpendiis ex elationibus diſturbiorum, et Guerrarum venientibus cupientes occurrere, dignum arbitramur, et rationi conſentaneum, ut Fœdus Amicitiae, et Pacis tranquillitas inter haec Regna, videlicet Hungariae, et Poloniae, diuturnis temporibus, quorum contrarii memoria hominum non exiſtit, roborata, et firma perpetue obſerventur. Et ne de recordio poſterorum, ac Succedaneorum noſtrorum memoria decideret, eiusdem Fœderis longævi, et laudabiliter firmati ſervatio, maturo conſilio praehabito de certa ſcientia noſtra, et voluntate ultronea ipſum tenore Praeſentium innovamus, promittentes pura fide, ſine dolo, et fraude, ipſi Regno Poloniae, eiusque Praelatis, Baronibus, Proceribus, Nobilibus, et Terrigenarum Communitatibus efficaciter aſſiſtere, et ipſis auxiliis, conſiliis, favoribusque noſtris temporibus perpetuis firmiter adhaerere, ipſos nunquam aliquibus coloribus exquiſitis deſerendo, eo etiam non omiſſo, quod omnes Diſpoſitiones, Ordinationes, et Conſuetudines antiquae, circa mercantias et alias quascunque negotiationes fieri ſolitae, inter eadem Regna diutius, et ſignanter tempore piae memoriae LUDOVICI, et CASIMIRI Regum ſervatae, inviolatae, et integrae permaneant, et Regnum utrumque circa Jura Dominiorum, et Poſſeſſionum quarumlibet, quae nunc tenet, poſſidetque, pacificum perpetue conſervetur. Illo praeſertim addito ſpecialiter, et expreſſo, quod Regem noſtrum, quem noviter eligemus, et introducemus, ac Succeſſores Eius Reges Hungariae cum ipſorum Rege, ſeu Regibus unire, et amicabiliter fœderare volumus, quod et ipſi vice reciproca facere tenebuntur. Si autem aliquis Regnorum prædictorum Rex, utpote ſi noſter adverſus ipſos, aut eorum adverſus Nos inſurgeret, et Nobis aut ipſis Guerras movere intenderet, ex tunc Nos Regi noſtro contra ipſos non debemus præſtare ſubſidia, et ipſi Regi eorum contra Nos etiam non facient pari modo. Et ut praeſcripta per Succeſſores noſtros irrefragabiliter teneantur, præſentes appenſione Sigillorum noſtrorum munimine fecimus communiri. Datum in Oppido Zalatuah Zagrabienſis Diœceſis 4 Die Menſis Aprilis, Anno Domini 1403. ANNO 1403.

## VI.

*Literæ* VLADISLAI *Regis Poloniæ, quibus præſtat ſecuritatem* SIGISMVNDO *Regi Hungarorum agendi iter cum mille quingentis Equitibus per Ditiones ſuas in Pruſſiam, componendæ inter ſe, & Cruciferos Pacis cauſa.* Datum Cracoviæ in Dominica *Vocem Jucunditatis*, Anno 1410. *Ex Originali.* 1410.

Sereniſſimo Principi Domino SIGISMUNDO Dei gratia Regi Hungarorum, Croatiæ, Dalmatiæ, &c. Marchioni Brandeburgenſi, Sacri Romani Imperii Vicario Generali, & Regni Bohemiæ Gubernatori &c. VLADISLAUS eadem Gratia Rex Poloniæ, nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiaviæ, Supremus Princeps Litvaniæ, Pomeraniæ, Ruſſiæque Dominus, & Hæres &c. Salutem & perfectam in Chriſto amoris caritatem. Illuſtris Princeps Frater noſter cariſſime. Ex quo ad ſopiendas diſſenſiones, et ad ſedanda diſturbia inter Nos, & Cruciferos de Pruſſia currentia ſalutifero moti propoſito ad partes Pruſſiæ ſatagitis viſitare, ut ſecum & ſine impedimento, fines Regni & Terrarum noſtrarum valeatis pertranſire, pro charitate Vobis, & omnibus Prælatis, Baronibus, Militibus, Clientibus, aliisque cuiuslibet ſtatus, & conditionis hominibus in veſtra familiaritate, & Comitiva euntibus in numero mille quingentorum equorum, de ſalvo, ſecuro, & Chriſtianico conductu tenore præſentium providemus. Promittentes in verbo noſtro Regio, ſub fide,

Anno 1410. honore, & onere Juramenti noſtris, dolo, & fraude ceſſantibus, nulla arte, ingenio, aſtutia, vel colore obſervatis, quod libere, ſecure, & ſine omni impedimento cum tota comitiva, & familiaritate veſtris eundo ad Pruſſiam, & redeundo ad Regnum Hungarorum, fines Regni, & Terrarum noſtrarum per Terras, & per aquas poteritis pertranſire, ſub ſecuro, perfecto, & integro, Chriſtianico, & indubitato ſecuritatis conductu, absque ulla moleſtia, arreſtatione, retentione, offenſa, vel gravamine, ſalvis rebus omnibus & Perſonis. Itaque cum omnibus prædictis Veſtris Prælatis, Baronibus, & tota Comitiva Familiæ veſtræ de Regno veſtro Hungarorum, ut præmiſſum eſt, per Regnum noſtrum ire, & ad Regnum veſtrum reverti, & redire usque in *Lubocza*, a Duce *Wythowdo*, omnibusque Subditis ipſius, & noſtris ſecuri valeatis, & poſſitis; nolentes tamen ut per hoc ſecuritatis noſtræ conductus læderetur, caſſaretur & ceſſaret, ſi, quod abſit, inter veſtros familiares, & noſtros Subditos aliqua ſeditio, contentio, controverſia, & diſcordia verbi, facti, vel operis oriatur, vel creſcat, & ſi ex eis quantacunque offenſio vel læſio Perſonarum, inflictio vulnerum, vel mortis diſpendium ſequeretur, vel veniret; etſi rumor aliquis, vel incendium per familiares veſtros committeretur, ut per hoc dictus ſalvus conductus ullo modo debeat violari, ſed quod inviolabiliter permaneat, & robur obtineat ſinceræ, & conſtantis firmitatis. Præterea Nuntii, & Ambaſiatores veſtri interim veſtram Serenitatem ad Pruſſiam ſequentes, vel de Pruſſia ad Hungariam per Vos remittendi, aut dirigendi, cuiuscunque gradus, ſtatus, conditionis, aut præeminentiæ fuerint, eadem ſecuritate, & Conductu Vobiscum debent potiri, & gaudere, quorum equos in numerum mille quingentorum equorum Veſtræ Comitivæ, & familiaritatis prius deſcriptorum poni volumus, & omnimode computari. Vobis igitur Capitaneis, Procuratoribus, Tenutariis, Caſtritenis, & ſingulis Regni noſtri Officialibus, tum Advocatis, Conſulibus, & Rectoribus Civitatum, qui Præſentibus fueritis requiſiti, damus firmis noſtris Regalibus in Mandatis, quatenus prædictum Dominum Sigismundum Regem Hungarorum &c. cum eius Comitiva honorifice ſuſceptum benevole pertractetis, & de ſecuritate omnimoda providere debeatis: Præſentibus ab hinc ad Feſtum Sancti Joannis Baptiſtæ nunc proxime venturum tantummodo valituris. Datum Cracoviæ die Dominico *Vocem Jucunditatis*, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo decimo. Noſtræ Maieſtatis Sigillo Præſentibus ſubappenſo. Anno 1410.

Ad relationem Domini Nicolai Regni Poloniæ Vicecancellarii.

## VII.

*Proceres Hungariæ promittunt ſe daturos duodecim Commiſſarios, qui cum totidem Commiſſariis Regni Poloniæ Conventu in Nova Villa inſtituto, omnes controverſias, quæ inter* Sigismvndvm *Hungariæ, &* Vladislavm *Poloniæ Reges, Regnaque eorum intercedunt, componendi, & definiendi plenam habebunt poteſtatem.* Datum in Iglavia, Feria tertia proxima ante Dominicam Palmarum, Anno 1411. *Ex Originali Sigill. 9.* 1411.

Nos miſeratione Divina Joannes Strigonienſis Archiepiſcopus, & Joannes Jaurienſis Eccleſiarum Epiſcopus, Nicolaus *de Sara*, Regni Hungariæ Palatinus, Stiborius *de Styboricz* Woywoda Tranſylvaniæ, Comes Symarienſis, *de Rozgay* Judex Curiæ Regiæ, Nicolaus *de Varchali* alias Woywoda Tranſylvaniæ, Joannes *de Polſewez* Tavarnicorum Regalium Magiſter, Joannes *de Maronth* pridem Banus Machovienſis, & Petrus *de Peren* nuper Comes Siculorum Regalium, ad Univerſorum Notitiam per hæc ſcripta deducimus. Quomodo cupientes fines Hungariæ, & Poloniæ Regnorum pacatos reddere, & etiam diſplicentiarum, & iniuriarum materias, ac fomites inter Sereniſſimos Principes & Dominos, Dominos Sigismundum Hungariæ, & Vladislaum Poloniæ Reges, & eorum Regna hactenus ortas, & concurrentes ſuffocare, & ad Statum debitæ caritatis deducere, ita quod unicuique ipſorum juſtitia æquo libramine miniſtretur pro quibuscunque iniuriis, & ex quibuscunque cauſis ex prædictis Regibus unus alium poſſet, aut vellet impetere, de Mandato Sereniſſimi Principis Domini Sigismundi Regis Hungariæ, prædicti Domini noſtri gratioſiſſimi ſpeciali poteſtate Nobis in hac parte conceſſa, Conventionem per Prælatos, & Barones Regnorum prædictorum, ipſo die S. Martini proxime affuturo in antiqua Villa Prælatis, & Baronibus Hungariæ, in *Schramoniche*

Anno 1411. *niche* Prælatis, & Baronibus Poloniæ Regnorum Villis ſtatuimus, & condiximus infallibiliter celebrandam. Ad quam Nos pro parte noſtra Prælatos, & Barones Regni Hungariæ bona fide promittimus comportare, ſub conditionibus infraſcriptis, his videlicet, quod ad eandem Conventionem Prælati, Barones Regnorum prædictorum debent venire cum plena, & omnimoda poteſtate Regum, Regnorumque prædictorum, ubi duodecim ex Dominis Prælatis, & Baronibus de Hungaria ex una, & totidem duodecim ex Dominis Prælatis, & Baronibus de Polonia partibus ex altera ad decidendum, ſopiendum, & finaliter concludendum omnium diſplicentiarum, cauſarum, & iniuriarum inter eosdem Reges, & Regna currentium, ut præfertur, materias debent per ambas partes dari, moderari, relegi, qui ſub fide, & onere juramenti omnes cauſas, & facta diſſenſionum Regum, & Regnorum prædictorum primo per modum Concordiæ amicabilis videre, & temperare debent, ut ea recto tramite arbitrii planificarent, & unirent. In caſu autem quo ipſi per Concordiam complanare non poſſent, extunc judicialiter vigore juſtitiæ ipſi diſcutient, planabunt, & decident; quinimo in rebus dubiis, quas proprio ingenio diſcernere non poterunt, cauſas ad deciſionem Superarbitri, ſi ipſum tunc neceſſario unanimiter decreverint eligendum, debent remittere, per ipſum finaliter decidendas. Ubi autem Superarbiter ab utraque parte electus onus huiusmodi ſuper ſe ſuſcipere recuſaret, aut morte, vel alio legitimo impedimento præventus, etiam poſt acceptationem oneris præfati non poſſet, aut nollet ulterius procedere in præmiſſis, tunc Prælati, & Barones prædicti jurati, ex utraque parte, ſi neceſſitas fuerit, eligendi alium plenam habebunt facultatem. Item ante omnia prædicti duodecim ex una, & alii duodecim ex alia partibus eligendi, Sacramentum fidei, ſeu Juramentum ſub hac forma verborum facere debent, & præſtare tactis Venerabilibus Reliquiis, aut Sanctis Evangeliis: *Juro, vel juramus ad hanc Sanctam Dei Evangeliam, ſic me*, vel *Nos Deus, & Sancta Sanctorum adjuvent, quod definitis negotiis, cauſis, & iniuriis ex parte Sereniſſimorum Principum Dominorum* Sigismundi *Hungariæ, &* Vladislai *Poloniæ Regum, & ipſorum Regnorum coram Nobis proponendis timore, favore, & odio cuiuslibet Regum prædictorum, & ipſorum Regnorum ſemotis, & excluſis ſolum Deum habentes præ oculis, meram juſtitiam, & rectum judicium, prout intellectus rationis noſtræ attingere, & comprehendere poterit, facere promittimus; dolo, & fraude quibuslibet procul motis.* Ideoque Nos ſupradicti ſub fide & honore noſtris promittimus, & ſpondemus, quod ea, quæcunque viginti quatuor prædicti Prælati, & Barones Jurati, ex utraque parte electi in factis eisdem concluſerint, deciderint, & determinaverint, rata, grataque manere debent, & inviolabiliter obſervari, ubi etiam omnia concluſa, determinata, & deciſa per viginti quatuor per utramque partem eligendos Literis, & Sigillis Regum, Prælatorum, & Baronum, Nobiliumque prædictorum debent roborari, & firmari. Si autem aliquem Prælatorum, & Baronum ex ambabus partibus electorum, & Juratorum decedere contigerit, alter licite eligatur, & quoties neceſſe fuerit, ad juramentum, & numerum reducatur. Illo etiam addito principaliter, & expreſſo, quod prædicti viginti quatuor Prælati, & Barones ex utraque parte Regum, & Regnorum eligendi pænas per obſervationem prævaricationis, Sententiæ, & Decreti ipſorum juridice, aut arbitrarie vallare plenam habeant poteſtatem, prout ipſorum expedire videbitur voluntati. In quorum omnium, & ſingulorum præmiſſorum teſtimonium, & vigorem Literas præſentes Sigillorum noſtrorum appenſione fecimus præmuniri. Datum in Iglavia, alio Nomine Nova Villa, Feria tertia proxima ante Dominicam *Ramis Palmarum*, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo undecimo. Anno 1411.

## VIII.

Vladislavs *Rex Poloniæ approbat Pacta inter ſuos, &* Sigismvndi *Regis Hungariæ Oratores, de Induciis ſervandis, & de modo ſtabiliendæ Pacis perpetuæ condicta.* Datum Cracoviæ, Feria ſexta proxima ante Feſtum B. Andreæ Apoſtoli, Anno 1411. *Ex Originali.*

Vladislaus Dei gratia Rex Poloniæ, necnon Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Litvaniæque Princeps Supremus, Pomeraniæ, Ruſſiæque Dominus, & Hæres &c. Significamus tenore Præſentium, quibus expedit, univerſis. Quomodo de ſpeciali, & expreſſo Mandato noſtro Venerabiles in Chriſto Patres Domini Jacobus Plocenſis, Albertus Poſnanienſis, Nicolaus Vilnenſis, & Mathias Premisliensis Eccleſiarum Epiſcopi, Cristinus

Anno 1411. *de Oſtrow* Caſtellanus Cracovienſis, Joannes Ligęza Lancicienſis, Mathias *de Wanſoſz* Caliſſienſis Palatini, Georgius alias Gedigoth Conſiliarius Ducis, Alexandri alias Witoldow Capitaneus Podoliæ, Joannes *de Szczekociny* Lublinenſis, Nicolaus *de Błociſzkow* Sanocenſis Caſtellani, Joannes Cracovienſis, & Petrus Siradienſis Judices, plenam noſtram poteſtatem habentes, in Villa *Stramowice*, in Conventione circa Feſtum S. Martini proxime præteritum conſtituti cum Prælatis, & Baronibus infraſcriptis, videlicet Domino Ladislao Epiſcopo Tymienſi, necnon Eccleſiæ Beatæ Mariæ Virginis in Scepuſio Gubernatore, Simone *de Rozgon* Judice Curiæ Regis Hungariæ, Petro *de Peremi* Secreto Cancellario Domini Regis Hungariæ, Petro *de Peremi* alias Comite Syculorum, Joanne *de Rozgon*, Stephano *de Rawa*, Petro *de Brzezowiec* Comite Scepuſienſi, Matheusz Palecz Comite *de Borſet* Caſtellano *de Dziusdow*, Joanne *de Humena*, Stephano Filio Pauli *de Somosh*, Benedicto Czuder, & Joanne Filio Jacobi *de Rathmichal* ex parte Sereniſſimi Domini Principis Sigismundi Regis Hungariæ, ad eandem Conventionem miſſis in antiqua Villa cum plena poteſtate ſuperius conſtitutis, talem Ordinationem fecerunt, quam præſentibus Literis conſcripſerunt. Quarum quidem Literarum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis:

Nos Jacobus Dei gratia Plocenſis, Albertus Poſnanienſis, Nicolaus Vilnenſis, & Mathias Premislienſis Eccleſiarum Epiſcopi, Cristinus *de Oſtrow* Caſtellanus Cracovienſis, Joannes Ligęza Lancicienſis, Mathias *de Wanſoſz* Caliſſienſis Palatini, Georgius alias Sedigoth Conſiliarius Domini Domini Alexandri alias Witoldow Capitaneus Podoliæ, Joannes *de Szczekociny* Lublinenſis, Nicolaus *de Błociſzkow* Sanocenſis Caſtellani, Joannes Cracovienſis, & Petrus Siradienſis Judices: Significamus tenore Præſentium, quibus expedit, univerſis, quod habito, & ſervato die Conventionis, & termino placitorum per Venerabiles in Chriſto Patres Dominos Nicolaum Gneſnenſem, & Nicolaum Chalicienſem Archiepiſcopos, Cristinum Caſtellanum Cracovienſem, Joannem *de Tarnow* Cracovienſem, Nicolaum *de Michałow* Sandomirienſem Palatinos, Michaelem *de Mogumiłowice* Sandomirienſem, Joannem *de Szczekociny* Lublinenſem Caſtellanos, Sbigneum *de Brzezie* Mareſchalcum Regni Poloniæ, Anno 1411. Zawissium *de Oleſznica* Tribunum Lublinenſem, circa Feſtum S. Martini Nobis in *Stramowice*, & Prælatis, & Baronibus Sereniſſimi Principis Domini Sigismundi Regis Hungariæ, videlicet Domino Ladislao Epiſcopo Timienſi, nec non Eccleſiæ Beatæ Mariæ Virginis in Scepuſio Gubernatore, Simone *de Rozgon* Judice Curiæ Regni Hungariæ, Enrico *de Peremi* Secreto Cancellario Domini Regis Hungariæ, Petro *de Peremi* alias Comite Syculorum, Joanne *de Rozgorz*, Stephano *de Rawa*, Petro *de Brizomirz* Comite Sepuſienſi, Matheusz Palecz Comite *de Borſchod* Caſtellano *de Dziusdow*, Joanne *de Humena*, Stephano Filio Pauli *de Somoſch*, Benedicto Czuder, & Joanne Filio Jacobi *de Rathmichal* in antiqua Villa exiſtentibus, juxta tenorem Literarum per eosdem in Iglavia, alio nomine in Nova Villa, confectarum ſtatuto, & præfixo cum iisdem Prælatis, & Baronibus, videlicet Ladislao Epiſcopo Tymienſi, nec non Eccleſiæ Beatæ Virginis Mariæ in Scepuſio Gubernatore, Simone *de Rozgon* Judice Curiæ Regni Hungariæ, Enrico *de Peremi* Secreto Cancellario Domini Regis Hungariarum, Petro *de Peremi*, alias Comite Syculorum, Joanne *de Posgor*, Stephano *de Rawa*, Petro *de Brzezowiec* Comite Scepuſienſi, Matheusz Palecz Comite *de Borſchod* Caſtellano *de Dziusdow*, Joanne *de Humena*, ad eandem Conventionem per Sereniſſimum Principem Dominum Sigismvndvm Regem Hungariæ &c. miſſis de ſpeciali, & expreſſo Mandato Sereniſſimi Principis Domini Vladislai Regis Poloniæ, Domini noſtri gratioſiſſimi, ad hunc finem devenimus, & hoc in eadem Conventione concluſimus: Primo, & principaliter, quod Treugæ Pacis per Sereniſſimos Principes, Dominos Sigismvndvm Hungariæ &c. & Vladislaum Poloniæ Reges, Regnaque & Dominum Alexandrvm alias Witoldow, & Subditos, & Coadjutores ipſorum firmiter, inviolabiliterque, ac Chriſtianice a die datæ Præſentium, usque ad Feſtum Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis Glorioſæ proxime affuturum, debent teneri, et ſervari. Ita quod interim ipſis ſtatuitur, ac firmiter obſervatur pro formanda Pace perpetua prædicti Sereniſſimi Principes et Domini Sigismvndvs Hungariæ etc. et Vladislavs Poloniæ etc. Reges, ipſo Dominico Carnis Privii proxime affuturo, quo in Eccleſia Dei *eſto mihi* decantatur, aut alia die, ſi quam eis aptiorem invenerint,

ANNO 1411. rint, Ipſe Dominus SIGISMVNDVS Hungariarum in *Kesmarg*, vel in *Lubowla*, et Dominus VLADISLAVS Rex Poloniæ in *Sandecz* debent conſtitui, et ibi demum de Perſonali Conventione per ipſos facienda, die, et loco aptis provideri. Ad quam utique quilibet Ipſorum Regum venire, niſi infirmitate, aut aliquo alio notabili, & legitimo impedimento eſſet impeditus. Quod utique impedimentum, ſi occurrerit, unus alteri ſignificando declarabit. Si autem, quod abſit, habita Conventione, ut præmittitur, Perſonali Ipſi Domini SIGISMUNDUS Hungariæ, & VLADISLAUS Poloniæ Reges perpetuam inter ſe non fecerint Unionem, extunc ad Feſtum Sanctorum Philippi, & Jacobi Apoſtolorum proxime affuturum juxta ſeriem Literarum in Iglavia, alias in Nova Villa confectarum, Prælati, & Barones Domini SIGISMUNDI Regis Hungariæ &c. & in Antiqua, & Prælati ac Barones Domini VLADISLAI Poloniæ Regis in *Sebramowice* Villis ad idem faciendum proficiſci, & devenire debent. Iterum convenimus, omnes diſplicentias, ac iniuriarum materias inter eosdem Dominos SIGISMUNDUM Hungariæ, & VLADISLAUM Poloniæ Reges occurrentes, & exortas, per modum Concordiæ, aut judicialiter, ſeu vigore juſtitiæ, prout in Literis prædictis in Iglavia ſeu in Nova Villa deſcribitur, deinde rectificare, & complanare. Quæ quidem Literæ per Prælatos, & Barones in Iglavia, alio nomine in Nova Villa pro perpetua Unione inter prædictos Dominos SIGISMUNDUM Hungariæ, & VLADISLAUM Poloniæ Reges factæ, confectæ, & conſcriptæ, non obſtantibus his Inſcriptionibus, quas ad Conventiones per Dominos prædictos SIGISMUNDUM Hungariæ, & VLADISLAVM Poloniæ Reges habendas, & treugas quas ad Feſtum aſſumptionis Beatæ Mariæ proxime affuturum ſervandas conficimus, & facimus Præſentibus, in omnibus earum Clauſulis, Articulis, Punctis, Conditionibus, & Sententiis debent inviolabiliter obſervari, & teneri, ac etiam in ſuo robore permanere, illo etiam addito ſpecialiter & expreſſo, quod Ipſe Dominus noſter VLADISLAVS Rex Poloniæ Cruciferos de Pruſſia per guerras, & contentiones guerrarum notabiles, & publicas non invadet, nec perturbabit, ſed juxta tenores Literarum quarumcunque inter ipſum Dominum VLADISLAVM Regem Poloniæ, eiusque Fratrem Dominum Ducem WITOLDVM ex una, & ipſos Cruciferos parte ex altera quomodolibet confectarum, facta ſua cum ipſis diſponet. Si autem Ipſe Dominus VLADISLAVS Rex Poloniæ Dominus noſter gratioſus eos, quod Deus auferat, per guerras manifeſtas, ut præmittitur, moleſtaret, contra Inſcriptiones proprias ſuper Unione perpetuæ Pacis inter Ipſum, & eosdem Cruciferos confectas, exnunc Dominus SIGISMVNDVS Rex Hungariæ ad ſervandas Pacis Treugas, quas a die datæ Præſentium ad prædictum Feſtum Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis proxime affuturum ſtatuimus, & fecimus, non debet eſſe adſtrictus ſeu ligatus. Si autem ipſi Cruciferi ex adverſo Inſcriptiones Ipſi Domino VLADISLAO Regi Poloniæ factas violarent, & eas, ſicut præmittitur, contempnerent, tunc Ipſe Dominus SIGISMVNDVS Rex Hungariæ debet recedere ab ipſis Cruciferis, & nulla penitus ipſis auxilia, ſubſidia, conſilia præſtare tenebitur adverſus Dominum noſtrum Regem Poloniæ, & Fratrem Ipſius Dominum ALEXANDRVM, alias WITOLDVM, & Ipſorum Coadiutores in Litera Unionis contentos, & conſcriptos, publica, vel occulta. Promittimus inſuper bona fide ſine dolo, & fraude, quod præſentes Literas Dominus VLADISLAVS Rex Poloniæ prædictus Dominus noſter gratioſiſſimus in omnibus eorundem Articulis, Clauſulis & Conditionibus tenebit, & ſervabit, & Literas ſuæ Maieſtatis Sigillo confirmabit, quas in Caſtro Czorſtenſi ipſo die Epiphaniæ Domini, prædictis Prælatis, & Baronibus cum quibus has Inſcriptiones fecimus, tradendas & dandas reponemus, eo etiam non omiſſo, quod Mercatores de Regno Hungariæ ad Regnum Poloniæ iuxta Tractatum, & diſpoſitionem in Iglavia, alio nomine in Nova Villa habitas, cum eorum mercibus liberam transeundi, & redeundi, ac facta eorum diſponendi habebunt facultatem. Harum quibus Sigilla noſtra ſunt appenſa, teſtimonio Literarum. Datum in *Sebramowice*, Feria quinta ipſo die S. Eliſabeth, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo undecimo. Et ut præſentes Literæ in ſuo robore permaneant, ipſas gratificamus, ratificamus, approbamus, & tenore Præſentium confirmamus, bona fide promittentes ſine dolo, & fraude ipſas in earum omnibus Articulis, Punctis, Conditionibus, Clauſulis, & Sententiis firmiter tenere, & ſervare. Harum, quibus Sigillum noſtrum eſt appenſum, teſtimonio Literarum. Datum Cracoviæ Feria ſexta proxima ante Feſtum Beati Andreæ Apoſtoli glorioſi, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo undecimo.

ANNO 1411.

ANNO 1412.

## IX.

*Fœdus inter* SIGISMVNDVM *Rom. & Hungariæ, &* VLADISLAVM *Poloniæ Reges, in Conventu eorum Perſonali in Liblio ſancitum,* die 15 Martii, Anno 1412. *Ex Originali. Extat in Arch. Cancell. Regni, Lib. Legationum Lit. C. fol. 3.*

SIGISMVNDVS Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Raſciæ, Serviæ, Galatiæ, Lodomiriæ, Cumaniæ, Bulgariæque Rex. Ad certitudinem Præſentium, & memoriam futurorum, inter bonas ſollicitudines, curasque multiplices, quæ miniſterio Regiæ Dignitatis incumbunt, de pacifico & ſalubri ſtatu Regnorum noſtrorum ſollicite cogitare Nos convenit; ut in Regnis ipſis, ac Subditis noſtris vigeat tranquilla beatitudo quietis, & ſolidæ Pacis gratia nutriatur. Summopere igitur eſt occurrendum, ut non creſcant iurgia, ſed iuxta Magiſtram bonorum omnium charitatem, quæ nihil ſapit extraneum, nihil aſperum, nihil confuſum, imo propria æqualitate nutrit concordiam, diſſociatos coniungit, Pacem & unitatem conſolidat. Cupientes itaque omnium diſplicèntiarum, odiorum, iniuriarum, damnorum, & guerrarum materias, & fomites, inter Nos ab una, & Sereniſſimum, ac Praelatos, Principes, Dominos VLADISLAVM Regem Poloniae, & ALEXANDRVM alias WITOLDVM Ducem Magnum Litvaniae, Fratrem eiusdem Regis VLADISLAI, partibus ab altera, ac Regna & Subditos cuiuslibet noſtrum quoquo modo hactenus exortas, & attentatas tollere, & ſuffocare, ac ad ſtatum debitum mutuae charitatis, & fraternitatis unione laudabili deducere, ad huiusmodi connexionem Pacis, fraternitatis, & concordiae inconcuſſe duraturam devenimus unionem. Primo nempe ex certa ſcientia noſtra, & in virtute fidei Catholicae perfectae, & puro corde, ac verbo Regio, accedente etiam ad hoc Praelatorum, & Baronum, Procerumque Regni noſtri Hungariae conſenſu, pariter & aſſenſu, aſſumimus & pollicemur, quod ab hoc die, & hora in antea, puram, veram, & ſinceram fraternitatem, eisdem Domino VLADISLAO Regi, & ALEXANDRO Duci, pro quo Praefatus Dominus VLADISLAVS Poloniae Rex, Nobis fecit cautionem, quod idem Dux ALEXANDER vice verſa Nobis eandem fraternitatem iugiter obſervabit, et per ſuas authenticas, et privilegiales Literas firmabit, exhibebimus, et ſervabimus, ipſosque contra omnem hominem viventem, eos hoſtiliter invadere molientem, totis noſtris viribus adiuvabimus. Et quod auxilium, vel conſilium nunquam dabimus, nec conſentiemus, contra ipſorum ſtatum, ſeu Perſonas, neque in periculum, ſeu necem Perſonarum ipſorum, per Nos, vel per alium, ſeu alios aliquatenus machinabimur, aut machinari volentibus conſentiemus; ſed potius conſervationem ſanitatis, et vitae ipſorum, utriusque honores, virtutes eorum, pro poſſe procurabimus. Et quod de Regno, Ducatu, Terris, Dominiis, Vaſallis, et Subditis ipſorum nullo unquam tempore quidquam attentabimus, damnumque, et periculum ſtatus Perſonarum, et honoris ipſorum avertemus. Proditoribus in honorem ipſorum non conſentiemus, imo fraternitates eorum in talibus, ubi ſciverimus, praemuniemus eis intimando, defendemus, ac ipſis aſſiſtemus, ac noſtra omnia, et ſingula erga eorum fraternitates, generaliter et ſpecialiter attendemus, et efficaciter obſervabimus, quae verae et ſincerae fraternitatis vinculum exigit, ut quae in praeſentibus Literis noſtris per diſtinctiones, et continentias earundem in ſuis Punctis, Clauſulis, et Articulis, Sententiisque, et Capitulis univerſis comprehenduntur, promittimus firmiter, inviolabiliter, et effectualiter, attendere, et tenere, prout praefati Domini, VLADISLAVS Rex, et WITOLDVS Dux, Fratres noſtri chariſſimi, vicaria et reciproca viciſſitudine, haec Nobis tenenda, et obſervanda repromiſerunt.

ANNO 1412.

Verum (*) quia ſuper Terris Ruſſiae, Podoliae, Moldaviae, inter Nos et ipſum Dominum VLADISLAVM Regem Poloniae, et occaſione eorundem inter caetera diſſenſionis materia vertebatur: in facto itaque Terrae Ruſſiae, inter Nos et praefatum Dominum VLADISLAVM Regem concordatum extitit hoc modo: ut vita Nobis, et ſibi in ſimul comite, usque ad diem obitus unius ex Nobis, quem videlicet prius nutu Divino ex Nobis eximi contingat ab humanis, inter Nos, et ipſum Dominum VLADISLAVM Regem, nec non praefatum WITOLDVM Ducem, Pacis, & Treugarum fœdera inviolabiliter, inconcuſſe obſerventur, modo infra ſcri-

(*) Calliditate SIGISMUNDI deluſus VLADISLAUS homo ſimplex, facilis, & credulus, Juriumque Regni ſui, cuius liberis ſuffragiis Rex non ita pridem Electus erat, omnino ignarus, animadvertere non potuit tortuoſum ingènium SIGISMUNDI, cum ſibi Jus aliquod in Provincias Regni Poloniæ contra omnem Juſtitiæ, & æquitatis rationem aſſereret.

ANNO 1412.

scripto. Quibus Treugis durantibus præfatus Dominus VLADISLAUS Rex Poloniæ, & extra Terram ipsam Russiæ, pacifice teneat, prout tenet, sine impedimento nostro, vel Regni aut Subditorum nostrorum aliquali; in Terra vero Podoliæ, promittimus Eundem Dominum VLADISLAUM Regem per Nosmet ipsos non impedire, nec per nostros Subditos facere impediri, neque alicui ad illum impediendum consilium, favorem, vel auxilium præstare Treugis durantibus infra scriptis. Item in casu, quo Nos Regem SIGISMUNDUM, memorato Domino VLADISLAO Rege Fratre nostro vocatione Divina prius mori contingat, extunc post obitum nostrum prædictæ Treugæ, infra quinque annos immediate sequentes debent perdurare. Et e converso, si prædictum Dominum VLADISLAUM Regem prius Nobis decedere accidat, Fœdera huiusmodi Treugarum, simul intra quinquennium, inter Poloniæ, & Hungariæ Regna, post decessum debent firmiter observari, & infra prædictos quinque annos Treugarum, videatur Justitia & Jure Partium, secundum seriem & continentiam Literarum, alias per Prælatos, & Barones, utriusque Regni, Hungariæ videlicet, & Poloniæ, primum in *Ihlo*, alio nomine in nova Villa, & altera vice in antiqua Villa confectarum, quarum contenta habentes hic sufficienter inserta, quoad hæc, in suo robore volumus permanere. Præterea de Terra Molduæ seu Moldaviæ, tale, ut sequitur, inter Nos, & Eundem Dominum VLADISLAUM Regem Poloniæ, Fratrem nostrum chariſſimum, est mutuo concordatum. Ex quo enim Magnificus ALEXANDER pronunc Woiewoda Moldavienſis, ad beneplacita & Mandata ipsius Domini VLADISLAI Fratris nostri se dignoscitur obligasse, quam obligationem Nos SIGISMUNDUS Rex prælibatus ob amorem puræ & sinceræ fraternitatis præfati Domini VLADISLAI Regis, nolentes turbare & impedire, ideo dispositum extitit, & firmatum, ut quotiescunque Turcæ & infideles Terram Coronæ Hungariæ, cum valido exercitu hostiliter invaderent, ac eandem depopulari, & devastare molirentur, aut quomodocunque Nos SIGISMVNDVS Præfatus Rex, contra Præfatos Turcas, & infideles, mille lanceas vel plures armaremus, & contra ipsos in expeditionem extra fines Regni nostri Hungariæ destinaremus, ex tunc ad nostram intimationem & significationem, idem Rex Poloniæ Frater noster chariſſimus mandare debebit supradicto Moldvano, ut ipse propria in Persona cum sua tota potentia Nobis, & nostro exercitui succurrat, & obsequia præstet fideliter, & constanter, salvo, si Moldvanus ipse infirmitate notabili, & gravi ex tunc esset inventus. Quo casu nihilominus potentiam suam cum Rectore exercitus sui idoneo transmittere debebit, vel si saltem in servitio memorati Domini VLADISLAI Regis nostri Chariſſimi, cum sua potentia protunc foret præoccupatus, qui si de Mandato memorati Domini VLADISLAI Regis, ut prælibatur, in succursum contra Turcas, vel infideles personaliter venire, vel infirmitate præveniente, mittere suam potentiam recusset, ex tunc Nos ambo, videlicet SIGISMVNDVS, & VLADISLAUS Reges, simul debebimus Terram Moldaviæ, non obstante prædicta obligatione, potenter invadere, & ipsum Woiewodam Moldavum ab eadem removere, & ditioni nostræ subiugare, obtentaque inter Nos Reges dividere, & per limites, seu terminos infra positos distinguere, & celebrari tali modo: Quod sylvæ maiores *Bukowina* dictæ, incipiendo a Montibus, seu ab Alpibus Regis Hungariæ, inter eandem Terram Moldaviæ, & Terram Sepenyecensem situatæ, penes *Sereth* protendentes se ad aliam Sylvam minorem *Bukowina* dictam, usque ad fluvium *Pruth*, debent per medium dividi, seu dimidiari. Et quod forum *Jassutam* in sinistra parte situm manet pro Eodem Domino VLADISLAO Poloniæ Rege &c. Forum vero, seu villa *Berlam* in dextra parte sita maneat Nobis SIGISMVNDO Regi, Coronæ Regni nostri Hungariæ. Transcenso autem fluvio *Pruth* residuæ sylvæ, directe procedendo ad campos desertos usque ad mare, pari modo cum eisdem campis desertis per medium dividantur. Ita quod *Feiemar*, alias *Białogrod* cum aequali medietate pro supra dicto Domino VLADISLAO Rege Poloniae &c. & *Kilia* cum alia aequali medietate pro Nobis SIGISMVNDO Rege, & Coronae Hungariae, maneant taliter dimidiatae, & divisae. Et pars illa, quae ex divisione cedet Domino VLADISLAO Regi praedicto, remaneat in manibus eiusdem sub forma Pacis, & Treugarum super Terra Russiae superius expressarum. Ubi autem Praefatus Moldvanus constanter, & fideliter Mandata per praefatum Dominum VLADISLAVM Regem sibi iniungenda, in nostrum subsidium, & succursum adimplebit, tunc praedicta totalis Terra Moldaviae remanebit apud eundem, etiam post obitum alterius nostrum Regum praedictorum, per quinquennium sub Fœdere Treugarum praedictarum, salvo jure Partis utriusque.

ANNO 1412.

ANNO 1412. Item ſi aliquis, vel aliqui ex Subditis cuiuscunque noſtrum, alterius Regnorum aut Terrarum alterius vaſtationes, praedas, rapinas, vel incendia, vel alia quaecunque maleficiorum genera, in Regnis, et Terris alterius commiſerint, vel committi permiſerint, quod per hoc Treugae praemiſſae non infringantur, ſed quod iidem malefactores ad ſatisfactionem iudicialiter impellantur, ita quod damna per ipſos facta de bonis eorum reformentur. Et ſi iudicio parere contemnerent, uterque noſtrum ipſos tanquam Treugarum maleficos perſequi, & impugnare tenebitur, & debebit. Et, ut praelibatur, nullo diſſenſionis, diſplicentiae, controverſiae, aut maleficii genere ſuperveniente, quotiescunque ex accidente, interrumpi poſſit, & debeat quomodolibet, vel diſponi Fœdus Treugarum, et inſcriptio praedictarum, ſed ut in talibus delicta non remaneant impunita, diſpoſuimus, ut cuicunque contingat in talibus delinqui, aut exceſſum fieri, recurratur, et intimetur per iniuriam, et damnum patientem ad alterum Oppidorum, utpote de Incolis Regni Hungariae ad Oppidum *Sandecz*, et de Incolis Regni Poloniae, ad Oppidum *Lance*, quae quidem Oppida teneantur Judicibus hinc inde ex utraque parte deputatis, aut deputandis caſum, delictum, et exceſſum intimare, et ipſos invocare, ut in termino competenti, Judices quatuor numero, videlicet Comites *de Saricz* Scepuſienſis, Vornanenſis, et Semplimenſis, pro tunc conſtituti, et per Nos deputati ad iuſtitiam, et querelam Incolae de Polonia in Antiqua Villa: ex adverſo totidem Judices per praefatum VLADISLAUM Regem conſtituti, et in Literis ſuis nominatim expreſſi, utpote Sandecenſis, et Voynicenſis Caſtellani, Judex et Succamerarius Cracovienſis, etiam pro tempore conſtituti, in Villa *Samowice*, aut in eisdem locis, minor pars Judicum eorundem, prout rei qualitas depopoſcerit, conveniant, ac Judicium, et Juſtitiam faciant ſimpliciter, et de plano, nec non ſubterfugiis ceſſantibus, in delinquentes digne animadvertant. Et in corroborationem, fidem, et teſtimonium cautelae ulterioris, Sigilla Praelatorum, Baronum, et Procerum Regni noſtri, quorum nomina ſingulariter inferius deſcribuntur, penes Sigillum noſtrum Regale Praeſentibus ſunt appreſſa. Nos quoque miſeratione Divina JOANNES Archiepiſcopus Strigonienſis, Comes perpetuus in Strigonienſi, et Colocenſi Provinciis, Primas, et Apoſtolicae Sedis Legatus, ac Aulae Romanorum Regis Cancellarius: STIBORIVS Agrienſis, STEPHANVS Tranſylvanienſis, JOANNES Lawrienſis, PHILIPPVS Vacienſis, et LADISLAVS Trinienſis, Epiſcopi: nec non HERMANNVS Comes Ciliae, NICOLAVS *de Gaza*, Palatinus Regni Hungariae, STIBORIVS *de Stiborzicze* Woiewoda Tranſylvanus Comes, SIMON *de Rozgon* Judex Curiae Regiae, PHILIPPVS *de Ozora* Comes Themeſſienſis, JOANNES BEBEK, et PELSZEWICZ Tavernicorum, JOANNES Filius JOANNIS Janitoris, JOANNES Filius GREGORII Pincernarum, PETRVS OZOCH Agazonum Magiſtri, NICOLAVS *de Ozock*, pridem Woiewoda Tranſylvanus, PETRVS *de Peren*, pridem Comes Siculorum, ZVBORIVS Theſaurarius, PAVLVS Biſſenus, BANVS, NICOLAVS TREVTEL *de Newna*, PHILPES *de Goroch*, NICOLAVS HEDERVAR Janitoris, GEORGIVS *de Jozwa* Filius Palatini Pincernarum, *de Seugara* Agazonum Reginalium Magiſtri, DAVID LACZ *de Zankowo*, PETRVS Filius HENRICI Comes Scepuſienſis, JOANNES *de Hammona*, MATTHÆVS *de Paloncz* Caſtellanus *de Gorzghwo* Comes *de Garas*, LADISLAVS FRANK Woiewoda, PETRVS FREBEK Filius DETICII Palatini, GEORGIVS Comes *de Bozen*, BARTHOLOMÆVS FAVTHI, GALLVS *de Zeech*, alias Comes Zolenſis, BENEDICTVS ZVDAR, NICOLAVS Filius BEKE *de Velike*, PETRVS Filius PORZE, MICHAEL Filius PAVLI *de Kertghas*, JOANNES JANK, VLADISLAVS THETEVS, DIONISIVS Filius BANI *de Lochucz*, NICOLAVS, SIGISMVNDVS, et JOANNES *de Chetnek*, JOANNES Filius JACOBI *de Nagwihal*, MICHAEL ZAKECH *de Kuzal*, STEPHANVS Filius PAVLI *de Somus*, EMERICVS Filius JOANNIS *de Derenhen*, JOANNES Filius RIBALF *de Tharku*, et LADISLAVS Filius MATHIÆ, bona fide et Chriſtianice noſtris, et Fratrum, Regnicolarumque univerſorum vice, et nominibus aſſumimus, pollicemur, et fide iubemus, quod omnia et ſingula ſuperius ſcripta, et expreſſa, praefatus Dominus noſter SIGISMVNDVS Rex attendet, et ſervabit, Nosque attendemus, et ſervabimus. Suam quoque Serenitatem toto conamine inconcuſſe obſervanda pro poſſe inducemus, dolo, et fraude, in praemiſſis omnibus procul motis. Datum *Liblio*, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo duodecimo, quindecimo die Martii, Regnorum noſtrorum Hungariae vigeſimo quinto, Romanorum vero ſecundo.

Vinarienſis STEPHANVS COMPOLTH, JOANNES ROSGON Comes.

*Jura-*

ANNO 1412.

X.

*Juramentum* SIGISMVNDI *Rom. Regis, quo Fœdus cum* VLADISLAO *Rege Poloniæ ictum confirmat.* Datum in Liblio, Feria quarta proxima post Dominicam Lætare, Anno 1412. *Ex Originali.*

SIGISMUNDUS Dei gratia Rex Romanorum semper Augustus, ac Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Serviae, Gallaciae, Lodomiriae, Bulgariaeque Rex &c. Recognoscimus, et tenore Praesentium profitemur Serenissimo Principi, et Domino, Domino VLADISLAO Regi Poloniae Fratri nostro charissimo, fidem puram, et perfectam servandam, Nos per votum iuramenti Signo Crucis vivifici per Nos tacto corporaliter praestiti obligatum, et astrictum, quandoquidem Juramentum seu fidei Sacramentum sibi fecimus, et praestitimus per formam verborum infra scriptam. Ego SIGISMUNDUS Rex Romanorum semper Augustus et Hungariae Rex &c. Juro, quod nunc fidem servabo Domino VLADISLAO Regi Poloniae &c. Fratri nostro charissimo, et ipsum semper prosequar sinceris favoribus, et liberos suos legitimos, ac Haeredes, bonum status, et honoris ipsius procurando, et commoda, ac profectus eius ordinando ubilibet, nec unquam ad opprimenda bona, Regna, Terras, Principatus, et Dominia, quae nunc habuit, et in futurum habiturus est, volo attendere, aut ad perimendam, aut perdendam vitam eius, seu mortem sibi procurandam quomodolibet aspirare, aut cogitare. Sed ubicunque mali, seu sinistri de ipso scivero, audivero, et sensero, ipsum fideliter praemuniam, et sibi contra insidias omnium inimicorum suorum firmiter toto posse assistam, dolo, et fraude quibuslibet proculmotis, eumque, ac liberos legitimos suos, et haeredes nunquam deseram, imo pro honore et statu eius bona, profectus, et commoda ipsius tanquam propria procurabo, ordinabo, et disponam, quamdiu vitam duxero in humanis; Sic me Deus adiuvet, et Sancta Crux, Sanctaque Maria Mater Christi, et omnes Sancti. Et ut maior caritas, fortitudo, atque securitas inter praedictos Serenissimos Principes Dominos SIGISMUNDUM Romanorum, et Hungariae, ac VLADISLAUM Poloniae Reges augeatur, et concrescat, Nos JOANNES miseratione Divina Archiepiscopus Strigonienſis, HERMANNUS Comes Ciliae et Zagoriae &c. NICOLAUS *de Gara* Palatinus Regni Hungariae promittimus, et spondemus, quod Serenissimum Dominum, Dominum SIGISMUNDUM Romanorum et Hungarorum Regem Dominum nostrum gratiosissimum ad hoc tenebimus, et nostris adhortamentis inducemus, quod juramentum suum praedicto Domino VLADISLAO Regi Poloniae cum matura et bona deliberatione factum, et praestitum, in omnibus Articulis, Clausulis, et Conditionibus tenebit ad tempora suae vitae constanter, et servabit, nec unquam praedicto Domino SIGISMUNDO Regi Romanorum et Hungariae, nostro Domino gratioso huic contrarium consulemus. Praeterea Nos SIGISMUNDUS praedictus Romanorum et Hungariae Rex promittimus, quod praesentes Literas Sigillo Maiestatis nostrae faciemus sigillare, quando sculptum fuerit, et paratum, hoc etiam adiungentes, quod Literis illis, in quibus post mortem alterius nostrum Treugae quinque annorum sunt descriptae, infra quos videri debet de justitia, et jure Partium pro Terris Russiae et Moldaviae secundum seriem Literarum per Praelatos et Barones utriusque Regni, Hungariae videlicet et Poloniae, primo in *Iglow*, alio nomine in *Nova Villa*, et secundo in *Antiqua Villa* confectarum praeiudicare nolumus, aut in aliquo derogare, per Praesentes. Harum, quibus Sigillum nostrum, quo utimur una cum Sigillis praedictorum Venerabilis Archiepiscopi Strigoniensis, et Magnificorum Comitum Ciliae, ac Palatini Hungariae, est appensum, testimonio Literarum. Datum in Liblio alias *Lubowla*, Feria quarta proxima post Dominicam Laetare, Anno Domini Millesimo quadringentesimo Duodecimo. ANNO 1412.

XI.

*Eiusdem Literæ, quibus Fœdus prædictum denuo comprobat.* Datum Constantiæ, die 20 Mensis Aprilis, Anno 1415. *Ex Originali.* 1415.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, et Hungariae, Dalmatiae, Ramae, Serviae, Gallaciae, Lodomiriae, Bulgariaeque Rex &c. Significamus tenore Praesentium, quibus expedit universis. Quod cupientes promissum nostrum Serenissimo Principi Domino VLADISLAO Regi Poloniae &c. Illustri Fratri nostro Charissimo factum efficaciter adimplere, et prout iustum est, ipsum reddere certiorem, Literas nostras super certis Conclusionibus, et Contractibus, inter Nos, et ipsum factis, harum serie

Anno 1415. ſerie decrevimus roborandas. Quarum quidem Literarum tenor ſequitur in haec verba: Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, et Hungariæ, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Gallaciae, Lodomiriae, Bulgariaeque Rex &c. Recognoſcimus, et tenore Praeſentium profitemur Sereniſſimo Principi Domino Vladislao Regi Poloniae Fratri noſtro chariſſimo ad fidem puram, et perfectam ſervandam Nos per votum juramenti Ligno Crucis vivifice per Nos tacto corporaliter praeſtiti obligatum, et adſtrictum. Quod quidem juramentum ſeu fidei Sacramentum ſibi fecimus, et praeſtitimus, per formam verborum infraſcriptam. Ego Sigismundus Rex Romanorum ſemper Auguſtus et Hungariae Rex &c. Juro, quod exnunc fidem ſervabo Domino Vladislao Regi Poloniae &c. Fratri noſtro Chariſſimo, et Ipſum ſemper proſequar ſinceris favoribus, et liberos ſuos legitimos, ac Haeredes, bonum ſtatus et honoris ipſius procurando, et commoda, ac profectus eius ordinando ubilibet, nec unquam ad obtinenda Bona, Regna, Terras, Principatus, et Dominia, quae nunc habet, et in futurum habiturus eſt, volo attendere, vel ad perimendam, ſeu perdendam vitam eius, vel mortem ſibi procurandam quomodolibet aſpirare, aut cogitare, ſed ubicunque mali aliquid, et ſiniſtri de ipſo ſcivero, audivero, et ſenſero, ipſum fideliter praemuniam, et ſibi contra inſidias omnium inimicorum ſuorum firmiter toto poſſe aſſiſtam, dolo et fraude quibuslibet procul motis. Eumque ac liberos ſuos legitimos, et Haeredes nunquam deſeram, imo pro honore, et ſtatu eius bona, profectus, et commoda ipſius tanquam propria procurabo, ordinabo, et diſponam, quamdiu vitam duxero in humanis; Sic me Deus adiuvet, et Sancta Crux, Sanctaque Maria Mater Chriſti, et omnes Sancti. Et ut maior charitas, certitudo, atque ſecuritas inter praedictos Sereniſſimos Principes Dominos Sigismundum Romanorum et Hungariae, ac Vladislaum Poloniae Reges augeatur, & concreſcat, Nos Joannes miſeratione Divina Archiepiſcopus Strigonienſis, Hermannus Comes Ciliae, et Zagoriae &c. Nicolaus *de Gara* Palatinus Regni Hungariæ promittimus, et ſpondemus, quod Ipſum Dominum Sigismundum Romanorum et Hungariae Regem Dominum noſtrum gratioſum ad hoc tenebimus, et noſtris hortationibus inducemus, quod juramentum ſuum praedicto Domino Vladislao Regi Poloniae, cum matura, et bona deliberatione factum, et praeſtitum in omnibus Articulis, Clauſulis, et Conditionibus tenebit ad tempora ſuae vitae conſtanter, et ſervabit, nec unquam praedicto Domino Sigismundo Regi Romanorum, et Hungariae Domino noſtro gratioſo huiusmodi contrarium conſulemus. Praeterea Nos Sigismundus praedictus Romanorum, et Hungariae Rex promittimus, quod praeſentes Literas Sigillo Maieſtatis noſtrae faciemus ſigillare, quam cito ſculptum fuerit, et paratum. Hoc etiam adiungentes, quod Literis illis, in quibus poſt mortem alterius noſtrum Treugae quinque annorum ſunt deſcriptae, infra quos videri debet, de iuſtitia, et iure Procerum pro Terris Ruſſiae, et Moldaviae ſecundum ſeriem Literarum per Praelatos, et Barones utriusque Regni, Hungariae videlicet, et Poloniae, primo in *Iglow* alio nomine in *Nova Villa*, et ſecundo in *Antiqua Villa* confectarum praeiudicare volumus, aut in aliquo derogare per Praeſentes. Harum, quibus Sigillum noſtrum, quo utimur una cum Sigillis praedictorum Venerabilis Archiepiſcopi Strigonienſis, et Magnificorum Comitum Ciliae, ac Palatini, eſt appenſum teſtimonio Literarum. Datum in *Liblio* alias in *Lubowla*, Feria quarta proxima poſt Dominicam Laetare Quadrageſimalem, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo duodecimo. Sed quia in his Literis noſtris mentio fit de Sigillo noſtrae Maieſtatis, cum quo ipſae Literae debent ſigillari, ideo ipſas Literas in omnibus earum Articulis, Punctis, Clauſulis, et Conditionibus ratificamus, gratificamus, roboramus, et tenore Praeſentium confirmamus, decernentes ipſas, robur firmiſſimum in omnibus Punctis, ut praefatur, obtinere. Harum, quibus Sigillum Maieſtatis noſtrae eſt appenſum, teſtimonio Literarum. Datum Conſtantiae viceſima die Menſis Aprilis, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo quintodecimo, Regnorum noſtrorum, Anno Hungariae viceſimo nono, Romanorum vero quinto.

Anno 1415.

## XII.

*Concilium Conſtantienſe Regnum Hungariæ patrocinio Regis Poloniæ commendat.* Datum Conſtantiæ, die 16 Auguſti, Anno 1415. *Ex Originali.*

Sacroſancta Conſtantienſis Synodus Univerſalem Dei Eccleſiam repræſentans, in Spiritu Sancto legitime congregata Excellenti et glorioſo Principi Domino Vladislao Regi Poloniae Illuſtri Pacem in Eo, per quem Reges regnant, et Ipſis

ANNO 1415. et Ipſis Regibus dat ſalutem. Licet certas Princeps glorioſe Sacra Synodus Literas veſtrae Celſitudini de his, quae ad Pacem ſunt Eccleſiae, cæterisque perdiu deſideratis ſucceſſibus, praemiſerit, utramque potentiam tanquam Fidei Orthodoxae ſcutum ſolidiſſimum ad proſecutionem perfectionemque tanti boni, tamque perneceſſarii operis, Pacis ſcilicet, et quietis Catholicae Eccleſiae Literis invitaverit praelibatis. Attamen quia praedictae Eccleſiae finalis tranquillitas non niſi de ſurſum a Patre Luminum per Principem Illuſtriſſimum et Dominum SIGISMUNDUM Romanorum et Hungariae &c. Regem Fratrem noſtrum chariſſimum, tanquam myſticum Inſtrumentum, ac ipſius Eccleſiae advocatum ſtrenuum de proximo viſceroſis praeſtolatur affectibus a Populo Chriſtiano. Qui quidem Rex, opus alias feliciter inchoatum Divina ſuffultus prudentia, ad feliciora perducens media, duas ſcilicet obedientias nuper in unam redigendo, finem denique feliciſſimum execrando Schiſmati, quantum ſibi foret poſſibile ſatagens imponere, Regis ſuperni Jeſu Chriſti ſcilicet ſectatus veſtigia, ſemetipſum ſponte offerens pervigil laboribus aſſiduis expenſis, et rebus nullatenus derogans graviſſimis Regnum inclitum, Uxorem, Filios, et Amicos, ac cætera, quæ a Mundi amatoribus difficile relinquuntur, ut Pacem a finibus fidei Catholicae demeritis hominum propulſatam diutine de exilio ad decus priſtinum reduceret, intrepide, ſponteque deſeruit. In Regionem tandem longinquam adinſtar Viatoris per loca plena periculis, pro ſalute, et Pace Eccleſiae profecturus voluit, prout debuit, infauſtis prudenter futuris occurrere eventibus, quamobrem ſe et ſua quaecunque praeardua negotia Regni, ſignanter Hungariae, huius Sacri ac Univerſalis Concilii, quantum ad ipſius ſpectaret patrocinium, et tuitionem, ſolenniter recommiſit. De noſtra nihilominus, ac Fratris noſtri Illuſtris Ducis ALEXANDRI alias WITOLDI ſinceritatibus fidem geſtans inconcuſſam, Regnum praedictum, caeteraque qualiacunque eius incumbentia onera, alias jure protectionis, viva voce publice, non ſemel, ſed pluries coram Nobis commendavit, aſſerens protunc certis naturalibus, et aliis legitimis Fœderibus, Serenitates praedictas, ac Regna Poloniae, et Hungariae fuiſſe, et eſſe hinc inde indiſſolubiliter colligata. Sed ecce Princeps Clariſſime, nuper Nobis circa incumbentia eiusdem Eccleſiae negotia hic non mediocriter occupatis, quaedam ex praecordiis deflenda, corda noſtra novitas perterruit, qualiter gentis Turcarum rabies ſaeviſſima Operi Sanctiſſimo invidens, ac infeſta, ſentiens ANNO 1415. ipſum Regem a ſui Regni laribus in remotis, Fidei Catholicae peragentem negotia in eiusdem fidei praegrave diſpendium ſe cum ingenti, effrenataque potentia coacervans, Chriſtiani ſanguinis more ſuo ſitiens profluvios, Terras praefati Romanorum Regis &c. invadens hoſtiliter, quod non ſine cordiali dolore referimus, quam plures Magnificos, Virosque Regni Hungariae Nobiles, cæterosque in magna ut fertur multitudine in ore gladii proſtratos crudeliter interemit, timeturque non immerito ipſorum ſaevitia, ne ipſi hac infelici animati victoria plura audeant, poſſint, et faciant, et usque, quod abſit, ad penetralia Regni, et Terrarum Hungariae, et ad irreparabilem iacturam et ſcandalum Fidei Catholicae, niſi in tempore fortiter ſuccurſum fuerit, procedatur. Eatenus Princeps Potentiſſime ad Veſtrae prae cæteris brachium virtutis in hoc horrendo caſu Sacra decrevit Synodus ſingulariter recurrendum, obſecrans, et quantum poterit per aſperſionem Sanguinis Jeſu Chriſti Veſtram Fidelitatem ſinceriter deprecatur, quatenus, cum ſitis Alumnus, ac Propagator Fidei Catholicae intrepidus, ac inimicorum eiusdem Fidei Miles, ac Propugnator praeſtrenuus, attento demum cum eſtis praelibato Regi Romanorum Fratri Veſtro, nodo multiplici inſeparabiliter colligatus, et praeſertim cum ex Veſtra, ac praenominati Illuſtris Ducis ALEXANDRI Fratris Veſtri &c. protectionis clypeo ſalus non modica, et ſpes præfati Regni Hungariae ultimata in hoc caſu pene dependeat, velitis audacter pro fide contra ſubverſores eiusdem, tanquam alter Judas Machabeus pro Legibus paternis accinctus potentiſſime conſurgere, ferreque ſine morae diſpendio Regi, et Regno ſaepedictis ſalutis ſuccurſum, praedictorum hoſtium ſævitiam dextera Veſtrae Potentiae repellendo. Ne autem Princeps Inclyte propria facta occaſione controverſiarum cum Venerabilibus in Chriſto devotis, Magiſtro, & Fratribus Hoſpitalis Sanctae Mariae Theutonicorum Jeroſolomitanorum hinc inde dependentia, Vos ac Veſtros a tam pio, et ſumme neceſſario opere perfectiſſimae charitatis retrahant quoquo modo, ſcripta noſtra praefatis Magiſtro, et Fratribus, uti in Copiis Praeſentibus intercluſis liquet, actu dirigimus, quatenus ſuper omnibus praedictis Controverſiis, guerris et odiis quibuslibet, Pacem ſimpliciter ſi fieri poterit, alias Treugas Pacis, pro parte utraque firmatas, et initas inviolabiliter continuando teneant, et obſervent,

ANNO 1415. seque ad ſuccurrendum Regno praedicto, ac occurrendum hoſtibus, celeriter ac potenter expediant, ſemotis obſtaculis quibuscunque. Eatenus placeat, velitque Regia Maieſtas contemplatione Fidei Gentibus praedicti Ordinis, illuc pro ſubſidio Terras veſtras pertranſire volentibus paſſus ſecuros, ac liberum tranſitum in eundo favorabiliter concedere, et largiri. Et nihilominus veſtram Celſitudinem eadem ratione Sacra Synodus decentius, ac in Domino, quantum poterit, efficacius obſecrat Praeſentibus, et ad Pacis, ac Concordiae pulchritudinem, ſi poſſibile fuerit, alias ad Treugarum, ut praefertur, continuationem ſolidam, ac ſtabilem, quantum in Nobis fuerit adhortatur. Ipſa enim Sacra tantorum Patrum Concio, ad ſopiendum quaeſtiones huiusmodi per Tractatum, ſi fieri poteſt, amicabilis concordiae, ſe contemplatione Veſtrae Celſitudinis non ſegniter, imo ſicut poterit, fructuoſius propterea occupabit. Hoc nempe Fili chariſſime Nobis, ac Regni Poloniae futuris Succeſſoribus Univerſalis Eccleſia, cuius res agitur, ad gratum reſervabit antidatum, Vosque merito Spiritualium donorum participem faciet Chriſto dante Rex denique Romanorum, ac Regnum Hungariae, cæterique Principes Catholici, ſi quando Vobis, aut Veſtris huiuscemodi (quam Deus avertat) immineret neceſſitas, ad paria tenerentur, et maiora, cum etiam ad ſuccurrendum celerius iacturae Regis, et Regni praedictorum, cæteros Reges et Principes pari modo in hoc neceſſitatis articulo fore decrevimus invitandos. Praeterea Latori Praeſentium Militi ſtrenuo STANISLAO fideli noſtro dilecto, de praemiſſis ac aliis particularibus huius Sacrae Synodi occurrentibus negotiis latius informato, Fidem dignetur eadem Serenitas apponere dicendorum. Datum Conſtantiae 17 Calend. Septembris, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo quintodecimo. Apoſtolica Sede vacante.

## XIII.

1423. *Renovatio & Confirmatio Fœderis inter* SIGISMVNDVM *Rom. Hungariæ &c. Regem, &* VLADISLAVM *Regem Poloniæ, nec non* WITOLDVM *Magnum Ducem Litvaniæ, Anno 1412. concluſi, in Conventu eorum perſonali in Kiersmark facta*, Feria tertia poſt Dominicam Ramis Palmarum, Anno 1423. *Ex Originali, Sigill. 25.*

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae &c. Rex. Notum facimus tenore Praeſentium univerſis. Altitudo divitiarum Sapientiae, et Scientiae Dei, cuncta diſponens, numero, pondere, et menſura, qui etiam corda tenet Regum, et illa quo voluerit ſua voluntate deflectit, Nos cum Sereniſſimo Principe Domino VLADISLAO Rege Poloniae, Fratre noſtro cariſſimo convenire diſpoſuit, ut inter Nos mutuis hinc inde Tractatibus, Colloquiis, et placitis obſervatis, et habitis, inter Nos ab una, et praefatum VLADISLAUM Regem Poloniae, nec non Illuſtrem Principem ALEXANDRUM alias WITOLDUM, Magnum Ducem Litvaniae, Fratres noſtros chariſſimos, parte ab altera, ſuper omnibus aliis diſplicentiis, rancoribus, diſcrepantiis, laeſionibus, dampnis, iniuriis, et offenſis poſt perpetua Pacis Fœdera, dudum in Liblio inter Nos utrinque ſubortis, ſuſcitatis, et occaſione quacunque, a quacunque Parte transgreſſis, mutua caritas, et rediviva Fraternitas oriretur, omnium rancorum, odiorum, diſplicentiarum, diſſenſionum, dampnorum, iniuriarum, offenſarum, diſcrepantiarum, Spiritus Nos Sancti gratia dirigente, amotis prorſus fomitibus, et incentivis peremptis, Pax perpetua, et tranquillitas reſtaurentur, quia non niſi in Pacis tempore, bene colitur Auctor Pacis: Idcirco non per errorem, aut improvide, ſed animo deliberato, ſano Praelatorum, Principum, Baronum, et Procerum noſtrorum fidelium accedente Conſilio, huiusmodi Pacem, Unionem, et Fraternitatem reſtauravimus, reduximus, reſtauramus, et reducimus ad fraternae, et priſtinae caritatis perfectionem, quae per quaedam incommoda, dampnorum, iniuriarum, et offenſarum praedictarum fuerat aliquanto tempore intercepta, ita, quod ad ea mala nunquam de cætero ſub fide, et honore, et pondere praeſtiti juramenti inſtantibus, ſeu obviantibus ſuggeſtionibus, perſuaſionibus, et ſuſurris quorumcunque, et quomodolibet revertemur, nec eorum ullo unquam tempore, Nos, et Haeredes, et Succeſſores noſtri, inter Nos in malo debebimus, nec volumus reminiſci, ad animum revocare, innovare, vel movere ex novis, vel aliis quibuscunque cauſis, et caſibus emergentibus in futurum, in quocunque ſtatu, vel dignitatis eminentia, dirigente Altiſſimo fuerimus ſublimati, ſed dictos Fratres noſtros VLADISLAUM Regem Poloniae, et ALEXANDRUM Ducem Litvaniae mutuis favoribus, et amoris vinculo proſequi tenebimur,

Anno 1423. mur, ac si nunquam inter Nos, et eos dissensiones, odia, dampna, et iniuriae huiusmodi contigissent, ipsosque vera, et perfecta, Christianica, et indubitata caritate complecti, iuxta Literas, et Inscriptiones, inter Nos in Liblio editas, et sub fidei puritate, et juramento firmatas. Insuper promittimus, pro Nobis, Haeredibus, et Successoribus nostris, ac sub fide et honore nostris purissimis pollicemur, pro Nobis, Terris et Subditis nostrorum Regnorum, nostris, et ipsorum Nominibus, universas, et singulas Literas, Inscriptiones, Privilegia, Contractus, Pactiones, et Munimenta omnia, inter Nos, et dictum Vladislaum Regem, et Alexandrum Ducem Fratres nostros Carissimos, et eorum subditos inita, concepta, edita, facta, et finita, sub quacunque forma verborum, seu tenore, quocunque tempore, et in quibuscunque locis, et praesertim Literas praedictas in Liblio juramento firmatas, quas hic habere volumus pro insertis, servabimus, nec ratione, et occasione huiusmodi odiorum, displicentiarum, iniuriarum, dampnorum, laesionum, et perturbationum inter Nos, et dictos Fratres nostros forte suadente Seminatore Zizaniae suscitatarum, ullam instantiam, laesionem, dampnum, praeiudicium, et jacturam, quomodolibet faciemus. Sed semper huiusmodi concepta Fraternitas, Pacta, Fœdera, et caritatis vinculum, in solida, perfecta, continua, et firmitate perpetua, in eo statu, et vigore, in quibus a primariis eorum exordiis fuerant, debebunt inviolabiliter remanere, et iugiter priorem effectum, et efficaciam obtinere, easdem Literas, Privilegia, et Contractus praefatos innovantes, ratificantes, gratificantes, roborantes, et de certa nostra scientia confirmantes. Et Nos Georgius Episcopus Patavienſis, Almae Strigonienſis Ecclesiae Administrator, Aulae Romanae Regiae Cancellarius, Thomas Agrienſis, et Petrus Corbavienſis Episcopi, Stephanus Regni Rasciae Despotus, Hermanvs Ciliae, Segoriaeque Comes, Nicolaus *de Gaza*, Regni Hungariae Palatinus, Nicolaus *de Chaak* Woywoda Transylvanus, Comes Petrus *de Peren* Judex Curiae Regiae Maiestatis, Petrus Henrici Magister Tavaricorum, Pipo *de Ozora* Comes Themesenenſis, Sesew *de Bara* Banus Machomenenſis, Joannes *de Bara*, Joannes *de Mawtt* Banus, Joannes Gregorii *de Alssam*, Paulus *de Ezdege* Banus, Jacobus *de Zante* Woywoda, et Joannes *de Bozgon* Summus Thesaurarius Regiae Maiestatis, Matthæus *de Polowcz* Borsodienſis, et *de Bereg* Comitatuum Comes, Nicolaus *de Peren* Marschalcus, Henricus *de Thomasi* Magister Curiae, Stephanus *de Bator* Magister Dapiferorum, Ladislaus *de Kompolt* Magister Pincernarum Regiae Maiestatis, Joannes Sakch *de Kusal*, Stephanus *de Kozgon*, Junoz Comes Posonienſis, Michael Filius Stephani Comes Neugradienſis, bona fide, et Christianica, nostris, et Fratrum Regnicolarumque universorum nomine et nominibus assumimus, et pollicemur, quod omnia, et singula superius scripta, et expressa, Dominus noster Sigismundus Rex attendet, Nos perpendemus, et servabimus, suamque Serenitatem ad inconcusse observanda inducemus, dolo, et fraude in omnibus, et singulis praemissis procul motis, Praesentium sub nostrae Maiestatis, ac etiam Praelatorum, Principum, et Baronum praedictorum Sigillorum testimonio Literarum. Datum in Oppido Kiersmark, Anno Domini Millesimo quadringentesimo vigesimo tertio, Feria tertia, post Dominicam Ramis Palmarum. Regnorum nostrum, Anno Hungariae trigesimo septimo, Romanorum tredecimo, Bohemiae vero tertio. Anno 1423.

## XIV.

*Recognitio Oratorum Regni Hungariæ, quod* Vladislavm *Regem Poloniæ, in Regem Hungariæ electum esse denuntiaverint, cum stipulatione mutuæ ex Pacto defensionis contra omnes utriusque Regni hostes.* Datum, & Actum Cracoviæ, d. 9 Martii, Anno 1440. *Ex Originali, Sigill. 5.* 1440.

Nos Joannes Dei gratia Episcopus Segimenſis, et Gubernator Abbatiae de Sancto Gothardo, Mathko *de Talloncz* Regnorum Dalmatiae, Croatiae, et totius Sclavoniae Banus, Joannes *de Peren* Magister Thavarnicorum Regalium, Ladislaus *de Pallowcz* Magister Curiae Regalis, et Emericus *de Marczaty* Magister Dapiferorum Regalium, et Comes Comitatus Semigienſis, Ambasiatores Dominorum Praelatorum, Principum, Comitum, Baronum, et Procerum Regni Hungariae per eos unanimiter cum plenissimo Mandato, ex consensu Serenissimæ Principis Dominae Elisabeth Reginæ Hungariae modernae Dominae nostrae gratiosissimae, ad Execellentissimum Principem Dominum Vladislaum Regem Poloniae deputati: Significamus

Anno 1440. harum tenore, quibus expedit, univerſis; quod cum alias venientibus ad praefatum Regnum Hungariæ, & conſequenter antelatos Dominam noſtram Reginam, Prælatos, & Principes, Comites, Barones, & Proceres prædicti Regni Magnificis Joanne *de Konieczpole* Cancellario huius Regni Poloniæ, ac Petro *de Kurow* Caſtellano Sandeczenſi, ex parte præfati Domini Regis Poloniæ, ac Praelatorum, & Baronum eiusdem Regni, in certa, & notabili Legatione ibidem promiſſum fuiſſet, pro reſponſo finaliter ad huiusmodi Legationem ipſorum dando, certos ex Praelatis, & Baronibus dicti Regni Hungariæ mitti debere. Tandem ipſi Domini Prælati, Principes, Comites, Barones, Proceres ipſius Regni Hungariae nuper in Congregatione Generali Budæ celebrata conſtituti matura deliberatione præhabita, promiſſioni ipſorum prætactæ ſatisfacere cupientes, de conſenſu, ut præmiſimus, antelatæ Dominæ noſtræ Reginæ, unanimiter, & communi voluntate ad transeundem in huiusmodi Ambaſiata ad ipſum Dominum Poloniæ Regem, ac Prælatos, & Barones ſuos, tradita Nobis pleniſſima informatione Nos elegerunt. Nos vero officio huiusmodi Legationis aſſumpto in hunc locum ad ipſum Dominum Poloniæ Regem, ac Prælatos Barones ſuos venientes, atque iuxta prætactam Nobis traditam informationem, ea, quæ peragenda erant, cum eisdem Deo volente concludentes die heſterna vigore Mandati Nobis traditi, noſtro, ac prætactorum omnium Prælatorum, Principum, Comitum, Baronum, & Procerum Regni Hungariæ Nominibus, de conſenſu antelatæ Dominæ noſtræ Reginæ, Ipſum Dominum Vladislaum Regem Poloniæ, in eiusdem Regni Hungariæ, cunctorumque Regnorum & Tenutarum, ac pertinentiarum eiusdem, Regem et Dominum rite elegimus, atque in Cathedrali Eccleſia Caſtri Cracovienſis, ubi maior fidelium fuerat multitudo, publice in Regem Hungariæ Electum eſſe pronuntiavimus, & declaravimus manifeſte Titulum, & omnia Dominia ac Jurisdictionem Coronæ eiusdem Regni Hungariæ ſibi, & ſuæ Ditioni, nec non Gubernationi ſubmittendo, promittendo, conſenſu, & nominibus, quorum ſupra eundem Dominum Vladislaum Regem, in Feſto Beatorum Philippi & Jacobi Apoſtolorum, hoc eſt prima die Maji proxime affuturum, Corona eiusdem Regni Hungariæ in loco ad hoc ab olim deputato ſolempniter coronare. Sub ſimili etiam promiſſione præmiſſis adiacentiis, quod mox ſolempnitate huiusmodi Coronationis peracta, Ipſe Dominus Rex Literas ſuas ſub ſuo Sigillo Regni Hungariæ ſuper eo, ut, ſicut tempore cum copiis huius Regni ſui Poloniæ Nos & totum Regnum Hungariæ prætactum contra quoslibet inimicos tueri, & defenſare promiſit, ſic & huic Regno ſuo Poloniæ cum copiis Regni Hungariæ contra inimicos ſuos, dum opus fuerit, & ingruerit neceſſitas, pari viciſſitudine tenebitur defendere, & tueri, præfatis Dominis Prælatis, & Baronibus iſtius Regni Poloniæ, dari faciet, & emanari. In quorum omnium teſtimonium præſentes conceſſimus Literas noſtras, Sigillis noſtris, quibus utimur, impendentibus communitas. Datum, & Actum Cracoviæ, nona die Menſis Martii, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo. Anno 1440.

Ad propriam Conventionem Dominorum Ambaſiatorum Joannes *de Zredna* Cuſtos Zagrabienſis Regni Hungariæ Prothonotarius.

## XV.

*Ordines Regni Hungariæ renovant, & approbant ſuſceptionem* Vladislai *Regis Poloniæ in Regnum Hungariæ, non obſtante Coronatione Infantis Filii* Alberti *olim Regis, per procurationem* Elisabeth *Reginæ facta.* Datum Budæ, ipſo die SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, Anno 1440. *Ex Originali, Sigill. 88.*

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam Rei Memoriam. Cum geſta hominum in huius labentis vitæ ſtadio in mortem & oblivionem ſemper currentia, Literarum munimine ſoleant futurorum notitiæ, & memoriæ conſervari: Proinde Nos Prælati, Principes, Barones, Comites, Milites, Proceres, Clientes, Cives, totaque Communitas Regni Hungariæ, univerſaliter ſinguli, & ſingulariter Univerſi tenore Præſentium notum facimus, recognoſcimus, & fatemur Univerſis, & ſingulis, tam præſentibus quam futuris: Quod Sereniſſimo & bonæ memoriæ Principe Domino Alberto Romanorum, & præfati Hungariæ Regni Rege, Domino noſtro gratioſiſſimo, tempore noviter transacto, prout Divinæ placuit voluntati, viam univerſæ carnis ingreſſo, conſiderantes, qualiter per obitum ipſius, Regnum noſtrum prædictum vaca-

ANNO 1440. vacaret, & neceſſario ſibi careret Gubernatore, & Defenſore, volentesq; ſuper hujusmodi caſu opportune conſulere, de bono et felici ſtatu Regni eiusdem providere, et periculis, quæ ex diuturna vacatione ipſius poſſent emergere, in tempore obviare, inſtituta mox ob eam totius Regni in Civitate Budenſi Generali Conventione, cæpimus exacta diligentia, mutuisque deliberationibus, & conſiliis noſtris negotium hoc agere, modosque omnes, et vias totis ingeniis noſtris examinare, quibus de idoneo & tali Rege, ſæpedicto Regno potuiſſemus proſpicere & providere, per quem Regnum ipſum in ſtatu ſuo feliciter poſſet conſervari, adaugeri, & contra barbaras & ſibi infeſtiſſimas nationes protegi, & ab ipſorum crebris incurſionibus Chriſti fideles reſpirare. Tandem poſt diuturnas deliberationes, poſtquam varios ad rem hanc habitos Tractatus recenſuimus, quod priſcis temporibus, dum Regna hæc Hungariæ, & Poloniæ ſibi confinantia, & comitanea in Pace, concordia, & amicitia animorum ſpeciali iuncta, colligata, & unita fuerunt, ſive Regum ſuorum ſanguinis propinguitate, quemadmodum tradunt Hiſtoriæ tempore Sancti LADISLAI Regis fuiſſe, ſive Dominationis idemptitate, quod adhuc nonnulli ætatis noſtræ homines diebus colendæ memoriæ LUDOVICI Regis memorant audiviſſe, qui utriusque Regni gubernacula feliciter diſponebat, multumque id, & per omnem modum utilitatis, profectus, & augmenti Regnis iſtis attulit, tum ex alternis Incolarum ſuorum acceſſibus, aſſiduisque eorundem commerciis ſingulorum excreſcebant commoda, & ſuffragantibus ſibi mutuo Regnorum ipſorum contra hoſtes ſuos potentiis, laus, honor, gloria viguit, & Respublica ipſorum in univerſum reflorebat. Et ob hoc tali conſideratione permoti, poſt eiusmodi deliberationes noſtras, accedente primum ad hoc Illuſtriſſimæ Principis Dominæ ELISABETH Reginæ noſtræ, prænominati Domini ALBERTI conſortis legitimæ expreſſa voluntate, obtulit ſe præ omnibus aliis mentibus noſtris Perſona Excellentiſſimi Principis Domini VLADISLAI Dei Gratia Poloniæ Regis moderni, Domini noſtri gratioſiſſimi, in quem demum vota omnium, qui in Dieta Budinenſi, & Generali Regni totius Conventione fuerunt conventi, converſa erant affectantibus omnibus ipſum ſibi, & dicto Regno Hungariæ præfici in Dominum & Regem. Et ſtatim, ut potiremur votis ad conficiendum huiusmodi negotium, miſimus ad præſentiam prænominati Domini Regis ſolennes Ambaſiatores, & Nuntios noſtros ſpeciali, & ſufficienti authoritate, & Mandato tam præfatæ Dominæ ELISABETH Reginæ, quam noſtra, & Regni totius fultos, & de expreſſa mente, & voluntate eiusdem, ac noſtra ad plenum inſtructos, certificatos, & informatos, videlicet Reverendum in Chriſto Patrem Dominum JOANNEM Epiſcopum Seginenſem, & Magnificos Dominos MATHONEM *de Talowcz*, Dalmatiæ, Croatiæ, & totius Sclavoniæ Regnorum Baronem, JOANNEM *de Peren* Magiſtrum Thavarnicorum Regalium, LADISLAUM *de Palloncz* Curiæ Regalis Magiſtrum, & EMERICUM *de Marczali* Magiſtrum Dapiferorum Regalium, & Comitem Smingienſem, & hi huiuscemodi Mandato tam zelo boni communis Regni ſæpedicti, tum etiam ad inſtantiam antedictæ Reginæ, & noſtram ſuſcepto, profecti ſunt ad Regem prædictum in Civitate Cracovienſi tunc conſtitutum, et venientes expoſita primum coram Maieſtate ipſius Legatione iniuncta, & demum exactis cum ipſo Domino Rege, Prælatisque, Baronibus, Proceribus, & Nobilibus Regni Poloniæ compluribus diebus in Tractatibus ad rem eiusmodi opportunis, negotium ipſum commiſſum tam ſapienter, quam feliciter confecerunt, & prænominatum Sereniſſimum Principem Dominum VLADISLAUM, in Dominum & Regem Regni Hungariæ, & noſtrum, præmiſſa authoritate & Mandato nomine Regni eiusdem nominaverunt, & legerunt expreſſis, et numeratis in ipſa Electione omnibus & ſingulis conditionibus, & modis, qui iuxta traditam ipſis formam exprimi debuerunt, & ſignanter illis per quos ſecundum voluntatem Reginæ prætactæ, & noſtram collaudationem, & conſenſum, ipſi Reginæ & Proli, quam tunc in utero geſtabat, ex ea ſive in ſexu maſculino, ſive fœmineo generanda, ſufficienter extiterat promiſſum, omniaque huiusmodi Electionis negotia poſt intimationem de Nativitate Filii per præfatam Dominam Reginam, præfatis Nuntiis noſtris factam, Mandato præfatæ Dominæ Reginæ, & concluſa, & conſummata ſunt. Nos itaque Prælati, Barones, Principes, Comites, Proceres Regni Hungariæ ſuperius memorati, animadvertentes prænominatos Dominos Ambaſiatores, & Nuntios noſtros Electionem prædictam iuxta vim, & formam eisdem datam, & deſiderium noſtrum egiſſe, & perfeciſſe eandem unanimi voto noſtro acceptavimus, gratificavimus, collaudavimus, & confirmavimus, & Præſentium ſerie acceptamus, gratificamus, collaudamus, & confirmamus, & ſæpe fatum Sereniſſimum & Inclytum Principem Dominum VLADISLAUM

ANNO 1440.

ANNO 1440. Poloniæ Regem, in Dominum & Regem Regni Hungariæ & noſtrum recipimus, aſſumimus, & profitemur, ac recognoſcimus: Sibique tanquam Domino noſtro naturali, & Regi debitum honorem, obedientiam, venerationem, & fidelitatem, quamdiu vixerimus, exhibebimus, & faciemus, & contra omnes æmulos ſuos, & ſignanter, qui Serenitatem ſuam in aſſecutione Regni Hungariæ & Dominii prædictorum quomodolibet impedire, & perturbare voluerint, omnibus viribus, potentiis, conſiliis, & auxiliis fideliter adiuvabimus, nec ipſum quandoque occaſione, aut quovis quæſito colore, ullo unquam tempore deſeremus, ac Coronationem prætenſam nuper de Menſe Maji, de dicto Filio infante dicti Domini ALBERTI olim Regis, præter ac contra voluntatem noſtram factam, inanem, & irritam determinamus tenore Præſentium mediante, ſed ea non obſtante ſingula ſupra ſcripta, pura Fide irrevocabiliter ſervare, & inviolabiliter tenere ſub onere præſtiti Juramenti, quod ſuper Lignum vivificæ Crucis univerſaliter ſinguli, & ſingulariter univerſi præſtitimus, volumus, & promittimus ſine omni dolo, & fraude, nec his ullo unquam tempore, verbo, vel facto contravenire. In quorum vim, robur, & teſtimonium Sigilla noſtra Præſentibus ſunt ſubappenſa. Datum Budæ ipſo die Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo.

## XVI.

*Cum Regina* ELISABETH *Infantem trimeſtrem clam ſublata Corona Regni coronaſſet, Coronamque abſcondiſſet, Proceres Regni Hungariæ ad coronandum* VLADISLAVM *Regem Budæ congregati, detractam ex Reliquiis S. Stephani Regis Coronam Electo Regi ſuo imponunt, eique omnia Jura Regalia competere declarant adiectis pœnis in eos, qui Coronationi huic adverſari præſumerent.* Datum in Alba Regali d. 17 Menſis Julii, Anno 1440. *Ex Originali, Sigill. 65.*

NOs Prælati, Barones, Comites, Milites, Proceres, & Nobiles totius Regni Hungariæ cum efficaciſſima facultate Communitatem Eiusdem repræſentantes. Ad perpetuam Rei Memoriam. Multum clare cognitum coram noſtris conſtat obtutibus, Præceſſorum noſtrorum conſummatis hucusque temporibus Reipublicæ diligentiam, & eiusdem utilitatem, operoſam advertentiam, hoc in Regno felici fuiſſe actum ſolertia, & ex eiusdem directione, tam provida, quam utili non parum, imo maximum in Chriſtiana Religione commodum viguiſſe. Quæ & ſi plerumque, ut temporum mutabilitate aſſolet, nunc impugnationibus diverſis, nunc vero aliorum ſtimulorum iniectionibus ſiniſtris in ſe immiſſæ adverſitatis ſeminarium pertulerit, & fortuitus varii ventilabro utcunque agitata fuerit, æque tamen ſucceſſit ea pro ſemper animorum idemptitas, & voluntatum recuperata unanimitas, ut hæc ipſa, quæ viſa ſunt, interdum ad publicam utilitatem conducere, accuratius ordinari, & diſponi, illa vero quæ communiter nociturnitatis, & diſſidii materiam immittere agnita ſunt, providentiæ ſurculo extirpari, & evelli ſollicitius curabantur. Quo pacto, & Nos, qui præſentium temporum dies curſu vitali deducimus, opportune arbitrati ſumus, eam pari modo, & per Nos mutari debere operam, quatenus res huius Regni, & noſtra, iuxta modernorum qualitatem agendorum, & temporum ſicuti provide, ſic & ſalubriter Regi, & in melius Auctore Domino dirigi perpenſius agnoſcatur. Siquidem mortuo nuper, & de hac vita ſublato condam Illuſtriſſimo bonæ memoriæ Principe Domino ALBERTO Romanorum, ac huius Regni &c. Rege immediato, dum Generali in Civitate Budenſi Congregatione celebrata cognoſcentes Regnum hoc, quod imprætermiſſe plurimorum æmulorum, & præcipue Paganorum impugnatur inſultibus, idoneo & habili Rectore carere non poſſe, miſſisque communi voluntate, aſſenſu quoque & conſenſu, tam Sereniſſimæ Principis Dominæ ELISABETH Reginæ Hungariæ, præfati condam Domini ALBERTI Regis relictæ, prout hoc ex Literis ſuis clare conſiſtit, quam etiam omnium noſtrum ad Sereniſſimum Principem Dominum VLADISLAUM Poloniæ Regem, excelſum ſolempnibus Ambaſiatioribus, & Nuntiis noſtris, eundem tanquam in Regem, Tutorem & Rectorem huius Regni communi deſiderio Electum ad hunc locum, primum pro honore Dei, & Fidei Sanctæ Catholicæ augmentum, & demum pro utilitate noſtra ad ſuſcipiendum Coronam eiusdem Regni invitaſſemus, & diligentius inſtantes induxiſſemus, quia tempore intermedio præfata Domina ELISABETH Regina adverſo æmulorum, & verius forenſium, & extraneorum hominum inteſtini belli viam potius aperire, quam præclu-

ANNO 1440.

ANNO 1440 præcludere cupientium freta consilio, priorem & præassumtam intentionem removens, satagensque, & volens hoc Regnum, & Nos Regimini Infantuli dicti condam Domini ALBERTI Regis nati posthumi, hoc est, post ejus obitum in lucem educti parum nostræ, & Regni eiusdem necessitati succurrere potentis subiicere, ad impediendumque prætactæ Electionis, & Coronationis vtile opus toto nisu hanhelans, sublata heu! clandestine de Castro Wyschegrodiensi Corona illa, qua hactenus Reges Hungariæ coronari soliti fuere pridem, antedictum Infantem vix adhuc trimestrem, præter omnium nostrum voluntatem, ad hoc sponte concurrere debentem, atque contra consuetudinem hucusque in simili retentam, absentibus etiam omnibus paramentorum Sacris, nec non Gladio, Sceptro, Pomo, & Cruce Legationis Sanctissimi STEPHANI primi Regis nostri multo amplius in perniciem, quam vtilitatem nostram cum eadem Corona sublata coronari, si sic dici dignum est, fecit & procuravit; atque continuo ipsam Coronam proh dolor! viceversa concludens ad locum hactenus nobis incognitum in crudele omnium nostrum derogamen transmisit, seu asportavit. Ob hoc Nos ex nunc altera vice in multitudine tam copiosa, quantam memoria hominum, præcedentium Regum Coronationis tempore non comprehendit, congregati, matura plurimorum dierum deliberatione præhabita, ex quo Corona illa suprataeta prævia ratione, ut opus erat, tam facile exnunc haberi non potuit, volentes & consultius cupientes necessitati nostræ, et huius Regni, cuius & pronunc confinia per insultantium inimicorum, Paganorum scilicet, & aliorum morsus asperos continuo lacerantur, opportune providere; considerantes etiam potissime, quod semper Regum Coronatio a Regnicolarum voluntate dependet, & efficacia ac virtus Coronæ in ipsorum approbatione consistit, videntes nihilominus Regnum hoc idonei Regis festina tuitione carere non posse, Eundem Sereniss imum Dominum VLADISLAUM Regem pari voto, & communi desiderio alia Corona aurea operis vetusti Beatissimi STEPHANI Regis Apostoli, & Patroni nostri in theca Capitis Reliquiarum eiusdem hucusque multa veneratione conservata instituimus, disposuimus et decrevimus debere coronari. Quam Coronationem die hodierna invocata suppliciter Spiritus Sancti Gratia, & eiusdem, ut pie credimus, instinctu, cum peractione publica, et manifesta omnium illarum Ceremoniarum, quae ad eandem, & eius efficaciam ac solemnitatem concurrere debuerunt, induto præfato Domino nostro Rege illis omnibus Paramentis & Indimentis sanctissimi primi Regis nostri, atque oblatis eidem, ac manibus suis traditis Gladio, Sceptro, Pomo, ac Cruce Legationis eiusdem Sancti Regis, nec non aliis omnibus necessariis absque omni defectu, praeter solam sublatam Coronam prætactam feliciter consumavimus, & præconceptum auspice Domino conduximus ad effectum decernentes, pronuntiantes, & declarantes per hæc scripta ipsam modernam Coronam & Coronationem, omnem illam virtutem & efficaciam illudque robur per omnia habere & habiturum, ac si prætacta prior Corona capiti dicti Domini nostri Regis imposita fuisset, & per eandem loco modernæ & ipsa Coronatio fuisset expedita, ita quod ipsa priori Corona absente & si eadem recuperari non poterit, omnis decor & efficacia, ac quodlibet signaculum, mysterium & robur eiusdem in hanc modernam Coronam intelligant, & harum serie de omnium nostrum, quorum Corona merita discutere, probareque, et improbare interest, voluntate cognoscantur esse transfusi. Dantes nihilominus, et pari voluntate et decreto tribuentes, præfato Domino nostro nunc Coronato Regi plenissimam illam facultatem, et potestatis plenitudinem in faciendis gratiis, ac donationibus, et confirmationibus perpetuis, et ad tempus, donationibusque, et locationibus Honorum et Officialatuum, atque immutandis Officialibus et Baroniis Regni. Item in disponendis Prælaturis & Beneficiis Ecclesiasticis tam Maioribus, quam minoribus, ac recompensandis meritis fidelium, quibuslibet quoque infidelibus et linquentibus secundum unius cuiusque demerita puniendis, non nec in faciendis, emendandis, exequendis judiciis exercendisque, agendis, dirigendis, et concludendis omnibus his, quae ad Reges Hungariæ suos prædecessores, et eorum facultatem quomodolibet, consuetudine videlicet aut de iure pervenerint, ac si idem præfata priori nunc sublata Corona fuisset, ut moris extitit, coronatus, proposuimus tamen istis sic stantibus eandem priorem Coronam cum ipso Domino nostro Rege unanimiter toto posse, et omni diligentia cognito loco conservationis eiusdem exquirere, atque dante Domino recuperare. Adiicientes communi voluntate, quod in casu, quo eadem Corona prior huiusmodi diligentia nostra recuperari, quod DEUS avertat, non posset, ex tunc amodo in posterum a futuris semper temporibus universis Regum Hungariae hinc succedentium Coronatio cum prætacta alia, puta moderna Sancti Regis Corona in ea solemnitate, prout solitum est, absque omni immutatione peragatur, voluimus, consequenter et dis- ANNO 1447.

Anno 1440. posuimus, ut haec ipsa Corona moderna tanquam inclitum nostrorum Regum insigne, sub diligentissima custodia deinceps teneatur, et honorifice relinquatur. Reputeturque haec eadem Corona illa priori absente, et si eadem recuperari non poterit, sufficiens, et cum paramentis et aliis attinentiis per omnia competens ad omnium futurorum Regum Coronationem faciendam, hoc tamen specialiter declarato, quod si Domino cooperante ipsa prior Corona recuperari vice versa poterit, eadem suis decore, virtuteque et efficacia minime frustrata habeatur, quinimo decrevimus eandem pristino honori restitui, atque in locum priorem reponi, de hac autem moderna Corona suprascripta tandem in isto casu disponentes, prout antedicto Domino nostro Regi cum consilio nostro utilius videbitur expedire, ne autem ex respectu et divulgatione praetactae aliae coronationis, si sic dicenda est nuper per praefatam Dominam Reginam ---- nobis ex nunc, ut prædiximus in utilem factæ et habitae, alicuius dissidii hoc in Regno materia generetur, eandem pari decreto tanquam, quae praeter omnium nostrum voluntatem spontaneam peracta est, irritamus, et cassamus, et nullius volumus esse, et dici efficaciae et virtutis. Postremo ut haec omnia praemissa tanquam utilitati nostrae communi in praesenti necessitatis tempore per omnia congrua robur obtineant perpetuae firmitatis, nec unquam aliquorum quibusvis conatibus eadem retractari, vel immutari valeant, statuimus, et praesenti decreto conclusimus, et promulgavimus, praesentiumque serie promulgamus, et decernimus, ut si temporum in processu aliquis vel aliqui Coronae Regni Hungariae subditus, seu subiecti siue ex Praelatis, siue Baronibus, aut Militibus, seu Nobilibus sit vel existat primum praemissae ex nunc nulliter rationabilibus ex causis approbatae Coronae et Coronationi, demum de aliis dispositionibus, conclusionibus et ordinationibus superius specificatis, seu cuipiam ex eis verbo serioso aut opere et facto, suggestioneque et incitamento, seu effectu sinistro directe vel indirecte contraire et contradicere, seu immutari, retractari, et in novum revocari, procurare praesumpserit, vel adtemptaverit, talis vel tales mox, postquam de eis, vel aliquo horum contra ipsum seu ipsos certitudo veritatis constiterit, in omnium honorum, humanitatisque, et dignitatum, ac nobilitatum amissionem, ablata omni spe gratiae obtinendae, condempnentur, et condempnatus, seu condempnati ipso facto censeantur, quoque ultra hæc perpetuæ et indelebilis infidelitatis crimen laesae Maiestatis, Reipublicaeque perturbatoris paenam et Iudicium incurrat, omnesque possessiones et bona eiusdem, et ipsorum omni eis denegata gratia ad Coronam et Maiestatem Regiam devolvantur, et devoluta intelligantur; harum nostrarum, quibus sigilla nostra appensa sunt, testimonio literarum mediante. Datum in Alba Regali die 17. Men. Iulii. Anno 1440

Hoc Die Dominico proximo post Festum Divisionis Apostolorum. Anno Dni 1440. sub Sigillis 66. *Ex Orginali, cuius pars corrupta.*

## XVII.

Anno 1447. *Prælatorum, Baronum, & Procerum Regni Hungariæ, ad Prælatos, Magnates, & Proceres Regni Poloniæ Literæ. Incommoda Regni sui denuntiant. Patriam atque avitam inter utraque Regna amicitiam, ac unionem, & Fœdus noviſſime renovatum in memoriam reducunt, commonentque officii: tum certiores eos faciunt, quod Germanorum conatus armis propellere decreverint.* Datum Budæ d. 27. Februarii, Anno 1447. *Ex Archivo Regni Cracovienſi. Extat in Cancell. Regni. Liber 3* No. *4 fol.* 77.

Reverendissimis Reverendisque in Christo Patribus, ac Magnificis, Strenuis, Egregiis, & Nobilibus Viris Dominis Prælatis, Magnatibus, Baronibus, Militibus, & Proceribus Regni Poloniæ, Fratribus, et Amicis nostris dilectis Prælati, Barones, & Proceres Regni Hungariæ, Salutem, et dilectionis augmentum. Vetustum morem nostrum, quem communem cum F. V. ab olim habuimus, in avisando de singulis urgentibus hinc inde rebus, & nunc permaxime non prætermittere dignum putavimus. Quandoquidem fida studia nostra magis ac magis Nos erigunt, vt incommoda nostra æque vt commoda Vobiscum amica confidentia participemus, id & hactenus, quantum Nobis inter tot turbines positis, ex antiquæ amicitiæ officio expediens fuerit, inficiari haud possumus, quin has crebras iniurias nostras, crebrius fraternæ compassioni Vestræ communicare opus fuerit. Verum tot indigna facinora, quæ & sine clamore nostro late, publicisque suis rumoribus F. V. clara, notaque esse potuerunt, bonis mediis, & modis complanatum iri posse putabamus, ad quod consequendum, & plurimos labores

ANNO 1447. bores adhibuimus, vt eo certius eisdem F. V. tandem finis earum rerum, quorsum evaderet, significandi locum haberemus. Itaque nunc nota potius, quam notificanda scribere instituimus de Domino Romanorum Rege, & Theutonicis vicine circumpositis, quorum quamvis semper simulatam sensérimus amicitiam, vel potius ingenitam, et ferme naturalem inimicitiam, ab eo tamen tempore, quo Sereniſſimum Dominum Noſtrum VLADISLAUM Regem opportunis Regni noſtri gubernaculis advocatum, & inductum habuimus, apertius velatam hoſtilitatis faciem nudarunt, ſublatamque inhoneſte Regni Noſtri Coronam inhoneſtius detinent, mox diſſidiorum ſemina iniecerunt; vnde & quot, quantisque odiis, cautelis, obſtaculis, iniuriis, cædibus, & insultibus ipſius Domini Noſtri Regis ingreſſum, & ſtatum impugnare, Caſtrorum occupationibus, Confiniorum vaſtationibus, præter ius & fas afficere conati ſint, licet deſcribi late poſſit, non expedit tamen, cum luce clarius nota eſſe non dubitemus F.V. praeſertim his, qui cum Ipſo Domino noſtro Rege verſati, Patriæ Noſtræ vulnera præſentes palpabant. Quique ipsis noſtris æque, vt ſuis doloribus & compati cordialius, & conſulere videbantur. Verum libuit eam vim, & invidiam, tunc magis patienter ferre, ac ob renovatum, captatumque horum Regnorum, noſtri videlicet, & Veſtri amicitiae Faedus urgeri perquam parati videbamur. Quin nihil debito Noſtro decentius, nihilque dignius arbitrati ſumus, quam vt quæſitam diu vtrinque dilectionem, hæreditaria a Prægenitoribus benivolentia firmaremus, imo poſt illud idem quæſitum a Parentibus carum Fædus, non obſtante aliquorum diſſenſione privata, ad id ſedulo modum, opem, operamque proni contulimus, vt cum ætatibus temporis, mutua quoque vicaria ſuccederet affectio, ita vt niſi ignoratione Veſtra abuti videamur, iuſtis, dignis & haud diſparibus honoribus hinc inde vſi, magna, claraque Fide cognatam amicitiam teneremus. Accedit hinc, quod & prænominatus Rex noſter, & veſter, vtpote Vobis natus, & Nobis datus, inter peſſimos militiæ exercitus Noſtri ſucceſſus, omnia grate ultro accipiens, ſalutem propriam pro noſtra Salute ventilando, lapſuque ſuo, imo potius Noſtro cum ſuo teſtatus ſit, quanta affectione pericula noſtra debellanda ſusceperit. Quo quidem Pacto tantorum operum magnalibus reliquit perfectum Nobis vtrinque Fatres cariſſimi & arctius ſervatum antiquæ benevolentiæ munus, vt & deinceps carius & Vos Noſtris, & Nos Veſtris hinc inde rebus obligati maneremus. Poſtquam igitur, ſicut Domino placuit, tali fuimus Patrono orbati, nec tamen, adhuc de eius vita omnino deſperati, ſicut de eo præſente, ita & ex poſt multis inſtantiis, viis, modis, & ingeniis quaesivimus Pacem, occaſiones discordiæ de medio eiicere conati ſumus, omnemque oblationem quieti aptam impendimus, quominus Paganorum inſultibus cedere diſtracti vetaremur. Sed longe aliter ac ſperabamus conſecuti ſumus, nam malis peiora cumulari vidimus. Primum Pacis Treuga, quam adhuc cum præfato Domino Noſtro Rege, in eius digreſſu antefatus Dominus Romanorum Rex biennio condixerat, ex sui parte ſoluta eſt, demum ad occupationem confiniorum Regni, & Caſtrorum, ac proventuum Regalium ardentius progrediens, caedibus Fratrum, ſpoliis ſubditorum, Eccleſiarum (nefas) execrationibus, & cæteris infinitis iniuriis, totam fere noſtram Patriam complevit, adeo vt atrocitas incommodorum publica, cognatæ caedis acerbitas et Fratrum, Patriaeque alta oppreſſio Nos non immerito emori potius, quam ignominiam pati provocaret. Verumtamen & inter tot pericula ne præcipitem vindictam videremur expetere, novo conſilio, novos Oratores delegimus, atque inſtantius cum omni Unionis & Pacis ordine, tum pro illatorum reſtauratione, tum etiam pro ipſius ſublatæ Coronæ noſtræ reſtitutione inſtitimus. Sed ſolitis cautelis perperam repulsis nihil præter verba reportare potuimus. Quamobrem omni ſuper his ſpe feliciori fruſtrati, ad arma manum miſimus, ferro iter aperiendum ad Pacem commodius arbitrati, unde & poſt has plagarum primitias, quæ hac vice hoſtibus iuſtitia ſuadente illatæ ſunt, non ceſſare deliberatum eſt, quousque & divino & iuſtitiæ auxiliis, & probro ſoluamur, & damno. Quæ quidem omnia etſi F. V vel maior pars earum non ignorent, quin his, quâs prædiximus cauſis & præferre Nos, & inferre contigerit universa, tamen pro meliori informatione eorum, qui non ita ea ipsa perpenderent, ſcribere, & iuſtitiam noſtram declarare voluimus, rogantes vt ſi forte aliter ſuper his per hos ipſos noſtros communes & naturales aemulos, amicis auribus veſtris deferri contigerit, eis veluti de odio ſuſpectis credulitatis locum non indulgere velitis, ſed memores cognati moris noſtri faederis & affinitatis, iuſtas ſpes Fidei noſtræ, illorum gratia obrumpi non patiamini, nec aſſveta benivolentia Veſtra eorum criminationibus cedat, quorum ſemper diffida ſuggeſtio ſeminarium discordiæ elaborat, & officiis amicitiæ

ANNO 1447.

ANNO 1447. dolos contegens, aliorum Pacem debellare conatur, noſtros vero mores non tam cognitos, quam cognatos ab Atavis judicio veſtro committimus, in quibus non aliud niſi rectam Fidem, benevolentiam, dilectionem, & amicitiam viguiſſe arbitramur, in quibus perſiſtere & deinceps intendimus, prout & versa vice F. V animos experti ſumus. Plura ſuper his in adventu plurium Fratrum Noſtrorum, quos ad Feſtum B. GREGORII affuturi generaliter, in hunc locum evocari fecimus, ſerioſius F. V. curabimus declarare. Dat. Budæ. Die penultima Februarii. Anno Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Septimo.

## XVIII.

ANNO 1449. NICOLAI V. Papæ *ad* SBIGNEUM *Cardinalem, Epiſcopum Cracovienſem Literæ, quibus dat ei poteſtatem tractandæ Pacis in Hungaria.* Dat. Romæ. d. 19. Martii. Anno. 1449. *Ex Originali.*

NICOLAUS Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilecto Filio SBIGNEO tituli S. Priscæ Presbytero Cardinali, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Intelleximus ex Literis tuis, quod in Regno Hungariæ non modica perturbatione, bellorum incendiis, æmulo Pacis inſtigante, inter dilectos Filios nobiles Viros IOANNEM de *Hunniad* dicti Regni Gubernatorem, & IOANNEM BISKRA, qui ſe dicit Regni Capitaneum, nuper exortis, Cariſſimus in Chriſto Filius noſter CASIMIRUS Rex Poloniæ Illuſtris, totumque Poloniæ Regnum Tuo Conſilio, et exhortatione moti miserunt illuc ad reſtingvendum incendia huiusmodi ſuos Oratores, et Nuntios, qui Dei gratia cooperante inter Partes Treugas ad certum terminum fecerunt, vt interim poſſet de concordia, et Pace tractari. Cum autem ab intimis cordis noſtri deſideremus, vt Regnum illud, quod diutius fuit tanquam ſcutum fidei adverſus perfidiam Theucrorum, vires ſuas potius contra hoſtes fidei convertat, quam ſeipſum aliqua diſcordia, aut bello conficiat, et conſumat. Et propterea exiſtimantes neceſſarium eſſe pro ſalute Chriſtianorum, vt omnis diſcordia inter diſſidentes auferatur, & vt Pax firmetur inter eos, ad hoc autem iudicantes aptiſſimam eſſe circumſpectionem Tuam, propter eius ſingularem prudentiam, multaque præclara virtutum dona, quibus Perſonam Tuam Altiſſimus inſignivit, exhortamur in Domino Circumſpectionem Tuam, eidem nihilominus iniungentes, quatenus ob Dei reverentiam, & pro bono Regni illius, ne gladium proprium in ſua viſcera convertat, velis ſvadere Regi præfato, & etiam Proceribus & Communitatibus Regni ſui, vt ad componendam hanc Pacem iterum deſtinent ſuos Oratores: ad quod opus perficiendum, Tua quoque Sapientia velit accedere, & ibi authoritate noſtra, et tanquam noſter ad hanc rem miſſus Legatus hanc Concordiam, et Pacem inter partes tractes, componas, et concludas, proque ejus votiva concluſione omnes Regni Hungariæ Archiepiſcopos, Epiſcopos, Prælatos et Barones tuis ſvaſionibus, vt tibi ſua opera aſſiſtant, inducas. Nos enim tibi partes ipsas ad huiusmodi Concordiam, et Pacem authoritate noſtra hortandi, monendi, inducendi, et requirendi, illamque tractandi, et eam perpetuo, vel ad tempus firmandi, et concludendi, ac eam ſub pœnis, de quibus viſum fuerit, ſervari mandandi et faciendi, Treugas insuper et ſufferentias de novo, ad tempus, de quo tibi videbitur, indicendi, ac vt ab armis et violentia ceſſent, per Cenſuras Eccleſiaſticas, de quibus tibi videbitur mandandi, et cogendi, inhibendique omnibus, et ſingulis Perſonis cuiuscunque Status, Gradus, Ordinis, vel conditionis fuerint, ſub eisdem Eccleſiasticis Cenſuris, omniaque alia et ſingula agendi, faciendi, mandandi, et exequendi, quæ pro bono Pacis huiusmodi conſequendo neceſſaria agnoveris, ſeu etiam opportuna, plenam et liberam authoritate Apoſtolica concedimus tenore Præſentium Facultatem, Contradictores quoslibet et Paci rebelles authoritate noſtra, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Datum Romæ apud S. PETRUM Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Nono. Quartodecimo Calendas Aprilis. Pontificatus noſtri Anno Quarto. ANNO 1449.

## XIX.

CASIMIRI *Poloniæ Principis Litera diffidatoria, ad* MATHIAM *de Hunniad Regem Hungariæ directa.* Dat. Cracoviæ *feria ſexta in Vigilia* S. MATHIAE Apoſtoli. *Ex Arch. Regni* Lib. *5. ſub Litt. E n. 6. fol. 18.* 1471.

CASIMIRUS Dei gratia Sereniſſimi Principis, et Domini, Domini CASIMIRI, eadem gratia, Regis Poloniæ, Magni

ANNO 1471. Magni Ducis Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Domini et Haeredis etc. Natus Regni Hungariæ naturalis Dominus, et Hæres, etc. Domino MATHIAE *de Hunian* HungariaeRegi intruso,et occupatori eiusdem violento Salutem iuxta currentis temporis qualitatem. Non eſt toti orbi Terrarum incognita, tum Regno Hungariae inordinata profectio, et quod tu eiusdem Regni incola, et ſubditus exiſtens praefatum Regnum tibi vi, et gladio vendicaſti, cum tuis conſangvineis, qui tibi pro vsurpando praefato Regno, violento fuerunt auxilio, per quos alios omnes & ſingulos dicti Regni Praelatos, Baronesque & Communitatem ad eligendum te in Dominum,comminatione mortis coegiſti, nullo Jure ad praefatum Regnum Tibi penitus competente, quod et in hunc diem crudeli gladio detines, et occupas, in Juris noſtri Aviti, et naturalis præiudicium. Cuius quidem Regni Jure divino, et ingenito nobis ex Linea Sangvinis divae memoriæ SIGISMUNDI Imperatoris, cuius nepos exiſtimus, ac LADISLAI Avunculi noſtri Germani, et aliorum Regum Hungariæ debuit ſucceſſio. Poſt cuius Domini LADISLAI deceſſum, tu, vt præmiſſum eſt, praefatum Regnum non Jure, ſed gladio poſſediſti, et huic ingreſſui illegitimo te confirmans in ſubditos Regni a primordio deſaevire non ceſſas, Iura eorum, et Regni violando, taxationes minus juſtas, exactiones, et collectas contra jurium libertatem eisdem imponendo, nec easdem in Regni profectum et defenſam, vt debebas, ſed alibi prodigaliter convertendo, aliasque multiplices oppreſſiones, ac violationes commitendo, in eosdem praemiſiſti etiam immaniſſimum Turcam inſultibus ſuis Terras Hungariae depopulari, Fidem Chriſti extirpari in eisdem, ac homines Cruce Dominica inſignitos in ſervitutem capi barbaricam toleraſti. Parum cum curae tibi fuit Regni praefati tuitio, in quo tibi nulla propinquitas naturalis competebat. Quas impreſſiones et gravamina per te Regno Hungariae illata, iuvenili aetate prohibiti, tolerare fuimus coacti, nunc tamen cum adolescere, et annis diſcretionis appropinquare cœpimus, durius videbatur, et indignius moleſtationes praefatas, et iniurias, ac depopulationem Regni illius ſuſtinere. Quibus cupientes ope diuina, cuius etiam res agitur, obviare, ad defenſionem populi Chriſtiani, et ampliationem fidei, ac ſuper oppreſſione pauperum eiusdem Regni pia geſtantes viscera, quos de hac ſervitute eripere ſummopere anhelamus, Regnum praefatum in virtute Altiſſimi ingredimur, ipſum ab extero hoſte, et inteſtino defenſuri, et ideo Te Dominum MATHIAM de *Hunniad* tanquam Regem intruſum,et violentum occupatorem eiusdem Regni Hungariae, et omnes tuos adiutores tibi ſubſidio, favore, ope adhaerentes diffidamus. Per Praeſentes, non Regno Hungariae, nec Dominis Praelatis, Baronibus, et ipſius Regni inhabitatoribus, et Indigenis, pro quorum violenta occupatione ſuperius expreſſa, Nos tibi, ac omnibus tuis adiutoribus, et tibi adhaerentibus hoſtem ponemus, et publice denotamus per praeſentes, ipſos omnibus viribus noſtris de tua tam violenta occupatione Omnipotentis Nobis ad id favente gratia, eripere volentes. Datum Cracoviae feria ſexta in vigilia MATHÆI Apoſtoli, Anno Domini MCCCCLXXI. ANNO 1471.

## XX.

CASIMIRI *Regis Poloniæ Literæ plenæ poteſtatis Oratoribus ſuis datæ, ad tractandam Pacem inter* VLADISLAUM *Regem Bohemiæ &c. Primogenitum, et* CASIMIRUM *ſecundo genitum Natos ſuos, nec non Regnum Poloniæ ab una, &* MATHIAM *Regem, ac Regnum Hungariæ ab altera parte.* Dat. Thorunii *feria tertia in Craſtino* SS. Innocentium. *Ex Arch. Regni Lib. 5. No. 6. fol, 127.* 1472.

CASIMIRUS Dei gratia Rex Poloniae etc. Significamus etc. Quomodo exorta inter noſtrum Poloniae, et Hungariae Regna, Incolasque eorum, item inter Illuſtriſſimos Principes Dominos, VLADISLAUM eadem Gratia Bohemiae Regem, Marchionem Moraviae, Luczemburgenſem, ac Sleſiae Ducem et Luſatiae Marchionem etc. Primogenitum,&CASIMIRUM ſecundo genitum noſtros Cariſſimos, occaſione Regnorum Hungariae, & Bohemiae,ad quae ipſis Natis noſtris Jus naturale,&ingenitum competit,ab una,& inter Sereniſſimum Principem Dominum MATHIAM Regem Hungariae, parte ab altera, ita ut iam ad aliqua indicia hoſtilia, & actus bellicos, inter praefatos noſtros Natos, & ipſum Dominum Regem Hungariae, foret deventum: Sanctiſſimus in Chriſto Pater, et Dominus noſter, Dominus SIXTUS Papa quartus, ſentiens ex hac guerra partium, Reipublicae Chriſtianæ propter Theucri hoſtis Crucis Chriſti invalescentiam, qui viribus ſuis adau-

ANNO 1472. ctis indies Christianos abigere, bonaque eorum populari non cessat, ita ut iam ad insignes Catholicorum profundasse oras hostili incursu visus sit, satagens ex iiuncto sibi curae Pastoralis debito, huic rei providere, Reverendissimum in Christo Patrem Dominum MARCUM Tituli Sancti Marci Presbiterum Cardinalem, et Patriarcham Aquilienſem ad haec Regna legatum de Latere direxit, horum disturbiorum Mediatorem, qua authoritate summus Pontifex et suae Legationis officio, partium etiam accedente consensu, pro quaerendis mediis Pacis, Dietam in Civitate Nissa, aut Vratilauia pro die Purificationis Beatae Mariae proximo, aut si propter brevitatem temporis, vel aliam causam diem differri contigerit, extunc pro die per Dominum Cardinalem indicto et a partibus acceptato indixit, pro qua adhortatus est Nos, Nuncios nostros, Oratores, et Regni nostri Consiliarios debere mitti plena Facultate suffultos, qui cum Oratoribus praefatorum Regum Bohemiae, et Hungariae convenire, super Dieta huiusmodi, mediante Paternitatis suae opera, amicabiliter tractaturos, easdemque litem, et Controversiam exterminaturos bonis mediis eliminaturos, et praecisuros. Et ideo Nos tanquam Princeps Catholicus, populationem Christianorum compassi, pro quorum incremento, et salute Praedecessores nostri sangvinem suum fudere, et Nos etiam eidem pro viribus consulere cupientes, ac Sanctae sedis Apostolicae et Legati eiusdem Reverendissimi Domini Cardinalis praescripti obsequentes votis, in Missionem Oratorum Nostrorum, et Baronum consensimus, et tenore praesentium ad Dietam praefatam mittendos declaramus Reverendissimum videlicet in Christo Patrem, nec non Magnificos, et Venerabiles Dominos IOANNEM Sanctae Ecclesiae Gnesnensem Archiepiscopum, et Primatem, IOANNEM Cracovienſem, et IACOBUM Vladilavienſem, DERSLAUM de *Rythwiany* Cracovienſem, LUCAM Posnanienſem, STANISLAUM OSTROROG Calissienſem Palatinos, IOANNEM de eadem *Rythwiany* Regni Poloniae Marschalcum, IOANNEM Dlugos, et IACOBUM *de Schadet* Decretorum Doctorem, Canonicos Ecclesiarum sincere Nobis dilectos, Quorum Nobis cognita, et visa est legalitas, et in rebus agendis peritia, quos omnibus melioribus modo, via, Jure, forma, et ordine, quibus efficacius debuimus, de certa scientia nostra, et Consiliariorum nostrorum voluntate in Oratores, negotiorumque ad nos, Regnumque nostrum, ac subditos nostros pertinentium Actores, Gestores, Factores, et Nuntios speciales, et Generales cum pleno, libero, amplo, sufficiente, Generali, specialique Mandato instituimus, praefecimus, et deputavimus ad conveniendum in Civitate Niszew, aut Vratislavia cum praefatis dictis Oratoribus, et Baronibus Dominorum VLADISLAI Bohemiae, et MATHIÆ Hungariae Regum dantes, et conferentes eisdem nuntiis nostris, et Oratoribus omnimodam et plenissimam facultatem Controversias, querelas, dissensiones, iras, et quascunque rixas, ac dissplicentias inter nostrum Poloniae, et eiusdem Domini MATHIÆ Hungariae Regna, Incolasque eorundem quomodolibet subortas sopiendi, paciscendi, componendi, placandi, extingvendi, et de omnibus subditis nostris excedentibus plenitudinem iustitiae efficiendi, hac a parte adversa, eandem fieri petendi, et recipiendi, Pacemque perpetuam, ac Treugam sub tempore concludendi, et acceptandi, aliaque et singula agendi, disponendi, ordinandi, & Regni nostri transigendi, et concludendi, nostro & Regni nostri nominibus promittentes in verbo nostro Regio omnia, et singula, quae per ipsos Oratores, Barones, et Nuntios nostros in Dieta praefata, acta, gesta, ordinata, dispositа, tractata, & concluſa forent, quae rebus his deservire & conducere viderentur, rata, grata, et inviolabilia tenere, habere, ac firmiter observare, acsi per nosmet propria in Persona gesta, facta, dispensata, ordinata et concluſa forent. Harum, quibus Sigillum nostrum appensum est, testimonio Literarum. Datum in Civitate nostra Thorunensi feria tertia in Crastino Sanctorum Innocentium, Anno Domini MCCCCLXXII.

RELATIO Sbignei Vicecancellarii.

XXI.

ANNO 1472. *Inducíæ annuæ inter* MATHIAM *Hungariæ, Bohemiæ &c. &* CASIMIRUM *Regem Poloniæ, nec non* CASIMIRUM *eius Filium, ac Regna eorum per Proceres Hungariæ cum Oratore Regis Poloniæ conditæ.* Datum *Budæ* Tertia die Resurrectionis Domini Anno 1472. *Ex Orginali. cum Sigil.* MATHIÆ *Regis & aliis Sigil: 54. Extat. in Archivo Cancel. Regni Lib. 5. n. 6. fol. 73.*

NOs Praelati, Barones, & Proceres Regni Hungariæ in præsenti Conventu Budæ congregati, tenore præsentium significamus

ANNO 1472. camus, quibus expedit Vniversis, quod cum his diebus cum Magnifico STANISLAO WANTROPKA *de Strzelcze* Castellano Sandecensi, Oratore Sereniſſimi Principis Domini CASIMIRI Regis Poloniæ &c. pro componendis Treugis, ac futura Pace inter ſereniſſimum Principem, & Dominum, Dominum MATHIAM Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ &c. Regem Dominum noſtrum naturalem gratioſiſſimum ab una, ac ſimiliter inter Sereniſſimum Principem Dominum CASIMIRUM eadem gratia Regem Poloniæ &c. et Illuſtriſſimum Principem Dominum, ſimiliter CASIMIRUM Filium eiusdem, partibus ex altera, ac utriusque Regna, et Dominia tractaſſemus, tandem de voluntate præfati Domini noſtri Regis, ac pari, et unanimi ambarum Partium voto, et aſſenſu devenimus ad infraſcriptos Articulos: Primo: ut Treugæ Pacis fiant per integrum annum inter præfatos Principes, ſed & Filium dicti Domini Regis Poloniæ, vt eo commodius de futura Pace perpetua inter prædictos Principes tractari poſſet, ad vtilitatem ptædictorum Regnorum: Hungariæ videlicet Bohemiæ & Poloniæ, cui rei nos præfati Prælati, & Barones pro bono Pacis conſenſimus modo infra ſcripto. Item placuit Partibus, vt Treugæ quantum tangunt Regnum Hungariæ incipiant a Feſto videlicet Beatorum PHILIPPI, & JACOBI Apoſtolorum, quæ dies eſt prima Menſis Maji, & duret per integrum annum. Jnterea autem debemus Nos Prælati, & Barones Regni Hungariæ, ſimiliter & Regni Poloniæ convenire in locis conſuetis iuxta Inſcriptiones antiquas & veteres in numero & dignitate ſibi pares pro tractanda Pace, & ratificandis omnibus, quæ commiſſa ſunt tempore iſtorum modernorum Regum, & ſubditorum ſuorum, & videtur Nobis Prælatis & Baronibus prædicti Regis Hungariæ, ut fieret octavo die Sanctæ Trinitatis. Item quantum ad Caſtrum Nitrenſe concluſum, quod ipſe Dominus Orator mittet ad ipſum Caſtellanum, videlicet PETRUM KOT ad inquirendum eundem, Caſtrum illud, quod modo oppugnatur, cuius nomine teneat; et ſi faſſus fuerit ipse Caſtellanus ſe ipſum tenere nomine dicti Domini Regis Poloniæ, aut Filii ſui, extunc Dominus Orator debebit eidem procurare Literas expeditionis, ſeu quitantiæ a Juramento, ab obligatione, ſi quæ fuiſſent inter eos, ſi vero prætactus Caſtellanus dixerit ſe denotatum Caſtrum tenere nomine Archiepiſcopi Striemenſis, ſicuti & merito deberet, extunc Domini Poloni non intromittant ſe vlterius de his rebus, ſed permittant agere Hungaros cum Hungaris, prout ipſi ſciunt, ſicuti ipſi Domini Poloni in Regno ſuo conſueverunt, vel fecerunt. Placeat tamen, quod ſi Dominus Striemenſis, qui habebit proventus ſuos, debitor fuerit in aliquo ipſi PETRO KOT, ipſe exolvat. Item quantum ad Caſtellum *Stropkot* concordatum eſt, quod & illud una cum illis, qui in eodem exiſtunt, in huiusmodi Treugis permaneant, ita tamen, quod tenentes illud ſint contenti illis proventibus, qui ad ipſum Caſtellum pertinent, neque Holdas, ſeu quaſcunque alias exactiones exigant, vel extorqueant ab Jncolis illius, Provinciae, ſed neque aedificia nova, ac fortificationes inibi fiant, ſed durantibus Treugis in eodem ſtatu, in quo nunc eſt, permaneat. Item viſum eſt, vt Treugae ipſae firmius permaneant, quod deputentur duo de praefato Regno Hungariae, ac notabiles fide digni viri, et ſimiliter in Regno Poloniae, qui habeant iudicare, ſi quid per privatas Perſonas contra ipſas Treugas factum fuerit, et teneantur conquerentibus infra ſpatium unius menſis ſatisfactionem impendere, ſi Ordo juris hoc dictaverit. Item quia ipſe Dominus Orator non habuit ſatisſufficientia Mandata, viſum tamen nobis eſt, quod propterea res non debet diſſolvi inter tot, et tales Principes; ſcilicet contenti ſumus nos ſupratacti Praelati, et Barones, ne videamur abiicere Pacem de votis, ac Literis ipſius Domini Oratoris, quousque per praefatum ſereniſſimum Dominum ſuum, Dominum Regem Poloniae res per eum hic acta confirmabitur, quae omnia, & ſingula praedicta Nos praetacti Praelati & Barones, & Proceres praedicti Regni Hungariae promittimus fide noſtra Chriſtiana, ſine dolo & fraude obſeruare, ac per univerſos ſubditos & familiares noſtros, & ad nos pertinentes, inviolabiliter obſervari facere. In quorum omnium fidem & teſtimonium praeſentibus Literis noſtris, ſeu compoſitioni Sigilla noſtra imprimi fecimus. Praeterea quantum in factis Regni Bohemiae viſum eſt Magnifico Domino ZDENKONI *de Stenberk* ſupremo Capitaneo praetacti Regni Bohemiae, ut fiant Treugae Pacis ibidem modo infra ſcripto. Item in Regno Bohemiae, Moraviae, Sleſiae, ſex Ciuitatum, & Luſaciae Treugæ ſerventur incipiendo a Feſto Beatorum PHILIPPI & JACOBI Apoſtolorum a ſolis occaſu, et debent durare per integrum annum, ita tamen, quod ad Feſtum Sanctæ Trinitatis fiat conventio Dominorum Praelatorum, et Baronum Catholicorum Sereniſſimo Domino noſtro Regi MA-

ANNO 1472.

ANNO THIÆ obedientium, et adhaerentium ab
1472. una, & cum Parte adversa Partibus ex altera in Beoda Theutonicali sub salvis conductibus in his rebus necessariis, vbi praedicti Domini ex utraque parte debebunt tractare, et concordare de articulis, sub quibus conditionibus ipsæ Treugæ observari debent inconcusse. Sed quia timendum est, quod ipsae partes per se non concordarent, visum est, ut ipsi serenissimi Principes, scilicet Dominus Rex Hungariae, et Poloniae unusquisque eorum mittat unum notabilem hominem de Consilio suo, qui habeant plenam facultatem, ut in quibus ipsæ Partes concordare non possent, ipsi duo, quod arbitrati fuerint, concordi animo, vtraque Pars acceptare teneatur. Item Bona, et Castra, quae sunt bello acquisita modo teneantur, quo hucusque ad ipsum Festum Sanctae Trinitatis Holdae, quae iam sunt promissa exsolvantur, neque aliqua pars subditos suos ab huiusmodi Holdis iam promissis defendere, ac ad non solvendum eas compellat, et Holdae praedictae tempore medio non debeant augmentari. Dat. Budae tertia die Resurrectionis Domini. Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Septuagesimo Secundo.

Et Nos MATHIAS Dei gratia Rex Hungariae, Bohemiae &c. promittimus in verbo nostro Regio, et bona fide huiusmodi Compositionem, seu Treugas Pacis, ac Articulos modo, quo supra, factos observari, ac per praetactos Praelatos, Barones, Proceres, et alterius cuiusvis status, conditionis et linguarum homines, subditos, et Incolas praetactorum Regnorum nostrorum, Hungariae videlicet et Bohemiae, et Partium earundem firmiter, et inviolabiliter, ac sine dolo, et fraude observari facere. In cuius rei testimonium praetactis literis etiam Sigillum nostrum imprimi fecimus Dat. vt supra.

XXII.

1472. *Declaratio, & Limitatio earundem Inducíarium, per Proceres Regni Poloniæ facta, quod non integrum annum, sed solum ad diem 24. Junii eiusdem Anni duraturæ sint, quo die Conventus Consiliariorum Regni Poniæ, Bohemiæ, & Hungariæ agi debet ad tractandum de Pace perpetua.* Datum Cracoviæ *feria quarta proxima ante* Dominicam *Cantate* Anno. 1472. *Ex Orginali. Sigil. 30. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. 5. n. 6. Lit: E. fol.* 73.

Nos Praelati, et Barones, Regni Poloniae hactenus Cracoviae congregati: Significamus tenore Praesentium, quibus expedit, Vniversis. Quod Tractatibus, strenuo Domino NIMPHOR Nuntio Baronum hujusmodi ad nos directo habitis, satisfacere cupientes, ac etiam promisso nostro Verbali, propter majorem horum negotiornm securitatem, et fidem Litera nostra praesenti recognoscimus, ac etiam pro serenissimo Principe Domino CASIMIRO Dei Gratia Rege Poloniae &c. Domino nostro gratiosissimo, ac Illustrissimo Principe Domino VLADISLAO eadem gratia Bohemiae Rege &c. pro caeterisque Inclytis Natis Sereniſſimi Domini nostri, Dominis nostris gratiosissimis, Nobisque et ceteris subditis omnibus, in Dominiis eiusdem sereniſſimi Domini nostri, sub eiusque Ditione consistentibus. Item pro stipendiariis in Castro Strobkow residentibus, spondemus, et pollicemur, quod infra hinc ad Festum Sancti JOANNIS Baptistae, pro quo die debet Conventus Consiliariorum Regni Poloniae, Bohemiae, et Hungariae, item ulterius, et per tempus infra, quo Conventio ipsa durabit, nullam hostilitatem Regno Hungariae intentabimus, vel hi, pro quibus, ut praescriptum est, promisimus, intentabunt, sed firmas, et indissolubiles Treugas Pacis, et perfectam securitatem cum Regno Hungariae tenore Praesentium amplectimur suscipiendam et firmandam. Quod si aliquis ex subditis, aut servilibus Dominiorum Regni nostri ausu temerario aliquid attentare moliretur, quo videretur Paci confectae, et concluſae contravenire, illud non debebit Treugas sic confectas violare, sed emenda talis excessus, iusque in conventione proxime futura pendebit arbitrio Dominorum utriusque Partis illic congregandorum committenda. Harum Testimonio Literarum, quibus Sigilla nostra sunt appressa. Datum Cracoviae feria quarta proxima ante Dominicam Cantate Anno 1472. ANNO 1472.

XXIII.

*Indutiæ inter* CASIMIRUM *Regem Poloniæ, & Natos eius* VLADISLAUM *Regem Bohemiæ Primogenitum, &* CASIMIRUM *secundo genitum ex una, &* MATHIAM *Regem Hungariæ parte ex altera, per* MARCUM *Cardinalem Legatum Apostolicum, sub interminatione anathematis indictæ.* Datum in Sandecz 20. Octobris. Anno 1472. *Ex Orginal. Extat in Arch:* Cancel. Regni *Lib. 5. n. 6. fol. 92.* 1472.

MAR-

ANNO 1472. MARCUS Miseratione divina Tituli S. Marci Sacrosanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis, Patriarcha Aquilienſis, ac Apostolicae Sedis Legatus ad notitiam, quibus expedit Universorum, et praesertim Sereniſſimorum Principum, Domini MATHIÆ Dei gratia Hungariae Regis &c. et Domini CASIMIRI Poloniae Regis &c. ac Illustriſſimorum Principum VLADISLAI primo, et CASIMIRI secundo genitis ipsius (cum Sanctiſſimus Salvator noster ex hoc Mundo ascensurus in Cœlum ad Patrem, totius gregis sui curam, ac cum Sancto PETRO Apostolorum Principe, atque cum successoribus Romanis Pontificibus demandaverit) Sanctiſſimus in Christo Pater, et Dominus noster, Dominus SIXTUS Divina Providentia Papa IV. ad sanctiſſimum Universalis Ecclesiae gubernandae Apostolatum, disponente Domino assumptus, animadvertens Religionem Christianam ab infidelibus, et Crucis Christi atrociſſimis hostibus Turcis multis stragibus afflictam, et a perfidiſſimis haereticis inprimis erroribus, magnisque calamitatibus his in partibus vexatam, atque animo repetens, quod niſi inter Principes Orthodoxos, et eos maxime, qui adversus ipsos communes hostes insurgere, et eorum rabiem impetumque reprimere, ac propulsare valent, pax, Unio, et Concordia componatur, et consolidetur, Rempublicam Christianam adeo jam labefactatam, et oppreſſam, prorsus conculcatam, peſſundatum iri sit formidandum: his cladibus, et Religionis nostrae periculis, ex officio Pastoralis sollicitudinis providere cupiens, matura cum Reverendiſſimis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus desuper habita deliberatione, quatuor Reverendiſſimos de suo Latere Legatos ad diversas Mundi partes destinavit, sed ad sedandas, & componendas quod necessarium admodum Rei Christianae visum est, Controversias, & differentias, quae inter Vos praefatos Sereniſſimos Reges & Dominos, aut quosuis alios a vobis dependentes, quomodolibet exortae fuiſſent, Nos speciaLiter, licet immeritos etiam de latere suo Legatum direxit, atque transmiſit, ut Concordia inter Vos ab Omnipotente Deo ex alto conceſſa, ad ulteriores opportunos Tractatus contra immaniſſimum fidei hostem, & in favorem Christianorum vobiscum progrederemur. Cum vero Nos, ut Mandata Apostolica exequeremur, fuerimus cum utriusque Vestrum Majestate, de Concordia huiusmodi formanda diligenter, prout decuerat, & expeditius fuerat, praeprimis collocuti, longosque, & varios cum Majestatibus Vestris Tractatus, tam praesentes, quam per Literas & Nuntios habuerimus, ut, quod ommibus recte sentientibus Paci componendae judicabatur neceſſarium, Sufferentiae, et Pacis Induciae inter Vos praefatos Reges, & Dominos usque ad Calendas Maji proxime venturi, Festum usque PHILIPPI & JACOBI Apostolorum constituerentur, & interea his Treugis durantibus generalis Conventus, sive Dieta inter Vos in Oppido Niſſa Wratislavienſis Diaeceſis celebraretur, ad quem seu quam Vos Sereniſſimi Reges, & Illustriſſimi, Consiliarios & Oratores vestros pleno Mandato, & authoritate suffultos transmittere huc tenemini, & debetis, bella & Controversias huiusmodi inter Vos omnes quomodolibet exortas, Divina favente Clementia composituros, hæcque facere satore *Zyzaniæ*, & Pacis operante inimico, quibusdam differentiis oppositis, omnia tractantes, & nihil praetermittentes, inter Vos ulla ratione concludere nequiverimus, cujus culpa id acciderit subticendo, cum nostrum non sit ad praesens hoc iudicium proferre: Considerantes quatenus procellis agitetur Christiana Religio, & quam pernicioſum futurum esset, Jnclytis Regnis Vestris pariter, & Universae Reipublicae Christianae bellum inter Vos, si sequeretur, quod Deus avertat, his periculis, & desolationibus, & ex Profeſſione Christiana, & ex vinculo, quo Religioni tenemur, & ex Officio Legationis nostrae obviare, prout debemus, affectantes, ne in hac re sollicitudinem, ac diligentiam debitam omiſiſſe videamur, Authoritate Apostolica nobis in hac parte conceſſa, & commiſſa, Treugas, & Pacis Inducias, de quibus etiam ante adventum nostrum, Tractatum mutuo habuiſtis, inter Vos sereniſſimum Dominum MATHIAM Dei gratia Hungariae Regem &c. subditos, & Vasallos vestros ex una, & sereniſſimum Dominum CASIMIRVM eadem gratia Poloniae Regem, &c. Illustriſſimos Natos vestros, Dominos, VLADISLAVM primo, & CASIMIRVM secundo Genitos, Subditos, & Vasallos vestros parte ex altera, Regnaque vestra a die datae praesentium, usque ad Calendas Maji praedictas indicendas duximus, & constituendas, & tenore Praesentium indicimus, ac constituimus, a Vobis, & subditis, Regnisque vestris inviolabiliter observandas, ut interea ad Tractatus praefatae Concordiae, & perpetuae Pacis facilius valeat perveniri. In quorum effectum eadem quoque authoritate Apostolica de-

ANNO 1472.

ANNO 1472. cernimus, vt una generalis Dieta ſub Die ſecunda Februarii proxime venturi, Feſto videlicet Purificationis Sanctæ & Glorioſiſſimæ Genitricis Dei ſemper Virginis MARIAE, apud Niſſam Wratislavienſis Diæceſis, alias in hoc Tractatu a Majeſtatibus Veſtris acceptato, teneatur, celebretur, & obſervetur, quam nunc per Præſentes indicimus, & inſtituimus, ad quam Vos Sereniſſimi Domini Reges, & Vos præfati Illuſtriſſimi VLADISLAE, ex CASIMIRE, Conſiliarios & Oratores Veſtros pleno Mandato, & Auctoritate ſuffultos, mittere teneamini, ac debeatis, veſtrumq; ſinguli, debeant, ac teneantur, Guerras, Lites, Bella, differentias, & controverſias hujusmodi inter Vos omnes quomodolibet exortas vobiſcum, cooperante Domino compoſituros, differentias vero, ſeu controverſias, quæ ante huiusmodi Treugas vel earum occaſione ortæ fuiſſent, vel oriri poſſent, inter præfatas guerras, & præſertim depactatione VICTORINI eadem Authoritate Apoſtolica ſuſpendimus, & in eis nihil prorſus innovari decernimus, donec & quamdiu in Dieta fuerimus congregati, earum compoſitionem, & deciſionem, tunc cum Oratoribus Veſtris tractaturi. Eademque Authoritate Apoſtolica decernimus, quod eiusmodi durantibus induciis, Fortalitium *Strobkow*, Capitaneatus, & gentes in eo conſtitutæ a Vobis Sereniſſimo Domino MATHIA Rege Hungariæ &c. non impetantur, ipſiq; bonis omnibus quomodolibet ad præfatum Fortalitium pertinentibus contenti eſſe debeant, homagia ſive holdas, aut ulla bellica impedimenta in Regno Hungariæ non exigant, neque faciant. Item ſi Treugis præfatis per Subditos Veſtros in aliquo fuerit derogatum, præſentes Treugæ non cenſeantur in aliquo violari, ſed in ſuo robore permanere debeant, teneaminiq; Vos Sereniſſime Rex MATHIA, Magnificum ENRICUM de Zapolia Comitem Scepuſienſem in *Leſzmart*, & Vos Sereniſſime Rex CASIMIRE in Oppido Veſtro *Podoliniecz* Strenuum BRZECZSLAUM *de Dworzyſzcze* Capitaneum Veſtrum Scepuſienſem mittere, qui debeant in loco medio inter præfata Oppida convenire, ad componendas, & decidendas ſingulas controverſias, & lites, inter Regna Veſtra, et Subditos Veſtros, quomodolibet exortas, æquitati, et jure municipali Regnorum Veſtrorum, in quibus perſonæ excedentes conſiſtunt. Decernimus inſuper, ut mutuos ſalvos Conductus, et præmiſſas ſecuritates quibuscunq; ad Conventum venientibus, tam ſpecifice, quam in genere, prout duxeritis opportunum, libere concedatis. Si vero dies dicta Purificationis Sanctæ Virginis longa nimis videretur, et Maieſtatibus Veſtris Concordias praevenire placeret: ſi hoc Nobis innotuerit, paratos Nos offerimus diem illum, quem elegeritis, acceptare, et una cum Oratoribus Veſtris eo tempore Conventum celebrare. Sed ut omnia, et ſingula præmiſſa firmius, et inviolabilius a Subditis Veſtris obſerventur, cum ad hoc et magnitudine periculi, in dictis Regnis Veſtris, et ſubſequenter Univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ imminenti, cui niſi pace, et unione inter Vos conſtituta ſubveniri non poteſt, et ne tam miſerum, calamitoſum, horrendum ſpectaculum verſetur in oculis noſtris, et ne truculentiſſimus communis hoſtis Turcus de ſtragibus noſtris, quod abſit, cum exultatione triumphet, compellimur, et ex Officii noſtri debito adſtringimur, pro tanta neceſſitate Fidei, Vos praefatos Sereniſſimos Reges et Dominos monere, rogare, et per viſcera miſericordiae Dei Noſtri IESU Chriſti, per illum vivificum pretioſum Sanguinem, pro pace, et Redemptione noſtra effuſum in Cruce, deprecari, et obteſtari, nihilominus pro loco, quem licet immeriti tenemus, et in vim illius obedientiae, quam, dum de ſacro fonte Baptiſmatis regenerati fuiſtis, voventes promiſiſtis, et qua, dum Regales Regnorum Veſtrorum Coronas per inunctionem ſacrati Olei, per Benedictiones, & impoſitiones manuum Epiſcoporum, medio juramento Vos Sacroſanctæ Chriſti Religioni, & ſubſequenter Sanctæ Apoſtolicae Sedi, & veris Miniſtris ejus obnoxios reddidiſtis, Maieſtates Veſtras requirentes, & ex parte Omnipotentis Dei, & Beatorum Apoſtolorum PETRI & PAULI, ac totius Curiæ triumphantis, ſub interminatione anathematis, & pœna maledictionis æternae Vobis, & Veſtrum ſingulis diſtricte præcipientes, mandantes, prout tenore praeſentium praedicta authoritate requirimus, & mandamus, ut Inducias, Conventum, & omnia, & ſingula prædicta modo praemiſſo ſervare, tenere, & celebrare debeatis, & a ſubditis Regnisq; veſtris ſervari, teneri, et celebrari inviolabiliter, absque dolo, et fraude faciatis. Si vero quod de minimo etiam Chriſtiano timeri non debet, ejusmodi monitiones, preces, requiſitiones, et Mandata noſtra tam Vobis, ac Regnis veſtris, quam Univerſo Populo Chriſtiano ſalutaria contempſeritis, recordamini a Sancto Martyre ANACLETO Romano Pontifice ſcriptum eſſe, qui Dei Miniſtros recipit, et verba eorum,

Deum

ANNO 1472. Deum recipit, qui autem ſpernit eos, eum, a quo miſſi ſunt, et cujus funguntur Legatione, ſpernit, et ipſe indubitanter ſpernetur a Domino. Præter pœnam etiam, quæ hujusmodi contemptui divinitus debetur, Nos legationis noſtræ Officium proſequi cogemur; ut autem cunctis clarius appareat, quod volumus prædictum omnimode, Deo juvante conſequi effectum, et omnes cognoſcant aperte, per Nos minime ſtare: quinimo omnem laborem, omnia pericula libenter ſubire, ut tanto Regnorum, ac devotorum populorum veſtrorum, ac totius Reipublicæ Chriſtianæ periculo ſuccuratur. Nos Deo duce non longitudine viarum, non hyemis aſperitate deterriti, jam greſſus & iter Noſtrum Niſſam verſus Dietæ locum dirigere incipiemus, ibique Oratores Veſtros expectabimus, tractaturi cum eis, quidquid tam Sancto bono Pacis, Unionis, & concordiæ inder Vos præfatos Sereniſſimos Reges & Illuſtriſſimos Dominos, & hæc tria Inclyta Regna concludendæ, & confirmandæ conducere poterit. Quam Glorioſus Deus, pro ſua Clementia præſtare dignetur, ut inde ad alios, contra ſæviſſimos Fidei noſtræ hoſtes Turcos apparatus congruos providere valeamus. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum præſentes noſtras Literas fieri, noſtrique Sigilli fecimus appenſione communiri. Datum in Sandecz ſub Anno a Nativitate Domini Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Secundo, tredecimo Kalendas Novembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris Domini SIXTI Divina Providentia Papæ Quarti Anno Secundo.

## XXIV.

1473. MARCVS *Cardinalis Legatus Apoſtolicus, prorogat Inducias inter* MATHIAM *Regem Hungariæ &c.* & CASIMIRVM *Poloniæ &c. Regem, necnon Filios Ejus* VLADISLAVM *primo* & CASIMIRVM *ſecundo Genitos, ac Regna eorum ſub Cenſuris Eccleſiaſticis.* Datum Niſſæ 14. Aprilis Anno 1473, *Ex Originali.*

MARCVS Miſeratione divina Sacroſanctæ Rom. Eccleſiæ tituli S. *Marci* Presbiter Cardinalis, Patriarcha Aquileienſis, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, ad notitiam, quibus expedit, Univerſorum, & præſertim Sereniſſimorum Principum, Domini MATHIÆ Dei gratia Hungariæ Regis &c. & Domini CASIMIRI eadem gratia Poloniæ Regis &c. ac Illuſtriſſimorum Dominorum VLADISLAI primo, & CASIMIRI ſecundo Genitorum ipſius. Magnarum Rerum gerendarum Tractatus & aliorum ſecuritatem, quietemque, & temporis maturitatem exposcere, nemo eſt, qui dubitet. Proinde cum terminus indicti a nobis Conventus fuerit, prout optime noſtis, dilatus, nec fuerint proportionabiliter Induciæ ſimiliter a Nobis inter Serenitates Veſtras, Subditos, Vaſallos, & Regna veſtra indictæ, prorogatæ, contigit, quod cum plures dies in multis, & variis Tractatibus componendæ inter Vos, Regnaque Veſtra concordiæ, cum Oratoribus Veſtris elapſi eſſent, & pro rerum magnitudine adhuc nil certi conclusum eſſet, videreturque dies exſpirandarum Induciarum non procul eſſe, haec armorum rupta ſuſpenſio, tam Sancto Pacis, & concordiæ operi, de quo agebatur, plurimum obfuiſſet, niſi celeri, & opportuno ei remedio occuriſſemus: animadvertentes enim tam Sanctos Tractatus hac incertitudine temporis impediri, & animo volventes incendia, ſtrages, & huius generis calamitates, quæ non ſolum his tribus Regnis inclytis, ad quæ pacificanda Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, licet immeriti, Legatione fungimur, verum etiam Vniversæ Reipublicæ Chriſtianæ formidandæ ſunt, ſi quod Deus avertat ab hoc Conventu re infecta diſcederetur, ad quod jam vtraque pars diſpoſita, & parata videbatur, ut liberioribus animis, & quietioribus Oratores Veſtri huic divino negotio quod præ manibus eſt, Nobiscum adiuvante Domino incumbere poſſent, & tot tantisque malis formidandis abſistere, Treugas, & Pacis Inducias, quas ut præfertur, inter Vos præfatos Sereniſſimos Reges, & Illuſtriſſimos Dominos, Regnaque Veſtra, Vaſallos, & Subditos veſtros auctoritate Apoſtolica Nobis in hac parte conceſſa, & commiſſa indiximus, & inſtituimus, usque ad Calendas Maji proxime venturas eadem auctoritate, usque ad Fetum Aſcenſionis Domini Noſtri IESU Chriſti proxime venturum, Clauſula ſuſpenſionis, depactationis VICTORINI, quæ non amplius in rerum natura eſſe dicitur, dumtaxat excepta. Super qua adminiſtrandum in hoc Conventu iuſtitiae complementum utrique Parti Nos obtulimus, & offerimus cum omnibus aliis, & ſingulis Articulis, Clauſulis, Conditionibus, & Punctis, prout in primis Literis noſtris Inducialibus, & ſecundis Declaratoriis deſuper confectis plenius continetur, præſentibus Oratoribus veſtris, et aliis Venerabilibus Viris, & legalibus Notariis ad hoc ſpecialiter vocatis, ſub eisdem obteſtationibus, cenſuris

ANNO 1473.

Anno 1473. censuris, & pœnis Ecclesiasticis, similiter in prioribus Literis nostris inducialibus contentis, a Vobis Sereniſſimi Reges, & Illustriſſimi Domini, subditis, vasallis, Regnisque vestris inviolabiliter observandas, prorogandas duximus, prout tenore Præsentium prorogamus, prædictos omnes, & singulos Articulos, clausulas, Conditiones, & Puncta, ac Obtestationes, Censuras, & Pœnas Ecclesiasticas in prioribus Literis nostris inducialibus, quas utriusque Vestrum Majestati Sereniſſimi Reges per Nuntios nostros misimus, contentas, ita Præsentibus pro expreſſis habentes, ac si omnes de verbo ad verbum, earumque toti tenores Præsentibus includerentur, in quo ad priores nostras Literas induciales Vos plene remittimus, volentes in hoc ad eas, cum opus fuerit, recursum haberi. Cæterum licet ejusmodi Treugarum prorogatio ob Sanctæ Sedis Apostolicæ reverentiam, & tam necessarii boni tractandi causa, fuerit coram Nobis præsentibus honorabilibus viris, & discretis Notariis præfatis, ab Oratoribus Vestris Sereniſſimi Reges Majestatum Vestrarum nomine, quantum in ipsis est, approbata, & acceptata: nihilominus Majestates Vestras harum serie rogamus in Domino, precamur, commonemus, & eisdem sub prædictis Obtestationibus, Censuris, & Pœnis Ecclesiasticis eadem auctoritate Apostolica, ex parte Omnipotentis Dei, et Beatorum Apostolorum Ejus Petri & Pauli præcipimus, & mandamus, quatenus dictam Oratorum suorum approbationem, & acceptationem prorogationis Induciarum eius modi a nobis indictæ coram nobis factam ita acceptam, ratam, gratam, firmam stabilemq; habeatis, & inviolabiliter observetis, & a subditis, vasallis, Regnisque Vestris integre absque dolo, & fraude observari faciatis, ac si Majestates Vestræ in propria Persona dictam prorogationem coram Nobis approbassent, & acceptassent. Qua in re, & Regnorum Vestrorum quieti, & saluti consuletis, & ab Omnipotenti Deo retributionem capietis. In quorum omnium & singulorum fidem, & testimonium præmissorum, præsentes Nostras Literas fieri, Nostrique Sigilli fecimus appensione communiri. Datum Nissæ sub Anno a Nativitate Domini Millesimo Quadringentesimo Septuagesimo Tertio. Decimo Octavo Calendas Maji Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Sixti Divina Providentia Papæ IV. Anno Secundo.

## XXV.

Anno 1474.

Mathiæ *Regis Hungariæ Mandatum ad tractandum cum Consiliariis Regni Poloniæ de Pace, & Fœdere.* Datum in Eperies Feria quarta inter Octavas Festi Epiphaniarum Domini, Anno 1474. *Ex Orginali.*

Nos Mathias Dei gratia Rex Hungariæ &c. Significamus tenore Præsentium, quibus expedit, Universis. Quod Nos de fide, fidelitate, prudentiaque, & Legalitate fidelium Nostrorum Reverendorum in Christo Patrum Dominorum Gabrielis Albensis Transylvaniæ Cancellarii nostri, & Osvaldi Zagrabiensis Ecclesiarum Episcoporum, nec non Spectabilis, & Magnificorum Emerici *de Zapole* Comitis perpetui Scepusiensis, & Joannis Bangracii *de Dengeleg* alias Woywode Transylvani, Generalis Capitanei Exercituum Nostrorum, Item Venerabilium, & Egregiorum Georgii quinque Ecclesiensis, Apostolici Prothonotarii, & Gasparis Sancti Martini *de Scepusio* Ecclesiarum Præpositorum, Consiliariorum scilicet Regni nostri ad plenum confisi, accedente etiam consilio, & consensu aliorum Prælatorum, & Baronum præfati Regni nostri Hungariæ, eiusdem plenum, & liberum Mandatum, & omnem auctoritatem, potestatemque nostram dedimus, & concessimus, damusque, & concedimus cum Dominis Prælatis, & Baronibus ac Consiliariis Regni Poloniæ ad dietam proximis diebus futuris in locis ab antiquo ad hoc consvetis celebrandam venturis conveniendi, resque, facta, & universa negotia utrorumque Regnorum ipsorum, Hungariæ videlicet, & Poloniæ, nec non etiam Bohemiæ, ac Partium ad eadem pertinentium tangentes, & concernentia tractandi, conferendi, & disponendi, ac exinde Pacem, Pacta, Fœdera, Concordiam, & Treugas ad tempus vel in perpetuum confirmandi, disponendi, vel de novo componendi, & faciendi, finaliterque concludendi, ac firmandi, ac omnia & singula faciendi, quæ Nos propria in persona facere possemus, si personaliter interessemus, etiamsi talia forent, quæ Mandatum exigerent magis speciale, promittentes in Verbo Nostro Regio, & bona fide nostra, omnia & singula ea, quæ præfati Consiliarii Regni Nostri cum dictis Prælatis, & Baronibus, ac Consiliariis Regni Poloniæ super quibuscunque rebus factis, & negotiis prænominatorum Regnorum, ac eorun-

ANNO 1474. eorundem Partium tractaverint, conferent, disponent, facient, concludent, & firmaverint, rata habere, atque grata firmiteret, inviolabiliter observare, observarique facere per Prælatos, Barones, Incolas, et quoslibet subditos nostros cujuscunque Status, et Conditionis existant. Harum Literarum Nostrarum, quibus secretum Sigillum nostrum est appensum, vigore et testimonio mediante. Datum in Eperies Feria quarta inter Octavas Festi Epiphaniarum Domini Anno ejusdem Millesimo Quadringentesimo Septuagesimo Quarto. Regnorum autem Nostrorum Anno Hungariæ &c, sexto decimo, Bohemiæ vero quinto.

## XXVI.

*Fœdus Pacis perpetuæ inter* MATHIAM *Hungariæ &c. et* CASIMIRVM *Poloniæ Reges, & Regna eorum per Consiliarios utriusque Jancitum.* Datum in *Antiqua Villa Feria secunda* proxima ante Festum Cathedræ B. Petri Apostoli Anno 1474. *Ex Orig.* Sigill: 6. Extat. in Arch. Cancel. Regni. Libro Legationum sub *Lit. C. fol. 29.*

NOS GABRIEL Albensis *Transsyne*, OSWALDUS Zagrabiensis Ecclesiarum Episcopi, EMERICUS *de Zapolia* Comes perpetuus Scepusiensis, JOANNES PANGRACY *de Dengeleg*, alias Waiwoda Transylvaniæ Capitaneus Generalis Exercituum Regalium, GEORGIUS quinque Ecclesiensis, Prothonotarius Apostolicus, & CASPAR Sancti MARTINI *de Scepusio* Ecclesiarum Præpositi, ad perpetuam Rei momoriam. Significamus quibus expedit Universis. Qualiter Serenissimus Princeps, & Dominus, Dominus MATHIAS Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex Dominus Noster gratiosissimus una cum Dominis Prælatis, Baronibus, præfati Regni Hungariæ Præcessorum suorum Serenissimorum Regum & Dominorum, Prælatorum, & Baronum vestigiis inhærentes, cupientesque potius adversus impios Christianæ Religionis hostes vires suas extendere, quam differentiis cum quibuscunque Christianis incumbere, Nos cum pleno, libero, & sufficienti mandato, ac omnimoda facultate suffultos, ad locum hunc ab antiquo pro celebrandis inter se Dietis consvetum, ad conveniendum cum Dominis Prælatis, Baronibus Regni Poloniæ transmiserunt, cum ipsisque ea omnia tractandi, disponendi, definiendi, concludendi, firmandi & roborandi, quae ad conservationem, continuationem, stabilimentum, & robur mutuæ amicitiæ, bonæ fraternitatis, et perpetuæ Pacis inter ipsa duo Regna, Jnclytos Reges, et Sacras Coronas ad præsens, et in perpetuum facere viderentur, et possent, prout in ipso Mandato sub appendenti Sigillo præfati Sereniſſimi Domini Nostri Regis ipsis Dominis Prælatis, et Baronibus Regni Poloniæ per Nos ad manus tradito clarius continetur. Cum quibus quidem Prælatis, et Baronibus dicti Regni Poloniæ, videlicet Reverendissimis in Christo Patribus, ac Magnificis JACOBO Archiepiscopo Gnesnensi, JOANNE Cracovienſi Episcopo, DOBESLAO KMITA *de Wisnicze*, Castellano Lublinensi, et JOANNE *de Rythwiany* Regni Poloniæ Marschalco fraterne et amicabiliter convenientes, posteaquam pari bona voluntate, et discussione ea, quæ Pacem ipsam conservare, aut perturbare iuxta cursus temporum deinceps possent, pertractavimus, ipso Pacis Auctore concedente, præsente in omnibus, et approbante Venerabili et Egregio Domino BARTHOLOMEO *de Massa* Decretorum Doctore, vice et nomine Revererendissimi in Christo Patris Domini MARCI tituli S. MARCI, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Patriarchæ Aquileiensis, et Apostolicæ Sedis Legati, in sequentes conclusiones, et Articulos devenimus, mutuoque consensimus, tanquam in provisiones utiles necessarias, et salutares pro conservatione dictæ Pacis, amicitiæ, et bonæ fraternitatis.

In primis itaque diffinitum est, et concluſum, quod deinceps et in perpetuum Pax stabilis firma, et inviolata perseveret, inter hæc duo Jnclyta Regna, scilicet Hungariæ et Poloniæ, nec non ipsos Sereniſſimos Principes, et Dominos, Dominos MATHIAM Dei gratia prætacti Regni Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croaciæ, &c. Regem, ac CASIMIRVM eadem gratia præfati Regni Poloniæ Regem, nec non omnes Reges futuros, Prælatos, Barones, ac Incolas dictorum Regnorum et quaslibet Provincias, Principes, Dominos et Incolas ad ipsas sacras Coronas qualitercunque pertinentes, seu adhærentes, ita et taliter, quod una pars in alterius partis offensam ex altero ipsorum Regnorum, aut ex Terris, vel Provinciis ad ipsa Regna pertinentibus in alterum, aut Provincias et loca ad id pertinentia, nullo modo neque quovis quaesito colore procedat, sed fraterne et amicabiliter perseverent, sine omni dolo et fraude. Secundo

Zgoda miedzy obu Państwami.

ANNO 1474 Secundo concluſum eſt, quod fiat proclamatio publica in utroque Regnorum, et Provinciis ad ea pertinentibus, ne qui homines cuiuscunque ſtatus et conditionis exiſtant de altero Regno proprio motu, vel quacunque occaſione in unum convenire, vel in alterum cauſa nocendi, et hoſtiliter intrare, ac in confinibus ſeu intra confinia utriusque Regni, vel alterius ſe ponere, vel fortalitia erigere, prædas in altero, vel utroque Regno committere audeant, et praeſumant.

Si qui vero huiusmodi prohibitionis contemptores reperti fuerint, extunc nulla excuſatione admiſſa tales homines in utroque Regno pro hominibus infamibus, et rebellibus, diffidatisq; hoſtibus habeantur, bona ipſorum ex nunc publico fiſco ſint applicata, & nihilominus Capitanei confiniorum utriusq; Regni hinc inde requiſiti tenebuntur bona fide, quaſi unus homo, contra tales homines conſurgere, & ſe mutuo iuvare usq; ad extirpationem eorum.

Praeterea ſi qui homines reperti fuerint talibus Prædonibus ſcienter & ſponte receptacula dare, & loca ac munitiones aperire, easdem pænas, tanquam ſcelerum participes ipſo facto incurrent & ſimiliter puniantur.

Item ſi aliquæ res per huiusmodi homines raptæ & impulſæ, vel importatæ ad quaſcunq; Munitiones, Oppida, vel Villas ſuſciperentur, Capitanei locorum aviſati, in continenti ſine omni dilatione debitam, & exactam juſtitiam damnum paſſis adminiſtrare tenebuntur, & debeant.

Item ſi qua differentia orta fuerit inter aliquos Regnicolas utriuſq; Regni, cuiuscunq; conditionis exiſtant, aut illata aliquibus injuria, non propterea Pax ipſa in aliquo violata intelligatur. Sed hi, qui in talibus differentiis ſunt, & qui ſe læſos putaverint, ſive pro hæreditatibus, ſive pro injuriis, ſpoliis, damnis, vel rebus quibuscunq; coram Judicibus Ordinariis illius, ſeu illorum, quem vel quos inculpaverint, iure mediante cauſas ſuas proſequi tenebuntur, illis vero deficientibus, & non ſatisfacientibus coram Capitaneis confiniorum. Si vero res ita ardua fuerit, quod merito ad Regias Celſitudines deduci debebit, ex tunc ambo Reges aliquos probos viros ad certum locum deſtinabunt, qui litibus hujusmodi, & differentiis finem imponant, & læſis juſtitiam ſine dolo, & fraude adminiſtrare debeant, & teneantur.

Item ſimiliter pro debitis ſervitiis & obligationibus quibuscunq; juſtitia requiratur, & per ordinarios Judices rei, ſi ne dolo & fraude, ac indebita fatiga adminiſtretur. ANNO 1474.

Pro ſtipendiis vero regalibus aut obligationibus quibuscunq; Rex, qui fuerit debitor, ſi ſatisfacere creditoribus aut noluerit aut diſtulerit, tunc alter Rex ipſum admonebit, ut vel exſolvat, & concordet, vel mittet ad aliquem locum utriq; parti congruentem, aliquem ſive aliquos, qui cum eo vel illis, quos & ipſe mittet, de rebus illis cognoſcant, & quod juſtum fuerit, decernant cum effectu, & uterq; Rex ad hoc tenebitur præſentis Articuli per vigorem.

Item ſi caſu aliquo contigerit aliqua ſpolia, vel furta occulta, vel manifeſta comitti per Incolas unius Regni in bonis & rebus Incolarum alterius Regni, tunc Capitaneus illius Regni & confinium, unde damna comiſſa fuerint, tenebitur damnum paſſis meram juſtitiam adminiſtrare, & damnificatores huiusmodi juxta demerita ſua punire.

Item quod nullo modo deinceps Areſtationes illegitimæ rerum, bonorum, & perſonarum ab aliqua parte fiant, & præſertim Mercatorum, ſed quicunq; alium inculpare vellet, coram ſuo ordinario Judice illum requiret juſtitia mediante, quam ordinarius ipſe adminiſtrare debeat, & teneatur. Si vero contigerit aliquem de tali iudicio non contentari, non propterea faciet aliquas areſtationes, gverras vel iniurias contra aliam partem, ſed tolerabit patienter, quousq; Capitanei utriusq; partis coaſſumptis Judicibus illis, de quorum iudicio adverſarius contentus non extiterit, aliisque idoneis hominibus utriusq; partis Judicum illud videant, et diſcutient, pro qua re Capitanei ipſi tenebuntur convenire ſimul ad aliquem locum, et diem utriq; parti competentem.

Item quod mercatores utriuſq; Regni cum ex uno ad alterum cum mercantiis ſuis intrant, proficiſci debeant, et teneantur per ſtratas, et vias ab olim conſvetas.

Item ſi quando inter Reges vel Regna ipſa orta fuerit aliqua differentia, ſive ſuper iuribus alicuius Provinciæ vel rebus quibuſcunq; aut ſi alter Regum ab altero, ſive Regnum aliquid ſibi deberi putaverit, ſi per internuntios & literas mutuas concordare non poterint, tunc more veteri & Præceſſorum Regum, Prælatorum, & Baronum utriuſq; Regni conſvetudine Dieta in his locis conſvetis teneatur, in qua Prælati & Barones utrinque conveniant, & bona fide iuribus & rationibus utriuſq; partis inſpectis, amicabiliter concordent.

Quas

ANNO 1474 Quas quidem Concluſiones ſeu Articulos & proviſiones Nos Prælati & Barones ſupradicti nomine & vice ipſius Sereniſſimi Domini Noſtri Regis, Dominorumq; Prælatorum & Baronum Regni Hungariæ, ac totius Sacræ Coronæ fecimus, munivimus, firmavimus, laudando, & approbando concluſimus, facimus, munimus, firmamus, laudamus, approbamus, & concludimus, per Præſentes. Promittentes nihilominus ſub bona fide & honore, ac humanitate Noſtris, præfatos Articulos ſecundum omnia Capitula, Clauſulas & Puncta ipſorum, Nos firmiter obſervare. Quodq; literas præfati Domini Noſtri Regis ipſos Articulos, & Concluſiones ſine ulla diminutione in ſe continentes, & penitus acceptantes, & approbantes ſub appendenti ſuo Regali Sigillo, prout Rex Hungariæ utitur, a præſenti die uſq; ad decem integros dies proxime venturos in Caſtro *Soroſtin* præſentabimus, ſeu praeſentari faciemus omni fraude, & dolo ſemotis, ac etiam ſimiles Literas potiorum Prælatorum, & Baronum dicti Regni Hungariæ, cum pendentibus eorum Sigillis uſq; ad numerum Vigenarum, ad diem, & Feſtum Pentecoſtes proxime venturum in præfato loco ſimiliter præſentabimus, ſeu præſentari faciemus. In contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque.

In quorum omnium fidem, robur, & teſtimonium præſentes literas fieri & Sigillis Noſtris appendentibus communiri, de certa Noſtra ſcientia & libera voluntate fecimus, & mandavimus. Datum in Antiqua Villa Feria Secunda proxima ante Feſtum Cathedræ Beati Petri Apoſtoli Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quarto.

## XXVII.

MATHIAS *Hungariæ &c. Rex ratos habet Articulos Pacis*
1474. *perpetnæ inter ſe, &* CASIMIRUM *Regem Poloniæ per Conſiliarios utriuſq; Regni concluſos, eoſq; ſe ſervaturum promittit.* Datum Bathffe Die Dominico proximo poſt Feſtum B. Mathiæ Anno 1474. *Ex Originali.*

NOS MATHIAS Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galitiæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæq; Rex, nec non Sleſiæ, & Lucemburgenſis Dux, Marchioq; Moraviæ, & Luſaciæ &c. Ad perpetuam Rei Memoriam. Significamus, quibus expedit, Univerſis. Quod Nos cupientes, ut Regna & Dominia Noſtra, prout ex cura ſuſcepti Regalis Muneris Nos obligatos eſſe cenſemus, noſtrique ſubditi ſalubri proviſione Pacis dulcedine potiantur, ac exinde Pacis Auctori, qui bene non niſi a pacificis animis colitur, iugibus famulatibus inhæreant. Conſiderantes etiam, quod hæc noſtra deliberatio non in mediocrem utilitatem totius Reipublicæ Chriſtianæ proventura ſit, Noſq; liberiores futuri ſimus, prout Deo annuente totis conatibus intendimus, adverſus impios Catholicæ fidei hoſtes Turcos, & Paganos properare, unionis & perpetuæ Pacis Articulos et Concluſiones, nuper et proximis diebus per Prælatos, et Barones Regnorum Hungariæ, et Poloniæ de communi utriuſq; Partis voluntate, in Dieta per eos habita, et tenta in locis ab antiquo conſvetis, inter praefata duo Regna, Nos Reges modernos praeſentes et futuros, ac omnes Principes, Provincias et Dominia ad ipſas ambas Coronas pertinentia, conceptos, et confectos grato animo, et vultu hilari vidimus, et ſuſcepimus, quorum Articulorum, et Concluſionum tenor de verbo ad verbum ſequitur, et eſt talis. In primis itaq; diffinitum, et concluſum eſt, quod deinceps et in perpetuum Pax ſtabilis, firma et inviolata perſeveret inter hæc duo Inclita Regna, ſcilicet Hungariæ, et Poloniæ, nec non ipſos Sereniſſimos Principes et Dominos, Dominos MATHIAM Dei gratia prætacti Regni Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regem, ac CASIMIRUM eadem Gratia praefati Regni Poloniae Regem, nec non omnes Reges futuros, Praelatos, Barones, ac Incolas dictorum Regnorum, et quaslibet Provincias, Principes, Dominos et Incolas ad ipſas Sacras Coronas qualitercunq; pertinentes, ſeu adhaerentes, ita, et taliter, quia una pars in alterius partis offenſam ex altero ipſorum Regnorum aut ex terris, vel Provinciis ad ipſa Regna pertinentibus, in alterum, aut Provincias et loca ad id pertinentia nullo modo, neq; quovis quaeſito Colore procedat, ſed fraterne, et amicabiliter perſeverent, ſine omni dolo, et fraude. Secundo eſt concluſum, quod fiat proclamatio publica in utroq; Regnorum, et Provinciis ad ea pertinentibus, ne qui homines cuiuſcunq; ſtatus et conditionis exiſtant, de altero Regno proprio motu, vel quacunq; occaſione in unum convenire, et in alterum cauſa nocendi, et hoſtiliter intrare, ac in confiniis, ſeu intra confinia utriuſq; Regni vel alterius ſe ponere, fortalitia erigere, praedas in altero vel utroq; Regno committere audeant, et praeſumant. Si qui

Anno 1474. Anno vero huiuſmodi prohibitionis contemptores reperti fuerint, extunc nulla excuſatione admiſſa, tales homines in utroque Regno pro hominibus infamibus, et rebellibus, diffidatiſq; hoſtibus habeantur, bona ipſorum ex nunc publico fiſco ſint applicata, et nihilominus Capitanei confiniorum utriuſq; Regni hinc inde requiſiti, tenebuntur bona fide quaſi unus homo contra tales homines conſurgere, et ſe mutuo iuvare, uſq; ad extirpationem eorum. Praeterea, ſi qui homines reperti fuerint talibus praedonibus ſcienter, et ſponte receptacula dare, et loca, ac munitiones aperire, eaſdem paenas tanquam ſcelerum participes ipſo facto incurrant, et ſimiliter puniantur. Item ſi aliquae res per huiuſmodi homines raptae, vel impulſae, vel importatae, ad quaſcunque munitiones, Oppida, vel villas ſuſciperentur, Capitanei locorum avizati, in continenti ſine omni dilatione debitam, et exactam iuſtitiam dampnum paſſis adminiſtrare tenebuntur, et debeant. Item ſi qua differentia orta fuerit inter aliquos regnicolas utriuſq; Regni, cuiuſcunque conditionis exiſtant, aut illata aliquibus injuria, non propterea Pax ipſa in aliquo violata intelligatur, ſed hi, qui in talibus differentiis ſunt, vel qui ſe laeſos putaverint, ſive pro haereditatibus, ſive pro injuriis, ſpoliis, dampnis, vel rebus quibuſcunq; coram judicibus ordinariis illius, ſeu illorum, quem, vel quos inculpaverint, jure mediante cauſas ſuas proſequi tenebuntur. Illis vero deficientibus, vel non ſatisfacientibus coram Capitaneis confiniorum. Si vero res ita ardua fuerit, quod merito ad Regias Celſitudines deduci debebit, extunc ambo Reges aliquos probos viros ad certum locum deſtinabunt, qui litibus huiuſmodi, et differentiis finem imponant, et laeſis iuſtitiam ſine dolo, et fraude adminiſtrare debeant, et teneantur. Item ſimiliter pro debitis, ſervitiis, et obligationibus quibuſcunq; iuſtitia requiratur, et per ordinarios judices rei ſine dolo et fraude, ac indebita fatiga adminiſtretur: pro ſtipendiis vero Regalibus, aut obligationibus quibuſcunq; Rex, qui fuerit debitor, ſi ſatisfacere creditoribus, aut noluerit, aut diſtulerit, tunc alter Rex ipſum admonebit, ut vel exſolvat et concordet, vel mittat ad aliquem locum utriq; parti congruentem, aliquem ſive aliquos, qui cum eo, vel illis quos et ipſe mittet, de rebus illis cognoſcant, et quod iuſtum fuerit, decernant cum effectu, et uterq; Rex ad haec tenebitur praeſentis Articuli per vigorem. Item ſi caſu aliquo contigerit aliqua ſpolia vel furta occulta, vel manifeſta committi per Incolas unius Regni, in bonis et rebus Incolarum alterius Regni, tunc Capitaneus illius Regni, et confinium, unde dampna commiſſa fuerunt, tenebitur dampnum paſſis meram iuſtitiam adminiſtrare, & dampnificatores huiuſmodi iuxta demerita ſua punire. Item quod nullo modo deinceps areſtationes illegitimæ rerum, bonorum, et Perſonarum ab aliqua parte fiant, et præſertim mercatorum, ſed quicunq; alium inculpare vellet, coram ſuo ordinario judice illum requiret iuſtitia mediante, quam ordinarius ipſe adminiſtrare debeat, et teneatur. Si vero contingeret aliquem de tali iudicio non contentari, non propterea faciet aliquas areſtationes, guerras vel iniurias contra aliam partem, ſed tolerabit patienter, quouſq; Capitanei utriuſq; partis, coaſſumptis ſibi judicibus illis, de quorum judicio adverſarius contentus non extiterit, aliiſq; idoneis hominibus utriuſq; partis judicium illud videant, & diſcutiant, pro qua re Capitanei ipſi tenebuntur convenire ſimul ad aliquem locum, & diem utriq; parti competentem. Item quod mercatores utriuſq; Regni cum ex uno ad alterum cum mercantiis ſuis intrant, proficiſci debeant, & teneantur per ſtratas, & vias ab olim conſvetas. Item ſi quando inter Reges vel Regna ipſa orta fuerit aliqua differentia, ſive ſuper juribus alicuius Provinciæ, vel rebus quibuſcunq; aut ſi alter Regum ab altero, ſive Regnum aliquid ſibi deberi putaverit, ſi per Internuntios & Literas mutuas concordare non poterunt, tunc more veteri, & Præceſſorum Regum, Prælatorum & Baronum utriuſq; Regni conſvetudine, Dieta his locis conſvetis teneatur, in qua Prælati, & Barones utrinq; conveniant, & bona fide juribus, & rationibus utriuſq; Partis inſpectis, amicabiliter concordent. Poſt quorum quidem Articulorum & concluſionum viſionem & ſuſceptionem Nos Mathias Rex præfatus habita deſuper matura deliberatione, comperto, quod æqui, iuſti, honeſti, utiles, ac neceſſarii ad continuandam perfectam, perpetuam et incorruptam Pacem, ipſamq; conſervandam, nec non ad ſtabilimentum et vinculum mutuæ amicitiæ, et fraterni amoris inter ipſa duo Regna præfata, Nos Reges, et Succeſſores noſtros, omneſq; Incolas et ſubditos noſtros, accedentibus ad hoc etiam conſilio pariter et aſſenſu Prælatorum, Baronum, et Procerum noſtrorum et Regni noſtri, in prædictos Articulos et Concluſiones conſenſimus, ipſoſq; gratos habentes approbavimus, et

Anno 1474.

ANNO 1474. et acceptavimus, consentimus, approbamus, et acceptamus, ac de novo facimus, et concludimus per Præsentes, promittentes ex certa nostra scientia, perfecto, & puro corde, in verbo nostro Regio loco iuramenti, et fide nostra Christiana mediante, pro Nobis, et Successoribus nostris, quod abhinc in posterum toto tempore vitae nostrae et in perpetuum Articulos ipsos et Conclusiones per omnes distinctiones, et continentias ipsorum in omnibus suis punctis, clausulis, sententiis, et capitulis universis, firmiter, inviolabiliter, & effectualiter observabimus, ab omnibusq; Praelatis, Principibus, Baronibus, Nobilibus, Incolisque, et habitatoribus Regnorum et Provinciarum Nobis subditarum, cuiuscunq; status et conditionis hominibus faciemus similiter, et inconcusse observari, omni dolo, et fraude semotis, nec unquam contra ipsos Articulos et factam dispositionem, ac praedictam Pacem initam, in parvo, vel in magno veniemus, aut venire per quempiam ordinabimus, vel permittemus directe, vel indirecte, occulte, vel manifeste, sub quacunque occasione, vel colore. In quorum omnium fidem et testimonium praesentes nostras Literas fieri iussimus, et nostri Sigilli appensione muniri, quo, ut Rex Hungariae, utimur. Datum Barthffe die Dominico proximo post Festum Beati MATHIÆ Apostoli, Anno Domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto. Regnorum Nostrorum Anno Hungariae &c. decimo septimo, Bohemiae vero quinto.

## XXVIII

*Approbatio, & Confirmatio ejusdem Fœderis per Ordines Regni Hungariæ facta.* Datum Budæ 23. Aprilis Anno 1474. *Ex Originali* Sigil. 25.

NOS NICOLAUS Dei Gratia Rex Boznæ &c. JOANNES Strigonienſis, GABRIEL Colocenſis Archiepiſcopi, ALBERTUS Veſprimienſis, JOANNES Chanadienſis, DEMETRIUS Jaurienſis, NICOLAUS Vacienſis, THOMAS Nittrienſis, BENEDICTUS Boznenſis, NICOLAUS Thiminienſis, SIGISMUNDUS quinque Eccleſienſis, alter SIGISMUNDUS Sirimienſis Eccleſiarum Epiſcopi, MICHAEL Orzag de Groth Regni Hungariæ Palatinus, Comes STEPHANUS de Bathor Judex Curiæ Regiæ, JOANNES Ernſtk Regni Sclavoniæ Banus, JOB de Garra, MATHIAS de Maroth Banus Mathovienſis, STEPHANUS de Peren Thavarnicorum Regalium Magiſter, NICOLAUS Bantii de Alſolyndwa Comes Poſonienſis, JOANNES Throz de Laak, LADISLAUS Bantii de Margaii, EMERICUS de Palocz Regiæ Maieſtatis Marſchalcus, SYMON de Homonna, GEORGIUS Bebelk de Pelſzewſcz, EMERICUS Banus de Hederwara, cæteriq; Prælati, & Barones Regni Hungariæ totum idem Regnum repraeſentantes. Notum facimus tenore Præſentium, ſignificantes quibus expedit Univerſis: Quod cum pridem de voluntate Sereniſſimi Principis, & Domini, Domini MATHIÆ Dei gratia Regis Hungariæ, Bohemiæ, &c. Domini noſtri gratioſiſſimi, ac de communi conſilio, & deliberatione noſtra, & omnium noſtrorum Reverendi in Chriſto Patres Domini GABRIEL Albenſis Tranſylvanae, Cancellarius Regius, & OLVALDUS Zagrabienſis Eccleſiarum Epiſcopi, nec non ſpectabiles & Magnifici Emeritus de Zapolya Comes perpetuus Stepuſienſis, et JOANNES Pangrarzy de Dengeleg alias Woywoda Tranſylvanus, generalis Capitaneus Exercituum Regalium. Item venerabiles et egregii GEORGIUS quinq; Eccleſienſis, Apoſtolicus Protonotarius, et GASPAR Sancti MARTINI de Scepuſio Eccleſiarum præpoſiti, Prælati, & Barones, ac Conſiliarii dicti Regni Hungariæ, Fratres noſtri ab una, ac conſimiliter de voluntate Sereniſſimi Principis Domini CASIMIRI eadem gratia Regis Poloniæ, de communi quoque conſilio, et deliberatione Prælatorum, et Baronum eiusdem Regni Poloniae, Reverendi in Chriſto Patres, nec non Magnifici Domini JACOBUS Archiepiſcopus Gneſnenſis, JOANNES Cracovienſis Epiſcopus, DOBESLAUS Kmithe de Wyſnyz Caſtellanus Lublinenſis, et JOANNES de Rythwyanny ipſius Regni Poloniae Marſchalcus conſimiliter Prælati, et Barones, ac Conſiliarii praefati Regni Poloniae ab alia partibus, pro pace concordiaq; et amicitia inter iſta duo Regna ſcilicet Hungariæ et Poloniae in perpetuum firmanda in loco ad hoc antiquitus conſveto prope ſcilicet Antiquam Villam iuxta fluvium Dywnawicz in comitatu Scepuſienſi, in confinibus praefatorum Regnorum Hungariae, et Poloniae ſitam et exiſtentem inſimul convenisſent, resque et negotia eorundem, utrorumque Regnorum inter ſe maturius pertractaſſent, ac in bonam intelligentiam, et unionem deduxiſſent praeſente in omnibus, et approbante Venerabili et Egregio Domino

ANNO 1474

ANNO 1474. BARTHOLOMÆO de Maſſa Decretorum Doctore, vice, et Nomine Reverendiſſimi in Chriſto Patris, Domini MARCI, Tituli S. MARCI Sanctae Romanæ Eccleſiae Cardinalis, Patriarchae Aquileienſis, et Apoſtolicae Sedis Legati etc. concluſerunt inter ſe ac unanimi eorum voluntate, atque parili conſenſu firmaverunt certos Articulos et concluſiones ſuper perpetua Pace, atque Concordia inter eosdem Sereniſſimos Principes Dominos MATHIAM, et CASIMIRUM Reges, ac ipſorum Succeſſores Reges Hungariae, et Poloniae, nec non inter eadem utraque Regna, ac Principes, Provincias ad eadem Regna et Sacras Coronas eorundem pertinentes, mediantibus Literis eorundem Dominorum Praelatorum, Baronum, ac Conſiliariorum utrorumque Regnorum Sigillis ipſorum propriis impendentibus conſignatis approbatos, et tandem per praefatos Sereniſſimos Dominos MATHIAM, et CASIMIRUM Reges, ſimiliter vigore efficacium eorum Literarum, et Literalium Inſtrumentorum acceptatos, et ratificatos, et roboratos, prout in eisdem Literis clarius continentur; quorum Articulorum tenor ſequitur in haec verba, et eſt talis. In primis itaque diffinitum, et concluſum eſt, quod deinceps et in perpetuum Pax ſtabilis, et firma, et inviolata perſeveret inter haec duo Jnclyta Regna, ſcilicet Hungariae, et Poloniae, nec non ipſos Sereniſſimos Principes, et Dominos, Dominos MATHIAM Dei gratia praetacti Regni Hungariae, Bohemiae, Dalmaciae, Croaciae etc. Regem, ac CASIMIRUM eadem gratia praefati Regni Poloniae, nec non omnes Reges futuros Praelatos, Barones, ac Incolas dictorum Regnorum, et quaslibet Provincias, Principes, Dominos, et Incolas ad ipſas Sacras Coronas qualitercunque pertinentes, ſeu adhaerentes, idque et taliter, quod una Pars in alterius Partis offenſam ex altero ipſorum Regnorum, aut ex Terris vel Provinciis ad ipſa Regna pertinentibus in alterum, aut Provincias, et loca ad id pertinentia nullo modo, neque quovis quaeſito colore procedat, ſed fraterne, et amicabiliter perſeverent ſine omni dolo, et fraude. Secundo concluſum eſt, quod fiat proclamatio publica in utroque Regnorum, et Provinciis ad ea pertinentibus, ne qui homines cuiuscunque ſtatus, et conditionis exiſtant, de altero Regno proprio motu, vel quacunque occaſione in unum convenire, vel in alterum cauſa nocendi, et hoſtiliter intrare, ac in confinibus ſeu intra confinia utriusque Regni, vel alterius ſe ponere, Fortalitia erigere, praedas in altero vel utroque Regno committere audiant, et praeſumant. Si qui vero huiusmodi prohibitionis contemptores reperti fuerint, ex tunc nulla excuſatione admiſſa, tales homines in utroque Regno pro hominibus infamibus, et rebellibus, diffidatisque hoſtibus habeantur, bona ipſorum ex nunc publico fiſco ſint applicata. Et nihilominus Capitanei confiniorum utriusque Regni hincinde requiſiti tenebuntur bona fide, quaſi unus homo, contra tales homines conſurgere, et ſe mutuo iuvare, uſque ad extirpationem eorum. Praeterea ſi qui homines reperti fuerint talibus praedonibus ſcienter et ſponte receptacula dare, et loca ac munitiones aperire, eaſdem pœnas tanquam ſcelerum participes ipſo facto incurrant, et ſimiliter puniantur. Item ſi aliquae res per huiusmodi homines raptae, et impulſae vel importatae, ad quascunque Munitiones Oppida, vel Villas ſuſciperentur; Capitanei locorum avizati in continenti ſine omni dilatione debitam, et exactam iuſtitiam dampnum paſſis adminiſtrare tenebuntur, vel debeant. Item ſi qua differentia orta fuerit inter aliquos Regnicolas utriusque Regni cuiuscunque conditionis exiſtant, aut illata aliquibus iniuria, non propterea Pax ipſa in aliquo violata intelligatur, ſed hi, qui in talibus differentiis ſunt, et qui ſe laeſos putaverint, ſive pro haereditatibus, ſive pro iniuriis, ſpoliis, dampnis, vel rebus quibuscunque coram Judicibus Ordinariis illius, ſeu illorum, quem vel quos inculpaverint, iure mediante cauſas ſuas proſequi tenebuntur; illis vero deficientibus, et non ſatis facientibus, coram Capitaneis Confiniorum. Si vero res ita ardua fuerit, quod merito ad Regias celſitudines deduci debebit, ex tunc ambo Reges aliquos probos viros ad certum locum deſtinabunt, qui litibus huiusmodi et differentiis finem imponant, et laeſis iuſtitiam, ſine dolo et fraude adminiſtrare debeant, et teneantur. Item ſimiliter pro debitis, ſervitiis, et obligationibus quibuscunque iuſtitia requiratur, et per Ordinarios judices rei, ſine dolo et fraude, ac indebita fatiga adminiſtretur; pro ſtipendiis vero Regalibus aut obligationibus quibuscunque Rex, qui fuerit debitor, ſi ſatisfacere creditoribus aut noluerit, aut diſtulerit, tunc alter Rex ipſum admonebit, ut vel exſolvat, et concordet, vel mittat ad aliquem locum utrique parti congruentem, aliquem ſive aliquos, qui cum eo vel illis, quos et ipſe mittet, de rebus illis cognoſcant, et

ANNO 1474.

Anno 1474. et quod iuſtum fuerit decernant cum effectu, et uterque Rex ad haec tenebitur praeſentis Articuli per vigorem. Item ſi caſu aliquo contigerit aliqua ſpolia vel furta occulta vel manifeſta comitti per Jncolas unius Regni in Bonis, et rebus Incolarum alterius Regni, tunc Capitaneus illius Regni et confinium unde dampna commiſſa fuerunt, tenebitur dampnum paſſis meram iuſtitiam adminiſtrare, et dampnificatores huiusmodi iuxta demerita ſua punire. Item quod nullo modo deinceps exactiones illegitimæ rerum, bonorum, et Perſonarum ab aliqua parte fiant, et præſertim mercatorum: ſed quicunque alium inculpare vellet coram ſuo ordinario Judice illum requiret, iuſtitia mediante, quam Ordinarius ipſe adminiſtrare debeat, et teneatur. Si vero contingeret aliquem de tali iudicio non contentari, non propterea faciet aliquas areſtationes, gverras, vel iniurias contra aliam partem, ſed tolerabit patienter, quousque Capitanei utriusque partis coaſſumptis ſibi iudicibus illis, de quorum iudicio Adverſarius contentus non extiterit, aliisque idoneis hominibus utriusque partis iudicium illud videant, et diſcutiant, pro qua re Capitanei ipſi tenebuntur convenire ſimul ad aliquem locum et diem utrique parti competentem. Item quod mercatores utriusque Regni, cum ex uno ad alterum cum mercantiis ſuis intrant, proficiſci debeant, et teneantur per ſtratas, et vias ab olim conſvetas. Item ſi quando inter Reges vel Regna ipſa orta fuerit aliqua differentia, ſive ſuper iuribus alicuius Provinciæ, vel rebus quibuscunque, aut ſi alter Regum ab altero, ſive Regnum aliquid ſibi deberi putaverit, ſi per internuntios et literas mutuas concordare non poterunt, tunc more veteri, et præceſſorum Regum, Prælatorum, et Baronum utriusque Regni conſvetudine dicta in his locis conſvetis teneatur, in qua Prælati, & Barones utriusque conveniant, & bona fide iuribus, & rationibns utriusque Partis inſpectis amicabiliter concordent. Nos itaque, Prælati, & Barones præfati, viſis eisdem Articulis, quia eosdem non ſolum pro communi bono, bona amicitia & ſtatu tranquilliori dictorum utrorumque Regnorum, & præfatorum Sereniſſimorum Regum, ac eorundem Succeſſorum, verum etiam pro utilitate totius Reipublicæ Chriſtianæ per præfatos Dominos Conſiliarios eorundem utrorumque Regnorum pertractatos, concluſos, & approbatos eſſe, ac tandem per eosdem Sereniſſimos Principes acceptatos, ratificatos, & roboratos fuiſſe clare intelleximus, habita inter Nos plena, & matura deliberatione eosdem Articulos, & omnia in eis contenta, Nos quoque acceptavimus, approbavimus, & ratificamus, ac in eosdem conſentimus per Præſentes, promittentes in fide, ac honore, & humanitate noſtris, penes præfatum Sereniſſimum Dominum Mathiam Regem, Dominum noſtrum gratioſiſſimum, ac prædictos Conſiliarios Regni Hungariæ, Fratres noſtros, quod eosdem Articulos, & Concluſiones per omnes diſtinctiones, & continentias ipſorum in omnibus ſuis Punctis, Clauſulis, Sententiis, & Capitulis Univerſis firmiter, & inviolabiliter, & effectualiter obſervabimus, & per omnes Subditos noſtros, & ad Nos pertinentes cuiuscunque Status, & Conditionis aut lingvagii exiſtant omni dolo, & fraude ſemotis faciemus inconcuſſe obſervari. In quorum omnium, & ſingulorm præmiſſorum fidem, & teſtimonium præſentes Literas Noſtras Sigillis Noſtris propriis impendentibus fecimus communiri. Datum Budæ in Conventione Noſtra Generali ſuper die Feſti Beati Georgii Martyris ibidem habita. Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quarto. Anno 1474

## XXIX.

Mathias *Rex Hungariæ* Nicolaum *Epiſcopum Varmienſem Regi & Regno Poloniæ ſubjectum in ſuam protectionem ſuſcipit, eique contra præfatum Poloniæ Regem auxilio ſe futurum promittit* Dat. 12. Martii, Anno 1477. *Ex Originali.* 1477.

Nos Mathias Dei Gratia Rex Hungariae, Bohemiae &c. Memoriae commendamus, & notum facimus quibus expedit Univerſis. Quod Nos continua meditatione penſantes, nihil eſſe Chriſtiano Principe dignius, nihilq; Deo acceptius, aut ſalubrius hominibus, quam ut ipſi Deo dictae Perſonæ, Eccleſiaſticaeque Inſtitutiones in ſuis libertatibus conſerventur & ab iniuſtis impetitoribus defendantur. Attendenteſq; nihilominus etiam ſingularem Reverendi in Chriſto Patris Domini Nicolai Epiſcopi Varſavienſis, ejuſq; Venerabilis Capituli erga Nos benevolentiam, conſtantem animorum virtutem, & ſpecialem de ſe, et Eccleſia ſua Nobis ſaepius factam commendationem, pro Dei gloria, & Beatae Virginis Mariae, ac

Anno 1477. Beati Andreae Apoſtoli, in quorum Nomine Eccleſia ipſa fundata, et erecta exiſtit, laude, ac dictorum Epiſcopi et Capituli tutela, et conſervatione, ipſos ſub noſtra, et Succeſſorum noſtrorum, Divorum Hungariae Regum, ſpeciali et perpetua protectione ſuſcipere decrevimus. Quapropter nonnullus Tractatus cum eiſdem Epiſcopo, et Capitulo habuimus, eoſq; pari voto, et conſenſu in quoſdam Articulos redegimus, et concluſimus, in hunc qui ſequitur modum. In primis Nos Mathias Rex praefatus, dictum Dominum Nicolaum Epiſcopum, eius Capitulum, et Eccleſiam Varmienſem, in noſtram et Succeſſorum noſtrorum Hungariae Regum perpetuam protectionem ſuſcipimus, et ut noſtros protegere et defendere volumus, nec non in ſuis Privilegiis, et libertatibus conſervare, ipſiq; Dominus Epiſcopus et Capitulum praefati, Nos, et Succeſſores noſtros Hungariae Reges, in perpetuos Protectores elegerunt, et ſuſceperunt, noſtrae, et Succeſſorum noſtrorum Hungariae Regum protectioni ſe commendarunt, et ſubmiſerunt, ad Noſq; et Succeſſores praefatos intendere debent. Superioritate Summi Pontificis, cui immediate Eccleſia ipſa ſubicitur, duntaxat reſervata. Si quando autem ab hinc inpoſterum continget oriri differentiam, et bellum inter ipſum Dominum Epiſcopum, Capitulum, et Succeſſores eiuſdem ab una, et Regem Poloniae pro tempore exiſtentem, aut ei adhaerentes partibus ex altera, tunc Nos totiens quotiens illud acciderit tenebimur, et Succeſſores noſtri Reges tenebuntur ipſum Epiſcopum, Capitulum, et Eccleſiam contra dictum Regem Poloniae pro tempore exiſtentem, et ſuos adhaerentes pro noſtra poſſibilitate juvare, protegere, et defendere, iuvabimuſq;, protegemus, et defendemus. Similiter e converſo, ſi contigerit ab hinc impoſterum oriri differentiam et bellum inter Nos, aut Succeſſores noſtros, et Regem Poloniae pro tempore exiſtentem, aut ei adhaerentes, totiens quotiens illud evenerit, tenebuntur ipſe Dominus Epiſcopus, eiusque Succeſſores, et Capitulum, Nos, ſive Succeſſores noſtros Reges pro tempore exiſtentes, pro ſua poſſibilitate iuvare, Nobiſque fideliter aſſiſtere, faciendo hoſtiliter quaecunque poterunt contra Regem ipſum, et ſuos adhaerentes. Si praeterea ab hac Die inpoſterum contigerit, vel Nos vel Succeſſores noſtros Reges, vel Dominum Epiſcopum cum Capitulo ſuo ex aliqua cauſa rationabili velle capere Treugas, vel Pacem, aut Concordiam aliquam cum Rege Poloniae pro tempore exiſtente, vel ei adhaerentibus, tunc neque per Nos, neque per Succeſſores noſtros Reges, ſine Domino Epiſcopo, et Capitulo, neq; per Dominum Epiſcopum, et Capitulum ſine Nobis aliquid tale concludi debebit; ſi tamen aliquando vel evidens neceſſitas vel magna utilitas ſvaderet, ut tempore belli aliquae breves Induciae et ſufferentiae cum hoſtibus caperentur, tunc et in tali caſu licebit tam Nobis, et Succeſſoribus noſtris, quam Domino Epiſcopo, et Capitulo praefatis illas accipere, ita tamen, quod ultra tres menſes non durent: et tunc Pars, quae tales inducias acciperet, debebit abſque mora alteri Parti cum expreſſione cauſae, propter quam id fecerit, ſignificare. Si denique contigerit Nos, vel Succeſſores noſtros Reges Hungariae, pro communi noſtra, et ipſius Eccleſiae utilitate, mittere aliquas Gentes noſtras, homines et ſtipendiarios ad partes Pruſſiae, et Terras dictae Eccleſiae Varmienſis, debebit Dominus Epiſcopus, et Succeſſores ſui, ac Capitulum Gentes illas tanquam proprias benevole ſuſcipere, humane tractare, Caſtra et loca Eccleſiae eis aperire; ipſæ vero Gentes debebunt abſq; notabili damno eorum, apud quos deſcenderint, ſtare, converſari, et recedere. Nos igitur Mathias Rex praefatus volentes Tractatus et Articulos huiuſmodi inter Nos ex una, dictumque Epiſcopum, et Capitulum Varmienſe ex alia partibus, ſic ut praemittitur habitos, et concluſos, eo magis in ſuo robore permanere, quo maiori fuerint firmitate muniti, ipſos approbantes, et laudantes denuo confici-mus, et concludimus, promittentes in verbo noſtro Regio, et fide noſtra Chriſtiana mediante pro Nobis et Succeſſoribus noſtris Hungariae Regibus, quod illos Articulos et omnia in eis contenta vita Nobis comite firmiter obſervabimus, ipſiq; Succeſſores noſtri Hungariae Reges obſervabunt, ſine omni dolo, et fraude. In quorum omnium et ſingulorum fidem et teſtimonium praemiſſorum, praeſentes Literas fieri, noſtrique ſecreti Sigilli, quo, ut Rex Hungariae, utimur, iuſſimus et fecimus communiri. Datum per manus Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Gabrielis Epiſcopi Agrienſis, Apoſtolicae Sedis Legati, Secretarii Cancellarii noſtri Dilecti, et Fidelis. Indictione Decima, Die vero menſis Martii Duodecima, Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo ſeptimo, Regnorum noſtrorum Anno Hungariae &c. Decimonono, Bohemiae vero Octavo.

Anno 1477.

*Articuli*

ANNO 1479.

## XXX.

*Articuli Pacis, & Concordiæ inter* CASIMIRUM *Poloniæ &* MATHIAM *Hungariæ Reges, per Oratores utriusque conclusæ. Conventus pro componendis omnibus penitus inter Regna Poloniæ, & Hungariæ controversiis Siradiæ constituitur. Magister Ordinis Conditionibus Pacis perpetuæ* Anni 1466. *stare debet. Rex Hungariæ conabitur efficere, ut* NICOLAUS *Episcopatu Varmiensi se abdicet, accipiatque Ecclesiam Culmensem in titulum, & Pomesaniensem in Commendam. Magister Ordinis & dictus Episcopus hos Articulos pacis confirmaturi Regem Poloniæ adibunt, & ab eo in gratiam recipientur &c.* Dat: Budæ Feria sexta *proxima ante* Dominicam Ramis Palmarum An: 1479. *Ex Originali. Sigilla* 3.

In Nomine Domini Amen. Hic sequuntur quidam Articuli, & Tractatus, in quibus, pro bono communi totius Christianitatis, & pro bona amicitia & fraternitate servanda, inter Sereniſſimos Principes Dominos CASIMIRUM Poloniæ, & MATHIAM Hungariæ Reges, eorumque Regnorum, & Terrarum Pace, & tranquillitate, & praesertim pro sedandis litibus convenerunt præfatorum Sereniſſimorum Regum Consiliarii, & Oratores ad res huiusmodi specialiter deputati, & destinati. Quorum quidem Articulorum, & Conventorum tenor sequitur de verbo ad verbum. In primis conventum est, quod celebretur una Dieta in Oppido Siradiæ super die Festi Pentecostes proxime venturo, ad quam pariter conveniant Oratores Sereniſſimorum Dominorum Regum Poloniæ, & Hungariæ, Domini Magister Generalis Ordinis Pruthenorum, & NICOLAUS Tungien Episcopus Varmiensis, quibus Sereniſſimus Dominus Rex Poloniæ interim mittere debet salvos conductus sufficientes in pleniſſima, & bona forma, ita quod tute venire ad præfatam Dietam ipse Magister Generalis, quam Dominus NICOLAUS Episcopus prædictus possint, tractatusque habere, & concludere, ipsisque conclusis, vel non conclusis similiter tute, & secure ad loca sua redire valeant, sine omni dolo, & fraude, ac etiam quod in tali tempore dicti salvi conductus mittantur, quod ipsi Magister & Episcopus commode ad ipsam Dietam venire possint. Item conventum est, quod interea temporis, donec videlicet præfati Domini Magister, & Episcopus reversi fuerint ab ipsa Dieta ad loca propria, servetur pax ab omnibus partibus, & abstineatur ab omni hostilitate, nec ulla dampna inferantur alicui partium. Nihilominus si conventum fuerit, quod illata dampna reficiantur, & quod ab hinc usque ad diem inventionis Sanctæ Crucis proxime venturam, utraque Pars in Prussia, id est, tam Sereniſſimi Regis Poloniæ, quam Magistri, & Episcopi de dicta pace certificentur. Interea quoque Sereniſſimus Dominus Rex Hungariæ non debet mittere aliquem Exercitum in auxilium Magistri, vel Episcopi, sed neque ad Regnum Poloniæ: neque Magister Generalis, aut Dominus Tungien Episcopus debent aliquas Gentes inducere in Terras Prussiæ, quæ bellum, & hostilitatem causare possint. Similiter neque Sereniſsimus Dominus Rex Poloniæ, novas gentes ad Terras Prussiæ mittere debet, nec ad Regna, aut Terras Sereniſſimo Domino Regi Hungariæ subjectas, in favorem cuiuscunque. Item coventum est, quod Magister Generalis sit in primo statu, & iuxta Pacem conclusam medio Reverendiſſimi Patris Domini RUDOLPHI Episcopi Vratislavienſis, tunc Lavantini Apostolicæ Sedis Legati, omnia adimpleat, quemadmodum fecerat Prædeceſſor suus. Et quod Sereniſſimus Dominus Rex Poloniæ dicto Magistro Generali, & omnibus ad eum pertinentibus, qualitercunque contra Maiestatem suam exceſſiſſent, indulgeat, & omnem ab eisdem, Magistro, & suis, indignationem, & displicentiam amoveat, & gratioſe in omnibus rebus erga illos se habeat, ac si nunquam inter eos aliqua displicentia interceſſiſſet, et quod iuxta concluſam pacem ipsum Magistrum & suos iuxta omnia puncta, & Articulos in illis Fæderibus, & Pactis perpetuæ Pacis contentos manuteneat, et conservet. Item Conventum est, quod dum hæc omnia in his Articulis contenta complebuntur per utramque partem: extunc omnia Loca, Castra, Munitiones, Villae, & Poſſeſſiones, & quidquid occupatum sive expugnatum est hactenus per aliquam partem, mutuo & vicissim restituatur; ita quod Sereniſſimus Dominus Rex Poloniæ omnia loca, Terras, & Poſ-

ANNO 1479 ſeſſiones, quæ ei ex confectione Pacis perpetuæ ceſſerunt, habeat & poſſideat. Similiter, & Magiſter Generalis. Et nihilominus ex nunc omnes novæ Jmpoſitiones, Telonia, vel quæcunque alia gravamina durante belli interceptione inducta deponantur; nec Pars Partem in aliquo turbet, aut aggravet, ſed in priori, & veteri diſpoſitione ambæ Partes permanebunt. Item quo ad Dominum NICOLAUM Tungien conventum eſt, quod Sereniſſimus Dominus Rex Hungariæ inſtare debet, & ſvadere eidem, quod ad complacentiam Sereniſſimi Domini Regis Poloniæ condeſcendat de Eccleſia Varmienſi, & accipiat Eccleſiam Culmenſem in Titulum, & Pomeſanienſem in Commendam. Similiter Oratores Sereniſſimi Domini Regis Poloniæ e converſo inſtare debeant apud dictum Dominum Regem Poloniæ, ut caſu quo præfatus Dominus NICOLAUS Tungien de Eccleſia Varmienſi nollet cedere, quod pro tam parva re nolit tantum bonum Pacis, quod erit ad utilitatem totius Chriſtianitatis, perturbare, attento quod Sereniſſimus Dominus Rex Hungariæ ipſum Epiſcopum, nec cogere, nec relinquere cum ſuo honore poteſt. Quodſi difficultas aliqua ex altera Partium emerſerit, tunc Prælati, & Barones utriusque Regni in ipſa Dieta Siradienſi inveniant media concordandi. Item conventum eſt, quod ſi continget ipſum Dominum NICOLAUM Tungien nolle cedere de Eccleſia Varmienſi, & Sereniſſimus Dominus Rex Poloniæ conſentiat, quod habeat gratiam Regiam, & plenam indulgentiam de omnibus rebus, quas feciſſet in diſplicentiam ipſius Domini Regis, & ipſe Dominus Rex ab ipſo omnem indignationem amoveat, & ipſum & Eccleſiam prædictam in omnibus conſervet iuxta Articulum in confecta Pace perpetua de Eccleſia, & Epiſcopo Varmienſi poſitum. Et nihilominus quod omnia loca, caſtra, munitiones, villæ, poſſeſſiones, & quid quid tempore iſtarum differentiarum expugnatum, vel quovis modo occupatum fuit, aut alias dictæ Eccleſiæ de iure pertinent, ſine mora, aut quacunque renitentia, aut gravamine reſtituatur, ne occaſione perſonæ, Eccleſia ipſa ulteriora dampna patiatur. Si vero ipſum Dominum NICOLAUM Tungien Epiſcopatui Varmienſi cedere contingat, tunc remittat integre dictam Eccleſiam Varmienſem cum omnibus iuribus, & pertinentiis, & e contra præſcriptæ duæ Eccleſiæ ſibi oblatæ pleno iure, & cum omnibus iuribus, Caſtris & pertinentiis ſibi ſimiliter, & integre conſignentur. Ita tamen, quod per oblationem Eccleſiæ Pomeſanienſis paci perpetuæ non derogabitur. Item conventum eſt, quod in præfata Dieta media inveniantur, & apponantur, quibus utraque Pars, tam Sereniſſimus Dominus Rex Poloniæ ex una, quam Domini Magiſter Generalis, & Epiſcopus Varmienſis, ex alia tuta ſit de vera, & firma obſervantia concluſorum, dummodo talia media non ſint contra Pacem perpetuam prius firmatam; pro quibus omnibus ibidem concluſis, & confectis ipſi Domini Magiſter Generalis, & Epiſcopus, Varmienſis cum Oratoribus utriusque Regni ibunt ad præſentiam Sereniſſimi Domini Regis Poloniæ, & omnia cum ſua Maieſtate ex utraque parte confirmabunt, & illa quæ adinvenire, facere, & promittere tenentur, adimplebunt, & Sereniſſimus Dominus Rex Hungariæ illis ſic perfectis expoſt contra dictam Pacem, neque Magiſtro, neque Epiſcopo præfatis auxilio erit. Item conventum eſt de Caſtris, & civitatibus ſcilicet Culmenſi, *Starygrod*, & *Brodnyca*, quæ Sereniſſimus Dominus Rex Hungariæ redemit in Pruſſia, quod poſtquam de ſupradictis facta fuerit plena Concordia, ipſe Dominus Rex Hungariæ accepta ſumma pecuniæ ab illa parte, quæ ipſa Caſtra & Civitates iuxta diſpoſitionem Pacis perpetuæ eliberare tenetur, eadem illi parti cui ex inſcriptione Pacis perpetuæ debentur, ſine ulla renitentia reſtituat. Item conventum eſt, quod ſuper omnibus differentiis, quæ eſſe inter Maieſtates Regias, & hæc duo Jnclyta Regna, videlicet Poloniæ, & Hungariæ, Prælati, & Barones utriusque Regni convenire debeant ad loca conſveta ſuper die Sancti MARTINI proxime venturo, cum iuribus & viris doctis, & ibi definire omnino debeant de omnibus differentiis, quæ eſſent inter Regias Maieſtates, & ipſa Regna, ut de cætero quiete, & pacifice in bona fraternitate, & perpetua Pace, tam Reges, quam Regna conſiſtere, & perſeverare poſſint. Nec ulla res, quæ occaſio alicuius differentiæ aliquando eſſe poſſit remaneat indiſcuſſa, & indeterminata. Item conventum eſt, quod ad Feſtum Purificationis MARIÆ proxime futurum per communes Oratores Dieta fiat in Oppido Bythom, & ibi determinetur ſuper differentiis in Regnum Poloniæ, & Sleſiam. Et Nos RAPHAEL de *Jarostaw* Marſchalcus, & Capitaneus Sandomirienſis, PAULUS de *Jaſſieniecz* Theſaurarius Regni Poloniæ, Chełmenſis, & Beſzenſis Terrarum Capitaneus, & ANDREAS

ANNO 1479.

ANNO DREAS *Koſza* de *Bozyſchonicze* Præpoſi-
1479. tus Lancicienſis &c. Conſiliarii & Oratores Sereniſſimi Principis Domini CASIMIRI Poloniæ Regis &c. Domini Noſtri gratioſiſſimi cum pleno Mandato ab ipſo Sereniſſimo Domino Rege deſtinati, & deputati recognoſcimus, quod Nos vice, & in Perſona præfati Sereniſſimi Domini Noſtri Regis, & virtute pleniſſimi Mandati ab eodem nobis dati Tractatus cum Conſiliariis, Prælatis, & Baronibus Sereniſſimi Principis Domini MATHIÆ Hungariæ Regis &c. habuimus, & tandem in ſupraſcriptos Articulos, iuravimus, & concordavimus, ipſosque laudavimus, approbavimus, & acceptavimus, laudamus, approbamus, & acceptamus, per Præſentes promittentes, quod prædictus Sereniſſimus Dominus Noſter CASIMIRUS Poloniæ Rex in quantum ſuam Maieſtatem concernunt, ad perfectum & completum, prout facti ſunt, deducet, ſuisque propriis, & patentibus Literis ipſos Articulos continentibus infra hinc ad diem Jnventionis Sanctæ Crucis Noſtras has Literas & Sigilla liberando approbabit, & acceptabit. In quorum omnium fidem, & robur Noſtra Sigilla Præſentibus ſunt appenſa. Datum Budæ feria ſexta ante Dominicam Ramis Palmarum. Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo Septuageſimo Nono.

## XXXI.

1491. *Fœdus inter* VLADISLAVM *Regem Hungariæ, & Bohemiæ, ac* ALBERTUM *Fratrem eius authoritate Patris* CASIMIRI *Poloniæ Regis confectum, quo* VLADISLAVS *Rex Hungariæ declaratur, &* ALBERTO *Fratri ſuo Ducatus Glogovienſem & Saganenſem cum expectativa in Ducatum Olſnenſem tradit.* Datum inter Exercitus utriusq; partis prope Civitatem Caſſovienſem in Dominica *Jnvocavit* Anno 1491. &c. *Ex Originali. Extat in Archivo Cancel. Reg. Lib. Leg. ſub Lit. C. folio 35.*

NOS JOANNES ALBERTUS Dei gratiæ Regni Hungariæ &c. In campo *Rakos* generaliter & legitime Rex electus & proclamatus recognoſcimus, & tenore Præſentium ſignificamus, quibus expedit, Univerſis. Quod cum inter Sereniſſimum Principem Dominum VLADISLAUM DEI gratia Hungariæ & Bohemiæ Regem &c. Fratrem noſtrum uterinum & chariſſimum ab una, ac inter Nos parte ex altera poſt obitum Sereniſſimi Principis, quondam Domini MATHIAE ſimiliter Hungariæ & Bohemiæ Regis &c. occaſione ejuſdem Regni Hungariæ differentia & controverſia non medioris fuiſſet exorta; placuit Sereniſſimo Principi Domino CASIMIRO Dei gratia Regi Poloniæ &c. utriuſque noſtrum Genitori cariſſimo, partes ſuas inter Nos Liberos ſuos interponere, & prælium, ad quod ex utraque parte accelerabatur, dirimere & intercipere, atque differentiam & diſcordiam ejuſmodi pro ſua divina prudentia & paterna in utrumque noſtrum gratia, & caritate complanare. Mittens itaque in noſtrum medium Oratores, & Conſiliarios ſuos Reverendiſſimum in Chriſto Patrem, Dominum ANDREAM Archiepiſcopum Leopolienſem, & Magnificum MATHIAM de *Pnyn* Palatinum Poſnanienſem, qui imprimis plura inter Nos, & præfatum Illuſtriſſimum Dominum Fratrem noſtrum laboraverunt: Viſum tandem extitit, ut ab utraque Parte aliqui Conſiliarii ad tractandum cum eiſdem deputarentur, ad quorum exhortationem Nos fideles noſtros Reverendos in Chriſto Patres Dominum VALENTINUM electum Eccleſiæ Waradienſis, et THOMAM Epiſcopum Eccleſiæ Jaurienſis, prætacti Regni noſtri Hungariæ Cancellarium, nec non Magnificos JOANNEM *de Schellenberk*, Regni noſtri Bohemiæ ſimiliter Cancellarium, & VILHELMUM *Dankynber*, Liberum Dominum de *Zalonock*; præfatus autem Illuſtriſſimus Frater noſter Venerabilem Dominum NICOLAUM primum de *Crayne*, Præpoſitum Stobnicenſem, ſimiliter Cancellarium ſuum, nec non Magnificum PETRUM MYSKORSKI Caſtellanum Wyclunienſem deputavimus, qui omnes cum præfatis Oratoribus paternæ Majeſtatis convenerunt, & pluribus diebus de mediis contrariorum & Pacis tractarunt. Tandem, ut non dubitamus, bono aſſiſtente Spiritu, ad quoſdam Articulos Pacis, Concordiæ & Unionis devenerunt, et condeſcenderunt. Quorum quidem articulorum primus eſt: imprimis conventum et concluſum eſt: quod præfatus Sereniſſimus Dominus VLADISLAUS Rex, pro vero et legitimo Rege Regni Hungariæ remaneat: pro contentatione vero præfati Illuſtriſſimi Domini Ducis Fratris ſui cariſſimi, et ceſſione Juris, quod idem Illuſtriſſimus Dominus Dux ad ipſum Regnum Hungariæ ſe habere aſſerebat; Sua Majeſtas in Du-

ANNO catu ſuo Sleſiæ Caſtra, et Civitates infra
1491 ſcriptas, puta *Glogovian* Maiorem, *Rozychen*, *Sprotaviam*, *Zelena hora*, *Snobodyn* et *Otin*, alio nomine *Wartenberg*; totum vero illum ſtatum, qui Illuſtris JOANNIS Ducis SAGANI fuit, et quem Sereniſſimus quondam Rex MATHIAS ab eodem Jure emptionis habuerat, ſimul cum univerſis Caſtris, Fortalitiis, Civitatibus, Oppidis, Villis, Teloneis, Vaſallis, et aliis omnibus, proventibus, et pertinentibus eorundem. Præterea Civitatem *Goram* ſimiliter cum Univerſis ſuis Vaſallis, pertinentibus, et fructibus eidem Illuſtriſſimo Domino Duci dare, et aſſignare debeat, et teneatur, quæ omnia et etiam cætera Caſtra, Civitates, Fortalitia, Oppida, et Villas infra notandas idem Dominus Dux, tanquam Dominus Hæreditarius, tenere, et poſſidere, atque de eiſdem libere diſponere poſſit et valeat tali conditione adjecta: quodſi quæ Caſtra, Civitates, Oppida, vel Villæ de ſtatu jam expreſſo ejuſdem Ducis *Sagani* per ipſum condictum Dominum MATHIAM Regem, aut poſt ejus obitum, per præfatum Sereniſſimum Dominum WLADISLAUM Regem quibuscunque Perſonis, et quacunq; ex cauſa eſſent obligata, aut inſcripta; ſua Maieſtas ad terminum infra notandum redimere et liberare, atque eidem Illuſtriſſimo Domino Fratri ſuo reddere, et reddi facere teneatur. Item de Civitatibus *Croſna*, et *Schyenyan*, Oppidisque, et Villis, nec non ceteris earundem pertinentibus diffinitum eſt: quodſi, et in quantum non ſunt pro aliqua ſumma pecuniarum inſcripta, vel obligata, et debebunt devolvi ad Regiam Maieſtatem, ſtatim factâ ipsâ devolutione ſua Maieſtas teneatur ad prædicta Caſtra et Civitates adjicere, et præfato Illuſtriſſimo Domino Duci cum effectu dare, et exnunc in Illuſtriſſimam Dominationem ſuam devolvenda intelligantur. Si vero inſcripta, et obligata ſunt, liberam idem Dominus Illuſtriſſimus Dux redimendi habeat facultatem. Hoc tamen adiecto, quod dum iuxta præſentem concluſionem Dominatio ſua Illuſtriſſima illos Ducatus, illaque Caſtra, Fortalitia, Civitates, & Oppida, quæ nunc Regia Maieſtas Dominationi ſuæ Illuſtriſſimæ usque ad promotionem eiusdem in Regem aſſignare debet, remittere, & reſignare debebit, & tenebitur, prædicta duo Caſtra remittere iterum non teneatur, donec per ipſam Regiam Maieſtatem, aut ſuos Succeſſores ſibi de ſumma illa, pro qua redemerit, ſatisfactum fuerit cum effectu. Cæterum concluſum eſt, quod ultra promiſſa etiam ſtatus, & Dominium Illuſtris CONRADI Ducis Albi poſt eius obitum totaliter in ipſum Illuſtriſſimum Dominum JOANNEM ALBERTUM Ducem devolvantur, & ſi forte aliqua Caſtra vel Oppida, aut alia bona de ipſo ſtatu eſſent quibuscunque titulo pignoris inſcripta: emptis illis, quæ iure hæreditario aut per ipſum Ducem Album, aut per Regiam Maieſtatem, licet ſint donata, aut vendita per Sereniſſimum Dominum Regem VLADISLAUM poſt obitum eiusdem Ducis Albi, eidem Domino Illuſtriſſimo JOANNI ALBERTO redimi debeant & liberari; quodque deinceps idem Dux de ipſo ſtatu, quem tenet, nihil prorſus inſcribere, vel aliter alienare debeat, & ſi aliter faceret, alienata vel inſcripta debebunt cum aliis, ut promiſſum eſt, eliberari. Item concluſum eſt, quod ex quo Sereniſſimus Dominus WLADISLAUS Rex in præſentiarum Ducatum Opaviæ, quem Illuſtriſſimus Dux JOANNES Corvinus, Dux Sclavoniæ & Lipthoriæ iure hæreditario habet & poſſidet, eidem Illuſtriſſimo Domino Fratri ſuo dare commode nequit, eam ob rem interea, donec ſua Maieſtas ab ipſo Domino CORVINO Duce, ſive per viam concambii, ſeu permutationis, ſive proparata pecunia eliberare poterit, ſingulis annis in Feſto B. JACOBI Apoſtoli tria millia florenorum eidem Illuſtriſſimo Fratri ſuo dare & vel in *Glogovia* vel in *Kozle* deponi, & aſſignari facere teneatur. Item quod interea, donec præfatus Dux Albus in humanis aget, & Maieſtas ſua Dominus Rex VLADISLAUS ſtatum illius Illuſtriſſimo Domino Fratri ſuo reddere non poterit, ſingulis annis tantam ſummam pecuniæ, quantam ex toto illo ſtatu, quem in præſentiarum idem Dux Albus tenet, in pecunia parata habere poteſt in loco, & tempore, ut de Ducatu Opavienſi concluſum eſt, eidem Illuſtriſſimo Domino Fratri ſuo dare, & ſolvere debeat & teneatur. Praeterea ordinatum & diffinitum eſt, quod idem Sereniſſimus Dominus Rex WLADISLAUS ad præfatos ſtatus & Ducatus cæteraque Caſtra, Civitates, Oppida, & Fortalitia, etiam Civitatem Carnoviam & Caſtrum Cznylim adiiciat, & quod Civitas ipſa, & ſimul etiam Caſtrum prætactum apud alienas manus fore prohibentur: idcirco concluſum eſt, quod Maieſtas ſua tam eadem duo loca, quam etiam Ducatum *Thoſteck*, ac Civitatem Pythom, ac Caſtrum, *Zwenklenecz* cum ſuis pertinentiis, ac alia Univerſa quæ obligata ſunt, & ſua Maieſtas pro Illuſtriſſimo Fratre ſuo redimere, dareque debet infra ſpatium unius integri anni,

ANNO 1491.

Anno 1491 anni, a data Præſentium computando liberare & redimere debeat, & teneatur. Item ſimiliter eſt concluſum, quod ſua Regia Maieſtas etiam Ducatum *Kozle*, nec non Civitates *Hwopeczycze* & *Wtadiſław* ſimul cum Univerſis Vaſallis, Villis, & pertinentiis eidem Illuſtriſſimo Domino Fratri ſuo pro eiusdem contentatione dare debeat, & quod apud alienas manus fore dinoſcuntur; conventum igitur, & diffinitum eſt, ut hæc tria loca infra ſpatium trium mensium a data Præſentium computando, pro eodem Illuſtriſſimo Fratre ſuo redimere, & eliberare teneatur. Item quod ſi quando Steura ſive Berna aliqua per Sleſiam generaliter imponeretur, aut urgente neceſſitate Terrigenæ inſurgere, & ſervitium aliquod iuſſu Regiæ Maieſtatis facere deberent: Vaſalli, cæterique ſubditi eiusdem Illuſtriſſimi Domini Ducis ſe non retrahant, ſed omnes debitum facere & pro rata ſua, & contribuere, & ſervire etiam aliaque omnia inſtar ceterorum Terrigenarum, prout ſcilicet tunc ordinatum fuerit, facere teneantur: & ad hoc dempta tum Perſona eiusdem Illuſtriſſimi Domini Ducis, quæ in hac parte excepta & privilegiata intelligatur, ex nunc obligati ſint & habeantur. Item quod Vaſalli, & cæteri huiusmodi ſubditi eiusdem Illuſtriſſimi Domini Ducis præter antiquam conſvetudinem, jura, & Privilegia eorundem extra Provinciam nusquam in judicium trahantur, ſed ibidem prout ſcilicet hactenus obſervatum exſtitit, in cauſis iudicentur, & ex parte etiam ipſorum iuſtitia cauſantibus miniſtretur: & quod etiam alioquin Univerſos huiusmodi Vaſallos, & cæteros ſubditos idem Illuſtriſſimus Dominus Dux in Antiquis ſuis juribus, libertatibus, Privilegiis & immunitatibus conſervare debeat, & teneatur. Item conventum concluſum, & ſpecialiter diffinitum eſt, quod ſi & poſtquam præfatus Illuſtriſſimus Dominus Dux Joannes Albertus in Regem ſublimabitur ſeu promovebitur, Univerſos prædictos Ducatus & ſtatus; Univerſaque Caſtra, Fortalitia, Oppida, Villas, quas & quæ idem Sereniſſimus Dominus Rex Vladislaus eidem Illuſtriſſimo Fratri ſuo ex præſenti Diſpoſitione & Concordia dare debet, ſimul cum cunctis Vaſallis Subditis Teloneis, Proventibus, & Utilitatibus eorundem ſuæ Maieſtati aut Succeſſoribus ſuis, Regibus ſcilicet Hungariæ integre, atque abſque omni prorſus defectu, ac difficultate, vel quæſito colore remittere, & reſignare debeat, & teneatur eo facto. Si vero præter omnem ſpem, & opinionem contingeret, quod in Regem non promoveretur, & Filios legitimos de lumbis ſuis procreatos relinqueret; iidem Filii in Univerſis huiusmodi Ducatibus, Statibus, Caſtris, Civitatibus, & cæteris Bonis ſuccedere debeant. Hoc tamen adiecto, quod illi inſtar aliorum Principum, & Ducum Patriæ illius Regiæ Maieſtatis ſubiecti ſint, & habeantur, & ex nunc intelligantur. Caſu autem quo aliquis Filiorum, aut Nepotum eiusdem Illuſtriſſimi Domini Ducis tractu temporum in Regem promoveretur, pari ratione æqualique iure, ut ab ipſo Illuſtriſſimo Domino Patre eorundem Univerſi prædicti ſtatus, Caſtraque omnia ad præfatam Maieſtatem, vel Succeſſores ſuos Reges Hungariæ, ut præfertur, revertantur, & devolvantur, & devoluta intelligantur eo facto, & idem promotus Rex reddere, & remittere integre absque omni tergiverſatione & defectu debeant, & teneantur, nec jus ullum aut iuris vel Dominii proprietas in eisdem ipſis reſervata intelligatur. Quod ſi aliqua Caſtra, Fortalitia, Civitates, Oppida, vel Villas præfatus Illuſtriſſimus Dominus Dux aut eiusdem Filii vel Hæredes in caſibus præmiſſis ſuccedentes impignorarent, vel aliter qualitercunque alienarent, redimere et eliberare debeant, et teneantur. Hoc etiam per expreſſum declaratur: quod ſi præfatum Illuſtriſſimum Dominum Joannem Albertum Ducem, non Filios, ſed Filias poſt deceſſum ſuum ſi ſcilicet in Regem, quod abſit, non promoveretur, relinquere contingat, ut eodem Filiæ ſuæ de Bonis, ac ſtatibus, Ducatibusque illis dote ſua non fraudarentur, ſed iuxta Patriæ conſvetudinem illam habere debeant. Cæterum, ſi eundem Illuſtriſſimum Dominum Ducem, neque in Regem promoveri, neque (quod abſit) Filias relinquere contingeret; omnes illi ſtatus, et Ducatus omniaque præmiſſa ad Coronam Regni Hungariæ devolvantur, et devoluta ex nunc intelligantur eo facto. Ulterius concluſum eſt, quod Sereniſſimus Dominus Rex Vladislaus præfatum Illuſtriſſimum Fratrem ſuum in Univerſis prædictis Ducatibus, Statibus, Caſtris, Civitatibus, Fortalitiis, Oppidis, et Villis, et ſimiliter etiam Hæredes ſuos, ſi, et in quantum etiam ad eosdem modo, et conditionibus præmiſſis devolvi contingat, contra quoslibet Actores, et Cauſidicos defendere, et conſervare debeat, et teneatur. Item conventum

Anno 1491.

1491. et concluſum eſt, quod ſi quando Sereniſſimus Princeps Dominus Casimirus Poloniæ, aut Vladislaus Hungariæ et Bohemiæ Rex, vel etiam Illuſtriſſimus Dominus Joannes Albertus Dux, ſive per viam, et modum amicabilis, et fraternæ compoſitionis et concordiæ, ſive alia quacunque ex cauſa Litteras inſcriptionales, et Obligatoriales Dominorum Prælatorum, Baronum cæterorumque Regnicolarum Hungariae, ſuperioribus annis ſuper ipſo Regno Hungariæ Maieſtati Imperiali et Sereniſſimo Romanorum Regi eius Filio datas cum Confirmationalibus ex Pontificis ſubſecutis, vel cauſa Pacis de novo etiam dandas poſt Pacem confectam a manibus earundem Maieſtatum communi favore, conſilio, et intelligentia recuperare poterunt, conſentire debeant Domini Prælati, et Barones, cæterique incolae eiusdem Regni Hungariae, quod poſt obitum praefati Sereniſſimi Domini Regis Wladislai Domini eorum, ſi et in quantum absque legitimo Haerede ſuam Maieſtatem decedere contingeret, præfatus Illuſtriſſimus Dominus Joannes Albertus Dux in eorum Regem & Dominum eligatur, & ad hoc ſe in aliqua generali Congregatione Regnicolarum obligare teneantur, prout ex nunc præſentes Prælati Barones, & Proceres, cæterique Nobiles ipſorum, et reliquorum Fratrum ſuorum abſentium Perſonis in huiusmodi caſu conſenſerunt: hoc adiecto, quod ſi eas novas inſcriptiones præfatæ Cæſareæ Maieſtatis, vel Sereniſſimo Domino Romanorum Regi, ſuper ipſo Regno Hungariae facere non continget, ſed alia via Pacem cum eiusdem Maieſtate facere poterunt: nihilominus tamen prius recuperatis, ut ſupra prioribus inſcriptionibus hoc idem ipſi Praelati & Barones, cæterique incolæ Regni Hungariae facere teneantur. Item quod omnes captivi cuiuscunque ſtatus, & conditionis, & quibuscunque in locis hoc tempore Gverrarum detenti exiſtunt, absque omni penitus Pactione ab utraque parte liberi dimittantur. Quodque literæ omnes, ſi quibus ſe aliquid captivi huiusmodi obligaſſent, ſimiliter ab utraque Parte reddantur, & ſi forte per quoſcunque retinerentur, & non redderentur, caſſæ & nullius prorſus vigoris cenſeantur. Item concluſum eſt, quod omnibus illis tam ſcilicet Baronibus, Nobilibus, Militaribus Civitatenſibus, quam aliis Univerſis cuiuscunque ſtatus & conditionis cenſeantur, qui poſt obitum Sereniſſimi quondam Domini Mathiæ Regis felicis recordationis Illuſtriſſimo Principi Domino Joanni Alberto Duci, a tempore illo, quo Dominatio ſua Illuſtris pro Rege proclamata extiterat, in hunc usque diem adhæſerunt, Sereniſſimus Dominus Wladislaus Rex tam Perſonis, quam etiam Caſtris, Fortalitis, Civitatibus, Oppidis, Poſſeſſionibus, cæterisque omnibus Bonis eorum ſimul cum omnibus Dominis, Prælatis, & Baronibus, ac Univerſo ſuo Regno Hungariæ gratiam facere dignetur, & ſi forte bona ipſorum per ſuam Maieſtatem, quibuscunque eſſent ablata, remittat, et remitti faciat, atque eoſdem in ſuam protectionem ſuſcipiat, et præmiſſæ adhæſionis occaſione ab omni impedimento defendat, et defendere teneatur. Licet autem eis ubicunque, et quibuscunque voluerint ſalva tamen Regni conſvetudine et libertate ſervire, et ſervitiorum merita percipere, ſed ne errorem aliquem fieri in hac parte contingat, omnes tales ſe adhæſiſſe aperte confiteri, et recognoſcere teneantur; alioquin huiusmodi gratia minime ipſis videatur ſuffragari; recognitione autem facta ſua Maieſtas Literas gratiæ, et protectionis, ſi habere voluerint, eisdem dare, et concedere debeat. Et ſi poſtea eosdem quicunque Subditi ſuae Maieſtatis, nec non Praelatorum, et Baronum ſuorum in hac parte temere infringere (quod abſit) non reformidarent, infidelitatis notam incurrere dignoſcantur, et bona talia ſua Maieſtas cuicunque voluerit liberam dandi, et conferendi, aut aliter de eisdem diſponendi habeat facultatem. ANNO 1491.

Item quod Univerſi Prælati, Barones, Nobiles, Comitatus, Diſtrictus Militares, Nobiles et Jgnobiles, nec non Civitatenſes et Oppidani, ac alii cuiuſcunque Status et Conditionis homines, qui ut præfertur, poſt obitum Sereniſſimi quondam Domini Mathiæ Regis præfati Jlluſtriſſimo Domino Joanni Alberto Duci in hunc uſque diem adhæſerunt, et fideliter homagium atque obedientiæ iuramenta, et fidem præſtiterunt; per eundem Jlluſtriſſimum Dominum Ducem ab eiuſmodi fidelitate, fideque et iuramento, ac ſponſione obedientiæ ſimpliciter abſolvi, et relaxari debeant et ex nunc abſoluti ſint, et intelligantur. Item quod omnes tales, qui, ut præfertur, præfato Jlluſtriſſimo Fratri noſtro adhæſerunt, in eorum honoribus, prout prius fuerant, ſalvi remaneant, ſicut & remanere debent. Item concluſum eſt, quod omnes tales cuiuſcunque Status,

Gradus

ANNO 1491. Gradus, et Conditionis fuerint, qui modo præmisso ipsi Illustrissimo Domino JOANNI ALBERTO Duci adhæserunt per suam Illustrissimam Dominationem a fidelitatis iuramento, ut præfertur, absolventur, post absolutionem factam coram Sereniſſimo Principe Domino VLADISLAO Rege propinquiores ex nunc in spatio viginti dierum: remotiores vero infra unum mensem personaliter comparere, et eidem instar aliorum fidelium Regnicolarum fidelitatis iuramentum præstare debeant, & teneantur: alioquin præsens Gratia, præsensque Disposítio nulla ex parte eisdem suffragari, intelligatur. Item quod sub præsenti Differentia, et Guerra percepta et consumpta, tam per Principes ipsos, quam eorum subditos in quibuscunque Obventionibus tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus existant, hinc inde compensentur, et relaxentur, ne ab his, qui a tempore adhæsionis alicui horum Principum ea receperunt, nec ab his, a quibus recepta sunt, repeti possint, aut debeant, tam de jure quocunque, quam etiam de facto. Item concluſum est, quod Universa Castra, Fortalitia, Civitates, Oppida, et Villæ, aliaq; omnia bona hoc tempore medio ab utraque parte violenter occupata, et etiam oppugnata his, de quorum manibus occupata, sive expugnata sunt, simpliciter remittantur. Et si forte jus aliquod ad eiusmodi bona habere prætendunt, viam juris quærant, quod eisdem absque superflua dilatione administrari debeat, viam vero facti retinere nullo modo audeant: alioquin, si qui ex adhærentibus præfato Illustrissimo Domino Duci contravenire præsumpserint, præsens Gratia eis non suffragetur. Si vero ex Subditis Regiae Majestatis fuerint tanquam fidei suæ Majestatis, Praelatorumque et Bonorum suorum temeratores, iuxta antiquam et approbatam Regni consvetudinem puniantur. Item conventum et concluſum est, quod Egregiis et Nobilibus LADISLAO de *Sesnky*, ELIÆ de *Throczia*, ac BENEDICTO et JOANNI *Veres* de *Farnok*, quos scilicet Sereniſſimus quondam Dominus MATHIAS Rex annis superioribus ex certis causis proscripserat, et in exilium relegaverat, atque bonis omnibus privaverat, Sereniſſimus Princeps Dominus VLADISLAUS Rex contemplatione Sereniſſimi Domini Regis Poloniæ Genitoris, et præfati Illustrissimi Domini JOANNIS ALBERTI Ducis, Fratris sui Cariſſimorum, apud quos scilicet post huiusmodi proscriptionem steterunt et serviverunt, quoad eorum Personas gratiam et misericordiam faciat: ita, et taliter, quod in omnibus Regnis et Dominiis suæ Majestatis libere sint, liberæque manere et ambulare, atque negotia sua expedire et tractare, nec non Privilegiis juribusque et consvetudinibus Regni uti possint, et valeant. Teneantur tamen, et ipsi suæ Majestati fidelitatem, obedientiam, et iuramentum præstare, et si quid forte de Bonis, et Possessionibus eorum præfatus quondam Dominus MATHIAS Rex aliis non donasset, vel inscripsisset, sed apud manus tenuisset, et nunc ad manus Regiae Majestatis devenisset, vel apud fideles quoscunque haberentur, remitti eisdem facile dignetur: quantum autem ad illa bona, et jura possessoria eorundem attinet, quod per ipsum Sereniſſimum quondam Dominum MATHIAM Regem occasione praetactae proscriptionis ab eisdem recepta et aliis donata extiterunt, definitum est, quod captato tempore Regia Majestas vocatis partibus cum Dominis Praelatis et Baronibus, caeterisque Consiliariis, quos ad hoc necessarios existimabit, examinare, et cognoscere dignetur, an iuste, et demeritis ipsorum exigentibus, vel via tantum modo facti, et absolutae potentiae eosdem praefatus quondam Dominus MATHIAS Rex proscripsit, et bonis privavit. Et si compertum fuerit, quod iniuste, ac indebite proscripti, et bonis privati extiterunt, iustitiam eisdem administrare dignetur. Si vero contrarium cognoscetur, nihilominus sua Majestas, si quando bona aliqua ad eum optimo iure devolventur, contemplatione praefatae paternae Majestatis, et Illustrissimi Domini Fratris sui, aliquam de eisdem provisionem faciat, ut saltim reliquum vitae, quod eis supereſt, transigere in Patria valeant. Item quod omnia debita Cracovienſium et Cassovienſium, et aliorum omnium Mercatorum, horum duorum Regnorum Hungariae videlicet et Poloniae iuxta morem, fidem, et consvetudinem atque creditum eorum inter se ab utraque parte, prout concordari poterunt, persolvantur, et in tributo, ne hoc fiat, cassetur, et per publicam proclamationem relaxetur. De depoſito vero Mercatorum cum in hac Civitate Cassovienſi talis mos servetur, quod Cives Cassovienses illa omnia, quae ex huiuscemodi depoſitis levaverunt, per eorum Regiſtrum levasse recognoscant, et Mercatores, qui presentes sunt, si Regiſtrum illud iustum eis videbitur, approbare debeant; sin minus oppugnare possint ita, et taliter, quod ex nunc illorum præsentium causa finaliter diffiniatum. Mercatores

ANNO 1491. tores vero abſentes, ſi qui forte de ipſo Regiſtro non contentarent, ſed allegarent, quod per Cives Caſſovienſes, aut ex incuria, aut ignorantia, vel oblivione, aut alia quacunque ex cauſa non recte eorum depoſita conſcripta fuiſſent; iidem Cives Caſſovienſes teneantur iuxta allegata et probata eorundem, et item iuxta conſvetudinem, et morem Mercatorum, et depoſitorum iuſtitiam eiſdem facere. Hoc adiecto, quod ſi quid ex depoſito Cracovienſi in hac Civitate Caſſovienſi extaret, quod pretio non eſſet venditum, et etiam ſi venditum eſſet, pretium tamen non eſſet perſolutum, Caſſovienſes ipſi in ſpecie reddere teneantur. Caeterum ſi Mercatores Cracovienſes cauſſarentur res ſuas non iuſto condignoque pretio per Caſſovienſes eſſe venditas, iidem Caſſovienſes in termino infraſcripto aut de iuſto pretio cum effectu reſpondere, aut tantas res in ſpecie quantas expoſuerunt dare, et aſſignare teneantur; et ſi haec permiſſa Mercatores facere recuſarent, per Principes ab utraque parte ſine ſuperflua dilatione compellantur, non obſtantibus quibuſcunque Literis libertatis, et exemptionis de non ſolvendo eiſdem conceſſis vel in futurum concedendis: hoc adiecto, quod ſi creditores ob non ſolutionem expenſas aliquas facere cogerentur, debitores refundere teneantur. Caeterum concluſum eſt, quod media pars huiuſmodi rerum et Mercaturarum tam ex depoſitis, quam etiam a Mercatoribus Cracovienſibus tempore obſidionis huius Civitatis Caſſovienſis per Cives eiuſdem Civitatis acceptarum ad Feſtum Purificationis B. M. V. proxime futurum, reliqua vero medietas ad Feſtum S. JOANNIS Baptiſtae ex tunc immediate ſequens per eoſdem Caſſovienſes ipſis Cracovienſibus perſolvatur; Debita autem antiqua more mercatorum, ut in præcedenti Articulo continetur, ex utraque parte perſolvantur. Item quae Perſonae bona, et merces mercatorum omnium utriuſque Regni, ubicunque hoc tempore belli arreſtata relaxentur, et debita, ut ſupra, perſolvere teneantur. Item concluſum eſt, quod interea donec Sereniſſimus Dominus VLADISLAUS Rex Caſtra, Civitates, puta *Glogoviam*, *Rozychon*, *Sprotaviam*, *Zelana horam*, *Snobodyn*, *Wartemberg*, et *Guoran* vigore praeſentis Tractatus praefato Illuſtriſſimo Domino JOANNI ALBERTO Duci Fratri ſuo reddere poterit, idem Dominus Dux Civitates *Eperies*, et *Zeben* pro ſua ſecuritate apud manus ſuas libere retinere poſſit; quam primum tamen ſua Majeſtas reddere poterit, ſtatim et ipſe abſque omni mora, et concitatione eaſdem duas Civitates ſuae Majeſtati abſque omni penitus difficultate et quaeſita occaſione remittere, et remitti facere debeat, et teneatur: ſtatim tamen, et ex nunc Oppidum, ſive Incolae eorundem duorum locorum fidelitatis homagium et iuramentum ſuae Majeſtati facere teneantur. Item quod idem Illuſtriſſimus Dominus Dux reliquas omnes Civitates, omniaque Caſtra, Oppida, et Fortalitia per eundem in Hungaria, et partibus ſibi ſubjectis qualitercunque occupata et ſubjugata ſtatim, et ex nunc dictae Majeſtati ſimpliciter remittere debeat et teneatur. Item quod idem Dominus Dux Illuſtriſſimus promittat et ſe Haeredesque ſuos obliget, quod quamprimum Illuſtriſſima Dominatio ſua in Regem promovebitur, Univerſas praedictas Terras, Dominia, Ducatus, Status, Civitates, Caſtra, Fortalitia, aliaque bona omnia, quæ in praeſenti concordia ſibi dare debebunt iuxta continentias praeinſertorum Articulorum Regiae Majeſtati, et Succeſſoribus ſuis Regibus Hungariae reddet, remittet, et liberabit. Ad quod etiam Haeredes ſuos, ut praefertur, obligare teneatur. Caeterum quod etiam praedicti Domini Oratores praefati Sereniſſimi Domini Regis Poloniae vigore mandati, quod habent promittere, et eiuſdem Regis Poloniae Majeſtatem ſimiliter obligare debeant, quod praemiſſa omnia ſuo, Succeſſoriſque et Haeredum ſuorum nominibus ratificabit, et obſervabit, ita videlicet quod de dictis Terris, Dominiis, Ducatibus Statibus, Caſtris, Fortalitiis, Civitatibus, Oppidis, Vaſallis, et Teloneis, quae praefato Illuſtriſſimo Domino JOANNI ALBERTO Duci Filio ſuo modo, quo ſupra, dabuntur, ſe non intromittet, nec a iuriſdictione Coronae Bohemiae, et poteſtate ſeu dominio Coronae Regni Hungariae aliqua mundi via abalienabit, ſalvis tamen pecuniis, ſi quibus bona aliqua fuerint redempta, ut in Articulis ſupra. Poſtremo quod praefati Sereniſſimus Dominus Rex Poloniae, et Illuſtriſſimus Dominus JOANNES ALBERTVS Dux de ſubditis Sereniſſimi Domini Regis VLADISLAI ſe non intromittant, nec eos in protectionem ipſorum deinceps aliqua via ſuſcipiant, et e contra. Nos itaque VLADISLAUS Rex praefatus cupientes voluntati et imperio praefatae paternae Maieſtatis, ut par eſt, et filium decet obedientiſſimum parere et obtemperare, etiam ipſum Illuſtriſſimum Fratrem noſtrum ſincero corde, et fraterno amore amplecti, et ſemper proſequi ſa-

ANNO 1491.

ne

ANNO 1491. ne conſiderantes praeterea longe honeſtius, et melius, longe denique ſalubrius, et utilius eſſe, ut vires noſtras adverſus hoſtes fidei, quam in Chriſtianos, et præcipue in Fratrem convertamus. Eoſdem idcirco Articulos, tanquam honeſtos, et tam paternae Regiae Majeſtatis, quam etiam utriuſque noſtrum honori plurimum conducibiles, quoad omnes eorum Clauſulas, Capitula et Puncta, laudavimus, approbavimus, acceptavimus, et ratificavimus, atque in eoſdem ex certa noſtra ſcientia, et animo deliberato conſenſimus, laudamuſque, approbamus, acceptamus, ratificamus, et conſentimus, atque Univerſos prænominatos Ducatus, et Status, nec non Caſtra, Fortalitia, Civitates, Oppida, et Villas ſimul cum cunctis eorum Vaſallis, ſubditis, et utilitatibus ſub Pace, modiſque, et conditionibus in præinſertis Articulis contentis et expreſſis, præfato Illuſtriſſimo Domino JOANNI ALBERTO Duci, fratri noſtro Cariſſimo dedimus, donavimus, et contulimus, damuſque, donamus, et conferimus de conſenſu prælatorum et Baronum noſtrorum tenore Præſentium mediante, ac per eundem Illuſtriſſimum Principem Dominum JOANNEM ALBERTUM Germanum noſtrum cariſſimum, et ipſius Succeſſores legitimos cum omni jure, & Dominio, iure perpetuo & irrevocabili teneri, poſſideri, haberi, ac uti, frui, nec non de eiſdem diſponere, & qualitercunq; alienari & obligari volumus, ſub conditione nihilominus tamen, & Clauſulis in Articulis ſupra ſcriptis deſignatis & expreſſis, ſuperioritate etiam & Dominio Coronæ Regni Bohemiæ in præfatis Dominiis, Ducatibus, & Statibus ſalvis & integris, prout hactenus fuit, remanentibus, promittentes in verbo noſtro Regio & fide Chriſtiana mediante omnia & ſingula in prætactis Articulis contenta, declarata, & expreſſata eidem Illuſtriſſimo Fratri noſtro obſervare, & adimplere, ſibique omni ex parte ſatisfacere cum effectu ſine omni dolo & fraude, & ſi forte (quod abſit) ante terminum ſatisfactionis de hoc ſæculo Nos migrare contingeret, de neglectis per Nos, Succeſſores noſtros, & Reges ad ſatisfaciendum ei Illuſtriſſimo Fratri noſtro obligamus, & obligatos eſſe volumus, & decernimus harum noſtrarum, quibus Sigillum noſtrum eſt appenſum, vigore & teſtimonio Literarum mediante. Datum inter Exercitus utriuſque Partis penes Civitatem noſtram Caſſovienſem in Dominica *Invocavit*. Anno Domini MCCCC XCI. Regnorum noſtrorum Anno Hungariæ &c. Bohemiæ vero XX.

Et Nos præfati VALENTINUS electus Eccleſiæ Varadienſis, & THOMAS Epiſcopus Eccleſiæ Jaurienſis Cancellarius Regius, nec non Comes STEPHANUS de *Bathor*, Judex Curiæ Regiæ et Waywoda Tranſylvanus, STEPHANUS de *Zapolia*, Comes perpetuus Scepuſienſis, VLADISLAUS *Orzagde Girth Agazonim*, LADISLAUS de *Laſſonecz* Thavernicorum, LADISLAUS de *Rozgan*, & BARTHOLOMEUS *Dragbhy* de *Perlthec* Cubiculariorum, ac NICOLAUS *Bantyde Lyndwa* Janitorum Regalium Magiſtri. Item VILHELMUS PANKYRBET de *Zalanock*, ANTONIUS de *Palocz*, JOANNES BANTY de *Lindwa*, JOANNES de *Kompolth*, MICHAEL de *Chack* & JOANNES BOBECK de *Pelſewkz*, Prælati, & Barones, cæterique Proceres & Nobiles Regni Hungariæ penes præfatum Sereniſſimum Dominum noſtrum VLADISLAUM Regem conſtituti, noſtro & cæterorum Dominorum Prælatorum, Baronum & Procerum Fratrum ſcilicet noſtrorum abſentium nominibus, & in Perſonis præſentium ſcilicet & futurorum recognoſcimus, & fatemur, quod ſua Majeſtas Pacem, concordiam, & diſpoſitionem cum ipſo Illuſtriſſimo Fratre ſuo de noſtra voluntate, deque noſtro conſilio & expreſſo conſenſu fecit. Eam obrem penes ſuam Majeſtatem promittimus ſub fide & honore noſtro quo ad hoc eandem inducere, & tenere omnibus viribus ſtudebimus, ut iuxta præfatam diſpoſitionem, concordiam, & obligationem ipſo Illuſtriſſimo Domino Duci Fratri ſuo re ipſa ad tempus præfixum ſatisfaciat, prout & Nos quantum in Nobis eſt, ſatisfacere volumus, et pollicemur, & promittimus, ut ſi, quod Deus avertat, interea ſuam Majeſtatem mori contingat, alium Regem non eligamus, donec ſe ad ſatisfaciendum ſtrictiſſime obligabit, nec electum coronabimus, donec cum effectu ſatisfaciet, & præfatum noſtrum Sereniſſimum Regem a præſenti obligatione & promiſſione liberabit. Datum ut ſupra.

ANNO 1491.

VLADISLAUS Rex præfatus Concluſiones, & Articulos prius inſertos approbamus, acceptamus, & ratificamus, i. e. Nos manu propria ſubſcripſimus.

ANNO 1492.

XXXII.

*Fœdus inter* VLADISLAUM *Hungariæ, & Bohemiæ, &* JOANNEM ALBERTUM *Poloniæ Reges Fratres, contra quosvis hoſtes, atque etiam contra Subditos utriusque, ſi rebellarent, aut iura Regalia iniuſte extorquerent.* Dat. Budæ 5. Decembris An. 1492. *Ex Originali.*

VLADISLAUS Dei graria Hungariæ, Bohemiæ, Dalmaciæ, Croaciæ &c. Rex, Marchio Moraviæ, Lucemburgenſis, & Sileſiæ Dux, ac Luſaciæ Marchio &c. Recognoſcimus, & tenore Præſentium notum facimus, quibus expedit Univerſis. Quod quamvis vigore Capitulorum, & Articulorum inter Nos Regnaque & Dominia, Subditos Noſtros ab una, parte vero ex altera Sereniſſimum Principem Dominum JOANNEM ALBERTUM Regem Poloniæ &c. Germanum Noſtrum cariſſimum & ſimiliter Dominia & Subditos ſuos Univerſos, medio Magnifici, & Generoſi DOBESLAI de *Kurozwanki* Palatini Lublinenſis, & RAPHAELIS de *Leſzno* Mareſchalci, Conſiliariorum, & Oratorum ſuorum plenum & ſufficiens Mandatum ad hoc habentium ſuper perpetua Pace, unione, & mutua intelligentia fraternaque caritate, ac benevolentia in hoc Caſtro Noſtro Budenſi confectorum, inter alia etiam ad mutua auxilia contra Turcos communes hoſtes ſpecialiter ſimus obligati; tamen, quia fieri & contingere poſſet, quod tractu temporum alicuius Noſtrum ſubditi non ſatis legitime, ut deceret, obedirent, eam ob rem ad coercendum talium temeritatem per hæc ſecreta capitula, ſecretamque hanc intelligentiam ſpecialiter concluſum, conventumque, & diffinitum extitit: Quod ſi qui forte alicuius Noſtrum ſubditi, quod abſit, rebellarent & non ſatis, ut debent, obedirent, vel proventus aut alia iura regalia ſeu Coronæ indebite extorſiſſent, vel de cetero extorquerent, ac contra fas, atque honeſtum uſurparent, detinerent, vel uſurpare, & detinere vellent, & tales Pars illa, cuius forent ſubditi, caſtigare & coercere, aut huiusmodi iura ſua recuperare ab eisdem ſtatueret, requiſita per eam Pars altera penes eandem bona fide inſurgere & ei totis viribus, & cum omni potentia, vel ſaltem quanta neceſſaria videbitur, & perſonaliter etiam, ſi opus fuerit, et rei magnitudo expoſtulaverit, aſſiſtere, eamque adiuvare usque ad finem negotii debeat, et teneatur, quantum quod alter Noſtrum alterius ſubditum rebellem, et inobedientem in ſuam protectionem non ſuſcipiat, nec aliter ſe de tali intromittat, et neque in Regnis et Dominiis ſuis manere patiatur. Item quod alter alterius Noſtrum honorem, commodum, utilitatem, proſperitatem, et omne bonum tanquam proprium, ubique locorum pro poſſe fideliter, et ſincero corde, atque animo procurare, et promovere, atque de adverſis et nocituris rebus, prout conſtabit, avizare debeat, et teneatur. Quos quidem Articulos ſimul et intelligentiam atque ligam Nos VLADISLAUS Rex præfatus promiſimus, et promittimus bona fide, et in verbo Noſtro Regio obſervare, et ad obſervationem eorundem Nosmet obligamus, harum Noſtrarum vigore et teſtimonio Literarum. Datum in Arce Noſtra Budenſi in Vigilia Sancti NICOLAI Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Secundo. Regnorum Noſtrorum Hungariæ etc. Tertio, Bohemiæ vero Vigeſimo Secundo VLADISLAUS Rex mp- *Commiſſio propria Domini Regis.*

ANNO 1492.

XXXIII.

*Tractatus Fœderis perpetui inter* JOANNEM ALBERTUM *Poloniæ, &* VLADISLAUM *Hungariæ, & Bohemiæ, Reges, nec non* ALEXANDRUM, *Magnum Ducem Litvaniæ, Fratres, per Oratores Regis Hungariæ concluſi, quo ſibi mutua ſubſidia contra omnes hoſtes pollicentur, & contra Sultanum Turcarum, ſi eis grave bellum inferret, ſe in perſonis ſuis cum omni potentia ſua auxilio ſibi invicem venturos promittunt. Rex Poloniæ rogatione Regis Hungariæ in gratiam recipit* STEPHANUM *Woiewodam Moldaviæ &c.* Datum Cracoviæ 20. Julii Anno 1498. *Ex Originali. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. Leg. ſub Lit. C. folio* 137. *Item Lib. 9. n. 10. fol. 108.* 1498

NOS JOANNES *Wythcz* Decretorum Doctor, Epiſcopus Veſprunnenſis ac Vien-

ANNO 1498. Viennenſis Eccleſiæ perpetuus Commendatarius, NICOLAUS de *Lindwa* Magiſter Curiæ Regni Hungariæ ſupremus, ANDREAS *Both* de *Bayna* Comes Comitatus Zaladienſis, & EMERICUS *Czoberzenthmyhal* Conſiliarii Regii etc. Significamus, quibus expedit, Univerſis. Qualiter Sereniſſimus Princeps, & Dominus VLADISLAUS Dei Gratia Hungariæ, Bohemiaeque Rex, Dominus Noſter gratioſiſſimus, inhærendo ſuorum Prædeceſſorum Regum veſtigiis, cupienſque perpetuis adverſus impios Chriſtianæ Religionis hoſtes vires ſuas extendere potius, quam differentiis cum quibuſcumque Chriſtianis incumbere, Nos cum pleno, libero, & ſufficienti mandato, ac omnimoda facultate ſuffultos, habito etiam ſuper hoc Prælatorum, & Baronum ſuorum conſenſu, miſit Nos ad Sereniſſimum Dominum JOANNEM ALBERTUM Dei gratia Regem Poloniæ, ad tractandum, diſponendum, diffiniendum, concludendum, firmandum, roborandum cum ſua Majeſtate, ſuiſque Prælatis, & Baronibus, quæ ad conſervationem, continuationem, ſtabilimentum, & robur mutuæ amicitiæ, bonæ fraternitatis, & perpetuæ pacis inter ipſas ambas Majeſtates, eorumque Regna facere viderentur, & poſſunt, prout in ipſo mandato ſub appendenti Sigillo præfati Sereniſſimi Domini Regis, Domini noſtri clarius continetur. Igitur ad diſcuſſionem eorum, quæ pacem ipſam conſervare, aut perturbare deinceps poſſent, ipſo pacis auctore concedente cum hoc Sereniſſimo Domino Rege Poloniæ, ſuiſque Prælatis, & Baronibus, in ſequentes concluſiones, & Articulos devenimus pro conſervatione dietæ, pacis, intelligentiæ, amictiiæ, & bonæ fraternitatis, quæ jam pridem utrinque perturbatæ fuerunt.

In primis itaque diffinitum, & concluſum eſt, quod, quia Sereniſſimus Dominus Rex noſter Magnifico STEPHANO *Wayiwode Moldavienſi*, eiuſque Provinciæ ab hac Majeſtate pacem dari deſideravit: ideo illum morem gerere cupiens ſuæ fraternæ Majeſtati, ipſi *Waywodæ Moldaviæ*, Provinciæque ſuæ, pacem dedit perpetuam, & ipſum in gratiam ſuam ſuſcepit non obſtante exceſſu in ſuam Majeſtatem per eum noviſſime commiſſo. Ita, quod inter hanc Majeſtatem Regis Poloniæ, & Illuſtriſſimum Principem Dominum ALEXANDRUM Magnum Ducem, & Ducatum Litvaniae Germanum ſuum chariſſimum ex una, & ipſum STEPHANUM *Waywodam Moldaviæ* parte ex altera, fiat pax perpetua, ſic, quod ipſe *Waywoda* ſuique Succeſſores, poſſint tute, & ſecure in ipſa *Moldavia* temporibus futuris ſtare, vivere, & dominari, ſicut antea. ANNO 1492

Item a modo, & deinceps fiat Pax perpetua inter Sereniſſimum Principem noſtrum Regem, & hanc Sacram Majeſtatem Regem Poloniæ, ita, quod omnis rancor, omnis ſimultas & odium, omniſque privata offenſio deponatur, et ambae Maieſtates hinc inde, tanquam Fratres Chariſſimi, earumque poſteritates, in charitate atque intelligentia, & ſempiterno amore vivant, ſimiliter inter Regna, & Dominia earum Fædus, Pax, & tranquillitas perpetua, bonaque vicinitas habeatur. Ita, quod inter ipſa quoque Regna, & Dominia deponatur omnis rancor, omne odium, omnis ſimultas; ſed vigeat amor, & omnis charitas, nec ſub velamine huiuſcemodi Pacis, & Concordiæ dictarum Maieſtatum detur alicui ſubdito earum aliqua oppreſſio in perſona, vel in rebus.

Item quod neuter ipſorum Regum ſine aperta voluntate, & conſenſu Partis alterius, aliquam Pacem, Concordiam cum Turcis facere poſſit, ſed ambo ſimul ſemper illam habeant, vel non habeant. Et ſi alter eorum, altero inſcio, Turcos provocaret, aut bellum illis indiceret, in hoc caſu alter alteri non teneatur ad bellum ſic movendum ſuccurrere, ac ſubvenire. Quoniam ſicut ambo unius cordis Deo volente ſunt effecti, ita unanimi voluntate, & concordi omnia debeant peragere. Item non modo Turcis Reges ipſi communes erunt, & eſſe debebunt hoſtes, una cum præfato Domino Duce Magno Litvaniæ, ſed etiam quicunque, & qualeſcunque eos, & præfatum Dominum Ducem irritaverunt, & provocaverunt.

Item, quod ſi aliquando contingeret qualicunque ex cauſa inter ſubditos hinc inde ipſarum Maieſtatum aliqua differentia, vel diſſenſio, per hoc Pax inter illas, & earum Dominia fracta non intelligatur, ſed quam primum per ambas Maieſtates eligantur probi homines, qui huiuſcemodi differentias videant, & ſolum Deum præ oculis habentes, inter ipſos juſtitiam faciant debitam.

Item ſubditi, mercatores utrarumque Maieſtatum, & etiam Moldavienſes, atque ipſius Domini Ducis Litvaniæ, liberi ſint per dominia hinc inde illarum ire cum ſuis mercibus, iuxta veterem conſvetudinem, ſolutis tamen tributis, & oneribus conſvetis.

Item quia ſunt multa inter ipſos Reges tractanda, & pro eorum gloria, & honore concludenda, maxime qualis debeat

ANNO 1498 beat fieri contra communem hoſtem expeditio, ideo ad unum certum terminum pro tempore captato convenire debeant, & ſuper his, & aliis tractare, et concludere, ſicut honori, et utilitati eorum magis expedire videbitur. Item, quod ſi a Principibus contra communem hoſtem videbuntur petenda ſubſidia, illa per communes Oratores peti debeant, ut omnia inter ipſas Maieſtates communiter agi, et tractari videantur.

Item quia multæ ſunt occupationes metarum, et bonorum inter Regna, et Dominia hinc inde ipſarum Maieſtatum, nec non querelæ, et differentiæ inter ſubditos earum; ideo præfigere debeant in confinibus aliquem locum, et terminum, ad quem mittantur oratores earum, qui omnia revidere, et complanare teneantur, ſicut alias fuit obſervatum.

Quantum autem ad modum ſubveniendi attinet, qualiter videlicet, et quo pacto ambæ Maieſtates invicem tempore neceſſario ſibi ſuccurrere debeant, ſi Turci in aliquo mediocri numero, puta decem, vel duodecim millia ad incurſandum Regnum Poloniæ, vel aliquas Terras vicinas praedicti Domini Ducis Litvaniæ venirent, quia difficile foret ad unamquamque incurſionem Sereniſſimum Dominum noſtrum Regem ſe præparare, ſeu movere, vel etiam Gentes mittere (nam antequam illæ Gentes ſe illic moverent, et intrarent, Turci retrocedere poſſent) nihilominus ſua Maieſtas tempeſtive aviſata, hoc eſt, ſaltem per duos Menſes, ut citius poterit, et opportunitas depoſcet, debebit ex Tranſylvania mittere Gentes huic Maieſtati Regis Poloniæ. Similiter ipſe Dominus Rex Poloniæ tempeſtive, ut ſupra expreſſum eſt, aviſatus, ſi Turci, aut contra Tranſylvaniam, aut contra Moldaviam venirent, tenebitur pro maiori poſſe ſuo ſubvenire.

Si vero Imperator Turcorum per ſe veniret, aut Baſſam aliquem cum tanta potentia, cauſa occupandi Regnum Poloniæ, vel Terras Magni Ducis Litvaniae mitteret, vel aliquod Caſtrum notabile obſideret, ita, quod ſub illo immorarentur, et quieſcerent: in hoc caſu ipſe Sereniſſimus Rex noſter Hungariæ cum ſuo Univerſo Regno inſurgere, et aut huic Maieſtati Poloniæ in ſubſidium proficiſci debebit, aut prout Parti patienti commodius, et utilius videbitur. Interim donec Turcus illic occupabitur, ipſe Sereniſſimus Rex Hungariæ cum Gentibus ſuis alias partes ipſius Turci aggredietur, aut aliquem locum obſidebit, et in tantum urgebit, ut ipſum Dominum Regem Poloniæ, et Terras ipſius deſerere cogatur. ANNO 1498

Si vero aut *Handor*, *Albam*, aut aliquod Caſtrum finitimum obſiderent, aut Cæſar in Perſona contra Sereniſſimum Dominum Regem Hungariæ, et Regnum ſuum veniret; in tali caſu teneatur etiam ipſe Dominus Rex Poloniæ in perſona cum omnibus viribus ſuis et cum tota potentia Regni ſui, ejus Maieſtatem in Regno ſuo ſubvenire, ſicuti in præcedenti Articulo continetur.

Si Turci non venirent, et ipſæ Majeſtates pro bono Reipublicæ Chriſtianæ aliquid agere vellent, ex tunc mutuo ſe ita intelligant, quod ambæ ſimul, et ſemel ſe moveant, & illuc, quo pro temporis conditione neceſſarium erit, proficiſcantur, & omnia unanimi voto, & voluntate peragant.

Item STEPHANUS Waywoda præſcriptus, dum & quamprimum Turcorum tranſitum vel Hungariam verſus, vel Poloniam, perſenſerit, tenebitur ſtatim utramque Maieſtatem aviſare, Turcosque per ſuam Terram pro viribus ſuis prohibere, & ipſis nullum auxilium, & conſilium, favoremque dare, nec aliqua victualia præbere, vel miniſtrare.

Item omnes captivi tam dicti Domini Regis Poloniæ, quam STEPHANI Waywodæ Moldaviæ, quomodolibet ab utraque parte uſque in diem hodiernum capti, detentique, & abducti, quicunque ſunt in manibus & poteſtate, tam præfati Domini Regis Poloniæ, quam ipſius Waywodæ Moldaviæ, ſuæque Majeſtatis, & illorum ſubditorum quorumcunque hinc inde liberari, dimitti, & reſtitui debeant, quavis excuſatione cauteloſa ceſſante. Similiter omnes literæ, vel ſponſiones, quibus ſe ipſi captivi ad aliquid obligaſſent, omneſque ſummæ pecuniarum, quibus ſe forte redimere promiſſiſſent, ab eiſdem ab utraque parte debent relaxari. Et ſi forte prædictæ Literæ per quoſcunque retinerentur, & non redderentur, caſſæ, irritæ, & nullius vigoris fore cenſeantur.

Item ex quo STEPHANO Waywodæ Moldaviæ prædicto data eſt Pax perpetua, debebit ipſe STEPHANUS Waywoda ſubditos quoſcunque, & homines ambarum Maieſtatum, & Magni Ducis Litvaniæ in Dominio ſuo pacifice, ſecure & libere, ſine quovis arreſto, & impedimento permittere ſtare, morari, ire, & redire, quocunque ipſis placuerit, eoſque defendere, et tueri ab omnibus, quoties et quamdiu expedierit, ſicuti ipſæ Maieſtates, et praefatus Magnus Dux Litvaniæ hominibus ſuis itidem facient.

Ut autem

ANNO 1498. Ut autem de omnibus præmiſſis ſecurus exiſtat ipſe Dominus Rex Poloniæ, et præfatum STEPHANUM Waywodam Moldaviæ ſervaturum pacem, & Articulos ſupra ſcriptos, Nos Oratores dicti Sereniſſimi Domini Regis Hungariæ vigore Mandati ſuæ Maieſtatis promittimus ſub bona fide, honore, & humanitate noſtris, prædictam Maieſtatem Regis Hungariæ, præſcriptos Articulos ſervaturam in omnibus, & per omnia. Et ſimiliter ipſum Waywodam Moldaviæ ſervaturum omnia, & adminiſtraturum, facturumque de ſe, & ſuis ſubditis omnem iuſtitiam, quoties expedierit. Promittimus inſuper literas Reverſales ſub tenore ſupra ſcripto, nihil addendo, minuendo, mutando, ſub appendenti ſuo Regali Sigillo, quo Rex Hungariae utitur, a praeſenti die, uſque ad ad feſtum Sancti Laurentii proxime venturum hic in Caſtro Cracovienſi ſuae Maieſtati, vel, ea abſente, Capitaneo Cracovienſi praeſentare.

In quorum omnium fidem, et teſtimonium praemiſſorum praeſentes literas noſtrorum appenſione roboratas ſuae Maieſtati duximus dandas, et concedendas. Dat. Cracoviae feria ſexta Feſti Sanctae Margarethae Virginis, et Martyris, Anno Domini 1498.

## XXXIV.

1498 JOANNES ALBERTUS *Poloniæ Rex ratos habet Articulos Fœderis inter ſe, &* VLADISLAUM *Hungariæ &c. Regem, nec non* ALEXANDRUM, *Magnum Ducem Litvaniæ, per Oratores Regis Hungariæ concluſi.* Dat. Cracoviæ 20. Julii Anno 1498. *Ex Archivo Regni. Lib. 9. n. 10. ſub Litt. J fol. 8. & fol. 108. Item Lib. Leg. ſub Litt. C. fol. 137. Item Lib. 32. ſub Litt. H H n. 33. fol. 170.*

JOANNES ALBERTUS Dei Gratia Rex Poloniæ &c. Significamus tenore Præſentium Univerſis, quibus expedit, præſentibus, & futuris Præſentium notitiam habituris: quomodo providens ſolertia, & cura bene gerendarum rerum in Republica, propenſior Hungariæ & Poloniæ Regum animadvertens ſuorum Regnorum illam vicinitatem, coniunctionemque exiſtere, ut alterum alterius adiutum præſidio, in procurandis commodis, propulſandisque incommodis bene adminiſtrari queat, pro ſtabilimento, ſaluteque ipſorum Faedera, Amicitiamque mutuam inibant, Pactis, Inſcriptionibus, Concordiam omnemque Pacis & adversus quoslibet hoſtes defenſionis intelligentiam firmantes, quæ et ſi hucusque non penitus ſublata, violataque fuere, tamen ſub varia tranſactorum temporum conditione, variisque modis ipſa Pacta, & priſtina Fædera prædictorum Regnorum, quaſi intermiſſa videbantur, adeo ut iam in diſſimulationes, iamque in clandeſtina, & nonnunquam aperta odia, resque & ſtatus utrorumque Regnorum cum diſpendio, & iactura Rei Chriſtianæ proceſſerant. Miſeratione tandem Divina afflatum eſt, ut una voluntate, communi labi Chriſtianæ conſuleretur. Idcirco Nos JOANNES ALBERTUS Rex præfatus cum Sereniſſimo Principe Domino VLADISLAO Dei gratia Hungariæ, & Bohemiæ, Croaciæ & Dalmaciæ &c. Rege, Germano Noſtro cariſſimo, ſic inſtincti divinitus, volentes futuræ ruinæ ampliori & imminentis cuiuscunque hoſtilitatis truculentiæ concorditer occurrere, ſtatuimus, Nos quidem JOANNES ALBERTUS Rex perſonaliter, præfatus vero Dominus VLADISLAUS Rex per Reverendum in Chriſto Patrem, Dominum JOANNEM *Witheſz* Decretorum Doctorem, Epiſcopum Veſprunnenſem ac Vienſis Eccleſiae Perpetuum Commendatarium, & Magnificos Viros NICOLAUM *Bamphys* de *Lindwa* ſupremum Magiſtrum Curiæ Regni Hungariæ, ANDREAM *Both* Comitem Comitatus Taladienſis, & EMERICUM CIOBOR de *Czoborzenthinbal* Oratores ſuos cum pleno Mandato ad eiusmodi Tractatus ad Nos per ſuam Fraternam Maieſtatem miſſos, ſuper unione firmanda, innovandisque Fæderibus a quibusvis occaſionibus diſſenſionum ſopiendis, & componendis animis, ordinationem & determinationem firmare, innovare, & perpetuare ad honorem Dei omnipotentis & pro Fidei Catholicæ defenſione, ac Regnorum Noſtrorum augmento, præſidio, & tutela ſub Articulis infraſcriptis. Et quia præfatus Sereniſſimus Dominus Hungariæ Rex ad Nos in primis pro Magnifico STEPHANO Waywoda Moldaviæ in Nos delinquente intercedere dignatus eſt, ideo morem gerere cupientes ſuæ Fraternæ Maieſtati ad eius interceſſionem, & petitionem prædicto STEPHANO Waywodæ, & Provinciæ Moldaviæ damus Pacem perpetuam. Itaque inter Nos, & Illuſtriſſimum Principem Dominum ALEXAN-

ANNO DRUM, Magnum Ducem Ducatus
1498 Litvaniæ, Germanum Noſtrum æque chariſſimum, & ipſum STEPHANUM Woiewodam fiat Pax perpetua. Quem quidem STEPHANUM Woiewodam, in gratiam Noſtram pro exceſſu in Nos per eum noviſſime commiſſo accepimus, & Præſentibus accipimus, ita quod ipſe Voiewoda, & ſui Succeſſores poſſint tute, & ſecure in ipſa Moldavia temporibus futuris ſtare, vivere, & dominari, ſicut prius. Item quod a modo, & deinceps fiat Pax inter Nos, & præfatum Sereniſſimum Dominum Hungariæ Regem Germanum Noſtrum chariſſimum perpetua, ita quod omnis rancor, omnis ſimultas, & odium, omnis denique privata offenſio deponatur, & Nos hinc inde, tanquam Fratres chariſſimi, & Noſtræ Poſteritates in mutua caritate atque intelligentia, & ſempiterno amore vivamus, & ſimiliter inter Regna, & Dominia Noſtra ſit, & habeatur Fædus, Pax, & Tranquillitas perpetua, bonaque vicinitas; ita quod inter Nos Regna & Dominia Noſtra deponatur omnis rancor, omne odium omnisque ſimultas, ſed vigeat amor & omnis charitas, nec ſub velamine eiusmodi Pacis & Concordiæ Noſtræ, detur alicui ſubdito aliqua oppreſſio & offenſio in perſona vel in rebus. Item quod neuter Noſtrum Regum ſine aperta voluntate, & conſenſu Partis alterius aliquam Pacem, & Concordiam cum Turcis facere poſſit, ſed ambo ſimul ſemper illam habeamus, vel non habeamus; & ſi alter Noſtrum altero inſcio Turcos provocaret, aut bellum illis indiceret, in hoc caſu alter alteri non teneatur bellum ſic moventi ſuccurrere, nec ſubvenire. Nam ſicut ambo unius cordis Deo volente affecti ſumus, ita unanimi voluntate & concordi omnia debemus peragere. Item quod uterque Noſtrum Regum una cum præfato Domino Magno Duce Litvaniæ non modo Turcis communes hoſtes erimus, & eſſe debemus, ſed etiam quicunque & qualescunque Nos, & præfatum Magnum Ducem irritaverint, vel provocaverint.

Item, quod ſi aliquando contingerent qualicunque ex cauſa inter ſubditos hinc inde noſtros, aliquæ differentiae, & diſſenſio, per hoc Pax inter Nos, & Dominia noſtra fracta non intelligatur; ſed quam primum per ambas Maieſtates noſtras eligantur probi homines, qui huiuſmodi differentias videant, & ſolum Deum præ oculis habentes, inter Partes iuſtitiam faciant. Item ſubditi mercatores utriuſque noſtrum, & etiam Moldavienſes, & ipſius Domini Ducis Litvaniæ liberi ſint per Dominia hinc inde noſtra ire cum ſuis mercibus, iuxta veterem conſvetudinem, ſolutis tamen tributis, & oneribus conſvetis. Item quia ſunt multa inter Nos Reges tractanda, & pro honore, ac gloria Noſtra concludenda, maxime qualis debeat fieri contra communem hoſtem expeditio: ideo ad unum certum terminum pro tempore captato convenire debemus, & ſuper his, & aliis tractare, & concludere, ſicuti honori, & utilitati noſtræ magis expedire videbitur. Item, quod ſi a Principibus contra communem hoſtem videbuntur petenda ſubſidia, illa per communes Oratores petere debemus, ut omnia inter Nos communiter agi, & tractari videantur. Item quia multæ ſunt occupationes Metarum, & Bonorum inter Regna, & Dominia hinc inde noſtra, nec non querelæ et differentiae inter ſubditos noſtros; ideo praefigere debemus in confinibus aliquem locum, et terminum, ad quem hinc inde mittemus noſtros Oratores, qui omnia revidere, et complanare teneantur, ſicut ante fuit obſervatum. Quantum autem ad modum ſubveniendi attinet, qualiter videlicet, et quo pacto Nobis invicem tempore neceſſario ſubvenire debeamus, ſi Turci in aliquo mediocri numero, puta in decem, vel duodecem millibus ad incurſandum Regnum noſtrum Poloniae, vel aliquas Terras vicinas praedicti Domini Ducis Litvaniæ venirent, quia difficile foret ad unamquamque incurſionem, Sereniſſimum Dominum Regem Hungariae ſupra ſcriptum ſe praeparare, ſeu movere, vel etiam Gentes mittere (nam antequam illae Gentes ſe illic moverent, et intrarent, iam Turci retrocedere poſſent) nihilominus ipſe Sereniſſimus Dominus Rex Hungariae tempeſtive, hoc eſt per duos menſes avizatus, ut citius poterit, et opportunitas depoſcet, debebit ex Tranſylvania mittere gentes Nobis in ſubſidium. Similiter Nos Rex praefatus, tempeſtive, hoc eſt, per duos menſes avizatus, ſi Turci aut contra Tranſylvaniam, aut contra Moldaviam venirent, tenebimur pro maiori poſſe noſtro ſubvenire. Si vero aut Imperator Turcorum per ſe in Perſona veniret, aut etiam Baſſam, cum tanta potentia cauſa occupandi Regnum noſtrum Poloniae, vel Terras Magni Ducatus Litvaniae mitteret, vel aliquod Caſtrum notabile obſideret, ita quod ſub illo immoraretur, et quieſceret, in hoc caſu ipſe Sereniſſimus Dominus Rex Hungariae cum ſuo Univerſo Regno inſurgere, et aut Nobis in ſubſidium proficiſci debet, aut pro-

ANNO 1498

ut

ANNO 1498. ut Nobis commodius, et utilius videbitur. Interim donec Turcus illic occupabitur, ipse Dominus Hungariae Rex cum gentibus suis, alias partes Dominii ipsius Turci aggredietur, et aut aliquem locum obsidebit, aut in tantum urgebit, ut postea Nos, et Terras nostras deserere, et redire cogatur. Si vero aut *Nandorulban* aut aliquod Castrum finitimum obsiderent, aut Caesar in Persona contra Sereniſſimum Dominum Hungariae Regem, et Regnum suum veniret, in tali casu teneamur Nos etiam in Persona cum omnibus nostris, et cum tota potentia eius Maiestati, et Regno suo subvenire, sicut in praecedenti Articulo continetur. Item si Turci non venirent, et Nos uterque pro bono Reipublicae Christianae aliquid contra Turcos agere vellemus, extunc ita se mutuo intelligamus, quod ambo simul, et semel se moveamus, et illuc, quo pro tempore, & conditione necessarium erit, proficiscamur, et omnia unanimi voto, et voluntate agamus. Item STEPHANUS Woiewoda Moldaviae supra scriptus, dum et quam primum Turcorum transitum, vel versus Hungariam, vel Poloniam persenserit, tenebitur statim Nos utrumque Regem avizare, ac praecustodire, Turcosque per suam Terram pro viribus suis prohibere, et ipsis non aliquod auxilium, consilium, et favorem dabit, nec aliqua victualia praebebit, et ministrabit. Item omnes captivi tam nostri, quam STEPHANI Woiewodae praedicti quomodolibet ab utraque Parte usque in diem hodiernum capti, detenti, et abducti, quicunque sunt in manibus, et potestate, tam nostra, quam ipsius Woiewodae Moldaviae, nostrorumque, et ipsius subditorum quorumcunque hinc inde liberari, dimitti, et restitui debeant, quavis excusasatione cautelosa cessante. Similiter omnes Literae, vel Sponsiones, quibus se ad aliquod ipsi captivi obligassent, omnesque summae pecuniarum, quibus se forte redimere promisissent, ab eisdem ab utraque Parte debent relaxari, et si forte praedictae literae per quoscunque retinerentur, et non redderentnr, cassatae, irritae, et nullius prorsus vigoris censeantur. Item ex quo Woiewodae STEPHANO praedicto per Nos data est Pax, debebit ipse STEPHANUS Woiewoda subditos, seu quoscunque homines, tam nostros, quam praefati Sereniſſimi Domini Hungariae Regis, et Magni Ducis Litvaniae in Dominio suo pacifice, secure, et libere sine quovis arresto, et impedimento permittere stare, morari, ire, et redire, quocunque ipsis placuerit, eosque defendere, et tutari ab omnibus, quoties, et quam diu expedierit, sicuti ANNO 1498 Nos etiam et praefati Domini Rex Hungariae, et Magnus Dux Litvaniae hominibus suis, itidem faciemus. Ut autem de omnibus praemiſſis Nos Rex supra scriptus securi existamus, Woiewodam STEPHANUM praefatum servaturum Pacem, et Articulos supra scriptos promiserunt, et obligaverunt se Oratores Sereniſſimi Domini Hungariae Regis vigore Mandati suae Maiestatis fraternae ipsum Woiewodam servaturum omnia supra scripta, et administraturum, facturumque de se, et subditis suis omnem iustitiam, quoties expedierit. Promiserunt etiam praefati Domini Oratores vigore praedicti Mandati Regiam Maiestatem Hungariae supra scriptos Articulos servaturum in omnibus, et per, omnia et facere etiam observari, ac insuper Literas Reversales ab eadem Maiestate Regia eorum expedire sub tenore praedicto, nihil addendo, vel minuendo. Quae omnia, et singula suprascripta Nos JOANNES ALBERTUS Rex in omnibus Punctis, Conditionibus, et Articulis rata et grata habentes in verbo nostro Regio promittimus, et pollicemur firmiter, et illaese observari, teneri, et adimpleri facere sine omni sortilegio, et excusatione cautelosa qualicunque, harum, quibus Sigillum nostrum est sub appensum, Testimonio Literarum. Datum Cracoviae Feria sexta Festi Sanctae Margarethae, Anno Domini Milleſimo, Quadringentesimo, nonagesimo Octavo, Regni nostri sexto. Datum per manus Venerabilis VINCENTII de *Przerąb* Regni nostri Vice-Cancellarii sincere Nobis dilecti.

## XXXV.

*Approbatio, & Confirmatio eiusdem Fœderis per Proceres Regni Poloniæ facta.* Dat. Cracoviæ 21. Julii Anno 1498. *Ex Archivo Regni Lib. sub Litt. H H fol.* 172. 1498

Prælati, & Barones Regni Poloniæ Significamus tenore Præsentium, quibus expedit, Universis, præsentibus, & futuris, Præsentium notitiam habituris. Quod cum Sereniſſimus Princeps, & Dominus, Dominus JOANNES ALBERTUS Dei gratia Poloniæ &c. Rex, Dominus Noster gratioſiſſimus, habita ratione Fraterni, & debiti amoris, & habito respectu commodi, decoris, amplitudinis, & integritatis Regnorum suorum, Universæque Christianitatis, cum

Anno 1498. Sereniſſimo Principe, & Domino, Domino Vladislao Hungariæ, & Bohemiæ Rege &c. Fratre ſuo chariſſimo ad laudem Omnipotentis Dei, decorem & amplitudinem Domus, ac Familiæ ſuæ per medium Oratorum ipſius Sereniſſimi Domini Regis Hungariæ &c. videlicet Reverendiſſimum in Chriſto Patrem Dominum Joannem *Withez* Decretorum Doctorem, Epiſcopum Veſprunnenſem, & Viennenſis Eccleſiae perpetuum Commendatarium, ac Magnificos Dominos Nicolaum Baurohi de *Lindwa* Supremum Magiſtrum Curiæ Regni Hungariæ, Andream Both Comitem Comitatus Zoladienſis, & Emericum Czobor de Czoborzenthayhal inierit tale Fædus, & conſenſum, ut ſibi invicem cum dicto Sereniſſimo Domino Hungariæ Rege &c. mutuo adiutorio eſſe debeant. In primis contra Turcum & deinceps contra quemlibet hoſtem, commodaque, & incommoda Regnorum communia reputare, prout hoc latius deſcribitur in Literis conſignatis Sigillis ipſius Maieſtatis. Nos igitur attendentes, quod ea omnia per Sereniſſimum Dominum Noſtrum facta ſunt cum voluntate Noſtra, & conſilio, deponentes quamlibet, ſi qua hactenus fuit, ſimultatem, extirpantesque & perpetuo abolentes, inter ipſas Maieſtates & Regna eorum omnem diſcordiarum & iniuriarum materiam, & occaſionem, univerſa hæc, quæ in Literis nominatis Sereniſſimi Domini Noſtri Regis conſcripta ſunt, in omnibus Punctis, Conditionibus, & Articulis, rata & grata habentes, acceptamus, approbamus, & ſub fide Chriſtiana, & humanitate Noſtris penes præfatum Sereniſſimum Dominum Noſtrum Regem promittimus inviolabiliter obſervare. Harum, quibus Sigilla Noſtra &c. Datum Cracoviæ Sabbatho in Craſtino Sanctæ Margarethæ. Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Octavo.

## XXXVI.

1498. *Reverſales Literæ* Vladislai *Hungariæ &c. Regis, quibus Fœdus inter ſe, &* Joannem Albertum *Regem Poloniæ, nec non* Alexandrum, *Magnum Ducem Litvaniæ per Oratores ſuos concluſum approbat, & ratificat.* Dat. Budæ 1. Auguſti Anno 1498. *Ex Archivo Regni Lib. ſub Litt: HH. Fol. 171.* Anno 1498.

Nos Vladislaus Dei Gratia Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croaciae etc. Rex, nec non Marchio Moraviae etc. Significamus tenore Praeſentium, quibus expedit Univerſis, tam Praeſentibus, quam futuris, praeſentium notitiam habituris. Quomodo Nos animo revolventes, et altiori mentis intuitu conſiderantes, quanto ſtudio, quantis conatibus Divi Reges Hungariae Praedeceſſores noſtri Regnum hoc inclytum Hungariae nixi ſunt, ſicuti ab hoſtium quorumcunque iniuriis, et vexationibus defendere, ita in bona vicinitate, amicitia, et Pace cum Regibus, et Regnis finitimis, his praeſertim, qui ab eorum iniuria temperaſſent, ſemper permanere, recolentes, et hoc partim ex antiquiſſimis annalium Monumentis, partim ex declaratione Dominorum Praelatorum, et Baronum huius Regni noſtri, Conſiliariorum Noſtrorum fidelium dilectorum intelligentes, olim inter Reges huius Regni noſtri Hungariae, et Reges Poloniae, atque inter haec duo inclyta Regna ſibi invicem finitima, et contermina ad conſervandam Pacem, amicitiamque mutuam, atque vicinitatem optimam certas etiam Inſcriptiones, Pacta, ſeu Faedera firmata extitiſſe, ut per haec alterum alterius adiutum praeſidio, vel provocandis alternatim commodis, vel propulſandis incommodis fortius inſurgere poſſet, quae quidem Inſcriptiones, et Faedera, tametſi ſuccedentibus poſtea variis rerum, temporumque mutationibus non penitus ſublata, violataque fuerint, tamen hominum memoria, utrumque intermiſſa, vel neglecta videbantur, adeo ut vetus horum Regnorum amicitia, et benevolentia, bonaeque vicinitatis obſervantia, iam in diſſimilitudinem animorum, iam in ſimultates, et in aperta interdum odia, non ſine iactura totius Reipublicae Chriſtianae, et horum Regnorum evidenti detrimento proceſſerant, quod Deus ab alto proſpiciens, rebuſque Chriſtianis pia miſeratione ſuccurrens, non ſine manifeſta ſuae Providentiae diſpoſitione factum eſſe voluit, ut duo Germani Fratres, ex vetuſtiſſima Regum, Caeſarumque proſapia iiſdem Parentibus editi, Nos Vladislaus antea Rex Bohemiae, nunc vero Dei favente Gratia Hungariae ſimul, et Bohemiae Rex etc. felicis memoriae Divi Casimiri Poloniae Regis primogenitus, huic inclyto Regno Hungariae: Et praefatus Sereniſſimus Princeps Dominus Joannes Albertus eadem gratia Rex Poloniae

Germanus

ANNO 1498 Germanus Noſter Chariſſimus Regno Poloniæ Patrio, & Avito, uno eodemque tempore felici regimine præeſſemus, ut videlicet quos arctiſſimo Sangvinis fraterni vinculo coniunctos eſſe ipſa Divina miſeratio voluit, Autores etiam reintegrandæ, reformandæque Pacis, & amicitiæ perpetuæ inter hæc duo Regna non ſatis bene paulo antea, ut ſupra dictum eſt, inter ſe concordantia, felici auſpicio tribueret, noſtriſque cœptis, & adoperationibus non ſolum inter Nos mutuæ neceſſitudinis, & benivolentiæ Concordia, verum, & inter hæc duo Regna Pax perpetua, & intelligentia certiſſima, veraque mutuæ vicinitatis benivolentia firmaretur, ut videlicet communi auxilio horum Regnorum, & noſtro invicem concurrente, truculentiſſima rabies Turcorum Chriſtianæ fidei hoſtium, longe lateque in fines Chriſtianos excurrens, & nunc potiſſimum in inclyto Regno Poloniæ debachans, a ſubiectis potiſſimum utriuſque noſtrum Regnis, & Dominiis, & a Chriſtianis cervicibus arceatur, ac per hoc iſta duo Regna mutua Pace, & Concordia ſtabilita, felici quiete, & tranquillitate potiantur. Cum igitur firmandæ, vel potius reformandæ Pacis, & amicitiæ, & optimæ vicinitatis renovandæ gratia, proque innovandis Fæderibus, ac quibusvis diſſenſionum fomitibus ſopiendis, Reverendum in Chriſto Patrem Dominum JOANNEM WITEZ Decretorum Doctorem, Epiſcopum Veſperunnenſem, ac Viennenſis Eccleſiæ perpetuum Commendatarium, & Magnificos Viros NICOLAUM BANFII de *Lindwa* Supremum Magiſtrum Curiæ Noſtræ, nec non Egregios ANDREAM BOFH de *Bayna* Comitem Comitatus Zeladienſis, & GVERICIUM CZOBOR de *Czoborzenthnihal* Oratores noſtros fideles dilectos nuper ad præfatum Sereniſſimum Principem Dominum JOANNEM ALBERTUM Regem Poloniæ, & Conſilio praefatorum Dominorum Praelatorum, & Baronum huius Regni Conſiliariorum noſtrorum, cum pleno Mandato miſiſſemus, iidem Oratores noſtri ad Nos reverſi Pacem ipſam concluſiſſe, Faedera etiam, & Inſcriptiones amicitiae perpetuae innovaſſe ad laudem, & gloriam Dei Omnipotentis pro totius fidei Chriſtianae defenſione, proque Regnorum Noſtrorum incremento, praeſidio, et tutela retulerunt, prout et Literas Inſcriptionis praefatae fraternae amicitiæ ad Nos ſuper inde reportatas Nobis praeſentaverunt, infraſcriptos Articulos in ſe continentes. Inprimis quod Sereniſſimus Frater Noſter Dominus Rex Poloniae, intervenientibus Nobis, Spectabili, & Magnifico STEPHANO Woiewodae, et eius Terrae Moldaviae Pacem perpetuam reliquit, omneſque differentias, offenſas, et damna, contra Maieſtatem ſuam his praeteritis temporibus per ipſum Woiewodam illata, intuitu noſtro condonavit, ita ut inter ipſum Dominum Regem Poloniae, et Illuſtrem Principem Dominum ALEXANDRUM Magnum Ducem Litvaniae, ſimiliter Germanum noſtrum Chariſſimum, fiat et teneatur Pax perpetua, ut videlicet a modo, in antea tam ipſe Woiewoda, quam ſui Haeredes, et Poſteri, tute et ſecure in Terra Moldaviae temporibus futuris ſtare, vivere, et dominari valeant, ab omni impedimento fraternae Maieſtatis, et ipſius Ducis vel Succeſſorum eorundem, ac ſuorum ſubditorum ſemper ſalvi. ANNO 1498

Item quod amodo, et deinceps fiat Pax perpetua inter Nos et praefatum Sereniſſimum Dominum Regem Poloniae, Germanum Noſtrum Chariſſimum, ita ut omnis rancor, omnis ſimultas, et odium, omniſque tam publica, quam privata animorum diſſenſio, vel qualiſcunque offenſa inter Nos deponatur, et Nos hinc inde tanquam Fratres Chariſſimi, & noſtrae Poſteritates, et Succeſſores Reges utriuſque Regni, in mutua Charitate, et intelligentia, et ſempiterno amore vivamus, et ſimiliter inter Regna et Dominia noſtra ſit, et habeatur Faedus, Pax, et Tranquillitas perpetua, bonaque vicinitas, ita ut ſicut inter Nos, ita et inter Regna, et Dominia noſtra deponatur omnis rancor, ſimultas, et odium, et vigeat omnis amor, et charitas, nec ſub velamine huiuſmodi Pacis, et Concordiae noſtrae detur alicui ſubditorum noſtrorum vel a Nobis vel ab altero noſtrum aliqua oppreſſio, vel offenſio in perſona, et rebus.

Item quod neuter noſtrum Regum ſine aperta voluntate, et conſenſu Partis alterius aliquam Pacem, et Concordiam cum Turcis facere debeat, ſed ambo ſimul illam ſemper habeamus, vel non habeamus, et ſi alter Noſtrum altero inſcio Turcos provocaret, aut bellum illis abſque notabili cauſa indiceret, in hoc caſu alter alteri bellum ſic moventi, vel indicenti ſuccurrere non teneatur; quoniam ſicut ambo unius cordis Deo volente effecti ſumus, ita unanimi, et concordi voluntate debemus omnia peragere.

Item quod uterque Noſtrum Regum, una cum praefato Magno Duce Litvaniæ, Turcis Nomini Chriſtiano et Fidei Noſtrae hoſtibus communes hoſtes erimus, et eſſe debebimus. Et etiam ſi qui ho-

Anno 1498 ſtes alii Nos, vel Dominum Regem Poloniae ſive Magnum Ducem Litvaniae irritaverint ſive provocaverint, pro poſſe Noſtro bona fide alter alteri invicem auxiliabimur. Ita tamen, ut in remotos, et a Nobis longe poſitos hoſtes, copias Noſtras, et ſubſidia mittere non teneamur.

Item quodſi aliquando contingeret qualicunque ex cauſa inter ſubditos hinc inde Noſtros aliquam diſcordiam vel diſſenſionem, vel litis, et controverſiae materiam ſuboriri, per hoc Pax perpetua inter Nos, et Dominia Noſtra fracta non intelligatur, ſed quam primum per ambas Maieſtates Noſtras eligantur probi homines, qui huiuſmodi differentias videant, et ſolum Deum prae oculis habentes, inter Partes iuſtitiam faciant.

Item ut ſubditi Mercatores utriuſque Noſtrum, et etiam Moldavienſes, et ipſius Domini Ducis Litvaniae liberi ſint per Dominia utrinque Noſtra ire cum ſuis mercibus, iuxta veterem conſvetudinem, ſolutis tamen tributis, et oneribus conſvetis.

Item quia ſunt multa inter Nos Reges tractanda, et pro honore, et gloria Noſtra concludenda, maxime qualis debeat fieri contra communem hoſtem expeditio; ideo ad unum certum terminum captato tempore congruo convenire debemus, et ſuper his, et aliis tractare, et concludere, ſicuti honori, et utilitati utriuſque Noſtrum magis videbitur expedire.

Item ſi a Principibus Catholicis contra communem hoſtem videbuntur petenda ſubſidia, illa per communes Oratores petere debemus, ut omnia inter Nos unanimi voluntate agi, et tractari videantur.

Item quia multae fuerunt occupationes Metarum, et Bonorum inter Regna, et Dominia hinc inde Noſtra, nec non querelae et differentiae inter Subditos Noſtros, ideo praefigere debemus in confinibus aliquem locum, et terminum, ad quem hinc inde mittemus Noſtros Oratores, qui omnia revidere, et complanare teneantur, ſicuti alias fuit obſervatum.

Quantum autem ad modum ſubveniendi attinet, qualiter videlicet, & quo pacto Nobis invicem tempore neceſſario ſuccurrere debeamus, ſi Turci in aliquo numero mediocri puta in decem vel duodecem millibus ad incurſandum Regnum Poloniæ, vel aliquas Terras vicinas prædicti Domini Ducis Litvaniæ venirent; quia difficile foret ad unamquamque incurſionem Nos in tam remota Terrarum diſtantia præparare, ſeu movere, vel etiam Gentes mittere (nam antequam Gentes illuc pervenirent, Turci interim retrocedere poſſent, & Gentes etiam tanto locorum, & viarum intervallo fatigatæ, etiamſi pervenire poſſent, inutiles eſſent ad pugnandum) Nos antea debito tempore, hoc eſt, ad minus per duos menſes de hoc certitudinaliter aviſati, quo citius poterimus, & opportunitas Nobis aderit, debebimus ex Tranſylvania mittere Gentes præfato Sereniſſimo Domino Regi Poloniæ in ſubſidium, ſimiliter ipſe Dominus Rex Poloniæ tempeſtive, hoc eſt, per duos antea Menſes per Nos aviſatus, ſi Turci, aut in Tranſylvaniam, aut contra Moldaviam, ſive contra partes Tranſalpinas venirent, tenebitur pro maiori poſſe ſuo ſubvenire, & mittere Gentes in auxilium Noſtrum. Si vero aut Imperator Turcorum per ſe in perſona veniret, aut etiam Baſſam cum tanta potentia, cauſa occupandi Regnum Poloniæ, vel Terras Magni Ducatus Litvaniæ mitteret, vel aliquod Caſtrum notabile obſideret, ita quod ſub illo moraretur, & pauſaret, in hoc caſu Nos cum Univerſo Regno Noſtro inſurgemus, & prout Nobis, & Dominis Conſiliariis Noſtris commodius, & utilius videbitur, interea temporis, dum Turcus illic occupabitur, cum Gentibus noſtris alias Partes Dominii ipſius Turci hoſtiliter aggrediemur, aut aliquem locum obſidebimus, & in tantum urgebimus, ut ipſe Turcus Regnum Poloniæ, & Terras fraternæ Maieſtati ſubiectas, deſerere, & ad ſua tutanda redire compellatur. Si vero hoc ſervato Ordine, Turci potentiam contra Nos & contra Regnum Noſtrum converterent, ita ut ipſe Turcus derelicta impugnatione fraternæ Maieſtatis, vel Terrarum ſibi ſubiectarum Nos ſubinde invaderet, ipſe quoque Dominus Rex Poloniæ ſimul cum Magno Duce Litvaniæ ſimiliter Nobis ſuccurrere cum omni ſua potentia teneatur. Si vero aut *Nandoralbam*, aut aliquod Caſtrum finitimum Turci Nobis obſiderent, ac Cæſar in perſona contra Nos & Regnum Noſtrum veniret, in tali caſu teneatur præfatus Dominus Rex Poloniæ etiam in perſona cum omnibus viribus ſuis, & cum tota Regni ſui potentia Nobis, & Regno Noſtro remota omni excuſatione ſubvenire, ſicut in prædicto Articulo continetur. Quod ſi Turci non venirent, ſed Nos uterque pro bono Reipublicæ Chriſtianæ aliquid contra Turcos agere vellemus, ex tunc ita Nos mutuo intelligamus, quod ambo ſimiliter & ſimul Nos ad arma contra Turcos moveamus,

Anno 1498

Anno 1498 moveamus, & illuc, quod pro temporis conditione magis neceſſarium videbitur, proficiſcamur, & omnia unanimi voluntate, & parili Conſilio agamus, & perficiamus.

Item Stephanus Woiewoda Moldaviae ſupradictus, quotiescunque Turcorum tranſitum vel Hungariam, vel Poloniam verſus præſenſerit, tenebitur ſtatim utrumque Noſtrum, tam Nos Regem Hungariæ, quam Dominum Regem Poloniæ fideliter de hoc aviſare, et præcuſtodire, Turcorumque tranſitum per Terras ſuas pro viribus ſuis bona fide prohibere, nec dabit ipſis aliquod Conſilium, auxilium vel favorem, nec aliqua Turcorum Exercitui victualia in ſuis Terris præbebit, vel miniſtrabit.

Item omnes captivi tam Domini Regis Poloniæ, quam Stephani Woiewodæ prædicti quomodolibet ab utraque parte uſque in diem hodiernum capti, detenti, & abducti, quicunque ſunt in manibus, & poteſtate tam præfati Domini Regis Poloniæ, quam ipſius Woiewodæ *Moldaviæ*, vel ſuorum utrinque ſubditorum quorumcunque, hinc inde liberari, dimitti, & reſtitui debeant quavis excuſatione ceſſante. Similiter omnes Literæ, & Sponſiones, quibus ſe ad aliquid ipſi captivi obligaſſent, omnesque ſummæ pecuniarum, quibus ſe fortaſſis redimere promiſiſſent, ab eisdem ex utraque parte debeant relaxari. Quodſi forte retinerentur, & non reddentur, caſſæ, irritæ, & nullius prorſus vigoris vel momenti de cætero eſſe cenſeantur.

Item etiam quod Stephano Woiewodæ *Moldaviæ* a præfato Domino Rege Poloniæ data eſt Pax perpetua, debebit ipſe Stephanus Woiewoda Subditos quoscunque, & homines pacifice ambulantes tam Noſtros quam Sereniſſimi Domini Regis, & Magni Ducis Litvaniæ in Dominio ſuo libere, quiete, pacifice, & ſine quovis areſto, ſeu impedimento permittere ſtare, morari, ire, & redire, quocunque ipſis placuerit, eosque defendere, & tutari ab omnibus, quoties, & quamdiu expedierit, ſic Nos etiam, & præfatus Dominus Rex Poloniæ, & Magnus Dux Litvaniæ hominibus ſuis hoc idem faciemus.

Ut autem de omnibus præmiſſis idem Dominus Rex Poloniæ ſecurus exiſtat, ſicuti & in quantum Noſtri Oratores ſupradicti, vigore Mandati eis dati, iuxta informationem per Nos, & Dominos Conſiliarios Noſtros ſupra nominatos, eisdem Oratoribus aſſignatam promiſerunt, ita ut Nos promittimus ipſum Woiewodam ſervaturum omnia ſupraſcripta, & adminiſtraturum, facturumque de ſe Subditis ſuis omnem iuſtitiam, quoties expedierit. In cuius etiam rei teſtimonium, firmitatemque, & robur perpetuum præſentes Literas Noſtras Reverſales, Sigillo Noſtro ſecreto, quo ut Rex Hungariæ utimur impendenti communitas, prout iuſtum & condecens fraternæ charitati, & mutuæ benevolentiæ viſum eſt, duximus præfatæ fraternæ Maieſtati remittendas. Promittentes in verbo Noſtro Regio hæc omnia, & ſingula ſupraſcripta, in omnibus Punctis, Conditionibus, & Articulis rata, & grata habere, & firmiter, & illæſe per omnia obſervare, & adimplere, obſervarique, & teneri, ac adimpleri facere omni prorſus ſubterfugio, & excuſatione procul motis. Datum Budæ in Feſto Beati Petri Apoſtoli ad Vincula. Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Octavo. Regnorum Noſtrorum Hungariæ &c. Anno Nono, Bohemiæ vero vigeſimo Nono. Anno 1498

## XXXVII.

Vladislai *Hungariæ, & Bohemiæ Regis Mandatum Oratoribus ſuis ad* Joannem Albertum *Regem Poloniæ Fratrem, pro reſtauranda Pace perpetua miſſis datum* Budæ 8. Decemb: Anno 1498. *Ex Originali.* 1498.

Nos Vladislaus Dei gratia Rex Hungariæ, & Bohemiæ &c. Recognoſcimus, & tenore Præſentium notum facimus quibus expedit Univerſis. Quod Nos cupientes cum Sereniſſimo Principe Domino Joanne Alberto Poloniæ Rege &c. Germano Noſtro Chariſſimo Pacem, & Concordiam ad commodum, & utilitatem utriusque Noſtrum Regnorumque, ac Dominiorum, & Subditorum Noſtrorum, totiusque Chriſtianitatis inire, vel potius reintegrare, & firmare, atque cum Maieſtate ſua ad fraternam Unionem, Concordiamque & mutuam intelligentiam pro utriusque Noſtrum ſtatus conſervatione, & ſtabilimento devenire; confiſi igitur de fide, fidelitate, prudentiaque, & rerum gerendarum experientia fidelium Noſtrorum Reverendi in Chriſto Patris Domini Dominici Epiſcopi Eccleſiæ Varadienſis, ac Generoſi, & Egregii Balthasaris de *Bathian*, alias Bani & Capitanei Caſtrorum Regni Noſtri Boſnæ, Oratorum, & Conſiliariorum Noſtrorum

Anno 1498 ſtrorum, eosdem ad Maieſtatem ſuam miſimus, dantes & concedentes ipſis plenum Mandatum, plenamque, & omnimodam Authoritatem, & Facultatem Noſtram, cum eodem Domino Rege Poloniæ Fratre Noſtro, pro rebus huiusmodi Pacis, & Concordiæ inter Noſtras Maieſtates, & hæc duo Regna videlicet Hungariæ & Poloniæ partesque eisdem ſubiectas, in Perſona Noſtra conveniendi, tractandi, diſponendi, Pacta, Fædera, & Promiſſiones faciendi, concludendi, & firmandi, nec non omnia & ſingula faciendi, agendi, & exequendi, quæ ad huiusmodi Pacem, & mutuam intelligentiam neceſſaria videbuntur, quaeque Nos ipſi facere poſſemus, ſi perſonaliter intereſſemus, etiamſi talia forent, quæ Mandatum exigerent magis ſpeciale, quam Præſentibus eſt expreſſum, promittentes in verbo Noſtro Regio, quidquid per dictos Oratores, & Conſiliarios Noſtros cum præfato Sereniſſimo Domino Rege Germano Noſtro in facto eiusmodi Pacis, & Concordiæ, mutuæque intelligentiæ iuxta datam per Nos eisdem Inſtructionem actum, factum, tractatum, ordinatum, diſpoſitum, promiſſum, firmatum, & concluſum fuerit, ratum, gratum, & firmum habere, ac inviolabiliter, & inconcuſſe obſervare, & facere etiam obſervari. Harum Noſtrarum, quibus ſecretum Sigillum, quo ut Rex Hungariæ utimur eſt appenſum, vigore & teſtimonio Literarum mediante. Datum Budæ in Feſto Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ. Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Octavo. Regnorum Noſtrorum Hungariæ &c. Anno Nono, Bohemiæ vero Vigeſimo Octavo.

## XXXVIII.

1499. *Inſtauratio, et Declaratio Fœderis perpetui inter* Joannem Albertum *Poloniæ, &* Vladislaum *Hungariæ, et Bohemiæ Reges, & Fratres, ac Regna eorum, & Magnum Ducatum Litvaniæ concluſi.* Stephanus *Woiewoda Moldaviæ utrique Regi contra Turcos bellum moventi, cum omni potentia ſua præſto adſit, vel ſi ipſe ægritudine impeditus fuerit, filium ſuum mittat. Neuter paciſcentium ſine altero, Sultano Turcarum bellum denuntiet, aut pacem cum eo faciat, contra quem ſi cum potenti exercitu adverſus alterutrum veniret, aut Baſſam aliquem mitteret, uterque Regum cum omnibus viribus ſuis in Perſona ſua alter alteri ſubſidia ferat.* Datum Cracoviæ 14. Aprilis Anno 1499. *Ex Arch: Regni Lib. 9. ſub Lit. J. n. 10. fol. 139. Item Lib. ſub Lit HH. fol. 187.* Anno 1499.

Nos Joannes Albertus DEI gratia Rex Poloniae, Supremus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiaeque etc. Dominus, & Haeres, Significamus tenore Praeſentium Univerſis, quibus expedit, tam praeſentibus quam futuris, Praeſentium notitiam habituris. Quomodo animo revolventes, et altiori mentis intuitu conſiderantes, quanto ſtudio, quantis conatibus Divi Reges Poloniae Praedeceſſores Noſtri Regnum hoc inclytum Poloniae nixi ſint, ſicuti ab hoſtium quorumcunque iniuriis et vexationibus defendere, ita in bona vicinitate, amicitia, et Pace cum Regibus, et Regnis finitimis his praeſertim, qui ab eorum iniuria temperaſſent, ſemper permanere: recolentes et hoc partim ex antiquiſſimis annalium Monumentis, partim ex declaratione Dominorum Praelatorum, et Baronum huius Regni Noſtri Conſiliariorum Noſtrorum fidelium dilectorum intelligentes, olim inter Reges huius Regni Noſtri Poloniae, et Reges Hungariae, atque inter haec duo inclyta Regna, ſibi invicem finitima, et contermina ad conſervandam Pacem, amicitiamque mutuam, ac vicinitatem optimam, certas etiam Inſcriptiones, Pacta, ſeu Faedera firmitata extitiſſe, ut per haec alterum alterius adiutum praeſidio, vel provocandis alternatim commodis, vel propulſandis incommodis fortius inſurgere poſſet. Quae quidem Inſcriptiones, et Faedera tametſi ſuccedentibus poſtea variis rerum temporumque mutationibus non penitus ſublata, violataque fuerint, tamen hominum iniuria utrinque intermiſſa, vel neglecta videbantur, adeo ut vetus horum Regnorum amicitia, et benivolentia, bonaeque vicinitatis obſervantia, iam in diſſimilitudinem animorum, iam in ſimultates, et in aperta interdum odia non ſine iactura totius Reipublicae Chriſtianae, et horum Regnorum evidenti detrimento proceſſerant, quod Deus ab alto proſpiciens non ſine manifeſta ſuae Providentiae diſpoſitione factum eſſe voluit, ut duo germani Fratres, ex vetuſtiſſima Regum,

ANNO 1499. gum, Caesarumque prosapia iisdem Parentibus editi, Nos ALBERTUS Rex Poloniae Patrio, et Avito, et Sereniſſimus Princeps Dominus VLADISLAUS DEI Gratia Germanus Noſter Cariſſimus antea Regno Bohemiae, nunc vero Dei favente clementia Hungariae, ſimul et Bohemiae, uno eodemque tempore felici regimine praeeſſemus, ut videlicet quos arctiſſimo ſangvinis fraterni vinculo coniunctos eſſe ipſa Divina Miſeratio voluit, Authores etiam reintegrandae, reformandaeque Pacis, et amicitiae perpetuae inter haec duo Regna non ſatis bene paulo antea, ut ſupra dictum eſt, inter ſe concordantia felici auſpicio tribueret, Noſtriſque cœptis, et adoperationibus non ſolum inter Nos mutuae neceſſitudinis, et benivolentiae concordia, verum et inter haec duo Regna Pax perpetua, et intelligentia certiſſima, veraque mutua vicinitatis benivolentia firmaretur, ut videlicet communi auxilio horum Regnorum, et Noſtro invicem concurrente truculentiſſima rabies Turcorum Chriſtianae Fidei hoſtium longe lateque in fines Chriſtianos excurrens a ſubiectis potiſſimum utriuſque Noſtrum Regnis, et Dominiis, ac a Chriſtianis cervicibus arceatur, ac per hoc iſta duo Regna mutua Pace, et Concordia ſtabilita felici quiete, et tranquillitate potiantur. Cum igitur firmandae, vel potius reformandae Pacis, et amicitiae, ac optimae vicinitatis renovandae gratia, proque innovandis Faederibus, ac quibuſvis diſſenſionum fomitibus ſopiendis, praefatus Sereniſſimus Dominus VLADISLAUS Hungariae, et Bohemiae Rex, Reverendum in Chriſto Patrem Dominum Dominum Epiſcopum Eccleſiae Varadienſis, Generoſumque, et Egregium BALTHAZARUM de BATHIAN, alias Banum, et Capitaneum Caſtrorum Regni Boſnae, nec non Venerabilem NICOLAUM de BARHKA Praepoſitum Sancti Petri in Caſtro Agrienſi, Oratores ſuos nuper ad Nos de Conſilio Dominorum Praelatorum, et Baronum, Regni ſui Hungariae Conſiliariorum, cum pleno Mandato miſiſſet; iidem Oratores fraternae Maieſtatis ad laudem, et gloriam Dei omnipotentis pro totius Fidei Chriſtianae defenſione, proque Regnorum huiuſmodi Noſtrorum incremento, praeſidio, et tutela, Pacem vetuſto obſervatam, Faedera etiam, et Inſcriptiones amicitiae perpetuae innovantes, ad Articulos infraſcriptos Nobiſcum devenerunt, quorum tenor de verbo ad verbum ſequitur, et eſt talis.

Inprimis quod Nos JOANNES ALBERTUS Rex praefatus interveniente ipſo Sereniſſimo Domino, Domino Hungariae Rege, Fratre Noſtro cariſſimo, Magnifico STPHANO Waywodae, et Terrae Moldaviae Pacem relinquimus perpetuam, omneſque differentias, offenſas, et dampna contra Nos his praeteritis temporibus per ipſum Waywodam qualitercunque illata, intuitu eiuſdem Domini Hungariae Regis Fratris Noſtri ipſi STEPHANO Waywodae condonavimus, ita, ut inter Nos Regem Poloniae, et Illuſtriſſimum Principem Dominum ALEXANDRUM Magnum Ducem Litvaniae, ſimiliter Germanum Noſtrum Chariſſimum, ac ipſum Waywodam Moldaviae, et Succeſſores eorum fiat, et teneatur Pax, et condonatio perpetua, ut videlicet a modo, in antea tam ipſe Waywoda, quam ſui haeredes, et Poſteri tute, et ſecure in Terra Moldaviae temporibus futuris, ſtare, morari, vivere, et durare valeant, ab omni prorſus impedimento, occaſione dictorum damnorum, et quarumcunque offenſionum Noſtrarum, et ipſius Domini Magni Ducis Litvaniae, vel Succeſſorum, et ſubditorum Noſtrorum ſemper ſalvi. Eveniente vero caſu quandocunqne Nos et ipſum Fratrem Noſtrum Dominum Regem Hungariae pari, et concordi voluntate, expeditionem ſive apparatum contra Turcos facere continget, prout Deo auxiliante facere intendimus, eo caſu debebit, et tenebitur, etiam ipſe Waywoda Moldaviae cum omni potentia omnibuſque ſuis, et Provinciae Moldaviae viribus concurrere, et ad eam expeditionem perſonaliter, niſi gravi aegritudine detineatur, penes Maieſtates Noſtras venire, Nobiſque fideliter aſſiſtere, et hoc uſque ad finem huiuſmodi expeditionis, et belli conſtanter perſeverare. Caſu vero quo gravi aegritudine occupatus venire in perſona non poſſet, Filium ſuum BOGDAN vel alium, quem ipſe Waywoda maluerit, ſimul cum omni potentia ſua omnibuſque ſuis, et totius Moldaviae viribus perſonaliter mittere tenebitur, et ad hoc omnes eiuſdem STEPHANI Waywodae Haeredes, et Succeſſores Waywodae obligati eſſe debebunt, et exnunc obligati ſint et habeantur. Amicis vero Noſtris idem ipſe Waywoda amicus, et inimicis inimicus erit, Noſtris interim Regnorum hinc inde Noſtrorum Juribus, Privilegiis, et Faederibus, cum ipſo Waywoda habitis, ſemper ſalvis. Item STEPHANUS Waywoda Moldaviae ſupraſcriptus, dum, et quamprimum Turcorum tranſitum, vel verſus Poloniam, vel Hungariam perſenſerit, ſtatim Nos utrumque Regem avizare, et praecuſtodire, Turcoſque per ſuam Terram pro

ANNO 1499.

ANNO 1499. posse suo, et quantum in eo erit, prohibere curet, et ipsis non aliquod auxilium, Consilium, et favorem dabit, nec aliqua victualia praebebit, et ministrabit.

Item quod a modo, et deinceps inter Nos et praefatos Dominum VLADISLAUM Hungariae Regem, nec non Dominum ALEXANDRUM Magnum Ducem Litvaniae Pax eadem fiat perpetua ita quod omnis rancor, omnis simultas, et odium, omnis denique tam publica, quam privata animorum dissensio vel qualiscunque offensa deponatur. Et Nos hincinde tanquam Fratres Charissimi, et Nostrae Posteritates in mutua caritate, atque intelligentia, et sempiterno amore uniamus. Et similiter inter Regna, & Dominia Nostra videlicet Hungariae, et Poloniae ac Magni Ducatus Litvaniae sit, et habeatur Faedus, Pax, et tranquillitas perpetua, bonaque, et perfecta vicinitas, ita quod sicuti inter Nos, ita et Regna, et Dominia Nostra deponatur omnis rancor, omnis simultas, sed vigeat amor, et omnis caritas, nec sub velamine eiuscemodi Pacis, et Concordiae Nostrae detur alicui subdito aliqua oppressio, et offensio in persona. Item quod Neuter Nostrorum Regum sine aperta voluntate, et consensu Partis alterius aliquam Pacem, et Concordiam cum Turcis facere debeat, sed omnes simul illam semper habeamus, vel non habeamus. Et si alter Nostrorum altero inscio Turcos provocaret, aut bellum illis absque rationabili causa indiceret, in hoc casu alter alteri bellum moventi, et indicenti succurrere non teneatur. Quoniam sicut ambo unius cordis Deo volente effecti sumus, ita unanimi, et concordi voluntate debemus omnia peragere. Item quod uterq; Nostrorum Regum una cum praefato Illustrissimo Domino Magno Duce Litvaniae Turcis, Christi et Fidei Nostrae hostibus communes hostes erimus, esse debemus; contra vero alios hostes, si qui forte aut Nos, aut Serenissimum Dominum Hungariae Regem, vel Illustrissimum Dominum Magnum Ducem Litvaniae praefatos provocaverint, vel irritaverint, æqualiter hostes esse debebimus. Quibus vero Conditionibus, Nos Rex Poloniae in Conventione praesenti Cracovienſi cum Nostris Consiliariis, ipse vero Serenissimus Dominus Hungariae Rex in Conventione Budae, vel Lesoth pro Festo S GEORGII proximo similiter cum suis Consiliariis, et Regnicolis habenda deliberabimus, et quicquid in huiusmodi Dietis, seu Conventionibus utriusque Partis per Dominos Consiliarios, atque Regnicolas deliberatum fuerit, in hac parte utraque Pars, altera sci- ANNO licet alteram avizare debebit. Quae qui- 1499. dem Partes tandem inter se quid facto opus sit, et quid rebus suis magis expediat, concludere inter se debeant. Item si aliquando contigerit qualicunque ex causa inter subditos hincinde Nostros aliquam iram, vel dissensionem vel litis, & controversiæ aliquid suboriri, per hoc Pax perpetua inter Nos, & Dominia Nostra fracta non intelligatur, sed quam primum per ambas Maiestates eligantur probi homines, qui huiusmodi iras videant, & solum Deum præ oculis habeant, et inter Partes iustitiam facere debeant. Item ut subditi Mercatores utriusque Nostrorum, & etiam Moldavienses, & ipsius Domini Magni Ducis Litvaniæ liberi sint per Dominia Nostra ire cum suis mercibus iuxta veterem consvetudinem, solutis tamen tributis, & oneribus consvetis. Item quia sunt inter Nos Reges tractanda, & pro honore, & gloria Nostra concludenda, maxime qualiter fieri debebit contra communem hostem expeditio, ideo ad unum certum terminum captato termino congruo convenire debeamus, & super his & aliis tractare, & concludere sicuti honori, & utilitati utriusque nostrorum magis videbitur expedire. Item quia multæ sunt occupationes Metarum & Bonorum inter Regna, & Dominia hinc inde nostra, nec non querelæ, & iræ inter subditos nostros, ideo præfigere debemus in confinibus aliquem locum, & terminum ad quem hincinde mittemus nostros Oratores, qui omnia revidere, & complanare teneantur, sicuti alias fuit observatum. Item si a Principibus Catholicis contra communem hostem videbuntur petenda Nobis subsidia, illa per Communes Oratores petere debemus, ut omnia inter Nos unanimi voluntate agi, & tractari videantur. Quantum vero ad modum subveniendi attinet, quomodo videlicet, & quo pacto Nobis in unum tempore necessitatis succurrere debeamus: Si Turci in aliquo numero mediocri, puta in decem, vel in duodecem millibus ad incursandum Regnum Hungariæ, vel in Transylvaniam, vel Moldaviam venirent, quia difficile foret ad unamquamque incursationem, Nos in tam remota Terrarum distantia præparare, movere, vel etiam Gentes mittere, & in tanto locorum, vel viarum intervallo eas fatigare (nam antequam pervenire possent, inutiles essent ad pugnandum) Nos & antea debito tempore, id est, ad minus per duos Menses de hoc certitudinaliter avisati, quoties poterimus, & necessitas exposcet, debeamus,

ANNO 1499. beamus mittere Gentes pro maiori posse nostro praefato Sereniſſimo Domino Hungariae Regi in ſubſidium. Similiter ipſe Sereniſſimus Dominus Hungariae Rex tempeſtive, hoc eſt, ad minus duos Menſes antea per Nos aviſatus, ſi Turci ad incurſandum Regnum noſtrum Poloniae, aut Terras vicinas praefati Domini Magni Ducis Litvaniae venirent, tenebitur citius, quo poterit, & neceſſitas expoſcet, pro maiori poſſe ſuo Gentes mittere in auxilium noſtrum. Si vero aut Imperator Turcorum per ſe propria in Perſona veniret, aut etiam Baſſam aliquem cum potentia cauſa occupandi Regnum Hungariae, vel Terras Tranſylvaniae, aut Moldaviae mitteret, aut Nandoralbam, vel aliquod Caſtrum finitimum notabile obſideret, ita quod ſub illo moraretur, & pauſaret, in hoc caſu, Nos cum praefato Illuſtriſſimo Domino Magno Duce Litvaniae, cum Univerſo Regno noſtro Poloniae, & Univerſa ipſius Illuſtriſſimi Domini Magni Ducis Litvaniae potentia, ſemota omni excuſatione inſurgentes, in auxilium praefato Sereniſſimo Domino Hungariae Regi veniemus, aut ſuae fraternae Maieſtati, et Conſiliariis ſuis commodius, & utilius videbitur. Interea temporis dum ipſe Turcus illic occupabitur, cum Gentibus noſtris alias Partes Dominiorum ipſius Turci hoſtiliter aggrediemur, aut aliquem locum obſidebimus, & in tantum urgebimus, ut ipſe Turcus Regnum ſuae Fraternae Maieſtatis deſerere, & ad ſua tutanda redire compellatur. Similiter etiam ſi Imperator Turcorum per ſe propria in Perſona veniret, aut etiam Baſſam aliquem cum potentia cauſa occupandi Regnum noſtrum Poloniae, vel Terras vicinas Litvaniae, prout ſupraſcriptum eſt, mitteret, vel aliquod Caſtrum finitimum obſideret, ita quod ſub illo moraretur, & pauſaret, in hoc caſu praefatus Sereniſſimus Dominus Hungariae Rex, cum Univerſo Regno ſuo Hungariae, totaque potentia & viribus ſuis, ſemota omni excuſatione inſurgendo, in auxilium noſtrum venire debebit, prout Nobis, & Dominis Conſiliariis noſtris commodius, & utilius videbitur. Interea temporis dum videlicet Turcus, illic occupabiur, cum Gentibus ſuis alias Partes Dominiorum ipſius Turci hoſtiliter aggrediatur, aut aliquem locum obſideat, & in tantum urgeat, ut ipſe Turcus, Regnum noſtrum & Dominia noſtra deſerere, & ad ſua tutanda redire compellatur. Item ſi contingeret contra Tranſalpinum Woiewodam Turcum inſurgere, ex tunc Nos cum praefato Sereniſſimo Domino Hungariae Rege, Illuſtriſſimo Principe Domino Magno Duce Litvaniae Woiewodae praefato ſubvenire debebimus, modis, & conditionibus inter Nos de huiusmodi auxilio ſibi ferendo poſt hac inveniendis. Quod ſi Turci non venirent, ſed Nos uterque pro bono Reipublicae Chriſtianae aliquid contra Turcos agere vellemus, ex tunc ita Nos mutuo intelligamus, quod ambo ſimiliter & ſimul Nos ad arma moveamus contra Turcos, & illuc, ut pro temporis conditione magis neceſſarium videbitur, proficiſcamur, & omnia unanimi voluntate, & pari conſilio agamus, & perficiamus. Quae omnia, & ſingula ſupraſcripta Nos JOANNES ALBERTUS Rex ſupraſcriptus in omnibus Punctis Conditionibus, & Articulis rata, & grata habentes in Verbo noſtro Regio promittimus, & pollicemur, firmiter, & illaeſe obſervare, tenere, & adimplere, obſervarique, teneri, & adimpleri facere ſine omni ſortilegio, & excuſatione cauteloſa qualicunque. Harum quibus Sigillum noſtrum eſt ſubappenſum, teſtimonio Literarum. Dat. Cracoviae feria ſecunda in Craſtino Feſti Sanctorum Tiburtii, & Valeriani Martyrum. Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Nono. Regni vero noſtri Anno Septimo. ANNO 1499.

XXXIX.

*Exemplar eiuſdem Fœderis ex Parte Oratorum Regis Hungariae.* Datum Cracoviae Feria tertia *proxima poſt Feſtum Beatorum* TIBURTII & VALERIANI *Martyrum.* Anno 1499. *Ex Originali Sig. 3.* 1499.

NOS DOMINICUS Dei, et Apoſtolicae ſedis gratia Epiſcopus Eccleſiae Varadienſis, ac BALTHASAR de BATHIAN alias Banus, et Capitaneus Caſtrorum Regni Boznae, et NICOLAUS de *Bachka* Praepoſitus Sancti Petri de Caſtro Agrienſi, Oratores Sereniſſimi Principis et Domini Domini VLADISLAI Dei gratia Hungariae et Bohemiae Regis etc. Domini noſtri gratioſiſſimi. Significamus tenore Praeſentium quibus expedit Univerſis: quod dum veniſſemus huc ad Sereniſſimum Principem Dominum JOANNEM ALBERTUM eadem gratia Poloniae etc. Regem, ſuper mediis Pacis inter ipſorum Maieſtates, Regna, et Dominia eorundem tractaturi, tandem poſt

ANNO 1499. multos cum ſua Maieſtate Tractatus devenimus ad Concluſiones, Articulos infraſcriptos, quorum tenor de verbo ad verbum ſequitur, et eſt talis. Nos VLADISLAUS Dei gratia Hungariae, Bohemiae, Dalmaciae, Croatiae, etc. Rex, nec non Marchio Moraviae etc. Significamus tenore Praeſentium, quibus expedit Univerſis, tam praeſentibus quam futuris Praeſentium notitiam habituris, quomodo Nos animo revolventes, et altiori mentis intuitu Conſiderantes quanto ſtudio, quantis conatibus Divi Reges Hungariae, Praedeceſſores noſtri Regnum hoc inclytum Hungariae nixi ſint, ſicuti ab hoſtium quorumcunque iniuriis, et vexationibus defendere, ita in bona vicinitate, amicitia, et Pace cum Regibus et Regnis finitimis his praeſertim, qui ab eorum iniuria temperaſſent ſemper permanere, recolentes, et hoc partim ex antiquiſſimis Annalium Monumentis, partim ex declaratione Dominorum Praelatorum, et Baronum huius Regni noſtri Conſiliariorum noſtrorum fidelium dilectorum intelligentes olim inter Reges Hungariae huius Regni noſtri Hungariae, et Reges Poloniae, atque inter haec duo inclyta Regna ſibi invicem finitima, et contermina ad conſervandam Pacem, amicitiamque mutuam, atque vicinitatem optimam, certas etiam Inſcriptiones, Pacta, ſeu Faedera firmata extitiſſe, ut per hoc alterum alterius adiutum praeſidio, vel provocandis alternatim commodis, vel propulſandis incommodis fortior inſurgere poſſet. Quae quidem Inſcriptiones, et Faedera tametſi ſuccedentibus poſtea variis rerum, temporumque mutationibus non penitus ſublata, violataque fuerint, tamen huiuſmodi incuria utcunque intermiſſa, vel neglecta videbantur, adeo, ut vetus horum Regnorum amicitia, et benevolentia, bonaque vicinitatis obſervantia, iam in diſſimilitudinem animorum, iam in ſimultates, et in aperta interdum odia non ſine iactura totius Reipublicae Chriſtianae, et horum Regnorum evidenti detrimento proceſſerat, quod Deus ab alto proſpiciens, rebuſque Chriſtianis pia miſeratione ſuccurrens non ſine manifeſta ſuae Providentiae diſpoſitione factum eſſe voluit, ut duo germani Fratres ex vetutiſſima Regum Caeſarumque Proſapia iiſdem Parentibus editi, Nos VLADISLAUS antea Rex Bohemiae, nunc vero Chriſti Domini favente gratia Hungariae ſimiliter et Bohemiae Rex etc. felicis memoriae Divi CASIMIRI Poloniae Regis Primogenitus, huic inclyto Regno Hungariae, et praefatus Sereniſſimus Princeps Dominus JOANNES ALBERTUS eadem gratia Poloniae Rex, germanus noſter Cariſſimus Regno Poloniae Patrio, & avito, uno eodemque tempore felici regimine praeeſſemus, ut videlicet quos arctiſſimo ſangvinis fraterni vinculo coniunctos eſſe ipſa Divina miſeratio voluit, Auctores etiam reintegrandae, reformandaeque Pacis, & amicitiae perpetuae inter hæc duo Regna non ſatis bene paulo ante, ut ſupra dictum eſt, inter ſe concordantia, felici auſpicio tribueret, noſtriſque cœptis & adoperationibus non ſolum inter Nos mutuae neceſſitudinis & benevolentiae concordia, verum & inter hæc duo Regna Pax perpetua, & intelligentia certiſſima, vera quoque mutuae vicinitatis benevolentia firmaretur, ut videlicet communi auxilio horum Regnorum, & noſtro invicem concurrente, truculentiſſima rabies Turcorum Chriſtianae fidei hoſtium longe, lateque in fines Chriſtianos excurrens, & nunc potiſſimum in inclyto Regno Poloniae debachans, a ſubiectis potiſſimum utriuſque noſtrum Regnis, Dominiis, & a Chriſtianis populis arceatur, ac per haec iſta duo Regna mutua Pace, & Concordia ſtabilita, felici quiete & tranquillitate potiantur. Cum igitur firmandae, vel potius reformandae Pacis, & amicitiae, optimæque vicinitatis renovandae gratia, proque renovandis Fæderibus, ac quibuſvis diſſenſionum fomitibus ſopiendis, Reverendum in Chriſto Patrem Dominum DOMINICUM Epiſcopum Eccleſiae Varadienſis, ac Generoſum & Egregium BALTHASARUM de *Bathyan*, alias Banum, & Capitaneum Caſtrorum Regni noſtri Boſnenſis, nec non Venerabilem NICOLAUM de *Bachka* Praepoſitum Sancti Petri in Caſtro Agrienſi Oratores noſtros fideles dilectos nuper ad praefatum Sereniſſimum Principem Dominum JOANNEM ALBERTUM Regem Poloniae, de Conſilio praefatorum Dominorum Prælatorum, & Baronum huius Regni, Conſiliariorum noſtrorum cum pleno Mandato miſiſſemus, iidem Oratores noſtri ad Nos reverſi Pacem ipſam concluſiſſe, Fædera etiam, et Inſcriptiones amicitiae perpetuae innovaſſe, ad laudem & gloriam Dei omnipotentis pro totius fidei Chriſtianae defenſione, proque Regnorum noſtrorum incremento, praeſidio, & tutela retulerunt, prout & Literas Inſcriptionis praefatae fraternae Maieſtatis ad Nos ſuperinde reportatas Nobis repraeſentaverunt, infraſcriptos, Articulos ſimiliter in ſe continentes. Inprimis: quod Sereniſſimus Dominus Frater noſter Rex Poloniae intervenientibus Nobis, ſpectabili ac Magnifico STE-

ANNO 1499.

PHANO

ANNO 1499. PHANO Waywodæ & Terræ Moldaviæ Pacem perpetuam reliquit, omnesque differentias, offensas, & damna contra Maiestatem suam his præteritis temporibus per ipsum Waywodam qualitercunque illata, intuitu nostro condonat, ita ut inter ipsum Dominum Regem Poloniæ & Illustrissimum Principem Dominum ALEXANDRUM Magnum Ducem Litvaniæ similiter Germanum nostrum Carissimum, ac ipsum Waywodam Moldaviæ, & Successores eorum fiat & teneatur Pax, & concordia perpetua, ut videlicet a modo in antea tam ipse Waywoda, quam sui Hæredes, & posteri tute, & secure in Terra Moldaviæ temporibus futuris stare, morari, vivere, & dominari valeant, ab omni prorsus impedimento, occasione dictorum damnorum, & quarumlibet offensionum fraternæ Maiestatis, & ipsius Magni Ducis Litvaniæ, vel Successorum eorundem, ac suorum subditorum semper salvi. E converso vero quandocunque Nos, & ipsum Fratrem nostrum Dominum Regem Poloniæ pari, & concordi voluntate expeditionem, sive apparatum contra Turcos facere contingat, prout Deo auxiliante facere intendimus, eo casu debebit, & tenebitur etiam ipse Waywoda Moldaviæ cum omni potentia, omnibusque suis, & Provinciæ Moldaviæ viribus concurrere, & ad eam expeditionem personaliter, nisi gravi ægritudine detineatur, penes Maiestates nostras venire, Nobisque fideliter assistere, & usque ad finem huiusmodi expeditionis, & belli constanter perseverare. Casu vero quo gravi ægritudine occupatus venire in Persona non posset, filium suum BOGDAN, vel alium, quem ipse Waywoda voluerit, similiter cum potentia sua omnibusque suis, & totius Moldaviæ viribus personaliter mittere tenebitur, & ad hoc omnes eiusdem STEPHANI Waywodæ Hæredes, & Successores obligati esse debebunt, & ex nunc obligati sint, & habeantur. Amicis vero nostris idem ipse Waywoda amicus, & inimicis inimicus erit, remanentibus hinc inde Regnorum nostrorum Juribus, Privilegiis, & Fœderibus cum ipso Waywoda habitis, semper salvis. Item STEPHANUS Waywoda Moldaviæ suprascriptus, dum, & quam primum Turcarum transitum, vel versus Hungariam, vel Poloniam persenserit, statim Nos utrumque Regem avisare, & præcustodire, Turcosque per suam Terram pro posse suo, & quantum in eo erit prohibere curet, & ipsis non aliquod auxilium, consilium, & favorem dabit, neque aliqua victualia præbebit, & ministrabit. Item quod a modo, & deinceps inter Nos, & præfatum Dominum JOANNEM ALBERTUM Poloniæ Regem, nec non Illustrissimum Dominum ALEXANDRUM Magnum Ducem Litvaniæ Pax eadem fiat perpetua, ita, quod omnis rancor, omnis simultas, & odium, omnis denique tam publica, quam privata animorum dissensio, vel qualiscunque offensa deponatur, & Nos hinc inde tanquam Fratres Chariissimi, & nostræ Posteritates in multa charitate, atque intelligentia, & fraterno amore vivamus, & similiter inter Regna, & Dominia nostra, videlicet Hungariæ, & Poloniæ, ac Magni Ducatus Litvaniæ sit, & habeatur Fœdus & Pax & Tranquillitas perpetua, bonaque & perfecta vicinitas, ita quod sicuti inter Nos, ita & Regna, & Dominia nostra deponatur omnis rancor, omnis simultas, sed vigeat amor, & omnis caritas, nec sub velamine eiuscemodi Pacis, & Concordiæ nostræ, detur alicui subdito aliqua oppressio, & offensio in persona. Item quod neuter nostrum Regum sine aperta voluntate, & consensu Partis alterius aliquam Pacem, & Concordiam cum Turcis facere debeat, sed omnes simul illam semper habeamus, vel non habeamus. Et si alter nostrum altero inscio Turcos provocaret, aut bellum illis, absque ulla causa indiceret, in hoc casu alter alteri bellum moventi, & indicenti, succurrere non teneatur; quoniam sicut ambo unius cordis Deo volente effecti sumus, ita unanimi & concordi voluntate debemus omnia peragere, ita, quod uterque nostrum Regum, una cum præfato Illustrissimo Domino Magno Duce Litvaniæ, Turcis nominis Christi, et Fidei nostræ hostibus communes hostes erimus, et esse debebimus: contra vero alios hostes, si qui forte, aut Nos, aut Sereniissimum Dominum Regem Poloniæ, vel Illustrissimum Ducem Litvaniæ præfatos provocaverint, vel irritaverint, generaliter hostes esse debebimus, de quibus conditionibus Nos Rex Hungariæ in futura conventione Sancti Georgii Martyris proxime ventura Budæ, vel in Pesth, cum nostris Consiliariis, ipse vero Dominus Rex Poloniæ in præsenti Conventione Cracovienſi similiter cum suis Consiliariis deliberabimus, et quidquid in huiusmodi Dietis, seu Conventionibus utriusque Partis, per Dominos Consiliarios, ac per Regnicolas deliberatum fuerit in hac parte, utraque Pars alteram scilicet alternatim avizare debebit. Quæ quidem Partes tandem inter se quid facto opus sit, et quid rebus

ANNO 1499

ANNO 1499 bus ſuis magis expediat, concludere inter ſe debeant. Item ſi aliquando contingeret qualicunque ex cauſa inter ſubditos hinc inde noſtros aliquam differentiam, vel diſſenſionem, vel litis, et controverſiae materiam ſuboriri, per hoc Pax perpetua inter Nos, et Dominia noſtra fracta non intelligatur, ſed quam primum per ambas Maieſtates eligantur probi homines, qui huiuſmodi differentias videant, et ſolum Deum prae oculis habeant, et partibus iuſtitiam facere debeant. Item ut ſubditi Mercatores utriuſque noſtrum, ita etiam Moldavienſes et ipſius Domini Ducis Litvaniae liberi ſint per Dominia noſtra ire cum ſuis mercibus iuxta veterem conſvetudinem, ſolutis tamen tributis, et oneribus conſvetis. Item quia ſunt inter Nos Reges tractanda, et pro honore, et gloria noſtra concludenda, maxime qualiter debebit fieri contra communem hoſtem expeditio, ideo ad unum certum terminum captato termino congruo convenire debemus, et ſuper his, et aliis tractare, & concludere, ſicuti honori & utilitati utriuſque noſtrum magis videbitur expedire. Item quia multæ ſunt occupationes Metarum, & Bonorum inter Regna, & Dominia hinc inde noſtra nec non querelæ, & differentiæ inter ſubditos noſtros, ideo præfigere debemus in confinibus aliquem locum & terminum, ad quem mittemus hinc inde Oratores noſtros, qui omnia revidere, & complanare teneantur, ſicuti alias fuit obſervatum. Item ſi a Principibus Catholicis contra communem hoſtem videbuntur Nobis petenda ſubſidia, illa per communes Oratores petere debebimus, ut omnia inter Nos unanimi voluntate agi, & tractari videantur. Item quantum ad modum ſubveniendi attinet, quomodo videlicet & quo Pacto Nobis invicem tempore neceſſitatis ſuccurrere debeamus; ſi Turci in aliquo numero mediocri puta in decem, vel duodecem millibus ad incurſandum Regnum Poloniæ, vel aliquas Terras vicinas præfati Domini Magni Ducis Litvaniæ venirent, quia difficile foret ad unamquamque incurſionem Nos in tam remota Terrarum diſtantia præparare, ſeu movere, vel etiam Gentes mittere & in tanto locorum, & viarum intervallo eas fatigare (nam etiam ſi pervenire poſſent, inutiles eſſent ad pugnandum) Nos antea debito tempore, hoc eſt ad minus per duos Menſes de hoc certitudinaliter avizati, quantocius poterimus, & neceſſitas expoſcet, debebimus mittere Gentes pro maiori poſſe noſtro præfato Sereniſſimo Domino Regi Poloniæ, & Illuſtriſſimo Domino Magno Duci Litvaniæ in ſubſidium, ſimiliter ipſe Poloniæ Rex una cum eodem magno Duce Litvaniæ tempeſtive, hoc eſt ad minus per duos antea Menſes per Nos avizati, ſi Turci ad incurſandum Regnum noſtrum Hungariæ, aut Tranſylvaniam, & Moldaviam venirent, tenebuntur citius quo poterint, & neceſſitas expoſcet pro maiori rerum poſſe mittere Gentes in auxilium noſtrum. Si vero Imperator Turcorum per ſe in propria Perſona veniret, aut etiam aliquem Baſſam cum potentia cauſa occupandi Regnum Poloniæ, vel vicinas Terras Magni Ducatus Litvaniæ mitteret, & aliquod Caſtrum finitimum obſideret, ita, quod ſub ipſo moraretur, & pauſaret, in hoc caſu Nos ſemota omni excuſatione in Perſona noſtra cum Univerſo Regno noſtro Hungariæ inſurgemus, & præfatis Domino Poloniæ Regi, & Magno Duci Litvaniæ cum potentiis & viribus noſtris in auxilium veniemus, aut prout ſuæ fraternæ Maieſtati, & Dominis Conſiliariis ſuis commodius, & utilius videbitur. Interea temporis, dum videlicet Turcus illic occupabitur, cum Gentibus noſtris alias Partes Dominii ipſius Turci hoſtiliter aggrediemur, aut aliquem locum obſidebimus, & in tantum urgebimus, ut ipſe Turcus Regnum ſuæ Maieſtatis fraternæ deſerere, & ad ſua tutanda redire compellatur. Similiter etiam, ſi Imperator Turcorum per ſe propria in Perſona veniret, aut etiam Baſſam aliquem cum potentia cauſa occupandi Regnum noſtrum Hungariæ, vel Tranſylvaniam, aut Moldaviam mitteret, vel Nandor Albam, aut aliquod Caſtrum finitimum notabile obſideret, ita, quod ſub illo moraretur, & pauſaret, in hoc caſu præfatus Sereniſſimus Poloniæ Rex, & Magnus Dux Litvaniæ cum Univerſo Regno Poloniæ, & univerſa ipſius Illuſtriſſimi Domini Magni Ducis Litvaniæ Potentia, ſemota omni excuſatione inſurgere, et in auxilium noſtrum venire debebunt, aut prout Nobis, & Dominis Conſiliariis noſtris commodius, & utilius videbitur. Interea temporis, dum videlicet illic occupabitur, cum Gentibus eorum alias partes Dominii ipſius Turci hoſtiliter aggrediantur, aut aliquem locum obſideant, & in tantum urgeant, ut ipſe Turcus Regnum noſtrum, & Dominia noſtra deſerere, et ad ſua tutanda redire compellatur. Item ſi contingeret contra Tranſalpinum Woiewodam Turcum inſurgere, extunc Nos cum Sereniſſimo Domino Poloniæ Rege, et Domino Magno Duce Litvaniæ, Waywodæ præfato ſubvenire debebimus, modis et conditionibus inter Nos de huiusmodi

ANNO 1499.

Anno 1499 modi auxilio ſibi faciendo poſt hac invenIendum. Quod ſi Turci non venirent, Nos vero uterque pro bono Reipublicæ Chriſtianæ aliquid contra Turcos agere vellemus, extunc ita Nos mutuo intelligamus, quod ambo ſimul, et ſemel Nos ad arma contra Turcos moveamus, et illuc quo pro temporis conditione magis neceſſarium videbitur, proficiſcamur, et omnia unanimi voluntate, et parili conſilio agamus, et perficiamus. Ut autem de omnibus et ſingulis præmiſſis certus et ſecurus exiſtat præfatus Dominus Poloniæ Rex, Nos Oratores præfati Sereniſſimi Domini Regis Hungariæ vigore Mandati ſuæ Maieſtatis promittimus prædictam Maieſtatem Regis noſtri Hungariae praeſcriptos Articulos in omnibus, et per omnia firmiter, et illæſe ſervaturam, et Literis Reverſalibus ſub Sigillo ſuae Maieſtatis appendente de verbo ad verbum nihil mutando, vel minuendo firmaturam, omni ſubterfugio, et excuſatione procul mota. Pro quorum omnium firmiori effectu, et ſtabilitate, Nos iidem ipſi Oratores praeſentes noſtras Literas Sigillis noſtris conſignatas communimus in fidem et teſtimonium praemiſſorum. Datum Cracoviae Feria Tertia proxima poſt Feſtum Beatorum Tiburtii, et Valeriani Martyrum, Anno Domini milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Nono. *Lecta, approbata, & cum Literis principalibus Sereniſſimi Domini noſtri Regis Poloniæ concordata, per me* Vincentium *Epiſcopum Plocenſem una cum Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo Leopolienſi, & Domino Palatino Belzenſi ad hoc deputatis.*

## XL.

1499 *Approbatio & Confirmatio eiusdem Fœderis per Proceres Regni Hungariæ facta.* Dat: Budæ Feria quarta *proxima ante Feſtum Pentecoſtes* Anno 1499. *Ex Originali Sigill.* 37.

Nos Thomas Archiepiſcopus Strigonienſis Primas Regni Hungariæ & Legatus natus, ſummusque, & Secretarius Cancellarius Regius, Dominicus Varadienſis perſonalis præſentiæ Regiæ Maieſtatis locumtenens, Franciscus Jaurienſis, Luças Chanadienſis, Nicolaus de Bathor Wacienſis, Antonius Nitrienſis Eccleſiarum Epiſcopi, Gregorius Comes de Frangapanibus Præpoſitus Albenſis, Sigismundus Præpoſitus de Zelez Regius Theſaurarius, Bartholomeus Prior Aurane. Item Stephanus de Zapolia Comes perpetuus Terræ Scepuſienſis, ac Regni Hungariæ Palatinus, Comes Petrus Sereb de Woyngarth Judex Curiæ Regiæ, Laurentius Dux de Wylak, Nicolaus Banffii de Lyndwa Magiſter Curiæ Regiæ, Bartholomeus Dragffii de Beſtherok alias Waywoda Tranſylwanus, Josa de *Son* Comes Themeſienſis, & partium inferiorum Regni Hungariæ Capitaneus, Blasius de Baſka Thavernicorum, Joannes Erunſth de Chaak & Thornia Agazonum Regalium Magiſtri, Joannes Deſpotus Raſciæ, Georgius de Bathor Comes Zathmarienſis, Nicolaus de Zeeth, Mathias Pongrocz de Dengeleg, Ladislaus, & Georgius de Kanyſa, Antonius de Palocz, Sigismundus Orzag de Groth, Albertus de Loſſoncz, Gabriel de Peren, Stephanus de Rozgon, Johannes de Stomonna, Joannes Ranphy de Lyndwa, Michael de Chaak, Joannes Pethewffii de Gerſe, Moyses Buzlay de Gergellaka, Andreas Roth de Bayna, Georgius More de Chnola Capitaneus Nandor, Albertus, Emericus, & Martinus Czobor, de Czoborzenthmyhal & Marcus Horwath de Kamychacz cæterique Prælati, & Barones ac Proceres Regni Hungariæ nunc apud Maieſtatem Regiam conſtituti ſignificamus tenore præſentium quibus expedit Univerſis, præſentibus, & futuris, Præſentium notitiam habituris. Quod dum Sereniſſimus Princeps & Dominus Dominus Vladislaus Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ Rex &c. Dominus noſter gratioſiſſimus, habita ratione fraterni & debiti amoris habitoque reſpectu commodi, decoris, amplitudinis, & integritatis Regnorum ſuorum, Univerſæque Chriſtianitatis, cum Sereniſſimo Principe & Domino, Domino Joanne Alberto eadem gratia Poloniæ Rege Fratre ſuo chariſſimo ad laudem Omnipotentis Dei, decorem & amplitudinem Domus, & Familiæ ſuæ per medium Oratorum utriusque Partis, ex Parte ipſius Sereniſſimi Domini Regis Poloniæ medio ſpectabilis & Magnifici Domini Petri Kmita de Wisnicze Supremi Mareſchalci Regni ſui Poloniæ, ex Parte vero eiusdem Sereniſſimi & gratioſiſſimi Domini Noſtri Regis præfati, videlicet Reverendiſſimi Domini Dominici Epiſcopi dictæ Eccleſiæ radienſis, Generoſique & Eggregii Balthazaris de Bathiam alias Bani Caſtro-

Anno 1499 Castrorum Regni Boznæ minoris, Venerabilis Nicolai de Bachka Præpositi Sancti Petri de Castro Agriensi, Fratrum, & amicorum nostrorum, inierit tale Fædus & consensum, ut sibi invicem cum dicto Sereniſſimo Domino Poloniæ Rege mutuo adiutorio esse debeant, & in primis contra Turcum commodaque, & incommoda Regnorum communia reputare, prout hoc latius describitur in Literis consignatis Sigillo ipsius Maiestatis. Nos Igitur attendentes quod ea omnia per ipsum Sereniſſimum Dominum nostrum facta sunt, cum voluntate, & consilio nostro, deponentes quamlibet, si quæ hactenus fuit, simultatem, extirpantesque, & perpetuo abolentes inter ipsas Maiestates, & Regna eorum omnem discordiarum, & iniuriarum materiam, & occasionem, Universaque hæc quæ in Literis nominatis eiusdem Sereniſſimi Domini nostri Regis conscripta sunt, in omnibus Punctis Conditionibus & Articulis rata, & grata habemus, acceptamus, approbamus, & sub fide Christiana, & humanitate nostris penes præfatum Sereniſſimum Dominum nostrum Regem promittimus firmiter, et inviolabiliter observare, harum quibus Sigilla nostra sunt subappensa testimonio Literarum. Datum Budæ Feria quarta proxima ante Festum Pentecostes. Anno DominiMilleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Nono.

## XLI.

1507. *Fædus perpetuæ Pacis, Amicitiæ, Unionis, Societatis, & Confœderationis contra omnes hoſtes inter* Vladislaum *Hungariæ, & Bohemiæ, ac* Sigismundum *Poloniæ Reges, Fratres, nec non Hæredes, Regna & Dominia eorum, præsertim vero inter Hungariam, Poloniam, & Magnum Ducatum Litvaniæ, per Oratores Regis Poloniæ concluſum, quo ſuperſtitibus iisdem Regibus, & eorum prole maſculina legitima, Moldavia Regno Hungariæ aſſeritur; ne vero extinctis Regum Hæredibus, bellum inter Poloniæ & Hungariæ Regna de hac Provincia oriatur, in futuro Conventu de ea conſtitui debet. Palatinus Valachiæ utrique cum Exercitu contra hoſtes aſſiſtet. Neuter Regum inſcio altero cum Turca Pacem faciet, contra quem ambo Reges cum omni potentia ſua, mutuo ſibi auxilia ferent.* Cætera Datum Budæ Feria Sexta *proxima ante Feſtum* SS. Trinitatis. Anno 1507. *Ex Originali ſub Sigillo Regis* Vladislai, *& aliis* 18. *Sigil: Conſiliariorum.* Anno 1507

Nos Vladislaus Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmaciæ, Croaciæ &c. Rex, nec non Sileſiæ, & Lucemburgenſis Dux, Marchioque Moraviæ & Luſatiæ &c. Memoriæ commendamus tenore Præſentium ſignificantes quibus expedit Univerſis. Cogitantibus Nobis, animoque ſæpe repetentibus, quænam elapſis retro temporibus Hungarici pariter, ac Polonici Sceptri in ſumma Imperii moderanda fuerit inſtitutio, & quo ductu, quibusve Artibus utriusque res domi, forisque concreverint, facile animadvertimus pleroſque, imo ferme omnes, qui his potiti ſunt Regnis Principes ſingulari quadam amicitia, mutuisque officiis, ultro citroque fuiſſe devinctos, eamque copulam, & ſecundis in rebus decori, ornamentoque, & ſi quid forte adverſi (ut res ſunt Mortalium) evenerat, præſidio, ac levamento extitiſſe. Nullæ enim ſtabiliores ad Regna propaganda opes comparari queunt, quam Rectorum eadem ſentientium firma, indiſſolubilisque coniunctio. Quod ſi illos tam benivole inter ſe degiſſe accepimus, quos commodi duntaxat publici ratio, Regionumque vicinitas in fide amoreque continebant, quo Nos tandem Confœderationis nexu cum Sereniſſimo Principe Domino Sigismundo Poloniæ Rege, ac Magno Duce Litvaniæ &c. Fratre Germano noſtro dilectiſſimo, vinctos, conſociatosque eſſe decet, ubi ad ea, quæ Superiores quoque Principes mirum in modum conciliarunt, tam arctiſſimum Sangvinis vinculum accedit, ut reliquos inter Reges Fædera, rebus urgentibus expoſtulata accerſitaque, Nobis vero propinquitatis iure, Legeque naturæ quaſi inſita, & innata eſſe videantur. Cum autem per ſe ipſum ſatis validum & velut inexplicabile ſit Germanitatis vinculum, ex ea tamen aſvetudine, qua cum ipſo Sereniſſimo Rege Sigismundo, dum hic præſertim apud Nos in Pannonia degeret, dulciſſime, iucundiſſimeque fruebamur, tenacius quodam modo

ANNO 1507. modo inhæsit, cum tali nimirum modestia, prudentia, integritate, cæterarumque virtutum agmine fuerit circumseptus, ut Praelatorum quoque omnium Procerumque nostrorum huius Regni animos, charitatemque in se converterit. Cui dum Divina nuper Providentia Poloniæ habenas regendas & moderandas tradiderit, operæ pretium duximus, utrumque Regnum, & locorum propinquitate & Principum concordia, licet ante hac etiam unitum, novis tamen Fæderibus magis magisque deinceps coniungere, ac devincire, ut alterum alterius ope, subsidioque munitum, plus indies splendoris, incrementique capescat. Sic enim longe expeditius, & amicis, deque Christiano Nomine optime meritis consulere, & hostium eorundemque infidelium vim, insidiasque, quasi in commune propulsare licebit, Christianæ denique Reipublicæ (qua nil antiquius, nihil carius esse decet) dignitatem, amplitudinemque pro virili tueri, ac defensare. Deo itaque ex cuius nutu Reges, Regnaque pendent Universa, ineffabili sua clementia Nobis suffragante, inter Nos præfatos VLADISLAUM Hungariæ, & Bohemiæ Regem ab una, ac ipsum Serenissimum Principem Dominum SIGISMUNDUM Poloniæ Regem ab altera Partibus, nostrosque Hæredes & Successores, cum Reverendissimo in Christo Patre, Domino JOANNE LUBRANSKI Episcopo Posnaniensi, ac Spectabili, & Magnifico STANISLAO de Chodecz Regni Poloniæ Marschalco, Leopoliensi, & Camenecensi Capitaneo, nec non Reverendo similiter in Christo Patre Domino JOANNE de Lasko Præposito Posnanensi, Regni Poloniæ Cancellario, nec non Magnifico CHRISTOPHORO de Szydłowiec Dapifero Cracovensi, Thesaurario Curiæ Regiæ Maiestatis, & Capitaneo Siradiensi, Oratoribus, & Consiliariis præfatæ fraternæ Maiestatis Poloniæ, cum pleno Mandato, plenaque, & omnimoda facultate a sua Maiestate, Universoque Regno, & Statibus Poloniæ in infrascriptis negotiis ad Nos missis, ad Laudem, & Gloriam Nominis sui Sancti, ac deinde pro Reipublicæ Christianæ salute, & defensione, proque Statuum ac Regnorum, Terrarum, et Dominiorum, omniumque subditorum utriusque nostrum conservatione, incremento, & stabilimento has Confaederationis, & Societatis perpetuæ Leges, vestigiis Prædecessorum nostrorum Regum inhærendo, infrainsertis Articulis inscriptas, eo, qui sequitur tenore sancivimus.

Imprimis concluſum est quod Nos cum præfato Sereniſſimo Domino Rege Poloniæ Fratre noſtro Chariſſimo, quemadmodum antea ſemper, ita etiam deinceps in mutua, & fraterna charitate, atque intelligentia, & ſempiterno amore vivamus, & ſimiliter inter Regna, & Dominia noſtra præſertim Hungariæ, & Poloniæ ac Magni Ducatus Litvaniæ ſit, & habeatur Fædus, Pax, & tranquillitas perpetua, bonaque, & perfecta vicinitas, & quod Nos contra quemlibet hoſtem cuiuſcunque Status, dignitatis, conditionis, & præeminentiæ, Paganum, Schiſmaticum, & Chriſtianum nullo excepto, ſeu excluſo, Hungariæ, & Poloniæ Regna, Principatus, Terras, Dominiaque noſtra, quae nunc divina favente clementia uterque noſtrum poſſidet, & poſſeſſurus eſt, ac quae ad Nos, Regnaque noſtra nunc pertinent, & in futurum pertinebunt, invadentem, invadereque volentem iuxta conditiones infraſcriptas, Nos & Regna noſtra ſe adiuvabimus, & auxilia invicem faciemus, demptis tamen, & reſervatis omnibus confæderatis, & cum quibus Pacem pronunc habemus, quouſque videlicet iidem in huiuſmodi Pace, & Confæderatione Nobiſcum permanebunt. ANNO 1507.

Item quod quotieſcunque dabitur opportunitas, & Nos concordi, ac unanimi voluntate, aſſiſtente auxilio Divino contra Turcos, aut alter noſtrum ſeorſum contra Turcos, vel Tataros generalem aliquam expeditionem facere voluerimus, ſeu voluerit, iſtud ſemper fiat cum Conſilio, & imploratione auxilii a Sede Apoſtolica, atque cæteris Principibus Chriſtianis. Itaque tale ſubſidium dum petendum erit, per communes Oratores petatur, ut omnia inter Nos unanimi voluntate agi, & tractari videantur.

Item quia ex parte Moldaviæ, ac Woywodarum eiuſdem, variæ hucuſq;, & quidem periculoſæ interdum differentiæ inter Sereniſſimos Prædeceſſores noſtros Reges Hungariæ, ac Poloniæ extitere: Poſtquam igitur Nos duo germani Fratres iiſdem Parentibus editi habenas Imperiorum eorundem Regnorum moderamur, utpote Nos VLADISLAUS Hungariae pariter, & Bohemiæ, ipſe vero Sereniſſimus Princeps, & Dominus, Dominus SIGISMUNDUS Poloniæ, Patrio, & Avito Regnis præſumus, & feliciter gubernamus, id quod non absque Divina diſpoſitione factum eſſe credimus, quo omnis occaſio futuræ alicuius alienationis animorum ſeu diſcordiæ inter Nos, & Regna noſtra, vel etiam impedimenti, quod hanc Sanctam expeditionem, quam contra Turcos ac alios infideles, & Crucis Dominicæ hoſtes opitulante ipſo Deo

ANNO 1507 facere intendimus, impedire poſſet, e medio tollatur quoque hæc noſtra, & Regnorum noſtrorum coniunctio, intelligentia, & ſocietas pro ſtabilimento & propagatione eorundem Regnorum, & Dominiorum, conſervationeque omnium Subditorum noſtrorum facilius perfici, & perfecta perpetuo etiam conſervari & permanere poſſit, concluſum eſt, ut viventibus Nobis, & præfata fraterna Maieſtate Sereniſſimi Domini SIGISMUNDI Poloniæ Regis, ac utriusque noſtrum Hæredibus, & Poſteritatibus legitimis, in iſtis Regnis per Electionem unanimem, atque concordem Regnicolarum regnantibus, ratione dictæ Terræ Moldaviæ, vel Woywodarum eiusdem nullæ unquam differentiæ, lites, vel diſcordiæ inter Nos, & Regna noſtra oriantur; ſed Terra illa apud Nos & hoc Regnum, Sacramque Coronam & Regnum Hungariæ maneat, ipſeque Woywoda pro tempore conſtitutus Nos & Hæredes noſtros pro Domino eorum cognoſcat, & fidelitatis Homagium ſemper præſtare debeat. Poterimus tamen Nos Reges, & Hæredes noſtri prædicti cum conſilio, & conſenſu Dominorum Prælatorum, & Baronum, cæterorumque Regnicolarum, utrorumque Regnorum de concordia facienda ſuper Terra, & Woywoda Moldaviæ tentare. Ne præterea deficientibus Hæredibus noſtris, quod Deus avertat, bellum aliquod proinde inter Regna ſuboriatur, ita tamen, quod ſi ipſa concordia per Nos, & Hæredes noſtros non finiretur, nullæ propterea differentiæ, & lites oriantur, ſed hoc Fædus habeat robur. Interea vero temporis diuturnitas iuribus utriusque Regni nullum afferat nocumentum.

Item dum, & quando Nos, aut Regnum Hungariæ, Hæredesque, & Succeſſores noſtri divina auxiliante clementia expeditionem aliquam generalem contra eosdem Turcos facere voluerimus, vel etiam ſi Imperator Turcorum, aut Tartarorum in perſona veniret, vel Filios, aut Duces Tartarorum, vel Turcus Baſſam aliquem cum omni ſua potentia, & viribus ſuis contra Nos, & Regna noſtra, Partesque ſibi ſubiectas mitteret, ne prædictus Woywoda Moldavienſis, tam præſens, quam etiam futurus, poſt tot accepta beneficia a Nobis, & hoc Regno noſtro Hungariæ defenſioni Chriſtianæ Reipublicæ, præſertim vero horum Regnorum deſit, ſeque a ferendo auxilio quoquo modo abſtrahat: concluſum eſt, ut Nos Rex Hungariæ ipſum inducere, atque cogere debeamus, ut penes Nos cum omni potentia ſua, & totis viribus ſuis inſurgat, qui ſi hoc pacto inſurgere noluerit, aut ſe Nobis aliter qualitercunque rebellem oſtenderit, vel etiam ſi propterea in tantum neceſſitas exigeret, ut talis rebellis Woywoda etiam de Regno, & Terra Moldaviæ deturbandus, & expellendus eſſet, in tali caſu prædictus Dominus Rex Poloniæ Frater noſter a Nobis ſuperinde requiſitus, Nobis ad hoc totis viribus ſuis, & omni potentia ſua iuvare & auxiliari tenebitur, & hoc etiam inter Hæredes noſtros ſervandum intelligatur. Item quia Nos præfatum Woywodam Moldavienſem, Succeſſoresque ſuos in iuſtis ſuis limitibus, & Terris per eoſdem, ac prædeceſſores ſuos antiquitus poſſeſſis, & ad ipſam Terram Moldaviæ pertinentibus tanquam fidelem noſtrum, & Sacræ Coronæ Hungariæ, contra quoscunque defendere, & protegere debemus: ſi tamen idem Woywoda Terras dictæ fraternæ Maieſtatis & Regni Poloniæ, ac de iure ad ipſum & Terram ſuam non pertinentes occupare, vel aliter qualitercunque contra voluntatem noſtram præfatæ fraternæ Maieſtati bellum inferre auſu quodam temerario vellet, aut etiam Turcos, ſeu Tartaros in perniciem Chriſtianitatis contra dictum Dominum Regem, & Regnum Poloniæ induceret, & hoc evidenter ac probabiliter conſtaret, in hoc caſu nolumus illi contra dictam fraternam Maieſtatem, ſed potius eidem fraternæ Maieſtati contra illum auxiliari, & contra eundem Woywodam tamquam noſtrum, & Regni noſtri Hungariæ rebellem, & Regni Poloniæ hoſtem una cum præfato Domino Rege Poloniae, per Nos tamen prius ſuper inde requiſito, agere, atque eundem Woywodam Nos Rex Hungariæ ad honeſtam, & convenientem dampnorum ſatisfactionem compellere volumus.

ANNO 1507

Item ſi contingeret, quod Woywodam, & Terram Moldaviæ Imperator Turcorum, aut Tartarorum, vel ambo ſimul invadere, ipſiusque Terram occupare vellet, Nosque, & hoc Regnum viribus, & potentiæ illorum impares eſſemus, in hoc caſu ipſe Sereniſſimus Dominus Rex Poloniæ per Nos requiſitus cum omni potentia ſua, & Regnorum ſuorum in auxilium noſtrum ad defendendum dictum Woywodam inſurgere, & venire debeat, ut eundem ab eorundem Imperatorum, & cuiuslibet eorum invaſione, ſubiectioneque paribus, & coniunctis viribus liberemus. Quam primum tamen illud a manibus, & potentia

ANNO 1507 tentia dictorum hostium eliberaverimus, tenebitur ipse Dominus Rex Poloniæ cum Universo Exercitu suo e vestigio de illo exire, ac redire, & Regnum illud in Pace, prout nunc est, Nobis & huic Regno relinquere.

Item si in Turciam pro bono Reipublicæ Christianæ inter Nos Reges decerneretur generalis invasio, tunc qualitercunq; & per quamcunq; viam cum quantove Exercitu ipse Dominus Poloniæ Rex Frater noster proficisci, & iter facere debebit; id communi consilio, atque deliberatione discernatur, qua habita ipse Serenissimus Rex Poloniæ tandem proficisci, & se gerere debebit, & si aut veniendum aut mittendum Gentes suæ Maiestati erit, Nos in tali casu providebimus per hominem nostrum specialem, ut commode taxato etiam commeatu venire poterit.

Item quæcunque Castra, Civitates, & alia quaecunque loca in eiuscemodi expeditione a manibus hostium recuperata fuerint, ad eadem Regna, & eosdem Dominos, ad quos antiquitus pertinuerunt, redeant, & revertantur, atque restituantur. Si vero prius aut ad Nos, & Regna nostra, vel eiusdem Serenissimi Domini Fratris nostri non pertinuerunt, sed de novo adempta fuerint, inter Nos æquali, iusta, & fraternali divisione pro magnitudine laborum, & expensarum ab eadem factarum dividi debebuntur. Si vero, aut Imperator Turcorum, vel etiam Tartarorum per se propria in persona veniret, aut Filii, sive Duces Tartarorum venirent, aut etiam Bassam aliquem cum potentia & integro Exercitu suo, causa occupandi Regnum nostrum Hungariæ, vel Terras Transylvaniæ, aut Moldaviæ mitteret, aut Nandoralbam, vel aliquod Castrum finitimum notabile obsideret, ita quod sub illo moraretur, & pausaret, in hoc casu ipsa fraterna Maiestas cum Universo Regno suo Poloniæ, & Universa potentia, semota omni excusatione insurgere debet, in auxilium Nobis, & huic Regno nostro Hungariæ venire, aut prout Nobis, & Consiliaris nostris commodius, & utilius videbitur. Interea temporis dum ipse Turcus illic occupabitur, siquidem ut præfertur, Turcus venerit, ipse Dominus Rex Poloniæ cum Gentibus suis alias partes Dominii ipsius Turci hostiliter aggredi, aut aliquem locum obsidere, & in tantum urgere debebit, ut ipse Turcus Regnum nostrum deserere, & ad sua tutanda redire compellatur. Similiter etiam si Imperator Turcorum, vel etiam Imperator Tartarorum, aut Filii, sive Duces eorundem per se propria in persona venirent, aut etiam Bassam aliquem cum potentia, & integro Exercitu suo contra Regnum Poloniæ mitterent, ita ut illud occuparent, & in eo remanerent, vel Castrum *Camenecense* sive *Leopolim* obsiderent, ita quod sub illo morarentur, & pausarent, in hoc casu Nos quoque vicissim cum Universo Regno nostro Hungariæ, totaque potentia, & viribus nostris, semota omni excusatione insurgentes in auxilium ipsius fraternæ Maiestatis debemus venire, aut prout sibi, & Dominis Consiliariis commodius, & utilius videbitur. Interea vero temporis dum videlicet Turcus, siquidem Turcus venerit, illic occupabitur, cum Gentibus nostris alias Partes Dominii ipsius Turci hostiliter aggredi, aut aliquem locum obsidere, & in tantum urgere debebimus, ut ipse Turcus Regnum ipsius fraternæ Maiestatis, & Dominia sua deserere, & ad sua tutanda redire compellatur. ANNO 1507

Item si contingeret contra Terram sive Woywodam Transalpinum Turcum insurgere, & illud Regnum aut ad Officiolatus distribuere, vel penitus aliter quam nunc per se usurpare voluerit, ex tunc ipsa Maiestas fraterna, si per Nos requisita fuerit, præfato Woywodæ subvenire Nobiscum una debebit, prout communi consilio melius videbitur. Quo quidem Regno ab ipsis Turcis eliberato, tenebitur postea ipse Dominus Rex Poloniæ cum Universo Exercitu suo quam primum de illo exire, & redire, & Regnum ipsum pacifice Nobis, et huic Regno Hungariæ relinquere.

Si vero hostis quicunque alius quam Turcus, aut Tatarus Regna nostra, & partes sibi subiectas, vel eiusdem Domini Regis Poloniæ Fratris nostri invaderet, Pars per alteram in tali casu requisita debebit alteri Parti invasae, modo praemisso iuvare omni favore, consilio, etsi Regnum eiusdem protunc fuerit tranquillum, aliaq; gravi necessitate eo tempore non premetur, etiam omni possibili auxilio adesse, ut omnibus & præsertim hosti illi pateat, & innotescat Nos esse unum, & quod alter alterum deserere non intendit.

Item quod neuter nostrum Regum inconsulto altero aliquam Pacem vel concordiam cum Turcis facere debeat, sed simul illam habeamus, vel non habeamus.

Et Nos qui cum Illustrissimo Domino Venetorum una pronunc Treugas cum Turcis habemus, quam primum expirabunt pro novis ineundis, & disponendis simul cum præfato Fratre nostro Serenissimo, medio Oratorum nostrorum laborabimus.

Et si alter nostrum altero inscio Tur-

ANNO 1507. cos provocaret, aut bellum illis indiceret, ac inferret, in hoc casu alter alteri bella moventi succurrere non teneatur.

Item si aliquando contingeret qualicunque ex causa inter Nos, & subditos hinc inde nostros, aut ratione metarum, dampnorum, vel aliarum quarumcunque rerum aliquam differentiam, vel dissensionem suboriri, per hoc Pax ista perpetua inter Nos, & Dominia nostra facta, non intelligatur violata, sed quam primum per utrumque nostrum Regnum eligantur more alias consveto ad loca consveta certi probi homines, qui huiusmodi differentias videant, et solum Deum præ oculis habeant, sub firmissimo Juramento iustitiam inter Partes faciant, quemadmodum antiquitus semper observatum, et adhuc tempore Sereniſſimorum quondam CASIMIRI Poloniæ Genitoris nostri carissimi, atque MATHIAE Hungariæ Regum felicis reminiscentiæ Ordinatio facta fuit, ita ut nulla unquam occasio infringendæ Pacis huius praestetur.

Item quod salva sint Jura negociatorum in utroque Regno antiquitus servata.

Item quemadmodum uterque nostrum, et Regna nostra invicem assistere, consiliaque, et auxilia contra hostes modo praemisso invicem præstare debeant, sic nullus nostrum Regum in dampnum, iacturam, molestiam, iniuriam, vel perturbationem alterius, et Regnorum suorum cum aliquo Principe, aut homine cuiuscunque Status, et Conditionis existente se confaederare, aut amicitias quocunque modo contrahere debeat. Quae omnia et singula suprascripta Nos VLADISLAUS Rex suprascriptus in omnibus Punctis, Conditionibus, et Articulis rata, et grata habentes in verbo nostro Regio promittimus, et pollicemur, pro Nobis, et Haeredibus nostris firmiter, et illaese observare, tenere, et adimplere, observarique, teneri, et adimpleri facere Literarum nostrarum, quibus secretum Sigillum nostrum, quo ut Rex Hungariae utimur, est appensum, vigore, et testimonio Literarum mediante. Datum Budæ feria Sexta proxima ante Festum Sanctae, et Individuae TRINITATIS Anno Domini Millesimo quingentesimo septimo. Regnorum nostrorum Hungariae etc Anno decimo septimo, Bohemiae vero tricesimo septimo. Et Nos THOMAS etc. Sancti MARTINI in montibus Sacro Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis Strigonienſis, summus et Secretarius Cancellarius Regius, ac Primas Regni Hungariae etc. GREGORIUS Archiepiscopus Colocensis, SIGISMUNDUS Varadiensis, GEORGIUS Quinque Ecclesiensis Cancellarius Regius, FRANCISCUS Taurinensis, NICOLAUS Chanadiensis, JOANNES Vatiensis, STEPHANUS Nitriensis Ecclesiarum Episcopus, BARTHOLOMEUS Prior Aurane, PETRUS Praepositus Albensis. Item EMERICUS de *Peren* Comes perpetus Abawywariensis, et Regni Hungariae Palatinus etc. JOANNES de *Zapolia* Comes perpetuus Terrae Scepusiensis, PETRUS Comes de *Bozyn*, et de Sancto GEORGIO Judex Curiae Regiae etc. et Woywoda Transylvanus, LAURENTIUS Dux de *Wylat*, JOANNES Beryslo Regni Rasciae Despotus. JOSA de *Soni* Comes Themesiensis, et Praesentium Regni inferiorum Generalis Capitaneus, BLASIUS de *Koska* Tavernikorum Regalium Magister, MOYSES de *Brosla* Curiae Regiae, MICHAEL Paloczy Pincernarum, EMERICUS de *Esii* Dapiferorum, JOANNES Podmanicki Cubiculariorum Regiorum Magister, BENEDICTUS de Bathian Thesaurarius Regius, ANDREAS Both de *Bayna* Regnorum Dalmaciae, Croatiae, et Sclavoniae Banus, GEORGIUS de *Paniſſa*, et EMERICUS Thewrek de *Huming* Nandoralbensis Barii, STEPHANUS de *Bathor* Comes Zaladiensis, JOANNES Bornemiza Castellanus Castri Bridensis, OSVALDUS Korlaczki Castrorum Regiorum, *Thatka* de KOMARON Castellanus, et Comes Komarovienſis, STEPHANUS Thelegdy, EMERICUS, et MARTINUS Czobor Comites, de *Bodrogiel*, FRANCISCUS Balassa de *Biarmiath* Praelati, et Barones, ac Proceres praedicti Regni Hungariae penes praefatam Maiestatem gratiosissimi Domini nostri Regis constituti praedicto Sereniſſimo Domino SIGISMUNDO Regi Poloniae etc. promittimus, et pollicemur, quod Nos ad observandum praedictos Articulos Pacis, et mutuae intelligentiae eidem gratiosissimo Domino nostro VLADISLAO Regi, semper fideles et sinceri Consultores erimus, Nosque eosdem Articulos pro perpetua quiete, et conservatione horum Regnorum quantum ad Nos attinet, et in Nobis erit, firmiter observabimus sine omni dolo, et fraude. ANNO 1507.

## XLII.

*Exemplar eiusdem Fœderis ex parte Oratorum Regis Poloniæ.* Datum Budæ Feria secunda proxima post Festum Sanctæ TRINITATIS Anno 1507. *Ex Originali Sigilla 4.* 1507.

JOANNES LUBRANSKI Episcopus Posnanienſis, STANISLAUS de Chodecz

ANNO DECZ 1507. Marſcalcus Regni Poloniæ, ac Leopolienſis, & Camecenſis Capitaneus, JOANNES de Lasko Præpoſitus Poſnanienſis, Cancellarius eiuſdem Regni, & CHRISTOPHORUS de *Schidlowiecz* Dapifer Cracovienſis, Curiæque Regis Poloniæ Theſaurarius, & Capitaneus Siradienſis, Sereniſſimi Principis & Domini, Domini SIGISMUNDI Dei gratia Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Domini & Hæredis, &c. Domini noſtri Clementiſſimi Oratores, per ipſius Maieſtatem ad Sereniſſimum Principem, & Dominum, Dominum VLADISLAUM eadem gratia Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Regem, nec non Sleſiae, et Lucemburgenſem Ducem, Marchionemque Moraviae, et Luſaciae etc. Dominum colendiſſimum, in præſentiarum deſtinati, Univerſis quibus expedit notificamus; Quod cum omnis humanarum rerum, et privata, et publica actio Jure quodam naturae in hunc finem dirigatur, ut hominibus proſit, et eorum commodis ſerviat, et opituletur, non immerito tamen primum ſibi locum hac in parte vendicare videtur, quae publica appellatur, utpote quae authoritate praeſtans, et quadam quaſi Maieſtate praedita, quidquid graviter, et conſtanter aggreditur, non dubitat eo ſtudio eaque fide proſequi, ut in proceſſu ſtrenua, et in exitu magnifica et laudanda bonorum iudicio cenſeatur.

In primis autem ea fuerit potiſſima, et omni laude praedicanda, quae bonis Regibus peculiari quadam vi naturae indita eſt, ut mortalium paci, et otio proſpiciat et ſuffragetur, ac demum inter eos diverſis artibus amicitiam, fidem, et amorem conciliet, unde poſthac omnium rerum, quae ad bene, beateque vivendum attinent, copia facile ſuppeditari ſolet; hinc Sacrarum rerum, et Religionis propagandae omnis cura, et ſollicitudo ſuboritur, frequenteſque fumant votis felicibus Aræ, hinc etiam bonis, et iuſtis Rectoribus ſupra nominis immortalitatem, cœleſtis vitae praemium acquiri, et promereri omnium ſapientum ſententia perhibetur, ut eos non immerito, qui ita rebus his publicis, quibus praefuerunt, ſaluti, commodis, pacique, et otio conſuluerunt, in Deorum numerum conſecrare non dubitaverit antiquitas. His itaque rebus praedictis Sereniſſimus Rex noſter Dominus SIGISMUNDUS perſvaſus, Senatu Regni ſui non modo aſſentiente, verum etiam velut precum calcaria ſponte currenti, ut dicitur, admovente, cum plena poteſtate, et ſcripto Mandato Nos ad hanc Sacram Maieſtatem fraternam Hungariae miſit, qui caeteris Regibus, qui Pacis artibus Populos ſibi ſubiectos regere, quique effigiem iuſti et legitimi Imperii referre ſtudent, ſpeculum praebet et exemplar, ut apud poſteros teſtatum etiam relinqueret, et germanitatis vinculum, ultro citroque ſibi eſſe chariſſimum, et iiſdem ſtudiis cordi ſibi eſſe de Republica Chriſtiana bene mereri. Itaque cum ſua Maieſtate, ſapientiſſimoque, et graviſſimo inclyti Regni ſui Hungariae Senatu, ea freti pietate ad has leges perpetuae Pacis, et amicitiae, ac ſocietatis, et Faederis inter Maieſtates eorum, et Maieſtatum ſuarum Hungariae et Poloniae Regna, more Maiorum ſuorum, qui his Regnis, feliciter praefuerunt & hunc ordinem amicitiae et communis defenſionis tenuerunt contra omnes hoſtes, quocunq; cognomine cenſeantur, infideles, ſive ſint etiam Schiſmatici, ſive Chriſtiani, devenimus, cuius tenor in haec verba ſequitur. Nos VLADISLAUS Dei gratia Hungariae, Bohemiae, Craotiae, etc. Rex, nec non Sleſiae et Lucemburgenſis Dux, Marchioque Moraviae et Luſatiae etc. memoriae commendamus tenore Praeſentium ſignificantes, quibus expedit Univerſis. Cogitantibus Nobis, animoque repetentibus quaenam elapſis retro temporibus Hungarici pariter ac Polonici Sceptri in ſumma Imperii moderanda fuerit Inſtitutio, & quo ductu, quibuſve artibus utriuſque res domi, foriſque concreverint, facile animadvertimus, pleroſq, quinimo ferme omnes, qui his potiti ſunt Regnis Principes, ſingulari quadam amicitia, mutuiſque officiis, ultro, citroque fuiſſe devinctos, eamque copulam & ſecundis in rebus decori, ornamentoque, & ſi quid forte adverſi (ut res ſunt mortalium) evenerat, præſidio, ac levamento extitiſſe. Nullae enim ſtabiliores ad Regna propaganda opes comparari queunt, quam Rectorum eadem ſentientium firma, indiſſolubiliſque coniunctio. Quod ſi illos tam benivole inter ſe degiſſe accepimus, quos commodi duntaxat publici ratio, Regionumque vicinitas in fide, amoreque continebant, quo Nos tandem confæderationis nexu cum Sereniſſimo Principe Domino SIGISMUNDO Poloniæ Rege, ac Magno Duce Litvaniæ &c. Fratre germano noſtro dilectiſſimo vinctos, conſociatoſque eſſe decet, ubi ad ea, quæ ſuperiores quoque Principes mirum in modum conciliarunt, tam arctiſſimum ſangvinis vinculum accedit, ut reliquos inter Reges, Fædera, rebus urgentibus expoſtulata, accerſitaque, Nobis vero propinquitatis iure, legeque naturæ quaſi inſita, & innata eſſe videantur. Cum autem per ſeipſum ſatis validum

ANNO 1507.

ANNO 1507 dum, & velut inexplicabile sit germanitatis vinculum, ex ea tamen consvetudine, qua cum ipso Serenissimo Rege SIGISMUNDO, dum hic præsertim apud Nos in Pannonia degeret, dulcissime, iucundissimeque fruebamur, tenacius quodammodo inhæsit, cum tali nimirum modestia, prudentia, integritate, cæterarumq; virtutum agmine fuerit circumseptus, ut Prælatorum quoque omnium, Procerumq; nostrorum huius Regni animos, charitatemque in se converterit. Cui cum divina nuper Providentia Poloniæ habenas regendas, ac moderandas tradiderit, operæ pretium duximus, utrumque Regnum & locorum propinquitate, & Principum concordia, licet antehac etiam unitum, novis tamen Fæderibus magis, magisque deinceps coniungere, ac devincire, ut alterum alterius ope, subsidioque munitum, plus in dies splendoris, incrementique capescat. Sic enim longe expeditius & amicis, deque Christiano nomine optime meritis consulere, & hostium, eorundemq; infidelium vim, insidiasque quasi in commune propulsare licebit, Christianæ denique Reipublicæ, qua nihil antiquius, nihil carius esse decet, dignitatem, amplitudinemque pro virili tueri, ac defensare. Deo itaque ex cuius nutu Reges, Regnaque pendent universa, ineffabili sua clementia Nobis suffragante, inter Nos præfatos VLADISLAUM Hungariæ, & Bohemiæ Regem ab una, & ipsum Serenissimum Principem Dominum SIGISMUNDUM Poloniae Regem ab altera partibus, nostrosque Haeredes et Successores, cum Reverendissimo in Christo Patre, Domino JOANNE LUBRANSKI Episcopo Posnaniensi, ac Spectabili et Magnifico STANISLAO de *Chodecz* Marescalco Regni Poloniae, Leopoliensique et Camenecensi Capitaneo, JOANNE de *Lasko* Praeposito Posnaniensi, et Cancellario Regni eiusdem Poloniæ, & CHRISTOPHORO de *Schidłowicz* dapifero Cracoviensi, Curiæque Regalis Thesaurario, & Siradiensi Capitaneo, Oratoribus & Consiliariis præfatæ fraternæ Maiestatis Poloniæ cum pleno Mandato, plenaque, ac omnimoda facultate a sua Maiestate Universoque Regno, & Statibus Poloniæ, in infra scriptis negotiis ad Nos missis ad Laudem & Gloriam inprimis Nominis sui Sancti, ac deinde pro Reipublicæ Christianæ salute, & defensione, proque Statuum, ac Regnorum, Terrarum & Dominiorum, omniumque subditorum utriusque nostrum conservatione, incremento, & stabilimento, has Confæderationis, & Societatis perpetuæ Leges, vestigiis Prædecessorum nostrorum Regum inhærentes, infra insertis Articulis inscriptas, eo, qui sequitur tenore, sancivimus. ANNO 1507

Inprimis concluſum est, quod Nos cum præfato Serenissimo Domino Rege Poloniæ, Fratre nostro charissimo quemadmodum antea semper, ita etiam deinceps in mutua, ac fraterna charitate, atque intelligentia, & sempiterno amore vivamus, & similiter inter Regna, ac Dominia nostra, præsertim Hungariæ, & Poloniæ, ac Magni Ducatus Litvaniæ sit, & habeatur Fædus, Pax, & tranquillitas perpetua, bonaque, & perfecta vicinitas. Et quod Nos contra quemlibet hostem cuiuscunque Status, dignitatis, & præeminentiæ, Paganum, Schismaticum, & Christianum, nullo excepto, seu excluso, Hungariæ, & Poloniæ Regna, Principatus, Terras, Dominiaque nostra, quæ nunc divina favente Clementia uterque nostrum possidet, & possessurus est, ac quæ ad Nos, Regnaq; nostra nunc pertinent, & in futurum pertinebunt, invadentem, invadereque volentem, iuxta Conditiones infrascriptas, Nos, & Regna nostra se adiuvabimus, & auxilia invicem faciemus, demptis tamen & reservatis omnibus Confæderatis, & cum quibus Pacem pro nunc habemus, quousq; videlicet iidem in huiusmodi Pace, et Confæderatione Nobiscum permanebunt.

Item quod quotiescunque dabitur opportunitas, & Nos concordi, ac unanimi voluntate, assistente auxilio divino contra Turcos, aut alter nostrum seorsum contra Turcos, vel Tartaros generalem aliquam expeditionem facere voluerimus, seu voluerit, istud semper fiat cum consilio, & imploratione auxilii a sede Apostolica, atque cæteris Principibus Christianis. Itaque tale subsidium dum petendum erit, per communes Oratores petatur, ut omnia inter Nos unanimi voluntate agi, & tractari videantur.

Item quia ex parte Moldaviæ, ac Woiewodarum eiusdem variæ hucusque, & quidem periculosæ interdum differentiæ inter Serenissimos Prædecessores nostros Reges Hungariæ, ac Poloniæ extitere, postquam igitur Nos duo Germani Fratres iisdem Parentibus editi, habenas Imperiorum eorundem Regnorum moderamur, utpote Nos VLADISLAUS Hungariæ, pariter & Bohemiæ, ipse vero Serenissimus Princeps & Dominus, Dominus SIGISMUNDUS Poloniæ, Patrio & avito Regnis præsumus, & feliciter gubernamus, id, quod non absque divina dispositione factum esse credimus, quo omnis occasio futuræ alicuius alienationis animorum, seu discordiæ inter Nos, & Regna nostra, vel etiam impedimenti, quod hanc Sanctam expedi-

ANNO 1507. expeditionem, quam contra Turcos, ac alios infideles, & Crucis Dominicæ hoſtes oppitulante ipſo Deo facere intendimus, impedire poſſet, e medio tollatur quoque hæc noſtra, & Regnorum noſtrorum coniunctio, intelligentia, & Societas pro ſtabilimento & propagatione eorundem Regnorum, & Dominiorum, conſervationeque omnium ſubditorum noſtrorum facilius perfici, & perfecta perpetuo etiam conſervari, & perennare poſſit, concluſum eſt, ut viventibus Nobis, & præfata fraterna Maieſtate Sereniſſimi Domini SIGISMUNDI Poloniæ Regis, ac utriusque noſtrum Hæredibus, & Poſteritatibus legitimis, in iſtis Regnis per Electionem unanimem, atque concordem Regnicolarum Regnantibus, ratione dictæ Terræ Moldaviæ, vel Woiewodarum eiusdem, nullæ unquam differentiæ, lites, vel diſcordiæ inter Nos, & Regna noſtra oriantur, ſed Terra illa apud Nos, & hoc Regnum, Sacramque Coronam, & Regnum Hungariæ maneat, ipſeque Woiewoda pro tempore conſtitutus Nos & Hæredes noſtros pro Domino ſuo cognoſcat, & fidelitatis homagium ſemper præſtare debeat. Poterimus tamen Nos Reges, & hæredes noſtri prædicti cum conſilio, & conſenſu Dominorum Prælatorum, & Baronum, cæterorumque Regnicolarum utrorumque Regnorum, de concordia facienda ſuper Terra, & Woiewoda Moldaviæ tentare, ne præterea deficientibus Hæredibus noſtris, quod Deus avertat, bellum aliquod proinde inter Regna ſuboriatur, ita tamen, quod ſi ipſa concordia per Nos & Hæredes noſtros non finiretur, nullæ propterea differentiæ & lites oriantur, ſed hoc Faedus habeat robur. Interea vero temporis diuturnitas iuribus utriusque Regni nullum afferat nocumentum.

Item dum & quando Nos aut Regnum Hungariæ, Hæredesque & Succeſſores noſtri divina auxiliante Clementia expeditionem aliquam generalem contra eosdem Turcos facere voluerimus, vel etiam ſi Imperator Turcorum, aut Tartarorum in Perſona veniret, vel Filios, aut Duces Tartarorum, vel Turcus Baſſam aliquem cum omni ſua potentia & viribus ſuis contra Nos, & Regna noſtra, partesque ſibi ſubiectas mitteret, ne prædictus Woiewoda Moldavienſis tam præſens, quam etiam futurus poſt accepta beneficia a Nobis, & hoc Regno noſtro Hungariæ, defenſioni Chriſtianæ Reipublicæ, præſertim vero horum Regnorum deſit, ſeque a ferendo auxilio quoquo modo abſtrahat, concluſum eſt, ut Nos Rex Hungariæ ipſum inducere, atque cogere debeamus, ut penes Nos cum omni potentia ſua, & totis viribus ſuis inſurgat, qui ſi hoc pacto inſurgere noluerit, aut ſe Nobis aliter qualitercunque rebellem oſtenderit, vel etiam ſi propterea in tantum neceſſitas exigeret, ut talis rebellis Woiewoda etiam de Regno, & Terra Moldaviæ deturbandus, & expellendus eſſet, in tali caſu prædictus Rex Poloniæ Dominus Frater noſter, a Nobis ſuperinde requiſitus, Nobis ad hoc totis viribus ſuis, & omni potentia ſua iuvare, & auxiliari tenebitur, & hoc etiam inter Hæredes noſtros ſervandum intelligatur. ANNO 1507.

Item quia Nos præfatum Woiewodam Moldavienſem, Succeſſoresque ſuos in iuſtis ſuis Limitibus, & Terris per eundem, ac Prædeceſſores ſuos antiquitus poſſeſſis, & ad ipſam Terram Moldavienſem pertinentibus, tanquam fidelem noſtrum, & Sacræ Coronæ Hungariae contra quoscunque defendere, & protegere debemus, ſi tamen idem Woiewoda Terras dictæ fraternæ Maieſtatis & Regni Poloniae, ac de iure ad ipſum & Terram ſuam non pertinentes occupare, vel aliter qualitercunque contra voluntatem noſtram praefatae fraternae Maieſtati bellum inferre auſu quodam temerario vellet, aut etiam Turcos, ſeu Tartaros in perniciem Chriſtianitatis contra dictum Dominum Regem & Regnum Poloniae induceret, & hoc evidenter, ac probabiliter conſtaret, in hoc caſu nolumus illi contra dictam fraternam Maieſtatem, ſed potius eidem Fraternae Maieſtati contra illum auxiliari, & contra eundem Woiewodam tanquam noſtrum, & Regni noſtri Hungariae rebellem, & Regni Poloniae hoſtem, una cum praefato Domino Rege Poloniae per Nos tamen prius ſuperinde requiſito agere, atque eundem Woiewodam Nos Rex Hungariae ad honeſtam, & convenientem damnorum ſatisfactionem compellere volumus.

Item ſi contingeret, quod Woiewodam & Terram Moldaviae Imperator Turcorum, aut Tartarorum vel ambo ſimul invadere ipſiusque Terram occupare vellent, Nosque & hoc Regnum viribus, & potentiis illorum impares eſſemus: in hoc caſu Sereniſſimus Dominus Rex Poloniae per Nos requiſitus cum omni potentia ſua, & Regnorum ſuorum in auxilium noſtrum ad defendendum dictum Woiewodam inſurgere & venire debeat, ut eundem ab eorun-

ANNO 1507. dem Imperatorum, & cuiuslibet eorum invaſione, ſubiectioneque, paribus, & coniunctis viribus liberemus. Quam primum tamen illum a manibus, & potentia dictorum hoſtium eliberaverimus, tenebitur ipſe Dominus Rex Poloniae cum univerſo Exercitu ſuo e veſtigio de eius Regno exire, ac redire, & Regnum illud in Pace, prout nunc eſt, Nobis, & huic Regno relinquere.

Item ſi in Turciam pro bono Reipublicae Chriſtianae inter Nos Reges decerneretur; generalis invaſio, tunc qualitercunque, & per quamcunque viam, cum quantove Exercitu ipſe Dominus Poloniae Rex Frater noſter proficiſci, & iter facere debebit. Id communi conſilio, atq; deliberatione diſcernatur, qua habita ipſe Sereniſſimus Dominus Rex Poloniae tandem proficiſci, & ſe gerere debebit, & ſi aut veniendum, aut mittendum Gentes ſuae Maieſtati erit, Nos in tali caſu providebimus per hominem noſtrum ſpecialem, ut commode taxato etiam commeatu venire poterit.

Item quaecunuue Caſtra, Civitates, et alia quaecunque loca in eiuſcemodi expeditione a manibus hoſtium recuperata fuerint, ad eadem Regna, & eoſdem Dominos, ad quos antiquitus pertinuerunt redeant, & revertantur, atq; reſtituantur. Si vero prius aut ad Nos, & Regna noſtra, vel eiuſdem Sereniſſimi Domini Fratris Noſtri non pertinuerint, ſed de novo adempta fuerint, inter Nos aequali iuxta & fraternali diviſione, pro magnitudine laborum, & expenſarum ad eadem factarum, dividi debebunt.

Si vero aut Imperator Turcorum vel etiam Tartarorum per ſe propria in Perſona venirent, aut Filii, ſive Duces Tartarorum venirent, aut etiam Baſſam aliquem cum potentia, & integro Exercitu ſuo cauſa occupandi Regnum noſtrum Hungariae, vel Terras Tranſylvaniae, aut Moldaviae mitteret, aut Nandoralbam, vel aliquod Caſtrum finitimum notabile obſideret, ita quod ſub illo moraretur, et pauſaret, in hoc caſu ipſa fraterna Maieſtas cum univerſo Regno ſuo Poloniae, et univerſa potentia, ſemota omni excuſatione inſurgere debet, in auxilium Nobis, et huic Regno noſtro Hungariae venire, aut prout Nobis et Conſiliariis noſtris commodius, et utilius videbitur. Interea temporis dum ipſe Turcus illic occupabitur, ſiquidem ut praefertur, Turcus venerit, ipſe Dominus Rex Poloniae cum Gentibus ſuis alias partes Dominii ipſius Turci hoſtiliter aggredi, aut aliquem locum obſidere, et in tantum urgere debebit, ut ipſe Turcus Regnum noſtrum deſerere, et ad ſua tutanda redire compellatur. Similiter etiam ſi Imperator Turcorum, vel etiam Imperator Tartarorum, aut Filii, ſive Duces eorundem per ſe propria in Perſona venirent, aut etiam Baſſam aliquem cum potentia, et integro Exercitu ſuo contra Regnum Poloniae mitterent, ita, ut illud occuparent, et in eo remanerent, vel Caſtrum Kamieniec, ſeu Leopolim obſiderent, ita, quod ſub illo morarentur, et pauſarent, in hoc caſu Nos quoque viciſſim cum univerſo Regno noſtro Hungariae, totaq; potentia, et viribus noſtris, ſemota omni excuſatione inſurgentes, in auxilium ipſius fraternae Maieſtatis debemus venire, aut prout ſibi et Dominis Conſiliariis commodius, et utilius videbitur. Interea vero temporis, dum videlicet Turcus, ſiquidem Turcus venerit, illic occupabitur, cum Gentibus noſtris alias partes Dominii ipſius Turci hoſtiliter aggredi, aut aliquem locum obſidere, et in tantum urgere debebimus, ut ipſe Turcus Regnum ipſius fraternae Maieſtatis, et Dominia ſua deſerere, et ad ſua tutanda redire compellatur. Item ſi contingeret contra Terram, ſeu Woiewodam Tranſalpinum Turcum inſurgere, et illud Regnum aut ad Officiolatus diſtribuere, vel penitus aliter, quam nunc, per ſe uſurpare voluerit, ex tunc Maieſtas ipſa fraterna, ſi per Nos requiſita fuerit, praefato Woiewodae ſubvenire Nobiſcum una debebit, prout communi conſilio melius videbitur. Quo quidem Regno ab ipſis Turcis eliberato, tenebitur poſtea ipſe Dominus Rex Poloniae cum univerſo Exercitu ſuo quamprimum de illo exire, et redire, et Regnum ipſum pacifice Nobis, et huic Regno Hungariae relinquere.

ANNO 1507.

Si vero hoſtis quicunque alius, quam Turcus, aut Tartarus Regna noſtra, & partes ſibi ſubiectas, vel eiusdem Domini Regis Poloniæ Fratris noſtri invaderet, Pars per alteram in tali caſu requiſita, debebit alteri Parti modo præmiſſo iuvare omni favore, Conſilio, & ſi Regnum eiusdem pro tunc fuerit tranquillum, aliaque gravi neceſſitate eo tempore non premetur, etiam omni poſſibili auxilio adeſſe, ut omnibus et præſertim hoſti illi pateat, et innoteſcat Nos eſſe unum, et quod alter alterum deſerere non intendit.

Item quod neuter noſtrum Regum inconſulto altero aliquam Pacem, et Concordiam cum Turcis facere debeat, ſed ſimul illam habeamus, vel non habeamus.

Et Nos qui cum Illuſtriſſimo Domnio Venetorum una pronunc Treugas cum Turcis habemus, quamprimum expirabunt, pro novis ineundis, et diſponendis

ſimul

Anno 1507. ſimul cum praefato Fratre noſtro Sereniſſimo, medio Oratorum noſtrorum laborabimus.

Et ſi alter noſtrum, altero inſcio Turcas provocaret, aut bellum illis indiceret, ac inferret, in hoc caſu alter alteri bella moventi ſuccurrere non teneatur.

Item ſi aliquando contingeret qualitercunque ex cauſa inter Nos, et ſubditos hincinde noſtros, aut ratione metarum, damnorum, et aliarum quarumcunque rerum, aliquam differentiam, vel diſſenſionem ſuboriri, per hoc Pax iſta perpetua inter Nos, et Dominia noſtra facta, non intelligatur violata, ſed quamprimum per utrumque Regnum noſtrum eligantur more alias conſveto ad loca conſveta certi probi homines, qui huiuſmodi differentias videant, et ſolum Deum prae oculis habentes, ſub firmiſſimo iuramento iuſtitiam inter Partes faciant, quemadmodum antiquitus ſemper obſervatum, et adhuc tempore Sereniſſimorum quondam Casimiri Poloniæ Genitoris noſtri chariſſimi, ac Mathiæ Hungariae, Regum felicis reminiſcentiae, ordinatio facta fuit, ita, ut nulla unquam occaſio infringendae huius Pacis praeſtetur.

Item quod ſalva ſunt iura Negotiatorum in utroque Regno antiquitus ſervata. Item quemadmodum uterque noſtrum, et Regna noſtra invicem aſſiſtere, conſiliaque, et auxilia contra hoſtes modo praemiſſo invicem praeſtare debeant, ſic nullus noſtrum Regum in dampnum, iacturam, moleſtiam, iniuriam, et perturbationem alterius et Regnorum ſuorum cum aliquo Principe, aut homine cuiuſcunq; Status et Conditionis exiſtente ſe confaederare, aut amicitias quocunque modo contrahere debeat. Quae omnia et ſingula ſupra ſcripta Nos Vladislaus Rex ſupra ſcriptus, in omnibus Punctis, Conditionibus, et Articulis rata, et grata habentes in Verbo noſtro Regio promittimus et pollicemur pro Nobis, et Hæredibus noſtris firmiter et illaeſe obſervare, obſervarique, teneri, et adimpleri facere. Harum noſtrarum, quibus ſecretum Sigillum noſtrum, quo ut Rex Hungariae utimur, eſt appenſum, vigore et teſtimonio Literarum mediante. Datum Budae Feria Sexta proxima ante Feſtum Sanctae et individuae Trinitatis. Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Septimo. Nos igitur qui ſupra dictam Pacem, et Amicitiam perpetuam ſupra ſcriptis modis et conditionibus inter Maieſtates Regum, et Regna praedicta ipſorum, Legationis poteſtate, et Mandati publici Officio confecimus, acceptavimus, praeſentibuſque Literis bona fide promittimus, et pollicemur, quod cum primum ad Maieſtatem Domini noſtri Regis revertemur, Literas ſuae Maieſtatis Regiae mittemus, et hanc fidem, et obligationem noſtram redimemus, terminum ſupremum eidem miſſioni, diem Sancti Michaelis proximum aſſignantes, quibus haec omnia, quae ad huiuſmodi Pacem, Amicitiam, Faederiſque Societatem attinent, ſua Maieſtas confirmabit, tenereque, et adimplere perpetuo ſe obligabit. In fidem autem et teſtimonium praedictorum appendimus Sigilla noſtra praeſentibus Literis noſtris. Datum Budae Feria Secunda proxima poſt Feſtum Sanctae Trinitatis. Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Septimo. Anno 1507.

## XLIII.

*Approbatio, et Ratificatio eiuſdem Fœderis per* Sigismundum *Regem Poloniæ, in Conſilio Generali Piotrcovienſi facta, die 1.* Aprilis Anno 1509. *Ex Originali cum Sigillo* Sigismundi *Regis, & aliis 33. Sigil. Conſiliariorum.* 1509.

Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiaeque etc. Dominus et Haeres. Significamus tenore Praeſentium quibus expedit Univerſis. Quia ſaepenumero audivimus, omnes illos Reges et Principes, qui uſquam poſt homines natos creari caeperunt, immortalitatem nomini ſuo, decuſque aeternum, et gloriam peperiſſe, qui Populos ſibi ſubiectos non tam regnando, quam iuſte, et clementer, atque cum ſumma animi moderatione in Pace, et in bello regendo, omnibus rebus, quae ad bene, beateque vivendum pertinent, augere, et cumulare ſtuduerunt, quique ita vitae ſuae curſum tenere voluerunt, ut et viventes, ac demum fato functi, et eſſent, et exiſtimarentur digni, quorum Imperio parere, et obtemperare Univerſi non ſolum paterentur, ſed etiam ſponte appeterent. Ea vero comparari ſolent his artibus, quibus domi, foriſque ſtrenue exercendis publice florentes efficiuntur. Cum igitur poſt mortem Divi Regis Alexandri germani noſtri chariſſimi, qui proxime ante Nos his regnis praefuit, quibus et Nos Superis iuvantibus nunc praeſumus, communi omnium conſenſu, et voluntate ad Nos ſumma Imperii eorundem Regnorum delata ſit, ut pro tantis meritis grati animi voluntatem apud omnes homines teſtatam relinquamus, diu multumque cogitantes, ut tales Principes

ANNO 1509 cipes aliqua ſaltim in parte aemulari, et ab eis formulam vivendi mutuari poſſimus, id noſtro potiſſimum inſedit animo, ut imprimis Paci, et Otio ipſorum proſpiciamus, ac demum pro virili noſtra id demus operam, ut omni cura et ſtudio caetera peragamus, quae commodo et ornamento ſint ipſis undecunque futura. Maior autem opportunitas nulla unquam ad hoc patuit, quam ut Nos cum Sereniſſimo Principe Domino VLADISLAO Hungariae, et Bohemiae Rege, germano noſtro chariſſimo, natu maiore, quem ſemper loco Parentis colere conſvevimus, Regnaque item utriuſque noſtrum Poloniæ, & Hungariæ, perpetuo, & indiſſolubili nexu amicitiæ, & Societatis contra quoſcunque hoſtes, quocunque cenſeantur nomine, coniungamus, et confæderemus, quemadmodum id ipſum etiam antiquitus inter ipſa Regna fieri Literarum Monumentis memoriæ proditum eſt. Quam quidem amicitiam, Societatem, et Confæderationem iam ſuperioribus his diebus opera, et induſtria Oratorum, et Conſiliariorum noſtrorum, et Regni noſtri, Reverendorum videlicet in Chriſto Patrum Dominorum JOANNIS LUBRANSKI Episcopi Poſnanienſis, et JOANNIS LASKI Coadiutoris perpetui Eccleſiæ Gneſnenſis, Regnique noſtri Cancellarii, Magnificique et Generoſi STANISLAI de *Chodecz*, Regni noſtri Marſchalci, Leopolienſis, et Camenecenſis Capitanei, et CHRISTOPHORI de *Szidlowicz* Succamerarii Cracovienſis et Siradienſis Capitanei, ſincere Nobis dilectorum, cum pleno Mandato, a Nobis et toto Senatu Regni noſtri ad ipſum Sereniſſimum VLADISLAUM Regem, et ſuae Maieſtatis Regni Hungariae graviſſimum et ſapientiſſimum Senatum miſſorum, divina Nobis ad id gratia ſuffragante, ex cuius nutu Reges et Regna pendere univerſa perhibentur, ſub conditionibus infraſcriptis confecimus. Imprimis itaque concluſum eſt, quod Nos cum praefato Sereniſſimo Domino VLADISLAO Rege Hungariae Fratre noſtro chariſſimo, quemadmodum antea ſemper, ita et deinceps in mutua, et firma charitate, atq; intelligentia, et ſempiterno amore vivamus, et ſimiliter inter Regna, et Dominia noſtra, praeſertim Hungariae et Poloniae, ac Magni Ducatus Litvaniae ſit et habeatur Faedus, Pax, et Tranquillitas perpetua, bonaque et perfecta ſecuritas, et quod Nos contra quemlibet hoſtem cuiuſcunq; Status, Dignitatis, Conditionis et Præeminentiae, Paganum, Schiſmaticum, et Chriſtianum, nullo excepto, ſeu excluſo, Hungariæ et Poloniae Regna, Principatus, Terras, Dominiaq; noſtra, quae nunc Divina favente Clementia uterque noſtrum poſſidet, et poſſeſſurus eſt, ac quae ad Nos, Regnaque noſtra nunc pertinent, et in futurum pertinebunt, invadentem, invadereque volentem, iuxta conditiones infra ſcriptas Nos et Regna noſtra adiuvabimus, et auxilia invicem faciemus, demptis tamen et reſervatis omnibus Confaederatis, et cum quibus Pacem pronunc habemus, quouſque videlicet iidem in huiuſmodi Pace et Confaederatione Nobiſcum permanebunt. Item quod quotieſcunque dabitur opportunitas, et Nos concordi ac unanimi voluntate, aſſiſtente auxilio Divino contra Turcos, vel Tartaros generalem aliquam expeditionem facere voluerimus, ſeu aliquis noſtrum voluerit, iſtud ſemper fiat cum Conſilio, et imploratione auxilii a ſede Apoſtolica, atque caeteris Principibus Chriſtianis, ita quod tale ſubſidium dum petendum erit, per communes Oratores petatur, ut omnia inter Nos unanimi voluntate agi et tractari videantur. Item quia ex parte Moldaviae, ac Waywodarum eiusdem, variae hucuſque, et quidem periculoſae interdum differentiae inter Sereniſſimos Praedeceſſores noſtros Reges Hungariae, et Poloniae extitere, poſtquam igirur Nos duo germani Fratres, iiſdem Parentibus editi habenas inpraeſentiarum eorundem Regnorum moderamur, utpote Nos SIGISMUNDUS Patrio et avito Poloniae, pariter et Litvaniae, ipſe vero Sereniſſimus Princeps, et Dominus, Dominus VLADISLAUS Hungariae, et Bohemiae Regnis praeſumus, et feliciter gubernamus, idque non abſque divina diſpoſitione factum eſſe credimus, quo omnis occaſio futurae alicuius alienationis animorum, ſeu diſcordiae inter Nos, et Regna noſtra vel etiam impedimenti, quod hanc Sanctam expeditionem, quam contra Turcos, ac alios infideles, et Crucis Dominicae hoſtes opitulante ipſo Deo facere intendimus, impedire poſſet, e medio tollatur quoque haec noſtra, et Regnorum noſtrorum coniunctio, intelligentia et ſocietas, pro ſtabilimento et propagatione eorundem Regnorum, et Dominiorum, conſervationeque omnium ſubditorum noſtrorum facilius perfici, et perfecta perpetuo etiam conſervari, et permanere poſſit; concluſum eſt, ut viventi-Nobis, et praefata fraterna Maieſtate Sereniſſimi Domini VLADISLAI Hungariae Regis, ac utriuſque noſtrum Haeredibus, et Poſteritatibus legitimis ex parte maſculina ſangvinis noſtri in iſtis Regnis per electionem unanimem, atque concordem Regnicolarum regnantibus, ratione

ANNO 1509

ANNO 1509 ratione dictae Terrae Moldaviae, vel Waywodarum eiusdem nullae unquam differentiae, lites, vel discordiae inter Nos, et Regna nostra oriantur, sed Terra illa apud eundem Sereniſſimum Dominum VLADISLAUM Regem, Sacramque Coronam, et Regnum Hungariae maneat, ipseque Waywoda pro tempore constitutus ipsum Dominum VLADISLAUM Regem, Haeredesque suos praedictos pro Domino eorum cognoscat, et fidelitatis homagium semper praestare debeat. Poterimus tamen Nos Reges, et Haeredes nostri praedicti, cum Consilio et consensu Dominorum Praelatorum, et Baronum, caeterorumque Regnicolarum utrorumq; Regnorum, de concordia facienda super Terra et Waywoda Moldaviae tentare, ne propterea deficientibus Haeredibus nostris, quod Deus avertat, bellum aliquod proinde inter Regna suboriatur: ita tamen, quod si ipsa concordia per Nos, et Haeredes nostros non finiretur, nullae propterea differentiae, et lites oriantur, sed hoc Faedus habeat robur. Interea vero temporis diuturnitas Juribus utriusque Regni nullum afferat nocumentum. Item dum et quando Nos, aut Regnum Poloniae, Haeredesque, et Successores nostri divina auxiliante Clementia expeditionem aliquam generalem contra eosdem Turcos facere voluerimus, vel etiam si Imperator Turcorum, aut Tartarorum in Persona veniret, vel filios aut Duces Tartarorum, vel Turcus Bassam aliquem cum omni sua potentia, et viribus suis contra Nos, et Regna nostra, parteſque sibi subiectas mitteret, ne praedictus Waywoda Moldavienſis tam praesens, quam etiam futurus, post tot accepta beneficia ab ipsa Sereniſſima Maiestate, et Regno suo Hungariae, defensioni Christianae Reipublicae, praesertim vero horum Regnorum desit, seque a ferendo auxilio quoquo modo abstrahat, concluſum est, ut ipse Dominus Rex Hungariae ipsum inducere, atque cogere debeat, ut penes Nos cum omni potentia sua, & totis viribus suis insurgat. Qui si hoc pacto insurgere noluerit, aut se aliter qualitercunque rebellem ostenderit, vel etiam si propterea in tantum neceſſitas exigeret, ut talis rebellis Waywoda etiam de Regno, & Terra Moldaviae deturbandus, & expellendus esset, in tali casu Nos SIGISMUNDUS Rex Poloniae suam Maiestatem, per eam superinde requisiti, ad hoc totis viribus cum omni potentia iuvare, & auxiliari tenebimur, & hoc etiam inter Haeredes nostros servandum intelligatur. Item quia ipse Sereniſſimus Dominus VLADISLAUS Rex praefatum Waywodam Moldavienſem, Succeſſoresque suos in suis iustis Limitibus, & Terris per eosdem & Praedeceſſores suos antiquitus poſſeſſis, & ad ipsam Terram Moldaviae pertinentibus tanquam fidelem suum, Sacraeque Coronae Hungariae contra quoscunque defendere, & protegere debebit: si tamen idem Waywoda Terras nostras, & Regni nostri Poloniae, ac de iure ad ipsum, & Terram suam Moldaviae non pertinentes occupare, vel aliter qualitercunque contra voluntatem suae fraternae Maiestatis bellum Nobis inferre ausu temerario vellet, aut etiam Turcos, seu Tartaros in perniciem Christianitatis contra Nos & Regnum nostrum Poloniae induceret, & hoc evidenter, & probabiliter constaret, in hoc casu non debebit contra Nos sua Maiestas, sed potius Nobis contra illum auxiliari, & contra eundem Waywodam tanquam suum, & Regni Hungariae rebellem, Regnique nostri Poloniae hostem una Nobiscum, prius tamen per Nos superinde requisita, agere atque eundem Waywodam ipse Dominus Rex Hungariae ad honestam, & convenientem damnorum nostrorum satisfactionem compellet. Item si contingeret, quod Waywodam & Terram Moldaviae Imperator Turcorum, aut Tartarorum, vel ambo simul invadere, ipsiusque Terram occupare vellent, suaque Maiestas & Regnum Hungariae viribus & potentiae illorum impares essent: in hoc casu Nos SIGISMUNDUS Rex Poloniae, per suam Maiestatem requisiti, cum omni potentia nostra & Regnorum nostrorum in auxilium suae Maiestatis, ad defendendum dictum Waywodam insurgere, & venire debemus, ut eundem ab eorundem Imperatorum, & cuiuslibet eorum invasione, subiectioneque, paribus & iunctis viribus liberemus. Quam primum tamen illum Waywodam a manibus, & potentia dictorum hostium eliberaverimus, tenebimur Nos SIGISMUNDUS Rex cum Universo Exercitu nostro e vestigio de Regno eius exire, & redire, & Regnum illud, prout nunc est, fraternae Maiestati, & suo Regno relinquere. Item si in Turciam pro bono Reipublicae Christianae inter Nos Reges decerneretur generalis invasio, tunc qualitercunque, & per quamcunque viam, cum quantove Exercitu Nos Poloniae Rex proficiscì, & iter facere debebimus, id communi consilio, atque deliberatione discernatur, qua habita tandem proficiscì & se gerere debebimus. Et si aut veniendum Nobis, aut mittendum gentes erit, tum Sacra ANNO 1509

ANNO 1509. Maiestas Hungariæ fraterna, in tali casu providebit per hominem suum specialem, ut commode taxato etiam commeatu venire possimus. Item quæcunque Castra, Civitates & alia quæcunque loca in eiuscemodi expeditione, a manibus hostium recuperata fuerint, ad eadem Regna, & eosdem Dominos, ad quos antiquitus pertinuerant, redeant, & revertantur, atque restituantur. Si vero prius ad Nos, & Regna nostra, vel eiusdem Serenissimi Domini Fratris nostri non pertinuerunt, sed de novo adempta fuerint, inter Nos æquali, iusta, & fraternali divisione, pro magnitudine laborum, & expensarum ad eadem factarum, dividi debebunt. Si vero aut Imperator Turcorum, vel etiam Tartarorum per se propria in Persona veniret, aut Filii sui Duces Tartarorum venirent, aut etiam Bassam aliquem cum potentia, & integro Exercitu suo, causa occupandi Regnum Hungariæ, vel Terras Transylvaniæ, aut Moldaviæ mitteret, aut Nandoralbam, vel aliquod Castrum finitimum notabile obsideret, ita, quod sub illo moraretur, & pausaret, in hoc casu Nos cum Universo Regno nostro Poloniæ, & Universa potentia, semota omni excusatione consurgendo, in auxilium suæ Maiestati, & Regno Hungariæ venire, aut prout suæ Maiestati, & Consiliariis suis commodius, & utilius videbitur. Interea temporis, dum ipse Turcus veniret, Nos cum Gentibus nostris alias partes Dominii ipsius Turci hostiliter aggredi, aut aliquem locum obsidere, & in tantum urgere debebimus, ut ipse Turcus Regnum illud deserere, & ad sua tutanda redire compellatur. Similiter etiam si Imperator Turcorum, vel etiam Imperator Tartarorum, aut Filii, sive Duces eorundem per se propria in Persona venirent, aut etiam Bassam aliquem cum potentia, & integro Exercitu suo contra Regnum Poloniæ, causa occupandi mitterent, & in eo remanerent, vel Castrum Camenecense, seu Leopoliense obsiderent, ita, quod sub illo morarentur, & pausarent, in hoc casu sua quoque Maiestas vicissim cum Universo Regno suo Hungariæ, totaque potentia, & viribus suis, semota omni excusatione insurgendo, in auxilium nostrum venire, aut prout Nobis & Consiliariis nostris commodius, & utilius videbitur. Interea temporis dum videlicet Turcus (siquidem Turcus venerit) illic occupabitur cum Gentibus suis, alias partes Dominii ipsius Turci hostiliter aggredi, aut aliquem locum obsidere, & in tantum urgere debebit, ut ipse Turcus Regnum ipsum nostrum & Dominia nostra deserere, & ad sua tutanda redire compellatur. Item si contingeret contra Terram, seu Waywodam Transalpinum Turcum insurgere & illud Regnum, aut ad Officiolatus distribuere, vel penitus aliter, quam nunc, pro se usurpare voluerit, extunc cum ipsa Maiestate fraterna, si per eam requisiti fuerimus, præfato Waywodæ subvenire debebimus, prout communi consilio melius videbitur. Quo quidem Regno ab ipsis Turcis eliberato tenebimur postea cum Universo Exercitu nostro quam primum de illo exire, & redire, & Regnum ipsum prædictæ Maiestati fraternæ, ac Regno Hungariæ pacifice, relinquere. Si vero hostis alius quicunque quam Turcus, aut Tartarus Regna nostra, & partes subiectas, vel eiusdem Domini Regis Hungariæ Fratris nostri invaderet, Pars per alteram in tali casu requisita debebit alteri Parti modo præmisso invasae omni favore, consilio, & si Regnum eiusdem protunc fuerit tranquillum, aliaque gravi necessitate eo tempore non premeretur, & omni possibili auxilio adesse, ut omnibus, & præsertim hosti illi pateat & innotescat, Nos esse unum, & quod alter alterum deserere non intendit. Item quod neuter nostrum Regum inconsulto altero aliquam Pacem, vel Concordiam cum Turcis facere debeat, sed simul illam habeamus, vel non habeamus; & Serenissimus Dominus Rex Hungariæ, qui cum Illustrissimo Domino Venetorum una pro nunc Treugas cum Turcis habet, quam primum exspirabunt, pro novis ineundis & disponendis simul Nobiscum, & Nos cum sua Maiestate medio Oratorum nostrorum laborabimus; & si alter nostrum altero inscio Turcos provocaret, aut bellum illis indiceret, aut inferret in hoc casu alter alteri bella moventi succurrere non teneatur. Item si aliquem contingeret qualicunque ex causa inter Nos & subditos hincinde nostros, aut ratione metarum, damnorum, vel aliarum quarumcunque rerum aliquam differentiam, vel dissensionem suboriri, per hoc Pax ista perpetua inter Nos, & Dominia nostra facta, non intelligatur violata, sed quamprimum per utrumque nostrum Regnum eligantnr more alias consveto ad loca consveta certi probi homines, qui huiusmodi differentias videant, & solum Deum præ oculis habentes sub firmissimo iuramento iustitiam inter Partes faciant, quemadmodum antiquitus semper observatum

ANNO 1509

&

ANNO 1509 & adhuc tempore Sereniſſimorum quondam CASIMIRI Poloniæ, Genitoris noſtri chariſſimi, & MATHIÆ Hungariae Regum felicis reminiſcentiae ordinatio facta fuit, ita, ut nulla unquam Occaſio infringendae huius Pacis praeſtetur. Item quod ſalva ſint Jura negotiatorum in utroque Regno antiquitus ſervata. Item quemadmodum uterq; noſtrum, et Regna noſtra ſibi invicem aſſiſtere, Conſiliaque, et auxilia contra hoſtes modo praemiſſo invicem praeſtare debeant, ſic nullus noſtrum Regum in damnum, iacturam, moleſtiam, iniuriam, vel perturbationem alterius, et Regnorum ſuorum cum aliquo Principe, aut homine cuiuſcunque Status, et conditionis exiſtente ſe confaederare, aut amicitias quocunque modo contrahere debeat. Quae omnia ſupra ſcripta Nos SIGISMUNDUS Rex ſupra ſcriptus in omnibus punctis, conditionibus, et articulis, rata, et grata habentes, in verbo noſtro Regio promittimus, et pollicemur pro Nobis, et Haeredibus noſtris, firmiter et illaeſe obſervare, et adimplere, obſervarique, et adimpleri facere harum noſtrarum, quibus Sigillum noſtrum eſt appenſum, vigore, et teſtimonio literarum mediante. Datum in Conſilio Piotrcovienſi generali prima die Aprilis Anno Domini Milleſimo, quingenteſimo Nono, Regni vero noſtri Anno Tertio,

*Ego* ANDREAS *Archiepiſcopus Gneſnenſis et Regni Poloniæ Primas*, JOANNES *Cracovienſis*, VINCENTIUS Vladislavienſis, JOANNES Poſnanienſis, LUCAS Varmienſis, ERASMUS Plocenſis, et MATHIAS Premislienſis, Regnique Poloniae Vicecancellarius, Epiſcopi: SPYTKO de *Iaroslaw* Caſtellanus Cracovienſis, NICOLAUS de *Kamieniec* Cracovienſis, NICOLAUS LUBRANSKI Caliſienſis, AMBROSIUS PAMPOWSKI Siradienſis, et Mariemburgenſis, Capitanei, JAROSLAUS de *Laſſko*, JOANNES NICOLAUS de *Kretefow* Junivladislavienſis, STANISLAUS KMITA de *Wiśnicz* Ruſſiae, OTHO de *Chodecz* Podoliae, NICOLAUS FIRLEY de *Dambrowica* Lublinenſis, STANISLAUS de *Strzensko* Plocenſis, PRANDOTA de *Trzozana* Ravenſis, et JOANNES ODROWAŻ de *Sprowa* Belſenſis Palatinus, JOANNES ZARAMBA de *Kalmow* Poſnanienſis, JOANNES JAXANTH de *Brudzow* Caliſienſis Caſtellani, JOANNES de *Laſſko* Coadiutor perpetuus Eccleſiae Gneſnenſis Regni Poloniae Cancellarius, Poſnanienſis et Plocenſis Eccleſiarum Praepoſitus, STANISLAUS de *Chodecz* Marſchalcus Regni Poloniae, Leopolienſis, et Camenecenſis Capitaneus, JANUSSIUS LATALSKI Gneſnenſis, JOANNES de *Przeramb* Siradienſis, ANDREAS ZAIM Lancicienſis, ANDREAS de *Oporow* Breſtenſis, STANISLAUS de *Kościelec* Junivladislavienſis, JACOBUS de *Srekluka* Woinicenſis, ANDREAS de *Kościelec* Vislicienſis, JOANNES de *Kamieniec* Leopolienſis, NICOLAUS de *Pidcza* Premislienſis, THOMAS de *Bartniki* Plocenſis, ANDREAS de *Radzieiowice* Sochaczovienſis, PETRUS de *Niemiglowy* Ravenſis, ANDREAS de *Cuthna* Goſtinenſis, STANISLAUS KUROPATWA de *Łancuchow* Chełmenſis, JACOBUS de *Pothphilipio* Camenecenſis Caſtellanus, CHRISTOPHORUS de *Szydłowiec* Succamerarius Cracovienſis, & Siradienſis Capitaneus, & STANISLAUS *Jaroczk* Curiae regalis Marschalcus, Praelati, & Barones, ac Proceres praedicti, Regni Poloniae apud Sacram Regiam Maieſtatem glorioſiſſimique Domini noſtri Regis conſtituti, praedicto Sereniſſimo Domino VLADISLAO Regi Hungariae &c. promittimus, & pollicemur, quod Nos ad obſervandos praedictos Articulos Pacis, & mutuae intelligentiae eidem glorioſiſſimo Domino, Domino SIGISMUNDO Regi ſemper fideles, & ſinceri Conſultores erimus, & quod Nos quoque eosdem Articulos pro perpetua quiete, & conſervatione horum Regnorum, quantum ad Nos attinet, & in Nobis erit firmiter obſervabimus, ſine omni dolo, & fraude. ANNO 1509

## XLIV.

1510.

SIGISMUNDI *Regis Poloniæ Literæ plenæ poteſtatis, ad componendas controverſias inter confines Poloniæ, & Hungariæ Commiſſariis datæ d.* 1. *Octob:* Anno 1510. *Ex Arch: Theſauri Regni.*

SIGISMUNDUS DEI Gratia Rex Poloniæ &c. Significamus tenore præſentium, quia fraternum amorem cum Sereniſſimo Domino VLADISLAO Rege, & Regno eius Hungariæ, Fædus, Amicitiam, & bonam vicinitatem ſervare volentes, convenimus cum eius Maieſtate ſuper revidendis, ſarciendis, & complanandis iniuriis, damnis, & controverſiis, inter confines ſubditos Regnorum noſtrorum exortis, Commiſſarios ab utraque parte

Anno 1510. mittere, qui simul convenientes iniurias & controversias dirimant, sistant, ac sarciant. Cum autem ipse Sereniſſimus Rex Hungariæ nihil cunctatus Magnum, & Egregium Gabrielem de *Peren* Comitem *Ugerha*, & Cubiculariorum Præfectum, & Magistrum Stephanum Henrgeffi causarum Judicem Consiliarios, & Commissarios suos cum pleno Mandato ad eam rem designarit, Nos pro nostra parte Vos Stanislaum Kmita de *Viśnice* Russiæ, & Joannem Odrowąż Belsensem Palatinos, & Andream *Czuzilo* Castellanum Premislienſem Consiliarios nostros similiter designamus ad componendas una cum præfatis Sereniſſimi Domini Regis Hungariæ Consiliariis, omnes inter Nos & Regnorum nostrorum subditos controversias, & sarciendas iniurias, ac damna, damusque, & concedimus vobis plenam potestatem, omnium controversiarum causas audiendi, componendi, complanandi, ius dicendi, & excessus in quibuslibet personis puniendi. Promittentes ratum, gratumque habere, quidquid cum præfatis Sereniſſimi Domini Regis Hungariæ Consiliariis constitueritis, & decreveritis pro bono Pacis perpetuæ inter Regna nostra conservandæ. In cuius rei fidem præsentes manu nostra subscripsimus, & Sigillo nostro communiri fecimus. Dat. d. 1. 8bris An. 1510.

## XLV.

1512. Sigismundus *Rex Legatos mittit ad desponsandam sibi Illustrissimam* Barbaram Stephani *de Zapolia, Comitis perpetui Scepusiensis, & Regni Hungariæ Palatini Filiam.* Dat. Cracoviæ 13. Januarii Anno 1512. *Ex Archivo Regni Liber* 17. *n.* 18. *fol.* 99.

Sigismundus Dei gratia Rex Poloniæ &c. Significamus tenore Præsentium, quibus expedit Universis, & singulis, præsentibus, & futuris. Quia Reverendum in Christo Patrem Dominum Joannem Episcopum Posnanienſem, & Magnificos Lucam de *Gorka* Castellanum Posnanienſem, & Capitaneum Generalem Maioris Poloniæ, nec non Christophorum de *Szydłowiec* Castellanum Sandomirienſem, & Vicecancellarium Regni nostri sincere Nobis dilectos, de nostra scientia, & expressa voluntate, Oratores, & gestores, ac indubitatos Actores nostros ad desponsandam Nobis Illustrissimam Virginem Barbaram, Filiam Spectabilis, & Magnifici olim Domini Stephani de *Zapolia* Comitis perpetui Scepusiensis, & Regni Hungariæ Palatini, ex Illustri Domina Hedvigi Duce *Teschinensi*, & Consorte legitima praefati Domini Stephani Progenitam, & ad edendos alios Tractatus quoscunque Nomine nostro, eiusmodi desponsationem concernentes, & necessarios cum Illustri Domina Hedvigi Duce *Teschinensi* Genitrice, ac Spectabilibus, Magnificisque Dominis Joanne Waywoda *Transylvaniæ*, & Georgio de *Zapolia* Comitibus perpetuis Scepusiensibus, Fratribus præfatæ Illustris Virginis Barbaræ Nobis desponsandæ deputavimus, ac solenniter, & indubitate constituimus, dantes, & concedentes eisdem plenam, ac omnimodam facultatem, pro Nobis & Nomine nostro cum præfata Illustri Virgine Barbara sponsalia faciendi, contrahendique, & eandem Nobis in Sponsam legitimam, iuxta prius præmissos Tractatus, medio Oratoris per Sereniſſimum Principem, & Dominum Vladislaum Dei gratia Hungariæ, Bohemiæque &c. Regem, Germanum nostrum chariſſimum, ac Illustrem Dominum Casimirum Ducem *Teschinensem*, præfatæ Illustris Dominæ Hedvigis, ac etiam prædictorum Dominorum Joannis, & Georgii Comitum Scepusiensium, vigore Specialis Mandati Nuntium, & Gestorem Nobiscum habitos, & determinatos desponsandi, & collocandi, ac procurandi. Insuper vero eisdem nostris Oratoribus etiam damus, & concedimus plenam, ac omnimodam potestatem cum præfata Illustri Hedvigi, ac prædictis Dominis Joanne Georgio Fratribus Nomine nostro super Conditionibus, & modis hoc negotium Sponsalium concernentibus, quantum cum decore nostro putaverint, agendi, tractandi, & concludendi. Itemque licebit præfatis Oratoribus nostris, vigore huius Mandati præfatæ Illustri Barbaræ Sponsalibus determinatis Nomine nostro consentire, ut ipsa devolutionibus iuxta iuris, seu Consvetudinis ordinem Regni Hungariæ in favorem Fratrum renuntiet. Ut autem omnia rata, & firma sint, quæcunque præfati nostri Oratores, vigore huius Mandati, Nomine nostro & pro Nobis, ut præmissum est, transegerint, promittimus, & bona fide Regia firmiter spondemus, quod omnia per ipsos in rebus præmissis transacta, & transigenda, conclusaque, & concludenda, & Anno 1512.

ANNO 1512. & quomodolibet ipſorum Literis firmata, & firmanda, rata, & firma habebimus, tenebimusque, atque inviolabiliter perpetueque obſervabimus, harum teſtimonio mediante, quibus in robur Sigillum noſtrum ſubappendi fecimus. Datum Cracoviæ tredecima Januarii Anno Domini Milleſimo quingenteſimo duodecimo.

1512. *Dotis, & Dotalitii Sereniſſimæ* BARBARÆ *Reginæ Poloniæ in certis Bonis collocatio. Actum Cracoviæ d.* 10. Febr. Anno 1512. *Ibidem fol.* 110.

SIGISMUNDUS Dei gratia Rex Poloniæ &c. Significamus tenore Præſentium, quibus expedit Univerſis, & ſingulis notitiam præſentium habituris, & recognoſcimus tam pro Nobis, quam Hæredibus noſtris, & Succeſſoribus: Qualiter volentes, ut Sereniſſimæ Principis Dominæ BARBARÆ Reginæ Poloniæ, natæ quondam ſpectabilis & Magnifici STEPHANI de *Zapolia* Comitis perpetui Scepuſienſis, & Regni Hungariæ Palatini, Conſortis noſtræ chariſſimæ Status, quem pari ſollicitudine cum proprio computamus, decenti, ac debito Ordine in futurum dirigatur, ac conſervetur, ac ipſa ſuperſtite poſt mortem noſtram, poſſit eſſe pacificus, tranquillus, & quietus, rebusque omnibus pro deducendo ſuo honorifico ſtatu, prout ſua Conditio requirit, & poſtulat, affluenter abundare, ipſi Dominæ BARBARÆ Conſorti noſtræ chariſſimæ, & Reginæ, de ſcientia, & conſilio Conſiliariorum noſtrorum pro vera, & legitima dote centum millia florenorum Hungaricalium, ratione Dotalitii, ſeu donationis nuptialis alias *Wiana*, alia centum millia florenorum ſimiliter Hungaricalium donamus, conferimus, & largimur atque præſentibus inſcribimus in Terris, Diſtrictibus, Caſtris, Civitatibus, Oppidis, & Villis infraſcriptis, videlicet: in Novæ Civitatis *Korczyn*, *Vislicienſis*, *Zarnovienſis*, *Radomienſis*, *Jedlna*, *Kozienice*, & Villis ad eadem ſpectantibus, nec non *Stanzicienſi*, *Radoſzevienſi*, *Lancicienſi*, *Przedecenſi*, cum *Clodawa*, Oppidis, & Villis ad eadem nunc ſpectantibus. Item in ditione Piſdrenſi, Juniovladislavienſi, ſimiliter cum Diſtrictibus, Oppidis, Villis, prædiisque, & curiis, fructibus, & proventibus, cenſibus, utilitatibus, Dominiis, iuribus, pertinentiis, attinentibus, appenſionibus, Teloneis, duorumque groſſorum, quod *Parodlne* dicitur, exactionibus, contributionibusque, & uſibus univerſis, quomodolibet ad ipſa Caſtra, Civitates, & Bona ab antiquo ſpectantibus, ac ſervitiis, dignitatibus, honoribus iurispatronatus, nec non in *Radzieiow*, & *Stomko* Teloneis, in ducentis millibus florenorum Hungaricalium, in dotem, & donationem dedimus, & donavimus, ac deputavimus, imo damus, donamus, deputamus, & aſſignamus, larginurque per præſentes, ut prælibata Sereniſſima BARBARA Conſors noſtra Regina, cum contingeret Nos Deo volente humana pro Cæleſtibus commutare, omnibus præfatis Terris, Diſtrictibus, Caſtris, Civitatibus, Oppidis, Villis præſit, & omnia cum pleno Jure, Dominio teneat, & poſſideat eo modo, conditione, & forma, quibus Nos illis præſidemus, & potimur, & Prædeceſſores noſtri, Nos quoque potiti ſumus in hactenus, nihil penitus excipiendo, ac iuxta Regni, & Terrarum conſvetudinem, abſque omnium Succeſſorum noſtrorum contradictione, & impedimento diriget, & adminiſtrabit, promittentes pro Nobis, Hæredibuſque, & Succeſſoribus noſtris, quod præfatam Sereniſſimam Dominam BARBARAM Reginam, & Conſortem Noſtram chariſſimam, in dictis Terris, Diſtrictibus, Caſtris, Civitatibus, Oppidis, & Villis, Bonis, poſſeſſionibus certificabimus, aſſecurabimus, tuebimurque, ac manutenebimus, adverſus quoſcunque, ac Status cuiuslibet homines, efficiemuſque, quod omnia ſupradicta, ſic ut præmiſſum eſt, poſſidebit, tenebit, & in effectu percipiet, impedimento quovis ſemoto, pacifice, & quiete, ſine fraude, & dolo. Efficiemus præterea, & efficere Nos obligamus, quod omnes prædictarum Terrarum, Diſtrictuum, Caſtrorum, Civitatum, Oppidorum, Villarum Capitanei, Rectores, Tenutarii, Cives, præſentes, & futuri, ipſi Dominæ BARBARÆ Reginæ plenam præſtabunt ſponſionem, & fidelitatis corporale iuramentum, quod nulli alteri niſi ipſi, ab eademque Officialibus conſtitutis, vel conſtituendis, morte noſtra ſecuta, Caſtra, Diſtrictus, Terras, Civitates, Oppida, & Villas præfatas, plenarie, & effectualiter tradent, dabunt, & ſubicient, & illorum omnimodam, plenamq; facient ceſſionem, & reſignationem, eidemque Dominæ Reginæ in omnibus parebunt fideliter, & conſtanter, prout Nobis, & noſtris Prædeceſſoribus parere conſveverunt, & obligati ſunt intendere, & obedire; hoc adiecto ut ſi quo caſu contributio aliqualis pro neceſſitate Regni communi laudo inſtituta fuerit, ut tunc

ANNO 1512.

ANNO 1512. præfata Bona Dotalitii ipsius Dominæ Reginæ, cæteris Regnicolis se conformando contribuant; ad podwodas vero dandas more solito sint astricti. Item Judicia Terrestria, Capitanealia, Castrensia, & Regalia more solito, in locis Terrarum, Districtuum, Castrorum, Civitatum exerceantur, et celebrentur, de quibus praefata Serenissima Domina Regina, nec sui Officiales se ingerere debent. Sed quoniam Illustrissima Princeps Virgo ELIZABETH Soror nostra charissima nonnullos Districtus, Castra, et Civitates atque Villas, ac etiam Telonea possideat ex superius descriptis, possessuraque est tamdiu, quam diu Statum suum in aliam conditionem non mutaverit, igitur praefatae Serenissimae BARBARAE Consorti, et Reginae charissimae, loco eorundem Bonorum, quae praefata Soror nostra charissima possidet, et obtinet, Civitatem *Biecz* cum omnibus Villis, et Oppidis ad eandem nunc spectantibus, quamque ab oppignoratione redimere, evincereque promittimus, nec non Castrum, Civitatem, Oppida, et Villas *Sochaczow* de consensu Status utriusque Consiliariorum nostrorum, cum omnibus eorum pertinentiis nunc in potestate nostra existentibus, inscribimus, et reformamus tamdiu tenere, et possidere, quoad a praefata Illustrissima Sorore nostra charissima ELISABETH, Districtus, Castra, Civitates, et caetera Bona ad eadem pertinentia, evicta, et libera in possessionem suam realem consequetur, et habebit. Castris itaque, et Civitatibus, ac possessionibus omnibus suprascriptis eisdem, quae Soror nostra charissima possidet, adeptis, et consecutis, *Biecz* et *Sochaczow* cum eorum pertinentiis ad Nos redibunt, et devolventur integre.

Praeterea comperimus Bona *Lobzow* fuisse inscripta Serenissimae olim Genitrici nostrae, inter alia Bona, quae ratione Dotis, et Dotalititii eidem inscripta fuerunt. Quæ quidem Bona *Lobzow*, ex quo famoso JOANNI BONER inscripta sunt in certis summis pecuniarum, et in manus Serenissimae BARBARAE Reginae Consortis nostrae venire non possunt, in locum igitur eorundem Bonorum praefatae Serenissimae BARBARAE Consorti et Reginae nostrae damus, et donamus ducentos florenos Hungaricales ex Zuppis nostris Vielicensibus singulis annis pro Festo S. Martini solvendos, ac per ipsam percipiendos. In cuius rei testimonium Sigillum nostrum Praesentibus est subappensum. Actum Cracoviae feria tertia Festi S. Scholasticae Virginis Anno Domini Millesimo quingentesimo duodecimo, Regni vero nostri Anno sexto, Praesentibus Reverendissimis, et Reverendis in Christo Patribus, Dominis, JOANNE Gnesnensis, et Primate, BERNARDINO Leopoliensis, Archiepiscopis, JOANNE Cracoviensis, JOANNE Posnaniensis, LUCA Varmiensis, ERASMO Plocensis, MATHIA Premisliensis, et Cancellario Regni nostri, NICOLAO Chelmensis, Ecclesiarum Episcopis, nec non Magnificis Venerabilibus, & Generosis SPITKONE de *Iarostaw*, NICOLAO de *Kamieniec*, Palatino, et Capitaneo Cracoviensi, NICOLAO de *Bardzina* de *Ludbrancz* Posnaniensi, JOANNE de *Tarnow* Sandomiriensi, JAROSLAO de *Laszko* Siradiensi, JOANNE ZARAMBA de *Kalinowa* Lancicensi, NICOLAO de *Kretkow* Brestensi, STANISLAO de *Kościelec* Iunivladislaviensi, JOANNE ODROWAŻ de *Sprowa* Russiae, NICOLAO de *Pilcza* Belzensi, NICOLAO FIRLEY de *Dambrowica* Lublinensi, OTHONE de *Chodecz* Podoliæ, Palatinis, LUCA de *Gorka* Posnaniensi, & Capitaneo Maioris Poloniæ Generali, CHRISTOPHORO de *Schidlowiec* Sandomiriensi, & Vicecancellario Regni nostri, ac Siradiensi, Sochaczoviensi, & Gostinensi Capitaneo, JOANNE JARANDI de *Bruczow* Callisiensi, ANDREA de *Oporow* Brestensi, THOMA de *Bartniki* Plocensi, ANDREA de *Radzieiowice* Sochaczowiensi, JACOBO de *Siekluka* Voinicensi, NICOLAO JORDAN de *Zakliczyn* Vislicensi, NICOLAO de *Szydłowiec* Radomiensi, ANDREA de *Thenczyn* Biecensi, ANDREA *Czurilo* de *Staianice* Premisliensi, ALBERTO de *Pothulice* Camenecensi, & NICOLAO MISSOPAS Czechoviensi, Castellanis, STANISLAO de *Chodecz* Marschalco, & Capitaneo Leopoliensi, ANDREA de *Kościelec* Thesaurario Regni nostri, Scepusiensi, Oświecimensi, Junivladislaviensi, & Bitgostensi Capitaneo, Zupparioque, ac Procuratore Generali Cracoviensi, JOANNE LATALSKI, Gnesnensi, Cracoviensi, & Lancicensi Ecclesiarum Præposito, PETRO de *Thomice* Archidiacono, SIGISMUNDO TARGOWCKI, Decretorum Doctoribus, JOANNE KARUKOWSKI, Canonicis Cracoviensibus & STANISLAO GORECKI Præposito Callisiensi, Secretariis nostris, STANISLAO IAROCKI Marschalco, STANISLAO CHROBERSKI Vexillifero, Inciſore, & Subpincerna, & NICOLAO ORZESKI Magistro Agazonum Curiæ nostræ, Costensi, Pisdrensi, & Coninensi Capitaneo, cæterisque Dignitariis, Officialibus, & Curiensibus nostris testibus ad præmissa fide dignis, sincere fidelibus nostris dilectis. Datum per manus præfati Reverendi in Christo Patris Domini ANNO 1512.

Anno 1512. mini Mathiæ Episcopi Premislienſis & Regni Noſtri Cancellarii ſincere Nobis dilecti.

*Relatio ejusdem Reverendi in Christo Patris Domini* MATHIÆ *Episcopi Premisliensis* 1512.

## XLVI.

### *Sereniſſimæ* Barbaræ *Reginæ Poloniæ Recognitio ſatisfactionis per Matrem, ac Germanos de Bonis omnibus ſibi factæ. Ibidem fol: 130.*

Barbara Dei Gratia Regina Poloniæ, Magna Dux Litvaniae, ac Ruſſiæ, & Pruſſiæ Domina &c. Filia videlicet Spectabilis, & Magnifici quondam Domini Stephani de *Zapolia* Comitis perpetui Terræ Scepuſienſis, inclyti Regni Hungariæ Palatini, & Judicis Comanorum ex Illuſtriſſima Domina Domina Hedvigi Duce Tcheſchinenſi Progenita, Memoriæ commendamus tenore Præſentium ſignificando quibus expedit univerſis, quod quia præfata Domina Hedvigis Genitrix noſtra chariſſima, ac Spectabiles, & Magnifici Domini, Joannes Waywoda Tranſylvanus, Siculorumque Comes, & Georgius Fratres noſtri carnales, Comites ſcilicet perpetui Terræ *Scepuſienſis* prædictæ, de & ſuper totali Jure noſtro quartalitio, ſeu quarta noſtra puellari, nec non cunctis aliis iuribus noſtris, etiam poſſeſſionariis, Nobis de univerſis Caſtris, Caſtellis, Civitatibus muratis, Oppidis, Villis, poſſeſſionibus, prædiis, portionibuſque, & iuribus poſſeſſionariis, præfati quodam Domini Stephani Comitis, & Palatini, Patris noſtri chariſſimi, ubilibet, & in quibuſcunque Comitatibus prædicti Hungariæ, Croatiæ, Sclavoniæ Regnorum, partium ſcilicet eiuſdem Regni Hungariæ, Tranſylvaniæ, exiſtentibus, habitiſque, & adiacentibus, ac quocunque nomine vocatis, & appellatis, iuxta eiuſdem Regni Hungariæ conſvetudinem, & Legem provenire debentibus, pecuniaria ſolutione mediante, Nobis plenariam, & omnimodam impenderunt ſolutionem, atque ſatisfactionem, totalem etiam portionem noſtram de cunctis Bonis, & rebus mobilibus Paternis, aureis videlicet, & argenteis, paratis pecuniis, gemmis, lapidibus pretioſis, toralibus, veſtibus, ſupellectilibus domus, & generaliter omnium rerum ſpeciebus, cuiuſcunque generis exiſtant, Nobis cedendo integraliter, effective pariter reſtituerunt. Quemadmodum igitur prænominatos Dominos Joannem, & Georgium Comites, Fratres noſtros, ut præfertur, carnales, mediantibus aliis Literis Spectabilis & Magnifici Domini Comitis Petri, Comitis de Sancto Georgio, & de *Bozyn* Judicis Curiæ Sereniſſimi Domini Regis Hungariæ, faſſionalibus exinde editis, & confectis ſuperinde quietos, & abſolutos reddidiſſe fatemur, ita etiam Præſentibus eaſdem Literas ipſius Comitis Petri faſſionales, continentias, clauſulaſque, & Articulos, affirmamus, & ratificamus, ac eoſdem Dominos Comites Fratres noſtros ſuper præmiſſa omnium iurium noſtrorum, atque rerum plenaria reſtitutione, prout Jus Regni Hungariæ dictat, & diſponit, quietos, expeditos, modis omnibus abſolutos reddidimus, & commiſimus. Et nihilominus totum, & omne ius illud noſtrum, omnemque iuris, & Dominii proprietatem, quod, & quam in prænarratis univerſis Caſtris, Caſtellis, Civitatibus, Oppidis, Villis, poſſeſſionibus, prædiis, portionibuſque; & iuribus poſſeſſionariis Paternis, ubilibet, ut præmittitur, adiacentibus, pronunc habuiſſemus, vel Nos, aut noſtros Hæredes, etiam in futurum, quocunque modo, & titulo habere ſperaſſemus, in eoſdem Dominos Joannem, & Georgium Comites, ipſorumque Hæredes, eorundem duntaxat legitimas poſteritates univerſas, iuxta diſpoſitionem, & obſervationem Regni Hungariæ iuris, & legis tranſtulimus pleno cum effectu, imo quietos vel abſolutos reddimus, totum quoque ius noſtrum, & Dominium transferimus in perpetuum in tenentes, poſſidentes, pariter & habentes. Ius tamen devolutionis in defectu legitimorum Hæredum iuxta legem, ſeu conſvetudinem Hungariæ Regni reſervantes. Harum noſtrarum, quibus Sigillum noſtrum ſecretum, quo ut Regina Poloniæ utimur, eſt appenſum, vigore,, & teſtimonio Literarum mediante. Datum Cracoviæ feria quarta proxima ante Feſtum S. Petri ad Cathedram, Anno Domini milleſimo quingenteſimo duodecimo. Anno 1512.

## XLVII.

### Joannes *Coronatus Hungariæ Rex approbat Conditiones Induciarum inter ſe, &* Ferdinandum *Hungariæ, & Bohemiæ Regem, per Oratorem* Sigismundi *Poloniæ Regis cum eodem* Ferdinando *Rege conditas.* Datum Budæ 14. *die Menſis Aprilis*, Anno 1727. *Ex Archivo Theſauri Regni.* 1727.

Nos Joannes Dei gratia Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croaciæ &c. nec non Marchio Moraviæ, & Luſatiæ, ac utrius-

Anno 1727. utriusque Sleſiæ Dux &c. recognoſcimus, & præſentium ſerie fatemur, Nos quosdam Tractatus, & Articulos modum, & formam componendæ, ineundæque Pacis, & Concordiæ inter Nos & Sereniſſimum Principem Dominum Ferdinandum Bohemiæ Regem & Auſtriæ Archiducem &c. continentes, per ſpectabilem & Magnificum Dominum Christophorum de *Szydłowiec* Palatinum, & Capitaneum Cracovienſem, ac Regni Poloniæ Summum Cancellarium confectos, Sigilloque ſuo proprio, & ſubſcriptione manus ſuæ propriæ roboratos, per Egregium Erasmum Gerlachowski Nobis quinta die Aprilis allatos accepiſſe. Quorum quidem Tractatuum, & Articulorum tenor talis eſt. Sciendum quod cum inter Sereniſſimum Principem & Dominum, Dominum Ferdinandum Dei gratia Bohemiæ, & Hungariæ, Dalmaciæ, Croaciæ &c. Regem, Infantem Hiſpaniarum, Archiducem Auſtriæ, ac Sacræ Cæſareæ & Catholicæ Maieſtatis per Germaniam Locum Tenentem Generalem ex una, ac Sereniſſimum Dominum Joannem Coronatum Regem Hungariæ, partibus ex altera, aliquot Articuli, & capitulationes prolocutæ, & tractatæ ſunt per me Christophorum de *Szydłowiec* in *Szczmielow* & Magna *Oppatow* D. Palatinum & Generalem Capitaneum Cracovienſem, ac Regni Poloniæ Summum Cancellarium &c. tum Siradienſem, Sochaczovienſem, Goſtinenſem, novæ Civitatis *Corczyn*, & Łucovienſem Capitaneum, Sereniſſimi Domini, Domini Sigismundi eadem Gratia Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Ruſſiæ, totiusque Pruſſiæ, & Maſoviæ &c. Domini, & Hæredis ad prædictum Sereniſſimum Dominum Regem Ferdinandum Oratorem, in hunc qui ſequitur modum.

Ac inprimis quod idem Sereniſſimus Dominus Rex Dominus Ferdinandus non capiat arma, bellumque non moveat contra præfatum Regem Hungariæ & hoc hinc ad diem primam Menſis Junii proxime futuri. Et e converſo quod idem Dominus Rex Hungariæ ſimiliter non capiat, ac neque moveat bellum contra Sereniſſimum Dominum, Dominum Ferdinandum Regem, ſtante tempore præfixo.

Item ut Sereniſſima Domina Maria Regina Hungariæ & Bohemiæ &c. Relicta, libere, ſecure, & pacifice utatur bonis dotalibus ſuis, ſibi iuſte, & legitime inſcriptis, iuxta aſſecurationem eorundem.

Item quod Domini Prælati, Barones, Nobiles, & Proceres, Civitates, Oppida, Terræ & Villæ & alii quicunque tam Spirituales, quam Sæculares Regni Hungariæ adhærentes Sereniſſimo Domino Regi Ferdinando ante dicto, libere, & pacifice utantur, & fruantur bonis ſuis tam mobilibus, quam immobilibus, & etiam Eccleſiaſticis, in quorum poſſeſſione nunc ſunt, & e converſo Domini Prælati, Barones, Nobiles, & Proceres, Civitates, Oppida, Terræ, Villæ, & alii quicunque tam Spirituales, quam Sæculares Regni Hungariæ adhærentes Sereniſſimo Domino Joanni Regi Hungariæ, libere, & pacifice utantur, & fruantur bonis ſuis tam mobilibus, quam immobilibus, & etiam Eccleſiaſticis, in quorum poſſeſſione nunc ſunt. Anno 1727.

Item quod uterque Rex ad diem primam Menſis Junii præfati mittat ſuos Conſiliarios, & Oratores ſufficienti Mandato, & inſtructione ſuffultos ad Civitatem Olomucenſem, qui ſic inter utrumque Regem tractent, & concludant ad tollendum omnes differentias, & diſcordias inter eosdem Reges.

In qua quidem Dieta ſic conſtituta Orator, vel Oratores, & Commiſſarii Sereniſſimi Domini Regis Poloniæ &c. comparebunt cum ſufficienti etiam Mandato tanquam mediatores, & arbitri, arbitratores, amicabileſque compoſitores, qui etiam ſtudebunt talem differentiam ſopire, & extingvere. Ipſe ergo Sereniſſimus Dominus Rex Ferdinandus conſenſit & plenam facultatem dedit Sereniſſimo Domino Regi Poloniæ præfato, quod ipſe Dominus Rex Poloniæ Oratoribus Domini Regis Hungariæ in Dieta *Olomucenſi* comparituris det ſalvum Conductum libere, & ſecure ad Civitatem prædictam *Olomucenſem* veniendi, ibidemque manendi & redeundi ad ſua propria ſalvis Perſonis, rebus, & bonis eorundem, ita tamen quod ipſi Oratores, & Commiſſarii Domini Regis coronati Hungariæ non excedant in Perſonis, & equis numerum centenarium: ita tamen, quod tractatio illa intra diem quintumdecimum Menſis ſupra ſcripti Junii conficiatur, & concludatur. Quibus quidem quindecem diebus durantibus nihil per utramq; partem, ſicut ante ſcriptum eſt, hoſtiliter attentetur. Quo quidem die quintodecimo elapſo decem dies proxime inde ſequentes eiuſdem Menſis aſſignati ſunt, & cenſeantur Oratoribus præfatis pro termino redeundi ad Regnum Hungariæ, & loca illis ſecuriora, quem etiam ſalvum conductum idem Sereniſſimus Dominus Rex

Ferdi-

ANNO FERDINANDUS tenebit, & obſervabit
1727. ſicut Principem & Regem Chriſtianum decet.

Item quod Sereniſſimus Dominus Rex Poloniæ prædictus debet certificare per Literas ſuas Sereniſſimum Dominum FERDINANDUM Regem præfatum hinc ad ſextam diem Maii proxime futuri, an Dominus Rex Hungariæ huiuſmodi conditiones ſuſcipere, & obſervare voluerit, nec non. Cum vero Sereniſſimus Dominus Rex Poloniæ præfatus ſignificaverit Sereniſſimo Regi FERDINANDO præfato intra præfinitum tempus trium Menſium, conditiones Hungariæ Regem non ſuſcepiſſe, extunc intelligatur contractus iſte eſſe, & fore irritus, & invalidus, in cuius rei teſtimonium Sigillum meum eſt appenſum. Actum & Datum in Arce Pragenſi feria tertia poſt Dominicam *Oculi proxima* Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo ſeptimo. Quos quidem Articulos cum perlegi feciſsemus, diligentiuſque conſideraſſemus, licet illos in pleriſque clauſulis noſtris, & Sacræ Coronæ noſtræ Juribus præiudicare, Noſq; non parum gravare cognoverimus, ne tamen diſcordiæ, & effuſſionis Chriſtiani ſangvinis auctores fuiſſe indicaremur, neve etiam tanti Principis utpote Sereniſſimi Domini Poloniæ Regis &c. qui ſe in hoc negotio tanquam Catholicus Princeps, & Pacis ac tranquillitatis Reipublicæ Chriſtianæ amator interpoſuerit, curis & laboribus refragari videremur, præmiſſos Tractatus & Articulos acceptamus, admittimus, eoſque in verbo noſtro Regio obſervare promittimus harum noſtrarum vigore, & teſtimonio Literarum mediante. Datum Budæ decimaquarta die Menſis Aprilis Anno 1527. Regnorum noſtrorum prædictorum Anno primo.

## JOANNES REX.

### XLVIII.

1527. *Salvus Conductus Oratoribus* JOANNIS *Regis ad Conventum Olomucenſem, ad tractandam Concordiam & Pacem miſſis, per* SIGISMUNDUM *Regem Poloniæ, nomine Regis* FERDINANDI *datus, cum plena ſecuritate.* Dat. *Cracoviæ Sabbatho proximo ante Dominicam Conductus Paſchæ.* Anno 1527. *Ex. Arch: Theſauri Regni.*

SIGISMUNDUS Rex &c. Manifeſtum facimus tenore præſentium univerſis, quia cum intelligentes differentiam inter Sereniſſimos Hungariæ, & Bohemiæ Reges, ubi ad bellum deveniret, maximam cum his Regnis, tum univerſæ Rei Chriſtianæ cladem afferre poſſe, proindeque ſummopere cupientes ipſam differentiam inter eorum Maieſtates componere, egisſemus his proximis diebus apud utramq; de ineunda concordia, ac utraque Maieſtas cauſa Rei Chriſtianæ & poſtulationis noſtræ in hoc conſenſiſſent, ut mitterent Oratores ſuos in *Olomucz* ad primam diem Junii, non maiori, quam centum Equitum comitatu ad ipſam concordiam per medium, & amicabilem compoſitionem Oratorum, & Commiſſariorum noſtrorum tractandam, & componendam, dediſſetque Nobis Sereniſſimus Dominus Rex FERDINANDUS per literas ſuas plenam facultatem dandi, & concedendi ſecuritatem, & ſalvum conductum Oratoribus Sereniſſimi Domini JOANNIS Hungariæ, Dalmaciæ, Croaciæ &c. Regis, tuto & ſecure veniendi ad ipſam Civitatem *Olomucenſem*, & illic ad tempus conductum, libere manendi, & omnia tractandi, quæ ad ipſam concordiam opportuna videbuntur, & demum lapſo tempore præſcripto ſeu condicto, rurſus intra decem dies domum ſecure redeundi. Nos volentes eam ipſam concordiam univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ neceſſariam, & ſalutarem ad effectum deducere, hac facultate Nobis per dictum Sereniſſimum Regem FERDINANDUM conceſſa, damus & concedimus tenore præſentium mediante, vice & nomine eiuſdem Sereniſſimi Regis FERDINANDI ſalvum conductum Regium, plenamque, & omnimodam ſecuritatem contra omne periculum, quod mens humana quoquo modo excogitare poſſet, oratoribus ipſius Sereniſſimi Domini JOANNIS Regis Hungariæ, ut hoc ipſo ſalvo Conductu noſtro freti, per Archiducatum Auſtriæ, & Marchionatum Moraviæ, & per Sileſiam, aliaque loca ditioni eiuſdem Sereniſſimi Regis FERDINANDI ſubiecta, cum Comitatu centum equitum ad ipſam Civitatem *Olomucenſem* venire poſſint, libere ſecure ac ſine omni impedimento, ſtareque illic, & manere, ac ſui Regis negotia ad ineundam concordiam neceſſaria, & opportuna tractare, & diſponere, ac rurſum intra decem dies conſecuta vel non conſecuta ipſa concordia, ad propria libere, & pacifice redire valeant, Perſonis ac rebus ſuis, familiarumque, ſeu Comitum ſuorum, quos illuc ſecum in numero prædicto acceperint, ſalvis ſemper ubique permanentibus. ANNO 1527.

Quocirca univerſis & ſingulis Principibus, Dignitariis & Officialibus, Nobilibus, Capitaneis, Præfectis Militum,

Anno 1527. Equitum & peditum, ipsisque Militibus, nec non Magistris Civium, Consulibus, & Incolis Civitatum, & Oppidorum, aliorumque locorum, ac viarum, pontium, & quorumcunque aliorum locorum Custodibus, & Præsidibus, cæterisque subditis memorati Sereniſſimi Domini Regis Ferdinandi, cuiuscunque dignitatis, præeminentiæ, Status, & conditionis fuerint, in *Austria*, *Moravia*, *Slesia*, aliisq; Dominiis suæ Maiestatis ubilibet existentibus, eius nomine, auctoritate, ac facultate prædicta Nobis concessa mandamus, & severius præcipimus, quatenus hunc nostrum nomine ipsius Sereniſſimi Regis vestri Domini Ferdinandi salvum Conductum firmiter teneatis, & observetis, tenerique, & observari per omnia faciatis, nihilque contra ipsos Oratores Sereniſſimi Domini Joannis Regis Hungariæ, familiaresque seu Comites eorum prædictos, tam in *Olomucz* euntes, quam etiam illic manentes, & inde redeuntes durante præsenti salvo Conductu nostro attentare aut facere, directe, vel indirecte, nec vim illis aliquam, vel rebus ipsorum, aut alicuius eorum inferre audeatis, nec aliquis vestrum audeat, pro fide vestra & gratia Sereniſſimi Regis Ferdinandi, & nostra, non aliter facturi. Harum quibus Sigillum nostrum est impressum testimonio Literarum. Datum Cracoviæ Sabbatho proximo ante Dominicam Conductus Paschæ Anno 1527. Regni nostri Anno 20.

XLIX.

1527. Sigismundus *Rex Poloniæ Legatos, & Mandata mittit ad tractandam Pacem inter* Joannem *Hungariæ*, & Ferdinandum *Bohemiæ Reges.* Dat. *Cracoviæ Sabbatho proximo ante Dominicam Conductus Paschæ* Anno 1527. *Indidem.*

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniæ &c. Manifestum facimus tenore præsentium, quia rationem habentes imminentis periculi totius Reipublicæ Christianæ, cuius potissimam esse causam mutuas discordias Principum Christianorum nemo non considerat, & egimus non pridem de sistenda differentia, belloque suspendendo inter Sereniſſimos Hungariæ, & Bohemiæ Reges, & nunc ad conficiendam inter Maiestates suas Pacem, & Concordiam misimus iuxta condictos Articulos in Civitatem *Olomucensem* Reverendiſſimum in Christo Patrem Dominum Andream Episcopum Plocensem, Spectabilem, & Magnificum Christophorum de *Szydłowiec* Consiliarios, Oratores, & Mandatarios nostros sincere Nobis dilectos, quibus ad negotium hoc peragendum omnem nostram auctoritatem, & facultatem dedimus, damusque Literis nostris præsentibus, promittentes in verbo nostro Regio, quod quidquid per illos actum, tractatum, condictum & conclusum fuerit, Nos id omne gratum, ratum, & firmum habituros. In cuius rei testimonium præsentes manu nostra subscripsimus, & Sigillo nostro communiri fecimus. Dat. Cracoviæ Sabbatho proximo ante Dominicam Conductus Paschæ Anno 1727 Regni nostri Anno 20. Anno 1527.

L.

Sigismundus *Rex ad Prælatos & Barones Regni Hungariæ. Pollicetur se postulatis eorum satisfacturum, mittendo Oratores suos ad ipsorum Conventum Generalem.* Datum *Cracoviæ 31. Octobris* Anno 1527. *Indidem.* 1527.

Reverendi in Christo Patres, Spectabiles, & Magnifici, Generosi, Egregii, Nobiles, & famati Nobis sincere dilecti. Accepimus Literas Vestrarum Dominationum, quibus Nobis Conventum tuum, quem ad consulendum saluti Patriæ suæ nuper in Oppido Tokay habuerunt, declarant: Et cum considerent se absque Rege, & Directore suo nihil certi, aut solidi aggredi, constituere posse, indixerunt Conventum Generalem Regni pro Festo S. Emerici Ducis, & Confessoris in Alba Regali, postulantes a Nobis, ut ad illum Oratores nostros mitteremus. Fuerunt Nobis ipsæ Literæ Vestrarum Dominationum in his modernis turbatissimis temporibus non mediocri solatio, quod intelligamus illas id agere, & curare, quod in eo casu salutis, et opportunum videtur. Unde speramus adiutore Domino Deo, & Sanctissima illius Matre, Vestrarumque Dominationum maturo consilio, Regem inprimis salutarem, deinde Ordinem necessarium, & postremo firmam, & certam defensionem, adversus tantum hostem isthic adhuc constitui posse, ad quod illarum saluberrimum institutum adiuvandum, mittemus libentissime citra ullam moram Oratores nostros, ut optant, ad Conventum ipsum. Verum quia hodie primum Literas de hac re Vestrarum Dominationum accepimus, tam subito Oratores expedire non potuimus, curabimus tamen, ut quantum fieri poterit non morentur, quod Dominationes Vestræ si tardius venerint, boni consulent, & angustiæ tempo-

ANNO 1527. temporis adſcribent. Interim Dominus Deus dirigat conſilia, & actus illarum in gloriam Nominis ſui, & Regni iſtius ſalutem, & incrementum. Quæ valeant feliciter. Cracoviæ feria quinta in Vigilia Omnium Sanctorum Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſeptimo.

### *Credentia ad Hungaros.*

REverendi in Chriſto Patres, Spectabiles, & Magnifici Domini, Generoſi, Egregii, Nobiles, & Famati ſincere dilecti. Intellecto Conventu veſtrarum Dominationum, quem ad conſulendum bono ſtatui Regni iſtius Hungariæ agunt, miſimus in medium illarum Reverendum Dominum ANDREAM Epiſcopum Premiſlienſem & STANISLAUM de *Sprowa* Caſtellanum Biecenſem Conſiliarios noſtros, ſincere Nobis dilectos, nolentes veſtris Dominationibus, & iſti Regno aliqua in parte conſilio, & auxilio noſtro pro virili noſtra deeſſe. Itaq; poſtulamus ab eiſdem Dominationibus veſtris, ut ipſis Oratoribus noſtris plenam fidem, in his quæ noſtro nomine retulerint, adhibeant, & quæ ſalutis ſuæ & Regni iſtius ſunt, diligenter expendant, & provideant, pro ſua prudentia & virtute facturæ. Quæ feliciter valeant.

L.

1530. SIGISMUNDI *Regis Poloniæ Literæ plenæ poteſtatis ad tractandam Concordiam inter* JOANNEM *Ungariæ, &* FERDINANDUM *Bohemiæ Reges.* Datum Cracoviæ 9. Septembris Anno 1530. *Ex Archivo Theſauri Regni.*

SIGISMUNDUS DEI Gratia Rex Poloniæ &c. Manifeſtum facimus unicuique, quia rationem habentes imminentis periculi totius Reipublicæ Chriſtianæ, cuius potiſſimam eſſe cauſam mutuas diſcordias Principum Chriſtianorum nemo non conſiderat, & egimus iam pridem de ſiſtenda differentia, belloque ſuſpendendo, inter Sereniſſimos Principes, & Dominos Ungariæ, & Bohemiæ &c. Reges, & nunc ad conficiendam inter Maieſtates ſuas Pacem, & Concordiam, miſimus ad Civitatem noſtram Poſnanienſem Revererendos in Chriſto Patres Dominos JOANNEM Poſnanienſem, ANDREAM Plocenſem, Epiſcopos, ac ſpectabiles & Magnificos CHRISTOPHORUM de *Szydłowiecz* in *Cmielow* ac Magna *Opatow* Dominum, Caſtellanum Cracovienſem, Regni Noſtri Cancellarium, ac Siradienſem, novæ Civitatis *Corczin*, Goſtinenſem, Sochaczovienſem, & Lucovienſem Capitaneum, ANDREAM de *Thanczyn* Palatinum Cracovienſem, ac Belſenſem, Chelmenſem, Craſnoſtavienſem, Rathnenſem, & Trebovlienſem Capitaneum, JOANNEM Comitem de *Tarnow* Palatinum Terrarum Ruſſiæ, Generalem Exercituum Regni Noſtri Supremum Ductorem, & Capitaneum Sandomirienſem, LUCAM de *Gorka* Caſtellanum Poſnanienſem, & Capitaneum Maioris Poloniæ Generalem, ac Venerabilem JOANNEM CHOIENSKI Juris Pontificii Doctorem, Præpoſitum Poſnanienſem, & Archidiaconum Cracovienſem, Conſiliarios, Oratores, & Mandatarios noſtros, ſincere dilectos. Quibus ad negotium hoc una cum Conſiliariis, & Oratoribus Illuſtris Principis Domini GEORGII Ducis Saxoniæ & Marchionis Miſniæ affinis noſtri chariſſimi peragendum, omnem noſtram authoritatem, & facultatem dedimus, damuſque præſentibus Literis noſtris promittentes in verbo noſtro Regio, quod quidquid per illos & Illuſtris Principis Domini GEORGII Saxoniæ &c. Ducis Oratores cum Præfatorum Sereniſſimorum Hungariæ, & Bohemiæ &c. Regum Conſiliariis & Oratoribus actum, tractatum, conditum, conſtitutum, determinatum, & concluſum fuerit, Nos id omne ratum, gratum, & firmum perpetuo habituros. In cuius rei teſtimonium Præſentes manu propria ſubſcripſimus, & Sigilli noſtri appenſione communiri fecimus. Cracoviæ 9. Septembris A. 1530.

ANNO 1530.

LI.

*Conditiones Induciarum unius anni, inter* IOANNEM & FERDINANDUM *Reges per Oratores* SIGISMUNDI *Regis Poloniæ, &* GEORGII *Ducis Saxoniæ propoſitæ. Ex Archivo Regni. Lib. 33. Lit.* II. *No. 34. fol. 264.* 1530.

ORatores tam Sereniſſimi Domini Regis Poloniæ, quam Illuſtriſſimi Domini Ducis GEORGII, habitis fruſtra per longum tempus multis Tractatibus, & propoſitionibus inter utriusq; Oratores partium diſſidentium de Regno Hungariæ pro facienda Pace, ſeu Concordia, tentatisque omnibus, cum nihil ſuccedere potuiſſet, ſaltem ſuſpenſionem armorum ſeu Inducias illis proponendas duxerunt, quas, et conditionibus propoſitis utriusque partis in hunc modum perfici poſſe propoſuerunt, et obtulerunt.

Inprimis ut ſint Inducię unius anni, quæ incipi deberent a Feſto S. Luciæ proximo, ante quod Feſtum, ut declararet unaquaeque pars principalis Prin-

ANNO 1530. cipibus Mediatoribus, an ipſas Inducias ſuscipiat, nec ne.

Intra Inducias vero mittere debebit utraq; Pars diſſidentium Regum Oratores ad Imperatorem Turcorum pro conficiendis, quanto longioribus fieri poterit, Induciis, ſeu Pace tractanda inter illum, et Reges ipſos diſſidentes, qui conſtitui apud ipſum Imperatorem debebunt in fine Maji.

Ante omnia tamen Sereniſſimus Dominus Rex Poloniae cum Illuſtriſſimo Domino Duce Saxoniae declarare id debebunt Imperatori Turcarum, et ſalvum Conductum Oratoribus Sereniſſimi Domini FERDINANDI expedire.

Oratores quoque Domini Ungari ſcribent Domino IMBRAIM Baſſæ, Dominum eorum miſſurum Oratores ſuos cum Oratoribus adverſarii ſui ad Imperatorem Turcorum pro Fæderibus, aut Pace conficienda, exponentque, & ſvadebunt ad id opus eſſe Inducias unius anni, & quod ſalvus Conductus Oratoribus Sereniſſimi Regis FERDINANDI ab Imperatore mitteretur.

Poſt ſuſceptas vero ab utraque Parte Inducias, debebit utraque pars in Regno Hungariæ illos omnes Comitatus, Arces, Civitates, & omnia Fortalitia, quæcunq; ad diem Induciarum in ſua poteſtate habebit, per certum tempus Induciarum libere tenere, & poſſidere.

Copias deniq; & Exercitus mox a ſuſceptis Induciis utraq; Pars debebit continere, & prohibere ab inferendis hoſtilitatibus, & quantocius eos levare de Regno Hungariæ, & quod Subditi familiares, & alterius cujuslibet conditionis utriuſq; Partis, habeant liberum, & ſecurum tranſitum in perſonis, & rebus eorum omnibus, per Terras, Dominiaque, ac Provincias, & Comitatus abſq; ullo impedimento, ac ſine ſalvo Conductu, ad id ab eisdem impetrando.

Quodque Incolæ & poſſeſſionati omnes Jure ſuo in Bonis, & poſſeſſionibus ipſorum, quas tempore ſuſceptarum Induciarum obtinebunt, libere utantur, non obſtante etiam, quod ſint unius, aut alterius Partis adhærentes, aut ſervitores.

Et quod Partes prædictæ in Comitatibus eiuſdem proventus Cameræ Regiæ iuſtos, & legitimos interea percipere ab Incolis eorundem poſſint, & debeant.

Ac ut interim Judicia in cauſis hæreditariis, & aliis antiquis ſuſpenſa maneant, in his vero quæ de novo evaſerint, ideſt ratione violentiarum poſt ſuſceptas Inducias illatarum, hoc modo peragantur. Ut quando res agenda venit inter eos, qui Partium ſint diverſarum, tum qui iniuriam patitur, pro ea aget coram Comite illo, in cuius Comitatu ambo reſident. Comes tamen adiunget ſibi alium Comitem vicinum qui ſit de parte quærentis juſtitiam. Inter eos autem qui unius tantum partis ſunt, fiant judicia more conſveto. ANNO 1530.

## LII.

FERDINANDUS *Hungariæ, & Bohemiæ Rex approbat Inducias unius anni inter ſe, &* JOANNEM *Regem, per* SIGISMUNDUM *Regem Poloniæ,* & GEORGIUM *Ducem Saxoniæ Mediatores concluſas.* Dat. *in Ehingum Die 25 Novembris* Anno 1530, *Ex Archivo Regni.* 1530.

FERDINANDUS Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, etc. Rex Hiſpaniarum, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, etc. Marchio Moraviæ etc. Comes Tirolis etc. etc. Recognoſcimus tenore Præſentium, quod cum Superioribus Menſibus ad Sereniſſimi Principis Domini SIGISMUNDI Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, ac Ruſſiæ, Pruſſiæque, Fratris, et Sororii noſtri charisſimi, atque Illuſtriſſimi Principis Domini GEORGII Ducis Saxoniæ, Conſangvinei noſtri peræque chari petitionem et inſtantiam, conſenſum noſtrum ad amicabilem Compoſitionem et Concordiam inter Nos, et JOANNEM Comitem Scepuſienſem tractandam, et ineundam præbuerimus, noſtros ſubinde Oratores et Mandatarios ſpeciales, et generales, primo ad Civitatem noſtram Vratislavienſem, ubi primus Conventus habitus eſt, & deinde Poſnaniam deſtinaveramus, ad quam Dieta illa translata eſt, mihique tam per noſtros, quam ante dictorum Sereniſſimorum Dominorum Regis Poloniæ, et Ducis Saxoniæ Oratores, tanquam Mediatores denuo de Concordia ſit deliberatum, ac per Inducias utrinque tentanda viſa fuerint, quæ ad mutuæ Unionis auſpicium, et firmitatem accedere cenſentur, eaſque Nobis iidem Oratores atque Adverſario noſtro ſignificari fecerint, et tranſmiſerint, quarum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis. Oratores tam Sereniſſimi Regis Poloniæ, quam Illuſtris Domini Ducis GEORGII habitis fruſtra per longum tempus multis Tractatibus de Regno Hungariæ, pro conficienda Pace ſeu Concordia, tentatisque omnibus, cum nihil ſuccedere potuiſſet, ſaltem ſuſpenſionem armorum ſeu Inducias illis proponendas duxerunt.

Quas ex conditionibus propoſitis utriuſque Partis, in hunc modum perfici

ANNO 1530 fici posse proposuerunt, & obtulerunt. Inprimis ut sint Jnduciæ unius Anni, quæ incipi deberent a Festo S. Luciæ, ante quod Festum, ut declararet unaquæq; Pars principalis Principibus mediatoribus, an ipsas Inducias suscipiant nec ne? Intra Inducias vero mittere debebit utraq; Pars dissidentium Regum Oratores ad Imperatorem Turcarum pro conficiendis, quanto longioribus poterit fieri, Induciis, seu Pace tractanda inter illum, & Reges ipsos dissidentes, qui constitui apud ipsum Imperatorem debebunt in fine Maii; ante omnia tamen Serenissimus Dominus Rex Poloniæ cum Illustrissimo Domino Duce Saxoniæ declarare id debebunt Imperatori Turcarum, & salvum Conductum Oratoribus Serenissimi Regis FERDINANDI expedire. Oratores quoque Domini Hungari scribent Domino IMBRAIM Bassæ, Dominum eorum missurum Oratores suos cum Oratoribus adversarii sui ad Imperatorem Turcarum, pro Fœderibus, & Pace conficienda, exponentque, ac svadebunt ad id opus esse Inducias unius Anni, & quod salvus Conductus Oratoribus Serenissimi Regis FERDINANDI ab Imperatore mitteretur. Post susceptas vero ab utraque Parte Inducias debebit utraque Pars in Regno Hungariæ illos Comitatus, Arces, Civitates, omnia Fortalitia in sua potestate habere per totum tempus Induciarum, & usq; ad diem Induciarum libere tenere & possidere. Copias denique, & Exercitus mox a susceptis Induciis utraque Pars debet continere, & cohibere ab inferendis hostilitatibus & quantocius eos levare, & de Regno Hungariæ abducere, & quod Subditi familiares, & alterius cuiuslibet conditionis utriusque Partis, habeant liberum & securum transitum in Personis & rebus eorum omnibus, per Terras, Dominia, & Provincias, & Comitatus, absque ullo impedimento, & sine salvo Conductu ad id ab eisdem impetrando: quodq; Incolæ, & possessionati omnes Jure suo in Bonis, & Possessionibus eorum, quas tempore susceptarum Induciarum obtinebant, libere utantur, non obstante etiam, quod sint unius vel alterius Partis adhærentes, seu servitores. Et quod Partes prædictæ in Comitatibus eisdem proventus Cameræ Regiæ iustos, & legitimos interea percipere ab Incolis eorundem debeant, & possint. Et ut interim iudicia in causis hæreditariis, & aliis antiquis suspensa maneant, in his vero quæ de novo emerserint, id est ratione violentiarum post susceptas Inducias illatarum, hoc modo peragantur: Ut quando res agenda venit inter eos, qui Partium sint diversarum, tum is, qui iniuriam patitur, pro ea aget coram Comite illo, in cuius Comitatu ambo resident. Comes tamen adiunget sibi alium Comitem vicinum, qui sit de Parte quærentis iustitiam, inter eos autem, qui unius partis tantum sunt, fiant iudicia more consveto. Licet autem res ipsa se usque adeo commode nunc obtulerit, ut Adversarii nostri, vires in Regno Hungariæ de præsenti refundere, belloque per occasionem oblatam a Deo finem dare queamus, vel ob id tamen oblatas conditiones aspernari nolimus, quod per has propositiones Induciarum speremus bonum Pacis fructum enasci, & sequi posse, eoq; magis vel toti Orbi Christiano constare possit, publicam rerum omnium quietem, & tranquillitatem Nos semper rebus nostris privatis anteponere velle, & cupere, nostraque eatenus curare, & ampliare noluisse, quatenus cum honore, & honestate, citraque publicæ Pacis, & incolumitatis detrimentum fieri possit, & ut stante tam aperto, liquido, & irrefragabili iure nostro, quod Nobis versus præfatum Hungariæ Regnum tam divinitus, quam humanitus competere dignoscitur, tanto magis ad Christianitatis negotium respexisse videamur, quanto minus ius, & actionem ad Adversarium nostrum spectare compertum est, hacque via sangvini humano, cuius effusionem a natura semper abhorruimus, deinceps parcatur, ac ut mediatoribus etiam in hac parte gratificemur, præscriptas Conditiones, & Articulos approbato & ratificato actu, seu actibus, per Oratores nostros in horum acceptatione & transactione interpositis, assumpsimus, & acceptavimus, ac in omnibus, & per omnia ratificavimus, approbavimus, laudavimus, & emologavimus, sicut tenore Præsentium assumimus, & acceptamus, actusq; nostro nomine per ante dictos Oratores nostros circa præmissa factos, & admissos ratificamus, & emologamus promittentes insuper & pollicentes in verbo nostro Regio, Nos omnia & singula supradicta scripta perpetuo, firmiter, & inconcusse tenere, servare, & adimplere, Nosque contra ea, vel eorum aliqua, nullo unquam tempore agere, facere, dicere, vel venire velle, vel debere quovis modo, ratione, via, aut exquisito colore, vel ingenio, dolo et fraude remotis. Harum testimonio Literarum Sigilli nostri impressione munitarum. Datum in Ehingum die XXV. Mensis Novembris. Anno. Domini M. D. XXX. Regnorum nostrorum Bohemiæ quinto, Hungariæ vero quarto. ANNO 1530.

ANNO 1530

LIII.

*Responsum a* SIGISMUNDO *Rege Poloniæ datum Oratoribus* FERDINANDI, & JOANNIS *Regum Hungariæ. Indidem.*

SAcra Regia Maiestas, Magnifici Domini utrinque Oratores! maluisset quidem vel non ortam fuisse controversiam hanc de munitionibus, sub interstitio trimestrium, & annalium Induciarum interceptis, vel cum orta erat, illic in initio conclusarum Induciarum apud Dominos partis utriusque Commissarios transactam & definitam esse, quippe quæ cuperet magis omne hoc annuæ cessationis tempus in tractanda principali Concordia, quam in componendis novis exilibus controversiis traducere. Verum quia permissione Divina neque impedimenta ista evitari, neque per Dominos Commissarios supradictos ita tolli potuerint, ut non ad Compromissum descendi oporteret, boni & æqui consulere Maiestas sua non gravatur.

Cæterum etsi rem arduam intelligat Maiestas sua, sibi alioqui Svasori Pacis, officio Judicis inter Sereniſſimos Magnificentiarum Vestrarum Reges, & Dominos fungi, ne tamen postulatis Maiestatum suarum de Compromisso suscipiendo per Dominationes Vestras factis deesse videatur, & suscipere illud & causam, de qua compromissum est, audire non est gravata. Quoniam vero ad ferendam sententiam illud potissimum videtur necessarium, ut originales litteræ Magnifici Domini HIERONYMI LASKI Palatini Siradienſis producantur, Maiestas sua priusquam illas videat, a sententia de controversia hac proferenda abstinebit. Quare vestras Dominationes Sereniſſimi Domini Romanorum Regis Oratores monet, ut intra diem decimam octavam Julii, ad finiendum Compromissum pactam, literas Originales ipsius Magnifici Domini HIERONYMI LASKI producant, quas cum perspicere, & expendere Maiestas sua dignabitur, sententia sua controversiæ finem faciet. Interim vero a Dominationibus Vestris postulat, ut ea quibus mutuo verbis heri ad probandam intentionem suam nitebantur, in scriptis singuli Maiestati suæ tradere velint.

LIV.

1531. *Capitula Conditionum, quibus Maiestas Regia Poloniæ Arces in Sequestrum per annum recipiet iuxta Pacta & Conclusiones in Vischegrad factas.* Actum, & Datum *Cracoviæ die 1. Julii* Anno 1531. *Indidem.* ANNO 1531.

Ad postulationem Sereniſſimi Principis, Domini FERDINANDI Romanorum, Hungariæ, et Bohemiæ etc Regis, Maiestas Regia Poloniæ assentitur, et contenta est de recipiendis in custodiam suam duobus Castris, videlicet Strigonio, et Vischegrad inferiori, una cum Illustri Domino GEORGIO Duce Saxoniæ muneris eius obeundi suæ Maiestatis Collega.

In eventum tamen, quod idem Dominus Dux Præfectos Castrorum ad præfinitam diem in designatis locis, pro parte sua statuere non posset; Maiestas sua publici boni tuendi, et Induciarum conservandarum causa pollicetur, se in tutelam et custodiam suam Arces prædictas recepturam esse, dummodo intra duorum mensium decursum a traditis Maiestatis suæ Castris computandorum, in his ipsis Castris pro parte Illustritatis suæ præfecti statuantur.

Cæterum propter difficultatem in tam angusto tempore novorum militum conducendorum, in Castris prædictis milites veterani retineri debebunt: ita tamen, ut a priore iureiurando, quo suo Regi, vel Præfectis illius erant astricti, soluti, Juramentum denuo fidelitatis, et obedientiæ secundum Formulam præscriptam, Capitaneis Maiestatis Regiæ, et Illustrissimi Domini Ducis Saxoniæ præstent, quo tam Maiestas sua, quam Illustris Dominus Dux Saxoniæ, seu illorum Capitanei freti, possint illos sua auctoritate, qui non obedierint, ab eisdem Castris, et præsidiis, in parte vel in toto amovere, conditione hac adiecta, ut ob levem causam irrequisitis Dominis sequestris, Capitanei exauthorare vel amovere milites non possint, nisi casus aliquis gravis accidat, qui et moram non patiatur, et præsentem illorum amotionem exposcat.

Stipendium vero militibus, et Præfectis Castrorum dictis, Sereniſſimus Rex Romanorum ad sua Castra persolvere tenebitur, et erit obligatus. Data etiam per suas literas sufficienti Sereniſſimæ Maiestati Regiæ, et Domino Duci Saxoniæ cautione, ut et ipsum stipendium menstruis temporibus dissolvatur, et si neglectum fuerit solvi, Maiestas sua cum Illustri Domino Duce Saxoniæ indemnis in hoc reddatur, ac extra omnem sinistri eventus culpam habeatur, ubi aliqua difficultas vel periculum (quod omne Deus avertat) ex parte militum ratione Castrorum, ob non solutum sibi vel Præfectis stipendium oriretur.

Per

ANNO 1531

Per tempus Inducіarum annalium, Arces ſupranominatæ refici, muniri, et commeatu, tormentis, atque aliis bellicis inſtrumentis neceſſariis provideri, ſumptibus Sereniſſimi Domini Regis Romanorum ea conditione poterunt, ut operarii et opifices munitioni intendentes, Capitaneis ſuæ Maieſtatis et Illuſtris Domini Ducis Saxoniæ Sacramento ſe fidelitatis, et obedientiæ aſtringant, et nihil aliud illic agant, quam quæ ad reparationem & munitionem Caſtrorum neceſſaria, et opportuna videbuntur; ſecus enim facientes, vel ſuſpicione aliqua notati, amoveri per Capitaneos poterunt. Capitanei vero viciſſim, quæ pro uſu et munitione Caſtrorum praedictorum invecta fuerint, ſalva, et integra conſervare tenebuntur.

Proviſores utriuſque Caſtri praedicti perſeverare in officio ſuo admittentur, ſi fidelitatis et obedientiae iusiurandum Maieſtati Regiae, et Illuſtris Domini Ducis Saxoniae Capitaneis praeſtiterint. Facultate etiam de amovendis illis propter ſuſpicionem Capitaneis Caſtrorum reſervata, iuxta modum de amovendis ſuſpectis militibus ſuperius deſcriptum.

Priuſquam autem milites Caſtrorum praedictorum, in fidem Capitaneorum Maieſtatis Regiae, et Illuſtris Domini Saxoniae Ducis recipiantur, ſtipendia promerita utrinq; illis perſolvi præſenti pecunia, vel ſufficienti cautione debebunt, ne ob haec non ſoluta, Maieſtati ſuae, et Illuſtri Domino Duci negotium poſtea faceſſatur. Si contingat Inducias per alterutram, vel utramque Partem violatas eſſe, et arma rurſus atque bellum apertum inter Principes de Regno Hungariae diſſidentes, ſive vi, ſive denuntiatione mutua ſuſcitari, Caſtra nihilominus per Maieſtatem Regiam, et Illuſtrem Dominum Ducem, eorumque Capitaneos tantiſper ſervabuntur, quamdiu Sereniſſimus Dominus Rex Romanorum illa reſtitui ſibi non poſtulabit. Poſtulanti enim poſt ruptas Inducias illius Maieſtati Caſtra ſibi reſtitui, Maieſtas Regia cum Illuſtri Domino Duce Saxoniae reſtituere illa debebit. Si autem, quod Deus avertat, alterum ex Sequeſtris, Induciarum tempore, mori contingat; ſuperſtes Sequeſter caſtra et ſervare, et reſtituere, iuxta formam conditionum deſcriptam tenebitur. Ubi vero, quod procul abſit Sereniſſimus Dominus Rex Romanorum ſub tempore Induciarum mature de vita concedat, Sequeſtri ambo, vel ſuperſtes unus ad id erunt obligati, ut in eventu mortis illius Maieſtatis, Caſtra ſupradicta Haeredibus legitimis ipſius reſtituant, iuxta formam etiam, et conditionem ſuperius deſcriptam. Amotis militibus Caſtrorum propter ſuſpicionem, vel quamcunque legitimam aliam cauſam, ſufficientur in ſupplementum alii milites eodem, vel maiori numero, Sereniſſimæ Regiæ Maieſtatis, & Illuſtris Domini GEORGII Saxoniæ Ducis, tanquam Sequeſtrorum arbitrio. ANNO 1531.

Arces, quas in curam & adminiſtrationem ſuam recipient Domini Sequeſtri, in fine Induciarum reſtituant, cui ex Concordia, ſi quæ ſequetur, applicabuntur. Aut ſi Concordia non ſequetur, ſuas Sereniſſimo Domino Regi Romanorum libere dimittent ſecundum modum in Capitulis Induciarum annalium deſcriptum, hoc eſt, in fine Induciarum, ultima videlicet die Menſis Aprilis, ſuper quo ipſi Domini Sequeſtri illius Majeſtatis ſufficientem literis dabunt cautionem.

E diverſo autem Sereniſſimus Dominus Rex Romanorum Majeſtati Regiae, cum Illuſtri Domino Saxoniae Duce literis ſuis ad plenum cavebit, ne quid ſua culpa, juſſu vel conſenſu, aut ſuorum dolo malo, fraude, vel ſtratagemmate, impedimenti, periculi denique, et incommodi exhibeatur, Capitaneis et militibus auctoritate Dominorum Sequeſtrorum in Caſtris collocatis. Actum et Datum Cracoviae die 1. Menſis Iulii 1531.

## LV.

## *De Caſtris quatuor in Hungaria in Cuſtodiam recipiendis.*

SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniæ &c Manifeſtum facimus per praeſentes Literas noſtras, quod cum Menſe Majo ſub Anno 1531. conventum eſſet inter Conſiliarios Sereniſſimi Principis Domini FERDINANDI, Romanorum, Hungariæ, et Bohemiae Regis, & alios Partis adversae Commiſſarios Vischegradi congregatos, ut pro bono publico, & tractanda concordia annales Induciae fierent, utq; Nobis cum Illuſtri Domino GEORGIO Saxoniæ Duce, non nulla Caſtra per tempus Induciarum, contentis in Sequeſtrum certis conditionibus, ut in Capitulis Induciarum expreſſum, ab utraq; parte traderentur, Nos ad poſtulationem Sereniſſimi Domini Romanorum, Hungariæ, & Bohemiae Regis, & ut publicae utilitati inſerviamus, pro parte illius Majeſtatis Caſtrum Strigonienſe, & inferiorem Arcem Viſchegradienſem, in curam, & cuſtodiam noſtram, ſimul cum praedicto Domino GEORGIO Saxoniae Duce recipere conſenſimus, & recepimus; quae Caſtra & ſervare ſecundum conditiones a Nobis traditas, & reſtituere finitis Induciis ſecundum Capitula in In-

Anno 1531. duciis descripta, vel si intra annum rumpantur Induciae, secundum Articulum in conditionibus nostris ad casum ruptarum Induciarum scriptum, Verbo nostro Regio, & promissione firma promittimus. In cuius rei fidem & testimonium, has Literas nostras scribi, & Signo nostro obsignari fecimus, Nosque ipsi manu nostra illas subscripsimus Craçoviae die 1. Julii, Anno Domini 1531. Regni nostri 25. Indidem.

## LVI.

1531. SIGISMUNDI I. *Regis Poloniæ ex Compromisso* FERDINANDI & JOANNIS *Regum de Regno Hungariæ dissidentium Decretum, quo statuit, ut* JOANNES *Rex Oppidum Molubach cum aliis Castris, quæ in Transylvania ceperat, sibi in Sequestrum consignet. Actum & Datum Cracoviæ* 17. *Julii.* Anno 1531. *Ex Archivo Regni.*

SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae &c. Dominus & Haeres. Manifestum facimus Universis, quia cum ad decimam septimam Mensis Maii proxime praeteriti, Oratores, et Commissarii Sereniſſimorum Dominorum FERDINANDI, et JOANNIS Regum de Regno Hungariae dissidentium, Vischegradi ad conficiendas annales Inducias congregati, de controversia, quae erat inter eos illic exorta ob interceptum in Transylvania Oppidum *Molubach* cum quibusdam aliis Arcibus et locis, sub tempore dierum inter finem trimestrium, et principium annalium Induciarum intermedio, et simul ob interpretationem Literarum Magnifici HIERONYMI de *Laſko* Voievodae Transylvanienſis, et Palatini Siradienſis ad Magnificum LEONARDUM liberum Baronem de *Felsz*, locum tenentem Magnifici GVILHELMI de *Rogendorff* in hoc negotio scriptarum, in Nos ita compromisissent, ut scilicet intra duos Menses, a decima septima Maii computandos, controversiam hanc audiremus, ac arbitraremur, et diiudicaremus. Nos tametsi munus hoc arbitrandi ad postulationem Sereniſſimi utriusque Regis praedicti susceperimus, discutere tamen pro una, vel altera parte modo legitimo causam hanc in praesens non potuimus, partim propter magnitudinem negotii, et productarum utrinque difficilem controversiam, partim vero propter angustiam temporis, in quam Nos tardo adventu suo Oratores Sereniſſimi utriusque Regis praedicti ita coegerunt, ut parum abfuerit, quin Compromissi dies prius praeteriret, quam vel Nos productas audire, vel Oratores Sereniſſimi Domini Romanorum Regis Originales Literas Magnifici HIERONYMI de *Laſko* exhibere potuissent. Ut autem intra tempus Compromissi aliquid feciſſe videamur, quod ex aequo et bono esset, quodque ad rationes sperandae Concordiae proxime accederet, auctoritate, qua fungimur in hac parte, dicimus, decernimus, pronunciamus, atque Laudum nostrum proferimus, ut Sereniſſimus Rex JOANNES, a die publicationis ejus Decreti nostri, et ab eo tempore, quo de illo factus fuerit certior, intra viginti dierum decursum Oppidum *Molubach* cum aliis Castris et Bonis, quae in Transylvania et ubilibet sub interstitio dierum inter trimestres, et annales Inducias interiecto, vi atque armis cepit, et in suam potestatem quomodocunque redegit, Nobis, vel alicui ex nostris ad id potestatem habenti in Sequestrum consignet, et libera ac integra cum omnibus inde abductis, et receptis dimittat, quae Nos consignanda, et dimittenda Nobis decernimus, et pronunciamus, hac nostra sententia arbitrali mediante, tam diu per Nos tenenda et administranda, quam diu id rationes Regni Hungariae et Reipublicae Christianae, nostro et non alterius cuiuspiam iudicio, exigere videbuntur. In cuius rei Testimonium Sigillum nostrum Praesentibus est appensum. Actum et Datum Cracoviae 17. Julii Anno Domini 1531. Regni nostri Anno 25. Indidem.

## LVII.

*Literæ Regnicolarum, & Procerum, omnium Ordinum Regni Hungariæ ad Status, & Ordines Regni Poloniæ.* Datum in Kenesse *in Festo Epiphaniarum.* Anno 1532. *Ex Archivo Regni.* 1532.

PRælati, Barones, Proceres, Nobiles, Regnicolæ omnium Ordinum Regni Hungariæ in *Kenesse* congregati, Reverendissimis, Reverendis, Illustribus, Spectabilibus, Magnificis, Nobilibus, Egregiis, Prudentibus, Circumspectis, Cæterisque cuiuscunque Status et Conditionis, Ordinis Regni Poloniæ, Dominis Vicinis, et Amicis Nobis Observantissimis Salutem & Obsequiorum nostrorum Commendationem. Tametsi-

ANNO 1532. si non dubitamus Dominationibus Vestris optime constare Regnum istud nostrum, dum adhuc florebat, omnibus Regnis & Provinciis circumvicinis, non parvo usui atque emolumento fuisse, et non solum Dominationibus Vestris, et huic Vestro Regno Inclyto, verum etiam toti Christianitati ad reprimendos et propulsandos impiorum hostium conatus et hostilitates, Nos tanquam antemurale et fidele propugnaculum quoddam fuisse, et cum effusione sangvinis nostri, et infinitis caedibus nostrorum Reipublicae Christianae fidelissime et constantissime usque ad haec tempora serviviſſe. Verum quo iam res nostrae deductæ sunt, id adeo toti pene orbi notum est, ut ea referre supervacaneum existimemus. Siquidem dum aliorum commodis studemus, dum negligentiam et impotentiam Principum nostrorum ferimus, dumque frustra per tot saecula, auxilia a Republica Christiana imploramus, eo miseriarum redacti sumus, ut, qui a tot et tantis cladibus supersumus, nihil iam praeter sangvinem superſit. Itaque ne adhuc Nobis et Christianitati, pro qua etiam sangvinem et vitam, quae iam sola restat (modo prodesse possimus) effundere non dubitamus, defuisse videamur: indiximus universalem Dietam in festo Beati GREGORII Papae proxime affuturo, in *Berenhida* in Comitatu Vesperimensi celebrandam, ubi tractaturi sumus, et concluſuri, de conservatione huius afflicti, et iam iam (nisi mature provideatur) ruentis Regni nostri, quod aeque nobis ac Dominationib9 vestris proderit. Igitur rogamus Dominationes vestras, tanquam bonos Dominos Vicinos nostros, Amicos nostros, ut pro suo in Religionem Christianam studio, et benevolentia erga Nos vestra, denique pro evitandis ultimis periculis, quae non secus Dominationib9 vestris, ac Nobis iam imminent, velint mittere Oratores suos ad dictum locum, et diem, qui Nobis in Persona Dominationum Vestrarum, rebus nostris afflictis et attritis consilio et auxilio esse possint, pro quo facto Dominationes Vestrae a Deo Optimo Maximo dignam mercedem recipient. Nos vero eisdem omni vicissitudine officiorum promereri studebimus; alioquin, si viderimus Nos ab omnibus Principibus et Regnis ac Provinciis destitutos, cogemur eam, quam poterimus viam conservandi Regni quaerere, et invenire, antequam ad internecionem usque pereamus. Easdem felicissime valere optamus. Datum in *Kenesse* in festo Epiphaniarum Anno Domini 1532.

## LVIII.

ANNO 1538.

*Edictum* SIGISMUNDI I. *Regis Poloniæ, quo interdicit Commercia cum Hungaria, & Silesia.* Datum in Conventione Generali Piotrcovienſi, feria quinta ante Dominicam *Invocavit.* Anno 1538. *Ex Archivo Regni Lib. 41. n. 42. fol. 397.*

SIGISMUNDUS DEI Gratia Rex Poloniæ &c. Universis & singulis Principibus, tam Spiritualibus, quam Sæcularibus, Reverendissimis, ac Reverendis in Christo Patribus, Dominis Archiepiscopis, Episcopis, nec non Magnificis, Generosis, Nobilibus, & Famatis, Palatinis, Castellanis, Capitaneis, Tenutariis Civitatum, & Oppidorum nostrorum, ac quorumcunque Subditorum nostrorum Pro-Consulibus, Consulibus, Communitatibus, & generaliter omnibus Subditis nostris, cuiuscunque Ordinis, Gradus, & Conditionis existentibus, ad quos præsentes nostræ Literæ pervenerint, & infrascriptum Edictum nostrum perlatum fuerit, sincere fidelibus, & grate Nobis dilectis, gratiam nostram Regiam. Sincere fideles, & grate nobis dilecti. Cum ita & publica Regni nostri commoditas exigere visa est, & Senatores, totusque Ordo Equestris id a Nobis summis precibus per Nuntios suos contendissent, ut ad evitandas magnas insecuritates, iniurias, & depraedationes, in quas Subditi nostri ab Incolis Regni Hungariæ, & Ducatus Silesiæ annis proximis incurrerunt, & usque adhuc eas sustinere coguntur, ducendi, & portandi quasvis e Regno nostro in Silesiam & Hungariam res, & merces, subditis nostris facultatem interdiceremus, Interdictoque hoc, sive Edicto nostro iter omnibus subditis nostris in Silesiam, & Hungariam cum mercibus occluderemus, fecimus non inviti præsertim ex pluribus, & gravibus Causis, ut hasce Literas & Edicta, Mandataq; nostra conscribi iuberemus. Atque ideo Vobis omnibus supraſcriptis strictissime mandamus, ut Occlusionem, & Prohibitionem hanc, & Mandata nostra firmissime servetis, incipiendo a die Festo S. STANISLAI Episcopi, & Martyris proxime venturi, quæ erit octava die Mensis Maij, usque ad expressam nostram revocationem, & relaxationem huius Edicti, quæ fieri non debebit, nisi in Conventu generali, & de voluntate, ac consensu Senatus Regni, & Nuntiorum Terrestrium. Ita videlicet, quod nemo audeat in Hungariam, & Silesiam res & merces aliquas, tam grandes, quam par-

ANNO 1538.

vas, cuiuscunque qualitatis fuerint, praeterquam sal nostrum Regium educere & inferre, sed nec ad alias quæ remotiores sunt partes, easdem res, & merces per ipsam Silesiam, & Hungariam ducere, sub amissione ipsarum rerum & mercium, quas contra præsentem inhibitionem nostram de Regno nostro duxerint. Liberum autem esse debet mercatoribus, aliisque hominibus ex Silesia & Hungaria, & ex aliis extraneis partibus quibuscunque ad Civitates, & Oppida Regni Nostri, ad ea videlicet, ad quæ ab antiquo ire consveverunt, cum rebus, & mercibus suis, quibuscunq; venire,& ibidem emere aut vendere, resque & negotiationes suas, ac alias actiones licitas, cum nostris subditis exercere, et contra e Regno libere, cum bobus, rebus, et mercibus, solutis datiis, et teloneis debitis, ac consvetis exire; subditis vero nostris licebit ad alias Provincias, et Regna, praeterquam ad Silesiam et Hungariam res et merces quascunque de Regno nostro transmittere, et ducere, dummodo per ipsam Silesiam, et Hungariam illas non transmittant, nec duci, aut vehi faciant. Et quia suspicamur fore nonnullos, qui hanc prohibitionem, et occlusionem viae in Silesiam, et Hungariam in contemptum Decretorum, et Mandatorum nostrorum et in pessimum inobedientiae exemplum transgredi non verebuntur: statuimus cum universis Consiliariis, et Terrarum Nuntiis in Generali Conventu Piotrcovienſi proxime praeterito congregatis, quod quicunque compertus fuerit, qui eandem prohibitionem nostram transgressus esset, aut etiam cum pecunia parata negotiandi causa in Silesiam, vel Hungariam se se contulisset, poena carceris unius anni, et amissionis pecuniae, et rerum, quas portaverit, puniatur. Qui vero in transgrediendo deprehensus non fuerit, sed vel furtim, vel conniventia Capitaneorum transgressus, et de hinc domum reversus, si testibus idoneis convictus fuerit eam transgressionem commisisse, is poenam amissionis bonorum suorum omnium luat. Si autem quispiam Capitaneorum permiserit aliquem contra prohibitionem nostram in Silesiam, et Hungariam transire cum scitu, et voluntate sua, talis Capitaneus suo officio privari, et alia, quae Nobis digna videbuntur, animadversione puniri debebit. Si vero quispiam Capitaneus fuerit, qui bona nostra habuerit oppignorata, perdere debet absque ulla spe veniae summas omnes pecuniarum, quas in ipsis bonis nostris habuerit inscriptas, eademque bona ipso facto ad Nos devolvi debebunt. Quod si Burgrabius, Vice Capitaneus, aut Notarius Capitanei, modo supradicto excesserit, et idoneo testimonio convictus fuerit, quod aliquem contra prohibionem nostram in Silesiam, et Hungariam transire permisisset, quovis colore, vel praetextu illum eius Dominus vel evincere, vel ad poenam carceris unius anni in fundo turris Nobis extradere debebit; atque huic Constitutioni nostrae, et Decreto, universi homines tam nostri quam subditorum nostrorum spiritualium, et sæcularium subiacebunt, nec quisquam exemptus esse debebit. Proinde Vobis locorum Capitaneis, ac Proconsulibus et Consulibus Civitatum, et Oppidorum severe praecipimus, ut hanc nostram Constitutionem ac Edictum ubiq; in omnibus locis publicis, ad quos homines frequenter convenire solent, denuntiari, et proclamari faciatis, ne aliquis ignorantiam praetendens, aliquid contra eandem Constitutionem nostram committat, et poenas suprascriptas incurrat. Vos vero Capitanei in perveſtigandis, et custodiendis locis omnibus, ac itineribus, ne quis eandem prohibitionem nostram transgrediatur, curam, et diligentiam omnem adhibeatis, et quemcunq; offenderitis, et deprehenderitis in minima quaque re contra hanc prohibitionem nostram excessisse, illius res, et ipsummet capiatis, et usque ad instructionem, et documentum nostrum detineatis, sub poenis contra Capitaneos, et Officiales negligentes statutis, et pro gratia nostra aliter non facturi. Datum in Conventione Generali Petricovienſi Feria quinta ante Dominicam *Invocavit*. Anno Domini Millesimo Quingentesimo Trigesimo Octavo Regni vero nostri Anno XXXII.

*Ad Mandatum Sacræ Maiestatis Regiæ proprium.*

## LIX.

*Pacta matrimonialia inter* JOANNEM *Regem Hungariæ & Sereniſſimam Principem* ISABELLAM SIGISMUNDI I. *Regis Poloniæ Filiam.* Datum *Cracoviæ 1. Januarii* Anno 1539. *Ex Archivo Regni. Lib. sub Lit RRR fol. 239. Item Lib. Leg. sub. Lit. F. folio 61.* ANNO 1539.

SIGISMUNDUS Dei gratia Rex Poloniae etc. Universis, et singulis quorum interest planum testatumque facimus. Quod cum venissent ad Nos Legati, et Oratores a Sereniſſimo Principe Domi-

ANNO 1539. Domino JOANNE Dei gratia Rege Hungariae, Dalmaciae, Croaciae etc. Marchione Moraviae ac Luſatiae, et utriusque Sleſiae Duce etc. Affine, et tanquam Filio noſtro chariſſimo cum plena authoritate, et ſufficientibus Mandatis, Reverendus videlicet in Chriſto Pater Dominus STEPHANUS Brodericus Epiſcopus Vacienſis, ac ſpectabiles, et Magnifici Petrus a *Peren* Comes perpetuus Comitatus Ababirarienſis Partium Superioris Regni Hungariae Capitaneus Generalis, et STEPHANUS de *Werbewcz* Summus Regni Hungariae Secretarius, et Cancellarius. Poſtulatum a Nobis, ut Sereniſſimam Filiam noſtram ISABELLAM ipſi Sereniſſimo Domino JOANNI Hungariae Regi in Matrimonium daremus. Nos pro eo amore, quo ſemper Maieſtatem illius complexi ſumus, non potuimus, quin eorum voluntati cederemus, fecimuſque valde libenter, de cuius virtute tam praeclare Deus iudicavit, et cum multis procellis, et tempeſtatibus diu multumque iactatum, atque agitatum, tanquam aurum in igne probatum, non ſolum qui emergeret aliquando ex iſtis fluctibus, dignum duxerit, verum etiam in optato tranquillitatis portu Regno ſuo fruentem collocaverit, ut Nos quoque non recuſaremus, quin Dei de illo Judicium ſecuti, una cum omni Maieſtatem illius digniſſimam cenſeremus, quam Nobis generum Sereniſſimae Filiae noſtrae maritum aſciſceremus, veterem illam affinitatem, quae Nobis cum Maieſtate eius intercedit, redintegrantes. Ut quemadmodum ille Nobis Sororem ſuam, ſic Nos viciſſim illi nunc Filiam noſtram, ex altera Sereniſſima Coniuge noſtra Nobis natam, Matrimonio iungeremus, quo iſta quaſi viciſſitudine coaleſcere magis poſſet, et corroborari mutua inter Nos, et Regna noſtra benevolentia. Quare quod felix, fauſtum, fortunatumque Deus eſſe velit, cum utrique noſtrum et Domui, ac Familiae noſtrae, tum Regnis, et populis utriuſque noſtrum Imperio, Ditionique ſubiectis Sereniſſimam Virginem ISABELLAM Filiam noſtram chariſſimam, Sereniſſimo Domino JOANNI Regi Hungariae deſpondemus. His Conditionibus, quae paulo poſt ſcribentur, de quibus inter Nos, et Sereniſſimi Domini Regis Hungariae Legatos ita convenit, ut utrinque ſancte Nos eas, et inviolate obſervaturos ea fide recipimus, quam Reges tanto ſervare decet impenſius, quanto magis caeteris mortalibus dignitate praeſtant.

Principio convenit inter Nos et Legatos Sereniſſimi Domini Hungariae Regis, quandoquidem abduci nunc debet Sereniſſima Sponsa, atque in Hungariam commigrare, ut de Dote deque Antipherna, quam alii Contradotem vocant, his illi rationibus caveatur, quoniam Dotis nomine Paraphernorumque in gemmis, auro, et argento aeſtimatorum, et ponderatorum ſeptuaginta millia Ducatorum per Nos dabuntur auri boni, puri, et iuſti ponderis in hac pecuniae Summa, et in aliis ſeptuaginta millibus aureorum ſimiliter Hungaricalium auri puri, boni, et iuſti ponderis, quae Contradotis nomine aſſignabuntur, inſcribi Sereniſſimae Dominae ISABELLÆ debent, et obligari Arces, ſeu Caſtra, Civitates, Oppida, Villae, quae et Nobis, et Sereniſſimae Filiae noſtrae nomine, loco, et proventibus ſatisfacere poſſe, Dotis et Contradotis nomine videbuntur. Quoniam vero Inſcriptio, et obligatio Arcium eiuſmodi, et Civitatum non eſſet firma ſatis, et ſtabilis futura, niſi ad eam faciendam Caeſarae, et Catholicae Maieſtatis, et Sereniſſimi Romanorum Regis conſenſus acceſſiſſet, tenebitur Sereniſſimus Dominus Hungariae Rex intra ſex Menſes a Dominica *Invocavit* computandos, a Caeſarea, et Regia Rom: Maieſtatibus Diplomata expedire, quibus Maieſtates eorum conſentiant ad eas Arces, Civitates, Caſtra, Oppida, et Villas, Dotis et Contradotis nomine inſcribendas, et obligandas, quae ſummam Dotis, et Contradotis exaequare vectigalibus, et redditibus ſuis poſſint annuis, quae nulli ſervituti ſint obnoxia, ſed libera prorſus, neq; cuiquam obligata, quorum fructus, et proventus, et tuto, et abſque ullo negotio colligi poſſint, quae denique huiuſmodi ſint ut Judicio noſtro probentur, Nobisque & Sereniſſimae Filiae noſtrae prorſus ſatis, faciant, ac Praefecti Arcium praedictarum juſurandum dare tenebuntur, ſi quid humanitus acciderit, Sereniſſimo Domino JOANNI Regi, Superſtesque illi fuerit Sereniſſima Regina ISABELLA, ſe in illius fide, poteſtate auctoritateque futuros. Hoc idem, & Nobiles, & Cives praeſtabunt. Omnes autem Arces eae, & Civitates Dotis ſive Contradotis nomine inſcriptae, hac Lege & Conditione obligari debent, ut ſi prior e vita discedat Sereniſſimus Dominus JOANNES Rex, viſumque ſit Sereniſſimae Reginae JSABELLAE renovare Nuptias non poſſint Arces illae, & Civitates ſingillatim, & ſeorſim, ſed ſimul tantum omnes, & coniunctim redimi tota pecuniae ſumma, quae tam Dotis, quam Contradotis nomine debebitur.

Quod ſi forte adduci non poſſent Caeſarea,

ANNO 1539. sarea, et Rom: Maiestates, ut ad obligandas Arces, et Civitates praedictas consentirent, tunc infra duos Menses post lapsum sex mensium, tenebitur Serenissimus Rex JOANNES secundum tenorem Conditionis, et Obligationis, quas Nobis vigore Mandati sui eius Oratores Literis datis fecerunt, septuaginta millia aureorum Contradotis, et viginti sex millia, et quinque aureos Hungaricales in auro, quae ex tota summa tam Dotis, quam Paraphernae in Hungariam secum abduxit Sereniſſima Filia nostra ISABELLA, aut apud Nos, Sereniſſimumq; Filium, et Coniugem nostram chariſſimos, aut apud Illustriſſimum Dominium Venetorum, aut apud Fugger in sequestro deponere, in auro, argento bono numerato, vel ad valorem dictorum omnium, quae deponi debent ponderata, quae omnis pecunia ita deposita, et reliquum Dotis, quod apud Nos erit retentum, non prius movebitur, quam aliquod fuerit postmodum idoneae cautionis genus excogitatum, quo prospici possit indempnitati, securitatique Sereniſſimae Filiae nostrae ISABELLÆ, tam de Dote, quam de Contradote inscribenda. Simul atque vero ita hæc transacta fuerint, tum Nos et ea, quae retinuimus, et si quae alia deposita erunt, apud Nos versus Hungariam omnia ab eo tempore, quo Nobis Cautio Dotis, et Contradotis Sereniſſimae Filiae nostrae facta probari cœperit, et quando illam ratam habuerimus, Nos, Sereniſſimus Filius, et Sereniſſima Coniux nostra intra duos Menses, si in Regno fuerimus, si vero in Ducatu nostro Litvaniae, infra tres transmittere tenebimur, et in manus eorum, qui Mandata ad hoc habuerint, vel circa *Podolin* vel circa *Liblo* consignare, neque impedire, quo minus si quam in sequestro pecuniam Sereniſſimus Dominus JOANNES Rex alibi, quam apud Nos deposuerit, tollat. Nam Nobis aliud restituendum, et hac ratione, ut scriptum est, mittendum non est versus Hungariam, quam quod ipsi de septuaginta millibus Dotis, et Paraphernae retinuimus. Quod quidem sedulo Nos facturos, una cum Sereniſſimo Filio nostro promittimus, & spondemus praesentibus Literis nostris. Postquam vero Serenisſima Sponsa Domina ISABELLA Filia nostra charisſima ad Serenisſimum Dominum Regem Hungariae Maritum suum traducta, copula carnali cum illius Maiestate coniungetur, tenebitur tunc in praesentia Oratorum nostrorum, qui illius Maiestatem deducent, abdicare se omni Jure haereditario, sive Paterno in Regno, Dominiorumque nostrorum omnium, sive Materno earum possessionum, quae Serenisſima Mater habet, cavereque tenebitur per se, et Serenisſimum Dominum Coniugem suum, neminem amplius, aut illius, aut Serenisſimi Coniugis sui nomine, sive Dotis, sive quocunque tandem alio nomine aut a Nobis, aut a Successoribus nostris quidquam petiturum. Quodsi absque Liberis Serenisſima Filia nostra, quod Deus procul omen avertat, discesserit, Dos, & Parapherna, hoc est, septuaginta millium summa ad Nos Serenisſimumq; Filium nostrum et Illustrisſimas Filias nostras redire debebit, nisi fortasse secus aliquid ea de re statuerit Serenisſima Filia nostra, cui, & testandi de summa hac, atque cui velit, quantumque velit, dandi, donandi, & legandi potestatem esse volumus, tam inter vivos, quam causa mortis. Dotis vero nomine triginta duo millia sunt resignata aureorum Hungaricalium auri puri, boni, & iusti ponderis. Datae sunt vero Paraphernorum nomine gemmæ, margaritae, monilia, reliquaque cloenodia, quae summam triginta octo millium efficiunt, ut universa Dos cum Paraphernis æstimata, aureos efficiat Hungaricos in auro bono septuaginta millia. Quæ quidem Parapherna, quæ tanti pretii data sunt, sciri debet, non id factum esse de more, & consvetudine Regni huius nostri, sed magis adeo ex abundantia quadam amoris nostri, & Serenisſimæ Coniugis nostræ erga Serenisſimam Filiam nostram. Nam Nos quidem bonam partem earum rerum ultra Dotem datarum supra id auximus, quod dari Filiabus nostris, & Prædecessorum nostrorum convenerat, & Serenisſima Coniux nostra multo plus etiam rerum ipsi Filiæ ex singulari sua liberalitate, non ex debito ullo dono dedit, & assignavit. Hæ sunt Conditiones, de quibus inter Nos, & Legatos Serenisſimi Domini Hungariæ Regis convenit, quas Maiestatem illius ratas, gratasque habituram similibus Reversalibus Literis datis in manus eorum Oratorum nostrorum, qui Sereniſſimam Filiam nostram deducent, Legati vigore Mandati, quod habent, sub pœna centum quadraginta millium aureorum Regem obligaverunt, qui ipsi Verbum Regium quoque Sereniſſimi Regis sui Hungariæ interposuerunt, quod Maiestas illius loco doni Nuptialis, seu Donationis propter Nuptias (Morgengab appellant Germani) assignatura sit duo millia florenorum Hungaricalium census annui, in censu S. MARTINI Saxonum Regiorum in Transylvania, quem in singulos annos Sereniſſima Domina ISABEL-

LA

ANNOLA Filia noſtra chariſſima percipiet, quo- 1539.
ad Sereniſſimo Domino Regi, & Coniugi illius vita ſuppeditaverit, atque in uſum ſuum convertet. Quin, & hoc polliciti ſunt iidem Legati ſe diligentem operam navaturos, ut ille cenſus Sereniſſimæ Dominæ REGINÆ aliqua acceſſione locupletetur. Quo autem plus roboris, & firmitatis Pacta hæc habeant, promittimus in Verbo noſtro Regio cum Sereniſſimo Filio noſtro, & Sereniſſima Conjuge noſtra, in quantum ſe obligant, ea Nos rata, grata, atq; firma habituros, ſub pœna centum quadraginta millium aureorum Hungaricalium, quos abſque ulla recuſatione numerare tenebimur, ſi intra tempus præſcriptum fidem noſtram non liberaremus. Quod ſi Nos pœnam, quam in non adimplendis Pactis præſentibus transgreſſi incurreremus, ſolvere neglexerimus, vel etiam recuſaremus, ex tunc fieret, fierique debet libera facultas Sereniſſimo Regi JOANNI Ducatus, Provincias, Terras, Civitates, Oppida, Caſtra, Arces, Villas tam noſtras Regias, quam alias quascunq; Spiritualium, & Sæcularium Subditorum noſtrorum, ubicunque in Ditione, & Dominiis Regni noſtri Poloniæ, ſeu in aliis Provinciis exiſtentium ad ſolutionem dictorum centum quadraginta millium aureorum Hungaricalium arctare, cogere, imo Bona omnia, quæcunque præfata in eodem Regno, & Provinciis noſtris conſiſtentia, mobilia, & immobilia invadere, occupare, & detinere tam diu, donec de prædictis centum quadraginta millibus aureorum Hungaricalium Sereniſſimo Regi JOANNI ſatisfactum non fuerit; & in tali caſu Nos, & noſtri Poſteri non debebunt, neque etiam iuſte poterunt prædicto Sereniſſimo Regi JOANNI reſiſtere, aut ſuccenſere, contradicere, verbo vel facto, per ſe, vel ſubmiſſas perſonas, publice, vel occulte, directe, vel indirecte, ſed illius Maieſtatis propoſitum, & actiones tales, quascunque contra Nos, aut Poſteros, Dominia, & Subditos noſtros fecerit, approbare, commendare, & ratificare, nulla arte, dolo vel ingenio præmiſſis contraveniendo. Actis, Contractibus, & Inſcriptionibus, ac Pace communi Regnorum, & Terrarum in ſuo nihilominus robore remanentibus, quibus per actiones quascunque præfati Sereniſſimi Regis JOANNIS in receptione pœnæ ſeu vadii huiusmodi centum quadraginta millium, ut præmiſſum eſt, intentatas, & commiſſas, non poterit, neque cenſebitur in aliquo derogatum eſſe. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & evidens teſtimonium Diplomati huic Signum noſtrum appendi juſſimus, manuque noſtra ſubſcripſimus. Datum Cra- ANNO
coviæ pridie Purgationis MARIÆ Anno 1539.
1539. Regni Noſtri Anno trigeſimo tertio.

## LX.

SIGISMUNDUS I. *Pater*, & SIGIS- 1539.
MUNDUS II. *Filius Reges Poloniæ, promittunt ſe ſoluturos ad tempora in his Literis præſtituta, Dotem Sereniſſimæ Principis* ISABELLÆ, *ut primum ſecuritati huius Dotis & Contradotis a* JOANNE *Rege Hungariæ cautum fuerit.* Dat: Cracoviæ 1. Februarii Anno 1539. *Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. F. fol. 95.*

SIGISMUNDUS DEI Gratia Pater, & Filius, uterque Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. Significamus tenore Præſentium. Quod cum Sereniſſimam Filiam noſtram ISABELLAM Sereniſſimo Domino JOANNI Hungariæ, Dalmaciæ, Croaciæ &c. Regi deſpondiſſemus, ac ſecundum Contractum, & Dotem integram triginta duorum millium aureorum Hungaricalium, & Paraphernorum quoque magnam partem, quæ aſcendunt ad ſummam undecim millium nongentorum nonaginta quinque aureorum Hungaricalium auri boni, puri, & juſti ponderis apud Nos retinuerimus, tantiſper ad ea reddenda non adigendi, dum indemnitati, ſecuritatique Dotis, & Contradotis idonee Sereniſſimæ Filiæ noſtræ a Maieſtate illius cautum eſſet, ita ut in Literis Contractus latius, & uberius eſt deſcriptum, Verbo Noſtro Regio ſpondemus, Noſque obſtrinximus, ita ut Præſentibus quoque ſpondemus, Nosq; obſtringimus; Simul atque Sereniſſimus Dominus Hungariæ Rex iuxta Pacta, & Conventa in alio noſtro Diplomate conſcripta idonee Nobis, & Filiæ noſtræ caverit de Dote, deque Contradote, illamque in iis Caſtris, Civitatibus, Oppidis, Villis, quæ Nobis viſæ fuerint, inſcripſerit, Nos & ea, quæ apud Nos Dotis triginta duo millia aureorum Hungaricalium, Paraphernorumque undecim millia nongentos nonaginta quinque aureos Hungaricos nomine retinuimus, & ſi præterea pecunia aliqua apud Nos a Sereniſſimo Domino JOANNE Rege depoſita fuerit, & Contradotis nomine, quæ ex Paraphernis Sereniſſima Filia noſtra ſecum in Hungariam abduxerit, hoc eſt viginti ſex millia, & quinque aureos Hungaricos, ea omnia Nos intra duos menſes poſt ſatisfactionem, ſi in Re-

Anno 1539. no noſtro præſentes aderimus, ſi vero extra Regnum in Ducatu noſtro Litvaniæ fuerimus, intra tres, juxta formam Contractus, in aliis Diptomatis perſcripti, in *Podolin*, aut *Liblo* miſſuros ſub pæna centum quadraginta millium aureorum Hungaricalium, quos absque ulla recuſatione numerare tenebimur, ſi intra tempus præſcriptum fidem noſtram non liberaremus. Quod ſi Nos pœnam, quam in non adimplendis Pactis præſcriptis transgreſſi, incurreremus, ſolvere neglexerimus, vel etiam recuſaverimus, extunc fieret fierique debet libera facultas Sereniſſimo Regi Joanni Ducatus, Provincias, Terras, Civitates, Oppida, Caſtra, Arces, Villas tam noſtras Regias, quam alias quascunque Spiritualium, & Sæcularium ſubditorum noſtrorum, ubicunque in Ditione, & Dominiis Regni noſtri Poloniæ, ſeu in aliis Provinciis exiſtentium, ad ſolutionem dictorum centum quadraginta millium aureorum Hungaricalium, arctare, cogere, imo Bona omnia quæcunque præfata in eodem Regno, & Provinciis noſtris conſiſtent, mobilia, & immobilia invadere, occupare, & detinere, tamdiu, donec de prædictis centum qvadagrinta florenorum millibus aureorum Hungaricalium Sereniſſimo Regi Joanni Satisfactum fuerit, & in tali caſu Nos, & noſtri Poſteri non debebunt, neque etiam juſte poterunt prædicto Sereniſſimo Regi Joanni reſiſtere, aut ſuccenſere, contradicere verbo, vel facto, per ſe, vel ſubmiſſas perſonas, publice, vel occulte, directe, vel indirecte, ſed illius Majeſtatis propoſitum, & Actiones tales quascunque contra Nos, aut Poſteros, Dominia, & Subditos noſtros fecerit, approbare, commendare, & ſatisfacere, nulla arte, dolo, vel ingenio præmisſis contraveniendo. Actis, Contractibus, & Inſcriptionibus ac Pace communi Regnorum, & Terrarum in ſuo nihilominus robore remanentibus, quibus per Actiones quascunque præfati Sereniſſimi Regis Joannis in repetitione pœnæ ſeu vadii hujusmodi centum quadraginta millium, ut præmiſſum eſt, intentatas, & commiſſas, non poterit, neque cenſebitur in aliquo derogatum eſſe. Quo autem plus roboris, & firmitatis, hæ Literæ habeant, Diplomati huic Signum noſtrum appendi juſſimus, manu que noſtra ſubſcripſimus. Datum Cracoviæ feria ſexta pridie Purgationis Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ Dominæ Noſtræ. Anno Domini 1539. Regni verò noſtri Anno XXXIII.

SIGISMUNDUS Rex.

## LXI.

Anno 1539.

*Obligatio* Bonæ, *Reginæ Poloniæ, Oratoribus Regis Hungariæ in eodem negotio data.* Dat. *Cracoviæ 1. Februarii* Anno 1539 *Ex Archivo Regni Lib: Legationum ſub Lit F. fol. 66. Item Lib. ſub Lit RRR*

Bona Dei gratia Regina Poloniæ, Magna Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Bari, Princepſque Roſſaniæ, Maſoviæ, &c. Domina. Significamus tenore Præſentium quorum intereſt Univerſis. Quod cum Sereniſſimam Filiam noſtram Isabellam, Sereniſſimo Principi Domino Joanni Dei gratia Regi Hungariæ, Dalmaciæ, Croaciæ &c. Sereniſſimus Coniux noſter deſpondiſſet, ac ſecundum Contractum, & Dotem integram triginta duorum millium aureorum Hungaricalium, & Paraphernorum quoque magnam partem, quæ aſcendunt ad ſummam undecim millium nongentorum nonaginta quinque aureorum Hungaricalium, Sereniſſimus Rex, & Filius noſter charisſimi, & Nos ſimiliter coniunctim retinuerimus, tantiſper ad ea reddenda non adigendi, dum indemnitati, ſecuritatique Dotis, & Contradotis idonee Sereniſſimæ Filiæ noſtræ a Maieſtate illius cautum eſſet, ita, ut in Literis Contractus Sereniſſimi Coniugis, & Filii noſtri charisſimi, cum Sereniſſimo Rege Hungariæ Joanne facti, latius & uberius eſt deſcriptum; Verbo noſtro Reginali una ſimul, & coniunctim cum Sereniſſimo Coniuge, & Filio noſtris chariſſimis, Noſque Præſentibus ſpondemus, ſimul atque Sereniſſimus Dominus Hungariæ Rex iuxta Pacta & Conventa in Sereniſſimi Coniugis & Filii noſtri charisſimi Diplomate conſcripta, idonee Sereniſſimo Coniugi Filiæque noſtris charisſimis caverit de Dote, deque Contradote, illamque in iis Caſtris, Civitatibus, Oppidis, Villis, quæ Sereniſſimo Coniugi, & Filiæ noſtris charisſimis viſæ fuerint, inſcripſerit, Nos & ea quæ Sereniſſimus Coniux, & Filius noſter charisſimus, ac Nos coniunctim Dotis triginta duo millia aureorum Hungaricalium, Paraphernorumque undecim millia nongentos nonaginta quinque aureos Hungaricales nomine retinuerunt, retinuimuſque, & ſi præterea pecunia apud Sereniſſimos Coniugem, & Filium noſtros charisſimos, ac apud Nos, a Sereniſſimo Domino Joanne Rege depoſita fuerit, & Contradotis, & eorum nomine, quæ ex para-

ANNO 1539. paraphernis Serenisſima Filia noſtra ſecum in Hungariam abduxerit, hoc eſt, viginti ſex millia & quinque aureos Hungaricos auri boni, puri, & iuſti ponderis, ea omnia Serenisſimus Coniux & Filius noſtri charisſimi, & Nos coniunctim intra duos Menſes poſt ſatisfactionem, ſi in Regno præſentes aderimus, ſi vero extra Regnum in Ducatu Litvaniæ fuerimus, intra tres, iuxta formam Contractus in aliis Diplomatis Serenisſimi Coniugis & Filii noſtri perſcripti in Podolin, aut Liblo, una cum Serenisſimo Coniuge, & Filio noſtro miſſuras, ſub pæna centum quadraginta millium Hungaricalium, quos abſque ulla recuſatione numerare cum illarum Maieſtatibus tenebimur, ſi intra tempus præſcriptum fidem noſtram cum illarum Maieſtatibus non liberaremus. Quod ſi Nos pænam, quam in non adimplendis Pactis præſentibus tranſgreſſi una ſimul, & coniunctim cum Serenisſimo Coniuge, & Filio noſtro incurreremus, ſolvere neglexerimus, vel etiam recuſaverimus, extunc fieret, fierique debet libera facultas Serenisſimo Regi JOANNI Ducatus, Provincias, Terras, Civitates, Oppida, Caſtra, Arces tam noſtras quam alias quascunque, Spiritualium, et Saecularium ſubditorum noſtrorum, ubicunque in Ditione et Dominiis Regni Poloniæ, ſeu in aliis Provinciis exiſtentes, ſicut et Serenisſimorum Coniugis, et Filii Maieſtatum ad ſolutionem dictorum centum quadraginta millium aureorum Hungaricalium arctare, cogere, imo bona omnia quæcunque præfata in eodem Regno, et Provinciis noſtris conſiſtentia, mobilia, et immobilia invadere, occupare, et detinere tamdiu, donec de praedictis centum quadraginta millibus aureorum Hungaricalium Serenisſimo Regi JOANNI ſatisfactum non fuerit; et in tali caſu Nos, et noſtri Poſteri non debebunt, neq; etiam iuſte poterunt praedicto Serenisſimo Regi JOANNI reſiſtere, aut ſuccenſere, contradicere verbo, vel facto, per ſe, vel ſubmiſſas perſonas, publice vel occulte, directe, vel indirecte, ſed illius Maieſtatis propoſitum, et actiones tales, quaſcunq; contra Nos, aut Poſteros, Dominia, et ſubditos noſtros fecerit, approbare, commendare, et ratificare, nulla arte, dolo, vel ingenio praemiſſis contraveniendo. Actis, Contractibus, et Inſcriptionibus, ac Pace communi Regnorum, et Terrarum in ſuo nihilominus robore remanentibus, quibus per actiones quaſcunque praefati Sereniſſimi Regis JOANNIS in repetitione pænæ, ſeu vadii huiuſmodi centum quadraginta millium, ut præmiſſum eſt, intentas, et commiſſas, non poterit, neque cenſebitur in aliquo derogatum eſſe. Quo autem plus roboris, & firmitatis hæc habeant, Diplomati huic noſtro Signum noſtrum appendi iuſſimus, manuque noſtra ſubſcripſimus. Datum Cracoviae pridie Purgationis MARIAE Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Trigeſimo Nono. ANNO 1539.

## LXII.

*Oratorum Regis Hungariæ Reverſales Contractus Matrimonii inter* JOANNEM *Regem Hungariæ, & Sereniſſimam* ISABELLAM SIGISMUNDI I. *Poloniæ Regis Filiam initi.* Datum Cracoviæ 29. Januarii Anno 1539. *Ex Archivo Regni. Lib. Legationum ſub Lit. F. fol 68. Item Lib. Legationum ſub Lit. RRR. fol. 243.* 1539.

NOS STEPHANUS BRODERICUS Epiſcopus Vacinienſis, & PETRUS de *Peren* Comes perpetuus Comitatus Abavarienſis, & Partium Regni Hungariæ Superiorum Capitaneus Generalis &c. & STEPHANUS de *Werbewcz* Summus Cancellarius, Conſiliarii, & Oratores Sereniſſimi Principis, & Domini, Domini JOANNIS DEI Gratia Regis Hungariæ, Dalmaciæ, Croaciæque &c. Marchionis Moraviæ, & Luſaciæ, ac utriuſque Sleſiæ Ducis &c. Domini noſtri Clementiſſimi. Recognoſcimus, & Præſentium ſerie fatemur, quod cum idem Dominus noſter Rex, cupiens illam affinitatis conjunctionem, quæ inter ſuam Maieſtatem, ac Sereniſſimum Principem, & Dominum SIGISMUNDUM eadem gratia Regem Poloniæ, Magnum Ducem Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Dominum, & Hæredem, ac Maſoviæ Ducem &c. dudum interceſſit, & eum amorem, quo ambæ Maieſtates ſe ſe mutuo ſemper hactenus proſecuti, ac complexi ſunt, ampliore affinitatis vinculo roborare, Nos ad eundem Sereniſſimum Dominum Poloniæ Regem, & Sereniſſimam Dominam BONAM Conſortem ſuam chariſſimam, Poloniæ item Reginam, & ad Sereniſſimum Dominum SIGISMUNDUM AUGUSTUM ſuarum Maieſtatum Filium, ſimiliter Poloniæ &c. Regem, in facto Matrimonii inter Maieſtatem ipſius Domini noſtri Clementiſsimi, & inter Sereniſſimam Virginem, Dominam ISABELLAM iſtarum Regiæ & Reginalis Maieſtatis Filiam contrahendi, Legatos, Oratoresque deſtinaſſet, & ambæ Maieſtates iſtæ prioris affinitatis, & amoris ipſius Sereniſſimi Domini noſtri Regis

ANNO 1539. consideratione, certis etiam aliis respectibus bonis, præsertim pro solidiore, firmioreque prædictorum Hungariæ, ac Poloniæ Regnorum conservatione, præfatam Serenissimam Virginem, Dominam ISABELLAM Domino nostro Clementissimo iuxta desiderium suum (juramento per verba de præsenti interveniente) desponsassent, tradidissentque in Conjugem, & Uxorem, tunc inter prædictas Maiestates Poloniæ, & inter Nos Mandatarios antefati Domini nostri Regis, in negotio Dotis, & Contradotis ipsius Serenissimæ Puellæ, Dominae ISABELLÆ modo subnotando, & sub conditionibus infrascriptis concordatum est.

Principio convenit inter Serenissimum Poloniæ Regem supradictum, & nos Oratores Regiæ Maiestatis Hungariæ, quandoquidem nunc abduci debet Serenissima Sponsa, atq; in Hungariam commigrare, ut de Dote, deq; Antipherna, quam alii Contradotem vocant, his illi rationibus caveatur.

Quoniam Dotis nomine, Paraphernorumque in gemmis, auro, & argento æstimatorum, & ponderatorum septuaginta millia Ducatorum, per Serenissimum Regem Poloniæ dabuntur auri boni, puri, & iusti ponderis in hac pecuniae summa, & in aliis septuaginta millibus aureorum similiter Hungaricalium auri puri, boni, & iusti ponderis, quæ Contradotis nomine assignabuntur, inscribi Serenissimae Dominae Reginae ISABELLÆ debent, & obligari Arces, seu Castra, Civitates, Oppida, Villae, quæ & Serenissimo Regi Poloniæ, ac Serenissimae Dominae ISABELLÆ Filiae suae Maiestatis nomine, loco, & proventibus satisfacere posse, Dotis, & Contradotis nomine videantur.

Quoniam vero Inscriptio, & Obligatio Arcium ejusmodi & Civitatum non videretur suae Maiestati Regiae Poloniae esse firma satis, et stabilis futura, nisi ad eam faciendam Caesareae, & Catholicae Maiestatis, & Serenissimi Romanorum Regis Consensus accessisset, tenebitur Serenissim: Rex noster intra sex Menses a Dominica *Invocavit* proxime ventura computandos a Cæsarea, & Romanorum Maiestatibus Diplomata expedire, quibus Majestates eorum consentient ad Arces, Civitates, Castra, Oppida, & Villas, Dotis, & Contradotis nomine inscribendas & obligandas, quæ summam Dotis, & Contradotis exæquare vectigalibus, & redditibus suis possint annuis, quæ nulli sint obnoxia, sed libera prorsus, neque cuiquam obligata, quorum fructus, & proventus, & tuto, & absque ullo negotio colligi possint. Quæ denique ejusmodi sint in Judicio Serenissimi Regis Poloniæ probentur, ipsique & Serenissimæ Filiæ suæ Majestatis probentur, & satisfaciant. ANNO 1539.

Ac Præfecti Arcium prædictarum jusiurandum dare tenebuntur, si quid humanitus acciderit Serenissimo Domino Nostro Regi Hungariæ, superstesque illi fuerit Serenissima Domina ISABELLA, se in illius fide, potestate, authoritateque futuros, hoc idem, & Nobiles, ac Cives præstabunt.

Omnes autem Arces hæ, & Civitates, sive Dotis, sive Contradotis nomine inscriptæ, hac lege, & conditione obligari debent, ut si prior e vita discedat Serenissimus Rex noster, visumque sit Serenissimæ Dominæ Reginæ ISABELLAE renovare Nuptias, non possint Arces illæ, & Civitates sigillatim, & seorsum, sed simul tantum omnes, & coniunctim redimi tota pecuniæ summa, quæ tam Dotis, quam Contradotis nomine debebitur semel numerata.

Quod si forte adduci non possent Cæsarea, & Romanorum Majestates, ut ad obligandas Arces, & Civitates prædictas consentirent, tunc intra duos menses post lapsum præscriptorum sex mensium, tenebitur Serenissimus Rex noster secundum tenorem cautionis, & obligationis, quam Nos vigore Mandati sui Literis datis fecimus, septuaginta millia aureorum Contradotis, & viginti sex millia, & quinque florenos Hungaricales in auro, quæ ex tota summa tam Dotis, quam Paraphernæ in Hungariam secum abducit Serenissima Domina Regina ISABELLA, aut apud Serenissimum Regem Poloniæ, Serenissimumque Filium, & Serenissimam Coniugem ejus Majestatis, aut apud Illustrissimum Dominium Venetorum, aut apud Fuggeros in sequestro deponere, in auro, argento bono numerato, vel ad valorem dictorum omnium, quæ deponi debent ponderato. Ita tamen quod si Serenissimus Dominus, & Rex noster, locum depositionis ejus pecuniæ apud Serenissimum Regem Poloniæ, Filiumque, & Serenissimam Conjugem suæ Majestatis elegerit, ipsa Domina Regina Poloniae teneatur Serenissimum Regem Nostrum assecurare, etiam sub obligatione Bonorum suorum, tam Dotalitiorum, quam aliorum hæreditariorum, sive in hoc Regno Poloniæ, sive in Magno Ducatu Litvaniae existentium. Quæ omnis pecunia ita deposita, & reliquum Dotis, quod apud Serenissimum Regem Poloniæ erit retentum, non prius movebitur, quam aliquod fuerit postmodum idoneae cautionis genus excogitatum, quo prospici possit indemnitati, securitatique sereniſſimæ Dominæ Regi-

Anno 1539. ginæ Jsabellae tam de Dote, quam Contradote inſcribenda.

Simul atque vero ita hæc tranſacta fuerint, tum Sereniſſimus Rex Poloniæ, & ea, quæ retinuit, & ſi quæ alia apud eum, & Sereniſſimum Filium, ac Dominam Reginam depoſita erunt, verſus Hungariam, omnia ab eo tempore, quo ſibi cautio Dotis, & Contradotis facta probari cœperit, & illam ratam habuerit, ipſe Sereniſſimus Filius, & Sereniſſima Domina Regina Poloniæ, intra duos menſes, ſi in Regno ſuo fuerit, ſi vero in Magno Ducatu Litvaniæ, intra tres transmittere tenebitur, & in manus eorum, qui Mandata ad hoc habuerint, vel circa Podolin, vel circa Liblo conſignare, neque impedire, quo minus ſi quam in ſequeſtro pecuniam Sereniſſimus Rex noſter alibi, quam apud Sereniſſimum Regem Poloniæ depoſuerit, tollat, tum enim huic Maieſtati Regiæ, & Sereniſſimo Filio, & Dominæ Reginæ aliud reſtituendum, & hac ratione, ut ſcriptum eſt, mittendum verſus Hungariam non veniret, quam quod ipſi de ſeptuaginta millibus Dotis, & Paraphernæ retinuerint.

Quod quidem ſe ſedulo facturum una cum Sereniſſimo Filio ſuo, & Sereniſſima Regina promiſit, & ſpondet Literis ſuis.

Poſtquam vero Sereniſſima Regina Isabella ad Sereniſſimum Dominum Regem noſtrum Maritum ſuum traducta, copula carnali cum ejus Majeſtate coniungetur, tenebitur, tum in præſentia Oratorum Sereniſſimi Regis Poloniæ, qui illius Maieſtatem deducent, abdicare ſe omni Jure Hæreditario, ſive Paterno in Regno, Dominiorumque ſuorum omnium, ſive Materno earum poſſeſſionum, quæ Sereniſsima Mater habet, cavereq; tenebitur per ſe, & Sereniſsimum Dominum Regem noſtrum, neminem amplius, aut illius, aut Sereniſsimi Domini Regis noſtri nomine, ſive Dotis nomine, ſive quocunque tandem alio, aut a Sereniſsimo Domino Rege Poloniæ, aut a Succeſſoribus ſuis quidquam petiturum.

Quod ſi abſque Liberis Sereniſsima Domina Regina Isabella (quod Deus avertat) deceſſerit, Dos, & Parapherna, hoc eſt, ſeptuaginta millium ſumma ad Sereniſsimum Regem Poloniæ, Sereniſsimum Filium ſuæ Maieſtatis, & Illuſtriſsimas Filias ſuas redire debebit, niſi fortaſſe ſecus aliquid ea de re ſtatuerit Sereniſsima Filia ſuæ Maieſtatis, cui & teſtandi de ſumma hac, atque cui velit, quantumque velit, dandi, donandi, & legandi poteſtatem eſſe voluit, tam inter vivos, quam cauſa mortis.

Dotis nomine triginta duo millia ſunt aſsignata aureorum Hungaricalium auri puri boni, & iuſti ponderis, datæ ſunt vero Paraphernorum nomine gemmæ, margaritæ, monilia, reliquaque, quæ Summam triginta octo millium efficiunt, ut univerſa Dos cum Paraphernis æſtimata, aureos efficiat Hungaricos ſeptuaginta millia. Quæ quidem Parapherna, quod tanti pretii data ſunt, non id factum eſſe de more, & conſvetudine Regni huius, ſed magis adeo ex abundantia quadam amoris Sereniſsimi Regis Poloniæ, & Sereniſsimæ Conjugis ſuæ erga Sereniſsimam Dominam Reginam Isabellam Filiam ſuarum Maieſtatum. Nam Sereniſsimus Rex Poloniæ quidem bonam partem earum rerum ultra Dotem datarum, ſupra id auxit, quod dari Filiabus ſuis, & Prædeceſſorum ſuorum conſveverat, & Sereniſsima Conjux ſuæ Maieſtatis, multo plus etiam earum rerum ipſi Filiæ ex ſingulari ſua liberalitate, non ex debito ullo, dono dedit, & aſſignavit. Anno 1539.

Hæ ſunt Coditiones, de quibus inter Sereniſsimum Regem Poloniæ, & Nos Legatos Sereniſſimi Regis noſtri convenit, quas Maieſtatem illius ratas, grataſq; habituram ſimilibus Reverſalibus Literis datis in manus eorum Oratorum ſuorum, qui Sereniſſimam Dominam Reginam Isabellam deducent, Nos vigore Mandati, quod habemus, ſub pæna centum quadraginta millium aureorum Sereniſſimum Dominum Regem noſtrum obligavimus, & obligamus. Quæ quidem centum & quadraginta millia aureorum abſq; ulla recuſatione Sereniſſimus Rex noſter numerare Sereniſſimo Regi Poloniæ tenebitur, ſi intra tempus præſcriptum non obſervaverit. Quod ſi Sereniſsimus Rex noſter pænam, quam in non adimplendis Pactis præſentibus transgreſſus incurreret, ſolvere neglexerit, vel etiam recuſaverit, extunc fieret, fierique debet libera facultas Sereniſſimo Regi Poloniae Provincias, Terras, Civitates, Oppida, Caſtra, Arces, Villas, tam ſuas Regias, quam alias quascunque Spiritualium, & Saecularium ſubditorum ſuorum ubicunque in Ditionibus, & Dominiis Regnorum ſuorum Hungariae, ſeu in aliis Provinciis exiſtentium, ad ſolutionem dictorum centum quadraginta millium aureorum Hungaricalium arctare, cogere, imo Bona omnia, quaecunque praefata in eodem Regno conſiſtentia, mobilia, & immobilia, invadere, occupare, & detinere tam diu, donec de praedictis centum quadraginta millibus aureorum Hungaricalium Sereniſſimo Regi Poloniae ſatisfactum non fuerit; & in tali caſu ipſe, & ſui Poſteri non debebunt, neque etiam iuſte poterunt Sereniſsimo Regi Poloniae reſiſtere, aut ſuc-

Anno 1539. cenſere contradictione, verbo, vel facto, per ſe, vel ſubmiſſas perſonas, publice, vel occulte, directe, vel indirecte, ſed illius Maieſtatis propoſitum, & actiones tales, quascunque contra eius Maieſtatem, aut Poſteros, Dominia, & Subditos eius fecerit, approbare, commendare, & ratificare, nulla arte, dolo, vel ingenio praemiſſis contraveniendo. Actis, Contractibus, & Inſcriptionibus, ac Pace communi Regnorum, & Terrarum in ſuo robore nihilominus remanentibus, quibus per actiones quascunq; praefati Sereniſſimi Regis Poloniae, in receptione paenae, ſeu vadii huiusmodi centum quadraginta millium, ut præmiſsum eſt, intentatas, & commiſſas, non poterit, neque cenſebitur in aliquo derogatum eſſe.

Præterea Nos Oratores ad hoc etiam Sereniſſimum Regem noſtrum Hungariæ obligavimus, quod Maieſtas illius loco Doni nuptialis, ſeu Donatoinis propter Nuptias (*Morgengab* appellant Germani) aſſignatura ſit duo millia Florenorum Hungaricalium cenſus annui, in cenſu S. Martini Saxonum Regiorum Transylvaniae, quem in ſingulos annos Sereniſſima Domina Regina Jsabella percipiet, quoad Sereniſſimo Domino Regi noſtro, & Sereniſſimæ Coniugi ejus vita ſuppeditaverit, atque in uſum convertet. Quin & hoc polliciti ſumus iidem Legati Nos diligentem operam navaturos, ut ille cenſus Sereniſſimæ Dominæ Reginæ aliqua acceſſione locupletetur.

Nos igitur Oratores prænominati, vigore pleni, & ſufficientis Mandati Nobis per Maieſtatem Domini noſtri Clementiſſimi, in verbo ſuo Regio traditi ad præmiſſa omnia inviolabiliter obſervanda, & Literis quoque ſuis in manus eorum Oratorum, quos Sereniſſimus Rex Poloniæ cum Sereniſſima Regina Jsabella nunc in Hungariam mittit dandis ratificanda, Maieſtatem ſuam ſponte obligavimus praeſentium Literarum noſtrarum, manu noſtra ſubſcriptarum, & Sigillis noſtris munitarum vigore, atque teſtimonio. Datum Cracoviae vigeſima nona Januarii. Anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo nono.

Stephanus *Brodericus*
Episcopus *Vacienſis S. P. T.*

Petrus *de Peren. propria manu*
Stephnpus *de Werbewcz*
Cancellarius *mp. Sptt.*

LXIII.

1539. *Literæ* Ioannis *Regis Hungariæ, quibus teſtatur Reginam* Isabellam *Conſortem ſuam renuntiaſſe Succeſſioni Paternæ, & Maternæ.* Datum Budæ Anno 1539. *Ex Archivo Regni. Liber Legationum ſub Litt. F. fol.* 73.

Anno 1739.

Ioannes Dei gratia Rex Hungariæ &c. Manifeſtum facimus, quod aſſignata ſunt Nobis per Sereniſſimum Dominum Sigismundum ſocerum, & Patrem noſtrum Chariſſimum Dotis triginta duo millia aureorum Hungaricalium, auri puri, boni, & iuſti ponderis, paraphernorum vero cum Sereniſſima Coniuge noſtra, Filia eius Maieſtatis, triginta octo millia aureorum etiam Hungaricalium, boni auri, et iuſti ponderis, quam Dotem triginta duorum millium aureorum, una cum paraphernorum parte, quae parapherna aſcendunt ad ſummam undecim millium nongentorum nonaginta quinq; aureorum Hungaricalium certis de cauſis, quae in literis Contractus expoſitae ſunt, ipſe Sereniſſimus Poloniae Rex apud ſe retinuit, ſub certa ratione Nobis et Sereniſſimae Coniugi noſtrae facta. Nos igitur teſtamur praeſentibus Literis noſtris, quod Sereniſſima Coniux noſtra cum ita ſibi idonee a Maieſtate eius cautum ſit, renuntiavit, et renuntiat per Praeſentes conſenſu noſtro accedente omni Juri, ſi quod illi, aut ad Sereniſſimorum Parentum, aut ad cuiuſque tandem alterius ex eis deſcendentium haereditatem competeret, cavetque, et Nos cavemus, neminem aut Dotis aut paraphernorum, aut haereditatis ſive Maternae, ſive Paternae, aut quocunque alio nomine a Sereniſſimo Domino Rege Poloniae, aut a Sereniſſima Coniuge eius, aut a Sereniſſimo Filio, Succeſſoribusque eorum quidquam amplius petiturum, niſi ſi Sereniſſimum Fratrem Sereniſſimae Coniugis noſtrae abſque liberis maſculis decedere contigerit, tum illa Maternae Haereditatis particeps eſſe debebit. In cuius Rei fidem hoc ſcribi, ſubſcribi, & obſignari fecimus. Datum Budae Anno 1539.

LXIV.

*Reſponſum S. R. Maieſtatis Poloniæ ad Legationem* Ferdinandi *Romanorum, Ungariæ, Bohemiæ &c. Regis, quo cauſas exponit, cur ſubditis Regni ſui uſum Commercii cum Hungaria & Sileſia interdixerit. Ex Archivo Regni Lib. Legationum ſub Litt. F. fol. 83.* 1539.

Grata fuerunt Sacrae Regiæ Maieſtati Domino noſtro Clementiſſimo ea, quæ commemorarunt Dominationes Veſtræ,

ANNO 1739.

ſtrae, cum de animo in illam Sereniſſimi Romanorum, Hungariae, Bohemiæ &c. Regis, tum de Pactis, & Faederibus, quibus inter Regnum hoc, Regnum Hungariae, & Sleſiae Ducatum Societas quaedam, & amicitia devincta eſſet, & confirmata. Ac de animo quidem Sereniſſimae illius Maieſtatis erga ſe nihil novi ſe nunc audiſſe Sacra Maieſtas Regia exiſtimat, ſemper enim explorate illi perſpectus fuit, et cognitus, ac in eo nunquam non diligentisſime elaboravit Sacra Maieſtas haec Regia, ut ſuum vicisſim ſummum ſtudium erga Sereniſſimam illius Maieſtatem, quacunque re poſſet, declararet, inque pulcherrimo hoc mutui amoris certamine, principatum ſemper appetivit. Itaque ad veteres, atque avitas neceſsitudines, et ad eam, quae noſtra memoria non ita pridem inter Maieſtates eorum inita eſt, propinquitatem, novam quandam nuper adiunxit affinitatem eiusmodi, qua nulla jam poteſt neceſsitudo maior experiri, effecitque, ut quemadmodum ipſa unus ſemper animus fuit cum illius Maieſtate, ita Serenisſimus Filius hic eius Maieſtatis, Rex et Dominus meus Clementiſſimus cum Serenisſima Filia Maieſtatis illius, non ſolum animus unus, verum etiam unum corpus, una caro efficeretur.

Quibus ex rebus facile coniecturam quiſque facere poteſt, cum Sacra Maieſtas hæc in Sereniſſimam illius Maieſtatem, tam ſvaviter effuſa ſit, cum tot eam tam arctis, tamque firmis amoris, amicitiæ, propinquitatiſque vinculis ſibi habeat colligatam, eam facere non poſſe, ut eos a ſe alienos exiſtimet, qui ſunt Sereniſſimæ illius Maieſtatis poteſtati, Ditionique ſubiecti, Sileſios præſertim, & Hungaros; complectitur certe utrosque non mediocri favore, cupitque illis quam maxime commodatum.

Cæterum, quod Edictum fecit Sacra Maieſtas hæc, ut ne quis hominum illius, aut hinc ad eos exportare, aut ab eis huc merces aliquas audeat importare, poteſt quidem ea res iis, qui, quo animo inter ſe ſunt Sereniſſimi Reges, ignorant, ſuſpicionem dare immutatæ eorum erga ſe voluntatis, ſed ſancte hoc affirmat Sacra Maieſtas, nihil ſe feciſſe odio, aut malevolentia erga quemquam, verum aſsiduis ſuorum precibus, & flagitationibus, ſi hoc verbo uti fas eſt, compulſam ſe eſſe, & coactam, ut ſuis hominibus cum Sileſiis, & Hungaris commercia hactenus interdiceret, ut ne ipſi ad eos proficiſcerentur, venientes autem ad ſe cum mercibus Sileſios, & Hungaros humaniter, comiterque excipiendi poteſtatem eis permiſit. Non potuit Sacra Maieſtas Regia tantæ voluntati, tam ardentibus ſuorum precibus non cedere, cum præſertim æquiſſimis, firmisſimiſque orationibus niterentur. Quas cum ex Senatoribus, & Conſiliariis eius Maieſtatis Dominationes Veſtræ nuper cognoscere voluiſſent, & illis viſum fuit ſupervacaneum ſine Regia Maieſtate eas tum temporis Dominationibus Veſtris recenſere, Sacra Regia Maieſtas dedit mihi nunc negotium, ut eas Dominationibus Veſtris breviter commemorando, recenſerem, ut ne queri quiſquam poſſit, ſine magnis, & gravibus cauſis Edictum hoc Sacram Maieſtatem Regiam promulgaſſe. Quam quidem in hanc mentem impulerunt graves iniuriæ, quibus in Sileſia atque Hungaria mercatores affici ſe querebantur, quorum vocibus, & clamoribus, ac lamentis aures Sacræ Maieſtatis Regiæ aſsidue perſonabant, cum ſe variis modis ſpoliatos, & vexatos eſſe dicerent, nunc a prædonibus, quibus infeſta fuerunt itinera, contra quos ius ſuum obtinere nunquam potuerunt, nunc ab aliis quibuſdam, a quibus tanto ſibi minus caverunt, quod cum nunquam de illis male meriti eſſent, amicorum eos, non prædonum loco haberent, atque ab iis iniquisſimo pignorationis iure, quas *repreſſalia* vulgus vocat, capti quidam, & detenti fuerunt, atque ita duriter habiti, ut conſtet fuiſſe non neminem, qui in hac ipſa captivitate inſons cum eſſet, atque innocens, vitam cum morte fuerit commutare coactus. Sæpe de iis tantis iniuriis, de prædonibus, ſpoliatoribus, pignorationibus, repreſſaliis, captivationibus queſtum iuſſit ad Sereniſſimam illius Maieſtatem Sacra Maieſtas hæc Regia, quam etſi dolenter iſta, graviterque ferre cognoverat, nihil tamen ſibi, nihil ſuis profici videbat. Fuerunt aliquoties ab utriuſque Maieſtate Judices delegati, qui recognoſcerent de prædonum iniuriis, ſed cum ii, aut Sereniſſimi Regis veſtri, aut Vratislavienſium, aut Principis alicuius fide, quem ſalvum Conductum appellant, veniſſent, nunquam in quemquam eorum animadverſum eſt, nunquam in poſterum documentum ſtatutum, ne quis talem amentiam vellet imitari. Licuit videre graſſatores iſtos, & prædones, pura fide munitos, cum Vratislaviæ tum alibi quoque ora hominum impune aſpicientes, atque etiam inſultantes miſeris illis, quos vexarant, ſpoliarant, atque omnibus prope fortunis everterant. Quin etiam, quo tempore Illuſtres Viri ab utriusque Maieſtate Iudices delegati, hanc ipſam praedonum cauſam Glogoviae diſceptabant, illi nihilominus de crudelitate ſua nihil remittebant, eoque proruperat cupiditas

ANNO 1539. eorum, & ſcelus, & audacia, ut modo non ante oculos Iudicum Clariſſimorum Virorum nihili remiſſius praedas agerent, hominesque Sacrae Maieſtatis Regiae magnis calamitatibus afficerent, vel hæ ſolae ſatis iuſtae cauſae videri poſſent, quamobrem ſuis commercio cum Sileſiis, & Hungaris Sacra Maieſtas interdiceret; ſed acceſſit ad has maior etiam alia cauſa, gravis contemptus, & deſpicientia Sacrae Maieſtatis Regiae, cuius cum nummi paſſim alibi in Auſtria, Styria, atque aliis remotioribus Provinciis, iuſtum pretium obtineant, ſoli ex omnibus Sileſii, ſi aliquando apud illos homines Sacrae Maieſtatis Regiae emere conabantur, in eas anguſtias illos adducebant, ut in ſingulis florenis trium groſſorum intertrimentum facere cogerentur. Vendentes autem nummos Sileſiae accipere, quos & ipſos non ſine aliqua iactura permutare liceret. Nunc accedunt nova cum Sereniſſimi Regis veſtri, tum aliorum quorundam vectigalia in immenſum iam prope aucta, quibus homines Sacrae Maieſtatis Regiae magnopere ſe premi queruntur. Accedunt etiam eorum, qui ſunt in Sileſia, mercatorum conſpirationes, qui ut adveniſſe aliquem ex noſtris cum mercibus audivere, ſtatim conſpirant inter ſe, ne juſtum quisquam pretium offerat, ſed moretur tantiſper, dum noſtri ſumptu exhauſti ad eorum conditiones neceſſario accedant, atq; eo, quo volunt ipſi, pretio merces diſtrahant. Sunt hæ quidem, & ſubditorum iniuriæ minime ferendæ, & contemptio ipſius Sacræ Maieſtatis Regiæ, quæ ut ferre tamen potuiſſet Sacra Maieſtas Regia, ſolius Sereniſſimi Domini Regis Romanorum contemplatione, tamen Dei, Chriſtianæque Religionis deſpectus tolerandus non erat, quem eſſe maximum accepit in multis Sileſiæ partibus, ubi Sacra omnia profanata, atque tot Sectæ eſſe dicuntur tam deſpectæ, ut ab earum commemoratione aures abhorreant, ita, ut omnes vere Chriſtianos abhorrere ab earum conſvetudine neceſſe ſit, ne quod eis virus afflent mortiferum, quod eorum non tam corporibus, quam animis perniciem adferat. Habent iam Dominationes Veſtræ cauſas, ut opinor ſatis graves, quamobrem Sacra Maieſtas Regia ſuis interdixerit, ne vel in Sileſiam, vel in Hungariam cum mercibus proficiſcerentur. Nunc quod petunt Sereniſſimi Regis, & Domini ſui Nomine, ut Edictum ſacra Maieſtas Regia induci velit, & antiquari, hac de re, cum nihil ſtatuere poſſit Sacra Maieſtas Regia, niſi de conſilio, ſententiaque cum Senatorum Regni & Conſiliariorum, tum eorum, qui ſunt ab Equeſtri Ordine ad Comitia miſſi, Nuntiorum, nihil poteſt adhuc Dominationibus vèſtris certi, deliberatique reſpondere. Eſt autem nunc gravioribus curis impedita, quam ut hac de re conſultationem in præſentia habere poſſit. Nam cum gravi quadam Dei indignatione factum ſit, ut vicinum nunc habeat potentem illum, & truculentum Cæſarem Turcarum, vias aliquas, & rationes proſequi cum ſuis cogitur, quibus arcere vim poſſit, ſi quando ille de improviſo adferre fuerit conatus, ne ſi Nos imparatos offendat, nec opinantes, atque oſcitantes, ut ille ait, opprimat. Ac factura quidem eſſet Sacra Maieſtas Regia non invita, ut in gratiam Sereniſſimæ illius Maieſtatis primum omnium hac de re, de qua miſſæ ſunt Dominationes Veſtræ ad eos, quorum intereſt, referret, ſed quoniam veretur, nec eorum animi re tam ſubita offenſi minus promptos, atq; alacres ſe præberent ad ea præſtanda, quæ ad Regni defenſionem pertinebunt, viſum eſt eſſe ſatius, ut ad finem Comitiorum conſultatio hæc reiiceretur.

ANNO 1539.

Nuntiabunt itaque Dominationes Veſtrae Sereniſſimo Domino Romanorum, Hungariae, Bohemiae Regi, Domino ſuo Sacræ Maieſtatis huius Regiae verbis, quod quemadmodum ex cauſis ſuperius enumeratis invita fecit, ut Edictum iſtud promulgaret, ita pro eo amore, quo Sereniſſimum Regem Veſtrum ſummo, atque incredibili proſequitur, magna cum animi alacritate in eam curam incumbet, ut ſublatis prius e medio cauſis, propter quas fuit promulgatum Edictum, id induci queat, & antiquari.

Quam ad rem ſi viſum fuerit Sereniſſimo Regi Veſtro Illuſtres aliquos Viros certum in locum, de quo inter utramque Maieſtatem convenerit, mittere, qui cauſas iſtas, & controverſias arbitrentur, & cognoſcant, faciet non gravatim hoc quoque Sacra Maieſtas Regia, ut eundem in locum ſuos etiam Senatores, & Conſiliarios aliquos mittat, quo tandem aliquando controverſiis iſtis finis imponatur, placatisque animis, & ſedatis diſcordiis, amor inter vicinos populos utriusque Maieſtatis, & fraterna benevolentia coaleſcat; ſed hac tamen in re eventum Maieſtas eius praeſtare non poteſt, conatum ſibi non defuturum pollicetur.

Quidquid autem in utramque partem actum erit, per Legatum ſuum ſtatim, ut abſoluta erunt Comitia, Sereniſsimum Regem Romanorum faciet certiorem. Cuius Maieſtati utraque Regia haec Maieſtas cupit per Dominationes Veſtras eſſe quam maxime commendata, omnemque illi a Deo felicitatem precatur, illud imprimis

ANNO 1539. primis, ut de potente isto Christiani Nominis hoste crebris victoriis, & triumphis deportatis, complures annos optata Pace, & tranquillitate frui possit.

LXV.

1540. *Literæ* IOANNIS *Hungariæ Regis, quibus recognoscit se accepisse a* SIGISMUNDO *Rege Poloniæ pro Dote Filiæ eius* ISABELLÆ *triginta duo millia aureorum Hungaricalium, & in paraphernis triginta octo millia aureorum, præfatamque Reginam* ISABELLAM *renuntiasse successioni Paternæ, & Maternæ.* Dat. Budæ in Dominica Reminiscere. Anno 1540. *Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. G. fol. 62. Item Lit. F. folio. 73.*

NOS IOANNES Dei gratia Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Marchio Moraviæ, & Lusatiæ, & utriusque Slesiæ Dux &c. Manifestum facimus tenore Præsentium, quorum interest Universis: quod assignata sunt Nobis per Serenissimum Principem Dominum, SIGISMUNDUM Dei gratia Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lituaniæ, Russiæ, & totius Prussiæ, Masoviæ &c. Socerum, & Patrem nostrum charissimum Dotis triginta duo millia aureorum Hungaricalium auri puri, boni & iusti ponderis, paraphernorum vero cum serenissima Coniuge nostra Filia eius Maiestatis triginta octo millia aureorum etiam Hungaricalium, boni auri, & iusti ponderis quæ in toto faciunt summam septuaginta millium Florenorum aureorum Hungaricalium auri boni, & iusti ponderis, qua Dote, quibusque paraphernis cum Serenissima Coniunx nostra ita sibi idonee a Maiestate eius cautum esse recognovit, renuntiavit per præsentes consensu nostro accedente omni Juri, si quod illi aut ad Serenissimorum Parentum, aut ad cuiuscunque tandem alterius ex eis descendentium hæreditatem competet, cavetque, & Nos cavemus, neminem aut Dotis, aut paraphernorum aut hæreditatis sive maternæ, sive paternæ aut quocunque alio nomine a Serenissimo Domino Rege Poloniæ, aut a Serenissima Coniuge eius, aut a Serenissimo Filio, & Successioribus eorum quicquam amplius petituram, nisi si Serenissimum Fratrem Charissimæ Coniugis nostræ absque liberis Maculini sexus decedere contigerit, tum illa maternæ tantum hæreditatis particeps esse debebit, hoc est, eorum bonorum, quæ habet in Italia Serenissima Domina BONA Regina Poloniæ, Coniux Maiestatis eius, & summæ pecuniarum, quas certis in bonis, Oppidis, Prædiis, ac Possessionibus, tam in Regno Poloniæ, quam in Magno Ducatu Litvaniæ inscriptas, & obligatas habet. In cuius rei testimonium praesentes Literas nostras duximus dandas & concedendas. Datum Budae in Dominica Reminiscere Anno Domini Millesimo Quingentesimo Quadragesimo. Regnorum vero nostrorum decimo quarto. ANNO 1540.

JOANNES REX mpr.

LXVI.

*Dotis, & Dotalitii, Serenissimæ Reginæ* ISABELLÆ, *in certis Oppidis, & Arcibus per* IOANNEM *Regem Maritum eius collocatio.* Dat. Budæ *in Dominica* Reminiscere. Anno 1540. *Ex Archivo Regni, Lib: Legationum sub Lit. G. folio 60.* 1540.

NOS JOANNES DEI Gratia Rex Hungariae, Dalmaciae Croaciae &c. Marchio Moraviæ, ac Lusatiæ, & utriusque Slesiæ Dux &c. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit Universis. Quod quia Serenissimi Principes Domini SIGISMUNDUS Pater, & alter SIGISMUNDUS AUGUSTUS Filius, ac Serenissima Domina BONA DEI Gratia Reges, & Regina Poloniae, Magni Duces Litvaniae, ac Russiae, totius Prussiae, Masoviae &c. Domini, & Haeredes, ac Domina *Bari*, Serenissimam Dominam ISABELLAM Hungariae, Dalmatiae, Croatiae &c. Reginam, earundem Maiestatum Filiam, & Sororem, Coniugem vero nostram charissimam cum summa Dotis, & Paraphernorum septuaginta millium florenorum aureorum Hungaricalium auri puri, veri, & iusti ponderis, in gemmis, auro, & argento æstimatorum, & ponderatorum Nobis in Matrimonium dederunt: ideo Nos quoque super obligatione Dotis, & Contradotis eidem Reginali Maiestati, Coniugi nostræ charissmae ad plenum respondere volentes, ita cum Spectabili, & Magnifico Domino PETRO KMITA Comite a *Wisnice*, Palatino, & Capitaneo Cracovienſi, Regni Poloniæ Supremo Marsalco, ac Scepusienſi, Premislienſi, & Colenſi Capitaneo, prædictorum Maiestatum Oratore, vigore pleni Mandati, ipsi per præfatum Dominum SIGISMUNDUM Seniorem, Poloniæ Regem dati, egimus, tractavimus, & concluſimus, cuius quidem Mandati tenor est talis. SIGISMUNDUS Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litva-

ANNO 1540. Litvaniae, Ruſſiæ, Pruſsiæ, Maſoviæ &c. Dominus & Hæres, Univerſis, & Singulis, quorum intereſt, planum teſtatumque facimus. Quod cum miſerimus ad Sereniſsimum Dominum JOANNEM Hungariæ Regem, Filium noſtrum chariſsimum, Magnificum PETRUM KMITA Comitem a *Viſnice*, Palatinum, & Capitaneum Cracovienſem, Regni noſtri Magnum Marsalcum, ac Scepuſienſem, Premislienſem, & Colenſem Capitaneum, ſincere Nobis dilectum, ut curaret, quo Sereniſſimæ Dominæ Hungariæ Reginæ ISABELLAE Filiæ noſtræ chariſſimæ Dotis, & Contradotis nomine caveretur a Sereniſsimo Coniuge eius, perſpectam habentes virtutem eius, & in rebus noſtris conficiendis fidem, diligentiam, dexteritatemque, plenam ei poteſtatem dedimus, ita ut præſentibus damus & de rebus omnibus tranſigendi haud aliter, quam ſi Nos ipſi præſentibus adeſſemus. Itaque quæcunque per illum in hoc negotio facta, pacta, & transacta fuerint, ea Nos perinde rata, firmaque habituros Verbo noſtro Regio promittimus, ac ſi per Nos ipſos facta, pacta, & transacta eſſent. In cuius rei Teſtimonium hæc ſcribi, Signoque communiri fecimus. Datum in Civitate noſtra Cracovienſi, die S. DOROTHEAE Virginis, Anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo, Regni noſtri Anno 34.

Inprimis quod Arces, ſeu Caſtra, Bonaq; inferius declaranda ſub modis, & conditionibus in ſerie harum noſtrarum expreſſis, Dotis, & Contradotis nomine pro ſumma centum, & quadraginta millium florenorum aureorum Hungaricalium, auri puri, veri, & iuſti ponderis, eidem Reginali Maieſtati inſcribi debeant, & obligari, & Caſtellani Arcium per Præſentes obligatarum in forma iuramenti per Nos præfatæ Reginali Maieſtati, mediantibus Literis, ſubſcriptione manus noſtræ propriæ, & impreſſione ſecreti Sigilli noſtri munitis, data, coram ſua Reginali Maieſtate ſtatuto die iurare, & ſi quem illorum ſucceſſu temporum aliqua cauſa mutari, vel mori contingeret, extunc illi quoque, quos loco illorum conſtituemus, in ſimili forma coram præfata Reginali Maieſtate iuramentum præſtare debeant, & teneantur. Arces ſunt *Solimos*, *Lippa*, *Dewa*, *Chycho*, & *Kikellewwaar*, medietas *Thokay*, & Triceſima *Caſſovienſis*, & quamvis Arces, *Chycho*, & *Kykellewwaar* nullo iure Woywodæ Moldavienſi, in cuius manibus antea erant, reſtitui debeant, tamen, ſi in aliquo caſu Nobis ignoto illæ ex neceſsitate aliquando reſtitui deberent, ex tunc Nos, & Succeſſores noſtri ſimiles Arces in proventibus æquivalentes, & in locis ſimiliter tutis habitas, loco illarum Reginali Maieſtati obligare debeamus. Harum autem omnium Arcium fructus, & utilitates, una cum triceſima Caſſovienſi, ſtatim ad uſus, & neceſſitates Curiæ Reginalis Maieſtatis converti & dari debeant. Quæ ſi ad uſus, & neceſſitates Curiæ ſuæ Reginalis Maieſtatis minus ſufficerent, ex tunc Nos ex aliis proventibus noſtris Regalibus huiusmodi neceſsitates ſupplere debeamus. Item Oppidum *Dobreczen* cum pertinentiis in eandem Dotem, & Contradotem Reginali Maieſtati ſit obligatum. Sed quia nunc illud inſcriptum eſt, ita cum præfato Domino Oratore ſuper eo conventum eſt, quod Nos illud ſpatio ad ſummum duorum annorum redimere, & iuſtos illius quoque fructus ad uſus, & neceſſitates Curiae Reginalis Maieſtatis dari facere debeamus. Item alia medietas Arcis *Thokay*, & Arx *Regetcz*, & Bona dirutæ Arcis *Thallica* ad Summam Dotis, & Contradotis Reginali Maieſtati ſint inſcripta. Quarum etiam Arcium fructus, & utilitates, dum ex manibus partis alterius illæ, iuxta Articulos inter Nos, & Sereniſſimum Dominum Romanorum Regem habitos, vel alio quovis modo eliberabuntur, ad uſus ſimiliter & neceſsitates Curiæ Reginalis Maieſtatis dari debent. Item quod Arces prædictæ, & Bona præfata, cum omnibus Civitatibus, Oppidis, Villis, poſſeſsionibus, ac iuſtis fructibus, & utilitatibus eorundem, de iure, & ab antiquo ad illa ſpectantibus, Dotis, & Contradotis Nomine in toto pro Summa centum, & quadraginta millium florenorum aureorum Hungaricalium, auri puri, veri, & iuſti ponderis, Reginali Maieſtati ſint inſcripta, & obligata. Ita videlicet, quod in caſu, quo prædictis Arcibus, vel alicui illarum ſucceſſu temporum aliquod immineret periculum, ſive illud ſit internum, ſive externum, Nos ad conſervationem illarum Gentibus, & aliis omnibus rebus opportunis, & neceſſaris providere debeamus. Et hoc non ex fructibus earundem Arcium, ſed ex aliis proventibus noſtris. Item, quodſi Reginalem Maieſtatem abſque Liberis inteſtatam decedere (quod Deus avertat) contingeret, ex tunc Dos ipſa ſuæ Reginalis Maieſtatis ad Parentes, vel Fratrem ſuæ Maieſtatis, vel illis deficientibus, ad eos, qui ſibi propinquiores ſunt, redire debeat, & in eo caſu, liberam eius Maieſtas de Dote ſua diſponendi, & cuicunque voluerit, legandi habeat poteſtatis facultatem. Item quod Nos quoque de Arcibus, & Bonis prædictis in caſu mortis noſtræ libere teſtari, & quibuscunq; volu-

ANNO 1540. voluerimus, illa relinquere poſsimus, ita tamen, ut poſteaquam Reginalis Maieſtas ad ſecunda vota tranſierit, illi, quibus huiusmodi Arces & Bona per Nos legantur, totam Summam Inſcriptionis, hoc eſt, Summam centum, & quadraginta millium florenorum aureorum Hungaricalium auri puri, veri, & iuſti ponderis, eidem Reginali Maieſtati deponere, & perſolvere debeant, & ita Reginalis quoque Maieſtas Arces illas, & Bona illa citra ullam controverſiam ad manus illorum conſtituere teneatur. Imo Arces ſeu Caſtra, & Bona præſcripta ſub modis, & Conditionibus præmiſsis, Dotis, & Contradotis Nomine pro Summa dictorum centum, & quadraginta millium florenorum Hungaricalium auri puri, veri, & iuſti ponderis præfatæ Sereniſsimæ Dominæ ISABELLÆ Reginæ Coniugi noſtræ chariſſimae inſcripta, locata, & obligata eſſe volumus, prout inſcribimus, locamus, & obligamus, promittentes in verbo noſtro Regio, quod Nos eandem Reginalem Maieſtatem in huiusmodi Inſcriptione, & obligatione noſtra, quam diu Beneficio DEI Optimi vivemus, manutenebimus, & Succeſsores quoque noſtros Reges, & alios quoslibet ad hoc obſervandum iuxta obſervationem Conditionum præmiſſarum obligamus. Harum Noſtrarum vigore, & teſtimonio Literarum. Datum Budæ in Dominica Reminiſcere. Anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo. Regnorum vero Noſtrorum Decimo quarto

JOANNES REX.

*manu propria.*

LXVII.

1540. JOANNIS *Regis Promiſſio, quod Arcem Debreczen Reginæ* ISABELLÆ *Dotis, & Contradotis nomine obligatam, intra ſpatium duorum annorum de manibus alienis redimet.* Datum Budæ *in Dominica Reminiſcere* Anno 1540. *Ex Archivo Regni. Ibidem fol.* 75.

NOS JOANNES Dei Gratia Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Marchio Moraviæ, ac Luſaciæ, & utriuſq; Sileſiæ Dux &c. Memoriæ commendamus per Præſentes. Quod Nos totale Oppidum noſtrum *Debreczen* appellatum ſimul cum univerſis pertinentiis Sereniſsimæ Dominæ ISABELLÆ Reginæ Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Coniugi noſtræ chariſſimæ, nomine Dotis, & Contradotis, mediantibus aliis Literis noſtris obligavimus, & inſcripſimus. Tamen cum Oppidum illud nunc apud manus alienas exiſtat, ipſam Reginalem Maieſtatem in eo aſſecurandam duximus, & certificandam, quod Nos dictum Oppidum noſtrum *Debreczen* infra ſpatium duorum annorum a die datarum præſentium computando, de manibus alienis redimemus, de quo aſſecuramus, & certificamus harum noſtrarum vigore, & teſtimonio Literarum. Datum Budæ in Dominica Reminiſcere, Anno Domini MDXL. Regnorum vero noſtrorum Decimo quarto. ANNO 1540.

JOANNES REX.

*manu propria.*

LXVIII.

*Eiuſdem Obligatio de Juramento per Præfectos Arcium Reginæ* ISABELLÆ *obligatarum, eidem præſtando.* Datum Budæ *in Dominica Reminiscere. Ibidem.* 1540.

NOS JOANNES Dei Gratia Rex Hungariæ, Dalmatiæ &c. Recognoſcimus per præſentes Literas noſtras, Quod quia Caſtellani Arcium Sereniſſimæ Dominæ ISABELLÆ Reginæ Hungariæ &c. Coniugi noſtræ chariſſimæ, nomine Dotis, & Contradotis per alias Literas inſcriptarum, ipſi Reginali Maieſtati de obſervanda fidelitate, iuxta formam aliarum Literarum Reginali Maieſtati datarum, Juramentum præſcriptis verbis præſtare debebunt, cuius Juramenti forma talis eſt. *Ego* talis *iuro per Deum vivum, ac Beatiſſimam Dei Genitricem Virginem Mariam & omnes Sanctos, & Sanctas DEI, quod Caſtrum tale, in quo me Maieſtas Regia Caſtellanum conſtituit, & ad manus meas illud dedit, nemini alteri, niſi Maieſtati Regiæ, & poſt Maieſtatem ſuam Sereniſsimæ Dominæ* ISABELLÆ *Reginæ Hungariæ &c. fideliter tenebo, & conſervabo, & quandocunque Maieſtas ſua Regia voluerit ex manibus meis, vel meorum Vicegerentium illud rehabere, eius Maieſtati, vel homini ſuæ Maieſtatis, cui commiſerit, ſine ulla cauſatione, quæ aliquomodo per hominem cogitari poſſit, vel pactione, reſtituam. Contingente autem* ( quod DEUS avertat ) *morte Regiæ Maieſtatis, ante ipſam Reginalem Maieſtatem, eo caſu Caſtrum ipſum eidem Reginali Maieſtati conſervabo, & eidem Maieſtati, vel homini ſuæ Maieſtatis, cui commiſerit abſque ulla cauſatione, quæ aliquomodo per hominem excogitari poſſit, vel pactione, quando voluerit, ſimiliter reddam, & reſtituam. Ad quod faciendum fide, honore, & humanitate meis, me ſponte, & libere obligo.* Ideo Nos praeſentes Literas noſtras ſuper ipſo modo

Anno 1540. modo iuramenti, ipsi Reginali Maiestati dandas duximus, et concedendas harum nostrarum vigore, et testimonio Literarum. Datum Budae in Dominica *Reminiscere*, Anno Domini MDXL. Regnorum vero nostrorum XIIII.

JOANNES REX
*manu propria*

LXIX.

1540 *Reversales Oratoris* Sigismundi I. *Regis Poloniæ, quibus Inscriptionem, & Obligationem Dotis, & Contradotis Reginæ* Isabellæ, *a* Joanne *Rege factam approbat, & ratificat.* Dat. Budæ 25 *Februarii* Anno 1540. *Ex Archivo Regni. Lib. Legationum Lit G. F. 66.*

Nos Petrus Kmita Comes a *Visnice* Palatinus et Capitaneus Cracovienſis Generalis, Regni Poloniae ſummus Marſchalcus etc. Sereniſſimorum Poloniae Regum, nec non Sereniſſimae Dominae Bonae Reginae Orator, recognoſcimus, et per Praeſentes fatemur, Nos cum Sereniſſimo Principe Domino Joanne Hungariae etc. Rege, nomine, et in Perſona praefatorum Regum, et Reginalis Maieſtatum Poloniae, vigore pleni Mandati Nobis per praefatum Sereniſſimum Dominum Sigismundum Poloniae Regem dati, cuius tenor talis eſt. Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, totiuſque Pruſſiae, Maſoviae etc. Dominus, et Haeres. Univerſis et ſingulis, quorum intereſt, planum teſtatumque facimus, quod cum miſerimus ad Sereniſſimum, Dominum Joannem Hungariae Regem Filium noſtrum charisſimum, Magnificum Petrum Kmita Comitem a *Wiſnice* Palatinum et Capitaneum Cracovienſem, Regni noſtri Magnum Marſchalcum, ac Scepuſienſem, Premislienſem, et Colenſem Capitaneum, ſincere Nobis dilectum, ut curaret, quo Sereniſſimae Dominae Hungariae Reginae Isabellæ Filiae noſtrae charisſimæ, Dotis, et Contradotis nomine caveretur a Sereniſſimo Coniuge eius, perſpectam habentes virtutem eius, et in rebus noſtris conficiendis fidem, diligentiam, dexteritatemque, plenam ei poteſtatem dedimus ita, ut praeſentibus damus de rebus omnibus tranſigendi, haud aliter, quam ſi Nos ipſi praeſentes adeſſemus. Itaque quæcunque per illum in hoc negotio facta, pacta, tranſacta fuerint, ea Nos perinde rata, firmaque habituros Verbo noſtro Regio promittimus, ac ſi per Nos ipſos facta, pacta, tranſactaque eſſent. In cuius rei teſtimonium haec ſcribi, ſignoque noſtro communiri fecimus. Datum in Civitate noſtra Cracovienſi die Sanctae Dorotheæ Virginis Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo quadrageſimo, Regni noſtri Anno XXXIIII. Inſcriptionem et obligationem Dotis, et Contradotis in Perſonam Sereniſſimae Dominae Isabellæ Reginæ Hungariæ Coniugis praefati Sereniſſimi Domini Joannis Hungariae Regis, Filiae vero et Sororis praedictorum Regum, et Reginalis Maieſtatum Poloniae mediantibus literis ipſius Sereniſſimi Domini Joannis factam, pro ſufficienti Dote, et Contradote acceptaſſe, promittendo nomine et verbo præfatarum Maieſtatum, quod et illarum Maieſtates hanc meam Dotis et Contradotis acceptationem pro rato, et firmo ita habebunt, ut et Literis earundem Maieſtatum ad ipſum Dominum Joannem Hungariae Regem hinc ad Dominicam *Miſericordiae* proximam, ſuper huiuſmodi ratificatione mittendis, firmabunt. Imo inſcriptionem praefatæ Dotis et Contradotis nomine praedictorum Regum, et Reginalis Maieſtatum Poloniae acceptamus, approbamus, et pro ſufficienti iuxta Articulos ſuperinde concluſos habemus, earumque Maieſtates ad emanationem Literarum exinde ad Sereniſſimum Joannem Hungariae Regem, ad praefixum diem mittendarum obligamus. Harum noſtrarum vigore et teſtimonio literarum. Datum Budae XXV. Februarii Anno Domini MDXL. Anno 1540.

Petrus Kmita Comes in *Wiſnice* Palatinus et Capitaneus Generalis Cracovienſis etc.
*manu propria*

LXX.

*Ejuſdem Promiſſio ſolutionis reliquæ Dotis.* Dat. Budæ. *28. Februarii,* Anno 1540. *Ibidem.* 1540.

Nos Petrus Kmita Comes a *Wiſnice* Palatinus, & Capitaneus Cracovienſis Generalis, Regni Poloniæ Magnus Marſchalcus tum Scepuſienſis, Premislienſis, Colenſis Capitaneus, ac Sereniſsimorum Poloniæ Regum ad Sereniſſimum Hungariæ Regem Orator, Recognoſcimus, & per Præſentes fatemur Sereniſſimum Dominum Joannem Hungariæ Regem plenam & omnimodam Dotis & Contradotis obligationem Sereniſsimæ Dominæ Isabellae Hungariae &c.

Reginæ

ANNO 1540. Reginæ, Conjugi eiuſdem Maieſtatis, Filiæ vero et Sorori præfatarum Maieſtatum feciſſe, idque eius Maieſtatem & per Literas ſuas Nobis datas comprobaſſe. Ideo Nos quoque vigore pleni Mandati Nobis per præfatum Sereniſsimum Dominum Poloniæ Regem Seniorem dati, Nomine, & Verbo ſuæ Maieſtatis ipſum Sereniſſimum Dominum Regem in eo aſſecurandum diximus & certificamus, quod dicti Sereniſſimi Domini Poloniae Reges, & Sereniſſima Domina Regina reliquias Dotis praefatæ Sereniſſimæ Dominæ Reginae Hungariae, quae adhuc in manibus eorundem Regum & Reginalis Maieſtatum Poloniae exiſtunt, ad Feſtum Divi Georgii proxime venturum, eo numero, eaque ſpecie, quibus ibi relictae ſunt, Caſſoviam ad manus hominis praefati Sereniſſimi Domini IOANNIS Regis aſſignandas mittent, imo aſſecuramus, & certificamus harum noſtrarum vigore & teſtimonio Literarum. Budae XXVIII Februarii Anno 1540.

## LXXI.

1540. SIGISMUNDUS *Poloniæ Rex ratam habet Inſcriptionem, & Obligationem Dotis, & Contradotis in Perſonam Reginæ* ISABELLAE *Filiæ ſuæ factam.* Ibidem.

SIGISMUNDUS Dei gratia Rex Poloniae &c. Recognoscimus & per Praeſentes fatemur Nos Inſcriptionem & Obligationem Dotis & Contradotis in Perſonam Sereniſſimae Dominae ISABELLAE Hungariae Reginae Filiae noſtrae chariſsimae, a Sereniſſimo Domino IOANNE Hungariae Rege Coniuge illius, Filio noſtro chariſſimo factam, pro ſufficienti Dote & Contradote acceptare, ratamque, & firmam habere, iuxta Articulos ſuper ea re concluſos. In cuius rei teſtimonium hæc ſcribi, Sigilloque noſtro cum manuum Subſcriptione ſignari iuſſimus. Dat. Cracoviæ Feria quarta magna 1540. Ibidem.

## LXXII.

1540. *Præfecti Arcium Sereniſſimæ* ISABELLAE *Hungariæ Reginæ Juramento fidelitatis obligantur.* Dat. Budæ *12. menſis Aprilis. Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. F. fol. 145.*

JOANNES *Salanczi* Caſtellanus Caſtri *Kikelewwar*, PETRUS L'ratus de *Huniad* Caſtellanus Caſtri *Dewa*, CHRISTOPHORUS *Nag* Caſtellanus Caſtri *Czycho*, PAULUS *Janoki* Caſtellanus Caſtrorum *Solmoſch* & *Lippa*, JOANNES *Korniſch* Caſtellanus Caſtri *Thokay*. ANNO 1540.

EGO JOANNES de *Zalancz* Caſtellanus Caſtri *Kikelewwar* recognoſco, & Præſentium ſerie fateor. Quia Sereniſſimus Princeps, & Dominus Dominus JOANNES DEI gratia Rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiæque &c. Dominus meus Clementiſsimus, ex ſua Regia in me gratia, ac liberalitate Caſtellanatum, ac Officium prædicti Caſtri *Kikelewwar* mihi dedit, & contulit, ideo ego quoq; Dominam ISABELLAM eadem gratia prædictorum Regnorum Reginam, & Dominam meam gratioſam, certiores reddere volens, & ſecuros, Juro per Deum vivum, ac Beatiſſimam Genitricem DEI Virginem MARIAM, & per omnes Sanctos, & Sanctas DEI, quod idem Caſtrum *Kikelewwar*, in quo me Maieſtas Regia Caſtellanum conſtituit, & ad manus illud dedit, nemini alteri niſi Maieſtati Regiæ, & poſt Maieſtatem ſuam, Sereniſſimae Dominæ ISAELLAE Reginæ Hungariae, Dalmatiae, Croatiae &c. fideliter tenebo, & conſervabo. Et quandocunque Maieſtas ſua Regia voluerit, ex manibus meis vel eorum Vices gerentium illud rehabere, eius Maieſtati, vel huiusmodi ſuæ Maieſtatis, cui commiſerit, ſine ulla cauſatione, quæ aliquando per hominem cogitari poſſit, vel pactione reſtituam. Contingente autem (quod Deus avertat) morte Regiæ Maieſtatis ante ipſam Reginalem Maieſtatem, eo caſu Caſtrum ipſum eidem Reginali Maieſtati conſervabo, & eidem Maieſtati, vel homini ſuae Maieſtatis, cui commiſerit, abſque ulla cauſatione, quae aliquomodo per hominem poſſit excogitari, vel pactione, quando voluerit, ſimiliter reddam, & reſtituam. Ad quod faciendum, fide, honore, humanitateque meis, Praeſentibus Venerabili Domino JOANNE *Sbanſki* Decano Cracovienſi, Secretario Sereniſſimi Domini Regis Poloniae &c. per ſuam Maieſtatem ſpecialiter ad hoc deſtinato Oratore, nec non Reverendiſſimo Domino JOANNE STATILIO Epiſcopo Tranſylvaniæ & Conſiliario Regio, ac Spectabili, ac Magnifico STEPHANO *Werbewcz* Supremo Cancellario, & nunc Locumtenente Regiae Maieſtatis Domini noſtri Clementiſſimi. Item STEPHANO de *Raſka* Comite Comitatus Neugradienſis, SIMONE de *Athina*, PETRO *Markus* de *Herekzallas*, & MATHIA *Barawiay* de *Euchey* Caſtri *Tokay* Praefecto, Conſiliariis pariter ſuae Maieſtatis ſponte, & libere me obli-

Anno 1540. gavi, & obligo praesentium Literarum mearum Sigillo meo, quo utor, & Subscriptione manus meæ propriae consignatarum vigore, atque testimonio. Datum Budæ 12. Mensis Aprilis Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo.

*Idem* JOANNES SALANCZI mp. Spt.

## LXXIII.

1542. Isabellæ *Reginæ Hungariæ Approbatio, & Ratificatio Conditionum Pacis inter se, &* Ferdinanandum *Rom: &c. Regem per Commissarios ab utrinque delegatos sancitæ. Arx Scepusiensis cum omnibus Civitatibus, Oppidis, & Villis ad eam spectantibus Reginæ* Isabellæ *tradetur, ac præterea duodecim millia florenorum Hungaricalium eidem in Annos singulos solventur. Alias vero Arces, quas illa in Hungaria & Transylvania possidet,* Ferdinandus *recipiet, cui etiam præfata Regina Coronam Sacram Hungariæ, qua Reges legitime electi coronari solent, restituet.* Dat. Albæ Juliæ *die 26 Mensis Julii* Anno 1542. *Ex Archivo Regni Lib. Legationum sub Lit* L. *fol. 51.*

Isabella Dei Gratia Regina Hungariæ etc. memoriæ commendamus, & profitemur tenore Præsentium significantes, quorum interest Universis. Cum Reverendos, Devotos, ac Spectabilem, et Magnificum sincere Nobis dilectos Fratrem Georgium Episcopum Varadiensem, Thesaurarium, Joannem Statilium Episcopum *Transznensem*, & Petrum Petrowicz Comitem *Temesiensem*, Partiumque inferiorum Regni nostri Capitaneum Generalem ex eo, quod illorum medio Sacratissimus, & Serenissimus Princeps Dominus Ferdinandus Divina favente Clementia Romanorum Rex semper Augustus etc. Affinis, & Consangvineus noster charissimus, una cum Magnifico Caspare Seredi Partium Superiorum eius Maiestatis Capitaneo, certis quibusdam oblationibus propositis, Nobiscum Concordiæ Tractatus inire in animum induxerat, in Commissarios, negotiorumque Gestores nostrorum, vigore Literarum nostrarum plenum Mandatum continentium fecissemus, ordinassemus, et constituissemus, & cum præfato Magnifico Caspare Seredi Nuntio, et Commissario præfati Serenissimi Domini Ferdinandi Regis Tractatus quosdam ob Bonum Publicum, Regnique Hungariæ, et Christiani Orbis conservationem iniremus: Cumque iidem Reverendi, Devoti, Spectabilis, et Magnificus Frater Georgius Episcopus *Varadiensis* Thesaurarius, Joannes Episcopus *Transznensis*, et Petrus Petrowicz Comes *Themessiensis* Literarum vigore pleni Mandati nostri, quas ipsis in Civitate nostra *Lippa*, decima octava Die Mensis Decembris, Anno Domini Millesimo quingentesimo quadragesimo primo dedimus, colloquio inter præfatum Serenissimi Domini Ferdinandi Regis Commissarium, et eosdem Fratrem Georgium Episcopum *Varadiensem*, Ioannem Statilium, & Petrum Petrowicz Mandatarios nostros interveniente, habita utrinque Pacis publicæ, et Concordiæ fraternæ, qua Regna firmantur, ratione, ad certas Pacis Conditiones nomine Nostro cum illo devenerint. Quarum quidem Conditionum tenor hic sequitur, et est talis. Quod Sacratissimus Dominus Ferdinandus Rex Nobis, & Illustrissimo Domino Ioanni Duci, Filio nostro charissimo Arcem Scepusiensem, cum omnibus Civitatibus, Oppidis, Villis, vectigalibus, teloneis, fodinis minerarum, & pertinentiis quibuslibet ad Arcem Scepusiensem de iure, & ab antiquo spectantibus ad manus nostras, & Illustrissimi Ducis Ioannis Filii nostri charissimi, semoto quolibet impedimento inprimis assignet, & singulis annis, quoad Concordia finalis finita, concluſa, & stabilitata fuerit, duodecim millia florenorum Hungaricalium super certis, & opportunis locis persolvenda statim deputet, vicissim autem Nos quaslibet Civitates, & Arces ad Coronam Regni Hungariæ in Hungaria, et *Transznia* existentes, & pertinentes, inque manibus nostris, & fidelium nostrorum habitas, Serenissimo Domino Regi Ferdinando assignamus, restituta tamen prius Arce Scepusiensi, cum universis pertinentiis eiusdem in manus nostras, & Illustrissimi Joannis Ducis Filii nostri charissimi. Hoc quoque expresse declarato, ne mora aliqua tandem in Civitatibus, & Arcibus ad Coronam Regni Hungariæ pertinentibus in manibus nostris, & fidelium nostrorum existentibus reddendis intercurrat. Coronam autem Sacram, qua

Anno 1542.

Anno qua Reges Hungariæ, legitime electi coronari ſolent, ſecundum Hungaricae Nationis veterem, & Regni approbatam conſvetudinem conſervandam poteſtati Sereniſſimi Domini Ferdinandi Regis aſſignamus. Præterea quod Sereniſſimus Dominus, Dominus Ferdinandus Romanorum, Hungariæ &c. Rex, Nobiſcum, & cum Illuſtriſſimo Domino Joanne Duce Filio noſtro, infra ſpatium duorum Annorum paterne, amice, benigneque, ſuper aliis quoque rebus, & negotiis, tam Nos, quam Illuſtriſſimum Joannem Ducem Filium noſtrum concernentibus, hoc eſt tam Patrimonio eiuſdem Filii noſtri chariſſimi, quam de Bonis pro Contradote Nobis inſcriptis, & obligatis, remotis exteris arbitris, Concordiam ineat, quæ ſi nullo modo intervenire poſſet, aliquibus cauſis intervenientibus, tunc negotia omnia, quæ inter Nos, & Illuſtriſſimum Joannem Ducem Filium noſtrum, et Sereniſſimum Dominum Ferdinandum Regem dirimenda ſunt, referantur ad Invictiſſimum Principem Dominum Carolum Imperatorem Romanorum ſemper Auguſtum, ac Sereniſſimum Principem Dominum Sigismundum Regem Poloniæ &c. Patrem noſtrum amantiſſimum, atque obſervandiſſimum, qui quicquid ſuper negotiis, & controverſiis communi iudicio, & deliberatione decreverint, tali iudicio, & deliberationi tam Nos, & Illuſtriſſimus Joannes Dux Filius noſter chariſſimus, quam Sereniſſimus Dominus Ferdinandus Rex parere, acquieſcere, & modis omnibus obtemperare debeamus. Sin autem Divina Providentia Imperatoria Maieſtas, & Sereniſſimus Dominus Sigismundus Rex Poloniæ, Pater noſter amantiſſimus intra biennium vita defungeretur, eam cum morte mutando, tunc liberum ſit tam Nobis, loco Sereniſſimi Sigismundi Regis Poloniæ, Patris noſtri, & Illuſtriſſimo Joanni Duci Filio noſtro, quam Sacratiſſimo Regi Ferdinando, loco Invictiſſimi Domini Caroli Imperatoris, aliquem alium, quem voluerimus, eligere, qui negotia, ſuper quibus Concordia intervenire non potuit, dirimat. Et hæc quoq; controverſia infra ſpatium eorundem duorum annorum a die Contractus initi, ceſſante qualibet exceptione, finiatur. Si autem (ut ſunt cuncta humana caduca, fluxa, mortique obnoxia) & Nos e vivis excederemus, tunc Sereniſſimus Dominus Sigismundus Rex Pater noſter amantiſſimus præfatum Contractum in omni eius parte implere, & exequi teneatur, & ſit obligatus infra ſpatium eorundem duorum annorum.



Nos itaque præfatis Contractibus pro Bono Publico & Regni ſalute acquieſcentes, eaque omnia, quæ dicti Frater Georgius, Joannes Statilius, & Petrus Petrowicz Mandatarii, & Commiſſarii noſtri vigore pleni Mandati noſtri cum prælibato Sacratiſſimi Domini Ferdinandi Regis Commiſſario Casparo Seredi deſuper pleno Mandato ſuffulto, ratione Concordiæ ineundæ, & Pacis ſtabiliendæ egerunt, & concluſerunt, rata, grata, valida, & firma habentes, præmemoratas Conditiones in omnibus Punctis, Clauſulis, & Articulis ſuis ratificandas, probandas, & confirmandas duximus, imo ratificamus, probamus, et confirmamus per Præſentes, promittentes in Verbo noſtro Reginali, quod quæcunq; Nobis ex noſtris in illis ipſis Conditionibus initæ Concordiæ, aut præſtanda, aut exequenda incumbunt, ea omnia ſincere, & integre præſtari, & exequi, nec contra ea, vel eorum aliquid directe, aut indirecte quovis nomine, modo, colore, & ingenio, agere, dicere, facere, vel venire volumus, dolo, & fraude poſtpoſitis penitus, & ſemotis. Harum noſtrarum vigore, & teſtimonio Literarum, Sigilli noſtri impreſſione, & manus Noſtræ ſubſcriptione munitarum. Datum Albæ Juliæ die XXVI. Menſis Julii Anno Domini MDXLII. Anno 1542.

## LXXIV.

*Reſponſum Sacræ Romanorum Maieſtatis ad Nuntium Sereniſſimi Principis Domini Poloniæ Regis, in negotio differentiarum Subditorum eius cum Hungaris. Ex Archivo Regni Lib. 12. Lit. M. Numero 13. fol. 40.* 1548.

Sacra Maieſtas Regia Dominus noſter Clementiſſimus intellexit ea, quæ Sereſimus Princeps Dominus Poloniæ Rex, Magnus Dux Litvaniæ &c. Sacræ Regiæ Maieſtatis Filius, & Conſangvineus chariſſimus, ſuæ Maieſtati medio Veſtri nuntiavit. Ad quæ ſua Maieſtas Regia, quod ad commemorationem Fæderis antiqui, amicitiæ, & fraternitatis, quæ inter Maiores ambarum Maieſtatum, & inter eas quoque iam dudum interceſſit, attinet, in primis reſpondet ſuam Maieſtatem non eſſe immemorem eius, quæ Sereniſſimus Dominus Rex Poloniæ commemorat Fæderis, amoris, & neceſſitudinis antiquæ, quæ inter Maiores Maieſtatum ſuarum, eaſdemque iam a multis annis fraterne coaluit, & hanc ob rem Maieſtatem ſuam Regiam eius ab initio Imperii ſui fuiſſe animi, & conſtantis propoſiti, ut ipſa inter ſuas Maieſtates, Regnaque Hun-

Anno 1548. gariæ, ac Poloniæ iam dudum inita coniunctio, neceſſitudo, ac familiaritas non modo non violetur, ſed potius ſtabiliatur, obſervetur, & augeatur, cuius propoſiti ſua Maieſtas Regia, nunc quoque ſe eſſe, & in poſterum quoque futuram reſpondet, Sereniſſimumque Regem Poloniæ, eo quo decet, amore, & benevolentia paterna ſemper proſequuturam, & curaturam, ut inter ſubditos quoq; ambarum ſuarum Maieſtatum quies, & Pax mutua ſemper colatur, atque obſervetur.

Quod autem ad querelas eas ſubditorum Sereniſſimi Regis Poloniæ attinet, de quibus ſua Serenitas Maieſtati huic Regiæ nunc nuntiavit, ſua Regia Maieſtas Baronibus, & Subditis ſuis præſentibus, contra quos querelæ ipſæ eiſdem audientibus ſunt depoſitæ, querelas easdem proponi iuſſit, mandavitque, ut ad eas diluendas reſponderent, qui ad Maieſtatem ſuam Regiam reverſi eorum facta partim excuſantes, partim ſimiles, & maiores querelas de ſubditis Sereniſſimi ipſius Regis Poloniæ coram facientes, ſupplicarunt, ut eos, & etiam alios ſubditos Regios Partium illarum Superiorum Regni Hungariæ, qui nunc abeſſent, ex Officio ſuo Regio, in eorum Limitibus, Juribus, & Privilegiis conſervare dignaretur. Proinde ſua Sacra Maieſtas paterne reſpondet Sereniſſimo Regi Poloniæ, ut quemadmodum ſua Serenitas pro ſubditorum ſuorum Libertatibus conſervandis, uti decet, ſummo agit ſtudio, ita Maieſtas quoque hæc Regia ex officio ſuo tenetur ſubditorum ſuorum Juribus, & Libertatibus proſpicere. Quum itaque querelæ ab ambarum Maieſtatum Subditis non leves ſint de Limitibus rectificandis, de Privilegiis, & aliis immunitatibus, & Juribus obſervandis, negotiaque hæc non minimi ſint momenti, Sacra Maieſtas Regia deliberavit, & concluſit, ſe ad primam diem Maii proxime venturi, ſpeciales ſuos Commiſſarios ad Capitulum Eccleſiæ S. Martini in Scepuſium miſſuram cum plena facultate, ad quem diem, & locum Sereniſſimus etiam Dominus Rex Poloniæ ſuos mittere velit Commiſſarios cum omnimoda poteſtate, qui Univerſas differentias, quæ vel finium, & limitum, vel aliarum rerum quarumcunque ratione inter ſubditos ambarum Maieſtatum ortæ ſunt, revideant, cognoſcant, & determinent, ut ſic compoſitis rebus omnibus, amor, benevolentia & mutua fraternitas inter Maieſtates ſuas, non modo conſervetur, ſed etiam in poſterum augeatur, inter ſubditos vero quies, Pax, & bona amicitia ſervetur. Datum Poſonii 16 Novembris Anno 1548.

## LXXV.

Anno 1549.

*Inſtructio Commiſſariis ad Conventum Scepuſienſem delegatis data Die 16. Aprilis* Anno 1549. *Ibidem.*

Cum venerint Commiſſarii noſtri in Scepuſium, primum cum Commiſſariis Sereniſſimi, & Excellentiſſimi Domini Romanorum Regis conſtituent, in quem locum convenire debeant, de quo non multum contendent; poſteaquam vero cum Commiſſariis Sereniſſimi Domini Regis convenerint, gratia noſtra illis Regia nuntiata, ac Literis redditis, hortabuntur illos noſtro nomine, ut in eam rem diligenter incumbant, quo omnia ea, quorum cauſa Conventum cum Sereniſſimo, & Excellentiſſimo Domino Romanorum Rege conſtituimus, ita conficiantur, ut ſublatis inter vicinos populos diſſidiorum, & odiorum cauſis benevolentia mutua innovetur.

Deinde agent de finibus inter noſtra, ſubditorumque noſtrorum, ac Regni Hungariæ Bona conſtituendis, deque iniuriis Subditis noſtris a Sereniſſimi Domini Regis Rom: Subditis, vicisſimque Sereniſſimi Domini Rom: Regis Subditis a noſtris illatis, qua in re utentur conſilio eorum, quos Magnus Petrus Kmita Comes in *Wiśnice* &c. peritos rerum Hungaricarum, earumque rerum, de quibus controvertitur, deſignaverit

Quod ſi quid difficilius incideret, de quo inter illos, & Sereniſſimi Domini Rom: Regis Commiſſarios convenire non poterit, ad Nos referant, dabunt autem omnem operam, ut omnes controverſiæ, quæcunque ſunt inter noſtros, ac Sereniſſimi & Excellentiſſimi Domini Rom: Regis Subditos, amice tranſigantur, ita tamen, ut nihil admittant, quod cum incommodo, & indignitate noſtra coniunctum eſſet, hoc inprimis agentes, ut Commiſſarii ipſi intelligant, & Nos, & Commiſſarios noſtros, Pacis, & bonæ vicinitatis retinendæ cum Sereniſſimi, & Excellentiſſimi Domini Romanorum Regis Subditis eſſe ſtudioſos.

Si quid Commiſſarii Sereniſſimi Domini Rom: Regis de moneta proponere voluerint, dicent fuiſſe apud Nos, atque etiam nunc eſſe Oratorem Sereniſſimi Domini Rom: Regis, qui hac ipſa de re nobiſcum egit, nomine Maieſtatis illius, poſtulavitque, ut monetam Noſtram cum moneta Maieſtatis illius coæquaremus, verum Nos reſpondiſſe, non licere Nobis in ea re aliquid ſtatuere, niſi in Conventu Regni, quem cum edixerimus, agemus diligenter cum Senatoribus Regni noſtri,

ut

Anno 1549. ut id de re monetaria conſtituatur, quod ad commodum utriuſque noſtrum Subditorum pertinebit.

In quo reſponſo noſtro non dubitamus Sereniſſimum Dominum Rom: Regem conquieturum. Quamobrem eo adducere Commiſſarios Maieſtatis illius conabuntur, ut & ipſi diſceptationem de moneta in id ipſum tempus prorogent, eamque rem ad noſtrum, & Sereniſſimi Domini Rom: Regis arbitrium reiiciant. Nos vero per Nuntios pro noſtra filiali in Maieſtatem illius obſervantia facile cum eius Maieſtate conſtituemus, quod ex dignitate utriuſque noſtrum, & commodo Subditorum noſtrorum futurum putabimus. Dicent præterea intercedere Nobis Pacta cum Sereniſſimo Domino Rom: Rege, Univerſaque Domo Auſtriæ, ac Regno Hungariæ, per quæ Neutri liceret aliquid agere, quod in detrimentum alterius, ſubditorumve eius cedere deberet, ſed ſi quid eiuſmodi eſſet, de eo amice inter Nos convenire debere.

De ſale noſtro in Hungaria interdicendo impedient Commiſſarii noſtri, ne Interdictum hoc promulgetur, efficereque conabuntur, ut in ea re vetus conſvetudo obſervetur, liberaque poteſtas permittatur omnibus utendi ſale noſtro in Hungaria. Quodſi commercia interdicta noſtris hominibus in Hungariam cauſabuntur, dicent Commiſſarii noſtri, Interdictum hoc commerciorum eſſe iam prope modum antiquatum, quod nihilominus homines noſtri libere in Hungariam commeant, hocque iam Nos agere cum Sereniſſimo Domino Rom: Rege per nuntios, ut abrogetur.

Hæc quidem breviter perſcripta ſunt, quae agenda in eo Conventu putavimus. Caeterum Commiſſarii noſtri in his, & aliis rebus, ſi quae nova a Commiſſariis Sereniſſimi Domini Rom: Regis propoſita fuerint, conſilium e re nata capient, omniaque facient quantum Dignitas noſtra, ſubditorumque noſtrorum commodum permittet, quaeque ad retinendam mutuam benevolentiam, ac bonam vicinitatem inter noſtros, Sereniſſimique Domini Romanorum Regis Subditos pertinere putabunt, cavebuntque diligenter, ne Conventum rebus infectis ſolvendi praebeant occaſionem. Quae omnia fidei, & prudentiae eorum committimus.

## LXXVI.

1570. Sigismundi Augusti *Regis Poloniæ Mandatum, ad componendam Pacem inter* Maximilianum *Imp: & Joannem electum Hungariæ Regem Oratori ſuo datum. Varſaviæ 26. Aprilis* Anno 1570. *Ex Archivo Regni Lib. Legationum ſub Lit. F. fol. 220.* Anno 1570.

Sigismundus Augustus Rex Poloniæ &c. Significamus, & teſtatum facimus, quorum intereſt Univerſis, & ſingulis. Quod cum memoria repeteremus eas calamitates, quæ ex Controverſiis inter Sereniſſimum & Excellentiſſimum Principem Dominum Maximilianum Imperatorem Romanorum &c. Fratrem, & Conſangvineum noſtrum chariſſimum, & Sereniſſimum Dominum Joannem ſecundum electum Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ Regem, Nepotem noſtrum chariſſimum excitatis, in Regnum Hungariæ, atq; adeo univerſam Chriſtianam Rempublicam redundarunt; cumque prædictus Sereniſſimus Nepos noſter, tam per Literas, quam per Internuntios ſuos nobiſcum ſæpenumero egiſſet, ut ad eas Controverſias conſopiendas & componendas ex Senatu noſtrum aliquem primarium, ad Cæſaream Maieſtatem ablegaremus, qui præſentibus eius Serenitatis Oratoribus, boni, & utilitatis publici cauſa, de Pace & amicitia inter Maieſtatem, & Gentem ipſius concilianda noſtro nomine tractaret, conſtitueret, & eam ipſam ad optatum, atque laudabilem exitum perduceret. Nos & officio Chriſtiani Principis, & ea neceſſitudine, qua tam Maieſtati, quam Serenitati illius coniuncti ſumus, atque etiam poſtulationibus Sereniſſimi Nepotis noſtri adducti, ablegavimus Regni noſtri Conſiliarium Reverendum in Chriſto Patrem Dominum Adamum Konarski *de Kobilin* Epiſcopum Poſnanienſem, Oratorem, & ad eam pacificationem Commiſſarium noſtrum, cuius integritatem, prudentiam, virtutem, in graviſſimis noſtris & Reipublicæ negotiis perſpeximus, fecimuſque, & facimus eidem hiſce Literis noſtris plenam & omnimodam poteſtatem, ut noſtro nomine pacificationi prædictorum Principum ſe interponat, & de iis ipſis controverſiis amice tollendis & componendis poſſit, & valeat omnia & ſingula agere, tractare, & concludere, quæ ad eiuſmodi actum videbuntur neceſſaria eſſe, & opportuna. Promittentes Verbo noſtro Regio totum id, quidquid per illum noſtro Nomine actum, factum, & determinatum fuerit, Nos ratum & firmum perpetuo habituros. In cuius rei fidem & teſtimonium præſentes manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillo noſtro communiri iuſſimus. Datum Varſaviæ XXVI. Aprilis Anno Domini 1570.

# AUSTRIA.

## I.

ANNO 1362. Confæderatio inter Duces Auſtriæ, RUDOLPHUM, FRIDERICUM, ALBERTUM & LEOPOLDUM, nec non MEINHARDUM Bavariæ Ducem ab una, & LUDOVICUM Hungariæ, atque CASIMIRUM Poloniæ Reges a parte altera. Qua illi dictos Reges, Hæredes, & Terras eorum contra omnes homines cunctis viribus & ſubſtantia defendere, atq; adiuvare promittunt, uti & ad nullam Brigam, vel Gverram abſque communi conſenſu movendam ſe obligant. Dat: Poſonii ult: die Decemb. Anno 1362.

*Ex authentico exemplari, quod extat in Tabulario Illuſtriſ: D.* JOSEPHI *Comitis* ZALUSKI *Referendarii Regni.*

NOs RUDOLPHUS, FRIDERICUS, ALBERTUS, & LEOPOLDUS DEI Gratia Duces Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Fratrès. Notum facimus Univerſis præſentes Literas inſpecturis, quod Nos attendentes quantum ex concordia, & unitate, rerum non tam magnarum, quam etiam parvarum ſoleat provenire augmentum, volenteſque Nos, & Inclytus Princeps MEINHARDUS Dux Superioris Bavariæ, & Comes Tyrolis, Frater, & Sororius noſter chariſſimus, ex Unione, colligatione, & connexione fraterna, una cum Excellentibus & Magnificis Principibus Dominis LUDOVICO, & CASIMIRO Hungariæ & Poloniæ Regibus, Fratribus noſtris chariſſimis, noſtris, & eorum commodis, indemnitatibus, & profectibus attentius providere, de maturo & deliberato conſilio Prælatorum, & Maiorum noſtrorum Baronum, pro Nobis, & pro eodem Duce MEINHARDO, & Hæredibus, & Succeſſoribus noſtris, & eiuſdem Ducis MEINHARDI, promittimus bona fide, cum omni ſinceritate & dilectione, abſque omni fraude, & dolo, tactis Sacroſanctis Evangeliis corporali præſtito iuramento, Nos cum prædictis Dominis Regibus Fratribus noſtris velle eſſe nunc & ſemper indiſſolubiliter unitos, & fraternæ dilectionis vinculo connexos, ita videlicet, quod Nos, & dictus Dux Bavariæ, noſtrique & ſui Hæredes prædictos Dominos Reges Fratres noſtros, eorumque Hæredes & Succeſſores, Terras, ac ipſorum Dominia cum ſuis Juribus, & pertinentiis, quas & quæ in præſenti habent & poſſident, vel in poſterum poſſidebunt, contra omnes, cuiuſvis ſtatus, conditionis & præeminentiæ exiſtant, etſi Regali aut, Imperiali fulgeant dignitate, nullo penitus dempto, & excepto, defenſare, tueri, adiuvare, & protegere teneamur, eiſque & ipſorum Hæredibus, ac Succeſſoribus adeſſe, ſi etiam oportebit propria in perſona cum tota noſtra potentia, militia, ac ſubſtantia, non parcendo rebus, laboribus, & expenſis, quin omnia eorum negotia tanquam propria noſtra fore reputantes, toto noſtro poſſe eiſdem Fratribus noſtris prædictis, ipſorumque Hæredibus contra omnes Invaſores, dampnificantes, & occupare volentes eorum Terras, & Dominia, omni dilatione, tergiverſatione & colore quæſito procul motis, continuato præſidio uſque ad finalem rei exitum, quotieſcunque requiſiti fuerimus per eoſdem Fratres noſtros, ac ipſorum Hæredes antedictos, obmiſſis, & poſtpoſitis omnibus aliis propriis, vel aliorum factis aut negotiis, quibus protunc eſſemus occupati, ipſis fraternaliter ſuccurremus. Ita tamen, quod nullam Brigam ſeu Gverram prætacti Reges Fratres noſtri abſque noſtro conſilio, & beneplacito, voluntate, atque ſcitu, movere intentabunt; quo more ſimili Nos & dictus Dux MEINHARDUS nullam Brigam, ſeu Gverram cuique movebimus ſine eorundem Fratrum noſtrorum conſilio, ſcitu, & conſenſu. Præterea promittimus bona fide, ut ſupra, quod nullam affinitatem, parentelam, ſeu conſangvinitatem cum aliqua Perſona contrahemus ſine voluntate, ſcitu, & conſenſu Fratrum noſtrorum Regum eorundem. Inſuper promittimus ipſis Regibus Fratribus noſtris, & ipſorum Hæredibus, quod cum nullo æmulorum, inimicorum & eis malevolentium, Pacem Concordiam, Unionem, aut aliquam Colligantiam iniemus, ſine beneplacito & expreſſa voluntate Fratrum noſtrorum ante notatorum, modo quo ſuperius eſt expreſſum. Cæterum ſub virtute præſtiti Juramenti pollicemur, quod ad ipſorum Fratrum noſtrorum commoda amplianda, bonorumque ipſorum augmentum, dictis, factis, opere, & voluntate ſemper aſſiſtemus, & eorum honori, famæ, ſtatui & profectui derogare volentibus totis viribus volumus eſſe contradicto- ANNO 1362.

ANNO 1362. tradictores, & Impugnatores. Præterea etiam omnem concordiam, unionem, ac colligantiam cum quibuscunque Perſonis initam, et firmatam, quæ praemiſſae Unioni, Confœderationi & Obligationi, in toto vel in aliqua ſui parte derogaret, ſeu poſſet in futurum derogare, irritam eſſe volumus, & inanem. Omnem vero concordiam, pacem, ligam, & unionem cum praetactis Regibus, Fratribus noſtris chariſſimis quocunque tempore initas, et contractas, quae huic præſenti Confœderationi robur poſsunt tribuere aliquale, in ſua firmitate et vigore perſolenniter decernimus fore permanſuras. Et ut præmiſſa rata, et inconvulſa permaneant, ſerventurque, praeſentes Literas noſtras appoſitione Sigillorum Ducalium, nec non Sigillorum Praelatorum et Baronum noſtrorum, qui etiam ſuper ratihabitione præmiſſorum Juramenta corporaliter praeſtiterunt, ſequuntur communita. Nomina autem principalia Praelatorum, et Baronum Ducatuum noſtrorum, quorum Sigilla Praeſentibus appendent, ſunt haec: Venerabiles in Chriſto Dominus Gotfridus Patavienſis, Dominus Joannes Gurczen noſtrae Curiae Cancellarius, Dominus Ulricus Seccovienſis, et Dominus Petrus Laventin: Eccleſiarum Epiſcopi, Petrus S. Lamberdi, Joannes Medicenſis, Ulricus S. Pauli Vallis Laventinæ, Albertus Admoten: Clemens Scotorum Viennae, Ulricus in Rotwico in Chremſſ Munſter Monaſter: Abbates. Item Jacobus Perichſtergadiens: Ordolfus Neumburgenſis Eccleſiarum Praepoſiti: Item Spectabiles et Generoſi Meinhardus de *Goycza* Palatinus Carinthiae, Otto de *Orttenburg*, Ulricus de *Schaunberg* Comites, avunculi noſtri chariſſimi, Nobiles', ac fideles noſtri dilecti, Berchtoldus de *Maidburch*, Joannes de *Phannberch*, Ulricus de *Cilia*, etiam Comites, Stephanus Dominus Meiſſaae ſummus Mareſchalcus, Albertus Dominus de *Puecham* ſummus Dapifer, Petrus Dominus de *Eberſtorph* Summus Camerarius, Haindenricus Dominus de Meiſſaw ſummus Pincerna, Wilhelmus Dominus de Creusbach ſummus Magiſter Venatorum Auſtriæ, Joannes de Traun Capitaneus ſuper Anaſum, Eberhardus Dominus de Walſce de Anaſo, Joannes dictus Comes de Perſtein, Leopoldus Dominus de Stadech Provincialis Mareſchalcus Auſtriæ, Eberhardus Dominus de Capella Capitaneus Aniſi, Perchtoldus Dominus de Pergow Judex Curiæ noſtræ, Henricus Dominus de Raunſtein, Joannes Turſo Dominus de Bauheneck, Eberhardus Dominus de Dachsberg, Joannes Dominus de *Zelekino*, Albertus Stachs Dominus de Trautmanſdorf, Conradus Dominus de Pottendort, Pilgerinus Dominus de Strewon, Fridericus Dominus de Winckel, Catholdus Senior Dominus Ekerzau, Ulricus Dominus Krainberg, Dominus de Hohenberg, Heinricus Dominus de Hohenberg, Heinricus Dominus de Hachenberg, Wolfgangus Dominus de *Widen*, Otto Dominus de Walzendorf, Gotfridus Dominus de Wildingſmaur, Chadoldus Dominus de Haslowe. Item de Stiria, Fridericus Dominus de Pettovia ſummus Marſchalcus, Fridericus Dominus de *Walſe de Grez* ſummus Dapifer, Rudolfus Otto Dominus de *Lichtenſtein* ſummus Camerarius, Fridericus Dominus de *Stubenberch* ſummus Pincerna Stiriæ. Item Fridericus Dominus de *Auffenſtein* ſummus Marſchalcus, & Capitaneus, & Herthnidus Dominus de *Greii* ſummus Dapifer, Hermanus Dominus de *Oſtrowicz* ſummus Pincerna Carinthiæ. Item Conradus Dominus de *Auffenſtein* Capitaneus Carniolæ, Henricus Dominus de monte Pariſo, Eberhardus Dominus de *Walſe* de *Grez*, Henricus de *Rappath* noſtræ Curiæ Magiſter, Joannes de *Laſpeuh* noſtræ Cameræ Magiſter. Datum et Actum Poſſonii ultima die Menſis Decembris Anno Domini Milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſecundo. ANNO 1362.

II.

ERNESTUS *Dux Auſtriæ ſuo, & Friderci Fratris nomine compromittit in* VLADISLAUM *Regem Poloniæ de controverſiis, quas cum* SIGISMUNDO *Rom. Rege habet.* Dat. Neoſtadii die Sabbathi Poſt Feſtum S. IACOBI Apoſtoli Anno 1412. *Ex Originali. Sigil.* 2. 1412.

NOS ERNESTUS Dei gratia Dux Auſtriæ, Carinthiæ, Corniolæ, Comes Tyrolis &c. noſtro, & Illuſtris Principis FRIDERICI Ducis Auſtriæ, Fratris noſtri nomine profitemur, notumque facimus omnibus & ſingulis præſentes Literas noſtras inſpecturis, lecturis aut legi audituris: Quomodo Illuſtriſsimus Princeps Dominus VLADISLAUS Rex Poloniæ &c. Frater noſter Cariſſimus, eo tempore, quo apud illum Budæ fuimus, ſollicite, diligenterque curaverit, ut inter Nos & Illuſtriſſimum Principem SIGISMUNDUM Romanorum Hungarorumque Regem Pacem faceret ſecundum contextum Literarum hac de re editarum. Quod quidem Pacis vinculum facere eidem promiſimus, & tenore Præſentium promittimus, eamque conſtanter

ANNO 1412. constanter ſervare, Nos adſtringimus,& fideliter pollicemur. Quoniam vero præfatus Illuſtriſſimus Princeps VLADILAUS Nobis perſuaſit, ut hoc negotium omnesque diſcordias, quæ inter Nos, & præfatum SIGISMUNDUM Regem intercedunt, ſibi decidendas committeremus: Conſiderantes igitur præfati Domini Fratris noſtri amorem benevolentiamque erga Nos, habitoque prius hac de re maturo conſilio, Eidem omnia & ſingula diſſidia, quæ cum præfato SIGISMUNDO Rege Nobis ſunt, quæque per Nos ad Regem VLADISLAUM, tunc temporis Budæ exiſtentem delata ſunt, finienda, combinanda, dirimendaque, ſive per amicabilem compoſitionem, ſive per ſententiam, & Decretum, committimus intra unius anni ſpatium, a Feſto S. GEORGII inchoandi. Quidquid vero ille decreverit, id Nos in perpetuum firmum, ratumque habebimus, nec per Nos, aut quemoiam alium infringi patiemur. Cauſam nihilominus Reverendiſſimi moderni Epiſcopi Tridentini, quam Nobiscum habere intendit, his Literis amovendam, penitusque excluſam eſſe cupimus. Datum Neoſtadii die Sabbathi Poſt Feſtum S. IACOBI. Anno poſt Nativitatem Chriſti 1412.

III.

1412. *Compromiſſum* SIGISMUNDI *Rom. Regis, quo omnes ſuas cum Ducibus Auſtriæ Controverſias* VLADISLAI *Regis Poloniæ arbitrio ſubmittit, eiusque iudicio ſe obtemperaturum pollicetur.* Dat. Budæ die proxima Sabbathi poſt Feſtum S. IACOBI Apoſtoli Anno 1412. *Ex Originali.*

NOS SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, nec non Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, Univerſis Præſentes inſpecturis, lecturis, & audituris palam facimus, quomodo Illuſtriſſimus Princeps Dominus VLADISLAUS Rex Poloniæ &c. Frater noſter Cariſſimus, eo tempore quo apud Nos in Regno noſtro Hungariæ morabatur, multum, ſolliciteque curaverit, ut Pax inter Nos & Illuſtres Duces Auſtriæ iniri poſſet, ſecundum contextum Literarum hac de re datarum. Quam quidem Pacem inviolate ſervandam Nos ipſi conſtanti animo appromiſimus, & tenore Præſentium hac ſuper re editarum identidem promittimus, & pollicemur. Et quoniam præfatus Illuſtriſſimus Dominus VLADISLAUS Rex poſtulavit a Nobis, ut hoc negotium, & diſſidia, quæ inter Nos, & præfatos Duces intercedunt, Eius iudicio decernenda committeremus: conſiderantes igitur præfati Illuſtriſſimi Domini VLADISLAI ſingulare in Nos amoris ſtudium, ſinceritatisque, quam erga Nos gerit, affectum, habito hac de re maturo, deliberatoque conſilio, Eidem diſſidia omnia, & ſingula, controverſiasque, quæ hucusque inter Nos & præfatos ERNESTUM & FRIDERICUM exſtitere, quæque ad Illuſtriſſimum Dominum VLADISLAUM tunc temporis Budæ commorantem delatæ ſunt, eidem VLADISLAO Regi dirimendas, discutiendasque intra unius anni ſpatium a Feſto nimirum S. GEORGII, usque ad recurſum eiusdem Feſti annuum committimus, obſtringentes Nos, omnia et ſingula, quae intra hoc temporis ſpatium ſive per amicabilem Compoſitionem, ſive per Sententiam, & Decretum ab ipſo facta, dicta, atq; iudicata fuerint, ea Nos omnia in perpetuum rata, & firma habituros, fideliterque obſervaturos. Excludi tamen volumus aliorum Præſentibus, uti certe excludimus Reverend: Epiſcopi Tridentini Principis noſtri devotiſſimi cauſam, quam tam ratione ſuæ Perſonæ, quam ſui Monaſterii Tridentini cum præfatis ERNESTO, & FRIDERICO habet. In cuius rei Fidem Literas has Sigillo noſtro Romano Regio munivimus. Datum Budepoſt Chriſti Nativitatem Anno 1412. die proxima Sabbathi poſt Feſtum S. IACOBI, Regni noſtri Hungariæ vigeſimo quinto, Imperii vero Romani ſecundo.

IV.

ALBERTI *Romanorum, Ungariæ, Bohemiæ &c. Regis Literæ plenæ poteſtatis Oratoribus ſuis datæ ad conficiendam Pacem perpetuam cum* VLADISLAO *Rege Poloniæ.* Datum Strigonii Sabbatho Poſt Feſtum S. GALLI Anno Domini 1439. *Ex Archivo Regni Liber 38. Num. 39. fol. 1.* 1439.

ALBERTUS Dei gratia Romanorum Rex ſemper AUGUSTUS & Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Dux Auſtriæ &c. Significamus tenore Præſentium quibus expedit Univerſis, Quod de fide & legalitate Magnificorum & Nobilium VLADILAI de *Palocz* Magiſtri Curiæ noſtræ Maieſtatis, & STEPHA-

ANNO 1439. STEPHANI POHARNOK *de Berzewitz* Oratorum noſtorum fidelium dilectorum plenam gerendæ fiduciæ præſumptionem, quam & eorum cuilibet in ſolidum plenam damus, & omnimodam concedimus tenore Præſentium facultatem, cum Sereniſſimo Domino VLADISLAO Rege Poloniæ, Litvaniæ Principe ſupremo &c. conveniendi, neceſſariosque Tractatus habendi, atque treugam, ſufferentiam, tolerantiam a guerra concludendi, inſcriptionibus firmandi, & ſtabiliendi, ac ſuper Pace perpetua aliam Dietam congruentem inter Nos utrinque recipiendi, & faciendi, promittentes Verbo noſtro Regio omnia, & ſingula, quaecunqne per dictos Oratores noſtros condictata, tractata, conclusave fuerint, rata, grata, atque firma habere, & ſervare, tanquam Nos ipſi, ſi praemiſſis intereſſemus perſonaliter, eadem clauderemus, tractaremus, concluderemus, et modo efficaciriori firmaremus. Harum teſtimonio Literarum, quibus ſecretum noſtrum eſt appenſum. Datum Strigonii Sabbatho poſt Feſtum Sancti GALLI Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Tricesimo Nono. Regnorum noſtrorum Anno ſecundo.

V.

1453. CASIMIRUS *Rex Poloniæ ratas habet Conditiones Contractus Matrimonialis inter ſe & ELISABETH ALBERTI Romanorum Regis Filiam, LADISLAI Ungariæ, & Bohemiæ Regis Sororem, per Oratores ſuos initi.* Datum Cracoviæ Die 12 Menſis Auguſti Anno Domini 1453. *Ex Originali.*

CASIMIRUS Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, et HæresRuſiae. Significamus tenore Præſentium, quibus expedit Univerſis. Qualiter cupientes fidei Orthodoxæ et Religionis, Reique publicæ Chriſtianæ dilatationem, Regni quoq; noſtri Poloniæ, ac cæterorum Dominiorum noſtrorum, Regnorum quoque, et Terrarum Regno noſtro Poloniæ, ac Dominiis noſtris vicinorum, et commetaneorum ſtatum pacificum, et florentem procurare, per ſolempnes Nuntios et Ambaſiatores noſtros, Reverendos in Chriſto Patres, Dominos, et Magnificos viros Joannem Vladislavienſem, Andream Poſnanienſem Epiſcopos, Joannem de *Ciſzow* Caſtellanum et Capitaneum, Joannem de *Thanczyn* Palatinum Cracovienſem, Joannem de *Koniecpole* Regni Poloniae Cancellarium, et Capitaneum Siradienſem, Derslaum de *Rythwany* Caſtellanum Roſperuenſem, Andream Sabowicz Capitaneum Polocenſem, Joannem Niemierowicz, et Petrum Zaiąnczek de *Wrancza* Succamerarium Siradienſem, ad Dietam Vratislavienſem pro die octava Menſis Auguſti indictam, cum plena authoritate, et Mandato per Nos tranſmiſſos, Faedus affinitatis, et verae parentelae, atque amicitiae cum Sereniſſimo Principe, Domino LADISLAO Dei gratia Hungariae, et Bohemiae Rege, Duce Auſtriae, et Marchione Moraviae, Fratre, et Conſobrino noſtro cariſſimo, in quo et alti ſanqvinis proſapiam, et magnae fidei, ac morum conſtantiam contemplamur, de certa noſtra ſcientia, et expreſſa voluntate, inivimus, ſuſcepimus, contraximus, et Praeſentium tenore inimus, ſuſcipimus, et contrahimus per Illuſtriſſimam Principem Dominam ELISABETH, natam olim Sereniſſimi Principis Domini ALBERTI Romanorum, Hungariae, Bohemiae Regis, et Ducis Auſtriae, per praedictum Dominum LADISLAUM Regem, Nobis et Coniugio noſtro effectualiter deſponſandam, recognoſcentes publice, et per expreſſum, quod iuxta Capitula et Ordinationem in praedicta Dieta Vratislavienſi per noſtros praefatos, et praedicti Domini LADSLAI Regis ſpeciales Ambaſiatores, Reverendum videlicet in Chriſto Patrem, et Illuſtrem Dominos Joannem Epiſcopum Olomucenſem, Ottonem Ducem Bavariae, nec non Magnificos et Spectabiles Henricum de Roſemberg, Reinpertum de *Waliże*, Henricum de *Lippa* Mareſchalcum Bohemiae, Georgium de *Krawar* et de *Sruſznyca*, Ulricum Czynger de *Syczynyn*, Reinpertum Supremum Camerarium Ducatus Auſtriae, Stephanum Aloth Cancellarium eiuſdem Ducatus, Stephanum de *Wayda*, Sigiſmundum Czyczynger, Wolfgangun Hinderholczer, et Oſphaldum Reycholf tractata, concordata, et concluſa, praefatam Illuſtriſſimam Principem Dominam ELISABETH, in veram noſtram, et legitimam ſponſam aſſumpſimus, et deſponſavimus, Praeſentiumque tenore aſſumimus, et deſponſamus. Ipſam quoque pro die Dominica Craſtino Purificationis Mariae proxime venturo, uſque in Theſchen Civitatem per praedictum Dominum LADISLAUM Regem aut ſuos Nuntios perſonaliter deducendam, in praedicta Thesnenſi Civitate, et die praedicto per Nos, aut noſtros Nuntios acceptabimus, et noſtra cura, proviſione, et impenſa uſque ad Civitatem noſtram Cracovienſem per-

ANNO 1453.

Anno 1453. ductam, noſtro Thoro Regali, per Faedus, et nexum matrimonii conſociabimus, et diademate inſigniemus Regali, pertractando, et proſequendo illam omni honore, benevolentia, favore, et caritate. Obligantes Nos in Verbo noſtro Regio Fædus praedictae affinitatis, Matrimonii, et parentelae, ac deſponſationem, acceptationem et coronationem praedictas, ſub paena centum millium florenorum cuſtodire, implere, obſervare, et mandare executioni effectuali, in omnibus conditionibus, atque punctis. Caeterum promittimus, et Nos Praeſentibus obligamus, quod praefata Domina Elisabeth Regina Conſors noſtra, infra unius Menſis ſpatium, a die ſolennitatis nuptiarum computandum, omni Juri, ſorti ac devolutioni Ducatus, et Dominiorum Domus Auſtriæ cedet perpetuo, et renuntiabit, nullum ius ad illa habitura, niſi omnibus Ducibus Auſtriæ maſculini ſexus, morte, quod Deus auferat, abſumptis. Item omni Juri, Sorti, et devolutioni omnium Regnorum, Principatuum, Terrarum, et Dominiorum. Item omnibus totalibus clenodiis, gemmis, argentariis, et bonis mobilibus praefati Domini Regis Ladislai, Fratris ſui, nunc habitis, et acquiſitis, et in poſterum habendis, et acquirendis, in eo duntaxat caſu, ſi ipſum Dominum Ladislaum Regem, Hæredes ex femore ſuo procreatos ſexus duntaxat maſculini, ac eorundem Hæredum Poſteros directæ lineæ propagine per ſexum maſculinum ab eiſdem deſcendentes relinquere contingat, per certi tenoris Literas iam ad id conceptas et præparatas, quarum minutæ Sigillis prædictorum noſtrorum Nuntiorum ſunt conſignatæ, et quas inſra prædicti Menſis ſpatium in Civitate Vratislavienſi in poteſtatem eiuſdem Civitatis Conſulum ad manus prædicti Domini Ladislai Regis tradendas reponere Nos effectualiter obligamus, cedet, & renuntiabit. Renuntiatio tamen ipſa cenſeatur invalida, ubi Dominus Ladislaus Rex, aut ſui Hæredes, aliis hæredibus maſculini ſexus poſt ſe non relictis, quod Deus auferat, deceſſerit, nec alicuius ſit roboris, aut firmitatis. In cuius rei teſtimonium Sigillum noſtrum Præſentibus eſt appenſum. Datum Cracoviæ die duodecima Menſis Auguſti. Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio.

Locus Sigilli penſilis ex utraque parte impreſſi.

*Ad Mandatum Domini Regis* Joannes *de Koniecpole, Regni Poloniæ Cancellarius.*

## VI.

Anno 1453.

Ladislai *Ungariæ, & Bohemiæ Regis Contractus eiusdem Approbatio, & Promiſſio, quod ſtabit Conditionibus in eo expreſſis ſub pœna centum millium florenorum.* Datum Viennæ 12. Menſis Auguſti Anno 1453. *Ex Archivo Regni Liber 3 Numero 4 fol. 5.*

Ladislaus Dei Gratia Hungariæ, Bohemiæ Rex, Dux Auſtriæ, & Moraviæ. Significamus tenore Præſentium quibus expedit Univerſis. Qualiter cupientes fidei orthodoxæ, & Religionis, Reique publicæ Chriſtianæ dilatationem, Regnorum quoq; Hungariæ, Bohemiæ, & cæterorum Dominiorum noſtrorum ſtatum pacificum, & florentem procurare, per ſolennes Nuntios, & Ambaſiatores noſtros Reverendum Patrem, & Illuſtrem Principem Joannem Epiſcopum Olomucenſem, Ottonem Ducem Bavariæ, ac Nobiles Viros Henricum de Roſenberg, Reinpertum de *Valſe*, Henricum de *Lippa* Marſalcum Bohemiæ, Georgium de *Crawar*, & de *Struſznica*, Ulricum Cyczynger, Reinpertum de *Oberſtorf* Supremum Camerarium Ducatus noſtri Auſtriæ, Stephanum Aloth Cancellarium eiuſdem Ducatus, Stephanum de *Wayda*, Sigiſmundum Cyczynger, Wolfgangum Hinderhaiczer, & Oſwaldum Reicholf avunculum, & fideles noſtros dilectos ad Dietam Vratislavienſem, pro die octava Menſis Auguſti indictam cum plena auctoritate, & Mandato per Nos tranſmiſſos, Fædus affinitatis, & veræ parentelæ, atque amicitiæ cum Sereniſſimo Principe Domino Casimiro Dei gratia Poloniæ Rege, Magno Duce Litvaniæ, & Hærede Ruſſiæ, Fratre, & Genero noſtro chariſſimo, in quo, & alti ſangvinis proſapiam, & magnæ fidei conſtantiam contemplamur, de certa noſtra ſcientia, & expreſſa voluntate inivimus, ſuscepimus, contraximus, & Præſentium tenore inimus, ſuſcipimus, & contrahimus per Illuſtriſſimam Principem Dominam Elisabeth natam olim Sereniſſimi Principis Domini Alberti Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ Regis, & Ducis Auſtriæ, Germanam noſtram, per Nos prædicto Domino Casimiro Regi Poloniæ, & eius Coniugio effectualiter deſponſandam. Recognoſcentes publice, & per expreſſum, quod iuxta Capitula, & ordinationem in prædicta Dieta Vrati-

ANNO 1453. Vratislavienſi per noſtros præfatos, & prædicti Domini CASIMIRI Regis, ſpeciales Nuntios, Reverendos videlicet Patres, Dominos, Magnificos, & Nobiles Viros: Joannem Vladislavienſem, Andream Poſnanienſem Epiſcopos, Joannem de *Czyſzow* Caſtellanum, & Capitaneum, Joannem de *Thanczyn* Palatinum Cracovienſem, Joannem de *Koniecpole* Regni Poloniæ Cancellarium, Derslaum de *Rithwiany* Caſtellanum Roſpergenſem, Andream Sabowicz Capitaneum Plocenſem, Joannem Niemierowicz & Petrum Zaiączek de *Wrancza* Succamerarium Siradienſem tractata, concordata, & concluſa, præfatam Illuſtriſſimam ELISABETH Sororem noſtram in veram, & legitimam Sponſam prædicti Domini CASIMIRI dedimus, deſponſavimus, Præſentiumque tenore damus, & deſponſamus. Ipſam quoque pro die Dominica poſt Feſtum Purificationis Mariæ proxime affuturum, uſque ad Theſchnenſem Civitatem, per Nos, aut Nuntios noſtros perſonaliter, dante Domino, deducemus, & prædicto Domino CASIMIRO, aut ſuis Nuntiis illuc venturis conſignabimus, & reddemus, conſignareque & reddere tenore Præſentium aſtringimus, abſque omni difficultate, excuſatione, vel mora, ipſi Domino CASIMIRO Regi, & ipſius Thoro Regali, per Fædus, & nexum Matrimonii conſociandam, diademate inſigniendam Regali, obligantes Nos Fædus prædictæ affinitatis, Matrimonii, & Parentelæ, ad deſponſationem, deductionem, redditionem, & conſignationem prædictas, ſub pæna centum millium florenorum cuſtodire, obſervare, tenere, & mandare executioni effectualiter in ipſius Conditionibus, atque Punctis. Datum Viennæ duodecima die Menſis Auguſti. Anno Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Tertio.

VII.

*Literæ eiusdem, quibus* CASIMIRO *Regi Poloniæ Dotem centum millium aureorum Ungaricalium intra trium annorum ſpatium ſub pœna dupli ſe ſoluturum promittit, quod ſi non præſtiterit, integrum erit Regi, & Coronæ Poloniæ in Terras, & Civitates eius invadere, easque retinere, usque dum tota ſimul ducentorum millium aureorum ſumma eidem perſolvatur.* Datum Viennæ 12 Aug. Anno 1453. *Ex Originali. Extat in Archivo Cancell. Regni Lib. 3 Lit. C. Num. 4. fol. 7. item Lib. 5. Num. 6. fol. 51.* ANNO 1453.

LADISLAUS Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Dux Auſtriæ, Marchioq; Moraviae &c. Significamus tenore Præſentium Univerſis, & recognoſcimus, atque profitemur, pro Nobis, & univerſis Hæredibus, ac Succeſſoribus noſtris, quod Sereniſſimo Principi, Domino CASIMIRO Dei gratia Regi Poloniæ, Magno Duci Litvaniæ, & Terrarum Ruſſiæ Hæredi, Fratri, & Genero noſtro Chariſſimo Illuſtriſſima Principe Virgine ELISABETH Germana noſtra Chariſſima, pro laude Dei, & Pace Populi Chriſtiani in Conſortem deſponſata, volentes eam Virginem ELISABETH ſororem noſtram honorari dotalibus muneribus, prout eiusdem Virginis ELISABETH dignitas, & conditio, noſtraque Fraternalis affectio poſtulat, & exigit, ipſi Sereniſſimo Domino CASIMIRO Regi, aut eius Succeſſoribus centum millia Florenorum Hungaricalium veri ponderis pro Dote danda repromiſimus, & repromittimus per Præſentes. Quorum, ut ſolutio certior poſſit provenire, præfato Sereniſſimo Principi Domino CASIMIRO Regi Poloniæ, & eius Succeſſoribus, Nos praeſenti Inſcriptione aſtringimus, & obligamus, quod praefata centum aureorum millia infra hinc, & trium annorum decurſum a Die Purificationis Sanctae MARIÆ proxime venturo computandorum, immediate ſeſe ſequentium, non per partes, ſed plenarie in Civitate noſtra Namislovienſi, in Domini CASIMIRI Regis, Coronae Regni Poloniae, aut ſuorum Haeredum, & Succeſſorum manus, aut Nuntiorum ad hoc cum pleno Mandato per ipſum Dominum CASIMIRUM Regem, Coronam Poloniae, vel Succeſſores ſuos mittendorum noſtris impenſis reponemus, & reponi effectualiter ordinabimus ſine dolo, et fraude, ſub fide, et honore, qualibet difficultate, arte, ingenio et excuſatione, quam interponere nullatenus poterimus, excluſa. Ita quod praefatus Dominus CASIMIRUS Rex et Succeſſores ſui, et eorum Nuntii ad hoc cum pleno Mandato deputati, dictam pecuniam centum millium florenorum pro die praefato in *Namislow* libere levare, et percipere, ac abinde ducere poſſint, et valeant.. Item quod Nuntii illac ratione dictae pecuniae levandae mittendi, et praefatam Civitatem Namislovienſem veniendo, ibidem ſtandi

ANNO 1453. ſtandi, morandi, ac abinde redeundi tam in perſonis, quam in rebus ipſorum plena debeant ſecuritate gaudere. Si vero pro die, et loco praefatis, Domino CASIMIRO Regi, ac ſuis ſucceſſoribus huiusmodi centum millia florenorum ſolvere neglexerimus, extunc ipſo facto alia centum millia florenorum ratione vadii iuſti, et legitimi incurremus, quod debebit in ſortem capitalis pecuniae includi, et numerari. Nos quoque ipſo facto ad ſolutionem ducentorum millium Florenorum ratione dotis aſtringimus, et obligamus perinde, ac ſi ducenta millia verae, et iuſtae Dotis repromiſiſſemus, dantes facultatem ipſi Domino CASIMIRO Regi, et eius ſucceſſoribus, Nos, Regna, Terras, et Dominia noſtra, et perſonas Eccleſiaſticas, et Saeculares cuiuscunque ſtatus, ac conditionis exiſtant, in eisdem Regnis, Terris, et Dominiis noſtris commorantes ad ſolutionem huiusmodi ducentorum millium florenorum, quibuscunque modis, viis, et ingeniis exquirendi, et eis beneplacitis impellendi, arctandi, caſtigandi, Terras, Civitates, Caſtra, et Dominia, Bona quoque mobilia tam praeſentia, quam futura, tam noſtra, quam ſubditorum noſtrorum occupandi, invadendi, et ea cum omnibus, et ſingulis introitibus, uſibus et fructibus retinendi, poſſidendi usq; ad plenariam praefatorum ducentorum millium florenorum ſolutionem; Nos quoque, et Succeſſores noſtri, ac ſubditi Regnorum, Terrarum, et Dominiorum noſtrorum non potuimus, nec debebimus propter ea ipſis reſiſtere, ſuccenſere, contradicere verbo, aut opere, per Nos, ac ſubmiſſas perſonas, publice vel occulte, directe, vel indirecte, ſed eorum actiones quascunq; contra Nos, Regna, Terras, Dominia, et ſubditos noſtros, quae in praemiſſis fecerint aut exercuerint, tenebimur commendare, approbare, ratificare nulla arte, dolo, vel ingenio praemiſſis contraveniendo. Inſcriptionibus, Pactis, Faederibus, et Contractibus, pace quoque communi Regnorum, & Terrarum in ſuo robore nihilominus remanentibus, quibus per actiones, quascunque ipſius Domini Regis, aut eius Succeſſorum in repetitione huiuſmodi debiti ducentorum millium florenorum factas, & attemptatas non poterit in aliquo derogari. Verum ſi alter contrahentium, Dominus videlicet CASIMIRUS Rex, aut Domina Regina ELISABETH ante plenam conſumationem Nuptiarum fuerit morte abſumptus, obligatio noſtra de centum millibus ratione Dotis intelligatur ipſo facto caſſa, & vacua, & nullius roboris, vel momenti. Datum Viennae die 12. Menſis Auguſti, Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo, Quinquageſimo Tertio. Coronationis vero noſtrae Regni Hungariae Decimoquarto. ANNO 1453.

*Ad Mandatum Domini Regis*

STEPHANUS *Aloch Cancellarius.*

## VIII.

CASIMIRI *Regis Poloniae cum* LADISLAO *Hungariae &c Rege Conventio, qua conſentit, ut reſpectu ſummae centum millium aureorum Hungaricalium ſibi debitorum, Ducatus Auſtriae ad ſolvenda tantum triginta duo millia hypothecae nomine ſit obligatus.* Dat. Cracoviae *die Menſis Auguſti* Anno 1453. *Ex Archivo Regni Lib. 7. Lit. G. Nro. 8. fol. 104.* 1453.

NOS CASIMIRUS DEI Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, & Haeres Ruſſiae recognoſcimus pro Nobis, Haeredibus, & Succeſſoribus noſtris, tenore Praeſentium ſignificantes, quibus expedit Univerſis, Quemadmodum Illuſtriſſimus Princeps, Frater noſter cariſſimus, Dominus LADISLAUS Hungariae, Bohemiae &c. Rex, Dux Auſtriae, Marchioque Moraviae &c. Literis ſuis mediantibus Nobis ad Illuſtriſſimam Principem Dominam ELISABETH Sereniſſimi Principis quondam Domini ALBERTI Romanorum, Hungariae, Bohemiae &c. Regis, Ducis Auſtriae, Marchioniſque Moraviae &c. natam, Sororemque ſuam carnalem Nobis deſponſaverit, & centum millia florenorum Hungaricalium, a Feſto Purificationis Beatae MARIÆ Virginis proxime venturo, ad terminum trium annorum ſe immediate ſequentium, ratione legitimae Dotis ſoluturum, & pegaturum ſe obligaverit, prout in cirographo obligationis Nobis deſuper dato latius continetur. Quod Nos cum eodem Fratre noſtro LADISLAO talem de maturo praehabito conſilio pro Nobis, & Haeredibus noſtris amicabilem devenimus ad Concordiam, & Unionem, videlicet, quodſi dictum Fratrem noſtrum cariſſimum Regem LADISLAUM ante completam ſolutionem dictorum centum millium florenorum diem ſuum claudere contigerit, quod tunc Haeredes Fratris noſtri Domini Regis LADISLAI de ipſo duntaxat Ducatu Auſtriae, aliarumque Terrarum, & Dominiorum ad eoſdem Haere-

ANNO 1453. Haeredes, ſive Patruos ſuos praeſentes, ſive futuros, tanquam Duces Auſtriae ſpectantes, ac ipſa Domus Auſtriae de dictis centum millibus florenorum non plus, quam triginta duo millia florenorum Hungaricalium, boni auri, & iuſti ponderis, ſolvere tenebuntur, ſub hoc modo videlicet, quod cum iam dicta triginta duo millia florenorum Hungaricalium in termino ſolutionis præexpreſſo, vel ante, quandocunque de dicto Ducatu Auſtriae in Civitate Nanislavienſi una cum reliqua parte ſummae annotatae, ſive ſeparatim ad manus noſtras, aut Succeſſorum noſtrorum effectualiter repoſita fuerit, per Nos ſive Nuntios noſtros ad hoc deputandos libere levanda, Nobiſque huiusmodi repoſitio innotuerit, cirographo obligationis ſupranominato, ac iure dictorum centum millium florenorum Nobis attributo, tam Nos quam Haeredes noſtri, ſeu quiſpiam alter noſtro Nomine contra Duces, aut Ducatus, vel Terras Auſtriae, ac Terras, & Dominia ad eosdem ut ſic ſpectantia, ac ad ipſam Domum Auſtriae univerſam, in nullo penitus uti, frui, ac gaudere volumus, & debeamus, neque quidquam actionis, ſeu conſtitutionis ea ratione adverſus ipſos Nobis deinceps debet competere, ſed ſolutionem reſiduae partis, videlicet ſeptuaginta millium florenorum, ſeu quantum poſt deceſſum huiuſmodi praedicti Fratris Regis LADISLAI, vero calculo adhuc veniret ſolvendum, ab aliis Regnis, Terris, & Dominiis ſuis per ipſum Fratrem noſtrum Regem LADISLAUM poſt ſe relictis, & a Succeſſoribus in eiſdem exigere debeamus, ipſos Duces, ac ipſorum Domum Auſtriae univerſam in aliquibus Mundi partibus a nemine inquietando. In cuius rei teſtimonium Sigillum noſtrum Praeſentibus eſt appenſum, Datum Cracoviae, die Menſis Auguſti Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio.

*Ad Mandatum Domini Regis*
JOANNES *de* Koniecpole *Regni Poloniæ Cancellarius.*

## IX.

1454. *Regina* ELISABETH *abdicat ſe omni Jure Succeſſionis in Ducatum Auſtriæ, eique annexas Provincias, conditionibus, quæ in his Literis exprimuntur. Ex Originali. Extat in Archivo Cancell: Regni. Liber 7. Numero 8. fol. 116. Item Lib: 5 Num. 6 fol. 50.* ANNO 1454.

NOS ELISABETH Dei gratia Regina Poloniæ, nata Sereniſſimi Domini ALBERTI Dei gratia Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ &c. Regis, Ducis Auſtriæ, & Marchionis Moraviæ &c. Recognoſcimus pro Nobis, Hæredibus, & Succeſſoribus noſtris tenore Præſentium ſignificantes quibus expedit Univerſis. Quemadmodum Illuſtriſſimus Princeps Dominus LADISLAUS Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex, Dux Auſtriæ Marchioque Moraviæ &c. Dominus, & Frater noſter chariſſimus, ſpontanea voluntate, ac de Principum Spiritualium ac Sæcularium Prælatorum, Baronum, Procerum, & plurimorum aliorum fidelium, & ſubditorum ſuorum conſilio, Nos Illuſtriſſimo Principi Domino CASIMIRO Regi Poloniæ &c. Domino, & Conthorali noſtro chariſſimo, in legitimam Conſortem tradiderit, & deſponſaverit, eidemque Sponſo noſtro, ac Nobis tantam Dotem pro maritagio daturus & perſoluturus eſt, de qua idem Dominus Rex Conthoralis noſter, & Nos plenarie contentamur, ac in futurum contentabimur. Ita Nos erga dictum Dominum, & Fratrem noſtrum Regem LADISLAUM ſuoſque Hæredes ex femore ſuo procreandos, ac eorundem Hæredum poſteros directæ lineæ propagine ab eisdem deſcendentes maſculini ſexus duntaxat, de conſenſu, & voluntate præfati Domini, & Conthoralis noſtri, omni Juri Regnorum, Principatuum, Terrarum, & Dominiorum prædicti Domini & Fratris noſtri Regis LADISLAI, omniumq; hæreditatum, ſive portionum hæreditariarum, ſingularumque Succeſſionum, ſive devolutionum, quæ Nobis Jure Paterno, ſive Materno competiiſſent, competerent, ac ad Nos, tam dicto Jure, quam aliunde devolutæ fuiſſent, competere, ſeu devolvi poſſent, quomodolibet in futurum, nec non omnibus, & ſingulis iocalibus, clœnodiis, gemmis, lapidibus pretioſis, argentariis, & aliis bonis mobilibus, quibuſcunque nominibus vocatis, acquiſitis, ſeu in futurum acquirendis, totaliter renuntiavimus, & renuntiamus Præſentium per tenorem, promittendo, ac ſpondendo ſub bona fide, ac ſub Reginali honore noſtris, quod neque Nos neque Hæredes, ſive Poſteri noſtri, et quiſque alter noſtri nomine præmiſſorum occaſione erga præfatum Dominum, et Fratrem noſtrum Regem LADISLAUM, ſuoſque, ut præmittitur, Hæredes, & Poſteros

Anno 1454. steros masculini sexus duntaxat, nullo unquam tempore aliquam actionem, sive quæstionem iudicialem, sive extraiudicialem habere, seu movere volumus, seu debemus, sed ipsius Regnis, Terris, Dominiis, hæreditatibus, devolutionibus, aliisque rebus, tam mobilibus, quam immobilibus libere uti, frui possint, & valeant pro ipsorum libitu, & voluntate, absque nostro, & Hæredum nostrorum impedimento. Casu autem quo dictus Dominus, & Frater noster Rex Ladislaus, sive superius limitati Hæredes sui ab hac luce decederent, aliis Hæredibus ex se procreatis masculini sexus post se non relictis, quod Deus avertat, extunc Nobis, sive Haeredibus nostris praesens nostra Renuntiatio in nullo praeiudicare, sive Nos ad aliquid restringere debeat, sed eo facto omni careat roboris firmitate. Nosque tunc, & nostri Haeredes, & legitimi Successores, in omnem haereditatem Nobis de Jure debitam libere ingredi, ac succedere possumus, & valeamus, Renuntiatione praesenti Nobis in aliquo non obstante. In cuius rei evidens testimonium Sigillum nostrum Praesentibus est appensum. Datum Cracoviae feria quarta ipso die Cinerum Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Quinquagesimo Quarto.

X.

1461. *Literæ* Casimiri *Regis Poloniæ, quibus Reginæ* Elisabeth *Consorti suæ, Dotis, & Donationis propter Nuptias Nomine, certos Terrarum tractus, Civitates, Oppida, & Villas obligat.* Dat: in Nova Civitate *Korczyn* in Conventione Generali *Sabbatho ante Festum S.* Luciæ. Anno 1461 *Ex Archivo Regni Lib. 17. Numero 18. fol. 84.*

Casimirus Dei gratia Rex Poloniae nec non Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cuiaviae, Pomeraniae, Russiae, Prussiaeque Dominus, & Haeres &c. Significamus tenore Praesentium, quibus expedit, Universis, & recognoscimus tam pro Nobis, quam Haeredibus nostris, & Successoribus, qualiter volentes, ut Illustris Principis DominæElisabeth Reginae Poloniae, natae quondam Sereniſſimi Principis Domini Alberti Rom: Hungariae, Bohemiae &c. Regis, Ducis Austriae, atque Consortis nostrae charissimae status, quem pari sollicitudine cum proprio computamus, debito dirigatur ordine, morteq; nostra secuta posset esse pacificus, tranquillus, & quietus, et ipsa Domina Elisabeth Regina, quemadmodum sua requirit conditio, omnium rerum pro deducendo suo statu abundet affluentia, et ubertate, ipsi Dominae Elisabeth et Reginae pro vera et legitima Dote centum millia florenorum Hungaricalium, alia centum millia florenorum Hungaricalium ratione dotalitii seu donationis Nuptialis, alias *Wiana*, donamus, conferimus, et largimur, ac Terras, Districtus, Castra, Civitates, Oppida, et Villas infrascriptas, videlicet Novae Civitatis Korczyn, Vislicienſem, Zarnovienſem, Radomienſem, Jedlna, et Kozinicze Villas, ac Villam Lobzow ante Civitatem Cracovienſem sitam, nec non Chencinenſem, Radoszycenſem, Lancicienſem, Predecenſem, cum Clodawa Oppido, Coninenſem, Pisdrenſem, Junivladislavienſem, cum eorundem Castrorum, Districtuum, Civitatum et Oppidorum Villis, Praediis, Allodiis, Curiis, fructibus, proventibus, censibus, utilitatibus, Dominiis, Juribus, pertinentiis, attinentiis, appensionibus, Teloneis, ac Civitatum, Oppidorum, et Villarum praedictarum exactionibus, & duorum grossorum, dicto *Poradlne*, Contributionibus, et usibus universis, quomodolibet ad ipsa spectantibus ab antiquo, ac servitiis, dignitatibus, honoribus, Jure Patronatus, nec non in Radzieiow, & Słonsko Teloneis, in ducentis millibus florenorum Hungaricalium in Dote, et dotalitio dedimus, donavimus, et deputavimus, imo damus, donamus, assignamus, deputamus, largimur, concedimus, impertimur per Praesentes, ut illis omnibus praesit, et omnia cum pleno Jure Dominii possideat, post nostrum ab hac luce decessum, eo modo, conditione, et forma, quibus Nos ipsi potimur, et Antecessores nostri, atque Nos potiti sumus in tempus praesens, nihil penitus excipiendo, iuxta Terrae consvetudinem, absque omni nostrorum Successorum contradictione, et impedimento, promittentes pro Nobis, Haeredibusq; et Successoribus nostris praefatam Elisabeth Dominam et Reginam in dictis Terris, Districtibus, Castris, Civitatibus, Oppidis, Villis, Bonis, Possessionibus expedire, certificare, manutenere, tueri adversus quemlibet hominum, quae omnia supradicta sic, ut praemissum est, possidebit, et percipiet cum effectu, absque omni impedimento, et obstaculo, pacifice, et quiete sine fraude, et dolo. Efficiemusque, et efficere Nos astringimus, quod omnes praedictarum Anno 1461.

ANNO 1461. ctarum Terrarum, Diſtrictuum, Caſtrorum, Civitatum, Oppidorum, Villarum Capitanei, Rectores, Tenutarii, Cives praeſentes, et futuri ipſi Dominae ELISABETH Reginae plenam praeſtabunt ſponſionem, et fidelitatis corporale Juramentum, quod nulli alteri niſi ipſi Dominae Reginae ELISABETH, morte noſtra ſecuta, Caſtra, Diſtrictus, Terras, Civitates, Oppida & Villas praefatas plenarie et effectualiter tradent, dabunt, conſignabunt, et illorum omnimodam plenamq; facient ceſſionem, et reſignationem, et ipſi Dominae ELISABETH Reginae in omnibus parebunt fideliter, et conſtanter, prout Nobis, et noſtris Succeſſoribus conſveverunt parere, intendere, et obedire. Hoc adiecto, ut in caſu, quo aliqualis contributio in neceſſitate Regni, ex laudo aliquo tam de bonis regalibus, Civitatum ſcilicet, vel Villarum fuerit inſtituta, ut extunc bona Dotalitii ipſius Dominae Reginae praefata ad contribuendum aliis Regnicolis ſe conformando, in noſtraque vel Regni noſtri neceſſitate Literis etiam regalibus requiſita, more aliarum Civitatum, ad dandas podvodas ſint aſtricta. Quodque Judicia Terreſtria Capitanealia, Caſtrenſia, et Regalia ſine requiſitione ipſius Dominae ELISABETH Reginae, et ſuorum Capitaneorum in eiſdem exerceantur et celebrentur, de quibus ipſa Domina ELISABETH Regina, et ipſius Capitanei penitus ſe non debent ingerere, aut quomodolibet immiſcere. In cuius rei fidem Praeſentes fieri et Sigillo noſtro muniri fecimus. Actum et datum in Nowemiaſto Korczyn, in Conventione Generali, Sabbatho ante Feſtum Sanctae LUCIÆ Virginis proximo, Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo primo.

## XI.

1462 *Fœdus amicitiæ, Fraternitatis, & Unionis inter* CASIMIRUM *Regem Poloniæ, &* ALBERTUM *Archiducem Auſtriæ concluſum, ſalvo iure Regis Poloniæ exigendi a Domo Auſtriaca ſummam ducentorum millium aureorum nummorum ſibi debitam, Literisque* LADISLAI *Ungariæ, & Bohemiæ Regis hac de re* (Anno 1453) *datis, integris manentibus.* Datum Poſnaniæ Feria ſecunda in craſtino Sanctæ & Individuæ Trinitatis *Anno 1462.*

*Ex Archivo Regni Liber 3. Lit. C. Numero 4 fol. 546.* ANNO 1462.

CASIMIRUS DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Dominus, & Haeres &c. Significamus tenore Præſentium quibus expedit Univerſis. Quomodo penſata ſingulari benivolentia, affectione, ſincerisſimaeque, & inclytae amicitiae firmitate, quibus Praedeceſſores noſtri colendae memoriae Reges Poloniae cum glorioſiſſimis Dominis Ducatus Auſtriae Ducibus, non ſolum amice vixiſſe, verum etiam ipſam amicitiam nonnunquam affinitate, conſangvineitateq; firmaſſe comperimus, tum illorum exemplo, tum etiam nonnullis ſingularibus reſpectibus moti, cum Illuſtri Principe Domino ALBERTO Dei gratia Archiduce Auſtriae, Stiriae, Carinthiae, & Carniolae, Domino Marchiae Sclavonicae, & Portus Naonis, Comite in Habsburg, Pherretas, & in Kiburg, Margrabio Burgaviae, et Landgravio Alſaciae &c. Fratre noſtro cariſſimo, cum quo ingenuae Proſapiae conſangvinitate iuncti ſumus, Faedus Unionis, et fraternae concordiae pepigimus, contraximus, & ſuſcepimus, tenoreque Praeſentium inimus, ſuſcipimus, & contrahimus, modo, & ordine infraſcriptis. Videlicet quod ipſum Dominum ALBERTUM Archiducem omni honore, fide, & amore proſequi et promovere debemus, et volumus in omnibus locis et temporibus, ubi Nobis id faciendi facultas ſe obtulerit, nolumuſque, nec debemus ipſi Domino Archiduci, ſuaeque Serenitatis familiaribus ſubditis, et adhaerentibus ſuis, nec non Principatibus, Ducatibus, Terris, Diſtrictibus, Civitatibuſque ſibi ſubiectis, et ſub eius obedientia et defenſione conſtitutis quacunque ex cauſa gverras facere, et movere, eaſdemque diffidare, aut hoſtiliter impetere per Nos, aut ſubmiſſas Perſonas, omni dolo, et fraude ſemotis. Tenemurque, et ſimili modo debemus ſubditis noſtris, et ad Nos pertinentibus, ac ſub obedientia noſtra conſtitutis prohibere, nec praemiſſa eis intentanda, et facienda permittere, quodque ſubditi memorati Domini ALBERTI Archiducis, et qui eius defenſione gaudent, et fruuntur, plenam ſecuritatem, et ſalvum conductum habebunt, et habere debebunt in Regno, Ducatibus, Terris, et Dominiis noſtris, obedientiaeque noſtrae ſubiectis, tam in veniendo, dum voluerint, quam ſtando, et recedendo, ſub hac tamen conditione, quod ſi aliqui ex

ANNO 1462. subditis saepefati Domini ALBERTI Archiducis cum nostris subditis agere et facere habuerint, de condigna et consveta Provinciarum nostrarum iustitia, et Jure in Regno, Ducatibus, Dominiis, et Territoriis nostris contenti censebuntur, & esse debebunt, omni dolo, & fraude in his omnibus semotis. Quæ quidem Unio, & fraterna confæderatio robur firmitatis obtinebit, quamdiu Nobis divina clementia vitæ nostræ largietur incolatum, salvis tamen Juribus & Inscriptionibus Nobis, & Sereniſſimæ Dominæ ELISABETH Reginæ Poloniæ Consorti nostræ cariſſimæ in vim Dotis promiſſæ, & assignatæ, datis, factis, & quomodolibet competentibus, quibus præmiſſa nostra firma ordinatio & amicabilis Unio in aliquo minime nocebunt, aut quovis modo derogabunt. Harum quibus Sigillum Præsentibus est subappensum testimonio Literarum. Datum Posnaniæ Feria secunda in crastino Sanctæ & Individuæ Trinitatis Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Secundo.

*Relatio Domini Vice Cancellarii.*

XII.

1462. *Tabulæ eiusdem Fœderis ex parte* ALBERTI *Archiducis Austriæ.* Dat. in Homicz die 20. Mensis Septembris Anno 1462. *Ex Originali. Extat in Archivo Cancel: Regni. Liber 3. Num. 4. fol. 497.*

ALBERTUS Dei gratia Archidux Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, & Carniolæ, Dominus, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, & Portus Naonis, Comes in Habsburg, Tyrolis Pherretas, & in Kiburg, Margravius Burgaviæ, & Landgravius Alsaciae. Notum facimus tenore Praesentium significantes, quibus expedit Universis, Quomodo pensata illa singulari benivolentia, & affectione, quibus Praedeceſſores nostri Principes Austriae, cum Sereniſſimis Regibus Poloniae, eorumque inclyto Regno, Ducatibus, & Terris non solum amice vixiſſe, verum etiam amicitiam nonnunquam affinitate, consangvinitateque firmaſſe comperimus, tum illorum exemplo, tum etiam aliis multis respectibus cum Sereniſſimo Rege Domino CASIMIRO, Rege Poloniae, Magno Duce Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiaeque Domino, & Haerede, Fratre nostro cariſſimo Faedus Unionis, & fraternae concordiae pepigimus, contraximus, & suscepimus, tenoreque Praesentium inimus, suscipimus, & contrahimus modo, & ordine subscriptis. Videlicet quod ipsum Dominum CASIMIRUM Regem omni honore, fide, & amore prosequi, & promovere debemus, & volumus in omnibus locis, & temporibus, ubi Nobis id faciendi facultas se obtulerit, dolo, & fraude cessantibus. Nolumusque nec debemus suam Fraternitatem Sereniſſimaeque suae Dominationis familiaribus, subditis, & adhaerentibus suis, nec non Regnis, Principatibus, Ducatibus, Terris, & Districtibus, Civitatibusque sibi subiectis, & sub eius obedientia, & defensione constitutis, quacunque ex causa Gverras facere, & movere, eosdemque diffidare, aut hostiliter impetere per Nos, aut submiſſas Personas, fraude & dolo semotis, tenemurque, & simili modo debebimus subditis nostris, et ad Nos pertinentibus, ac sub obedientia nostra constitutis prohibere, nec præmiſſa eis intentanda & facienda permittere, & quod subditi memorati Domini CASIMIRI Regis, & qui eius defensione, ac protectione gaudent, & fruuntur, plenam securitatem & salvum Conductum habebunt, & habere debebunt in Principatibus, Ducatibus, Terris, & Dominiis nostris, obedientiæq; nostris subiectis, tam in veniendo, dum voluerint, quam stando, & recedendo, sub hac tamen conditione, quodsi aliqui ex subditis nostris cum sæpe fati Domini CASIMIRI Regis subditis agere aut facere habuerint, extunc ex condigna, & consveta Provinciarum nostrarum iustitia, & iure, in Principatibus, Ducatibus, Dominiis & Territoriis nostris contenti erunt, & esse debebunt omni dolo, & fraude, in his omnibus semotis. Quæ quidem Unio, & fraterna Confæderatio robur firmitatis habebunt, & obtinebunt a data Præsentium per vitam nostram. Salvo tamen in omnibus iure Dotis Sereniſſimæ Dominæ ELISABETH Reginæ Poloniæ, Consangvineae nostrae cariſſimae, Literisque & munimentis desuper factis, & obtentis, quibus per hanc nostram Unionem nolumus in aliquo praeiudicare, aut quovis modo derogare. Harum quibus Sigillum nostrum Praesentibus est subappensum testimonio Literarum. Datum in Oppido nostro Homicz Viceſima die Mensis Septembris, Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Secundo.

ANNO 1562.

XIII.

ANNO 1470.

XIII.

*Tractatus Fœderis perpetui inter* FRIDERICUM III *Imperatorem, Ungariæ &c. Regem, nec non* CASIMIRUM *Poloniæ Regem, ac inter Liberos, Hæredes, Regna & Subditos utriusque concluſi, quo pro ſuo, & Succeſſorum ſuorum honoris, dignitatis, ac ſtatuum incremento mutuam ſibi opem, auxilia, & defenſionem promittunt.* Dat. in Gretz die 20 Menſis Octobris Anno 1470. *Ex Originali. Extat in Archivo Regni Lib.* 8. *Lit. H. Num.* 9. *fol.* 180.

FRDIERICUS Divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper AUGUSTUS, Hungariæ, Dalmatiæ Croatiæ Rex, ac Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, & Carniolæ Dux, Dominus Marchiæ Slavonicæ, & Portus Naonis, Comes in Habsburg, Tyrolis, Perretas, & Kiburg, Marchio Burgaviæ, & Landgravius Alſaciæ. Et CASIMIRUS eadem favente clementia Rex Poloniæ Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ Pruſſiæque Dominus, & Hæres &c. tenore Præſentium recognoscimus pro Nobis, Liberis, & Hæredibus noſtris, et notum facimus Univerſis. Ad hæc profecto inter ceteras Chriſtianorum Principum curas, & ſollicitudines, quibus iugi lucubratione, & aſſidua mentis meditatione, pro ſubditorum commodis, & quiete invigilare debent, præcipua verſabitur intentio, & recte præſidentium ſolers ſtudium, & finis eſſe debet, ut Regi Regum, per quem Regna ſubſiſtunt, & Imperia viciſſitudinem rependunt, Chriſtiani Nominis gloriam exaltent, & populum ſuum ſibi ſubditum in tranquillitate, & feliciſſimo Pacis otio dirigant, ac gubernent, quæ quidem tunc efficacius, commodiusque effici poterunt, cum Mundi Principes concordi ſtudio, & unanimi conſenſu in unam mentis intelligentiam conveniant, & indiſſolubilis Pacis fidem, ſemotis discordiis, debitæ viciſſitudinis officio convertantur, ac eorum unita virtus concorsque potentia unanimi voto, & voluntate dirigantur: per hoc quidem Chriſtianorum Respublica adaugetur, inimicorum Crucis Chriſti reprimitur audacia, & ſubditorum quies, & incrementum in Pacis dulcedine confovetur. His aliisque conſiderationibus moti, attendentes etiam innatum amorem, benevolentiam, & conſangvinitatis vinculum, quo conſtringimur, nec non noſtrum Liberorum, & Hæredum noſtrorum honoris, dignitatis, & Statuum incrementum, ac Pacem, et augmentum Regnorum, Principatuum, Dominiorum, ſubditorum noſtrorum, horumque intuitu, & ut huiusmodi amor, benevolentia, & amicitia futuris perpetuis temporibus inter Nos, Liberos, et Hæredes noſtros firma, et indiſſolubilis permaneat. Nos invicem univimus, obligavimus, promiſimus, alligavimus, et confæderavimus ac per Præſentes unimus, obligamus, promittimus, alligamus, et confæderamus ita et taliter, quod exnunc in antea, perpetuo, realiter, et cum effectu invicem, et mutuo obligati, et confæderati ſimus, et erimus, et inter Nos, Liberos, Hæredes, et ſubditos noſtros, nec non Regna, Principatus et Dominia noſtra, quæ nunc poſſidemus, et Deo concedente in futurum acquiremus, et poſſidebimus, firma, conſtans, perpetua, indiſſolubilisq; et Chriſtiana Pax eſſe, et ſervari debet, ac debebit, in omnibusque noſtrum, Liberorum, et Hæredum noſtrorum honorem, dignitatem, ſtatum, et augmentum concernentibus, et concernere valentibus, Nos mutuo auxiliabimur, conſulemus, promovebimus, et aſſiſtemus, nec ullus noſtrum quidcunque faciet, cupiet, pertractabit, aut molietur, quod contra alterutrum noſtrum, Eius Liberos, Hæredes, Regna, Principatus, Dominia, ſubditos, honorem, ſtatum, dignitatem, aut augmentum ſit, ſeu eſſe, aut tendere poſſit. Neque aliquis ex Nobis alteri noſtrum, ipſius Liberis, Hæredibus, Regnis, Principatibus, Dominiis, ſubditis, bellum, dampnum, aut quodvis aliud nocumentum inferet, nec a ſuis quovis quæſito colore inferri permittet, ſed quilibet noſtrum contra ſubditos ſuos, qui huiusmodi faciunt aut facere et moliri vellent, totis viribus ſuis, et potentia in Terris, et Dominiis ſuis insurget, et eos pro huiusmodi exceſſibus pœna condigna feriet, et caſtigabit, donec damporum datorum integram emendam, et refuſionem facient. Præterea nullus noſtrum ad alterius Hæreditaria Regna, Principatus, Dominia, et ſubditos aſpirare, aut anhelare debet, nec alterius noſtrum Principatus, Dominia, et ſubditos, ſi quos, quod Deus avertat, ab alterutro, eius Liberis, aut Hæredibus deficere, recedere, aut rebellare contingeret, contra alium, eius Liberos, Hæredes, Regna, Principatus, Dominia, aut ſubditos ſuscipere, tenere protegere, iuvare, aſſistere, neque conſulere, aut favoriſare debet, neque a ſuis talia fieri patiatur, ſe contra tales infideles, et rebelles unus alteri auxiliabitur, et aſſiſtet

ANNO 1470.

Sedem na Królestwo drugiego nie mamy, ani sobie pomagać; owszem przeciwnie sprzymierzeni bracia winni, gdyby przeciw nim wojnę ktoś zaczął.

ANNO 1470. atque a Dominis ſuis excludet, et repudiabit. Si vero unus Noſtrum, Eius Liberi, Hæredes, Regna, Principatus, Dominia, aut ſubditi contra alterum noſtrum, ipſius ſubditos, Principatus, aut Dominia, actionem realem, ſeu perſonalem, civilem, aut criminalem, aut qualemcumque querelam habet, aut in futurum habere prætendet, ſi ſuper ea non poſſimus amicabiliter concordari, tunc nullus noſtrum, neque ſubditi noſtri contra alterum, ipſius Subditos, Regna, Principatus, et Dominia, quacunque via facti attemptare, neque ſibi ipſi Jus dicere, aut ulciſci, ſed ſuper eo de jure & non aliter experiri debet. Et pro præmiſſorum omnium firmitate, & robore Nos per Oratores noſtros ſufficienti ad hoc ſuffultos Mandato, pro Nobis, Liberis, & Hæredibus noſtris omnia, & ſingula ſupradicta, rata, grata, & firma inviolabiliter obſervaturos in Verbo Imperiali, & Regio, & ſub utriuſque noſtrum Juramento, hinc inde promiſimus, pacti, & polliciti ſumus. Et quando perſonaliter conveniemus, illa corporali Juramento corroborabimus, dolo, & fraude ſemotis quibuſcunque. Harum teſtimonio Literarum, quarum quilibet noſtrum unas ſimili ſub tenore, ſub utriuſque noſtrum Maieſtatis Sigillis appendentibus habet munitas, datas in Gretz die decima Menſis Octobris. Anno Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo.

## XIV.

1471. *Literæ* FRIDERICI *Imperatoris, quibus pollicetur ſe ſummam triginta duorum millium aureorum Ungaricalium, iam olim* CASIMIRO *Poloniæ Regi ex Ducatu Auſtriæ debitam, intra ſpatium unius anni eidem exſoluturum.* Dat. Græcii 13 Octob: Anno 1471. *Ex Originali.*

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, nec non Hungariae, Dalmatiae, Croaciae &c. Rex, ac Auſtriae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae &c. Dux, Recognoſcimus pro Nobis, & Succeſſoribus, Haeredibuſque noſtris. Quod cum glorioſae memoriae cariſſimus Patruus noſter LADISLAUS Rex Illuſtriſſimo Principi D. CASIMIRO Regi Poloniae Fratri noſtro dilectiſſimo Illuſtriſſimam Principem ELISABETH Reginam Poloniae Sororem ſuam, amitam noſtram gratioſam Matrimonio coniungens, eidem in Dotem triginta duo millia florenorum Hungaricalium ratione duntaxat Ducatus Auſtriae, aſſignaverit; Summa tamen praedicta triginta duorum millium florenorum Hungaricalium hucuſque cariſſimo Fratri noſtro Regi Poloniae ex praefato Ducatu exſoluta non fuerit, proinde notum facimus tenore Praeſentium, & in Verbo noſtro Imperiali aſtringimur, Nos praedicta triginta duo millia florenorum Hungaricalium ratione Dotis ex Ducatu noſtro Auſtriae debita, intra unius anni ſpatium hinc a Feſto Nativitatis Chriſti Domini proxime venturo, abſque omni ulteriore mora, & tergiverſatione exſoluturos, atque noſtris impenſis Norimbergae depoſituros, indeque citra ullum damnum fideliter ad manus eiuſdem deportaturos. Dat. Graecii feria ſexta in die S. Colomani. Anno poſt Nativitatem Chriſti 1471. Imperii noſtri 31. Regni Hungariae 12. ANNO 1471.

## XV.

*Confœderatio inter* FRIDERICUM *Imperatorem, &* CASIMIRUM *Regem Poloniæ, contra* MATHIAM *Ungariæ Regem, qua tempus expeditionis condicunt, atque, ut durante hoc bello uterque eorum in Caſtris ſuis præſto adſit, invicem ſe obligant.* Datum Nurembergæ 13. Menſis Martii Anno 1474. *Ex Originali* Sigil. 2. 1474.

FRIDERICUS Divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hungariae, Dalmatiae, Croatiae &c. Rex, ac Auſtriae, Stiriae, Carinthiae, & Carniolae Dux, Comeſque Tirolis &c. Et Nos CASIMIRUS Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiaeque Dominus, & Haeres &c. Recognoſcimus, & notum facimus Univerſis. Quoniam cura, ſtudiumque Principum, & Generoſiſſimorum animorum ad id ſemper praecipue invigilat, & iugi, ac ſolerti mentis meditatione, & ſollicitudine eſt intenta, ut ſei in ſuis dignitatibus, & honoribus conſervent, ſubditi felici otio, & pace gaudeant, & ab iniuriis, & violentiis tueantur, ſe non ſolum felices exiſtimantes, cum ſua auxerint, & tueantur, ſed & cum propinquorum, & amicorum ſaluti bene, rectеque conſuluerint. Conſiderantes itaque dampna, violentias, et iniurias, quibus MATHIAS Rex, Regnum, Principatus, Dominia, ac Subditos noſtros, abſque omni rationabili cauſa contra

ANNO 1474.

tra iuſtitiam igne, ac ferro per ſe, ac ſuos iam multo tempore ſine intermiſſione generaliter, graviter afflixit, et multipliciter depopulatus eſt. Quodque ipſe Rex Turcos ipſos Chriſtiani Nominis immaniſſimos hoſtes libere cum Exercitu per Regnum Hungariae proficiſci permittendo ad Terras, Dominiaque noſtra direxit ad grave dampnum, et iacturam Terrarum, et ſubditorum noſtrorum, ac totius Reipublicae Chriſtianae, ac complures Barones, et Nobiles noſtros adverſus Nos ad rebellionem concitavit, et in ſuam tuitionem, ac defenſionem recepit, & adhuc tenet ad perniciem Dominiorum, et ſubditorum noſtrorum. Quam obrem moti etiam mutui amoris, ac ſangvinis vinculo, quo invicem conſtringimur praeſertim, ut Nos, Regnum, Terras, Principatus, Dominia, et ſubditos noſtros adverſum huiuſcemodi iniurias, violentias, dampna, et gravamina commodius tueri, et infidelium arma, et incurſus temperare facilius valeamus, maturis deliberatione, et conſilio praehabitis, ex certa ſcientia Nos ſimul adverſus praefatum Regem MATHIAM, ac omnes eius adiutores, fautores, et adiutorum ſuorum auxiliatores, ac ſibi adhaerentes, et coniunctos, cuiuſcunque ſtatus, ac conditionis exiſtant, nemine dempto univimus, inscripſimus, confaederavimus, et colligavimus, unimuſque, inſcribimus, confaederamus, et colligamus per Praeſentes. Quod Nos Rex CASIMIRUS ad proximum Feſtum S. Joannis Baptiſtae, aut ſi neceſſitas rei prius exigat, celerius, et fidelius, ut ſciemus, et poterimus, cum potentia, et Exercitu noſtro taliter, ut vim, et pugnam excipere, et ferre poſſumus, adverſus praefatum Regem MATHIAM procedemus, ac ipſum, et eius adiutores, et auxiliatores, et omnes ſibi exnunc, et in futurum aſſiſtentes, & adhærentes pro toto poſſe noſtro ſincere hoſtiliter, & exercitualiter invademus, impugnabimus, & dampnificabimus, debellabimus, et moleſtabimus, et in Exercitu, et Caſtris perſonaliter contra eum manebimus, uſq; ad Feſtum S. Jacobi proxime futurum. Pro quo quidem Feſto S. Jacobi Nos FRIDERICUS Romanorum Imperator ſi ſaltim antea non poterimus, cum potentia, & Exercitu noſtro ſic, ut pugnam ac vim excipere, & ferre poſſimus, in Regnum Hungariæ perſonaliter, aut caſu quo alter noſtrum, vel uterque neceſſitate exigente perſonaliter, intereſſe non poſſemus, per Capitaneos noſtros adverſus eundem Regem MATHIAM, ac omnes eius auxiliatores, fautores, & auxiliatorum adiutores, & eis aſſiſtentes, adhærentes, & connexos tanquam contra hoſtes intrabimus, eis nocebimus, & reſiſtemus, & ſincere fideliter, & diligentius, quo poſſumus, Nos mutuo adiuvabimus, & Nobis invicem aſſiſtemus, quamdiu conditio, ac rei neceſſitas poſtulabit. Nulluſque noſtrum cum perſona ſua ab Exercitu recedet, nec ſuos de Regno Hungariæ, ac Exercitu removebit, nec revocabit, nec cum dicto Rege MATHIA, neque eius adiutoribus, & ſibi adhærentibus, ac adiutorum ſuorum auxiliatoribus ullam Pacem, treugas, belli ſufferentias, concordiam, ligas, intelligentiam, aut Tractatus amplecti, nec inire, neque facere debet, niſi cum ſcitu, & voluntate noſtrorum omnium, ſed volumus Nos contra eundem Regem MATHIAM cauſam ipſam, ac bellum fideliter, pure, & conſtanter exercere, & continuare, ad cuiuslibet noſtrum commodum, & detrimentum. Et ſi contingeret, quod dictus Rex MATHIAS contra unum ex Nobis, aut adiutoribus noſtris in Regno Hungariæ, aut extra ipſum Regnum in Dominiis ſuis cum potentia ad opprimendum eum irrueret, eidem reliqui omnes ſuccurrere, & fideliter eum tueri debent, ut idem Rex MATHIAS adverſus illum nequeat prævalere. Si vero ex Regnicolis Hungariæ unus, aut plures, ad unum, aut plures ex Nobis deficere continget, ille, ac illi omnes, & eorum ſubditi ammodo a Nobis, neq; ab aliquo noſtrorum impugnari, nec dampnificari, ſed & defendi, & tueri per Nos omnes ac quemlibet noſtrum debent. Nolumus etiam per quaſcunq; ligas, intelligentias, Confæderationes, & Inſcriptiones per Nos ante hanc noſtram ligam, intelligentiam, Confæderationem, & Inſcriptionem cum quibuſcunque, nemine dempto, factas, huic ligæ, Confæderationi, & Inſcriptioni noſtræ in aliquo præiudicari, ligis tamen, Inſcriptionibus, quæ inter Nos, ac Regnum noſtrum Poloniæ, ac Domum Auſtriæ ſunt, & emanarunt, in omnibus, & per omnia in ſuo robore duraturis, quibus per hanc noſtram ligam, intelligentiam, Confæderationem, & Inſcriptionem nolumus in aliquo derogari, dolo, & fraude ſemotis quibuſcunque. Harum teſtimonio Literarum utriuſq; Maieſtatum noſtrarum Sigillorum appenſione munitarum. Datum in Civitate Nurembergenſi die tredecima Menſis Martii Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo 4to.

ANNO 1474.

ANNO 1474.

XVI.

*Confœderatio inter Eoſdem præcedenti ſimilis.* Datum in Civitate Auguſtenſi feria quarta infra Octavam Viſitationis Mariæ Virginis Anno. 1474. *Ex Originali.* Cum Sigil. Imp.

NOs FRIDERICUS Divina favente Clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croaciæ, &c. Rex, ac Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, & Carniolæ Dux, Comeſque Tirolis &c. Et Nos CASIMIRUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, nec non Culmenſis, Elbingenſis, ac Pomeraniæ Dominus, & Hæres. Recognoſcimus, & notum facimus Univerſis. Quoniam cura, ſtudiumque Principum & Generoſisſimorum animorum ad id ſemper præcipue invigilat, & iugi, ac ſolerti mentis meditatione, & ſollicitudine eſt intenta, ut ſe in ſuis dignitatibus, & honoribus conſervent, ſubditi felici otio, & Pace gaudeant, & ab iniuriis & violentiis tueantur, ſe non ſolum felices exiſtimantes, cum ſua auxerint, & tueantur, ſed & cum propinquiorum, & amicorum ſaluti bene, rectęq; conſuluerint. Conſiderantes itaque dampna, violentias, & iniurias, quibus MATHIAS Rex Regnum, Principatus, Dominia, ac Subditos noſtros abſque omni rationabili cauſa contra iuſtitiam, igne, & ferro, per ſe, ac ſuos iam multo tempore ſine intermiſſione graviter afflixit, & multipliciter depopulatus eſt. Quodque ipſe Rex Turcos ipſos Chriſtiani Nominis immaniſſimos hoſtes libere cum Exercitu per Regnum Hungariæ proficiſci permittendo ad Terras, Dominiaque noſtra direxerit ad grave dampnum, & iacturam Dominiorum, & ſubditorum noſtrorum, ac totius Reipublicæ Chriſtianæ, ac complures Nobiles, & Barones noſtros adverſus Nos ad rebellionem concitavit, & in ſuam tuitionem, ac defenſionem recepit, & adhuc tenet ad perniciem Dominiorum, & Subditorum noſtrorum. Quamobrem moti etiam mutui amoris, & ſangvinis vinculo, quo invicem ſtringimur, præſertim, ut Nos Regnum, Principatus, Dominia, & ſubditos noſtros adverſus huiuſmodi iniurias, violentias, gravamina, & dampna commodius tueri, & infidelium arma, & incurſus reprimere facilius valeamus, maturis deliberationibus, & conſilio præhabitis ex certa ſcientia Nos ſimul adverſus præfatum MATHIAM Regem, ac omnes eius adiutores, fautores, & adiutorum ſuorum auxiliatores, ſibique adhærentes, & coniunctos, cuiuſcunque Status, & Conditionis exiſtant, nemine dempto univimus, inſcripſimus, confæderavimus, & colligavimus, unimuſque, inſcribimus, confæderamus, & colligamus per præſentes. Quod uterque noſtrum cum potentia, & Exercitu noſtro, ſic ut pugnam, ac vim excipere, & ferre poſſimus, adverſus praefatum Regem MATHIAM Nos invicem adiuvabimus, ipſumque, & eius adiutores, auxiliatores, & ſibi exnunc, & in futurum adhaerentes, aſſiſtenteſque pro toto noſtro poſſe hoſtiliter & exercitualiter invademus, impugnabimus, dampnificabimus, debellabimus, & moleſtabimus, aut caſu quo uterque noſtrum neceſſitate inevitabili exigente perſonaliter intereſſe non poſſemus, per Capitaneos noſtros adverſus eundem MATHIAM Regem, ac omnes eius auxiliatores, fautores, & auxiliatorum adiutores, & eis aſſiſtentes, adhaerentes, & connexos tanquam contra hoſtes noſtros intrabimus, eiſque nocebimus, & reſiſtemus, ſincereque, fidelius, & diligentius, quo poſſumus, Nobis invicem aſſiſtemus, quamdiu conditio, & rei neceſſitas poſtulabit, ac contra Regem praefatum una ſimul in locum, de quo tunc in primo noſtro congreſſu invicem fuerimus concordes, & qui locus rebus noſtris communibus conduceret, procedemus, nulluſque noſtrum cum perſona ſua ab exercitu recedet, nec ſuos de loco praedicto, ac Exercitu removebit, nec revocabit, nec cum dicto Rege MATHIA, nec eius adiutoribus, & ſibi adhaerentibus, & adiutorum ſuorum auxiliatoribus ullam Pacem, treugas, belli ſufferentias, concordiam, ligas, intelligentiam, aut Tractatus amplecti, nec inire, neque facere debet, niſi cum ſcitu, & voluntate noſtrum omnium; ſed volumus Nos contra eundem Regem MATHIAM cauſam ipſam, ac bellum fideliter, pure, & conſtanter exercere, & continuare ad cuiuſcunque noſtrum commodum, et detrimentum. Et ſi contingeret, quod dictus MATHIAS Rex contra unum ex Nobis, aut adiutoribus noſtris ex Regno Hungariae, aut aliis quibuſcunque Dominiis ſuis cum potentia ad opprimendum eum irrueret, eidem omnes reliqui ſuccurrere, et fideliter eum tueri debent, ut idem Rex MATHIAS adverſus illum non queat praevalere. Si vero ex Regnicolis, aut ſubditis praefati Regis MATHIÆ unus, aut plures ad unum, aut plures ex Nobis deficere contingeret, ille aut illi omnes, et eorum ſubditi, amodo a Nobis, neque ab aliquo noſtro-

ANNO 1474.

ANNO 1474. noſtrorum impugnari, neque dampnificari, ſed, et defendi, et tueri per Nos omnes quemlibet noſtrum debent. Nolumus etiam per quaſcunque ligas, intelligentias, Confaederationes, et Inſcriptiones per Nos ante hanc noſtram ligam, intelligentiam, Confaederationem, et Inſcriptionem cum quibuscunque, nemine dempto factas, huic ligae, Confaederationi, et Inſcriptioni noſtrae in aliquo praeiudicari, ligis tamen, et Inſcriptionibus, quae inter Nos, et Regnum noſtrum Poloniae, ac Domum Auſtriae ſunt, et emanarunt, in omnibus, et per omnia in ſuo robore duraturis, quibus per hanc noſtram ligam, intelligentiam, Confaederationem, et Inſcriptionem nolumus in aliquo derogare, dolo, & fraude ſemotis quibuscunque. Harum teſtimonio Literarum utriuſque Maieſtatum noſtrarum Sigillorum appenſione munitarum. Datum in Civitate Auguſtenſi feria quarta infra octavas Viſitationis Mariae V. Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quarto.

XVII.

1515. SIGISMUNDUS *Rex Poloniæ* MAXIMILIANO *Imperatori pro agendo Viennæ perſonali Conventu.* Dat. Poſonii die 7. April. Anno 1515. *Ex Archivo Regni*

Sereniſſimo Principi Domino MAXIMILIANO divina favente clementia Electo Romanorum Imperatori, ſemper Auguſto, & Archiduci Auſtriæ &c. Fratri, & Conſangvineo ſuo chariſſimo, & obſervandiſſimo SIGISMUNDUS eadem Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque &c. Dominus & Hæres Salutem & felicitatem. Sereniſſime Princeps, & Domine Frater & Conſangvinee noſter chariſſime, ac honorandiſſime. Scimus veſtram Maieſtatem non ignorare, Sereniſſimi Fratris noſtri Domini Hungariæ, & Bohemiæ Regis conſilio confectum eſſe, ut ad præſens tempus adventum hunc noſtrum maturare non differremus, ut cum veſtra Maieſtate una convenientes opera eiusdem Sereniſſimi fratris noſtri Domini Hungariæ Regis, id in primis ageremus, ut depoſitis ſimultatibus & latentib9 quibuſdam odiis nulla fortaſſe iuſta cauſa ſuſcitatis, et exortis, in gratiam redeamus, revocatoque & renovato inter Nos priſtino amore, ex paterni, & materni ſangvinis vinculo Nobis utrinque debito, omni cura, & ſtudio enitamur, & elaboremus, ut de Republica Chriſtiana coniunctis viribus, & conſiliis bene mereamur. Nos quidem poſteaquam ab ipſo Sereniſſimo Fratre noſtro hac de re certiores facti ſumus, magnis licet terrarum intervallis disiungeremur, atque in eo bello eſſemus, quod cum hoſte potentiſſimo de ſumma rerum gerimus, extemplo tamen omnes cogitationes noſtras ad id deflectendum non dubitavimus, ut ſuæ Serenitatis voluntati in hoc morem gereremus: rati ex hoc communi noſtro congreſſu id naſciturum eſſe, quod eidem Reipublicæ Chriſtianæ bonum, felix, & fauſtum ſit futurum, noſtrumque ſingulis, & Familiæ noſtræ honorificum, & glorioſum. Certiſſimam autem ſpem habemus, ſi Maieſtas veſtra animum ad id appellere voluerit, ut cum ipſo Sereniſſimo Fratre noſtro, et item nobiſcum Conſangvineis ſuis congredi, uti ſperamus, dignabitur, multa eſſe hinc ventura, quæ congreſſum ipſum noſtrum celebrem, longoque tempore memorabilem ſint effectura. Ea vero, quæ & qualia ſint futura, exiſtimamus operæ pretium non eſſe literis explicare, cum veſtra Maieſtas ea (quæ ſua ſapientia eſt) per ſe non ignoret. Ut igitur adventum ad Nos ſuum maturare dignetur, etiam atque etiam rogamus. Veniet enim Maieſtas veſtra expectatiſſima, cuius adventu multa, quæ noxia ſunt futura, conquieſcent, multaque item utilia & honeſta ſument parturiendi initium, non multo poſt uberrimum proventum optimarum rerum paritura. Cupimus veſtram Maieſtatem felicem, & incolumem vivere. Cuius favori Nos plurimum commendamus. Datum Poſonii ſeptimo Idus Aprilis Anno Domini 1515. Regni noſtri Anno nono. ANNO 1474.

*Commiſſio propria Regiæ Maieſtatis.*

XVIII.

SIGISMUNDI *Poloniae Regis Conditionum Pacis, & amicitiæ inter ſe, &* MAXIMILIANUM *Imperatorem cum* MATTHAEO *Cardinali Gurcenſi Oratore Imperiali, in Conventu Poſoniano condictarum Approbatio.* Datum Poſonii 20. Menſis Maii Anno 1515. *Ex Originali. Extat in Archivo Cancell: Regni. Lib. 19. Lit: T. N. 20. fol. 24.* 1515.

Nos SIGISMUNDUS DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque, &c. Dominus, & Hæ-

ANNO 1515. res, & Nos MATTHAEUS Miseratione Divina tituli Sancti Angeli Diaconus Cardinalis Gurcensis, Coadiutor Salizburgensis, Sacratissimi Principis, & Domini Domini MAXIMILIANI Romanorum Imperatoris, semper Augusti in Italia Locumtenens Generalis, & ad infrascripta Mandatarius, & Procurator specialis. Recognoscimus, & tenore Præsentium profitemur. Quod Nos volentes utilitati, tranquillitati, stabilimento, & propagationi Reipublicæ Christianæ, quam infideles hostes opprimere, labefactareque undique moliuntur, consulere, ad laudem inprimis Omnipotentis Dei, deinde pro securo, quieto, ac pacifico Statu Regnorum, Provinciarumque nostrarum, ultra coniunctionem, & vinculum veteris amicitiae, & fraternitatis nostræ, ad novam quandam inviolabilem, & indissolubilem concordiam, atque unionem devenimus, secundum Articulos infrascriptos eum, qui sequitur, tenorem continentes. Inprimis: cum Serenissimus Dominus Rex Poloniæ in ea semper voluntate fuerit, ut cum Sacra Imperiali Maiestate in optima amicitia, & benevolentia fraterna vivat, & maneat, suamque Maiestatem, tanquam Fratrem Maiorem, & Consangvineum charissimum etiam observet, ac veneretur. Placeat igitur Maiestati suæ Cæsareæ, ut res, & negotia inter eundem Serenissimum Dominum Poloniæ Regem, & Magistrum Prussiæ, ac Ordinem suum in ea forma, & modo remaneant, quemadmodum erant, & observabantur ab Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Sexagesimo Septimo, tempore felicis memoriæ FRIDERICI Imperatoris, & Serenissimi Domini Regis CASIMIRI, nec Magistrum Prussiæ, eiusque Ordinem subtrahere velit ab his, quæ debent suæ Serenitati, & Regno Poloniæ, & quæ Prædecessores eius Magistri faciebant, neque auxilium, neque consilium ei præstet in damnum, & detrimentum suæ Serenitatis, & Regni sui. Quodsi post hac aliquæ novæ differentiæ, & controversiæ inter Serenissimum Dominum Regem Poloniæ, et Magistrum, atque Ordinem infra quinquennium exorientur, idem Magister, sive Ordo in Prussia prius Regiam Maiestatem Poloniæ superinde amicabiliter requirat, & prius tentetur, si eiusmodi differentiae, & controversiæ inter se ipsos amicabiliter, & per bona media componere poterunt, sin minus quod illæ ipsae controversiæ ad amicabilem compositionem Sacratissimi Imperatoris MAXIMILIANI moderni, et Serenissimi Domini VLADISLAI Regis Hungariae, ac Reverendissimorum Dominorum THOMAE Strigonienſis Sedis Apostolicæ Legati, et MATTHAEI Gurcensis, Sanctae Romanæ Ecclesiæ Cardinalium concordari debeant. Et si quis eorundem Dominorum ad componendas huiuscemodi controversias designatorum intra spatium suprascripti temporis ab hac vita discederet, tunc tres reliqui cum assensu, et voluntate Serenissimi Domini Poloniæ Regis in locum demortui alium surrogare, et sufficere poterint, cum quo earundem controversiarum componendarum habebunt facultatem. ANNO 1515.

Serenissimus Dominus Rex Poloniæ mox post victoriam de Duce Moscho habitam, potuit habere cum eo Inducias, & nunc posset, si vellet, sed in hoc Statu rerum non censet id esse e re sua, et Dominiorum suorum, si tamen Cæsarea Maiestas habet Mandatum ad plenariam concordiam perficiendam, aut si Oratores eiusdem Moschi fulti plenaria potestate hic aderunt, Regia Maiestas cum consilio Sereniſſimi Domini Germani sui non recusabit eandem Concordiam aequis, & iustis conditionibus inire, quam si Moschus detrectaret, aut initam observare nollet, quod extunc Maiestas Caesarea illi contra Sereniſſimum Regem Poloniae, et Regna, ac Dominia sua amplius nullum auxilium, vel favorem praestare debeat directe, vel indirecte per se, vel submissas personas. Item pro bono Pacis, et amicitiae firmandae Sereniſſimus Dominus Rex Poloniae est contentus, ut soli Germani ad Ordinem in Prussia suscipiantur.

Item quod ad Subditos Sereniſſimi Domini Poloniae Regis Civitatum Gedanensis & Elbingensis attinet, qui Bannis Imperialibus, et aliis modis ipsi Regno Poloniae noxiis molestari, et gravari solent, in conventu Sereniſſimorum Dominorum Hungariae & Poloniae Regum cum Sacra Caesaraea Maiestate quæretur modus, quo res haec iustis, et aequis mediis terminetur.

Item Sereniſſimus Rex Poloniae contentatur, quod Caesar in hoc Conventu possit simul cum Sereniſſimo Rege Hungariæ, et Reverendissimis Dominis Strigonienſi, et Gurcensi Cardinalibus videre, et se informare de differentiis inter eundem Sereniſsimum Regem Poloniae, et Magistrum, atque Ordinem Prusiae, et illos omnes studere amicabiliter concordare, quod si non fieret, nihilominus Articuli supraſcripti in suo maneant vigore. Quos quidem Articulos matura inter se deliberatione praehabita Nos praefatus SIGISMUNDUS Rex Poloniæ Nomine proprio pro Nobis, et Nos MATTHÆUS Cardinalis Gurcensis Nomine praefatae Caesareae Maiestatis pro eadem Maiesta-

Anno 1515. Maieſtate acceptavimus, approbavimus, & ratificavimus, et eoſdem in omnib9 eorum punctis Nos praedictus Sigismundus Rex Poloniae in verbo noſtro Regio, Nos vero praefatus Matthaeus Cardinalis Gurcenſis, ſub bona fide in perſona, et nomine Caeſareae Maieſtatis, ſancte et inviolabiliter obſervare promiſimus, imo acceptamus, approbamus, ratificamus, et promittimus Praeſentium per vigorem. Qui quidem Articuli acti, concordati, prolocuti, et concluſi ſunt inter Nos in praeſentia Sereniſsimi Principis, et Domini Domini Vladislai Hungariae, et Bohemiae etc. Regis, et Conſiliariorum Caeſareae Maieſtatis, ac noſtrorum, hoc eſt Poloniae, nec non Hungariae Regum praefatorum. In quorum fidem et teſtimonium Nos, et quilibet noſtrum praeſentes Literas manu propria ſubſcripſimus, et eaſdem Literas Sigillis, et Signetis noſtris conſvetis communivimus. Datum Poſonii viceſima Maii Anno Domini Milleſimo, Quingenteſimo Quintodecimo.

XIX.

1515. *Articuli Contractus duplicis Matrimonii inter* Vladislai *Hungariæ & Bohemiæ Regis Filium* Ludovicum, *&* Maximiliani *Imp. Neptem* Mariam, *ac inter* Maximiliani *Nepotem* Ferdinandum, *&* Vladislai *Filiam* Annam *per* Sigismundum *Regem Poloniæ approbati.* Dat. Poſonii die 20. Menſis Maii Anno 1515. *Ex Originali. Extat in Arch. Regni. Lib. 19. No. 20 fol. 27. Item Lib. ſub Lit. V. fol. 20.*

Sigismundus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque &c. Dominus & Haeres Praeſentibus profitemur, & notum facimus, Quod inter Sereniſſimos Principes & Dominos, Dominum Maximilianum divina favente Clementia Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, & Vladislaum Hungariæ, Bohemiæque &c. Regem, Fratres noſtros chariſſimos in iſto Conventu Poſonienſi prolocuta, atque concluſa fuerunt duplicia Matrimonia, utrinque inter eorum liberos, ſcilicet Sereniſſimi Regis Ludovici cum Domina Maria & Principis Ferdinandi cum Domina Anna, ſtatim in Conventu Viennenſi deputato, ac etiam prope diem futuro latius expedienda, iuxta quosdam Articulos deſuper prolocutos & confectos, quorum tenor, ur ſequitur, talis eſt. Anno 1515.

*1mo.* Item quod in Conventu Sacratiſſimi Cæſaris, & Sereniſſimorum Hungariæ, Bohemiæque, & Poloniæ Regum contrahantur Sponſalia in utroque Matrimonio per verba de futuro inter Liberos Cæſaris, & Regis Hungariæ, inſequendo tenorem Literarum, alias emanatarum cum ſollennitatibus convenientibus, ſicut videbitur, & ſint Partes ad mutuam, ſeu reciprocam obſervantiam illorum Contractuum ſub certa pæna, ſicuti concordabitur aſtrictæ.

*2do.* Item Cæſar promittat illa ſponſalia nomine & vice Domini Ferdinandi Nepotis ſui cum Domina Anna, ſub Promiſſione competenti, & ſufficienti, quod idem Ferdinandus in ſpatio unius Anni proximi a die Contractus Sponſaliorum perſonaliter, vel per ſufficientem Procuratorem hanc promiſſionem ſuæ Cæſareæ Maieſtatis ratificabit, & contrahet per verba de præſenti.

*3tio.* Item Cæſar promittat, quod ſi in præfato termino non ſequatur hæc Ratificatio, quod extunc ipſamet Maieſtas ſua contrahet nomine proprio per verba de præſenti cum præfata Domina Anna.

*4to.* Sereniſſimi Cæſar ac Rex Hungariæ, & Bohemiæ, in ſpatio unius anni inter ſe concordabunt de tempore confirmationis Matrimonii præfati per copulam.

*5to.* Domina Anna in Conventu, Cæſaris, & Regum rebus iſtis omnibus concluſis, & perfectis conſignetur ad manus Cæſaris educanda, & nutrienda in Auſtria, una cum Filia Cæſaris Domina Maria, usque ad conſummationem Matrimonii.

*6to.* Cæſar obliget ſe, quod ſi Contractus prædictus in prædicto tempore effectum non ſortietur, quod pro pæna ſolvatur Illuſtriſſimæ Dominæ Annæ, ac Sereniſſimo Domino Vladislao Hungariæ & Bohemiæ &c. Regi, eiusque Illuſtriſſimo Filio Domino Ludovico, ſive Hungariæ, & Bohemiæ Regnis, ſumma trecentorum millium florenorum Hungaricalium, & pro ſecuritate illius pecuniæ Cæſar nunc in Conventu in præſentia amborum Regum, vel Deputatorum ſuorum conſignet, & impignoret fere omnia ſua iocalia, patrimonialia, quæ ſecundum iuſtam æſtimationem aſcendant ad valorem unius millionis auri, & deponat illa apud Provinciales Auſtriæ, & quod iidem Provinciales Auſtriæ, apud quos illa iocalia deponentur, dent prædictæ Dominæ Annæ, ac Sereniſſimis Regibus &

ANNO 1515. Regnis praedictis desuper sufficientes, & convenientes Literatorias cautiones, & obligationes, sub illa tamen conditione, & ea lege, quod eadem iocalia per Cæsarem, aut suos Hæredes contra prædictam summam trecentorum millium florenorum redimi possint, & etiam quod secuto Contractu per verba de præsenti cesset, & cassata sit præsens obligatio, & pœna, hoc expresse declarato, quod ad inviolabilem observationem huius obligationis Prælati, Comites, & Barones Liberi, Domini Nobiles, Civitates, omnesque Status & Ordines Provinciæ Austriæ sub fidei, honorisque eorum obligatione, de solutione eiusmodi summæ prædictorum trecentorum millium florenorum Hungaricalium, in forma Cameræ Apostolicæ, quæ hic pro sufficienti expressa & declarata intelligatur, & aliis censuris Ecclesiasticis, se arctissimo iuramento corporali præstito astringant, & Cæsar omnes prædictos Status, & Ordines in hoc casu duntaxat ab omni obligamine subiectionis, fidelitatis, & obedientiæ sibi, & Hæredibus suis debitæ absolvat, & liberos esse, & fore ad observandam præscriptam obligationem in omnibus eius punctis, & Articulis pronuntiet, & quod iidem Provinciales non possint solutionem huiusmodi trecentorum millium florenorum Hungaricalium ultra biennium differre, sed expleto biennio mox infra unum Mensem, vel summam præscriptorum trecentorum millium florenorum Hungaricalium, iusto, & vero pretio æstimata, cum conditione tamen redimendi, & hoc literis sufficientibus, atque opportunis illorum, apud quos iocalia Cæsaris deponentur, caveatur, ita videlicet, ut ad observationem huius Articuli, & solutionem Summæ prædictorum centum millium florenorum Hungaricalium iidem Provinciales Austriae, apud quos talia iocalia Cæsaris, ut præmissum est, deponentur, sint per omnia obligati, ut superius latius declaratum est in Articulo, in quo facta est mentio de trecentis millibus florenorum Hungaricalium in casu repudii. Hoc tamen edicto, ut in huiusmodi casu, quo ante copulam vel consummationem Matrimonii Sponsum decedere contingeret, iidem Provinciales ipsam Dominam ANNAM cum omni honestate salvis Personis, & omnibus rebus ipsius Dominæ ANNAE, & omnium suorum, ad Regna paterna, Posonium videlicet, vel Znoymam pro arbitrio prædictarum Maiestatum reducere debeant, & teneantur, præscripta tamen summa eidem prius plene, & realiter in Arce Posonienſi prædicta, modo præmisso persoluta.

ANNO 1515.

Item quod Dominæ ANNAE ducenta millia ducatorum loco Dotis inscribentur, hæc tamen Dos tempore confirmationis Matrimonii non persolvatur, sed differatur illius solutio ad illud tempus, quo Rex LUDOVICUS cum Domina MARIA confirmabit, quo facto Dotem Dos compensabit, & utraque hoc pacto tolletur, ita ut nec Regnum Hungariae Bohemiaeque, nec Dominium Austriae summam huiusmodi ducentorum millium florenorum persolvere debebit. Nihilominus tanta donatio propter Nuptias, seu Contrados ambabus Sponsabus utrinq; ad vitam earum assignetur, assecureturque hoc pacto, ut redditus annui viginti millium, vel viginti quinque millium florenorum Hungaricalium loco donationis propter Nuptias consignentur super bonis convenientibus, & ante hac in huiusmodi donatione propter Nuptias assignari solitis, quæ bona ex nunc nominentur, hoc est, Castra, Civitatesque, & alia bona, ex quibus huiusmodi Summa annui redditus in iustis & ordinariis proventibus provenire possit.

*7mo.* Item Sponso moriente, sive is Sponsus Dominus FERDINANDUS, sive Cæsar fuerit, post contractum Matrimonium per verba de præsenti, ante copulam, seu consummationem Matrimonii solventur Dominæ ANNÆ centum millia florenorum Hungaricalium in spatio unius anni tunc proxime futuri, aut si solutio ista in præfato tempore non fieret, consignentur præfatæ Dominæ ANNÆ iocalia Cæsaris, valoris centum millium florenorum Hungaricalium, iusto, & vero pretio æstimata, cum conditione tamen redimendi, & hoc literis sufficientibus, atque opportunis illorum, apud quos iocalia Cæsaris deponentur, caveatur, ita videlicet, ut ad observationem huius Articuli, & solutionem Summæ prædictorum centum millium florenorum Hungaricalium iidem Provinciales Austriae, apud quos talia iocalia Cæsaris, ut præmissum est, deponentur, sint per omnia obligati, ut superius latius declaratum est in Articulo, in quo facta est mentio de trecentis millibus florenorum Hungaricalium in casu repudii. Hoc tamen edicto, ut in huiusmodi casu, quo ante copulam vel consummationem Matrimonii Sponsum decedere contingeret, iidem Provinciales ipsam Dominam ANNAM cum omni honestate salvis Personis, & omnibus rebus ipsius Dominæ ANNAE, & omnium suorum, ad Regna paterna, Posonium videlicet, vel Znoymam pro arbitrio prædictarum Maiestatum reducere debeant, & teneantur, præscripta tamen summa eidem prius plene, & realiter in Arce Posonienſi prædicta, modo præmisso persoluta.

Item quod Dominæ ANNAE ducenta millia ducatorum loco Dotis inscribentur, hæc tamen Dos tempore confirmationis Matrimonii non persolvatur, sed differatur illius solutio ad illud tempus, quo Rex LUDOVICUS cum Domina MARIA confirmabit, quo facto Dotem Dos compensabit, & utraque hoc pacto tolletur, ita ut nec Regnum Hungariae Bohemiaeque, nec Dominium Austriae summam huiusmodi ducentorum millium florenorum persolvere debebit. Nihilominus tanta donatio propter Nuptias, seu Contrados ambabus Sponsabus utrinq; ad vitam earum assignetur, assecureturque hoc pacto, ut redditus annui viginti millium, vel viginti quinque millium florenorum Hungaricalium loco donationis propter Nuptias consignentur super bonis convenientibus, & ante hac in huiusmodi donatione propter Nuptias assignari solitis, quæ bona ex nunc nominentur, hoc est, Castra, Civitatesque, & alia bona, ex quibus huiusmodi Summa annui redditus in iustis & ordinariis proventibus provenire possit.

*8vo.* Simili modo in Matrimonio Regis LUDOVICI, & Dominæ MARIAE circa Dotem, & Donationem propter Nuptias observetur, videlicet Dominæ MARIAE ducenta millia ducatorum pro Dote ex parte Cæsareæ Maiestatis exhibeantur, & tantum de redditibus super bonis convenientibus pro Contradote illi assecuretur.

*9no.* Si

ANNO 1515. *9no.* Si tamen una Sponſa ante aliam moreretur ante Matrimonii confirmationem, nihilominus huic, quae ſuperſtes fuerit ſecuta copula, loco Dotis ducenta millia ducatorum perſolvi debebunt.

Si contingat poſt copulam ipſum Maritum obire ſine Hæredibus, & una, vel altera Nuptarum, & relicta Uxor voluerit tranſire ad vota ſecunda, nec foret illi integrum cum huiuſmodi ſtatu ſibi ordinato, quacunque ex cauſa novo Marito ſe coniungere, tunc ei perſolvatur ratione Dotis Summa præſcriptorum ducentorum millium florenorum, cuius proviſione, & pari nubere, et cum dignitate vitam agere poſſit. Cumque hæc omnia et ſingula in Praeſentia noſtri, atque cum ſcitu, conſilio, atque conſenſu noſtro ſunt acta, atque concluſa ad otium, et ad quietem, tranquillitatem, ſtabilimentum ambarum Maieſtatum prædictarum, Liberorum et Dominiorum ſuorum, idcirco omnia et ſingula, ut ſunt prolocuta, & concluſa, et præinſertis Articulis expreſſa, laudamus, approbamus, ac quantum noſtri intereſt, confirmamus, et grata, et rata a Nobis nunc haberi, et ſemper habenda tenore præſentium declaramus. Promittentes inſuper in Verbo Regio, & ſub fide legalis, atque ingenui Principis omnia et ſingula prædicta, quantum per Nos, et Regnum noſtrum fieri poterit, firmiter manutenere, defendere, et exequi, neque ut a quibuſcunque aliis impediantur, infringantur, aut illis quomodolibet contraveniatur directe, vel indirecte, Nos permiſſuros, imo ut ab omnibus firmiter atque inviolabiliter obſervantur, atque impleantur, omni ſtudio ac fide curaturos, abſque dolo et fraude. Harum teſtimonio Literarum noſtrarum Sigilli noſtri munitione roboratarum. Datum Poſonii die vigeſima Maii Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Decimo Quinto. Regni vero noſtri Nono.

SIGISMUNDUS REX.

## XX.

1515. *Diploma* MAXIMILIANI *Imperatoris, quo* LUDOVICUM *Regem de Conſenſu* VLADISLAI *Hungariæ, & Bohemiæ Regis Patris, ac* SIGISMUNDI *Regis Poloniæ eius Patrui, in Filium ſuum arrogat, atque in Familiam Domus Auſtriacæ adſciſcit, eumque Imperii Vicarium Generalem, & ſuum in eodem Imperio Succeſſorem conſtituit.* Dat: in Civitate Viennæ Die 20. Julii Anno 1515. *Ex Archivo Regni.* ANNO 1515.

MAXIMILIANUS Divina favente Clementia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniae, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiae, Lotharingiae, Brabantiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolæ, Limburgiae, Lucemburgiae, & Geldriae, Lantgravius Alſatiae, Princeps Sveviae, Palatinatus in Habſpurg, & Hannoviae, Princeps, & Comes Burgundiae, Flandriae, Tirolis, Gorciae, Artheſiae, Hollandiae, Selandiae, Terret, in Kyburg, Namurci, Zutphaniae, Marchio Sacri Romani Imperii, ſuper Amaſum, & Burgoviae, Dominus Phriſiae, Marchiae Sclavonicae, Mechliniae, Portus Naonis, & Salinarum, &c. Conſiderantes immenſa divinæ Maieſtatis in Nos beneficia, quibus præter tantorum Natalium conditionem, etiam tot ampliſſimis Dominiis & Regnis condecoravit, ac etiam ad ſublime faſtigium humani Generis nos evexit, ingrati omnino, & vecordes merito cenſeremur, ſi, quantum in nobis eſt, ea omni ſollicitudine noſtra rependere non ſtuderemus, & licet inſtituti noſtri ſemper ab ineunte ætate noſtra fuerit, meliorem partem curſus noſtri ſervitio Omnipotentis Dei impendere, & cauſam ſanctiſſimæ Fidei eius ſuſcipere, et incuria vel malo fato Superiorum temporum ei adempta viribus, & ſangvine noſtro recuperare, & illa, quantum ipſe nobis tribuiſſet, adaugere, ſed vel in propulſandis noſtris, vel noſtrorum iniuriis, quæ nobis undequaque inferuntur, vel inimico humani generis rem impediente, nunquam hactenus huiuſmodi noti noſtri compotes fieri potuimus. Et cum iam in diebus noſtris proceſſerimus, & etiam varia bellorum mole adhuc premimur, nec finem eorum ſub termino vitæ noſtræ nobis ſcire licet; Ne igitur præveniamur, & veluti deſides a ſua Clementia redarguamur, ſi nos id ipſi præſtare non poterimus, ſaltem, qui id pro nobis exhibeat, conſtituamus, et piam, ac providam hanc noſtram diſpoſitionem pro exhibitione operum ſuſcipiat, & praeſtet nobis gratiam, vel in parte id explere. Et licet amplam in Domino fiduciam habeamus, Sereniſsimos Principes, Dominum CAROLUM, & Infantem Dominum FERDINANDUM, Filios noſtros Cariſſimos, nihil unquam prætermiſſuros, ſed omnia pro exaltatione, & incremento orthodoxæ Fidei acturos, & cum univerſis Regnis, ac Dominiis eorum vitam etiam

ANNO 1515. ipsam posituros; Quo tamen id per ipsos eo melius, & uberius exhibeatur, & tam in nos ipsos, quam in eos beneficiorum collatorum perennis reddatur gratia, operæ pretium duximus, ipsis Sereniſſimum Principem, Dominum LUDOVICUM Hungariae, & Bohemiae Regem, Marchionem Moraviae, Principem Electorem, Filium, & Fratrem nostrum Cariſſimum, pro tertio, in nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, addere, in quo ternario numero omnis perfectio constituta esse dinoscitur. Quem Regem ex potentiſſimo Ampliſſimorum Regnorum suorum auxilio, & occasione, & locorum opportunitate, & ex divina sua indole præsagimus, huic sanctæ rei nedum necessariam, sed egregiam operam praestiturum, quam ut eo libentius susciplat, et partem laborum, et onerum nostrorum subeat, omni gratia et beneficio nostro nobis obnoxium reddere voluimus. Et licet idem Sereniſſimus LUDOVICUS Rex nobis, et eisdem Sereniſſimis Filiis nostris Cariſſimis sit arctiſſimo vinculo sangvinis constrictus, tam ex sangvinis propinquitate, quam ex coniunctione, & connubio ipsius cum Sereniſſima Filia nostra MARIA, et eorundem Filiorum nostrorum Sorore dulciſſima, nihilominus viscеribus paternæ caritatis eum complectentes, cupienteſque ipsum adhuc arctiori vinculo nobis, et eisdem Filiis nostris constringere, et in mutuo amore devincire eos ad invicem, habita super hoc prius matura deliberatione, et consensu Sereniſſimorum Principum, ac Dominorum, VLADISLAI Hungariae, et Bohemiæ etc. Regis, Patris, et SIGISMUNDI Poloniae Regis, et Magni Ducis Litvaniæ, Fratrum nostrorum Cariſſimorum, motu proprio, et ex certa nostra scientia, ac de plenitudine potestatis nostrae Cæsareæ, præfatum Sereniſſimum Regem LUDOVICUM in Filium nostrum arrogamus, et in Familiam nostram Austriae adscimus, et numero eorundem Filiorum nostrorum aggregamus, et tenore præsentium adscribimus, sine tamen praeiudicio Successionis eorundem Sereniſsimorum Principum Domini CAROLI, et Infantis Domini FERDINANDI, ac Sororum suarum, Filiorum, et Nepotum nostrorum Cariſsimorum, servato ordine, & consvetudine Clariſsimæ Domus nostræ Austriae. Qui Filii nostri, cum in regendis, et administrandis tot ampliſsimis ipsorum Regnis et Provinciis munere Omnipotentis ipsis conceſsis, et Deo volente in expeditione contra Infideles satis superq; distinebuntur, et nos etiam ubique esse non possumus in tam Amplo Imperio, et ne aliqua Pars eius fructu necessariae providentiae nostrae careat, confiſi de magnitudine animi, probitate morum, et excellenti indole eiusdem Sereniſsimi Regis LUDOVICI, Filii iam nostri arrogati Cariſsimi, ipsum in partem sollicitudinis nostræ evocatum, matura deliberatione praehabita, ex certa nostra scientia, et de plenitudine nostrae Caesareæ Potestatis, fecimus, creavimus, constituimus, & ordinavimus, et omni meliori modo, via, et forma, qua possumus, et debemus, tenore praesentium facimus, creamus, constituimus, et ordinamus nostrum, et Imperii Sacri Vicarium Generalem, vita comite, et post fata in eodem Imperio legitimum Successorem nostrum, dantes, et concedentes, eidem Filio, et Vicario plenam, liberam, et amplam facultatem, qua uti consveverunt uti, et frui alii, qui pro tempore Vicarii Generales extiterunt, post vero decessum nostrum potestatem nostram Imperii in ipsum transferimus, et traducimus, sicuti in nos per Praedecessores fuit translata; tenore praesentium requirentes Sereniſsimum Regem Bohemiae Arbitratorem, et reliquos Venerabiles, & Illustres, tam Saeculares, quam Eccleſiaſticos, Principes Electores, Consangvineos nostros Cariſsimos, ut approbantes huiusmodi Constitutionem, Electionem, Translationem, et Decretum nostrum, eundem Sereniſsimum LUDOVICUM, Filium arrogatum, et Fratrem nostrum Cariſsimum, cum primum contigerit, nos Coronam Imperialem adipiſci, et si ante ab hac luce contigerit nos migrare, post obitum nostrum in Regem Romanorum, et futurum Imperatorem eligant, et coronent, ac sibi debitum fidelitatis iuramentum cum omni subiectione, et reverentia exhibeant, et praestent, ac ab aliis Principibus, et Statibus Imperii praestari, et exhiberi, ut moris est, faciant, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Harum testimonio Litterarum Sigilli nostri appensione munitarum. Datum in Civitate nostra Vienna, die viceſima mensis Julii, Anno Domini 1515. Regnorum nostrorum Romani triceſimo, Hungariae vero Viceſimo sexto.

ANNO 1515.

MAXIMILIANUS, *manu propria.*
VLADISLAUS REX, *manu propria.*
SIGISMUNDUS REX, *manu prop.*

THOMAS, Cardinalis Strigonienſis, *manu propria.*

MATHIAS, Cardinalis Gurcenſis, *manu propria.*

XXI.

## XXI.

ANNO 1515. *Renovatio, & Confirmatio Amicitiæ, & Fraternitatis inter* MAXIMILIANUM I. *Imp:* & SIGISMUNDUM *Regem Poloniæ in Conventu eorundem personali facta. Magister Prussiæ cum suo Ordine Regi, & Regno Poloniæ perpetuo obnoxius, eisdem Juramentum fidelitatis, & obedientiæ, iuxta Fœderis Anno 1466. percussi formulam præstabit. Rex Poloniæ permittit, ut ad Ordinem Teutonicum soli Germani recipiantur. Camera Judicii Imperialis Civitates Gedanensem, & Elbingensem bannire, & infestare deinceps non audebit. Imperator Moscho contra Regem, & Regnum Poloniæ non auxiliabitur &c.* Datum in Civitate Viennensi die 22. Mensis Julii. Anno 1515. *Ex Originali.*

MAXIMILIANUS Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariae, Dalmatiae, Croatiae &c, Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, &c. Comes Palatinus &c. Tenore Præsentium recognoscimus, & profitemur, quod cum inter alia, quæ Nobis curæ, cordique sunt, summopere cupiamus, vera, sincera, ac fraterna unione cæteris Principibus Christianis coniungi, ac quantum in nobis est, omnes ad sanctæ Pacis, atque Concordiae Fœdera reducere, & cohortari, ut tandem concordibus armis, & viribus Christianis ferociſſimi eiusdem Nominis hostes debellari, et exterminari possent, & hinc quieti, & tranquillitati, ac stabilimento universæ Religionis ad incrementum, & propagationem Christiani Nominis consuleretur. Cumque præ cæteris amicitiam, & unionem inter Nos, ac Sereniſſimos Principes Dominum VLADISLAUM Hungariæ, Bohemiæque Regem, Principem Electorem, ac Dominum SIGISMUNDUM Poloniae Regem, Fratres, & Consangvineos nostros chariſſimos ex neceſſitudinis vinculo, quo alias ipsorum Serenitates Nobis sunt coniunctæ, semper magni fecerimus, & præcipue Matrimonia inter communes nostros, ac prædicti Sereniſſimi Regis Hungariae, & Bohemiæ Liberos ac Nepotes alias tractata perfici, atque consummari ex animo semper optaverimus, & ad res istas perficiendas iam pridem Reverendiſſimum in Christo Patrem, Dominum MATTHAEUM S. Angeli Diaconum Cardinalem, Gurcensem, Coadiutorem Salisburgensem, Principem, Consiliarium, Locumtenentem in Italia Generalem, & amicum nostrum chariſſimum, pleno Mandato a Nobis suffultum ad prædictos Sereniſſimos Fratres nostros destinaverimus, qui vice, ac Nomine nostro cum utriusque earum Maiestatibus non nullos Articulos prolocutos tam circa Matrimonia inter Nos, & nostros, ac supradicti Sereniſſimi Regis Hungariæ, Bohemiæque communes Liberos, ac Nepotes, quam circa differentias, inter supradictum Sereniſſimum Fratrem nostrum Poloniæ Regem, & Illustres Principes Magnum Magistrum Prussiæ, et Ordinem Teutonicorum, & Ducem Moscoviæ, ac nonnulla alia concordaverit, & concluserit, prout in Literis atque Articulis prolocutis per prædictos Sereniſſimos Fratres nostros Hungariæ, & Poloniæ Reges, supradictumque Cardinalem, Nomine nostro manibus propriis subscriptis, & sigillis eorum roboratis latius continetur. Quorum quidem Articulorum formula, & tenor de verbo ad verbum hic insertus talis est. Cum Sereniſſimus Dominus Rex Poloniae in ea semper voluntate fuerit, ut cum Sacra Imperiali Maiestate in optima amicitia, & benevolentia fraterna vivat, & maneat, suamque Maiestatem tanquam Fratrem Maiorem, & Consangvineum chariſſimum etiam observet, ac veneretur, placeat igitur Maiestati suæ Cæsareæ, ut res, & negotia inter eundem Sereniſſimum Poloniæ Regem, & Magistrum Prussiæ, ac Ordinem suum in ea forma & modo remaneant, quemadmodum erant, & observabantur ab Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo Septimo, tempore felicis memoriæ FRIDERICI Imperatoris, & Sereniſſimi Domini Regis CASIMIRI, nec Magistrum Prussiæ, eiusque Ordinem subtrahere velit ab his, quæ debent suæ Serenitati, & Regno Poloniæ, & quæ Prædeceſſores eius Magistri faciebant, neque auxilium, neque consilium ei præstet in damnum, & detrimentum suæ Serenitatis & Regni sui. ANNO 1515.

Quodsi posthac aliquæ novæ differentiae, & controversiæ inter Sereniſſimum Dominum Poloniæ Regem, & Magistrum, atque Ordinem infra quinquennium exorirentur, idem Magister, sive Ordo in Prussia prius Regiam Maiestatem Poloniæ superinde amicabiliter requirat, & prius tentetur, si huiusmodi differentias, & controversias inter se ipsos amicabiliter, &

ANNO 1515. per bona media componere poterunt, ſin minus, quod illæ ipſæ controverſiæ ad amicabilem compoſitionem Sacratiſſimi Imperatoris MAXIMILIANI moderni, & Sereniſſimi Domini VLADISLAI Regis Hungariæ, ac Reverendiſſimorum Dominorum THOMAE Strigonienſis, Sedis Apoſtolicæ Legati, & MATTHAEI Gurcenſis S. R. E. Cardinalium concordari debeant, & ſi quis eorundem Dominorum ad componendas huiusmodi controverſias deſignatorum intra ſpatium ſupraſcripti temporis ab hac vita diſcederet, tunc tres reliqui cum aſſenſu & voluntate Sereniſſimi Domini Poloniæ Regis, in locum demortui alium ſurrogare, & ſufficere poterunt, cum quo earundem controverſiarum componendarum habebunt facultatem.

## *Articuli Inſerti.*

Sereniſſimus Dominus Rex Poloniae mox poſt victoriam de Duce Moſchorum habitam, potuit cum eo habere Inducias, & nunc poſſet, ſi vellet, ſed hoc in ſtatu rerum non cenſet id eſſe e re ſua, & Dominiorum ſuorum, ſi tamen Cæſarea Maieſtas habet Mandatum ad plenariam Concordiam perficiendam, aut ſi Oratores eiuſdem Moſchi fulti plenaria poteſtate hic aderunt, Regia Maieſtas cum conſilio Sereniſſimi Domini Germani ſui non recuſabit eandem concordiam, æquis, & iuſtis Conditionibus inire, quam ſi Moſchus detractaret, aut initam obſervare nollet, quod extunc Maieſtas Cæſarea illi contra Sereniſſimum Regem Poloniae, & Regna, ac Dominia ſua amplius nullum auxilium vel favorem præſtare debeat directe, vel indirecte, per ſe, vel ſubmiſſas perſonas.

Item pro bono Pacis, & Amicitiæ firmandæ Sereniſſimus Dominus Rex Poloniæ eſt contentus, ut ſoli Germani ad Ordinem in Pruſſia ſuſcipiantur.

Item quod ad ſubditos Sereniſſimi Domini Poloniae Regis Civitatum Gedanenſis, & Elbingenſis attinet, qui Bannis Imperialibus, & aliis modis Juri Regni Poloniæ noxiis moleſtari, & gravari ſolent, in Conventu Sereniſſimorum Dominorum Hungariæ & Poloniæ Regum cum Sacra Cæſarea Maieſtate quæretur modus, quo res hæc iuſtis, & æquis mediis terminentur.

Item Sereniſſimus Rex Poloniae contentatur, quod Cæſar in hoc Conventu poſſit ſimul cum Sereniſſimo Rege Hungariæ & Reverendiſſimis Dominis Strigonienſi, & Gurcenſi Cardinalibus videre, ac ſe informare de differentiis inter eundem Sereniſſimum Regem Poloniæ, & Magiſtrum, atque Ordinem Pruſſiæ, & illos omnes ſtudere amicabiliter concordare. Quod ſi non fieret, nihilominus Articuli ſupradicti in ſuo maneant vigore. ANNO 1515.

Acta ſunt hæc Poſonii, et prolocuti, concordati, et concluſi ſupraſcripti Articuli inter Sereniſſimum Principem, & Dominum Dominum SIGISMUNDUM Regem Poloniæ, Magnum Ducem Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, etc. Dominum ac Hæredem, ac Reverendiſſimum Dominum MATTHAEUM S. Angeli Diaconum Cardinalem Gurcenſem, Coadiutorem Salisburgenſem, ac Sacratiſſimi Principis, & Domini, Domini MAXIMILIANI Rom. Imperatoris ſemper Auguſti in Italia Locumtenentem Generalem, et ad ſupraſcripta Mandatarium, et Procuratorem ſpecialem, praeſentibus Sereniſſimo Principe, et Domino, Domino VLADISLAO Ungariae, et Bohemiae Rege, et Conſiliariis Praefatarum Illuſtriſſimarum Maieſtatum. In quorum fidem et teſtimonium Sereniſſimus Dominus Rex Poloniæ, et Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Gurcenſis ſupradicti hos Articulos ſubſcripſerunt manibus propriis, et Sigillis, ſeu Signetis conſvetis muniri fecerunt. Anno Domini milleſimo quingenteſimo decimo quinto Die 20. Menſis Maii.

Nos itaque de omnibus illis plenam notitiam habentes, & illa ex animi noſtri ſententia concordata, & concluſa eſſe affirmantes, omnes & ſingulos memoratos Articulos, ut praemittitur, inter ſæpe nominatos Sereniſſimos Fratres noſtros Hungariæ, Poloniaeque Reges, & Principem noſtrum Cardinalem Gurcenſem, nomine noſtro actos, prolocutos, & concluſos, cum omnibus, & ſingulis eorum punctis, clauſulis, & continentiis, prout iacent, acceptamus, ratificamus, approbamus, laudamus, & confirmamus, ipſoſque perpetuum firmitudinis robur obtinere volumus, promittentes inſuper in verbo noſtro Caeſareo, ac ſub fide boni legalis, & ingenui Principis pro Nobis, atque Illuſtriſſimis Nepotibus, Regnis, & Dominiis noſtris, quantum Nos, & illos concernunt, Nos omnia ſupradicta, & in præfatis Literis, atque Articulis prolocutis expreſſa firmiter, & inviolabiliter obſervare, exequi, & adimplere, neque illis quoquo modo contravenire, de Jure, vel de facto, directe, vel indirecte, omni dolo, & fraude penitus ſecluſis. Ut autem Sereniſſimus Frater noſter Poloniae Rex uberiorem animi noſtri affectionem, fraternumque erga ſe ſtudium evidentius cognoſcat, contenti fuimus primum Articulum circa negotium Prutenicum una cum alio Articulo de Civitatibus Gedanenſi, & Elbingenſi

Anno 1515. genſi in hunc modum, & formam declarare, extendere, ſeu reformare.

Item concluſum eſt, quod res, & negotia inter Sereniſſimum Poloniæ Regem, et Magiſtrum Pruſſiæ, et Ordinem ſuum in ea forma, et modo remaneant, quemadmodum erant, et obſervabantur poſt factam Pacem perpetuam ab Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo, tempore felicis memoriae Friderici Imperatoris Genitoris noſtri, et Sereniſſimi Domini Regis Casimiri, et quod Nos inhibebimus, nec ſubtrahemus Magiſtrum Pruſſiae, eiuſque Ordinem a praeſtando Juramento, quod debet ſuae Serenitati, et Regno Poloniae, et quae Praedeceſsores eius Magiſtri faciebant, neque auxilium, neque conſilium ei praeſtabimus in damnum, & detrimentum ſuae Serenitatis, et Regni ſui. Item quod ad Civitates Gedanenſem et Elbingenſem attinet, hactenus quidem bannis, et aliis modis Juri Sereniſſimi Regis, et Regni Poloniae noxiis gravabantur; ſed Nos exnunc iam eaſdem Civitates ab iisdem bannis abſolvimus, et liberos eſſe decernimus, ac id ipſum Judicio Camerae noſtrae Imperialis, Literis noſtris denuntiabimus, mandabimuſque, ut eaſdem Civitates, et praeteritis bannis abſolutas dimittat, et in futurum ex quibuscunque cauſis ad cuiuſcunq; inſtantiam nunquam audeat bannire, vel quovis modo infeſtare, nullumque Judicium contra eaſdem Civitates, et earum ſimiles a Noſtra Imperiali Judicii Camera deinceps inſtrui, et fieri permittemus.

Quos duos ultimos Articulos Nos haud ſecus, quam ſuperiores eadem fide, qua ſupra, promittimus inviolabiliter obſervare, adimplere, et exequi, neque illis quoquomodo contravenire. Harum teſtimonio Literarum noſtrarum, Sigilli noſtri Imperialis munitione roboratarum. Datum in Civitate noſtra Viennenſi Die 22. Menſis Julii. Anno Domini milleſimo quingenteſimo decimo quinto. Regnorum noſtrorum Romani 30. Hungariae vero 26.

Maximilianus.
*Ad Mandatum Cæſareum.*

Maximilianus *Imperator Magiſtrum Pruſſiæ, ad Homagium* Sigismundo *Regi, & Regno Poloniæ præſtandum hortatur, ſimulque Gedanum, ac Elbingam ex Banno dimittit.* Datum in Civitate Viennenſi die 22. Menſis Julii Anno 1515. *Ex Originali. Vide* Cod. Dipl. Volumen III. *Sub An. 1515.*

XXII. Anno 1515.

*Inſtrumentum publicorum Notariorum, quo continetur* Maximiliani *Imperatoris, &* Annæ Vladislai *Hungariæ, & Bohemiæ Regis Filiæ Proteſtatio, quod licet Contractum inter ſe Matrimonialem per verba de præſenti facere intendant, ſi tamen intra Annum* Ferdinandus *Archidux Auſtriæ, vel* Carolus *Dux Burgundiæ, & Hiſpaniarum Princeps eandem Dominam* Annam *ſibi deſponſare voluerit, præſens Contractus Matrimonii pro caſſo, & nullo haberi debeat.* Actum in Arce Viennenſi Die 22. Menſis Julii Anno 1515. *Ex Originali.*

In Nomine Domini Amen. Notum ſit, & cunctis pateat evidenter. Quod Anno a Nativitate Domini Milleſimo Quingentiſimo Quintodecimo Indictione tertia, die 22. Menſis Julii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Leonis Divina Providentia Papæ decimi anno tertio, Sacratiſſimus, & Invictiſſimus Princeps, & Dominus, Dominus Maximilianus Romanorum Imperator &c. et Sereniſſima Domina, Domina Anna Filia Sereniſſimi Principis, & Domini, Domini Vladislai Hungariæ, & Bohemiæ Regis, Principales principaliter pro ſe ipſis in Illuſtriſſimorum Principum, & Reverendorum in Chriſto Patrum, ac Generoſorum, & Magnificorum Dominorum Teſtium, ac Notariorum noſtrorum infraſcriptorum pro evidentis fidei teſtimonio ad hoc ſpecialiter vocatorum, & rogatorum præſentia perſonaliter conſtituti. Quoniam proteſtationem facientes, ac facere volentes illam facto, & inſcriptis Nobis Notariis infraſcriptis, tunc publice alta ac intelligibili voce, latino ſermone perlegendam porrigi fecerunt, quam ego Nicolaus Rybeysen Notarius infraſcriptus ex ſpeciali Mandato, & Commiſsione eorundem Sacratiſsimi Domini Imperatoris & Sereniſsimæ Dominæ Annæ palam, & publice perlegi in hanc ſententiam. Quod licet ipſi Sacratiſsimus Dominus Imperator, & Sereniſsima Domina Anna nunc inter ſe facere Contractum Matrimonialem per verba de præſenti intendant, idemque Sacratiſsimus Dominus Imperator nullam aliam ducere promittit, tamen ambarum Ma-

ANNO 1515. ieſtatum, & Serenitatum ſuarum voluntas, & animus ſit, atque illud hic coram Nobis Notariis infraſcriptis ſolemni proteſtatione caviſſe velint. Quod ſi Illuſtriſſimus Princeps, & Dominus, Dominus FERDINANDUS Archidux Auſtriæ, aut eius Fratres Sereniſſimus Princeps, et Dominus, Dominus CAROLUS Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, & Hiſpaniarum Princeps, dummodo a contractu, & obligatione alias inter eum, & Sereniſſimam Dominam Renatam Franciæ liber, immunis, & abſolutus fieret, eandem Sereniſſimam Dominam ANNAM infra ſpatium unius Anni proxime futuri legitimam Uxorem ducere vellet, et per verba de præſenti Matrimonium cum Serenitate ſua contraheret, ac Sanctiſſimus Dominus noſter illud interveniente opportuna diſpenſatione admitteret, & concederet, quemadmodum & Serenitas ſua de his omnibus ſpem amplam habet, quod tunc prout exnunc, et nunc prout extunc huiuſmodi Contractus inter iam dictos Illuſtriſſimum Dominum FERDINANDUM, aut Sereniſſimum Principem CAROLUM, & dictam Sereniſſimam Dominam ANNAM de bona atque expreſſa voluntate, & conſenſu ipſorum Sacratiſſimi Domini Imperatoris, & Sereniſſimæ Dominæ ANNAE fiet, & validus haberi, alius autem Contractus inter Maieſtatem, & Serenitatem ſuas hodie futurus, annullatus, & caſſatus eſſe debeat. Ad quam quidem proteſtationem ſic per me lectam, & publicatam idem Sacratiſſimus Dominus Imperator ore proprio, & latino ſermone, Sereniſſima vero Domina ANNA, etiam ore proprio, & lingva Hungarica, ac per os Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini, Domini THOMÆ Cardinalis Strigonienſis Hungariæ, Poloniæ, & Bohemiae Legati ſibi adſtantis ſimiliter latino ſermone per verbum *placet* reſponderunt. Super quibus omnibus, & ſingulis Nos Notarii infraſcripti pro parte Sacratiſſimæ Maieſtatis Cæſareæ, & Sereniſſimæ Dominæ ANNAE præfatorum, ut unum, aut plura, publicum, ſeu publica, quotiens opus fuerit, conficeremus inſtrumentum, ſeu inſtrumenta, rogati fuimus, & requiſiti. Acta fuerunt hæc in Arce Viennenſi ſub Anno, Indictione, die, Menſe, & Pontificatu, quibus ſupra. Præſentibus ibidem Illuſtriſſimis Principibus, ac Reverendis in Chriſto Patribus, & Generoſis, ac Magnificis Dominis Vilhelmo, & Ludovico Bavariae Ducibus, Georgio Marchione Brandeburgenſi, Chriſtophoro ex Ducibus Brunſvicenſibus, Bremenſibus, & Georgio Colocenſi Archiepiſcopis, ac Vigileo Patarienſi, Vladiſlao Vacienſi, Joanne Poſnanienſi, Petro Premislienſi, & Stanislao Olomucenſi Epiſcopis, Claudio Carendol, & Balvio Damont ad prædictam Sereniſſimam Maieſtatem Cæſaream dicti Sereniſſimi Principis CAROLI Oratore, Chriſtophoro Philippo de Lichtenſtein Barone in Caſtelin Cornu, & Caſpare de Volkenſdorff Marſcalco Provinciae Auſtriae Inferioris, ac Moiſe Wuslai Comite Comitatus Holendenſis, Petro Carloczki Magiſtro Curiae, & Michaele Palozi Supremo Magiſtro Camerae praedicti Sereniſſimi VLADISLAI Hungariae, et Bohemiae Regis, Joanne Varnamiſa Caſtelli Budenſis, Ambroſio Sokarko libero Domino in Olnat, Nicolao Firley Palatino Sandomirienſi, Nicolao Recmidowicz Palatino Viſcenſi, & Magni Ducatus Litvaniae Cancellario, Luca de Gorka Caſtellano Poſnanienſi, & Maioris Poloniae Capitaneo Generali, Zdenko Leone de Roſmittal, & in Platna Supremo Caſtellano Pragenſi, Adalberto de Bernſtein in Lantzkron Supremo Magiſtro Curiæ, & Ladislao de Sterenberge, & Bechina Cancellario, & Geroslao de Scheluberok Supremo Camerario Regni Bohemiae, teſtibus ad præmiſſa pro evidenti omnium illorum fide, & teſtimonio vocatis, & ſpecialiter requiſitis. ANNO 1515.

Et ego Nicolaus *Kibeiſten* de *Udinhein* Clericus Spirenſis Diœceſis publicus Sacra Apoſtolica, & Imperiali authoritatibus Notarius, quia præmiſſis omnibus, & ſingulis, dum ſic, ut praemittitur, fierent, & agerentur una cum prænominatis Illuſtriſſimis, Reverendiſſimis, et Magnificis Dominis Teſtibus, & providis Viris Connotariis meis infraſcriptis præſens interfui, eaque omnia, & ſingula ſic fieri vidi, et audivi, atque feci. Ideo hoc præſens publicum Inſtrumentum manu alterius fideliter ſcriptum, exinde confeci, ſubſcripſi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, ſignoq; Nomine, & cognomine meis ſolitis, & conſvetis ſignavi in fidem, et teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum una cum Connotariis meis rogatus & requiſitus.

Et ego Tielmanus Creich Presbyter Moguntinenſis Diœceſis, publicus Sacra Imperiali Auctoritate Notarius, quia præmiſſis omnibus, & ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, fierent, & agerentur una cum prænominatis Illuſtriſſimis Reverendiſſimis

ſimis

ANNO 1515.

simis, Generosis, ac Magnificis Dominis Testibus, & providis Viris Connotariis meis supra, & infrascriptis præsens interfui; eaque omnia, & singula sic fieri vidi, & audivi, ideo hoc præsens publicum Instrumentum manu alterius fideliter scriptum, exinde confeci, subscripsi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, signoque, nomine, & cognomine meis solitis, & consvetis signavi in fidem & testimonium omnium, & singulorum una cum eisdem Connotariis meis rogatus, & requisitus.

Et ego Volffgandus Hofman Presbyter Herbipolensis Diœcesis, publicus Sacra Apostolica Authoritate Notarius, quia præmissis omnibus & singulis dum sic, ut præmittitur, fierent, & agerentur una cum praenominatis Illustrissimis, Reverendissimis, Generosis, ac Magnificis Dominis Testibus, & providis Viris Connotariis meis suprascriptis praesens interfui, eaque omnia, & singula sic fieri vidi, & audivi, ideo hoc praesens publicum Instrumentum manu alterius fideliter scriptum exinde confeci, subscripsi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, signoque, nomine, et cognomine meis, solitis et consvetis signavi in fidem, et testimonium omnium, et singulorum una cum eisdem Connotariis meis rogatus, et requisitus.

## XXIII.

*Pacta Matrimonialia inter* LUDOVICUM *Ungariæ Regem, &* MARIAM PHILIPPI *Hispaniarum Regis Filiam, atque inter* MAXIMILIANUM *Imperatorem, &* ANNAM LADISLAI *Ungariæ, & Bohemiæ Regis Filiam inita, hac conditione, quod licet inter se per verba de præsenti contraxerint, si tamen* FERDINANDUS *Archidux Austriæ, vel* CAROLUS *Dux Burgundiæ, & Hispaniarum Princeps præfatam Dominam* ANNAM *intra spatium unius anni a dato præsenti in Uxorem ducere vellet, præsens Contractus inter* MAXIMILIANUM *& dictam* ANNAM *pro casso, & nullo haberi debeat, hoc vero non eveniente intra trimestre post, & supra annum a die præsentis Contractus computando, idem per cohabitationem coniugalem inter ipsos consummandus sit.* Actum Viennæ 22. Julii Anno 1515. *Ex Originali.* ANNO 1515.

NOS MAXIMILIANUS Divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, & Geldriæ, Landgravius Alsatiæ, Princeps, & Comes Burgundiæ, Flandriæ, Tyrolis, Goriciæ, Artesiæ, Hollandiæ, Selandiæ, Ferreti, in Kyburga, Namurci, & Zutphaniæ, Marchio S. Romani Imperii, supra Anasum, Burgoviæ, Dominus Phrisiæ, Marchiæ Slavoniæ, Mechliniæ, Portus Naonis, & Salinarum &c. Nos VLADISLAUS, Dei Gratia Rex Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramiæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæ, Marchio Moraviæ, Dux Slesiæ, & Lucemburgensis, ac Marchio Lusatiæ &c. Nos SIGISMUNDUS eadem Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ &c. Dominus, & Hæres &c. Tenore Præsentium recognoscimus, & ad perpetuam rei memoriam notum facimus Universis: Quod cum suopte naturæ nostræ instituto, ea quæ ad ornamentum, dignitatem, amplificationem, & conservationem Regnorum, & subditorum nostrorum, quibus Divina dispositione sumus præfecti, spectare Nobis videntur, Pace, Concordia, & Amicitia potius, quam ullo alio studio sive officio quærenda putaverimus, ac præsertim amicitiam atque fraternam inter Nos unionem, quamvis alias avita necessitudo, sangvinisque stricta coniunctio, inter Nos intercedat, novis, & arctioribus vinculis stringere, atque consolidare cogitaverimus, quo cæteri Christiani Principes exemplum nostrum imitati, facilius etiam inter se ad sancta Pacis Fædera coirent, & Religio Christiana propriis, atque concordibus viribus, ac armis aliquando subnixa, sibi decori, conservationi, & incremento: suis vero hostibus immanissimis formidini, ac demum exitio esset futura. Cumque eius rei causa ex multis nunc annis, tam super sponsalibus, quam vinculis Matrimonialibus inter nostros MAXIMILIANI Imperatoris,

Annotoris, & Vladislai Regis Nepotes, 1515. & Liberos formandis eſſet tractatum alias, tandem Divino annuente favore, his negotiis extremam manum apponere voluimus, & in hoc celeberrimo, atque Sanctiſſimo Conventu noſtro, quem Deus propitius ſua benignitate clementer indulſit, & ordinavit fieri, ultra ea, quae ad publicam univerſalis Chriſtianae Religionis utilitatem inter Nos acta, & conſultata ſunt, memoratos Sponſaliarum, & Matrimoniorum Tractatus felici fine, atque concluſione duximus firmandos, atque faciendos. Itaque ad laudem, & gloriam inprimis Dei Omnipotentis Maximi, & ad utile Religionis Incrementum, nec non ad perpetuam tranquillitatem, quietem, ſtabilitatem, ad conſervationem, non tam noſtram, quam Nepotum, Liberorum, Regnorum, Dominiorum, & Subditorum noſtrorum ad hos infraſcriptos Contractus, & Tractatus devenimus.

Inprimis contracta, celebrata, & confirmata ſunt Sponſalia per verba Matrimonialia & de praeſenti cum ſolennitatibus, & ceremoniis in huiuſmodi actibus intervenire ſolitis, & conſvetis inter Sereniſſimam Dominam Mariam noſtri Maximiliani Imperatoris Neptem chariſſimam, & Sereniſſimi quondam Filii noſtri Philippi Regis Caſtellae Filiam, ex una, & Sereniſſimum Dominum Ludovicum, Hungariae, Bohemiaeque Regem, noſtri Vladislai Regis Filium chariſſimum, parte ex altera, accedente ad hoc mutuo, & expreſſo, quantum per ætatem licuit eorum conſenſu, & voluntate, proferente praefato Rege Ludovico hæc verba formalia: Ego Ludovicus *accipio te* Mariam *in legitimam Uxorem*: contra autem ipſa Domina Maria pronuntiante: *Ego* Maria *accipio te* Ludovicum *in meum legitimum Maritum:* coram Reverendiſſimo in Chriſto Patre, Domino, Domino Thoma tituli S. Martini in Montibus Presbytero Cardinale, & Archiepiſcopo Strigonienſi, & Patriarcha Conſtantinopolitano, & Sedis Apoſtolicæ de Latere Legato, huiuſmodi Contractum, per annulorum ſubarrhationem, & aliis neceſſariis firmante, & ſolennizante, hac potiſſimum Lege, & fine, ut ſuccedente per tempus Legitima atque idonea ætate, praefati Dominus Ludovicus Rex, & Domina Maria huiuſmodi Matrimonium per copulam carnalem, ut convenit inter ſe, conſummare debeant. Quod indubitanteri ta futurum, Nos Maximilianus, & Nos Vladislaus Rex in verbo noſtro Cæſareo, & Regio promittimus.

Secundo. Nos Maximilianus Anno hodie Contractum Matrimonialem, cum 1515. Sereniſſima Domina Anna noſtri Vladislai Regis Filia chariſſima per verba de praeſenti, & ad talem actum neceſſaria, & proferri utrinque ſolita celebravimus, & ſolenniter in facie Eccleſiæ firmavimus. Nobis Imperatoribus hæc verba formalia pronuntiantibus: *Ego* Maximilianus *accipio te* Annam *in meam legitimam Uxorem*, & e contra ipſa Domina Anna referente: *Ego* Anna *accipio te* Maximilianum *in meum legitimum Maritum*, coram ſupradicto Reverendiſſimo Cardinale Legato, huiuſmodi Contractum noſtrum Matrimonialem, per annulorum ſubarrhationem, & alia ad hæc requiſita, & adhiberi ſolita, firmante, & ſolennizante. Priuſquam tamen Nos Maximilianus cum Domina Anna praefata contraheremus, coram Notariis, ac Teſtibus, ſpecialiter ad hoc requiſitis, & vocatis, Nos Maximilianus, & ipſa Domina Anna ſolennem proteſtationem fecimus, & declaravimus: Quod ſi alter ex Nepotibus noſtris Maximiliani videlicet, aut Illuſtriſſimus Ferdinandus Archidux Auſtriæ, ſive Sereniſſimus Dominus Carolus Dux Burgundiæ, & Hiſpaniarum Princeps ( dummodo is a contractu cum Domina Renata olim Ludovici Regis Franciæ Filia alias facto liber, & immunis fieret, & opportuna Sanctiſſimi Domini noſtri, & Sedis Apoſtolicæ diſpenſatio interveniret) cum praefata Domina Anna infra ſpatium unius anni a data praeſentis Contractus proxime futuri contrahere vellet: quod iſtud de expreſſo conſenſu, & voluntate amborum noſtrorum fieri poſſet: & praeſens Contractus inter Nos Maximilianum Imperatorem, & ipſam Dominam Annam in iſto caſu annihilatus, annulatus, & caſſatus eſſe debeat: prout in Inſtrumento proteſtationis deſuper confecto latius continetur, & exprimitur, debemusque, ac volumus Nos Imperator Maximilianus, huiuſmodi Contractum Matrimonialem cum Domina Anna, niſi alter Nepotum noſtrorum in tempore praefixo, unius videlicet anni, eam per verba de praeſenti ducet, per copulam carnalem, infra trimeſtre poſt, & ſupra annum a die praeſentis Contractus computando conſummare, & complere. Et in finem hunc prefaeta Domina Anna ad manus noſtras fuit tradita, & libere conſignata.

Nos vero Vladislaus Rex, cum utraque iſta Matrimonia, non ſolum de conſenſu, & voluntate noſtra, imo ex ardentiſſimo noſtro deſiderio facta ſint, ut

praefa

ANNO 1515. praefatam Filiam noſtram chariſſimam Dote decenti, & convenienti honeſtaremus, eidem Filiæ noſtræ ANNAE ducenta millia florenorum Hungaricalium Dotis nomine, tenore præſentium inſcribimus, & aſſignamus, ita tamen, quod huiusmodi pecuniæ ſolutio, neq; ad præſens, neq; tempore conſummationis fieri, ſed ad illud tempus differri debet, quo chariſſimus Filius noſter LUDOVICUS cum Domina MARIA Matrimonium per copulam conſummabit. Cui Dominæ MARIÆ ſimiliter, ut infra patebit, ducenta millia florenorum Hungaricalium Dotis loco ſunt inſcripta. Hoc namq; Matrimonio Filii noſtri cum Domina MARIA per copulam conſummato huiusmodi Dos utrinq; compenſata, & neutra Partium ad illius ſolutionem alteri obligata ſit, vel eſſe debeat. Ut autem viciſſim Nos MAXIMILIANUS Imperator Dominam ANNAM, ut par eſſet, debite, & ingenue remuneremus, loco donationis propter Nuptias, ſeu Contradotis, eidem Dominæ ANNAE reditus annuos viginti quinque millium Ducatorum Hungaricalium ſuper certis Caſtris, Locis, ſeu Territoriis noſtris tenore præſentium aſſignamus. Videlicet medietatem illorum redituum in provinciis noſtris Auſtralibus inferioribus, videlicet ſuper Oppidis & Caſtris *Iudenburg*, *Leola*, *Styra*, *Lembach*, ad S. *Hippolytum* & *Gars*, una cum omnibus, & ſingulis, & ipſorum Territoriis, Diſtrictibus, & emolumentis. Alteram autem medietatem in Comitatu noſtro *Tyrolis*, videlicet ſuper Oppidis & Caſtro *Impst*, Caſtrum una cum officio in *Altenburg*, & ſuper Oppido, & Caſtro in *Ratenberg* una cum eorum omnibus pertinentiis ut ſupra, aſcribimus, una cum omnibus aliis, quæ ex Privilegio, conſvetudine, aut de iure Provinciæ noſtrae Auſtralis Archiduciſſae debentur pro Contradote. Si autem iſtorum locorum per Nos aſſignatorum reditus ad praeſcriptam ſummam non aſcenderet, ex aliis reditibus noſtris huiuſmodi defectum, ut par eſt, ſupplere uſque ad integrum valorem ſummae viginti quinq; millium Ducatorum Hungaricalium curabimus, & pari firmitate promittimus, ipſamque Dominam ANNAM ſtatim poſt conſummationem Matrimonii inter Nos per copulam, in poſſeſſionem ſupradictorum locorum ponemus, & introducemus, curabimuſque, ut ómnes Officiales, & ſubditi ſupra dictorum locorum Dominae ANNÆ per Nos aſſignatorum, homagia, & alia fidelitatis Juramenta, eidem Dominae ANNÆ praeſtare debeant, ipſaque Domina ANNA de omnibus iſtorum locorum Officiis, & Perſonis inſtituendis, ad arbitrium ſuum diſponere poſſit, & valeat, ita videlicet ut praefata Domina ANNA huiuſmodi reditibus, vita ſua durante, uti, frui, ac gaudere, & ex illis ſtatum ſuum ſuſtinere, & intertenere poſſit, & valeat. In caſu autem, quo alter ex Nepotibus noſtris FERDINANDUS aut CAROLUS cum praefata Domina ANNA contraheret, Nos una cum Sereniſſimo Principe Domino FERDINANDO Arragonum, utriuſque Siciliae, & Hieruſalem Rege Catholico, communium Nepotum noſtrorum Avo concordabimus, & providebimus, ut Dominae ANNÆ pro ſupradicta ſumma Contradotis viginti quinque millium Ducatorum Hungaricalium, reditus annui convenienter, & ſufficienter aſſignentur, & aſſecurentur. ANNO 1515.

Circa vero Contractum Domini LUDOVICI Regis cum Domina MARIA Nos Imperator eidem Dominæ MARIÆ Dotis nomine, ſimiliter ſummam ducentorum millium Florenorum Hungaricalium, tenore praeſentium adſcribimus, & aſſignamus, recompenſandam tum ſuo tempore cum alia Dote, ſicut ſuperius eſt expreſſum.

Viciſſim vero Nos VLADISLAUS Rex, nomine chariſſimi Filii LUDOVICI loco donationis propter nuptias, ſive Contradotis praefatae Dominae MARIÆ reditus annuos valoris viginti quinque millium florenorum Hungaricalium, ſuper Bonis, ac Locis in Regnis noſtris Hungariae, & Bohemiae Reginis aſſignare ſolitis, inſcribimus, et per tenorem praeſentium aſſignamus: videlicet in Regno noſtro Hungariae Maromarciſſum cum Camera ſalium, et Caſtrum *Hwiidrth*, cum quinque Oppidis, et aliis poſſeſſionibus: in Regno autem noſtro Bohemiae Hradecz ſupra Albim fluvium, Chrudim, Dwor, et Iaromirz cum attinentibus una cum aliis omnibus, quae vel ex Privilegio, conſuetudine, aut de Jure praefatorum Regnorum noſtrorum Reginis debentur pro Contradote. Quibus omnibus ipſa Domina MARIA temporibus vitae ſuae libere gaudere, uti, ac frui poſſit, ac valeat hoc pacto: Ut ſi ſupradicta ſumma in eorum reditibus ſummam praefixam, videlicet viginti quinque millium florenorum Hungaricalium non attingeret, quod de aliis reditibus noſtris hunc defectum ſupplere debeamus: ſi autem hanc ſummam viginti quinque millium ducatorum excederent, nihilominus id totum Dominae MARIÆ cedere debet. Ipſamque Dominam MARIAM ſtatim poſt conſummationem Matrimonii cum Filio noſtro LUDOVICO per copulam, in poſſeſſionem ſupradictorum locorum ponemus

ANNO 1515. mus, et introducemus: curabimusque, ut omnes Officiales, ac ſubditi præfatorum locorum Dominæ MARIAE per Nos aſſignatorum, homagia, et alia fidelitatis Juramenta eidem Dominæ MARIÆ præſtare debeant. Ipſa quoque Domina MARIA de prædictorum locorum officiis, & perſonis inſtituendis, ad arbitrium ſuum diſponere poſſit, ac debeat.

Hæc duo Matrimonia, tametſi ad laudem inprimis Dei glorioſam, & ad propagationem Regalis Sangvinis (qualis debet eſſe finis, & intentio Sacramenti Matrimonii) a Nobis inſtituta, & firmata ſunt, tamen ſi Deo æterno placeret, ſicut omnes mortalitati obnoxii ſumus, revocare ad ſe, quod tamen longius abeſſe velit, unum ex Sponſis, & Sponſabus, ante vel poſt Matrimonium per copulæ conſummationem, ita inter Nos eſt conventum, & concluſum, & inprimis in caſu, quo Sponſum ſive Maritum Dominæ ANNÆ, ſive Nos, ſive alterum Nepotum noſtrorum, ex humanis ante copulam diſcedere contingeret, quod tunc præfatæ Dominæ ANNÆ, ſumma centum millium Ducatorum, in ſpatio unius anni tunc proxime futuri perſolvatur, aut Jocalia tanti valoris, ſecundum veram æſtimationem ad numerum centum millium florenorum Hungaricalium, quæ apud Provinciales noſtros inferioris Auſtriae deponere debemus, in eventu non ſolutionis ſupradictae ſummae centum millium florenorum Hungaricalium tradantur, cum conditione tamen, Nos aut Haeredes noſtros de Domina ANNA, aut Haeredibus ſuis, huiusmodi Jocalia cum ſumma memorata centum millium Ducatorum Hungaricalium redimere poſſe. Pro qua re Praelati, Comites, Barones, Nobiles, Comitatus, omnesque Status, & Ordines Provinciae Auſtriae, ſufficienter ſub fide, atque honore ſuo, & ſub hypotheca omnium Bonorum ſuorum mobilium, & immobilium ſe obligabunt, quod in ſupraſcripto caſu ſumma centum millium Ducatorum Hungaricalium, absque omni diminutione, aut Jocalia ipſa a Nobis apud eos deponenda, manibus praefatae Dominae ANNÆ, aut Sereniſsimorum Regum Ungariae, et Bohemiae, ſive aliorum, quos Serenitates ſuae, aut Regna ipſa ad hoc deputabunt, in Arce Poſonienſi tradent, & aſſignabunt omni dolo, & fraude, & quavis machinatione ſiniſtra procul remotis. Quod ut faciant illis tenore Praeſentium praecipimus, iniungimus, & mandamus, ipſosque ab omni obligatione ſubiectionis, fidelitatis, & obedientiae, quibus Nobis, & Haeredibus noſtris ſunt aſtricti, ad hunc duntaxat effectum abſolvimus, & liberos fore circa excuſationem praedictorum, expreſſe pronuntiamus, & exnunc declaramus. Hi autem, qui huiusmodi pecuniam, ſive Jocalia ſupradicto caſu ad Arcem Poſonienſem perferent, numerum ducentorum (ſive equites, ſive pedites fuerint) excedere non debeant. Similiter moriente ante conſummationem Matrimonii per copulam Sponſo praefatae Dominae ANNÆ, quicunque is fuerit, iidem Provinciales noſtri ipſam Dominam ANNAM cum omni honeſtate, ſalvis perſonis, & omnibus rebus ſuis, & omnium ſuorum, ad omnem eius, atque Sereniſſimorum Regum voluntatem atque arbitrium ad Regna Paterna, Poſonium videlicet, aut Znoymam, reducere debebunt, & tenentur. In caſu vero, quod unam ex Sponſabus ante Matrimonii conſummationem per copulam mortem obire contingeret, nihilominus alteri Sponſae, quae ſuperſtes erit, Dos expreſſa, videlicet ducentorum millium ducatorum perſolvatur. Similiter ſi unus ex Maritis, poſt Matrimonii conſummationem, fatis concederet, & Uxor relicta ad ſecunda vota tranſire vellet, eidem relictae ſumma illa ducentorum millium Ducatorum perſolvi, et ipſa relicta ſtatim e reditibus pro Contradote ſibi aſſignatis, ſibi cedere debet. Interim vero, et quamdiu ſolutio Dotis ducentorum millium Ducatorum non fiet, reditus annuos, et ſtatum ſuum tenere, ac percipere poterit, ac debet. ANNO 1515.

Quæ omnia ſupradicta inter Nos MAXIMILIANUM, noſtrosque Nepotes, ac noſtros VLADISLAI Filium, & Filiam contracta, firmata, & concluſa, poſtquam matura deliberatione præhabita, & a Nobis ſancita ſunt, Procerum utriusque Imperii, & Regnorum noſtrorum accedente conſilio grata, rata, firma habemus, eaque omnia in fide, ac verbis noſtris Regiis, obſervare, exequi, ac adimplere pro Nobis, Nepotibus, Liberis, et Hæredibus, atque Succeſſoribus noſtris, neque ex illis quoquo modo contravenire directe, & indirecte ex quacunque cauſa, occaſione, ſive colore, dolo, et fraude penitus excluſis tenore Præſentium promittimus, et Nos obligamus.

Nos vero SIGISMUNDUS Poloniæ Rex poſtquam hæc omnia ſupradicta, nedum in præſentia noſtra, ſed et cum ſcitu, et voluntate, atque conſenſu noſtro ſancita, atque firmata ſunt, Nosque ut fierent, omni opera, et ſtudio laboravimus, rati non tam præfatis Maieſtatibus Sacratiſſimi Cæſaris, et Fratris noſtri, Hungariæ, et Bohemiæ Regibus, Regnis, et eorum Liberis, ſed et univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ rem tam ſanctam, et ſaluberrimam

Anno 1515. rimam profuturam, eadem fide noſtra Regia, atque in verbo ingenui Principis, Præſentium tenore promittimus, Nos omni fide, ſtudio, ac opera noſtra, quantum fieri per Nos poterit, ut ſupradicta omnia obſerventur, exequantur, integra, atque illæſa conſerventur, et manuteneantur, et compleantur, ſincere, atque ingenue curaturos, atque elaboraturos.++

Adhæc Nos Maximilianus Imperator Vladislaus, et Sigismundus Reges pro præmiſſorum omnium confirmatione, Sanctiſſimum Dominum requirimus, ſi Contractus ſupraſcripti debitis ſolennitatibus, vel perſonarum ætate, aut alia cauſa, ſive defectu non ſatis eſſent fulciti, ut Beatitudo ſua, ad incrementum Pacis, et univerſorum ſalutem, huiusmodi defectus ſuppleat, et omnia, ut acta ſunt, confirmet, et approbet, faciatque omnibus in contrarium facientibus derogari.

In quorum omnium fidem indubitatam, atque teſtimonium, Nos tres præfati Principes, ternas conformes Literas, manibus, et chirographis noſtris propriis ſubſcripſimus, ac ſigillis noſtris Imperialibus, atque Regalibus communiri fecimus. Cumque res iſtæ etiam conſilio, et induſtria, atque opera Reverendiſſimorum Cardinalium, ſupradicti videlicet Strigonienſis, et Sedis Apoſtolicæ Legati, Matthæi, S. Angeli Diaconi, Cardinalis Gurcenſis, Coadiudoris Saltzburgenſis, et noſtri Imperatoris Locumtenentis in Italia Generalis, actæ, tractatæ, et concluſæ ſunt, manibus ſuis præſentes Literas, ad maius robur, et efficaciam, etiam duxerunt ſubſcribendas. Dat. in Civitate Vienna, Dominica die Feſti S. Mariæ Magdalenæ, 22 Julii Anno 1515. Regnorum noſtrorum, noſtri Maximiliani Regni Romanorum 30, Hungarici vero 26, Noſtri autem Wladislai Hungariæ 25, Bohemiæ vero 45, Noſtri autem Sigismundi Regni Poloniæ 9.

## XXIV.

1523. Carolus V *Imperator* Ferdinando *Archiduci Auſtriæ plenam facit poteſtatem innovandi, et confirmandi Pacta, Conventiones, et Fœdera inter S. R. Imperium, et Domum Auſtriæ, ac* Sigismundum *Poloniæ Regem, ſuosque Anteceſſores inita. Datum in Oppido Valiſoleti* die 18. Menſis Martii Anno 1523. *Ex Archivo Regni.*

Carolus Quintus Divina favente Clementia Romanorum Imperator Auguſtus, ac Rex Germaniæ, Hiſpaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Inſularum Balearium, Sardiniæ, Fortunatarum, & Indiarum, ac Terræ firmæ Maris, Oceani &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Lothrici, Brabantiæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, Gheldriæ, Wirtenbergæ &c. Comes Habspurgi, Flandriæ, Tyrolis, Artheſiæ, & Burgundiæ, Palatinus Hanoniæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, Ferreti, Kiburgi, Namurci, & Zutphaniæ, Landtgravius Alſatiæ, Marchio Burgoviæ, & Sacri Romani Imperii &c. Princeps Sveviæ &c. Dominus Friſiæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis ac Mechliniæ &c. Recognoſcimus, & tenore Præſentium profitemur, quod cum noſtri Officii eſſe cenſeamus cum omnibus Chriſtianis Regibus, & Principibus amicitiam, concordiam, & fœdera inire, & conſervare, convenit tamen cum illis, qui Prædeceſſoribus, & Maioribus noſtris ſingulari amicitia, & ſocietate coniuncti fuere, Nos huiusmodi fœdera diligentius intertenere. Qua de re cum Sereniſſimus Princeps, Dominus Sigismundus Rex Poloniæ, & Magnus Dux Litvaniæ, Frater, & Conſangvineus noſter chariſſimus nonnulla Pacta, Conventiones, et Faedera cum Sacratiſſimo Divo Maximiliano, Domino, et Avo noſtro colendiſſimo praeclariſſimae memoriae habuerit, tam uti Electo Romanorum Imperatore, quam uti Archiduce Auſtriae, et Serenitas ſua cupiat eiusmodi Faedera, et Conventiones a Nobis, uti Succeſſore praefati Avi noſtri, confirmari, et innovari, et Nos eiusmodi Faedera, et Conventiones, amicitiam et Pacta cum eodem Sereniſſimo Rege conſervare cupientes, propterea confiſi de fraterno amore, et ſingulari prudentia Sereniſſimi Principis Domini, Domini Ferdinandi Infantis Hiſpaniarum, Archiducis Auſtriae, ac Generalis Locumtenentis noſtri in Sacro Romano Imperio, Fratris noſtri chariſſimi, de certa ſcientia, animo deliberato, ac maturo conſilio dedimus, conceſſimus, et elargiti ſumus, ſicut tenore Praeſentium damus, concedimus, et elargimur praefato Sereniſſimo Fratri noſtro Domino, Domino Ferdinando omnimodam facultatem, et poteſtatem, ut poſſit vocatis Conſiliariis, qui ſibi videbuntur, pro Nobis et nomine noſtro, quemadmodum Serenitati ſuae videbitur, et Sacro Romano Imperio, et communi Domui noſtrae Auſtriae expedire cenſuerit, confirmare, innovare, meliorare, augere, et diminuere omnia, et quaecunque Faedera, Pacta, et Conventiones, quae praefatus Avus noſter, ſive alii Praedeceſſores noſtri Romanorum Im-

ANNO 1523. peratores, et Reges ſive Archiduces fecerunt, inierunt, et pepigerunt cum praefato Sereniſsimo Rege, aut aliis Praedeceſſoribus eius, Regibus Poloniae, tam occaſione Sacri Romani Imperii, quam clariſsimae Domus noſtrae Auſtriae, promittentes in fide et verbo Caeſareo, totum id, et quidquid per praefatum Fratrem noſtrum modo ſupra ſcripto cum praedicto Sereniſsimo Rege Poloniae actum, tractatum, concluſum, confirmatum, et innovatum fuerit, Nos hoc omne, et quodlibet eorum omni tempore, ita ratum, gratum, et firmum habituros, ac ſi Nosmet ipſi illa omnia contraxiſſemus, concluſiſſemus, et providiſſemus dolo et fraude ſubmotis. Harum teſtimonio Literarum manu noſtra ſubſcriptarum et Sigilli noſtri appenſione munitarum. Datum in oppido noſtro Valiſſoleti 15 Martii Anno 1523.

## XXV.

1526. *Reſponſum a* SIGISMUNDO *Rege Poloniæ Nuntiis Cæſaris* CAROLI V. Anno 1526. (*)

Sacra Maieſtas Regia, Magnifici Domini Oratores, commendat inprimis magnopere curam, et ſtudium Sacrae Caeſareae, et Catholicae Maieſtatis, ac Sereniſſimi Principis FERDINANDI, quam adhibent ad communem inter Chriſtianos Pacem componendam, aequanimiter etiam ferentes tam inſignem victoriam ſuam, et curam fortunae, publicae utilitati poſthabentes.

Agitque immenſas gratias eius Maieſtas tam illius Caeſareae Celſitudini, quam etiam Sereniſsimo Principi FERDINANDO, quod inter ea ſua optima ſtudia non gravantur etiam de Pace, et bono Statu Maieſtatis ſuae Regiae curam, et operam tantam ſumere. ANNO 1526.

Et quamvis non potuit non plurimum mirari eius Maieſtas, quod eorum Serenitates mittant Oratores ſuos cauſa tractandae Pacis, et negotiorum Maieſtatis ſuae Regiae, illa prius non requiſita, et nulla de his rebus mutua cum illa intelligentia prius habita, idque agant cum eo Duce, tam amice, et familiariter, qui praeter barbarum animum, et fidem etiam, nulla in re Serenitatibus earum, aut rei Chriſtianae unquam ex uſu eſſe poſsit, ut heſterno die declaratum eſt.

Tamen hac ratione perſvaſum habens Maieſtas ſua id ex poſtulatione ipſius Ducis Moſcoviae procedere, quandoquidem quid aliud commercii eſſe poſſet illarum Serenitatibus, cum tam longinquo, et efferato Principe, Maieſtas ſua non videt; nunquam etiam dubitans eius Maieſtas de ſincero, et integerrimo amore in ſe ſuarum Serenitatum, in optimam partem accipit hanc earum de ſe curam, et ſollicitudinem, quam illis viciſsim vult Maieſtas ſua, omni ſtudio, omnibus fraternis officiis, et obſervantia ſua ſemper referre.

Auget etiam hanc confidentiam Maieſtatis ſuae, quod Veſtra Dominatio, Magnifice Domine Sigismunde, illuc proficiſcitur, quae iam alias in eo negotio eſt ſatis verſata, et reſoluta, et cuius fidem, et integritatem Maieſtas ſua habet abunde cognitam, et perſpectam.

Et proinde, quod ad Conditiones Pacis tractandas attinet, hic modus videtur Maieſtati ſuae in praeſens unicus, et conducibilis, ut Dominationes Veſtrae agerent, quo Pax, et Concordia illa inter Maieſtatem ſuam, et illum Ducem reſtauraretur, quae ante noviſsimum bellum fuit compoſita, et aliquamdiu obſervata, ut quicquid poſt illam actum eſſet, aboleretur, et ablata utrinque reſtituerentur. Ad eam conditionem Pacis curabunt Dominationes Veſtrae negotium modis omnibus deducere, et in ea conſtanter perſiſtent.

Quod ſi Dux ille more ſuo obſtinatus fuerit, neque ad Pacem hanc dudum confectam induci ullis rationibus poterit, tum demum Veſtrae Dominationes exquirent ab illo, ut viciſsim illae conditiones, quae eſſent aequae, et Maieſtati ſuae ferendae proponeret, quibus acceptis declarabunt e veſtigio veſtrae Dominationes eius Maieſtati, ut illa capto conſilio cum Dominis Conſiliariis Magni Ducatus Litvaniae, mitteret illuc Oratores ſuos cum plena facultate ad ipſam Concordiam tractandam, et concludendam. Nam alioquin

(*) Oratores iſti Caroli, et Ferdinandi, quibus praecedens hoc datum fuit Reſponſum, prætextu quidem et ſpecie tractandæ inter Regem Poloniæ, et Moſcum concordiæ, quod palam præferebant, ad Ducem Moſcorum fuerunt miſſi; verum longe aliud fuit illis per Principes eorum demandatum, nempe ut Moſcorum Ducem contra Regem Poloniæ incitarent et inſtigarent, ut Rex Poloniæ bello Moſcitico diſtentus non poſſit Ludovicum Hungariæ et Bohemiæ Regem, Nepotem ſuum copiis ſuis auxiliaribus contra Turcum, qui cum ingenti Exercitu contra ipſum Ludovicum Regem in Hungariam adventabat, adiuvare, quo et facilius Rex Ludovicus ſic deſtitutus periret, et Ferdinandus Hungariam, et Bohemiam, quod ſemper votis omnibus cupiebat, hac data occaſione invadere, et occupare poſſet. Præterea ſi Rege Ludovico occiſo in conflictu cum Turcis habito, Regnicolæ Hungari & Bohemi ad Regem Poloniæ utrumque hoc Regnum Hungariæ & Bohemiæ detuliſſent, facilius Rex noſter minoreque negotio ab ipſis Bohemiæ, et Hungariæ Regnis per Ferdinandum, & Germanos reprimeretur, quum ab altera parte etiam bello per Moſcos urgeretur. Eadem æſtate periit Rex Ludovicus, & Ferdinandus Hungariam & Bohemiam invaſit. Tomicii Epiſcopi Cracovienſis, & Vicecancellarii Regni, Epiſtolæ, Legationes &c, Tom. VIII.

ANNO 1526. quin Dux ipſe nihil omnino cum veſtris Dominationibus, absque Oratoribus Maieſtatis ſuæ concludere vellet.

Et hæc eſt Sententia, & Inſtructio Maieſtatis ſuæ, iuxta quam in præſens Veſtræ Dominationes ſe pro virtute, & induſtria ſua gerere debent. Cognoſcent vero Maieſtatem ſuam eius fidei, & laboris, quem in hoc negotio præſtabunt, futuram, nec ingratam, nec immemorem.

1527. FERDINANDI *Bohemiæ Regis Declaratio Articulorum Fœderis inter* CASIMIRUM *Poloniæ, &* GEORGIUM *Bohemiæ Reges, Anno 1462. initi, ſibique per Oratorem* SIGISMUNDI *Poloniæ Regis exhibiti. Articulum primum de Societate belli contra Turcas ad Ordines Regni ſui reiicit, alterum vero de Societate contra omnes, exceptione* CAROLI *Imp. Fratris ſui reſtringit. Articulum denique de Judicibus, qui Controverſias in finibus utriusque Sileſiæ, & utriusque Poloniæ dirimant, ita intelligi vult, ut ii de communi Partium conſenſu eligantur.* Datum Pragæ, Feria quarta poſt Dominicam Oculi, Anno 1527. *Ex Originali.* Vide *Bohemia* ad an. 1527. fol. 30.

XXVI.

1530. *Mandatum* FERDINANDI *Ungariæ, & Bohemiæ Regis Oratoribus ſuis datum ad contrahendum Matrimonium inter Filiam ſuam* ELISABETH, *&* SIGISMUNDUM II. SIGISMUNDI I. *Regis Poloniæ Filium.* Datum in Civitate Imperiali Auguſta die 22. Menſis Octobris Anno 1530.. *Ex Originali. Extat in Archivo Regni Lib. 33. Num. 34. fol. 260.*

FERDINANDUS Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, Infans Hiſpaniarum, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ &c. Marchio Moraviæ &c. Recognoſcimus tenore Præſentium. Quod Nos ſingularem fiduciam gerentes de fide, integritate, prudentia, rerumque gerendarum induſtria, dexteritate, & experientia Reverendi Principis, & Devoti, Magnificorum, ac Nobilium, & fidelium Nobis dilectorum Jacobi Epiſcopi Vratislavienſis, Adalberti de Peruſtain, in Pardubica Supremi Magiſtri Curiae, & Capitanei Regni noſtri Bohemiae, Sigismundi a Dietrichſtaini, Baronis in Holnburg, Winckenſtain, & Lalburg, Pincernæ haereditarii Ducatus Noſtri Carinthiae, Joannis Phlug de Rabenſtain in Petſchaw Feudorum Germanicorum in praefato Regno Noſtro, & in Thaſchaw Capitanei, & Mareſchalci Regni Noſtri, Sigismundi ab Herberſtain, Capitanei Noſtri in Clam, & Beati Widman Doctoris, & Praefecti Noſtri Horben, Conſiliariorum, & Oratorum Noſtrorum ad Dietam in Civitate Poſnanienſi ad Feſtum Divi Michaelis proxime elapſi indictam, & celebrandam deſtinatorum. Idcirco eosdem Jacobum Epiſcopum, Adalbertum, Joannem, ac utrumque Sigismundum, & Beatum, ſponte, & ex certa ſcientia, animoque deliberato, ac omnibus melioribus modo, via, iure, cauſa, & forma, quibus melius, validius, & efficacius de iure potuimus, & debuimus, ac poſſumus, & debemus ſecurius, conſtituimus, creavimus, & deputavimus Noſtros veros, certos, legitimos, & indubitatos Procuratores, Actores, Factores, negotiorumque Noſtrorum infraſcriptorum Mandatarios ſpeciales, ac Generales, ita tamen, quod generalitati ſpecialitas in nullo deroget, nec econtra, dantes, & concedentes eisdem Jacobo Epiſcopo, Adalberto, Joanni, ac utrique Sigismundo, & Beato Conſiliariis, & Oratoribus Noſtris omnibus, vel ad minus tribus, aut quatuor ex eis plenam facultatem, authoritatem & poteſtatem Noſtro Nomine cum Reverendis in Chriſto Patribus, Dominis, ac Illuſtriſſimis, Spectabilibus, Magnificis, Egregiis, ſincere Nobis Dilectis, Joanne Poſnanienſi, Andrea Cricio Plocenſi Epiſcopis, Chriſtophoro de Schiedłowiecz Caſtellano, & Capitaneo Cracovienſi, Regni Poloniae Cancellario, Siradienſi, Goſtienſi, & Sochaczovienſi, novaeque Civitatis Corczyn Capitaneo, in Szmielow, et Magna Opatow Domino, et Haerede, Andrea Comite de Thanczyn Palatino Cracovienſi, Belzenſi, Ratnenſi, et in Ocieſk Capitaneo, Joanne Comite de Tharnow, Palatino Ruſſiae, et Generali Capitaneo Regni, Luca de Gorka Caſtellano Poſnanienſi, et Maioris Poloniae Generali Capitaneo, Joanne Choienski Archidiacono Cracovienſi, et Primario Secretario Regio, Commiſſariis, et Oratoribus Sereniſſimi Principis Domini SIGISMUNDI Regis Poloniae, Magni Ducis Lituaniae, ac Ruſſiae, Pruſſiaeque, Fratris, et Sororii noſtri chariſſimi, nec non

ANNO 1530.

Anno 1530. Joanne Episcopo Mischnensi, et Simone Pistorio, Doctore et Cancellario Illustrissimi Principis Domini Georgii Ducis Saxoniae etc. Consanguinei nostri charissimi ad eandem Dietam deputatis, et seu aliis etiam deputandis, omnibus, vel maiore eorum parte, coniunctim, super Matrimonio per iam dicti Serenissimi Domini Regis Poloniae Filium, Dominum Sigismundum cum Serenissima Elisabeth Filia nostra, natu grandiori contrahendo, et ineundo, eiusque Pactis, Conditionibus, et Promissionibus, tam sponsalitiis, quam dotalibus, aliisque ad hunc Contractum necessariis et requisitis, et per nostros, dictique Serenissimi Domini Regis Poloniae Oratores, et Commissarios utrinque petendis, offerendis, proponendis, exhibendis, et obtinendis, earumque cohærentiis, dependentiis, emergentiis, annexis, et connexis, ad illius tractationem, et progressum, ac commodis proloquendi, tractandi, ineundi, assumendi, acceptandi, paciscendi, et concludendi, pactisque, modis, pœnis, assecurationibus, modificationibus convenientibus, et appositis idem Matrimonium firmandi, et roborandi, omniaque alia et singula faciendi, et exequendi, quae Nosmet faceremus, et exequeremur, ac facere, et exequi posse-mus, si praemissis omnibus, et singulis praesentes, et personaliter interessemus, etiamsi talia forent, quae Mandatum exigerent magis speciale, quam Praesentibus est expressum, ponentes idcirco eosdem Consiliarios, et Oratores nostros, promittentes etiam verbo nostro Regio, Nos omnia, et singula per eosdem Consiliarios et Oratores nostros, omnes, vel tres, vel quatuor ex eis, modo, et forma, quibus supra, in praemissis, vel circa ea prolocuta, capitulata, acta, tractata, acceptata, inita, concluſa, firmata, et roborata, et inconcusse observare, ac perpetuo rata, grata, valida, et firma habere velle, nec contra ea, vel eorum aliquod ullo unquam tempore directe, vel indirecte quovis nomine, modo, colore, vel ingenio agere, dicere, facere, vel venire debere, dolo, et fraude, aut aliqua alia sinistra machinatione in omnibus his postpositis penitus, et semotis. Harum testimonio Literarum Sigilli nostri appensione munitarum. Datum in Civitate Imperiali Augusta die XXII. Mensis Octobris. Anno Domini M. D. XXX. Regnorum nostrorum Bohemiae Quinto, Hungariae vero Quarto.

Ferdinandus *propria manu.*

## XXVII. Anno 1530.

Sigismundus *Rex Oratoribus suis dat plenam potestatem ad ineundum Contractum Affinitatis, & Matrimonii inter suos, &* Ferdinandi *Ungariæ, & Bohemiæ Regis Liberos.* Dat. Cracoviæ 9. Septemb. Anno 1530. *Ex Arch. Thesauri Regni.*

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, etc. Dominus, et Haeres. Manifestum facimus tenore Praesentium unicuique, quia Nos memores necessitudinis, et benevolentiae mutuae, quae Nobis cum Serenissimo Principe, et Domino Ferdinando Dei Gratia Ungariae, et Bohemiae Rege, Infante Hispaniarum, Archiduce Austriae, Duce Burgundiae, Brabantiae, Consanguineo nostro charissimo, et Serenissima Domo Austriae intercedit, cupientesque illam nova coniunctione, et affinitate per communium Liberorum nostrorum mutuam Desponsationem augere, et firmare, ad communem bonum statum, tam nostrum, quam etiam Regnorum, et Dominiorum nostrorum, ac rei Christianae, designavimus ad Civitatem nostram Posnanienſem Consiliarios, et Oratores nostros, videlicet Reverendos in Christo Patres, ac Spectabiles, et Magnificos sincere Nobis Dilectos, Joannem Posnanienſem, Andream Cricium Plocenſem Episcopos, Christophorum de Schidłowiecz Castellanum, et Capitaneum Cracovienſem, Regni Poloniae Cancellarium, Siradienſem, Gostinenſem, et Sochaczovienſem, Novaeque Civitatis Corczyn Capitaneum, in Szmielow, et Magna Opatow Dominum Andream Comitem de Thanczyn Palatinum Cracovienſem, Bełzenſem, Ratnenſem, et in Ociesk Capitaneum, Joannem Comitem de Tharnow, Palatinum Russiae, et Generalem Capitaneum, Joannem Choienski Archidiaconum Cracovienſem, et Primarium Secretarium nostrum, quibus plenam potestatem et facultatem dedimus, damusque Praesentibus cum Oratoribus, et Consiliariis ipsius Serenissimi Domini Ferdinandi Regis, ac Illustris Principis Domini Georgii Ducis Saxoniae etc. Affinis nostri charissimi de Affinitate, Coniunctione, et Matrimonio eorundem communium Liberorum nostrorum agendi, tractandi, constituendi, determinandi, et concludendi, promittentes in verbo nostro Regio totum id, quod per illos actum, tractatum, conditum et concluſum fuerit, in praemissis Nos ratum, gratum

tum

tum, et firmum perpetuo habituros, non
ANNO secus, ac si Nos ipsi coram ageremus.
1530. In cuius rei testimonium praesentes Literas manu nostra propria subscriptas Sigillo nostro communiri fecimus. Cracoviae 9. Septembris Anno 1530.

## XXVIII.

*Conditiones futuri Matrimonii inter* SIGISMUNDUM II. SIGISMUNDI I. *Poloniae Regis Filium, & Dominam* ELISABETH FERDINANDI *Hungariae, & Bohemiae Regis Filiam per Oratores utriusque Maiestatis in Conventu Posnanienſi initae, interposita pœna ducentorum millium aureorum per Partem non facientem satis præsenti Contractui, Parti tenere volenti solvendorum.* Actum & concluſum in Civitate Posnanienſi die 10. Novembris Anno 1530. *Ex Arch. Regni Liber Legationum Lit.* D. *fol.* 175.

Nos Joannes de Latalicze Posnanienſis, Andreas Cricius Plocenſis Epiſcopi, Christophorus a Szydlowiec in Szczmielow, et Magna Opatow Castellanus, et Capitaneus Generalis Cracovienſis, ac Regni Poloniae ſummus Cancellarius, nec non Siradienſis, Sochaczovienſis, Goſtinenſis, Novae Civitatis Korczyn, & Lucovienſis Terrarum Praefectus, Andreas Comes de Thanczyn Palatinus Cracovienſis, ac Belzenſis, Ratnenſis, Chełmenſis, & Craſnoſtavienſis Capitaneus, Joannes Comes de Tarnow Palatinus Ruſſiae, & Sandomirienſis, ac Exercituum Regni Poloniae Summus Capitaneus, Lucas de Gorka Caſtellanus Posnanienſis, & Capitaneus Maioris Poloniae Generalis, & Joannes Choienski Decretorum Doctor, Praepoſitus Posnanienſis, & Archidiaconus Cracovienſis, ac Sacrae Maieſtatis Regiae primarius Secretarius, Sereniſſimi Domini SIGISMUNDI I. Dei Gratia Regis Poloniae, Magni Ducis Litvaniae, Ruſſiae, totiusque Pruſſiae, Maſoviaeque &c. Domini, & Haeredis, Domini noſtri clementiſſimi, Oratores, & Mandatarii ad Conventum Posnanienſem deſignati. Univerſis, & ſingulis praeſentibus, et futuris, harum ſerie Literarum ſignificamus, et notum facimus. Quod cum ex Commiſſione, et Mandato praefati Sereniſſimi Domini Regis noſtri ad Feſtum S. Michaelis in Civitate Regia Posnanienſi, cum Oratoribus ANNO Sereniſſimi Principis et Domini, Domini 1530. FERDINANDI Dei gratia Hungariae, et Bohemiae Regis, Infantis Hiſpaniarum, Archiducis Auſtriae, Ducis Burgundiae, etc. Marchionis Moraviae etc. Comitisque Tyrolis, videlicet Reverendiſſimo Principe Domino Jacobo Epiſcopo Vratislavienſi, et Magnificis, Sigismundo de Herberſtein Capitaneo in Clam, et Doctore Beato Praefecto Herbenſi, ſimul et cum Oratoribus Illuſtriſſimi Domini GEORGII Ducis Saxoniae etc. videlicet Reverendiſſimo Domino Joanne Epiſcopo Miſnenſi, et Magnifico Simone Piſtorio Doctore praefati Illuſtriſſimi Domini Ducis Cancellario, iuxta deſideria, vota, et inſtructiones Regum, et Ducis praefatorum conveniſſemus, et ad tractandum, et concludendum ſuper affinitate inter Sereniſſimos Reges praefatos, et de Matrimonio Liberorum Maieſtatum ſuarum, cum plenis, et ſufficientibus Commiſſionibus, Inſtructionibus, et Mandatis Regum praedictorum, reſpective poſt multas propoſitiones, allegationes, & amicas conſiliorum, et rationum inter Nos collationes, et Tractatus, vigore praefatorum Mandatorum plenorum, et ſufficientium Regum noſtrorum, medio praefatorum Domini Ducis GEORGII Conſiliariorum, et Oratorum, Nos videlicet Sereniſſimi Regis SIGISMUNDI praefati Conſiliarii, et Oratores praedicti, cum praenominatis Sereniſſimi Domini Regis FERDINANDI Conſiliariis, et Oratoribus, de, et ſuper Coniunctione matrimoniali, et Deſponſatione Liberorum praedictorum Regum noſtrorum, ſub infraſcriptis Conditionibus, Clauſulis, Pactis, & Pœnis interpoſitis, concordavimus, tranſegimus, ac unanimi voto, & conſilio concluſimus in hunc modum. Inprimis quod quando Sereniſſimi Domini Regis FERDINANDI Filia Illuſtriſſima Domina ELISABETH ſeptimum Annum impleverit, praefati Sereniſſimi Reges tenebuntur, Nomine ſuorum Liberorum contrahere Sponſalia per verba de futuro, ubi commode ipſi convenire poſſent mutuo, & ita eis faciendum viſum foret. Alioquin enim quando Conventus Maieſtatum ſuarum fieri non poſſet, tunc praefato ſeptennio expleto, Sereniſſimus Dominus Rex noſter Poloniae, tenebitur per Oratores ſuos, nomine Sereniſſimi Filii ſui in loco, quem Sereniſſimus Dominus Rex FERDINANDUS deſignaverit, Sponſalia per verba de futuro cum Illuſtriſſima Domina ELISABETH Filia Sereniſſimi Domini Regis FERDINANDI contrahere.

Et ustyuicium ſ/ad Ebrbiecie ſwiche, Monarcho ſwie wenni p. vi/ub p. 10/- Ty winni zrobic zaraz czyny w verba de futuro

ANNO 1530. Similiter quoque Sereniſſimus Dominus Rex FERDINANDUS tempore, & loco per ſuam Maieſtatem nominando, obligatus erit contrahere Sponſalia per verba de futuro ex parte, & nomine praefatæ Filiæ ſuæ, conſenſu ipſius accedente, cum Oratoribus utriuſque Sereniſſimi Regis Poloniæ ad hoc ab eis miſſis. Antequam tamen huiuſmodi Sponſalia de futuro contrahantur, tenebitur uterque Regum coniunctim apud Sedem Apoſtolicam inſtare cum effectu expediendi ad obtinendam diſpenſationem ſuper impedimento conſangvinitatis, nec non, ſi commoditas utrorumque Parentum, & contrahentium tulerit, ut etiam de eorum voluntate ante tempora a Jure deſuper ſtatuta Sponſalia, tam de futuro, quam (ſi videbitur) de præſenti contrahere libere valeant; dumque Filia Sereniſſimi Domini Regis FERDINANDI, ad plenos pubertatis, vel ut præmittitur, per diſpenſationem obtentos, & anticipatos annos pervenerit, tum invicem cum Filio Sereniſſimi Domini Regis Poloniæ SIGISMUNDO ſecundo tenebuntur, & debebunt Sponſalia præfata ratificare, & Matrimonium per verba de præſenti contrahere.

Porro Sereniſſimus Dominus Rex FERDINANDUS debebit, tenebiturque præfatam Illuſtriſſimam Dominam ELISABETH Filiam ſuam, cum decenti, & Regio apparatu, atque ornamentis proprio ſumptu, pro tempore communibus votis deſignando Cracoviam mittere.

Obligabitur etiam Sereniſſimus Dominus Rex FERDINANDUS eandem ſuæ Maieſtatis Filiam providere Dote centum millium aureorum Hungaricalium, auri puri, boni, & iuſti ponderis, illiuſq; tertiam partem, una cum traductione in manus Officialium Sereniſſimi Regis Domini SIGISMUNDI conſignare, & exſolvere. Reliquas autem duas partes infra annum, & diem poſt conſummationem Matrimonii, citra omnem dilationem, Maieſtas Sereniſſimi Regis FERDINANDI diſſolvet.

E converſo Sereniſſimus Poloniæ Rex Dominus noſter modernus nomine Filii ſui, aut eo decedente, Sereniſſimus Dominus SIGISMUNDUS ſecundus Contradotem, ſeu Donationem propter Nuptias Illuſtriſſimæ Dominæ ELISABETH Conthorali ſuæ providebit, aſſecurabit, & inſcribet, & in Bonis Regni ſui, videlicet in Sandecz, Sanok, Biecz, Przemyśl cum omnibus Villis, & aliis adiacentibus proventibus univerſis, Summam ducentorum millium florenorum Hungaricalium. ANNO 1530

Cæterum hæc obligatio Dotis, & Donationis propter Nuptias, quæ ita, ut ſupraſcriptum eſt, Novæ Reginæ erit facta, poſt mortem Sereniſſimae Dominæ BONÆ Reginæ modernæ transferetur ad eas Civitates, & Arces, quæ ſunt ſuæ Maieſtati eadem ratione Dotis, & Donationis propter Nuptias obligatæ, & inſcriptae, dummodo tamen vel haec, vel illa Bona praefatae ſummae ducentorum millium florenorum Hungaricalium, atque praefato Contractui ſufficienter reſpondeant. Poſtea quam vero Sponſa ad Sponſum, ſicut praemittitur, deducta fuerit, extunc ante conſummationem Matrimonii, tenebitur ſolenniter, & expreſſe haereditatis tam Paternae, quam Maternae ſufficientem facere Renuntiationem, quam & firmabit, & ratificabit Sereniſſimus Dominus Rex SIGISMUNDUS tanquam Sponſus ſuis Literis, & Sigillo.

Et quamvis Sacrorum Canonum conſtitutionibus cautum ſit ad Matrimonia contrahenda cogi neminem debere, etiam paenis interpoſitis, ne Libertas, quae ſumma debet eſſe in contrahendis Matrimoniis, ad neceſſitatem translata videatur, verum quia ab aliis quoque Regibus, & Principibus Chriſtianis, citra Legum, & Canonum praeiudicium, & indignitatem conſtat, Contractibus huiusmodi paenam apponi ſolitum eſſe, proinde ne & Pactorum tam ſolemnis expreſſio, & opera utriuſque Maieſtatis in irritum convertatur, has Conditiones, Tractatus, & Concluſiones praeſcriptas Sereniſſimi Reges FERDINANDUS, & SIGISMUNDUS Primus, eorumque Liberi ſupra nominati, firmiſſime, & inviolabiliter tenere, et obſervare debebunt, et tenebuntur, ſub honore ſuo Regio, et paena ducentorum millium aureorum Hungaricalium, per partem non facientem ſatis conditionibus, et clauſulis ſupraſcriptis, Parti tenere volenti ſine ulla recuſatione, cavillatione, aut quovis exquiſito colore, ad primam Partis tenentis, et Conditionibus parere volentis requiſitionem ſolvendorum.

Pro maiori autem praeſentis negotii, affinitatis, et futuri Matrimonii cautela, et ſecuritate, tenebuntur Sereniſſimi FERDINANDUS, SIGISMUNDUS Primus Reges, et Parentes Liberorum praedictorum ſuorum Literis ſuis patentibus, manu cuiuslibet eorum ſeorſum ſubſcriptis, et

ANNO 1530. et Sigillo Regali communitis ea omnia, quæ præsentibus continentur, & cum insertione Præsentium de verbo ad verbum ratificare, & approbare, atque se, suosque Liberos prænominatos ad explenda, & perficienda omnia, & singula supra expressa sub Verbo Regio, ac pœna ducentorum millium aureorum Hungaricalium prædictorum obligare. Casu vero quo Sereniſſimi Reges nostri SIGISMUNDUS Pater, & SIGISMUNDUS Filius Conditiones, & Pacta supra expressa, vel aliquamlibet ex eis conditionem, & clausulam adimplere, & exequi noluerint, extunc mox, dilatione, mora, excusatione, arte, ingenio, & difficulate qualibet exclusa ad primam requisitionem Sereniſſimi Regis FERDINANDI, aut Illustriſſimæ ELISABETH Virginis Filiæ suæ, pœnam præfatam ducentorum millium aureorum Hungaricalium solvere, & in manus Nuntiorum, qui super requisitione huiusmodi cum pleno, & sufficienti Mandato ad Maiestates suas, seu alterum eorum venerint, numerare, & reponere tenebuntur, & erunt obligati.

Quod si ipsi Sereniſſimi Reges nostri prædicti pœnam, quam in non adimplendis Pactis præsentibus transgressi incurrerent, solvere etiam neglexerint, vel recusaverint, extunc fieret, fierique deberet libera facultas Sereniſſimo Regi FERDINANDO, eiusque Filiæ prædictæ, Ducatus, Provincias, Terras, Civitates, Oppida, Castra, Arces, Villas tam Regias, quam alias quascunque Spiritualium, & Sæcularium subditorum Maiestatum suarum ubicunque in Ditione, & Dominiis Regni Poloniæ existentium, ad solutionem dictorum ducentorum millium aureorum Hungaricalium arctare, cogere, imo Bona omnia, quæcunque præfata in Regno Poloniæ consistentia mobilia, & immobilia invadere, occupare, & detinere tam diu, donec de prædictis ducentis millibus aureorum Hungaricalium Sereniſſimo Regi, aut eius Filiæ satisfactum non fuerit, & in tali casu Sereniſſimi Reges nostri, eorum Posteri non debebunt, neque etiam iuste poterunt prædicto Regi FERDINANDO, aut ipsius Filiæ resistere, aut succensere, & contradicere verbo, vel facto per se, aut submissas personas publice, vel occulte, directe, vel indirecte, sed illius Maiestatis propositum, & actiones tales, quascunque contra Sereniſſimos Reges nostros, aut alterum eorum, & Dominia, ac subditos Maiestatum suarum fecerint, approbare, commendare, & ratificare, nulla arte, dolo, & ingenio præmissis contraveniendo. Pactis, Fœderibus, Contractibus, & Inscriptionibus, ac Pace communi Regnorum & Terrarum, in suo robore nihilominus remanentibus, quibus per actiones quascunque præfati Domini Regis FERDINANDI aut eius Filiæ in repetitione pœnæ huiusmodi ducentorum millium, ut præmissum est, intentatas, & commissas non poterit, neq; censebitur in aliquo derogatum esse. ANNO 1530.

Postremo si alter Contrahentium ante consummationem Matrimonii (quod Deus avertat) moreretur, tunc totus iste Tractatus, & Conventio, cum omnibus suis attinentiis, cum mors omnia solvat, penitus sit dissoluta.

Cæterum cum de Donatione, & Munere Virginitatis nominatim exprimendo, & apud quem Matrimonio sine Liberis soluto proprietas Dotis, & Donationis propter Nuptias remanere, atque quibus Pactis, & Conditionibus, cum aliorum Fœderum, & Coniunctionum exceptione, hæc affinitas stabiliri, & firmari debeat, inter Nos convenire non potuerit, referemus de iisdem ad Sereniſſimum Regem nostrum Poloniæ desuper, quo ambo Reges ante diem Sponsalium de futuro contrahendorum concordabunt, & illos Articulos absolvent. In quorum omnium fidem, & evidens testimonium Nos præfati Oratores exhibito Oratoribus Sereniſſimi Regis FERDINANDI nostro, & vicissim ab eis susceptо eorum Mandato Sigilla nostra, una cum Illustris Saxoniæ Ducis supra nominati Oratorum Sigillis appossuimus. Actum & concluſum in Civitate Posnania. Pridie S. Martini Anno a Christo nato MDXXX.

## XXIX.

*Exemplar earundem Conditionum ex parte Oratorum* FERDINANDI *Regis.* Actum in Civitate Posnania die 10. Nov. Anno 1530. *Ex Originali. Extat in Arch. Cancell. Regni Lib. Legationum sub Lit. F. fol. 87. Item Lib. 33. No. 34. fol. 261.*

NOs Jacobus Dei gratia Episcopus Wratislavienſis etc. Sigismundus ab Herberhtain Eques Auratus, Capitaneus in Claun, & Beatus Widemanus Legum Doctor, Præfectus Horvenſis, Commiſſarii, & Oratores Sereniſſimi, ac Potentiſſimi Domini, Domini FERDINANDI Hungariæ, Bohemiæ etc. Regis, Infantis Hiſpaniarum, Archiducis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ, Sleſiæ, Marchionis Moraviæ,

Anno 1530. Luſaciæ, & Comitis Tyrolis &c. Domini noſtri gratioſiſſimi ad infraſcripta ſpecialiter deputati. Univerſis, & ſingulis, Præſentibus, & futuris tenore Præſentium ſignificamus, & notum facimus. Quod cum ex Commiſſione, & Mandato præfati Sereniſſimi Regis Ferdinandi ad Feſtum Divi Michaëlis in Civitate Poſnanienſi cum Sereniſſimi Principis, & Domini, Domini Sigismundi Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Domini, & Hæredis, ac Ducis Maſoviæ &c. Oratoribus, & Nuntiis, videlicet Reverendiſſimis, Illuſtribus, Magnificis, Spectabilibus, & Reverendiſſimis in Chriſto Patribus, Joanne Poſnanienſi, Andrea Cricio Plocenſi, Epiſcopis, Chriſtophoro de Szydłowiec Caſtellano, & Capitaneo Cracovienſi, Regni Poloniæ Cancellario, Siradienſi, Goſtinenſi, Sochaczovienſi, Novæque Civitatis Korczyn Capitaneo, in Sczmielow, & magna Opatow Domino, Andrea Comite de Tenczyn Palatino Cracovienſi, Belzenſi, Chelmenſi, Ratynenſi, & in Oczieck Capitaneo, Joanne Comite de Tarnow Palatino Ruſſiæ, & Generali Capitaneo Regni, Luca de Gorka Caſtellano Poſnanienſi, & Capitaneo Maioris Poloniæ Generali, & Joanne Choienſki Archidiacono Cracovienſi, Primario Secretario Regni Poloniæ: Simulque Illuſtriſſim, Principis & Domini Domini Georgii Ducis Saxoniæ &c. Oratoribus, & Nuntiis, Reverendiſſimo videlicet in Chriſto Patre, & Domino, Domino Joanne Epiſcopo Miſnenſi, & Magnifico Domino Simone Piſtorio utriusque Juris Doctore, Canonico, iuxta deſideria, vota, & inſtructiones Regum, & Ducis præfatorum, mutuo conveniſſemus ad tractandum, & concludendum ſuper affinitate inter Sereniſſimos Reges prolatas, & de Matrimonio Liberorum Maieſtatum ſuarum cum plenis, & ſufficientibus Commiſſionibus, Inſtructionibus, & Mandatis Regum prædictorum reſpective, poſt multas propoſitiones, allegationes, & amicabiles conſiliorum, & rationum inter nos Collationes, & Tractatus vigore præfatorum Mandatorum plenorum, & ſufficientium Regum noſtrorum medio præfatorum Domini Ducis Conſiliariorum, & Oratorum. Nos videlicet Sereniſſimi Regis Ferdinandi præfati Conſiliarii, & Oratores prædicti cum prænominatis Sereniſſimi Regis Sigismundi Conſiliariis, & Oratoribus de & ſuper coniunctione Matrimoniali, & deſponſatione [Liberorum] prædictorum Regum noſtrorum, ſub infraſcriptis conditionibus, clauſulis, pactis, & pænis interpoſitis concordavimus, tranſegimus, ac unanimi voto, & conſilio concluſimus in hunc modum. Inprimis quod quando Sereniſſimi Regis Ferdinandi Filia Illuſtriſſima Domina Elisabeth ſeptimum Annum impleverit, præfati Sereniſſimi Reges tenebuntur nomine ſuorum Liberorum contrahere Sponſalia per verba de futuro, ubi commode ipſi mutuo convenire poſſent, & ita eis faciendum viſum foret; alioquin enim quando Conventus Maieſtatum ſuarum fieri non poſſet, tunc præfato ſeptimo Anno expleto, Sereniſſimus Poloniæ Rex tenebitur per Oratores ſuos, Nomine Sereniſſimi Filii ſui in loco, quem Sereniſſimus Rex noſter Ferdinandus deſignaverit, Sponſalia per verba de futuro cum Sereniſſima Domina Elisabeth Filia Sereniſſimi Regis noſtri contrahere: Similiterque Sereniſſimus Rex noſter Ferdinandus tempore, & loco per ſuam Maieſtatem nominando obligatus erit contrahere Sponſalia per verba de futuro ex parte, & Nomine Filiæ ſuæ præfatæ, conſenſu ipſius accedente cum Oratoribus utriusque Sereniſſimi Poloniæ Regis, ad hoc ab eis miſſis, antequam tamen huiusmodi Sponſalia de futuro contrahantur, tenebitur uterque Regum coniunctim apud Sedem Apoſtolicam inſtare cum effectu expediendi ad obtinendam diſpenſationem ſuper impedimento Conſangvinitatis. Nec non ſi commoditas utrorumque Parentum, & contrahentium tulerit, ut etiam de eorum voluntate ante tempora, a iure deſuper ſtatuta Sponſalia tam de futuro, quam ſi videbitur de præſenti, contrahere libere valeant. Dumque Filia Sereniſſimi Regis noſtri Ferdinandi ad plenos pubertatis, vel ut præmittitur, per diſpenſationem obtentos, & anticipatos Annos pervenerit, tunc invicem cum Filio Sereniſſimi Regis Poloniæ Sigismundo II. tenebuntur, & debebunt Sponſalia præfata ratificare, & Matrimonium per Verba de præſenti contrahere. Porro Sereniſſimus Rex Noſter Ferdinandus debebit, tenebiturque præfatam Illuſtriſſimam Dominam Elisabeth Filiam ſuam cum decenti, & Regio apparatu, atque ornamentis proprio ſumptu pro tempore communibus votis deſignando Cracoviam mittere. Obligabitur & Sereniſſimus Dominus, & Rex noſter Ferdinandus eandem ſuæ Maieſtatis Filiam providere Dote centum millium aureorum Hungaricalium, auri puri, boni, & iuſti ponderis, illiusque tertiam partem, una cum traductione in manus Officialium Sereniſſimi Regis Sigismundi conſignare, & exſolvere. Reliquas vero duas partes intra annum, & diem

Anno 1530.



Anno 1530. diem poſt' conſummationem Matrimonii, citra omnem dilationem Maieſtas Sereniſſimi Regis Ferdinandi diſſolvet. Econverſo Sereniſſimus Poloniæ Rex modernus, nomine Filii ſui, aut eo decedente, Sereniſſimus Rex Sigismundus II. Contradotem ſeu Donationem propter Nuptias Illuſtriſſimæ Dominæ Elisabeth Conthorali ſuæ providebit, aſſecurabit, & inſcribet in Bonis Regni ſui, videlicet in Sandecz, Sanok, Biecz, Przemyſl cum omnibus Villis, & aliis adiacentibus proventibus univerſis, Summam ducentorum millium florenorum Hungaricalium. Cæterum hæc obligatio Dotis, & Donationis propter Nuptias, quæ ita, ut ſupraſcriptum eſt, nomine Regum erit facta, poſt mortem Sereniſſimæ Dominæ Bonæ Reginæ modernæ transferetur ad eas Civitates, & Arces, quæ ſunt ſuæ Maieſtati, eadem ratione Dotis, & Donationis propter Nuptias obligatæ, & inſcriptæ, dummodo tum vel hæc, vel illa Bona, præfatæ Summæ ducentorum millium florenorum Hungaricalium, atque præfato Contractui ſufficienter reſpondeant. Poſtquam vero eadem Sponſa ad Sponſum, ſicut præmittitur, deducta fuerit, ex tunc ante conſummationem Matrimonii tenebitur ſolemniter, & expreſſe hæreditatis tam Paternæ quam Maternæ ſufficientem facere Renuntiationem, quam & firmabit, & ratificabit Sereniſſimus Rex Sigismundus tanquam Sponſus ſuis Literis, & Sigillo. Et quamvis Canonum Sacrorum Conſtitutionibus cautum ſit, ad Matrimonia contrahenda cogi neminem debere, etiam pænis interpoſitis, ne libertas, quae ſumma debet eſſe in contrahendis Matrimoniis, ad neceſſitatem translata eſſe videatur; verum quia ab aliis quoque Regibus, & Principibus Chriſtianis, citra Legum, & Canonum praeiudicium, & indignitatem conſtat, Contractibus huiusmodi paenam apponi ſolitum eſſe, et proinde ad ratificationem eorum omnium, quae ſupra nominata ſunt, & ne Pactorum tam ſolemnis expreſſio, & opera utriusque MAIESTATIS in irritum convertatur, has Conditiones, Tractatus, & concluſiones praeſcriptas, Sereniſſimi Reges Sigismundus I. & Ferdinandus, eorumque Liberi ſupranominati firmiſſime, & inviolabiliter tenere, & obſervare debebunt, & tenebuntur ſub honore ſuo Regio, & paena ducentorum millium aureorum Hungaricalium per partem non facientem ſatis Conditionibus & clauſulis ſupra deſcriptis, parti tenere volenti ſine ulla recuſatione, cavillatione, aut quovis exquiſito colore ad primam partis tenentis, et conditionibus parere volentis requiſitionem ſolvendorum. Pro maiori autem praeſentis negotii, affinitatis, & futuri Matrimonii cautela, & ſecuritate, tenebuntur praefati Sereniſſimi Ferdinandus, & Sigismundus Primus, Reges, & Parentes Liberorum prædictorum ſuorum Literis ſuis patentibus manu cuiuslibet eorum ſubſcriptis, & Sigillo Regali communitis ea omnia, quæ Præſentibus continentur, cum inſertione Præſentium de verbo ad verbum ratificare, & approbare, atque ſe ſuosque Liberos prænominatos ad explenda, & perficienda omnia, & ſingula ſupra expreſſa ſub verbo Regio, & pæna ducentorum millium aureorum prædictorum obligare. Caſu vero quo Sereniſſimus Rex noſter Ferdinandus Conditiones, & Pacta ſupra expreſſa, vel quamlibet ex eis Conditionibus, & Clauſulis adimplere, & exequi noluerit, & recuſaverit, ex tunc mox dilatione, mora, excuſatione, arte, ingenio, & difficultate qualibet excluſa, ad primam requiſitionem Sereniſſimorum Regum Sigismundi I. & Sigismundi II. Filii ſui, pænam praefatam ducentorum millium aureorum Hungaricalium ſolvere, & in manus Nuntiorum, qui ſuper requiſitione huiusmodi cum pleno, & ſufficienti Mandato ad Maieſtatem ſuam venerint, numerare, & reponere tenebitur, & erit obligatus. Quod ſi ipſe Sereniſſimus Rex noſter Ferdinandus pænam, quam in non adimplendis Pactis praeſentibus transgreſſus incurreret, ſolvere etiam neglexerit, vel etiam recuſaverit, extunc fieret, fierique debet libera facultas Sereniſſimo Regi Sigismundo, eiusque Filio prædicto, Ducatus, Provincias, Terras, Civitates, Oppida, Caſtra, Arces, Villas tam Regias, quam alias quascunque Spiritualium, & Sæcularium Subditorum Maieſtatis ſuæ ubicunque in Ditionibus, & Dominiis Regnorum Hungariæ, Bohemiæ, ſeu aliarum Provinciarum exiſtentium ad ſolutionem dictorum ducentorum millium aureorum Hungaricalium arctare, cogere, imo Bona omnia, quæcunque præfata in eisdem Regnis, & Provinciis conſiſtentia mobilia, & immobilia invadere, occupare, detinere tamdiu, donec de prædictis ducentis millibus aureorum Hungaricalium Sereniſſimo Regi Sigismundo, aut eius Filio ſatisfactum non fuerit, & in tali caſu Sereniſſimus Rex noſter, aut eius Poſteri non debebunt, neque etiam iuſte poterunt prædicto Regi Sigismundo, aut ipſius Filio reſiſtere, aut ſuccenſere, contradicere verbo, vel facto, per ſe, aut ſubmiſſas perſonas, publice, vel occulte, directe, vel indirecte, ſed utriusque illius Maieſtatis

Anno 1530.

ANNO 1530. ieſtatis propoſitum, & actiones tales, quaſcunque contra Sereniſſimum Regem noſtrum, aut Poſteros, & Dominia, ac Subditos eius Maieſtatis fecerint, approbare, commendare, & ratificare, nulla arte, dolo, vel ingenio præmiſſis contraveniendo. Pactis, Fæderibus, Contractibus, & Inſcriptionibus, ac Pace communi Regnorum, & Terrarum in ſuo robore nihilominus remanentibus, quibus per actiones quaſcunque præfatorum Dominorum, Regis SIGISMUNDI, aut eius Filii repetitione, paenae huiusmodi ducentorum millium, ut praemiſſum eſt, intentatas, & commiſſas non poterit, neque cenſebitur in aliquo derogatum eſſe. Poſtremo ſi alter contrahentium ante conſummationem Matrimonii, quod Deus avertat, moreretur, tunc totus iſte Tractatus, & Conventio, cum omnibus ſuis attinentiis, cum mors omnia ſolvat, penitus ſit diſſoluta. Caeterum cum de Donatione ex munere Virginitatis nominatim exprimenda, & apud quem (Matrimonio ſine Liberis ſoluto) proprietas Dotis, & Donationis propter Nuptias remanere, atque quibus Pactis, & Conditionibus cum aliorum Faederum, & coniunctionum exceptione haec affinitas ſtabiliri, & firmari debeat, inter Nos convenire non potuerit, referemus de iisdem ad Sereniſſimum Regem noſtrum FERDINANDUM, ſuper quo ambo Reges ante diem Sponſalium de futuro contrahendorum concordabunt, & illos Articulos abſolvent. In quorum omnium fidem, & evidens teſtimonium, Nos praefati Oratores exhibito Oratoribus Sereniſſimi Regis Poloniae noſtro, & viciſſim ab eis ſuſcepto ſuo Mandato Sigilla noſtra, una cum Illuſtriſſimi Saxoniae Ducis ſupranominati Oratorum Sigillis appendimus. Actum, & concluſum in Civitate Poſnania, pridie S. MARTINI Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo trigeſimo.

## XXX.

1532. *Literæ* PAULI *Papæ III, in quibus continetur* CLEMENTIS *Papæ VII. Bulla Diſpenſationis, ut inter* SIGISMUNDUM AUGUSTUM *Regem, & Sereniſſimam* ELISABETH, *tertii conſangvinitatis gradus impedimento, ac defectibus ætatum non obſtantibus Sponſalia celebrari, & Matrimonium contrahi poſſit.* Datum Romæ die 25 Auguſti Anno 1532. Literæ vero PAULI *Papæ* III. Datæ die 14 Decembris Anno 1535. *Ex Originali. Extat in Arch. Cancel. Regni Lib. Legationum Lit. L fol. 129.* ANNO 1532.

PAULUS Epiſcopus Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Proviſionis noſtræ debet provenire ſubſidio, ut ius ſuum cuilibet conſervetur. Hinc eſt, quod Nos tenorem quarundam Literarum felicis recordationis CLEMENTIS Papæ Septimi Prædeceſſoris noſtri compertum in Regeſtro ipſius Prædeceſſoris pro eo, quod ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti Filii Nobilis adoleſcentis SIGISMUNDI II. de Polonia, & dilectæ in Chriſto Filiæ Nobilis DOMICELLÆ ELISABETH de Auſtria Viennenſis, & Cracovienſi, ſeu aliarum Civitatum, & Diæceſium, ipſi huiuſmodi tenore ex certis cauſis dinoſcuntur indigere de Regeſtro ipſo de verbo ad verbum tranſcribi, & ad ipſorum SIGISMUNDI, & ELISABETH ſupplicantium inſtantiam Præſentibus annotari fecimus, qui talis eſt.

CLEMENS Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilecto Filio Nobili Adoleſcenti SIGISMUNDO II de Polonia, & dilectæ in Chriſto Filiæ Nobili DOMICELLAE ELISABETH de Auſtria Viennenſi, & Cracovienſi, ſeu aliarum Civitatum, & Diæceſium Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Romani Pontificis præcellens auctoritas conceſſa ſibi deſuper utitur poteſtate, prout perſonarum, negotiorum, & temporis qualitate penſata, id conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

Sane dilecti Filii: Andreas de Burgo Romanorum, & Stanislaus Przeczyca SIGISMUNDI Poloniæ, Regum Illuſtrium, chariſſimorum in Chriſto Filiorum noſtrorum apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Oratores, ipſorum Regum nominibus, prout per eorum Literas ad eoſdem Oratores reſpective deſuper ſcriptas, & Nobis oſtenſas in Mandatis expreſſe habuerunt, cum eo, quo decuit, et mentis, et devotionis affectu Nobis expoſuerunt, quod FERDINANDUS, qui etiam Archidux Auſtriæ, et SIGISMUNDUS, Reges præfati, qui etiam Magnus Dux Litvaniae, exiſtunt, pro conſervandis inter eos, ac eorum Poſteros, Conſangvineos, et Affines, praeſertim ex ſangvine Regio deſcendentes, Pacis, et Amicitiae Faederibus ſummopere cupiunt, ut Tu Fili SIGISMUNDE, qui SIGISMUNDI, et Tu in Chriſto Filia ELISABETH, quae FERDINANDI Regum prædi-

ANNO 1532. praedictorum nati estis, Matrimonium invicem contrahatis; sed quia tertio Consangvinitatis gradu invicem coniuncti, Tuq; SIGISMUNDE in XII. et Tu ELISABETH in infantili, ut dicitur, vestrarum aetatum annis, vel circa constituti estis, Matrimonium huiusmodi contrahere non potestis, dispensatione Apostolica super hoc non obtenta. Quare dicti Oratores nominibus praedictis humiliter supplicari fecerunt, ut Vobis in iis de opportunae dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui inter cunctos Christi fideles, praesertim Reges, et Principes, Pacis, et Concordiae unitatem, et amaenitatem vigere sinceris desideramus affectibus, ex praemissis, et certis aliis Nobis expositis causis huiusmodi Nobis super hoc porrectis supplicationibus inclinati, Vobiscum, ut tertii consangvinitatis gradus impedimento, ac defectibus aetatum huiusmodi, & quibusvis Apostolicis, nec non Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis nequaquam obstantibus, praefatorum vero Regum consensu, pariter et assensu, ac conventionibus sufficientibus, et formam Matrimonii legitime repraesentantibus ad hoc intervenientibus, Sponsalia celebrare, et Matrimonium inter Vos contrahere, & in eodem Matrimonio perpetuo remanere libere, et licite valeatis, ex certa nostra scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, auctoritate Apostolica tenore Praesentium de specialis dono gratiae dispensamus, ac Sponsalia, et Matrimonium huiusmodi exnunc, prout extunc, et e contra, dum ad aetatem legitimam perveneritis, ac si in ipsa aetate legitima constituti essetis, valida, et canonica fore, nec postquam ad dictam aetatem legitimam perveneritis, alium consensum alicuius vestrum requiri debere, neque Matrimonium ipsum dirimi posse, sicque per quoscunque Judices, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales interpretari, iudicari, et definiri debere, adempta aliter iudicandi, et interpretandi facultate, decernimus, ac prolem suscipiendam legitimam nuntiamus. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostrae dispensationis, decreti, et nuntiationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Dat. Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Quingentesimo trigesimo primo, 8vo Kalendas Mensis Septembris. Pontificatus nostri Anno Octavo. ANNO 1532.

Caeterum ut earundem tenor Literarum praedictus sic insertus omnimodam rei, seu facti certitudinem faciat, authoritate Apostolica decernimus, ut illud idem robur, eandemque vim, eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quae haberent Originales Literae supradictae, et eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quandocunque, et ubicunque sive in iudicio, sive alibi, fuerit exhibitus, sive ostensus, et eidem tenori firmiter stetur in omnibus, sicut eisdem Originalibus Literarum staretur, si forent exhibitae, vel ostensae. Per hoc autem nullum Jus cuiquam de novo acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostri Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Quingentesimo trigesimo quinto. 19 Kalendas Mensis Januarii, Pontificatus nostri Anno Secundo

## XXXI.

*Mandatum* SIGISMUNDI *I. Patris & Sigismundi II. Filii Regum Poloniae Oratoribus suis datum ad perficiendum Tractatum Matrimonii inter Sereniss. Elisabeth Ferdinandi Romanorum Regis Filiam, & praefatum Sigismundum II. Regem Poloniae.* Datum Cracoviae Anno 1537. *Ex Archivo Regni. Lib. Legationum sub Lit. F fol. 43.* 1537.

NOS SIGISMUNDUS Primus, & Secundus Pater, & Filius Dei gratia Reges Poloniae, Magni Duces Litvaniae, Russiae, Prussiae, &c. Domini, & Haeredes. Omnibus iis, qui vel nunc sunt, vel postea futuri sunt, Literis hisce nostris planum, & testatum facimus. Quod cum avita Domui nostrae cum Illustrissima, & Inclyta Austriae Familia necessitudo sit constituta, augere illam veterum Maiorum nostrorum more cupientes, de nova Nobis cum ea coniunctione concilianda, & Maioribus amoris, & amicitiae,

Anno 1537. citiæ, propinquitatisque vinculis adstringenda consilium, cogitationemque suscepimus. Qua de re cum ultro citroque multa collata iam sunt, & communicata per Legatos, & Consiliarios, tam nostros quam Sereniſſimi Domini Romanorum Regis, Fratris, & Consangvinei nostri chariſſimi. Mittimus nunc ad eam perficiendam Regni Senatores, & Consiliarios, Reverendum in Christo Patrem Joannem Episcopum Varmiensem, & Janussium Latalski Palatinum Posnanienſem cum ea potestate, qua ipsi sumus, & quidquid a Nobis præsentibus in causa hac Matrimonii fieri, transigique potuerit, id ab eis pari cum potestate, authoritateque fieri, transigique voluimus, & ut Nostras ipsi Personas gerant, nec minus quam Nos in actu isto consummando facultatis habeant. Nos vero quæcunque pacta, conventa, facta, transacta per eos fuerint, haud aliter Nos ea obſervaturos, rataque habituros sancte promittimus, quam si per Nos ipsos pacta, conventa, facta, transactaque essent. Cuius rei ut maior fides habeatur, Literas has nostra manu subscriptas, Signoque nostro obsignatas fecimus. Datum Cracoviæ Anno 1537.

XXXII.

Sigismundus II. *promittit se ratum habiturum, quidquid per* Sigismundum I. *Patrem de eodem Matrimonio constitutum fuerit.* Datum Cracoviæ Anno 1537. *Ibidem.*

Sigismundus II. Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, &c. Dominus, & Hæres. Omnibus tam iis, qui nunc sunt, quam iis, qui postea futuri sunt, notum, testatum, manifestumque facimus hisce Literis nostris, ea, quæ per Sereniſſimum Parentem nostrum tractantur de Matrimonio inter Nos, & Sereniſſimam Dominam Romanorum Regis maximam natu Filiam, summa voluntate nostra tractari. Quidquid itaque ea de re per Maiestatem eius, sive per Legatos, quos plena cum potestate Maiestas eius miserit, transactum fuerit, & constitutum, id Nos ratum habituros, sancteque, & inviolate obſervaturos promittimus, recipimus, spondemus, Fidemque nostram Regiam Literis his nostris adstringimus, omnia prius facturi, quam ut a Pactis & Conventis per Sereniſſimum Parentem, & Dominum nostrum, aut eius Legatos, vel digitum quod aiunt, latum discedamus. Ac Magnifico Janussio Palatino Posnanienſi potestatem facimus cum Sereniſſima Filia natu maxima Sereniſſimi Rom. Regis verbis præsentis temporis, nostro Nomine Matrimonium contrahendi, idque quasi per Nos ipsos nostro ore contractum esset, perpetuo Nos ratum habituros, sanctiſſimeque obſervaturos, iterum atque iterum promittimus, recipimus, spondemus, fidemque nostram Literis hisce nostris obstringimus, quæ ut certior sit, neque de voluntate nostra dubitari quicquam ab aliquo possit, manu illas nostra subscripsimus, Signoque nostro obsignari fecimus. Dat. Cracoviæ An. 1537. Anno 1537.

*Compacta inter* Ferdinandum *Romanorum Hungariæ, & Bohemiæ Regem, &* Sigismundum I. *Poloniæ Regem in Conventione Glogovienſi pro tranquillo ſtatu Regnorum Bohemiæ, & Poloniæ per Commiſſarios ab utrinque delegatos facta, cum Ratificatione* Ferdinandi *Regis.* Dat. Vratislaviæ 17. Junii Anno 1538. *Ex Archivo Regni Lib. Legationum ſub Lit. S. fol. 14. Vid. Bohem. Anno. 1538. f. 32.* 1538.

*Reſponſum S. R. Maieſtatis Poloniæ ad legationem* Ferdinandi *Rom. Hungariæ, Bohemiæ &c. Regis, quo cauſas exponit, cur ſubditis Regni ſui uſum Commercii cum Hungaria & Sileſia interdixerit. Ex Archivo Regni. Lib. Legationum ſub Lit. F fol. 83. vide Bohemia, ad* An. 1539. fol. 140. 1539.

XXXIII.

Ferdinandus *Romanorum &c. Rex comprobat ea, quæ per Oratorem ſuum cum* Sigismundo I, & Sigismundo Augusto *Regibus Poloniæ condicta fuerunt de prorogatione Nuptiarum Sereniſſimæ* Elisabeth *promittitque ſe daturum operam, ut Decretum Proſcriptionis* Alberti *Marchionis Brandeburgenſis abrogetur, atque negotiorum* Isabellæ *Reginæ* 1543.

ANNO 1543. *Reginæ Hungariæ, & Filii eius rationem habiturum.* Cætera. Dat. Viennæ 1. Januarii Anno 1543. *Ex Archivo Regni.*

FERDINANDUS Divina favente clementia Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex. Sereniſſimo Principi Domino SIGISMUNDO Regi Poloniæ, Magno Duci Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiae &c. Sereniſſime Princeps, Frater, Affinis, & Conſangvinee noſter chariſſime. Cum ex relatione Magnifici Georgii Zabka, liberi Baronis in Limberg, Regni noſtri Bohemiæ Procancellarii, Conſiliarii, & Oratoris Noſtri ad Nos Superioribus diebus reverſi, tum etiam ex ſcripto eidem reſponſi loco dato, libenti animo intelleximus, Serenitati Veſtræ, ſimul & communi Filio noſtro chariſſimo, Sereniſſimo Regi SIGISMUNDO AUGUSTO ea, quæ eidem Orator noſter, ad Serenitatis veſtræ poſtulationem de prorogatione Nuptiarum verbis noſtris attulerat, grata accidiſſe, atque in iis libenter eas acquieſcere, ſeſeque ad eum modum cooperaturas fore, ut ad diem Divo Georgio ſacrum parati, & expediti ad Nuptias eſſe queant; ſed cupere tamen utramque Serenitatem Veſtram paulo longius intervallum bona cum venia noſtra dari, idque duabus potiſſimum de cauſis, in eo ipſo ſcripto expreſſis, & proinde conſentire ambas Serenitates Veſtras, ut pridie Nonas Maii proxime futuri, Nuptiæ omnino conficiantur, neque ulla earum rerum amplius prorogatio fieri debeat, niſi forte aliquod impedimentum accideret eiusmodi, quamobrem neceſſario in aliud tempus reiiciendæ forent. Admittimus igitur ob eas cauſas, quas Serenitates Veſtræ non inconſulto adducendas exiſtimarunt, paucorum iſtorum dierum intervallum, ab eo die, quem Nos diem communium Liberorum Nuptiis celebrandis dixeramus, pro mutua amicitia, amore, benevolentia, & neceſsitudine noſtra haud gravatim, atque adeo per haſce noſtras Literas teſtatum facimus, Nobis perplacere, approbari, ratum, & gratum haberi, ut Nuptiæ inter communes Liberos noſtros, iam ſemel, atque iterum prorogatæ, haud prorogentur amplius, ſed Deo inprimis adiuvante ad pridie Nonas Maii proxime futuri omnino celebrentur, & conficiantur. Itaque Nos curaturos eſſe, ut Filia noſtra chariſsima ELISABETH cum decenti, & honorifico apparatu, & comitatu ad diem Dominicum, qui proximus erit poſt diem Aſcenſionis Domini Anni huius, immo etiam diebus aliquot ante, Cracoviam certo, & indubitato perducatur, & perveniat. Et hæc quidem ſunt, quæ ad reſponſum Serenitatis Veſtræ Nobis per Procancellarium noſtrum Bohemicum allatum, in præſentiarum Serenitati Veſtræ reſcribenda duximus. Quam una cum Sereniſsima Coniuge, & Liberis ſuis omnibus, cum ſumma rerum omnium proſperitate, & Regnorum ſuorum ſalute, & incremento in Neſtoreos uſque annos, quam feliciſſime vivere optamus. Datum in Civitate noſtra Vienna die 1. Menſis Januarii Anno Domini 1543. Regnorum noſtrorum Romani XII. aliorum vero XVI. ANNO 1543.

## XXXIV.

*Conventio* SIGISMUNDI AUGUSTI *Regis Poloniæ cum* FERDINANDO *Romanorum &c. Rege, de Dote, Contradote, & Renuntiatione Sereniſſimæ* ELISABETH *Sponſæ ſuæ.* Dat. Cracoviæ 14. April. 1543. *ex Originali. Extat in Archivo Cancellariæ Regni Lib. Legationum Lit. G.* 1543.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ &c. Dominus, & Hæres. Ad perpetuam rei memoriam, planum, teſtatumque facimus univerſis, & ſingulis, quorum intereſt, aut intereſſe aliquando poterit, ſive iis qui nunc ſunt, ſive qui futuri ſunt poſtea, ac Literis hiſce noſtris, noſtro, Hæredumque & Succeſſorum noſtrorum nomine profitemur. Quod poſteaquam (quod felix, fauſtum, & fortunatum, cum utriusque Noſtrum Regnis, ac populis, tum toti Reipublicæ Chriſtianæ Deus eſſe velit) cum Sereniſſimo, & Excellentiſſimo Principe Domino FERDINANDO Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ &c. Rege, Parente Noſtro obſervatiſsimo, Affinitatem contraximus, ac Sereniſsimam Dominam ELISABETHAM Maieſtatis eius Filiam Nobis deſponſatam, ac legitime copulatam, in matrimonium accepimus, iuxta Contractum inter Maieſtatem eius, & Sereniſsimum Dominum SIGISMUNDUM Poloniæ Regem, Parentem noſtrum obſervatiſsimum initum, de Dote centum millium florenorum Hungaricalium auri puri, & iuſti ponderis, plene Nobis eſt, & integre ſatisfactum. Volentes itaque Nos Contractui Matrimonii, qui inter Sereniſſimos: FERDINANDUM, & SIGISMUNDUM Reges, Parentes noſtros chariſsimos interceſsit, ſatisfacere, ut omni-

ANNO 1543. bus constare posset, & quanta sit animi nostri propensio erga Sereniſsimam Coniugem noſtram, Dominam ELISABETHAM, & quam constantes simus in pactis, & conventis servandis, quæ inter Sereniſsimos Parentes noſtros, consentientibus Nobis interceſserunt, vicisſim Sereniſsimæ Coniugi Noſtræ ELISABETHÆ in compensationem Dotis a Nobis acceptæ centum millia florenorum Hungaricalium auri puri, & iuſti ponderis, aſsignamus iuxta eiusdem contractus tenorem; pro Contradote vero, & Donatione propter Nuptias Maieſtati eius tantumdem ſpondemus, & verbo Noſtro Regio promittimus. Quam quidem Summam ducentorum millium florenorum Hungaricalium auri puri, boni, & iuſti ponderis, in Bonis noſtris: Sandecz, Sanok, Biecz, & Premiſlia cum omnibus villis, & aliis adiacentibus proventibus univerſis aſsecuravimus, & inſcripſimus ita, ut præſentibus aſsecuramus: & inſcribimus ita, ut hæc obligatio Dotis, & Donationis propter Nuptias nomine, Sereniſsimæ Coniugi Noſtrae facta, ſimul cum virginitatis munere, ſi quod, (ſero ut contingat Deum precamur) Sereniſsima Domina BONA Regina Poloniae, Parens Noſtra chariſsima e vivis exceſserit, transferatur ad eas Civitates, & Arces, quae ſunt Maieſtati eius eadem ratione Dotis, & Donationis propter Nuptias inſcriptae, & obligatae, quarum nomina ſunt in literis Sereniſsimae Dominae BONÆ Reginae Poloniae Parentis Noſtrae obſervatiſsimae deſcripta. Quae quidem utraque Bona pro ſe ducentorum millium florenorum Hungaricalium ſummae ſufficienter reſpondere, Maieſtati eius Praeſentibus cavemus. De munere vero virginitatis Maieſtati illius dando Sereniſsimo Domino SIGISMUNDO Parenti noſtro, & Nobis libera eſt poteſtas permiſſa, ut id arbitrio praeſtemus.

Quo quidem nomine Bona Noſtra praedicta non minus, quam Dotis, & Donationis propter Nuptias cauſa, eidem Sereniſsimae ELISABETHÆ inſcripſimus, & obligavimus ita, ut praeſentibus inſcribimus, & obligamus: ea lege, & conditione, ut, ſi quid prius Sereniſsimae Coniugi noſtrae, quam Nobis, humanitus acciderit, & Dos, & Donatio propter Nuptias, & munus ipſum virginitatis, ad Nos, & ad Regnum Noſtrum Poloniae perpetuo devolvetur, ſine aliqua ipſius Dotis reſtitutione. Si vero de Nobis prius aliquid factum fuerit, prole ex ea (quod omen Deus obruat) non ſuſcepta, aut ſi ſuſcepta ſit, praemortua, tum Sereniſsima Coniunx noſtra ELISABETHA omnibus Terris, Diſtrictibus, Dominiiſque ſibi inſcriptis ad vitae ſuae vidualis tempora, plenam utendi, fruendi poteſtatem habere debeat. Poſt mortem autem eius, centum millia florenorum Contradonationis propter Nuptias ſibi donata, & inſcripta, ad Nos, Regnumque Noſtrum, libere revertantur. De Dote vero, & munere Virginitatis, habeat Sereniſsima Coniunx Noſtra ELISABETHA tam in vita ſua, quam in mortis articulo, plenam donandi, ac diſponendi facultatem, qualem habuit olim Sereniſsima Domina ELISABETH Avia Noſtra chariſsima. Haec omnia literis hiſce Noſtris praeſcripta, ita demum firma, & rata eſſe debebunt, ſi & tertia pars Dotis iuxta contractum cum traductione Sereniſsimae Sponſae Noſtrae in manus Officialium Noſtrorum conſignata, de reliquis vero duabus partibus a Generoſis Fuccaris ad infra ſcriptam formulam Syngrapha eorum cautum Nobis fuerit; ſed & abrenuntiationem, cum deducta ad Nos fuerit Sereniſsima Sponſa, ante conſummationem matrimonii, hoc exemplo ſimul, ut eo, quo ſupra ſcriptum eſt, modo, confectae Fuccarorum literae, datae Nobis fuerint, ſcribi faciemus. ELISABETHA Dei gratia Regina Poloniae, &c. Sereniſſimi, et Excellentiſsimi Principis Domini FERDINANDI, Romanorum etc. Regis, ac Sereniſsimae Dominae ANNÆ Reginae, Parentum noſtrorum obſervatiſsimorum Filia natu maxima, in praeſentiarum vero Sereniſsimi Domini SIGISMUNDI AUGUSTI Coniunx, teſtatum facimus praeſentibus literis noſtris, & noſtro, & Haeredum noſtrorum nomine univerſis, et ſingulis, quorum intereſt, et intereſſe poterit. Quod cum Sereniſsimus Dominus FERDINANDUS Parens noſter obſervatiſsimus Sereniſsimo Domino SIGISMUNDO Auguſto Poloniae Regi ſumma, et illius, Sereniſsimorumque Dominorum Parentum eius, et noſtra voluntate, atque conſenſu, ſecundum ritum Sanctae Romanae Eccleſiae Nos deſponſaverit, Maieſtatique eius in matrimonium collocaverit, nomine Dotis, ſive Dotalitii, centum millia florenorum Hungaricalium auri puri, et iuſti ponderis pro portione noſtra legitima, et haereditate noſtra tam Paterna, quam Materna Nobis conſtituerit, volens hac ratione et Sereniſsimo Domino SIGISMUNDO AUGUSTO Coniugi noſtro chariſsimo, obſervatiſſimoq;, et Nobis ſatisfacere ita, ut ſatisfactumeſſe Praeſentibus confitemur. Atque ob id renuntiamus non modo iuri omni haereditatis tam Paternae, quam Maternae, quocumque tandem modo Nobis, et Haeredibus, ac Succeſſoribus noſtris competenti,

ANNO 1543.

ANNO 1543. tenti, et competere volenti, verum etiam iuri ſucceſsionis ad Regnum Hungariae, et Ditionem Domus Auſtriae, non modo pro Sereniſsimo Domino FERDINANDO Parente noſtro obſervatiſsimo, verum etiam pro Sacra, et Caeſarea Maieſtate Catholica, Patruo noſtro colendiſsimo, ac utriusque eorum Maieſtatum Liberis, et Haeredibus per lineam maſculinam ab ipſis legitime condeſcendentibus. Quo vero ad Regnum Bohemiae pro Sereniſsimo tantum Parente noſtro, eiusque Liberis, et Haeredibus maſculini ſexus, eatenus renuntiamus, quatenus iuxta memoratorum Regnorum Jura, et Privilegia ad huiusmodi Renuntiationem tenemur, et non ultra. Quodſi vero Nobis ſuperſtitibus Liberi, et Haeredes per lineam maſculinam a Sereniſsimis: Parente, et Patruo, noſtris legitime deſcendentes deficerent, tum Nobis, et Haeredibus noſtris legitimum, et haereditarium ius in dictis omnibus Regnis, Principatibus, Terris, et Dominiis, ſemper ſalvum reſervamus. Nos vero SIGISMUNDUS AUGUSTUS etc. Praeſentibus profitemur: Quod ſupra ſcripta Renuntiatio ex libera voluntate Sereniſsimae Dominae ELISABETHÆ Coniugis noſtrae chariſsimae animo bene deliberato, conſenſu, et aſſenſu utriusque noſtrum accedente, facta eſt. Cavemus itaque verbo noſtro Regio, Nos Renuntiationem hanc ratam ſemper, gratamque habituros, neque ulla in parte, aut re, illi eſſe contraventuros. In cuius rei teſtimonium Sigillum noſtrum Praeſentibus eſt apprenſum. Dat. Cracoviae die 14. April. Anno 1543.

## *Syngrapha Generoſorum Fuccarorum, qua ſe Regiae Maieſtati Poloniae obligabunt.*

Antonius Fugger Sacrae Catholicae, et Regiae Romanorum Maieſtatum Conſiliarius, una cum Nepotibus meis renuntiantes cuivis alii Jurisdictioni, et omnibus in univerſum iudiciis, coram quibus ſive de iure, ſive de more obligationem a Nobis fieri oporteret, et Nosmet ipſos, noſtroſque legitimos Haeredes, et Succeſſores, praeſenti obligationi, voluntariaeque recognitioni ſubiicientes, literis hiſce noſtris, et Succeſſorum noſtrorum nomine, publice profitemur. Nos coniunctim, et diviſim, pro tota ſumma ſinguli caventes, debere veri, iuſti, et liquidi debiti Sereniſsimo, et Excellentiſsimo Principi Domino, Domino SIGISMUNDO AUGUSTO Dei gratia Regi Poloniae etc. Domino noſtro clementiſsimo, ſexaginta ſex millia, ſexcentos, ſexaginta ſex floreni in auro Hungaricali auri puri, boni, et iuſti ponderis. Quam quidem ſummam bona fide promittimus, et ſpondemus, Nos, et Haeredes, Succeſſoreſque noſtros obligantes Maieſtati eius Regiae, ſive legitimis eius Succeſſoribus, Nos eſſe perſoluturos, et in manus Theſaurarii Maieſtatis eius Cracoviae depoſituros, noſtro periculo, atque impendio, intra decurſum unius anni, et diei, a data praeſentium literarum, annum, et diem computando. Quodſi vero ad praefinitum diem fidem noſtram non liberaremus, neque Maieſtati eius praeſcriptam ſummam numeraremus, quacunque cauſa, ſive impedimento interveniente, tum non obſtantibus quibusvis exceptionibus in iure fundatis, vel non fundatis, licebit Maieſtati eius Regiae, ſive Haeredibus illius, et Succeſſoribus, ſeu eorum Mandatariis, et Agentibus, noſtras, noſtrorumque Haeredum, et Succeſſorum Perſonas, Bonaque noſtra omnia, ſive mobilia, ſive immobilia, praeſentia, et futura, Provincialia, Terreſtria, Civilia, Spirituali vel Saeculari Jure, vel abſque etiam ullo iuris praeſidio, cui Nos iuri, et omni facto a perſona noſtra proveniente, ita renuntiamus praeſentibus, ut Nos, Succeſſoreſque, et Haeredes noſtros nuſquam contra eius Maieſtatem relevare poſsit, et valeat. Ita, ut eis viſum fuerit commodius, quibuscumque tandem in Locis, Provinciis, Terris, Civitatibus in Regno, et extra Regnum Poloniae convenire, pignorare, arreſtare, deque Bonis noſtris omnibus, tanquam de pignore ſibi tradito, quidvis arbitratu ſuo ſtatuere, atque ea tantiſper in ſua poteſtate habere, dum ſexaginta ſex millia, ſexcenti, ſexaginta ſex floreni in auro Hungaricali, auri boni, et iuſti ponderis, una cum omnibus impenſis, et damnis, quae ex retardata ſolutione emerſerint, Maieſtati eius Regiae, legitimiſve illius Haeredibus, et Succeſſoribus, per Nos, aut Haeredes, Succeſſoresque noſtros plene fuerint et integre numerati et perſoluti. In quorum omnium fidem, et teſtimonium haſce Literas noſtras obligatorias Signo noſtro penſili, et manuum noſtrarum ſubſcriptione communitas ſuae Maieſtati Regiae tradidimus. Dat. etc. ANNO 1543.

XXXV.

*Condonatio pœnæ ducentorum millium aureorum Hungaricalium a* SIGISMUNDO I, *&* SIGISMUNDO AUGUSTO *Regibus Poloniæ,* FERDINANDO *Romanorum &c. Regi facta, & Pro-*

ANNO 1543. *rogatio ſolutionis tertiæ partis ſummæ, Dotis nomine ſibi ab eodem debitæ, adiecta Clauſula, quæ hic exprimitur.* Dat. Cracoviæ die 17. Maii Anno 1543. *Ex Archivo Regni. Lib. Legationum Lit. G fol. 239.*

SIGISMUNDUS I, & Secundus AUGUSTUS, Pater, et Filius Dei gratia Reges Poloniæ, Magni Duces Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, etc. Domini, et Hæredes. Planum, teſtatumque facimus Præſentibus Univerſis, et ſingulis, quorum in manus hæ noſtræ Literæ pervenerint. Quod cum adducta eſſet ad Nos Sereniſſima Domina ELISABETHA Regina, noſtra Filia, Sereniſſimi vero Filii noſtri Coniunx chariſſima, neque iuxta Contractum inter Nos, et Sereniſſimum Dominum Romanorum Regem initum tertia pars numeratæ pecuniæ, hoc eſt triginta tria millia, trecenti, triginta tres floreni in auro Hungaricales allati una cum illa fuiſſent, poſtularunt a Nobis Regiæ Romanorum Maieſtatis nomine Illuſtriſſimus Dominus † GEORGIUS Marchio Brandeburgenſis, Cæſareæ Maieſtatis Legatus, et Reverendi in Chriſto Patres: Joannes Olomucenſis, Balthazar Vratislavienſis, ac utriuſque Sileſiæ Regiæ Maieſtatis Romanorum Locumtenens, Epiſcopi, ac Magnifici: Nicolaus Comes a Salm, et Neuperg ad Ornum, Supremus Camerarius Sereniſſimi Romanorum Regis, et Capitaneus Arcis Poſonienſis, SIGISMUNDUS liber Baro ab Herbeſtain, Neippurg, et Guttenhag Camerarius, Commiſſarius Sereniſſimi Romanorum Regis, ut ne moram hanc ſolutionis Dotis moleſte ferremus, ac produci illam in proximum Natalem Chriſti pateremur. Nos pro more noſtro perpetuo, quo Sereniſſimo Domino Romanorum Regi, Conſangvineo, Fratri, et Affini chariſſimo, quoad eius facere Nobis licet, gratificari ſemper ſolemus, non gravatim ad id conſenſimus. Teſtantes nihilominus ita, ut teſtamur Præſentibus, nihil ea re Contractibus affici debere, qui de iſto Matrimonio ſexto ab hinc anno inter Sereniſſimum Dominum Romanorum Regem et Oratores noſtros initi fuerunt, quos quidem in omnibus eorum punctis, clauſulis, et articulis ſalvos eſſe volumus, ita, ut integra Nobis ſint ea omnia, quæ in Literis Contractus Matrimonii continentur, neque his noſter novus aſſenſus quicquam deroget iuri Nobis quæſito de ratione vindicandi, quæ ibi perſcripta, et permiſſa eſt contra eum, per quem ſtetiſſet, quominus ſatis Contractibus fieret, ſi forte, quod abſit, ad conſtitutum diem Natalis Chriſti, tertia pars Dotis per Sereniſſimum Dominum Romanorum Regem Nobis numerata non eſſet. Harum teſtimonio Literarum, quibus Sigilla noſtra ſunt Præſentibus impreſſa. Datum Cracoviæ die 17. Maii Anno Domini 1543. ANNO 1543.

XXXVI.

*Fideiuſſio Commiſſariorum* FERDINANDI *Rom. Regis, quod ſi tertia pars Dotis* SIGISMUNDO II. *Regi tempore in his Literis praeſtituto, numerata non fuerit, dilatio ſolutionis eiusdem nunc a praefato Rege permiſſa, non debet praeiudicare Contractui inter dictos Reges inito, quo cautum eſt, ut Pars non faciens ſatis Conditionibus Parti tenere volenti ducenta millia aureorum Hungaricalium perſolvat.* Dat. Cracoviae die 17. Menſis Maii Anno 1543. *Indidem.*

NOS GEORGIUS Marchio Brandeburgenſis, Caeſareae Maieſtatis Legatus, JOANNES Olomucenſis, BALTHAZAR Vratislavienſis, Epiſcopi, NICOLAUS Comes a Salm, & Neuperg ad Ornum, Supermus Camerarius Sereniſſimi Domini Regis Romanorum, & Arcis Poſonienſis Capitaneus, Sigismundus liber Baro in Herbeſtain, Neippurg, & Guttenhag, Sereniſſimi Domini Romanorum &c. Regis Commiſſarii, planum teſtatumque facimus Praeſentibus, univerſis, & ſingulis, in quorum manus hæ Literæ noſtræ pervenerint. Quod cum adducta Sereniſſimo Principi Domino, Domino SIGISMUNDO Auguſto Dei gratia Regi Poloniæ, Magno Duci Litvaniæ, Ruſſiæ Pruſſiæ &c. Sereniſſima Sponſa illius, Domina ELISABETHA Poloniæ Regina ab utraque Maieſtate, & Patre, & Filio, Regiæ Romanorum Maieſtatis nomine Domini noſtri clementiſſimi poſtulaſſemus, ut ne moleſte ferret, non eſſe una iuxta Contractum tertiam partem præſentis pecuniæ, quæ Dotis nomine numeranda venit, hoc eſt triginta tria millia, trecentos tres florenos in auro Hungarica-li auri puri, & iuſti ponderis, per Nos allatos, ac ſolutionis diem ad Feſtum Natalis Chriſti proximum, ob cauſas quasdam graves per Nos adductas produci paretur.

Anno tur. Utraque Maiestas Regia postula-
1543. tioni huic nostræ non gravatim assensa est. Sed ita tamen, ut testatum esse vellet omnibus per assensum hunc suum nihil derogari in utramque patrem Contractibus debere, qui de isto Matrimonio inter Regiam Romanorum, & eorum Maiestates initi fuerunt. Qui quidem in omnibus suis punctis, clausulis, conditionibus, & articulis salvi esse debebunt. Ita ut integra sint Maiestatibus eorum omnia, quæ in Contractus Matrimonii Literis continentur, neque per novum hunc assensum derogatum videri quicquam possit iuri Maiestatibus eorum quæsito, de ea, quæ perscripta ibi est, & permissa ratione vindicandi contra eum, per quem stetisset, quo minus Contractui satis fieret, si forte, quod absit, ad constitutum diem Natalis Christiani tertia pars Dotis per Serenissimum Dominum Romanorum Regem Maiestatibus eorum numerata non esset. In quorum omnium & singulorum fidem, & testimonium Sigilla nostra Præsentibus sunt appensa Dat. Cracoviæ die 17. Mensis Maii Anno Domini. 1543.

## XXXVII.

1544. Ferdinandus *Romanorum Rex*, Sigismundo *Regi Poloniæ. Excusatione utitur, quod Dotem* Sigismundo Augusto *Regi ad tempus Pactis Matrimonialibus constitutum non miserit.* Dat. Viennæ 14. Augusti Anno 1544. *Ex Originali.*

Ferdinandus divina favente Clementia Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Rex. Serenissimo Principi Domino Sigismundo Regi Poloniæ, Magno Duci Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ &c. Fratri & Consangvineo nostro charissimo Salutem, & mutui continui amoris, omnisque felicitatis, & prosperitatis continuum & perpetuum incrementum. Serenissime Princeps Frater & Consangvinee noster charissime. Redditæ sunt nobis Literæ Serenitatis vestræ, quas de Dote Serenissimo Filio suo debita proximis diebus ad Nos dedit. Quibus Literis primum qui animus semper erga Nos suus fuerit, quanto studio avitam illam inter Nos necessitudinem, non modo retinendam, verum novo etiam Consangvineitatis vinculo augendam, amplificandamque curaverit, commemorans, & deinde Tractatus Matrimonii inter Serenissimos communes liberos nostros constituti attingens, & præterea quæ a traductionis Serenissimæ Filiæ nostræ tempore de ipsa Dote exolvenda inter Nos acta, & Anno
transacta sint, recensens, Serenitas vestra 1544.
tandem per plurimas amicitiæ & necessitudinis nostræ rationes a Nobis petit, ut Sereniſſimum Filium suum eo nomine contentum reddere velimus. Quæ quidem omnia Literis Serenitatis vestræ perscripta Nos non nisi fraterno animo intelleximus, atque susscepimus, & quidem de Serenitate vestra nihil aliud perspasum unquam habuimus, neque etiam nunc habemus, quam Eandem eo animo, quem iam pridem plurimis, maximisque in rebus fraternum plane, & benevolentissimum semper perspeximus, omni tempore erga Nos futuram esse, tanto magis novo isto Matrimonii & necessitudinis nexu accedente. Neque ea Nos de Serenitate vestra concepta spes, & opinio nostra hactenus fefellit, postquam præter alias plures maximasque sincerae, planeque fraternæ amicitiæ & consangvineitatis significationes, etiam hac in re, de qua nunc agimus, mutuo amori & benivolentiæ nostræ tantum tribuere, quantum Nos adhuc optavimus, Serenitas vestra non sit admodum gravata, cui eo nomine debitas sincero corde agimus gratias, non diffidentes, quin etiam in posterum tot nostrarum oppressionum & dfficultatum fraternam rationem habitura semper sit.

Quod autem Sereniſſimus communis Filius noster Dotem promissam hactenus non receperit, id sane non minorem animi molestiam, quam vel Serenitati vestræ, vel Serenissimo Filio suo, Nobis affert, quippe qui nihil charius, nihil antiquius ducimus conservatione tantæ, & tot vinculis conglutinatæ mutuæ amicitiæ, quæ Nobis cum Serenitate vestra intercedit: sed iniquitate, & difficultate præsentium temporum, ac Regnorum, & Dominiorum nostrorum hæreditariorum necessitate oppressi, licet sedulo laboraverimus, promissioni tamen nostræ in hanc diem satisfacere non potuimus, id quod Serenitati vestræ ex hisce causis facile coniicere, planeque perspicere licebit. Nam gravissimos, intolerabiles & pene infinitos sumptus per hosce proxime præteritos annos continuos, & maxime in generalem expeditionem Anno quadragesimo secundo supra millesimum quingentesimum, & deinde Anno sequenti in alendis militibus præsidiariis impendimus. Statibus præterea, & Ordinibus Sacri Imperii, ultra ducenta millia florenorum mutui nomine pro rata uniuscuiusque in communem contributionem solvenda accommodavimus, quæ Summa etiam hodie Nobis restituta non est; tempore vero, quo Nuptiæ celebrandæ erant,

Anno 1544. erant, propter diuturniorem abſentiam noſtram a Regnis, & Dominiis noſtris, adempta Nobis fuit commoditas, cum Regnis, & Subditis noſtris, ut ex veteri conſvetudine Nos communi contributione ad perſolvendam iſtiusmodi Dotem iuvarent, tractandi. Et inſuper eodem tempore immenſis ſumptibus pro defenſione Regnorum, & Dominiorum noſtrorum contra hoſtes noſtros tunc adventantes obruti eramus. Cum autem æſtate proxime præterita id ipſum apud Provinciales noſtros agere in animo haberemus, neceſſario tunc omittendum Nobis fuit, quandoquidem omnes viritim contra hoſtem Turcum viſcera Regni iam penetrantem una Nobiſcum deſcendere iuſſi erant. Et poſtremo licet præter ſpem, ab Ordinibus Sacri Imperii Nobis datam pecuniam, quam mutuo dedimus, conſequi non potuerimus, tamen non deſtitimus laborare apud Trapeſitas, ut ab eis pecuniam pro perſolvenda iſtiusmodi Dote etiam cum ingenti incommodo noſtro conditionibus oblatis levaremus, at quia omnes apud iſtiusmodi Mercatores pecuniæ, ad uſum belli Cæſareæ Maieſtatis, & Principum cum Maieſtate ſua in Caſtris exiſtentium deputatæ iam fuerant, nihil efficere potuimus. Propter quas præmemoratas urgentiſſimas cauſas, & impeditiones, quæ nullum adhuc finem habere, ſed ad proxime venturum Annum non minus quam elapſo tempore præ oculis conſpiciuntur. Etiam quia ſicuti Serenitati veſtræ conſtare poteſt, Nos una cum Regnis & Dominiis noſtris ad eorundem defenſionem, quantum maxime, valideque fieri queat, paratos & inſtructos in Annum proximum contra potentiſſimum hoſtem reddere oportet.

Sperabamus quidem Serenitatem veſtram, itemque Sereniſſimum Filium ſuum ulteriorem ſolvendæ Dotis dilationem ad tempus magis usque commodum libenter, patienterque laturos eſſe, praeſertim cum huiusmodi infiniti ſumptus, quos indies tum in alendis Gentibus, tum in muniendis Civitatibus & Oppidis ſuſtinemus, non ſolum bonum, & commodum Regnorum, & Dominiorum noſtrorum, ſed etiam Inclyti Serenitatis veſtrae Regni Poloniae, atque adeo totius Chriſtianitatis concernant; tamen a Serenitate veſtra, & a Sereniſſimo Filio ſuo tam inſtanter requiſiti eandem pro certo perſvaſum habere volumus. Nos praeteritis rebus omnibus hoc unum maxime cupere, & velle, ut ſcilicet amicitia et neceſſitudo illa noſtra, etiam inter utriuspue noſtrum Liberos conglutinata, non ſolum non inminuatur quoquo modo, ſed indies illuſtrior, ampliorque fiat. Anno 1544.

Et propterea incommodis & difficultatibus huius temporis omnibus, quantumvis permagnis poſthabitis, iam nunc actionem tractationemque ſuſcepimus, atque adeo plane confirmamus Serenitati veſtrae curaturos nos eſſe cum effectu, ut ad Feſta Chriſti Natalitia proxime ventura, ſine quapiam ulteriori dilatione, & forte etiam citius nempe ad diem Divo Martino ſacrum, id quod omni ſtudio efficere enitemur, Summa centum mille florenorum Rhenenſium, & reliquum Dotis uſque ad integram ſatisfactionem in uniuś anni ab eo tempore impoſterum computandi, ſpatio certo & infallenter numeretur, & perſolvatur. Serenitatem veſtram proinde perquam fraterne, impenſeque rogamus, & huiusmodi ſolvendæ Dotis terminos tanquam certos, & indubitatos pro ſuo erga Nos amore, & benevolentia, haud gravatim acceptare velit, poſtquam plane cognoſcere poteſt, Nos cum Serenitate veſtra non niſi ſincero corde & animo agere, conſervationemque etiam inter Poſteros noſtros ſempiternæ Pacis, & Amicitiae, etiam atque etiam cum primis & ante omnia exoptare. Quodſi & Serenitas veſtra fecerit, & apud Sereniſſimum Filium ſuum faciendum curaverit, ſicuti iam nunc de ea plene confidimus, Nos erga Serenitatem veſtram ita gerere ſtudebimus, ut quandoque extet fructus aliquis noſtrae erga Serenitatem veſtram gratitudinis, amoris, & benevolentiae. Caeterum ſciat Serenitas veſtra, Nos familiarem ſuum ad Nos miſſum tamdiu non aliam ob cauſam apud Nos retinuiſſe, quam ut Serenitati veſtrae hoc certum, & deliberatum reſponſum de Dote ad terminos praeſcriptos indubitanter ſine ulteriori dilatione ſolvenda dare poſſimus; quod reliquum eſt, Serenitatem veſtram quam diutiſſime feliciſſimeque valere & regnare optamus. Viennae die 14. Auguſti Anno 1544.

## XXXVIII.

*Legatio a Cæſare* Carolo V. *ad* Sigismundos *Patrem & Filium Reges Poloniæ, per Alfonſum de Aragonia Conſiliarium, & Oratorem Cæſaris dicta in Breſcie Litvaniæ d. 2. Septembris* Anno 1544. *Ex Archivo Regni.*

Sereniſſime Rex. Summi amoris, animique vehementis affectus ea eſt vis

ANNO 1544. vis, & natura, ut non modo ſe intra præcordiorum ſinus conſeneſcere patiatur, ſed omnino nunquam acquietura ſit, ni ſuæ magnitudinis iuſta, & certa dederit documenta. Cuius profecto affectus ſummam vim, vel hodiernus dies tuæ Maieſtati manifeſtiſſime oſtendit. Nam CAROLUS Cæſar Romanorum Imperator, meus Dominus, tum propter ſingularem amorem, & benevolentiam, qua multos iam annos tuam Maieſtatem proſequitur, tum veterem neceſſitudinem, a ſe ſemper officioſiſſime cultam, inſtarque cuiuſdam Sacri Fæderis a ſe ſemper habitam, minime dubitat, quin animum ſuum & ſtudium in Te ſummum facile cognoveris. Verum tot, tantiſque amoris cauſis, & incrementis, in dies naſcentibus, minime adhuc ſatisfactum eſſe intelligebat, niſi evidentiſſimis ſignis, manifeſtiſſimiſque teſtimoniis id apertius Tuæ Maieſtati declararet. Sed quando non datur tuo in complexu, et ſinu, quo nihil magis ſibi eſt in votis, tantam amoris vim proferre, animumque ſuum exponere, quod non infirmioris fidei, et roboris eſſe voluit, quam quæ proprio ore ipſe teſtificaretur, præſtitit, meque ſuum Conſiliarium, Oratorem ad Tuam Maieſtatem miſit: ut ſuum erga Te amorem, ſtudia, animumque propenſiſſimum patefacerem, ut Te non ſecus ac Fratrem multo ſibi chariſſimum, Teque etiam Sereniſſime Princeps multis modis ſibi devinctiſſimum perinde ut Filium optatiſſimum inviſerem, Fraternoque animo, et charitate perennem, eandemque, quam ſibi optat ſalutem, et felicitatem ſuo Nomine Vobis nuntiarem, de veſtraque valetudine, quam Vobis perpetuo firmam, integram, et lætam, ut longe ſibi chariſſimis ex animo precatur, deque tuorum Regnorum præclaro ſtatu, rerumque felici ſucceſſu, otio, tranquilitate, diligenter percontarer: non minus grata, nec minori voluptati hæc omnia ſibi futura, quæ Tuæ Maieſtati. Hoc enim non dubitat Cæſar aperte teſtari, et polliceri, utpote qui pro ſummo in Te amore, pro veteri neceſſitudine, utriuſque fortunas ſemper communes habuerit, atque duxerit: atq; adeo hic amor, quo honeſtioribus virtutum initiis profectus eſt, eo arctior, multoque iucundior hac nova, arctiſimaque coniunctione redditus, iſta praeclara Coniugia Serenisſimi Regis SIGISMUNDI AUGUSTI, tui Hæredis, Sereniſſimaeque Reginæ ELISABETH ſuæ Neptis, non ſecus ac Filiæ chariſſimæ longe graviora, multoque ſvaviora, quamvis per ſe gratiſſima, atque iucundiſſima erant, reddidit. Quare de ſui in Vos amoris teſtificatione, deque multiplici voluptate, qua Cæſar iſtis Coniugiis affectus eſt, deque illorum ſumma gratulatione, cum apud Tuam Maieſtatem acturus ſim, ditiſſimam quandam dicendi facultatem velim mihi dari, ut Cæſari ſatisfacere, Tuæque Maieſtati ſuum animum tantamque voluptatem, & gratulationem poſſim exprimere. Nam pro eximio in Vos ſtudio, & benevolentia ſingulari, proque nimia in Neptem ſuam dulciſſimam propenſione & charitate, dici non poteſt, quam afficitur, quamque mirificis gaudiorum modis ſplendiſſimis iſtis Coniugiis totus perfundatur, quod honeſtiſſima omnibus, quod fructuoſa, quodque ornatiſſima eſſe intelligit. Quapropter tanquam certiſſimam rem in animum induxit ſuum, Dei Optimi Maximi beneficentia perfectum eſſe, ut quorum animus & ſtudia mutua benevolentia, vetuſque neceſſitudo multos ante annos conciliarat, ſic eſſe alligatos, ut utriuſque fortunæ iam factæ communes, communi conſilio mutuoque favore feliciter promoveantur, maioraq; indies ſuſcipiant incrementa. In magnam namque Cæſar iſtis tantis auſpiciis ſpem venit, fore, ut ſecundiore iam fortuna, proſperiorique rerum ſucceſſu ex æquo omnes utamini, non enim poteſt non omnibus eſſe fauſtum, & felix, quæ Deo Auſpice & Praeſide fiunt, ubi Regia Puella, Regibus nata, Regi coniungitur, ubi pudiciſſimus, caſtiſſimuſque amor, ſancte, & legitime copulatur, ubi morum, virtutis, animorumq; ſimilitudo, & utriuſque excellens ſors, conſortes maritales fecit. Hæc enim ſunt illa potentiſſima (ut inquit Plato,) quibus boni bonis vinculis plus quam adamantinis devinciuntur, a quibus principiis, ut a virtutis quibuſdam ſeminariis, generoſiſſimi, ſvaviſſimique fructus propagantur. Quamobrem nihil erat Sereniſſime Rex, quod Tuam hanc tantam fortunæ ſublimitatem auguſtiorem poſſet facere, tuamque admirabilem prudentiam, tot rerum experimentis comprobatam, ex omni parte omnibuſque numeris videretur abſolviſſe, quam eas Tuo fortunatiſſimo Hæredi optaſſe nuptias, quæ Tua Maieſtate, Tuiſque Regnis, ampliſſimiſque fortunis eſſent quam digniſſimæ, quæque utrorumque familiæ, & genti non ſolum ornamento, & ſplendori eſſent, ſed utiles omnibus, Tuiſque Regnis, & proſperitatis otio, atque tranquillitati, Reipublicæque Chriſtianæ magno adiumento, præſidioque futuræ. Is namque omnium

ANNO 1544. rerum ſtatus eſt, iſque habitus, & ratio temporis incidit, ut non plus hac Tua rara ſapientia, Divinoque conſilio, Tibi Tuiſque rebus providiſſe videaris, quam Religioni, Reique Chriſtianæ, tot malorum incurſionibus, tot diſſidiis, totque bellorum oppreſſionibus afflictæ, ſpem ſui erigendi certiſſimam dederis. Omnium namque oculos & animos in hanc veſtram feliciſſimam affinitatem converſos credite, quiddamque maximum atque ſaluberrimum univerſo Orbi Terrarum ſibi certo pollicentur. Quare Cæſarea Maieſtas ſemel, atque iterum Vobiſcum ſibi, ac ſecum Vobis gratulatur iſta præclariſima connubia, tot ornamentis illuſtrata, tot commodis tum publicis, tum privatis undique affluentia. Quibuſque Nuptiis Vobis etiam gratulatur Sereniſſimam Reginam ELISABETHAM, Te, Filiam obſequentiſſimam, atque pientiſſimam inveniſſe: Te vero Coniugem probatiſſimam lectiſſimam Fæminam, Tui amantiſſimam ſortitum fuiſſe; tot Regum, Principum, Affinium, Fratrum, animorumque Conciliatorem, veſtri Generis, & poſteritatis feliciſſimam propagatricem, Tuæ Maieſtati Nepotes Reges, Tibique etiam Illuſtriſſime Princeps dulciſſimos natos, ſua fæcunditate daturam, ad quos hoc amplisſimum Regnum iure hæreditario perveniat: quibuſque tanquam alteris liberis Tua Maieſtas repubeſcat. Quibus etiam ſuperſtitibus hanc auram nunquam Te deſerturum putes, Tuumque nomen & memoria ſvaviter in illis vivat, æternumque reſideat. Hac enim una re non modo ab interitu, & oblivionis iniuria vindicamur, ſed quodam modo immortales reddimur. Sibi etiam Cæſar Rom. Imperator gratulatur, quod Te Potentiſſimum Regem fortunæ, dignitatis, virtutis gradu excellentiſſimum Fraterno animo ſibi multos iam annos coniunctiſſimum, nomine iam ipſo Fratris, quod unum videbatur deeſſe, connectat. Iiſque etiam maxime gaudet, ſe nexibus Tecum teneri, Eminentiſſime Princeps, ut eundem animum, quem in Te Sereniſſimus Rex Pater tuus, Tuque in illum vicisſim geris, mutuum, & perpetuum in Te, utrumque interceſſurum, ſperet: quod tanto pluris a ſe fit, atque habetur, quo magis virtutes omnes Regias enitere & prælucere tua in iſta ætate adhuc florenti videt. Tum etiam ſibi unice, vehementerque gratulatur Sereniſſimam Reginam ELISABETHAM, Tuam Maieſtatem Parentem, Teque Coniugem feliciſſimum ſortitam fuiſſe, quæ præter illa Conſangvineitatis, quod Sereniſſimi Regis Hungariæ Fratris ſui chariſſimi eſt Filia, ſibique Neptis, tamen propter amabilem eius naturam, & ingenium, morum ſvavitatem, animum innocentiſſimum, pietate, animoque plusquam Paterno illam proſequitur, vehementiuſque eius ſucceſſibus, & fortuna afficitur. Quam etſi nil dubitat, a Te tanquam ab altero Parente, utque æquiſſimum eſt, foveri, & tractari, a Teque etiam Iucundiſſime Rex ipſius Coniuge, ut tuis ſvaviſſimis moribus, animique tui candore, et liberali regioque animo dignum eſt, utque fides, charitas, matrimonii ipſius nomen ſanctum, et inviolabile poſtulat, amari et amplecti ſibi perſvaſit. Tamen uſque adeo in Neptem Chariſſimam incredibili amore, nimiaque charitate rapitur, ut quod Vos credit praeſtare, cumulatiſſime, vehementiſſime commendet, ut maxime velit vos intelligere, nihil in vita nec gratius, nec optatius quicquam poſſe a Vobis ſibi praeſtari, quam ſi intelligat, vel ſui intuitu, et commendatione eam eſſe amoris factam acceſſionem, et incrementum, ut ſvaviter, et iucunde, omniumque dignitate, convictu grato, vitam gratam cum tua Maieſtate, cumque Sereniſſimo Principe Conſorte ſuo tranſigat, nec ulla alia re amoris mutui pares vices libentius experturum profitetur, quam in hac una. Immo quicquid apud Vos authoritate, gratia, et amore valet, huic uni prodeſſe vult, in hancque unam confert, maioris momenti apud ſe futura pollicens, quae in Neptim ſuam chariſſimam conferantur, quam quae in ſe. Teſtificationem enim ſingularem, et tanquam ſui amoris pignus quoddam propoſitum eſſe animadvertit, ubi amoris veſtri, et animi grati in ſe indubitata, et certa argumenta licebit deprehendere. Quam etiam, ut Caeſari erit longe iucundiſſimum, et gratiſſimum a Vobis amari, foveri, et amplecti, ut veſtra natura, charitas, pietas, et fides poſtulat, ſic accuratiſſime ſe admonitum vult, quonam modo in tuam Maieſtatem, Teque eius Conſortem ſe vicisſim illa gerat, num ſatis illa ſuis partibus faciat, officioque reſpondeat. Nam pro eius ingenio, liberaliſſimaque educatione, ſpeque concepta, omnia obſequia, officiaque, et pietatem praeſtaturam, expectationique correſponſuram confidit. Cæterum cum de tuae Maieſtatis, Sereniſſimique Regis SIGISMUNDI ſalute aeque, ut de ſua Caeſarea Maieſtas ſolicita ſit, cumque omnia tua, non minori curae ſibi ſint, quam Tibi ipſi, vehementer cupit ſe exacte recognoſcere, quae veſtrae valetudinis

Anno 1544. nis habitudo hac potisſimum regione ſit, quis Regnorum tuorum Status, qui ſucceſſus, quae rerum felicium ſpes affulgeat. Nam ad eorum confirmationem, maioremque omnium amplificationem, pro ſummo in tuam Maieſtatem amore, qui tantum accrevit, pro maiorum neceſsitudine, a vobis arctiore, et ſvaviore reddita: pro gratisſimis, et ſanctisſimis huius affinitatis vinculis, non modo ſuam gratiam, diligentiam, ſtudium, quae ſemper vobis praeſto fuerunt, expectari vult. Sed quaecumque in ſe ac ſuis rebus ſunt, authoritatis, et fortunarum tuae Maieſtati, tuiſque uſibus ultro defert, atque pollicetur, tam non defutura, quam quae tua ſunt maxime.

## XXXIX.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS *Rex Poloniæ* FERDINANDO *Rom. Regi Socero ſuo. Ægre fert Dotem, contra Pacta matrimonialia hucuſque ſibi non eſſe ſolutam.* Dat. in Brezeſcie Litvanico d. 21. Septemb. Anno 1544. *Ex Archivo Regni.*

SEreniſſime Princeps Parens noſter chariſſime & honoratiſſime. Quod a Nobis Maieſtas veſtra poſtulat, ut in his, quæ ad Sereniſſimum Dominum Parentem noſtrum ſcripſit de Dote Nobis promiſſa, ſed in hunc uſque diem nondum miſſa acquieſcere velimus, id Nos facturi eſſemus non inviti, ſi prima haec eſſet Maieſtatis veſtræ poſtulatio: ſed cum ſeſquianno iam prope prorogationibus tantum eſſe laboratum videamus, qui noſter ea in re animus eſſe poſſit, facile coniecturam facere Maieſtas veſtra poterit. Nos quidem adhuc omnibus humanitatis officiis eſſe functi videmur, ſed quantum profecerimus, Nos vehementer pœnitet. Quæ ſint in Pactis, procul dubio tenet memoria Maieſtas veſtra. Cum eſſet adducta Sereniſſima Coniunx noſtra, eo ipſo tempore tertiam Dotis partem repræſentari oportuit, quod factum non eſt. Jam certe violata per Maieſtatem veſtram eſſe Pacta videbantur. Licuit & Nobis ab illis diſcedere, ſed Nos nihilominus nihil tum fecimus, quod offendere poſſet animum veſtræ Maieſtatis. Petitum eſt, ut dies tertiæ partis Dotis numerandæ produceretur ad natalem uſque Chriſtianum, qui proxime præteriit, & ſi aſſenſi petitioni huic non ſumus, tulimus tamen. Ceſſit is quoque dies, teruncius unus miſſus non eſt. Venerunt poſtea Legati Maieſtatis veſtræ ad Sereniſſimum Dominum Parentem noſtrum Piotrkoviam, ſpem oſtenderunt fore, ut intra vertentem Annum a tempore adductae Sereniſſimae Coniugis noſtrae, Dos integra Nobis numeraretur; ſed ea quoque ſpes ad rem collata non eſt. Cum diem ita de die duci videremus, pertaeſum Nos eſt morae huius. Exacto Anno ſcripſimus Maieſtati veſtrae, atque ab ea petivimus, ut toties iam promiſſam Dotem mitteret: fuit a Maieſtate veſtra Nuntius noſter ſatis longo temporis intervallo detentus, verum & is inanis rediit, neque praeter ſpem, & expectationem quidquam attulit; ſic male Nobis ceſſiſſe noſtrae humanitatis officia videmus. Neceſſe itaque eſt, ut a contraria ratione remedium petamus, neque tamen facturi ſumus quicquam aliud, quam quod per ipſam Maieſtatem veſtram Nobis licet, quae non ignorat procul dubio cautum eſſe Contractus Literis, utra pars conditionem in his expreſſam implere recuſaverit, duplum ut parti Contractum ſervanti, hoc eſt, ducenta millia aureornm ſolvere teneatur, ubi & illud una diſerte perſcriptum eſt, paulo poſt liberum fore Parti Pactis ſtanti, alterius Partis Ducatus, Provincias, Terras, Civitates, Arces, Oppida, Caſtra, Villaque invadere, occupare, ac tantiſper poſſidere, dum Summa ducentorum millium ſit perſoluta. Hoc Jus cum ipſa Maieſtas veſtra, & Sereniſſimo Domino Parenti noſtro, & Nobis conceſſerit, ſperamus equidem fore, ut bona illius cum venia Nobis id perſequi liceat. Quandoquidem & hoc in illis Literis clare ſcriptum eſt, licere ea facere, Parte, quae Contractum non ſervaverit, non reſiſtente, neque ſuccenſente, aut contradicente, verum approbante, commendante, ratificante. Anno 1544.

Quae cum omnia ita de ſumma voluntate utriusque noſtrum perſcripta ſint, de veſtrae Maieſtatis aequitate Nobis pollicemur ab eo, quod ſemel ei placuit, illam non diſceſſuram, futurumque, ut ſalva amicitia noſtra facere Nobis liceat, quae in Contractus Literis ſunt praeſcripta. Cum praeſertim non in noſtram, ſed in rem Sereniſſimae Filiae Maieſtatis veſtrae chariſſimae id facere cogitemus, cui hactenus proviſum de Contradote non eſt, neque enim per Regni noſtri inſtituta, moresque receptos provideri illi licet, quoad Dos numerata non eſt.

Jam vero debemur morti Nos, noſtraque: ut dicit quidam, atque ut nihil morte certius, ita nihil eſt hora mortis incertius, ſi (quod Deus omen obruat) humanitus interea Nobis aliquid accideret,

Anno 1544. ret, qui futurus esset status illius? Cuius si nulla cura tangit Maiestatem vestram, si qui insitus est Parentibus erga Liberos amor, eum erga utrumque nostrum ex animo eiecit suo: Nos Officio nostro satisfaciemus, ac Sereniſſimam Coniugem nostram tuendam Nobis suscipiemus, atque omnes vias persequemur, quibus effici queat, ut rationibus illius tandem aliquando prospiciatur, quod vestram Maiestatem, vel quod ita in Pactis est, vel quod Sereniſſimae Filiae illius causam agimus, minime molestе laturam esse confidimus, Quam bene valere & felicem esse cupimus, ac illius paternae benevolentiae Nos commendamus. Dat. in Brzeście Litvanico die 21. Septembris Anno 1544. Regni nostri Anno decimo quinto.

## XL.

Sigismundi Augusti *Regis Poloniæ Literæ plenæ potestatis ad recipiendam omnem pecuniæ summam ex Contractu matrimoniali a* Ferdinando *Rom. &c. Rege sibi debitam. Dat. in Brzesćie* die 11. Oct. 1544. *Ex Arch. Regni. Lib. 51. Num. 52. fol. 185.*

Sigismundus Augustus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ &c. Dominus & Hæres. Planum testatumque facimus Præsentibus, quod Sereniſſimo Principi, & Domino Sigismundo Dei Gratia Regi Poloniæ, Magno Duci Litvaniæ &c. & Sereniſſimæ Dominæ Bonæ Reginæ Poloniæ, Magnæ Duci Litvaniæ &c. Parentibus nostris observandiſſimis potestatem fecimus, facimusque Præsentibus, omnem pecuniam, quæ sive Dotis, sive alio quocunque nomine ex Contractu Nobis a Sereniſſimo Domino Ferdinando divina Clementia faventе Romanorum Rege, Parente nostro observandiſſimo debetur, posteaquam a Maiestate eius repraesentata fuerit, tollendi, & in effectu levandi, ac Nomine nostro de eo, quidquid acceperint, Maiestatem eius quietandi, cavendique, Nos amplius nihil eo Nomine petituros esse, quod cum a Maiestatibus eorum factum fuerit, haud aliter ratum habituros Nos pollicemur, ac verbo nostro Regio promittimus, quam si a Nobis ipsis factum esset; plenam enim, & eandem, quam Nos habemus, eius rei proprietatem Maiestatibus eorum dedimus, & donamus Præsentibus, quibus Sigillum nostrum est appensum. Datum in Brzeście die undecima Mensis Octobris Anno Domini MDXLIV. Anno 1544.

Sigismundus Augustus *Rex.*

## XLI.

*Instrumentum Notarii Publici, quo continetur Constitutio Procuratorum per* Sigismundum Augustum *Regem Poloniæ facta, ad exigendam a* Ferdinando *Romanorum &c. Rege Dotem integram, nec non summam ducentorum millium Aureorum Hungaricalium multæ nomine sibi ab eodem debitam. Ex Arch. Regni Lib. 51. Num. 52. fol. 185.*

In Nomine Domini Amen. Noverint Universi præsentis Instrumenti Seriem inspecturi, quod Anno Domini 1544. Indictione secunda, die vero duodecima Mensis Octobris, Pontificatus Sanctiſſimi in Christo Patris Domini Pauli Papæ III. Anno decimo, in mei Notarii publici, Testiumque infra scriptorum & rogatorum præsentia personaliter constitutus Sereniſſimus Princeps, & Dominus, Dominus Sigismundus Augustus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, totiusque Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ etc. Dominus & Hæres, principaliter per se ipse non vi, dolo, fraude, metu, aut aliqua siniſtra machinatione circumventus, aut inductus, sed sponte, libere & ex certa scientia, ac spontanea voluntate, animoque deliberato, omnibus melioribus modo, via, iure, causa, & forma, quibus melius & efficacius de iure potuit, & debuit, fecit, constituit, creavit, & solenniter ordinavit suos veros legitimos, & indubitatos Procuratores Specia-/ les & Generales, ita tamen, quod specialitas generalitati non deroget, & e contra videlicet Sereniſſimum Principem, & Dominum, Dominum Sigismundum huius Nominis primum eadem gratia Poloniæ Regem, Magnum Ducem Litvaniæ, & Dominum & Hæredem Parentem suum colendiſſimum, & Sereniſſimam Dominam Bonam Reginam Poloniæ, Magnam Ducem Litvaniæ &c. Matrem suam colendiſſimam, ac Reverendiſſimum in Christo Patrem Dominum Petrum, Archiepiscopum Gnesnensem, Episcopum Cracovienſem Legatum natum, & Primatem, ac Magnificum Dominum Petrum Opalenski Castellanum Gnesnensem, Curiæ suæ Magistrum, Costenſem & Olstinenſem Capitaneum, absentes tanquam prae-

ANNO 1544. præsentes, specialiter, & expresse ipsius Serenissimi Domini SIGISMUNDI AUGUSTI constituendi nomine, & pro eo petendi, levandi, recipiendi, recuperandi, & exigendi totam & integram pecuniarum Summam a Serenissimo Principe Domino FERDINANDO divina favente Clementia Romanorum, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rege semper Augusto propter Matrimonium inter prænominatum Serenissimum SIGISMUNDUM AUGUSTUM & Serenissimam ELISABETHAM Serenissimi Romanorum Regis præfati Filiam, nunc vero Coniugem suam charissimam contractum, promissam inscriptam & obligatam, quemadmodum in ipsis obligationibus plenius continetur. Nec non aliam Summam pecuniæ ratione non solutionis prædictæ Dotis ad tempora præscripta petendi, levandi, & recuperandi, & de perceptis habitis & recuperatis quietandi, & liberandi, ac de re habita ulterius non petenda promittendi, literasque quietationis, & quæcunque publica instrumenta ad hoc necessaria faciendi, concedendi, ac pro præmissis omnibus, tam pro Summa principali Dotis suæ prædictæ, quam etiam pæna dupli ita, ut præmittitur, ratione non solutionis ipsius Dotis ad tempora præscripta & obligata cum prænominato Serenissimo Principe Domino FERDINANDO Rom. Hungariæ, ac Bohemiæ &c. Rege agendi, & procedendi, omnibus remediis secundum conditiones in Contractu Matrimonii sui aliisque obligationibus pactas, descriptas, & contentas, iisque ad plenariam tam Summæ principalis, quam pænæ prædictæ satisfactionem unum quoque, vel plures cum simili aut limitata potestate substituendi, eumque, vel eos revocandi, & onus procurationis huiusmodi in se reassumendi toties, quoties opus fuerit, & ipsis Dominis Procuratoribus magis videbitur expediens; præsenti nihilominus Procuratorio Instrumento in suo robore duraturo, & generaliter omnia & singula alia faciendi, dicendi, gerendi, & exercendi, quæ in præmissis, & circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna, & quæ ipsemet Serenissimus SIGISMUNDUS AUGUSTUS constitutus faceret, & facere posset, si præmissis omnibus & singulis præsens, & principaliter interesset, & si talia forent, quæ Mandatum exigerent magis speciale, quam præsenti Instrumento Procuratorio est expressum, promittens insuper idem Serenissimus SIGISMUNDUS AUGUSTUS mihi Notario publico infra scripto, tamquam publicæ & authenticæ Personæ solenniter stipulanti & recipienti vice ac nomine omnium, & singulorum, quorum interest, intererit, aut interesse quomodolibet poterit in futurum, se ratum, gratum, firmumque perpetuo habiturum totum id, & quidquid per dictos Procuratores suos constitutos, ac substituendos ab eis actum, dictum, gestum, vel factum fuerit in præmissis, relevans nihilominus exnunc, & revelare volens eosdem Procuratores ab omni onere satis dandi, ac iudicio sisti, & iudicatum solvi cum omnibus & singulis clausulis necessariis, & opportunis sub hypotheca, & obligatione omnium & singulorum Bonorum suorum mobilium, & immobilium, præsentium & futurorum, & qualibet alia iuris forma & facti renuntiatione ad hæc necessaria pariter & cautela. In cuius rei testimonium, robur atque fidem ad dicti Serenissimi Domini constituentis requisitionem, factum est exinde per me Notarium publicum infra scriptum præsens publicum Procuratorium Instrumentum sub Anno, Mense, Die & Indictione, quibus supra. Præsentibus Reverendis in Christo Patribus, & Generosis Dominis Paulo de Wola Nominato Episcopo Posnanien si, Samuele Episcopo Plocensi, Regni nostri Vicecancellario, & Nicolao Mnischech de Magna Konczyce eiusdem Serenissimi Poloniæ Regis Camerario, Capitaneo Lucovien si, & Socahien si ad præmissa testibus vocatis, & requisitis.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS *Rex Poloniæ &c. omnia suprascripta rata habemus. In cuius fidem manu nostra Præsentes subscripsimus, & Sigillo nostro Præsentes obsignari fecimus.*

Et ego Joannes Petri a Domaniow Luceorien sis Diœcesis Præpositus Cathedralis, & Ecclesiae Vilnen sis Archipresbyter, Sacra Apostolica Authoritate Notarius publicus, quia prædictis Procurationi, Constitutioni præfatis omnimode cum potestate substituendi ad tollendum Summam præfatam & de receptis quietandi dationi cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque omnia sic fieri vidi, & audivi, & in notam sumpsi, unde hoc præsens Instrumentum manu alterius Notarii fideliter scriptum extraxi, & in publicam formam redegi, signoque & nomine manus meæ propriæ me subscripsi in fidem & testimonium omnium præmissorum vocatus, & requisitus.

## XLII.

*Quietatio* FERDINANDI *Rom. Regis de reddita Dote* ELISABETHÆ *Reginæ* SIGISMUNDI AUGUSTI *Regis Consorti* Dat. Cracoviæ die 10. Mensis Aprilis



ANNO 1544.

ANNO 1545. Anno 1545. *Ex Archivo Regni Lib. 51. Num. 52. fol. 188.*

SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. Sereniſſima Domina BONA Poloniæ Regina, Magna Dux Litvaniæ &c. Reverendiſſimus in Chriſto Pater Dominus Petrus Gneſnenſis Archiepiſcopus, Cracovienſis Epiſcopus, Legatus natus, ac Primas, & Magnificus Dominus Petrus Opalenſki Caſtellanus Gneſnenſis, Sereniſſimi Principis SIGISMUNDI AUGUSTI Dei Gratia Poloniæ Regis, & Curiæ Magiſter, Coſtenſis, & Olſtinenſis Capitaneus, Mandatarii Sereniſſimi Domini SIGISMUNDI AUGUSTI Regis &c. Filii noſtri chariſſimi, Domini autem noſtri Clementiſsimi, Significamus præſentibus literis, quorum intereſt Univerſis Præſentibus, & qui in poſterum futuri ſunt. Cum plene Nobis poteſtas data ſit, & ſufficiens Mandatum, a Sereniſsimo Domino SIGISMUNDO AUGUSTO Rege Poloniæ, Filio noſtro chariſsimo, noſtro vero Domino Clementiſsimo, ad acceptandam integram Dotis pecuniam centum millium aureorum Hungaricalium auri boni, & iuſti ponderis, quam ratione Matrimonii inter præfatum Sereniſsimum Filium noſtrum, ac Sereniſsimam Dominam ELISABETHAM Reginam, Sereniſsimi & Excellentiſsimi Domini FERDINANDI Rom. Regis Filiam natu maximam, Neptem vero noſtram & Nurum chariſsimam, noſtram vero Dominam clementiſsimam contracti, idem Sereniſsimus Dominus Romanorum Rex Sereniſsimo Filio noſtro, Domino vero noſtro clementiſsimo iuxta Pacta, & Conventa Contractus Matrimonii numerare tenebatur, ac percepta eiusmodi pecunia ad quietandum, & eam Maieſtati eius acceptam ferendam Nos vigore eiusmodi poteſtatis Nobis datæ, & Mandati, quod ſufficienter ſcriptum a Sereniſsimo Filio noſtro, noſtro autem Domino clementiſsimo habebamus, fatemur Praeſentibus & recognoſcimus, quod a praedicti Sereniſsimi & Excellentiſsimi Domini Romanorum Regis Oratoribus, Magnifico Sigismundo libero Barone in Herberſtain Neupperg, Guttemhag, & Venerabili ac Eggregio Joanne Lango Legum Doctore per manus Generoſi Coſmae Gienger Maieſtatis eius Aulici, nomine, loco Sereniſsimi Domini SIGISMUNDI AUGUSTI Regis quinquaginta duo millia aureorum Hungaricalium, & quadringentos aureos, & ſeptuaginta unum millia Talerorum & quadringentos Taleros Nobis reputatam Summam, numeratam, ſolutam, plene, realiter, & cum effectu recepimus, Dotem nimirum integram centum millium aureorum Hungaricalium Sereniſsimo Domino SIGISMUNDO AUGUSTO vigore Contractus Matrimonii debitam. Quare vigore eiusdem poteſtatis Nobis conceſſae & Mandati Literarum, Summam hanc Dotis integrae Sereniſsimo Domino Romanorum Regi acceptam ferimus, deque ea Maieſtatem eius quietamus, aſſecuramus, liberamque, & abſolutam pronuntiamus, nullum ius Sereniſsimo Domino SIGISMUNDO AUGUSTO Regi in tali Dote iam accepta reſervantes. Cavemusque Maieſtati Regiæ Rom. Præſentibus, quod neque Sereniſſimus Dominus SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex, neque Hæredes eius, aut Succeſſorum quisquam, aut a Sereniſſimo Domino Romanorum Rege, aut ab Hæredibus, & Succeſſoribus eius Dotis prædictorum centum millium, aut pœnæ nomine propter Dotem aliquanto tardius ſolutam quicquam eſt amplius petiturus, aut ullum negotium exhibiturus ſive indirecte ſine quocunque colore quæſito omni dolo & fraude ſemota. In cuius rei fidem & teſtimonium Sigilla noſtra Præſentibus Literis ſunt appenſa. Datum Cracoviæ decima die Menſis Aprilis Anno Domini MDXLV. Regni vero noſtri XXXIX.

XLIII.

*Literæ* SIGISMUNDI AUGUSTI *Regis Poloniæ, quibus Sereniſſimæ* ELISABETH *Sponſæ ſuæ, Dotis & Donationis propter Nuptias nomine, certos Tractus, Civitates, Caſtra, Oppida, & Villas inſcribit.* Datum Vilnæ Dominica Lætare Anno 1545. *Ex Archivo Regni. Lib. 51. Num. 52. Lit. Z. C. fol 193.*

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, &c. Ad perpetuam rei memoriam, planum teſtatumque facimus Univerſis, & Singulis, quorum intereſt, aut intereſſe aliquomodo poterit, ſive iis, qui nunc ſunt, ſive qui futuri ſunt poſtea, ac Literis hiſce noſtris, noſtro, Hæredumque, & Succeſſorum noſtrorum, Regum Poloniae nomine profitemur, quod poſteaquam, quod felix fauſtumque, ac fortunatum cum utriusque noſtrum Regnis & Populis, tum toti Reipublicae Chriſtianae Deus eſſe velit, cum Sereniſſimo, & Excellentiſſimo Principe Domino FERDINANDO divina favente clementia Romanorum, Hungariae, Bohemiae, &c. Rege, Parente noſtro

ANNO 1545.

ANNO 1545. nostro obſervantiſſimo affinitatem contraximus, ac Sereniſſimam Dominam ELISABETHAM Maieſtatis eius Filiam Nobis deſponſatam, ac legitime copulatam in Matrimonium accepimus, iuxta Contractum inter Maieſtatem eius & Sereniſſimum Principem Dominum SIGISMUNDUM Dei Gratia Poloniæ Regem, Supremum Ducem Litvaniæ, Ruſſiæ, totius Pruſſiae, Maſoviae &c. Parentem noſtrum obſervantiſſimum initum de Dote centum millium florenorum Hungaricalium, auri puri, & iuſti ponderis plene Nobis eſt ſatisfactum, volentes itaque Nos Contractui Matrimonii, qui inter Sereniſſimos FERDINANDUM & SIGISMUNDUM Reges Parentes noſtros interceſsit ſatisfacere, ut omnibus conſtare poſsit, & quanta ſit animi noſtri propenſio erga Sereniſimam Coniugem noſtram ELISABETHAM, & quam conſtantes ſimus in Pactis, & Conventis ſervandis, quæ inter Sereniſſimos Parentes noſtros conſentientibus Nobis interceſſerunt, viciſſim Coniugi noſtræ ELISABETHAE in compenſationem Dotis a Nobis acceptæ, centum millia florenorum Hungaricalium auri puri & iuſti ponderis iuxta eiusdem Contractus tenorem aſsignavimus, pro Contradote vero & Donatione propter Nuptias Maieſtati eius totidem florenos Hungaricales ſpondemus, & verbo noſtro Regio promittimus. Quam quidem Summam ducentorum millium florenorum Hungaricalium auri puri, & iuſti ponderis iuxta eiusdem Contractus tenorem in Bonis noſtris Sandecz, Sanok, Biecz & Premislia, in Cracovienſi & Premisliensi Terris conſtitutis, aſſecurare, & inſcribere tenebamur, ita ut eiusmodi obligatio Dotis & Donationis propter Nuptas nomine, Sereniſſimæ Coniugi noſtræ facta, ſi quid Sereniſſimæ Dominæ BONÆ Reginae Poloniae Parenti noſtrae chariſſimae prius humanitus accidiſſet, transferretur ad eas Civitates, & Arces, quae ſunt Maieſtati eius ratione Dotis, & Donationis propter Nuptias inſcriptae, & obligatae. Quoniam vero praedicta Bona noſtra Sanok, Sandecz, Biecz, & Premiſlia non modo libera non ſunt, ſed ne ea conditione ſunt, ut redimi ulla ratione poſſint, & in puram conditionem reduci, magnaque eo difficultas oriebatur, quod alia Bona neceſſe fuit quaerere, in quibus eiusmodi Inſcriptio fieri poſſet, volens hunc ſcrupulum eximere Sereniſſima Domina BONA Regina Parens noſtra chariſſima, fecit pro ſua bonitate proque materno ſuo amore, quo et Nos, & Sereniſſimam Coniugem noſtram proſequitur, ut Inſcriptionem, Obligationem & Reformationem Dotis ſuae in manus Sereniſsimi Parentis noſtri ultro traderet, & ea cederet propter omne impedimentum tollendum, ut quod olim fieri debebat, id iam nunc fieret, ac Dos Sereniſsimae Coniugis noſtrae ELISABETHÆ Reginæ, una cum Contradote in illis Bonis in quibus Sereniſsimae Dominae Parenti noſtrae inſcripta fuit, obligaretur, qua ceſſione voluntaria per illam facta Nos de conſenſu Sereniſsimi Domini Parentis noſtri, accedente etiam conſilio & voluntate Senatorum, ac Conſiliariorum omnium Regni noſtri, Dotis, & Donationis propter Nuptias nomine inſcribimus, & obligamus Sereniſsimae Dominae ELISABTHÆ Coniugi noſtrae chariſsmae, damusque illi, & largimur praeſentibus Literis noſtris ducenta millia florenorum Hungaricalium auri puri, & iuſti ponderis in omnibus Terris, Civitatibus, Oppidis, Arcibus, & Villis, his videlicet: in Novae Civitatis Korczyn, Viſlicienſis, Zarnovienſis, Radomienſis, Iedlna, Coſmicze, & Villis ad ea ſpectantibus, nec non Chancinenſis, Radoſzicenſis, Lancicienſis, Przedecenſis cum Clodava Oppido, & Villis ad eam ſpectantibus, item in Coninenſi, Pisdrenſi, Junivladiſlavienſi, ſimiliter cum Diſtrictibus, Oppidis, & Villis, Praediisque, & Curiis, fructibus, & proventibus, cenſibus, utilitatibus, Dominis, Juribus, pertinentiis, attinentiis, appenſionibus, Teloneis, duorumque groſſorum, quod *Poradlne* dicitur exactionibus, contributionibus, & uſibus univerſis quomodolibet ad ipſa Caſtra, Civitates, & Bona ab antiquo ſpectantibus, ac ſervitiis, dignitatibus, honoribus, Jure Patronatus, nec non in Radzieiow, & Slonka Teloneis. Quae omnia & ſingula Bona cum Proventibus, & pertinentiis ſuis praedictis, in ducentis millibus Ducatorum puri, & veri auri, ac iuſti ponderis ratione Dotis, & Donationis propter Nuptias, praefatae Sereniſsmae Dominae ELISABETHÆ Coniugi chariſſimae damus, donamus, & aſsignamus, ac inſcribimus per Praeſentes. Quoniam vero de munere virginali Maieſtati eius dando, & aſsignando Sereniſsimo Domino SIGISMUNDO Parenti noſtro, & Nobis libera eſt poteſtas permiſſa, noſtro ut id arbitrio praeſtemus, muneris huius loco duo millia florenorum Hungaricalium annui proventus in ſalinis ſive Zuppis Vielicienſibus, & Bochnenſibus Maieſtati eius Reginali per ipſum Sereniſſimum Parentem noſtrum ſunt praeſcripta, quemadmodum id in Literis per Maieſtatem eius Sereniſsimae Coniugi noſtrae datis ſatis eſt expreſſum. Cum vero

ANNO 1545.

ANNO vero inter alia Bona Sereniſsimae olim Aviae noſtrae, ratione Dotis, & Donationis propter Nuptias inſcripta etiam Lobſoff Villam eidem obligatam fuiſſe comperiamus, quam nunc poſsidet Sereniſsima Mater noſtra Domina BONA Regina, nolentes Sereniſsimae Coniugis noſtræ deteriorem eſſe conditionem, quam vel Aviæ noſtræ Sereniſſimæ fuerit, vel Sereniſſimæ Matris noſtræ nunc ſit, loco Villæ Lobſoff ducentos florenos damus, donamus, Præſentibusq; inſcribimus Sereniſſimæ Coniugi noſtræ ex ſalinis noſtris Vielicienſibus quotannis pro Feſto Sancti Martini poſt obitum noſtrum percipiendos. Prædicta autem Bona omnia ducentorum millium florenorum Hungaricalium Summæ ſufficienter reſpondere, cavemus. Quæ quidem Dotis, Donationis propter Nuptias & muneris virginitatis cauſa, eidem Sereniſſimæ Reginæ ELISABETHAE inſcripſimus, & obligavimus ea lege, & conditione, ut ſi quid ipſi prius quam Nobis humanitus accideret, & Dos, & Donatio propter Nuptias, & munus ipſum virginitatis, ad Nos, & ad Regnum noſtrum Poloniæ perpetuo devolvatur. Si vero de Nobis prius aliquid factum fuerit, prole ex eius Maieſtate (quod Deus omen avertat) non ſuſcepta, aut ſi ſuſcepta ſit, præmortua, multo vero magis prole ipſa ſuperſtite, tunc Sereniſſima Coniunx noſtra ELISABETHA omnibus Terris, Diſtrictibusque ſibi inſcriptis, eorumque Diſtrictuum, & Dominiorum, Caſtris, Civitatibus, Oppidis, Villis, Curiis, prædiis, poſſeſſionibus, allodiis, ac omnibus & ſingulis ipſorum & ipſarum fructibus, proventibus, cenſibus, utilitatibus, proprietatibus, Dominiis, Juribus attinentiis pertinentiis appenſionibus teloneis & uſibus univerſis, quomodolibet ad ipſa ſpectantibus ab antiquo, nec non ſervitiis, dignitatibus, & honoribus ad vitæ ſuæ vidualis tempora plenam utendi, fruendi poteſtatem habere, illisque præeſſe, & omnia cum pleno Jure, & Dominio poſſidere, eo modo, conditione, & forma debeat, quibus Sereniſſimus Parens noſter poſſidet, & Regni noſtri Anteceſſores poſſederunt, absque omni Succeſſorum noſtrorum contradictione, & impedimento. Promittentes pro Nobis, Hæredibus, & Succeſſoribus noſtris ſæpedictam Sereniſſimam Dominam Reginam ELISABETHAM Coniugem noſtram chariſſimam, in dictis Terris, Caſtris, Civitatibus, Oppidis, Diſtrictibus, Villis, Bonis, Poſſeſſionibus expedire, certificare, manutenere, defendere adverſus univerſos, & ſingulos, qui Maieſtati eius Reginali negotium exhibere voluerint, ita quod omnia ſupradicta Bona ad vitæ ſuæ vidualis tempora poſſidebit, & fructus ex eis percipiet absque omni impedimento & obſtaculo pacifice & quiete ſine omni dolo, & fraude. Efficiemus quoque, & effecturos Nos pollicemur noſtro, & Succeſſorum noſtrorum nomine, quod omnes prædictarum Terrarum, Caſtrorum, ſive Oppidorum, Villarum Capitanei, Rectores, Tenutarii, Cives, præſentes, & futuri plenam præſtabunt ipſi Sereniſſimæ Coniugi noſtræ ELISABETHAE ſponſionem, & fidelitatis corporale Juramentum; quod ſi Nos ex hac vita excedere priores contingeret, nulli alteri niſi Maieſtati eius Caſtra, Terras, Civitates, Oppida, Villas præfatas plenarie & cum effectu tradent, dabunt, conſignabunt, & illorum plenam ac omnimodam facient ceſſionem & reſignationem, ac ipſi Sereniſimæ Reginae ELISABETHAE Coniugi noſtræ chariſsimæ in omnibus obedient, parebunt fideliter, & conſtanter, ita ut Poloniæ Regibus obedire ſoliti ſunt, & aſtricti. Poſt mortem autem eius, centum millia florenorum Hungaricalium ratione Donationis propter Nuptias ſibi donata, & inſcripta ad Nos Regnumque noſtrum libere revertentur; de Dote vero, & munere virginitatis habeat, & habere debet Sereniſsima Coniunx noſtra tam in vita ſua, quam mortis articulo plenam iuxta omne beneplacitum ſuum donandi, teſtandi, ac ubilibet diſponendi facultatem, etiamſi ad ſecundas Nuptias Maieſtatem eius convolare contingeret, ſicut olim habuit Sereniſsima Domina ELISABETHA felicis recordationis Avia noſtra chariſsima. Etſi Sereniſsimam Coniugem noſtram ELISABETHAM Summam iam dictam tam Dotis, quam Muneris Virginitatis uni, vel pluribus Perſonis quibuscunque donare, ſeu taſtari contigerit, tunc talis Perſona, vel Perſonæ ea Summa ſuper dictis Caſtris, Civitatibus, Terris, Poſſeſsionibus modo, quo præmittitur, inſcripta, Jure, & Titulo veri pignoris gaudeant, & potiantur absque obſtaculo & contradictione qualibet tamdiu, donec eadem Caſtra, Terræ, Civitates, Oppida, ſoluta Summa præfata centum millium florenorum Hungaricalium ab eisdem fuerint per Succeſſores noſtros Reges Regni Poloniae liberata, & redempta. Et haec quidem omnia & ſingula verbo noſtro regio & ſub cautione, obligationeque in Literis Contractus Matrimonii perſcripta ſpondemus, & recipimus Nos integre, & inviolate obſervaturos eſſe, & præſtaturos omni fraude, doloque remotis. In quorum omnium &, ſingulorum fidem & teſtimonium

ANNO 1545.

ANNO 1545. monium haſce Literas manu noſtra ſubſcripſimus, & Signo noſtro obſignavimus. Datum in Civitate noſtra Vilnenſi Magni Ducatus noſtri Litvaniae, Dominica Laetare Anno Domini MDXLV. Regni noſtri Anno XV.

## XLIV.

*Renuntiatio Sereniſſimæ Reginæ* ELISABETH. Datum Vilnæ Dominica Lætare Anno 1545. *Ex Archivo Regni. Lib. 51 Numero 52 fol. 197.*

ELISABETH Dei Gratia Regina Poloniæ, Magna Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, etc. Domina, Sereniſſimi Domini FERDINANDI Rom. Hungariæ, Bohemiæ etc. Regis, & Sereniſſimæ Dominæ ANNÆ Reginæ &c. Parentum noſtrorum obſervantiſſimorum, & chariſſimorum Filia, natu maxima, in præſentiarum vero Sereniſſimi Principis Domini SIGISMUNDI Auguſti Regis Poloniæ &c. Coniunx, teſtatum facimus præſentibus Literis noſtris noſtro, & Hæredum noſtrorum nomine Univerſis, & Singulis, quorum intereſt, & intereſſe poterit. Quod quoniam Sereniſſimus Rex FERDINANDUS Pater noſter chariſſimus, & colendiſſimus, Sereniſſimo Regi SIGISMUNDO AUGUSTO Conſorti noſtro chariſſimo, & honorando Nos ſumma, et illius, Sereniſſimorumque Dominorum Parentum eius, & noſtra voluntate, atque conſenſu ſecundum ritum Romanæ ſanctæ Eccleſiæ deſponſaverit, Maieſtatique eius in Matrimonium dederit & Nobis Dotis nomine & proportione noſtra legitima, & Hæreditate tam paterna, quam materna centum millia florenorum Hungaricalium auri puri & iuſti ponderis de omnibus & ſingulis Maieſtatis ſuæ Regnis, & Ducatibus, Comitatibus, Provinciis & Dominiis conſtituerit, volens eadem Maieſtas ſua & Sereniſſimo Domino Coniugi noſtro, & Nobis de tali Dote & paterna maternaque Hæreditate ſatisfacere huiuſmodi centies mille florenos Hungaricales ipſi Domino Conſorti noſtro charisſimo, iuxta Sponſalium Contractum plene & integre pendendos, dinumerandos, & ſolvendos curavit realiter & cum effectu, ob id igitur pro Nobis omnibus, & ſingulis Hæredibus noſtris, quos divina Nobis concedet clementia amantisſimum Patrem noſtrum Dominum FERDINANDUM, Hæredesque, Liberos, & Succeſſores Maieſtatis eius pro prædicta Dote, Paternaque & Materna Hæreditate noſtra, & a ſolutione earum omnino realiter & cum effectu liberavimus, quietavimus, & abſolvimus, & per Præſentes liberamus, quietos, & abſolutos facimus, ita, ut neq; Nos, neq; Hæredes noſtri Patrem noſtrum colendisſimum Regem FERDINANDUM, aut Hæredes, Succeſſoreſve eius aut Regna, Ducatus, Comitatus, Provincias & Dominia eiuſdem, occaſione eiuſmodi Dotis, paternæque & maternæ Hæreditatis obſervandisſimo, & dilectisſimo Domino Conſorti noſtro iam perſolutæ impetituri, moleſtaturi, aut nullam omnino actionem, aut querelam contra eos directe, vel indirecte, per Nos vel alium quempiam de iure aut facto intentaturi, vel propoſituri ſimus. Inſuper etiam renuntiavimus, & renuntiamus non modo omni Juri Hæreditatis, tam paternæ, quam maternæ, quocunque tandem modo Nobis, Hæredibus, Succeſſoribusq; noſtris competenti, aut competere valenti, verum etiam Juri Succesſionis ad Regnum Hungariæ, & Ditionem Domus, & Archiducatus Auſtriæ, idque non tam pro Serenisſimo Rege FERDINANDO Parente noſtro, ſed etiam pro Sacra, & Catholica Maieſtate, ipſo ſcilicet Sacratisſimo Principe Imperatore Romano CAROLO Quinto Patruo noſtris colendisſimis, ac utriuſque eorum Maieſtatis Liberis, Hæredibus, Succeſſoribus per lineam maſculinam ab ipſis legitime deſcendentibus. Quod vero ad Regnum Bohemiæ, pertinentiumque ad illud Provinciarum, & Terrarum, pro Serenisſimo tantum Parente noſtro, eiuſque Liberis & Hæredibus maſculini ſexus, eatenus renuntiavimus, & renuntiamus, quatenus iuxta memoratorum Regnorum Jura, & Privilegia ad huiuſmodi renuntiationem tenemur, & non ultra. Nullam prorſus Nobis, Hæredibus noſtris in renuntiatione iſta Juris, Canonum, Legum, Statutorumque prærogativam reſervantes. Cæterum, ſi Nobis ſuperſtitibus, & Liberis noſtris, Liberi, & Haeredes per lineam maſculinam a Serenisſimis Parente, et Patruo noſtris legitime deſcendentes deficerent, tunc in eo caſu Nobis et Haeredibus noſtris legitimum, et haereditarium Jus in praetactis omnibus Regnis, Principatibus, Terris, et Dominiis ſemper ſalvum reſervamus. Promittentes proinde, et in verbo noſtro Reginali ſancte recipientes pro Nobis, et Haeredibus noſtris Nos ſupraſcripta omnia et ſingula integre, et inviolate obſervaturas omni dolo fraudeque poſtpoſitis. In cuius rei teſtimo-

ANNO 1545.

ANNO 1545. nium Praesentibus Sigillum nostrum est appensum, quas etiam Chirographo nostro corroboravimus. Nos vero SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei Gratia Poloniae Rex etc. Presentibus profitemur quod suprascripta renuntiatio ex libera Serenissimae Principis Reginae ELISABETHÆ Coniugis nostrae charissimae voluntate, animo bene deliberato, consensu, et assensu nostro accedente est facta. Cavemus etiam et promittimus verbo nostro regio per Praesentes Nos vigore Pactorum conventorum in Contractu Sponsali cum Serenissimo Romanorum Rege FERDINANDO, Socero, et Patre nostro observandissimo per Serenissimum Regem Poloniae SIGISMUNDUM, Parentem nostrum charissimum solenniter initorum, renuntiationem talem in omnibus et singulis Punctis, et Articulis suis ratam, gratam et probatam habere, et semper habituros, neque ulla in re illi esse unquam contraventuros. In cuius rei fidem et testimonium has Literas nostras signo nostro obsignari fecimus, manuque nostra subscripsimus. Actum et Datum Vilnae Dominica Laetare Anno Domini MDXLV.

Elżbieta przysięga wypełnienia postanowień Jammy i zrzeczenia praw swych do Korony w razie owdowienia złożyła + Do dania zobowiązuje prawdę kurorzy —

SIGISMUNDUS *Liber Baro in Heberstain &c. manu sua.*
JOANNES LANGUS *Legum Doctor. sptt.*
PETRUS *Archiepiscopus Gnesnensit & Episcopus Cracoviensis. ms.*
SAMUEL *Episcopus Plocensis & Vicecancellarius Regni Poloniæ.*
PETRUS KMITHA *Comes in Wischnicze.*
+ PETRUS OPALENSKI *Castellanus Gnesnensis &c.*

## XLV.

Zygmunt I. zatwierdza reformę i zrzeczenie się Elżbiety. Datt. w Krakowie feria Sexta post Dñ. Lætare anno 1545.

*Confirmatio Reformationis, & Renuntiationis Sereniſſimæ Reginæ* ELISABETH *per* SIGISMUNDUM I. *Regem facta.* Dat. Cracoviæ feria ſexta poſt Dominicam Lætare Anno 1545. *Ibidem fol. 198.*

SIGISMUNDUS Primus Dei Gratia Rex Poloniæ &c. Manifeſtum, teſtatumque facimus, quorum intereſt Univerſis, & Literis hiſce noſtris pro Nobis Hæredibus, & Succeſſoribus noſtris Poloniæ Regibus recognoſcimus, & profitemur, quod poſteaquam neceſſitudinem illam ſangvinis, & propinquitatis, quæ Nobis cum Sereniſſimo Principe Domino FERDINANDO Rom. &c. Rege intercedit, novæ affinitatis nexu firmantes, Sereniſſimo Principi Domino SIGISMUNDO AUGSTO Regi Poloniæ &c. Filio noſtro chariſſimo, Maieſtatis illius Filiam natu maximam Sereniſſimam Principem Dominam ELISASABETHAM Reginam Poloniæ &c. Nuptui dare curavimus, iuxta Contractum ea de re inter præfatum Sereniſſimum Dominum FERDINANDUM Rom. &c. Regem, & Nos accendente communium iam Liberorum noſtrorum voluntate initum, volentes ex animo una cum prædicto chariſſimo Filio noſtro Pacta conventa omnia ſervare, fidemque noſtram illæſam tueri, Contractuique Matrimonii talis, quantum ad Nos attinet, ſatisfacere, id quod antea ſpopondimus, promiſimus, et recepimus, iam denuo, et ex ſuperabundanti ſpondemus, promittimus, et recipimus, et cum Sereniſſimus cariſſimusque Filius noſter SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex Literis ſuis patentibus, et authenticis, quæ datæ ſunt Vilnæ Dominico die Lætare Sereniſſimæ Dominæ Reginæ ELISABETHÆ Coniugi ſuæ, Nepti vero, et Filiæ noſtræ chariſſimæ Dotis, et Contradotis ſeu Donationis propter Nuptias nomine certa noſtra et incliti Regni Poloniæ Bona in eo ipſo Regno ſita et conſtituta, eaque ab obligationibus cuiuſvis libera, et pura, quemadmodum et Nos multo antea ea de re fidem dedimus, et aſſenſimus, ut tam noſtro, quam Filii, Hæredum, Succeſſorumque noſtrorum nomine ita fieret, aſſignaverit, inſcripſerit obligaverit, et reformaverit iuxta tenorem talium Literarum, quas hoc loco de verbo ad verbum cum omnibus ſuis Punctis, et Articulis pro inſertis haberi volumus, eas ipſas chariſſimi Filii noſtri Literas, Aſſignationemque, Inſcriptionem, Obligationem, et prætactæ Dotis, et Contradotis, ſeu Donationis propter Nuptias Sereniſſimæ Reginæ ELISABETHÆ Reformationem talem, ac omnia et ſingula in eiuſmodi Literis contenta de certa ſcientia et voluntate noſtra conſcripta, et confecta eſſe fatemur, et quia a Contractu ipſo auſpicati Deo iuvante Matrimonii nihil penitus diſcrepant, de conſilio, ſententia, unanimique conſenſu noſtrorum, et Regni Poloniæ noſtri, Principum, Prælatorum, Procerum, et Conſiliariorum non ſolum ea omnia ratificanda, approbanda, et confirmanda duximus, ita ut Præſentibus ratificamus, approbamus, et confirmamus, verum etiam iis ipſis nominibus, cauſis, et rationibus, quibus ſeſe Filius noſter per tales Literas ſuas ſincera voluntate ſua, ſvaſuque adeo noſtro conſcriptas iuxta Contractus tenorem ſancte obligavit,

et

ANNO 1545. et obſtrinxit, ita Nos quoque quemadmodum par eſt Nos, et Regnum noſtrum Poloniæ obligamus, atque obſtringimus, et quatenus opus eſt, Noſque id facere ex Contractu Matrimoniali ſæpedicto oportet, ratione memoratæ Dotis, et Contradotis, ſeu Donationis propter Nuptias noſtro et Regni Poloniae nomine Sereniſſimae Reginae ELISABETHÆ Filiae noſtrae charisſimae Bona talia in ipſis Reformationis Literis cum ſuis attinentiis omnibus, et ſingulis expreſſa aſſignamus, inſcribimus, obligamus, nec non ea ipſa Bona ab Inſcriptionibus, atq; Obligationibus cuiuſvis libera, et pura Summae Dotis et Contradotis ducentorum aureorum Hungaricalium, puri auri, et iuſti ponderis vigore Contractus Matrimonialis ſufficienter reſpondere, et praeterea per omnia, et in omnibus eidem Reginae ELISABETHÆ paterne cavemus, et cautum eſſe volumus. Inſuper ex quo chariſſima Neptis et Nurus Filia noſtra, Regina ELISABETH iuxta eiuſdem Matrimonialis Contractus tenorem, Dote centum millium aureorum Hungaricalium auri boni, iuſtique ponderis per Sereniſſimum Dominum FERDINANDUM Rom. etc. Regem, Conſangvineum, et Fratrem noſtrum charisſimum, Sereniſſimo Filio noſtro Domino SIGISMUNDO AUGUSTO Poloniae Regi integre, realiter, et cum effectu, vigore ipſius Contractus Matrimonialis perſoluta, Juri, et Haereditati paternae, et maternae in Regnis Hungariae, et Bohemiae, eorundemque attinentium Provinciarum, et Dominiorum, nec non Ditionum omnium Domus, et Archiducatus Auſtriae, cum erga Sereniſſimum Principem Dominum CAROLUM Quintum Rom. Imperatorem etc. Patruum ſuum dilectisſimum, eundemque Conſangvineum et Fratrem noſtrum charisſimum, et obſervandisſimum, extantibus Maieſtatum eorum Haeredibus, et Succeſſoribus per lineam maſculinam deſcendentibus legitime, debite, & ſolenniter renuntiavit, prout renuntiationem huiuſmodi patentes, et authenticæ Maieſtatis eius Literæ Vilnæ die Dominico Lætare datæ, & a Sereniſſimo Rege SIGISMUNDO AUGUSTO Marito ſuo, Filio noſtro charisſimo confirmatæ, atque utriuſque Maieſtatum eorum chirographis propriis ſubſcriptæ, Sigilliſque obſignatæ teſtantur, & declarant, quas ipſas itidem Literas hic de verbo ad verbum cum omnibus clauſulis, & punctis ſuis pro inſertis & expreſſis haberi volumus. Renuntiationis quoque huiuſmodi Literas tales per omnia ratas, gratas, probatas habentes, roboravimus, confirmavimus, et authoriſavimus, pro eo, atque, roboramus, confirmamus, et authoriſamus hiſce Literis ac verbo noſtro Regio promittentes Nos, quæ ſemel rata, grataque habuimus, & quæ ſecundum Pacta conventa Contractus matrimonialis recepimus, ea omnia & ſingula una cum charisſimo Filio noſtro, noſtro Succeſſorumque noſtrorum Poloniæ Regum nomine, inviolate ſervaturos & præſtaturos, neq; unquam ulla in parte contraventuros eſſe. In cuius rei fidem & teſtimonium Literas haſce noſtras manu noſtra ſubſcripſimus, Sigillumque illis noſtrum appendi iuſſimus. Datum Cracoviæ Feria Sexta poſt Dominicam Lætare Anno Domini MDXLV. Regni vero noſtri XXXIX. ANNO 1545.

PETRUS *Archiepiſcopus Gneſnenſis & Epiſcopus Cracovienſis manu ſua,*
SAMUEL *Epiſcopus Plocenſis & Vicecancellarius,*
PETRUS KMITHA *in Wiśnicze Comes &c. manu ſua*
PETRUS OPALENSKI *Caſtellanus Gneſnenſis &c.*

## XLVI.

*Obligatio de Juramento Sereniſſimæ Reginæ* ELISABETH *per Præfectos, & Incolas Terrarum eidem obligatarum præſtando.* Dat. Cracoviae Feria ſexta poſt Dominicam Lætare. *Ibidem fol. 209.*

SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae &c. Recognoſcimus, & teſtamur per Praeſentes, quod poſtquam Sereniſſimus SIGISMUNDUS AUGUSTUS &c. Filius noſter charisſimus Sereniſſimae ELISABETH Reginae Coniugi ſuae vigore Sponſalium Contractuſque matrimonialis, de Nuptiis Maieſtatum eorum, Deo volente toti Reipublicae Chriſtianae, Regno & Terris omnibus, & Nobis, poſteritatique noſtrae auſpicatis, celebrati, authoritate noſtra, & Principum Praelatorum & Procerum Regni noſtri Poloniae conſenſu, de Dote, & Contradote, ſeu donatione propter Nuptias Maieſtatis eius Reginalis in noſtris, & modo dicti Regni noſtri Bonis, Nova Civitate Korczyn, Viſlicia, Zarnovia, Radomia, Jedlna, Kozinice, Chenciny, Radoſzyce, Lancicia, Przedecz, Klodawa, Konin, Pysdry, Junivladislavia, Arcibusque, Diſtrictibus, Civitatibus, Oppidis, Villis, Curiis, Praediis,

ANNO 1545. Fructibus, Proventibus, Juribusque universis, et singulis eorum Bonorum, et aliis quibusdam in Literis Serenissimi Filii nostri expressis, quas quidem Literas Literis quoque nostris ratificavimus, roboravimus, et confirmavimus, per legitimam reformationem pro Coniugali sua in eandem Coniugem suam dilectissimam affectione providit, Nos curaturos esse intra trium Mensium spatium, ut iuxta contextum et tenorem reformationis praedictae omnes praetactarum Terrarum, Castrorum, Oppidorum, Villarum Capitanei, Rectores, Tenutarii, Cives plenam ipsi Serenissimae Reginae ELISABETHAE, aut in Maiestatis eius absentia Mandatariis, seu Commissariis eis praestent sponsionem, et fidelitatis corporale Juramentum, quod si Sereniſſimum Filium nostrum forte aliqua, priusquam Maiestatem eius Reginalem ex hac vita excedere contigerit, nulli alteri nisi Maiestati eius Reginali Castra, Civitates, Oppida, Villas praefatas plenarie, & cum effectu tradent, dabunt, consignabunt, & illorum plenam & omnimodam facient cessionem & resignationem, ac ipsi Reginae ELISABETHÆ in omnibus obedient, parebunt fideliter, & constanter, ita, ut Poloniae Regibus obedire soliti sunt, & astricti. Quare ita, ut dictum est, ad effectum deducta, iuramentisque debite praestitis eam ipsam iuramentorum praestationem promittimus Nos publicis Literis nostris Sereniſſimo Romanorum Regi insinuaturos. Recipimus illud quoque, & nostro, Filiique nostri chariſſimi nomine pollicemur, si quando praememoratarum Terrarum, Castrorum, Oppidorum, Villarum Capitaneos, Rectores, Tenutarios per cessum, seu deceſſum mutari contigerit, ut una cum fidelitatis iuramentis, Nobis, Filioque nostro dilectiſſimo praestandis, speciatim quoque in eum, qui praemiſſus est, tenorem, ipsi Reginae ELISABETHÆ ab eis praestetur iuramentum. Actum & datum Cracoviae Feria sexta post Dominicam Lætare Anno Domini MDLXV. Regni nostri XXXIX.

PETRUS *Archiepiscopus, & Episcopus Cracovienſis.*

SAMUEL *Episcopus Plocenſis, & Vicecancellarius.*

PETRUS KMITHA *Comes in Wiſnicze manu ſua.*

PETRUS OPALENSKI *Caſtellanus manu ſua.*

## XLVII.

*Recognitio* SIGISMUNDI AUGUSTI *Regis, quod Dotem integram a* FERDINANDO *Rom. Rege receperit.* Dat. Cracoviae feria quinta in Octava Corporis Chriſti. Anno 1545. *Ex Archivo Regni. Lib. 53. Num. 54. fol. 131.*

ANNO 1545.

SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae &c. Planum teſtatumque facimus Praeſentibus, quod cum plenam facultatem dediſſemus Sereniſsmo Domino SIGISMUNDO Dei Gratia Regi Poloniae, Supremo Litvaniae Duci etc. et Sereniſsmae Dominae BONAE eadem Gratia Reginæ Poloniæ Parentibus noſtris colendiſſimis pecuniam, quæ Dotis nomine a Sereniſſimo Domino FERDINANDO Dei Gratia Rege Romanorum &c. Nobis debebatur, noſtro nomine levandi, & de ea Maieſtatem eius quietandi poſteaquam data ſibi per Nos facultate uſi ſunt, & pecuniam Dotis nomine Nobis debitam per Sereniſſimum Dominum Romanorum Regem miſſam perceperunt Nobis eandem pecuniam integram poſt felicem noſtrum ad Maieſtates eorum adventum dederunt, numeraverunt & repræſentaverunt, ita ut plane Nobis ſit ſatisfactum, quare de eiusmodi pecunia de manibus Sereniſſimorum Parentum, noſtrorum, & eorum Conſiliariorum per Nos recepta Maieſtates eorum & Conſiliarios Præſentibus quietamus, & liberos pronuntiamus, neque Dotis huius nomine quidquam Nobis ab eis amplius deberi fatemur, & recognoſcimus. Harum teſtimonio Literarum, quibus Sigillum noſtrum eſt appenſum. Datum Cracoviae Feria quinta in Octava Sacratiſſimi Corporis Chriſti Anno Domini MDXLV.

## XLVIII.

*Conventio qua tranſactum eſt, ut pro Bonis Paraphernalibus poſt mortem Reginæ* ELISABETH *relictis,* SIGISMUNDUS AUGUSTUS *Rex Poloniæ triginta millia Aureorum Hungaricalium* FERDINANDO *Rom. Regi exolvat.* Dat. in Civitate Imperiali Auguſta die 26. Menſis Novembris Anno 1547. *Ex Originali. Extat in Archivo Cancell.*

ANNO 1547. *cell. Regni. Lib. Legationum. Lit-O. fol. 113.*

NOs Nicolaus Radziwill Sereniſſimi, & Excellentiſſimi Principis et D. D. SIGISMUNDI AUGUSTI Junioris Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Ruſſiæ, Prusſiæ, ac Maſoviæ etc. Domini et Haeredis Conſiliarius, et in iam dicto Magno Ducatu Litvaniæ Supremus, et Generalis Mareſcalcus, et Saulenſis Capitaneus, Orator, ac Martinus Cromerus Juris utriusque Doctor, Canonicus Cracovienſis, eiusdem Regiæ Maieſtatis Secretarius, et Mandatarii ad Sereniſſimum et Potentiſſimum Principem, et Dominum, Dominum FERDINANDUM Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, etc. Regem, Archiducem Auſtriæ etc. deſtinati. Notum facimus tenore Præſentium quorum intereſt Univerſis. Quod cum memoratus Sereniſſimus Junior Rex Poloniæ Dominus noſter elementiſſimus Nobis ſpeciale, plenum, atque ſufficiens Mandatum dederit, vice, et Nomine Maieſtatis ſuæ cum præmemorato Sereniſſimo, Potentiſſimoque Romanorum etc. Rege, de mundo muliebri, et rebus paraphernalibus omnibus Sereniſſimæ quondam Principis, et Dominae, Dominae ELISABETHAE ſanctae memoriae Reginae Poloniae etc. Filiae ſuae dilectiſſimae, et praefatae Regiae Maieſtatis Poloniae Coniugis deſideratiſſimae poſt eius obitum per iam dictam Romanorum etc. Regiam Maieſtatem a Sereniſſimo Domino, et Rege noſtro Poloniae praedicto repetitis, fraterne, et amicabiliter ac de plano tranſigendi, & conveniendi, idcirco Nos antedicti Orator et Secretarius vigore praetacti ſpecialis, ſufficientisq; Mandati Nobis, utpraefertur, dati, atque in infra ſcriptis Literis Sereniſſimi Romanorum etc. Regis de verbo ad verbum inſerti, cum Sereniſſima Regia Maieſtate ſua, ipſiusque Conſiliariis nominatim ad id deputatis, praefati Sereniſſimi Regis noſtri Nomine, et vice, de iam dictis rebus, paraphernis, et mundo muliebri ita convenimus, et tranſegimus, quemadmodum in memoratae Sereniſſimae Romanorum etc. Regiae Maieſtatis Literis deſuper expeditis continetur, quarum tenor de verbo ad verbum ſequitur, et eſt talis.

FERDINANDUS divina favente clementia Rom. Rex ſemper Auguſtus ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, etc. Rex, Infans Hiſpaniarum, Archidux Auſtriae, Dux Burgundiae etc. Comes Tirolis etc. recognoſcimus, et notum facimus tenore Praeſentium, quibus expedit Univerſis quod cum Sereniſſimus Princeps Dominus SIGISMUNDUS AUGUSTUS Junior Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, ac Ruſſiae, Prusſiae, etc. Conſangvineus et Filius noſter charisſimus miſſo ad Nos Oratore ſuo Spectabili et Magnifico Nicolao Radzivillo Supremo, et Generali Mareſchalco Magni Ducatus Litvaniae, et Capitaneo Saulenſi, nec non Venerabili Martino Cromero Juris utriusque Doctore, et Canonico Cracovienſi Secretario ſuo, Nobis cum de Paraphernis a Sereniſſima Coniuge ſua, Domina ELISABETHA felicis memeriae Poloniae Regina etc. Filia noſtra deſideratiſſima poſt ſe relictis, et per Nos ab ipſo Sereniſſimo Juniore Rege Poloniae etc. Jure optimo repetitis tranſigere, et convenire ſtatuiſſet, iisdemque praememoratis Oratori, et Secretario ſuis ſpeciale, plenum, et ſufficiens ad id Mandatum dediſſet, quod hic de verbo ad verbum inſeri fecimus, prout ſequitur. SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, &c. Dominus & Hæres. Significamus tenore Præſentium quorum intereſt Univerſis & ſingulis harum notitiam habituris. Cum nihil Nobis in vita æque propoſitum fuerit, atque ut avitam neceſſitudinem cum inclyta Domo Auſtriae, maxime vero cum Sereniſſimis, & Excellentiſſimis Fratribus Cæſaera, & Regia Romanorum Maieſtatibus, non modo retinere, verum etiam augere, & amplificare poſſemus. Quando quidem ita accidit ut mortua Sereniſſima Domina ELISABTHA Regina Poloniae, Magna Duce Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, &c, Domina Coniuge noſtra deſideratiſſima, Sereniſſimus, & Excellentiſſimus Princeps Dominus FERDINANDUS divina favente Clementia Romanorum, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, &c. Rex, Parens noſter obſervantiſſimus parapherna a Nobis repeteret, etſi plerisque viſum fuerat, Nos ad eorum reſtitutionem non teneri, pluris tamen Maieſtatis eius amicitiam, quam pecuniam faciendam exiſtimavimus, atque ideo ſpectabilem, & Magnificum hunc Nicolaum Radziwil Magni Ducatus noſtri Litvaniae Supremum & Generalem Mareſchalcum, Conſiliarium noſtrum, & Saulenſem Capitaneum, adiungentes illi, & Venerabilem Martinum Cromerum J.U. Doctorem, Canonicum Cracovienſem Secretarium noſtrum, ad Maieſtatem eius mittendum duximus, dedimus, ac damus Præſentibus eidem Spectabili, æ Magnifico Nicolao Radziwill Mareſchalco, & Venerabili Martino Cromero, Secretario noſtro

ANNO 1547.

ANNO 1547. plenam, & omnimodam poteſtataem, facultatemque, cum Sacra illius Mieſtate Regia, aut quibus id negotii Maieſtas eius dederit, de paraphernis iſtis ſummarie, ſimpliciter, & de plano amice agendi, et concludendi. Promittentes verbo noſtro Regio, quidquid per hunc ipſum Spectabilem, et Magnificum Nicolaum Radziwill, et Venerabilem Martinum Cromerum, Secretarium noſtrum, actum, tranſactum, et concluſum fuerit, id Nos ratum, gratum, et perpetuo firmum habituros, haud aliter quam ſi per Nos ipſos coram conſtitutos actum, tranſactumque eſſet. Harum teſtimonio Literarum, quibus Sigillum noſtrum eſt appenſum. Datum Vilnæ die 20. Menſis Auguſti Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Septimo.

Nos volentes etiam nunc paterni animi noſtri affectionem erga eundem Sereniſſimum Poloniæ Regem Juniorem, Filium noſtrum chariſſimum declarare, cupientesque conſtitutam cum eius Serenitate iam inde a Maioribus coniunctionem, et neceſſitudinem mutuam deinceps quoque retinere, ſtabilire, et ad longam utrinque poſteritatem, ſublata diſſidiorum, atque offenſionum materia transmittere, tranſegimus, et convenimus per Conſiliarios noſtros ad hoc ſpecialiter, et nominatim deputatos cum ſupradictis Oratore, et Secretario eiusdem Sereniſſimi Regis, vigore præinſerti Mandati in hunc, qui ſequitur modum: Nempe quod idem Sereniſſimus Rex Junior Poloniæ etc. pro omni ſupellectili aurea, argentea, gemmea, margaritea, textili, acu picta, pecuniaria, ſeu quacunque alia, quæ ſive paraphernorum, ſive donorum nuptialium, ſive quovis alio nomine in ſupra memoratæ Sereniſſimæ Coniugis ſuæ, Filiæ noſtræ chariſſimæ bonis, et facultatibus fuit, et poſtmodum eius in eiusdem Sereniſſimi Junioris Regis poteſtatem pervenit, triginta millia aureorum Hungaricorum in auro boni, et iuſti ponderis, in Civitate noſtra Vratiſlavia Nobis, aut cuicunque alteri, a Nobis ad id ſufficiens Mandatum habenti, in duobus terminis, videlicet dimidium intra tres Menſes a data præſentium noſtrarum Literarum computando, reliquum vero intra alios tres Menſes proxime et immediate a fine priorum trium Menſium ſubſequentes ſolvere debeat, et teneatur. Nos vero pro Liberis, Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris quibuslibet verbo noſtro Regio promittimus, et recipimus Nos aut ipſos Hæredes, et Succeſſores noſtros, poſtquam Nobis dicta triginta millia aureorum Hungaricorum in auro realiter, et integraliter, ut praefertur, perſoluta fuerint, nihil amplius a praefato Sereniſſimo Juniore Rege Poloniae etc. Succeſſoribus, et Ditionibus, atque ſubditis eius ſupramemoratae Filiae noſtrae Dominae ELISABETHÆ quondam Reginae Poloniae, rerum paraphernalium et cuiusvis ſupellectilis, aliarumve quarumcunque rerum poſt mortem Serenitatis eius relictarum nomine unquam repetituros, aut poſtulaturos eſſe, neque ullo prorſus modo per Nos ipſos ſive per alios eidem Sereniſſimo Regi Poloniae Juniori, Haeredibus, Subditis, atque Ditionibus eius de illis ipſis paraphernis, aut ulla re omnino quovis nomine ad ſaepe memoratam Sereniſſimam Filiam noſtram pertinuerit, moleſtiam aliquam illaturos, atque in hanc ſententiam Nos eius Serenitati erga perceptionem totius Summae dictorum triginta millium aureorum quietationem curaturos eſſe. In quorum omnium fidem et teſtimonium praeſentes Literas manu noſtra propria ſubſcripſimus, et Sigilli noſtri appenſione communiri fecimus. Datum in noſtra et Imperiali Civitate Auguſta die 26. Menſis Novembris Anno Domini MDXLVII. Regnorum noſtrorum Romani XVII. aliorum vero XXI. ANNO 1547.

Et propterea Nos idem Orator et Secretarius ſaepedicto Sereniſſimo Romanorum Regi omni efficaciori, et validiori, quo poſſumus, modo, et forma promittimus, et ſpondemus praefati Sereniſſimi Regis noſtri nomine, eiusdem Maieſtatem in verbo ſuo regio ad id obligantes, et obſtringentes, quemadmodum ipſamet Maieſtas eius in Literis Mandati ſui ſe obligat. Quod videlicet Maieſtas ſua huiusmodi tranſactionem, et conventionem, quemadmodum in praeinſertis Literis expreſſa eſt, firmiter et inviolabiliter obſervabit, et executioni demandabit, dictaque triginta millia aureorum Hungaricorum in auro, ad praeſcriptos duos terminos, ſicuti conventum, et tranſactum eſt, infallibiliter perſolvenda, numerandaque curabit, omni prorſus exceptione ſemota. In quorum fidem et teſtimonium praeſentes Literas manibus noſtris propriis et Sigillorum noſtrorum appenſione communivimus. Actum Auguſtae Vindelicorum die XXVI. Menſis Novembris Anno Domini MDXLVII.

Potwierdzenie Mikołaj Radziwiłł mar. W. Lit. i Marcin Kromer O. P. D. zawarcia pomiędzy Serdynandem zawarcia pomiędzy Elżbietą pozbycia posagowe paraphernalia Król Zygmunt zapłacił jemu 30000 złotych węgierskich wdowie rzeczą tejże [illegible] złotych we 3 ma ed alty [illegible] ostatniej, odbiorą zaraz we 3 ma. wniesie [illegible] Potwierdzenie [illegible] Elżbiety [illegible] Dok. Wiedeń. 26. Gbre. 1547.

## XLIX.

*Recognitio* FERDINANDI *Rom. Regis, quod triginta millia Aureorum Hungaricalium a* SIGISMUNDO AUGUSTO *Rege ex Tranſa-* 1548.

ANNO 1548. *Transactione pro paraphernis acceperit.* Dat. Augustæ Vindelicorum die ultima Feb. 1548. *Ex Originali.*

FERDINANDUS Divina favente clementia Romanorum Rex semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ &c. Comes Tyrolis &c. Fatemur, & recognoscimus tenore Præsentium notum facientes, quibus expedit universis. Quod cum Serenissimus Princeps Dominus SIGISMUNDUS AUGUSTUS Junior Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, ac Russiæ, Prussiæ &c. Consanguineus, & Filius noster charissimus, superioribus diebus misso ad Nos Oratore suo Spectabili, & Magnifico Nicolao Radivilio Supremo, & Generali Marsalco Magni Ducatus Litvaniæ, & Capitaneo Saulensi, nec non Venerabili Martino Cromero, Juris Utriusque Doctore, & Canonico Cracoviensi, Secretario suo, Nobiscum de Paraphernis a Serenissima Coniuge sua Domina ELISABETHA felicis memoriæ Poloniæ Regina, & Filia nostra desideratissima, post se relictis, transegerit, conveneritque, eiusdemque Transactionis, & Conventionis, nec non Literarum desuper hic Augustæ Vindelicorum, vigesima sexta Mensis Novembris proxime præteriti quadragesimi septimi Anni emanatarum, Nobisque ab eisdem Oratoribus suis traditarum vigore, Nobis pro omni eiusmodi suppellectili, quæ sive Paraphernorum, sive donorum nuptialium, sive quovis alio nomine, in supra memoratæ Serenissimæ Coniugis suæ Filiæ nostræ charissimæ bonis, & facultatibus fuit, & post mortem eius, in eiusdem Serenissimi Junioris Regis potestatem pervenit, triginta millia Aureorum Hungaricalium in auro, in Civitate nostra Vratislavia exsolvere debuerit, quod eam ipsam Summam triginta millium aureorum Hungaricalium in auro boni, & iusti ponderis, in prædicta Civitate Vratislaviensi, ad manus solutionum nostrarum Magistri in Silesia Wolfangi ab Egen, prædictarum Paraphernalium nomine, modo quo supra expressum est, dato Præsentium, per manus prædicti Martini Cromeri Secretarii, realiter, integraliter, & sine defectu accepimus. Quare eundem Serenissimum Poloniæ Regem Juniorem, Filium nostrum charissimum, eiusdemq; Hæredes, Successores, Ditiones, & Subditos de exsolutis præfatis triginta millibus Aureis Hungaricalibus in auro, pro Nobis, Hæredibus, Successoribus nostris Præsentium vigore quietum, & plane liberum reddimus, & facimus, in eiusdem rei fidem, & testimonium has nostras quietationis Literas manu propria subscripsimus, & Sigilli nostri appensione communiri fecimus. Datum in nostra, & Romani Imperii Civitate Augusta Vindelicorum, die ultima Mensis Februarii Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo octavo. Regnorum nostrorum Romani decimo octavo, aliorum vero vigesimo secundo. ANNO 1548.

*Ad Mandatum Domini Regis proprium.*

L.

*Tractatus Fœderis inter* FERDINANDUM *Rom. Hungariæ, ac Bohemiæ, &* SIGISMUNDUM AUGUSTUM *Poloniæ Reges, ac Regna, Provincias, Nationes, & Populos utriusque concluſi, quo priora Pacta, & Fœdera inter Maiores ſuos inita renovant, & confirmant, ac mutua ſibi invicem contra omnes hoſtes auxilia promittunt. Milites alteri intra alterius Ditiones conſcribere liceat. Rex Poloniæ Nepoti ſuo Regis Hungarorum Filio, auxilium contra* FERDINANDUM *non feret. Modus decidendi controverſias inter utriusque Partis Jubditos præſcribitur. Moneta iuſto valore cudatur, eiusque æſtimatio conſtituatur &c.* Dat. d. 2. Mensis Julii Anno 1549. *Ex Originali Sigil. 2.* 1549.

FERDINANDUS Divina favente clementia Romanorum Rex semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac superioris, & inferioris Silesiæ, Vitembergæ, & Teckæ, Princeps Sueviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, & Goriciæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac superioris, & inferioris Lusatiæ Dominus, Dominus Marchiæ Sclavonicae, Portus Naonis, & Salinarum. Et SIGISMUNDUS AUGUSTUS eadem favente clementia Rex Poloniae, Magnus

ANNO 1549. Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviæ, nec non Terrarum Cracoviae, Sendomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cuiaviae, Culmenſis, Elbingenſis, Pomeraniaeque &c. Dominus, & Haeres. Tenore Praeſentium recognoſcimus, ac notum facimus univerſis & ſingulis, praeſentibns, & futuris harum notitiam habituris. Quandoquidem, qui Chriſti locum in Terris gerunt, eos in hoc elaborare maxime decet, ut cuius locum obtinent, eius veſtigiis incedant. Nos memoria tenentes, quod non aliunde poteſtas noſtra ſit, quam ab eo, a quo nomen ducimus, cuius appellatione cenſeri volumus, Domino noſtro Jeſu Chriſto; qui quos ipſe Nobis ſubiecit populos, eos loco ſuo regere Nos voluit, & gubernare, huc omnes curas, & cogitationes noſtras convertendas duximus, ut quatenus id humanitatis præſtari poteſt, adiuvante eo, cuius id ſolius munere contingit, quam proxime ad ſimilitudinem eius accederemus, per quem Reges regnant. Quoniam vero non ille potentiam ſuam, non ſapientiam, ſed eam ſolam, qua ſocietas hominum inter ipſos continetur, dilectionem, qua Nos prior ipſe praeter meritum ullum noſtrum proſequutus eſt, invitari voluit, ut ſicut ipſe dilexit Nos, ita viciſſim & ipſi diligeremus invicem, ac pacem, concordiam, tranquillitatemque mutuam inter Nos conſervaremus: neque poteſt illi ſacrificium ullum a mortalibus offerri gratius, quam ſit fraterna charitas inter unius corporis membra. Hanc illius dilectionem, qui Nobis tot Civitates, tot Populos, lingua, moribus, habitu inter ſe diſſidentes, tot tam late patentes Provincias, tot ampliſſima Regna ſubiecta eſſe voluit, praecipue pro virili noſtra imitandam eſſe duximus, Itaque cum inter recolendae memoriæ Maiores noſtros iam inde a longiſſimo tempore certamen amoris, benevolentiaeque mutuae ſuſceptum fuiſſe cognoviſſemus, cuius rei tanquam Teſtes ſunt Pactorum, & Fœderum Literae, quae inter noſtram Auſtriae, & Jagelloniam Domum, quaeque utriusque Domus Regna, Imperia, Provincias, Populos, & Nationes, nominatim vero, quae inter quondam ALBERTUM Archiducem Auſtriae cum quondam CASIMIRO Poloniae Rege, & Proavum nonoſtrum Divum FRIDERICUM Imperatorem cum eodem CASIMIRO Rege interceſſerunt, Nos Maiorum noſtrorum exemplo provocati, qui ſummam ſemper inter ſe neceſſitudinem, & amicitiam conſervare ſtudebant, atque eam arctis praeterea affinitatis vinculis fortius colligabant, quam ut diſſolvi facile poſſit, ea nimirum Pacta, & Fœdera, quae inter praefatos noſtros Maiores quondam ALBERTUM, FRIDERICUM, & CASIMIRUM conſtituta fuerunt, id quod felix, fauſtum, & fortunatum Deus eſſe velit, utrique noſtrum, ac utriusque noſtrum Imperiis, Regnis, Terris, Civitatibus, Populis, & Nationibus in Dei Optimi, Maximi Nomine, a quo tanquam fonte perenni manat, quidquid bonarum eſt rerum, inter Nos quoque ad vitam ſaltim noſtram continuanda, confirmanda, inſtauranda, & amplificanda, atque adeo declaranda, corroboranda, & amplificanda duximus, ita ut continuamus, confirmamus, inſtauramus, renovamus, declaramus, corroboramus, & amplificamus Praeſentinm per tenorem, Ac primum quidem ſicut in Literis quondam ALBERTI Archiducis Auſtriæ perſcriptum eſt, Nos omni honore, fide, et amore Nos invicem proſequi, & promovere debemus in locis omnibus, & temporibus, ubi Nobis id faciendi ſe facultas obtulerit, citra dolum, & fraudem aliquam, neque committemus unquam, ut alter alteri, aut familiaribus eius, vaſallis, & ſubditis quibuscunque, Regnis, Ducatibus, Terris, & Civitatibus ei ſubiectis, & ſub eius obedientia & defenſione conſtitutis quacunq; ex cauſa bellum inferamus, inimicitias denuntiemus, diffidemus, aut hoſtiliter eos impetamus per Nos, aut per ſubmiſſas perſonas fraude, & dolo ſemotis. Ac non modo ipſi ab eiusmodi rebus abſtinebimus, verum etiam ſubditos noſtros, & quicunque in fide, poteſtateque noſtra ſunt, eos prohibebimus, ac ab omni vi, modo ſuperius deſcripto temperare ſibi cogemus. Habebunt etiam poteſtatem homines noſtri cuiuscunque ſtatus, et conditionis fuerint, ex quibuscunque Terris, Dominiis, Civitatibus noſtris, & noſtræ obedientiæ ſubiectis, agendi, & commorandi, atque etiam inde libere, & ſecure, cum illis viſum fuerit, diſcedendi. Deinde ſicut etiam Literis Divi FRIDERICI cautum eſt, ita Nos invicem uniendos, obligandos, alligandos, confœderandos duximus, quemadmodum unimus, obligamus, promittimus, alligamus, confæderamus Præſentibus, quod ex hoc ipſo tempore, perpetuo, realiter, & cum effectu invicem, & mutuo obligati, alligati, & confæderati ſimus, & erimus, & inter Nos, Liberos, Hæredes, & ſubditos noſtros, nec non Regna, Principatus, & Dominia, quae nunc uterque noſtrum poſſidet, & quæ Deo concedente in futurum acquiremus, & poſſidebimus, conſtans, perpetua, indiſſolubilis, & Chriſtiana Pax eſſe, & ſervari debet, & debebit, & in omnibus utriusque noſtrum Libero-

ANNO 1549.

ANNO 1549. berorum, & Hæredum noſtrorum honorem, dignitatem, ſtatum, augmentum concernentibus, & concernere valentibus mutuo Nobis auxiliabimur, conſulemus, invicem promovebimus, & aſſiſtemus, nec alteruter noſtrum quicquam faciet, cupiet, pertractabit, aut molietur, quod contra alterutrum noſtrum, eius Liberos, Hæredes, Regna, Principatus, Dominia, ſubditos, honorem, ſtatum, dignitatem, aut augmentum ſit, ſeu eſſe, aut tendere poſſit, neque noſtrum alter ipſius Liberis, Hæredibus, Regnis, Principatibus, Dominiis, & ſubditis bellum, damnum, aut quodvis aliud nocumentum inferet, nec a ſuis quovis quæſito colore, inferri permittet, ſed quilibet noſtrum contra ſubditos ſuos, qui huiusmodi faciunt, aut facere, & moliri vellent, totis viribus ſuis, & potentia in Terris, & Dominiis ſuis conſurget, & eos pro huiusmodi exceſſibus pæna condigna puniet, & caſtigabit, donec damnorum datorum integram compenſationem, & refuſionem facient. Præterea nullus noſtrum ad alterius hæreditaria Regna, Principatus, & Dominia aſpirare, aut anhelare debet, nec alterius noſtrum Regna, Principatus, Dominia, & ſubditos, ſi quos (quod Deus avertat) ab altero noſtrum, aut alterius noſtrum Liberis & Hæredibus deficere, recedere, aut rebellare contingeret, contra alium, eius Liberos, Hæredes, Regna, Principatus, Dominia, et ſubditos ſuſcipere, tenere protegere, iuvare, aſſiſtere, neque conſulere, aut favore proſequi debet, neque a ſuis talia fieri patiatur, ſed contra tales infideles, et rebelles, unus alteri auxiliabitur, et aſſiſtet, atque Dominiis ſuis eos excludet. Si vero alter noſtrum eius Liberi Hæredes, Regna, Principatus, aut ſubditi contra alterum, ipſius ſubditos, Principatus, aut Dominia, actionem realem, ſeu perſonalem, civilem, ſeu criminalem, aut qualemcunque querelam habet, aut inpoſterum habuerit, ſi ſuper ea non potuerimus amicabiliter concordare, tum neque ipſe, neque ſubditi eius contra alterum, ipſiusque ſubditos, Regna, Principatus, & Dominia quicquam via facti attentare, neque ſibi ipſi Jus dicere, aut ulciſci, ſed ſuper eo Jure, et non aliter experiri debet. Cæterum pro maiori ſuprascriptorum Fœderum declaratione proque tranquilliori ſubditorum noſtrorum ſtatu, quietae, et bonæ vicinitatis conſervatione, et quo firmiter inter Nos, Regna, et ſubditos noſtros pax, amicitia, et benevolentia perpetuo conſtare queat, utque omnes diſſidiorum cauſæ, quoad eius fieri poteſt, præſcindantur, ordinamus, ſtatuimus, declaramus, et volumus, quod quum initio ſcriptum eſt, quod mutua Nobis invicem auxilia ferre debemus, quomodo alter alteri auxilia ferre velimus, id in arbitrio utriusque noſtrum poſitum eſſe debere. Hoc tamen expreſſo, ut liceat utrique noſtrum ex Terris, et Provinciis alterius voluntarios milites ære ſuo conductos educere, et arma in uſum ſuum exportare, hactenus tamen milites educere liceat, quatenus id ſciente fiat altero noſtrum, neque ſit alteruter noſtrum bello ſuo proprio contra hoſtes aliquos ſuos impeditus. Hoſtibus vero, ne id liceat, neve favor ullus præſtetur, qui alteri obeſſe poſſit. Ita tamen, ut nedum iuxta præſcripta Maiorum noſtrorum Fœdera nullus noſtrum alteri, vel ipſius Regnis, Principatibus, Dominiis, et ſubditis bellum, damnum, aut quodvis aliud nocumentum inferre, ſed neque alterius hoſtes, aut rebelles fovere, protegere, ſeu eis aſſiſtere, vel favorem, conſilium, aut auxilium quovis modo præſtare debeat, etiam ſi tales eidem quocunque conſangvinitatis, ſeu proximitatis vinculo iuncti fuerint. Itaque Nos SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex ſigillatim Nos obligamus, et Præſentium tenore promittimus, quod ſi forte (quod abſit) Illuſtriſſimus Nepos noſter Sereniſſimi JOANNIS, olim Hungariæ Regis Filius, vel ſui bellum aliquod contra Regiam Romanorum Maieſtatem de Regno Hungariæ excitare, movereque vellent, quod in eo caſu omni prorſus conſilio, et auxilio noſtro deſtitutos eos volemus. Quoniam vero Regia Romanorum Maieſtas præfato Nepoti noſtro de his, quæ ei tanquam Hæredi Bonorum paternorum, ſeu ex Pactis aliquibus legitimo Jure debentur, ſatisfacturam ſe benigne promiſit, atque eius rei Sacram fraternam Imperatoriam Maieſtatem, et Nos Arbitros, Arbitratores, et amicabiles Compoſitores eſſe conſtituit inter ſe, et Nepotem hunc noſtrum, ſi per eum ſteterit, quo minus cauſa hæc amicabili compoſitione tranſigi poſſit, hoc eſt, ſi quas conditiones æquas, et accipiendas eſſe Sacra Imperatoria Maieſtas, et Nos iudicaverimus, eas Nepos noſter accipere recuſaverit, tunc non ſolum ſuprascripto, ſed ne hoc quoque caſu, etiam nulla amicabili compoſitione ſecuta, ullum ei auxilium, aut præſidium terre volumus, nec debemus directe, nec indirecte, per Nos, vel alium, ſeu aliòs quovis quæſito colore, vel prætextu. Volumus præterea vias, et flumina publica, nec non commercia, et negotiationes mutuas per Regna, et Provincias noſtras omnibus, et ſingulis Regnicolis, Provincialibus, et ſubditis noſtris, tam terra, quam aqua utrin-

ANNO 1549.

ANNO 1549. que libera esse, nec ullis unquam interdictis, arrestationibus, seu repressaliarum concessionibus impediri, sed utriusque nostrum subditos in alterius Regnis, et Dominiis libero transitu, ac side publica, quem Salvum Conductum vocant, non minus, quam proprios cuiusque subditos gaudere, uti, ac frui posse, et debere. Nec denique cuique nostrum, aut his, qui Nobis Subditi sunt, querelas, et actiones suas, si quæ iam sunt, vel futuris temporibus oboriantur, aliter, quam mediante iure prosequi liceat. Ut autem omnis vel protelatæ, vel denegatæ iustitiæ querela, tam inter Nos, quam subditos nostros hincinde praecaveatur, sed cuique expeditum Jus, et iustitia summarie, et de plano administrari, eiusdemque debita excusatio effectualiter obtineri valeat, convenimus, & concordavimus, quod si quis nostrum, vel unius nostrum subditi contra alteris unum, vel plures privatos, subditos, actiones sive personales, sive rēales intentarent, tunc semper pars agens, forum, & iudicium ipsius rei sequi debeat. Et quod in personalibus iniuriarum, violentiarum super spoliatione, seu similibus, Judex permissione subitarii Judicii citra dilationem, & exceptionem admissionem Actori forensi, de simplici, & plano iustitiæ complementum facere, in realibus vero secundum uniuscuiusque Ditionis consvetudinem, ita procedere teneatur, ut quilibet citra dilationem iustitiæ executionem obtinere queat. Id quod per Superioritates, & Magistratus fideliter provideri, & dirigi par est. Quod si alter nostrum contra alterius Provinciam, vel communitatem aliquam, vel viciſſim Provincia, communitas, vel privati subditi unius nostrum contra alterum ex Nobis, vel eius Provinciam seu communitatem privatas actiones prætenderent, tunc causæ huiusmodi coram alterius nostrum, sub quo pars rea degit, Consiliariis, seu Commissariis per eundem iuxta Partium conditionem, & causarum exigentiam non minus septem numero designandis, summarie audiri, & vel amicabiliter componi, vel Jure mediante determinari, ac executioni demandari debeant. Porro si inter Nosmet ipsos Reges, seu forsan Regna, & Provincias nostras tum metarum, & terminorum, tum commerciorum, seu quarumlibet aliarum, tam veterum, quam novarum causarum, iurium, vel obligationum occasione querelæ, gravamina, & controversiæ suborirentur, tunc alter nostrum, qui, vel cuius Regnum, seu Provincias, Jus, vel querelam prætendit, alium per Nuntios, vel Literas suas amicabiliter informare, ac pro tollendo, sarciendo, amovendoque gravamine admonere, & requirere debet. Quodsi obtineri nequeat, tunc quilibet nostrum statim intra duorum Mensium spatium a facta amicabili requisitione, tres Consiliarios suos ad convenientem diem, & locum per Partem læsam seu querelantem nominandum, semota omni excusatione mittere debeat, qui utriusque nostrum Consiliarii summam inprimis diligentiam adhibeant, quo huiusmodi querelæ, gravamina, & controversiæ inter Nos, Regna, vel Provincias nostras amicabili compositione transigantur. Qua vero non succedente, tunc læsa Pars sive agens coram prædictis sex Consiliariis actionem statim ipso die iuridice exhibendi potestatem habeat, idq; duplicatis scripturis, quarum unam Consiliarii penes se retineant, aliam vero Parti reæ transmittant, quo facto Pars rea responsum suum etiam scriptis duplicatis sæpedictis Consiliariis, vel ei, cui ex illis hoc demandatum fuerit, intra spatium proximorum duorum Mensium a transmisso actionis libello mittere teneatur, ut scilicet actor replicas, reus vero duplicas suas, ac præterea utraque Pars tertiam quoque concluſivam, & submissivam scripturam de bimestri in bimestre duplicatis, ut præfertur, scripturis offerre queat. Eo sane modo, & Ordine utrique Parti transmittendis, sicut de actionis libello demonstratum est, oblatis, tandem successive ab utraque Parte duplicatis terminis, scripturis, in quibus utrinque omnia Jura sua explicabunt, sex illi Consiliarii Partibus ad promulgandam sententiam intra proximum sequens bimestre diem ad eum locum, ubi causa primo agi cæpit, indicent, quo loco, & tempore Partes per Procuratores suos pleno Mandato suffultos comparere, illicque & ipsi Consiliarii convenire, ac diligenter visis, perspectis, & discussis actis totius causæ, Partes rursus ad concordiam, & amicabilem compositionem invitare, & cohortari, nihilque in eo operæ, & diligentiæ intermittere debeant. Quam si ne tunc quidem inter Partes obtinere queant, statim ad ferendam sententiam procedant, ac id quod Juris, & iustitiæ fuerit, cognoscant, & decernant. Quod si suprascripti Consiliarii de ferenda sententia (sive interlocutoria, sive definitiva fuerit) concordare non possent, tunc toties, quoties opus fuerit Arbitrum communi voce deligant, vel per quamlibet Consiliariorum Partem duabus idoneis personis præpositis, ex eisdem sortem constituant, cuius Partes sint huic Consiliari-

ANNO 1549. filiariorum opinioni, quæ ei magis Juri, & æquitati consona videatur, subscribere, eandemque laudare, & approbare. Quid quid autem per ipsos Consiliarios nostros, seu maiorem eorum Partem separatim, vel per eosdem, & arbitrum coniunctim decretum, & pronuntiatum fuerit, id ratum, firmumque maneat, ac statim debitæ demandetur executioni, remota omni plane appellatione, supplicatione, reductione, in integrum restitutione, aliisque Juris beneficiis, & remediis, etiam motu proprio concessis, obtentis, non obstantibus. Debent autem Consiliarii per Nos pro tempore deputandi, nec non & Arbiter ipse per Nos, & quantum ad quemlibet nostrum spectat, ab obedientiæ, & iuramenti debito ad eam causam absolvi, ac pro administranda iustitia, novo, consvetoque iuramento obstringi. Quod si pendente lite unus, vel plures ex ipsis Consiliariis mortem obirent, tunc in demortuorum locum, prout ad quemlibet nostrum pertinebit, alios semper surrogabimus. Ipsi quoque Consiliarii non plures scripturas admittant, aut terminos alio modo, quam supradictum est, prorogandi, aut alterandi potestatem habeant, sed forma, & modo illis concessa procedant; excepto casu, quo Partes testes producere necesse haberent, tunc ipsi Consiliarii iurisdictionem suam prorogandi potestatem habeant tantisper, donec testes eius Causæ conscii secundum Juris dispositionem legitime producti, & auditi fuerint, ita tamen ne ulla minus necessaria prorogatio quaeratur, vel admittatur, sed omnes testes ad unum diem, & terminum, quantum fieri possit, audiantur, ac publicatis attestationibus, non nisi unica scriptura a qualibet Parte recipiatur: Proinde quo magis Regna, Principatus, & Dominia nostra ab omni bellorum, depraedationum, latrociniorum, hostilitatisque periculo, libera, secura, purgataque esse queant, conventum inter Nos est, quod nullus nostrum alterius seu Regnorum, Provinciarum, vel subditorum suorum diffidatores, hostes, homicidas, raptores, seu damnificatores, nec non profugos, sive rebelles subditos, quicunque in alterius nostrum Regnis, & Ditionibus reperti, denuntiati, vel per Nosmet, aut Officiales nostros perveſtigati fuerint, quanquam amplius fovere, & assecurare, multo minus vero per subditos nostros ullo hospitio, auxilio sive receptatione, quocunque praetextu directe, vel indirecte, publice, vel occulte recipere, iuvare, aut intertenere debeat, sed ubicunque huiusmodi grassatores, raptores, diffidatores, & damnificatores ubilibet in praefatis Regnis, & Ditionibus nostris deprehensi fuerint, contra eos iussu nostro & directione, atque accurata diligentia Officialium utrobique Parti laesæ, atque deferenti iustitia immediate & irrecusabiliter permitti, atque administrari, aut etiam citra partium requisitionem de iis, ut communibus hostibus a Capitaneis, & Magistratibus, ubicunque ex Officio inquiri, insequi, & pænaliter procedi debeat. Casu autem quo aliquis ex Officialibus, aut subditis nostris propter receptationem, assecurationem, vel defensionem antedictorum diffidatorum, aut omissionem antedictorum diffidatorum insecutionis, captivationis, sive animadversionis scienter contravenerit, in tales utrobique sive delati a parte altera, sive alias verisimili suspicione deprehensi forent, capitali supplicio irremissibiliter debet animadverti. Quod si alterutrius nostrum unus, vel plures Incolæ, vel subditi alteri nostrum, seu Regnis, & Dominiis nostris generaliter, vel singularibus Personis, Incolis, & subditis privatim hostilitatem denuntiaverint, tunc statim Praefectus, Capitaneus, aut Officiales illius loci, sive Districtus, cui diffidatio indicta est, Generales Praefectos, & Capitaneos Regnorum, & Provinciarum alterutrius nostrum, sub quo tales diffidatores degunt, ea de re certiores reddere, ipsisque exemplar diffidatoriarum Literarum transmittere debeant. Quo accepto praedicti Praefecti, & Capitanei, diffidatores pro publicis hostibus iudicare, promulgare, & publicare, omnibusque & singulis Incolis cuiuscunque Ordinis, & Conditionis extiterint, eorum consvetudinem interdicere, & ne a quoquam hospitio recipiantur, aut consilio, auxilio, sive ulla re alia iuventur, prohibere, & cavere, bonaque diffidantium applicare fisco, & cameræ Regiæ, ac proinde in hospites, socios, conscios, & complices, pari quoque severitate animadvertere teneantur, ignorantiæ excusatione universis penitus sublata. Quod si quispiam Praefectus, Capitaneus, aut Magistratus in huiusmodi casibus subitam iustitiam administrare cunctaretur, aut etiam alias ex Officio, inquisitione, insecutione, & animadversione debita non procederet, tales nostræ punitioni immediate obnoxii, & rei esse debeant. Ut autem praecipuus diffidationum, & grassationum fomes, quo huiusmodi latrocinia imprimis aluntur, e medio tollatur, coerceaturque licentia, & impunitas receptandi hostes, praedones, & diffida-

ANNO 1549.

ANNO 1549. fidatores, ſerio inter Nos convenit, ut omnes promotores, detentores, receptatores, complices dictorum facinoroſorum hominum, qui vel notorietate facti, vel ex veraci denuntiatione ſpoliatorum, aut ex fuga captivorum (modo tales captivi, vel ſpoliati bonæ fidei, & integræ famæ ſint) ſive aliis tam manifeſtis indiciis, ut ulteriori probatione res non egeat, convicti, vel deprehenſi forent, iidem citra ulteriorem purgandi ſui admiſſionem, vel conceſſionem, ſpoliatis, & damnum paſſis ad reſtitutionem, & ſatisfactionem probabilium damnorum de Bonis ſuis teneantur, aut ſi ſolvendo non ſint, ſecundum qualitatem delicti corpore luant. Quod ſi tales etiam patrati criminis conſcii, vel complices eſſent, et ad lata damna, cædemque evidentem cauſam ſcienter præbuerint, iidem non tam parti ad reſtitutionem damnorum, ut iam præmiſſum eſt, teneantur, quam etiam ſuperioritati ſuæ cognitionis, ad ſumendum de eis pro modo delicti ſupplicium, citra evaſionem ſubiaceant. Si vero aliqui receptatorum, aut complicum non omnino manifeſtis indiciis, nec apertis captivorum confeſſionibus, ſed alias delati, & de tali facinore ſuſpecti potius, quam convicti fuerint, contra tales tam ex delatione damnificatorum, vel alterius Superioritatis Officialium, quam ex Officio per Capitaneos, aut Magiſtratus eius Regni, aut Ditionis, in qua fuerint, hac tamen conditione, differentia, ſive moderatione debet procedi, ut ſi forent Nobiles, aut poſſeſſionati Cives, ante hac in talibus non infamati, neque ullis prioribus confeſſatis ſuſpecti, tales in caſu negationis ſe ſe proprio eorum iuramento coram ſupremo eius Ditionis Magiſtratu, publice de huiuſmodi infamatione exonerare, & purgare queant. Si vero iidem anterioribus infamiæ, aut confeſſatorum praeiudiciis notati, & ſemimanifeſti forent, ita tamen, ut huiuſmodi confeſſata non omnimode certum facti indicium praebere poſſent, tales etiam ad purgationem ſui, medio iuramento mettertia manu integrae famae poſſeſſionatorum vicinorum admitti, ſi aut in utraque cauſa in purgatione defecerint, debitae capitis animadverſioni ſubiici, & ſubiacere debent. Quod ſi quis ex Regnis & Provinciis noſtris auſu temerario contra ius & æquitatem, ac publica mutuaque Regnorum noſtrorum Fædera, in alterius Regna, vel Ditionem excurſionem, & irruptionem faceret, atque ibi Mercatores, & vectores deprædaret, aut detineret, homines occideret, vel abduceret, pecora abigeret, incendio ſaeviret, aut alio quovis modo damnum, & iniuriam inferret, & patrato nefario ſcelere rurſum ſe domum, vel cum præda ſecurus, vel fugiens inſequentium manus, in hoſpitia conſveta, & ſolita diverticula reciperet, tunc in eo Regno Præfecti illius Territorii, vel Diſtrictus, & omnes Incolae, totaque vicinitas mox, ut a damnificatis, & iniuriatis ſeu quibuſvis aliis hoſtem, prædonem, & communium Fæderum violatorem inſequentibus, commonefacti, evocatique extiterint, debeant læſis ferre opem, adeſſe in armis fortiter, & graviter inſequi, & inquirere noxios, & turbatores Pacis publicæ, & tranquillitatis. Et ſi ſui tuendi cauſa in aliqua Caſtra, aut Fortalitia, vel loca abdita, ſeu natura munita profugerint, acrius, & diligentius inſiſtere & ipſos, & eorum hoſpites, Socios, conſcios, complicesque obſidere, oppugnare, & ita omnes ad deditionem urgere, ad debitum ſupplicium trahere, & ad reſtitutionem, recompenſationemque damnorum illatorum cogere teneantur. Si qui autem negligentiores, & remiſſiores in ferendo offenſis auxilio, & in perſequendo hoſtes, & damnificatores ſeſe exhibuerint, ii ſciant ſe indignationem noſtram, & animadverſionem ſeveram irremiſſibiliter incurſuros eſſe. Si vero contingeret, aut per ſubordinationem Superioritatis, aut aliqui per damnificatos, atque diffidatos contra præmiſſos damnificatores, diffidatores, malefactores, receptatores, aut complices captivandos, ſive etiam tum captatos, & convictos in alterutrius Regnum, aut Ditionem pro imploratione iuſtitiæ mitti, iidem imploratores non ſolum ad executionem iuſtitiæ pro ratione delicti cum omnibus in tali facto neceſſariis admitti, & provideri, verum etiam, tam in loco adminiſtrandæ iuſtitiæ, quam in reditu ad propria omnimode tuti, atque aſſecurati eſſe debeant. Caſu etiam quo in alterutrius Regno noſtrum, aut Ditione aliquis ex Nobilibus, vel alius zelo honeſtatis, & ſtudio ſupprimendorum publicorum malefactorum, aut iuſſu Magiſtratus ſui, aut motu proprio, huiusmodi publicos prædones, & graſſatores inſequeretur, idque ſibi a quocunque ut inhoneſtum exprobaretur, talis exprobratio nulli cuiuſcunque ſtatus ullum honoris ſui diſcrimen, inminutionem, ſeu præiudicium aliquod generare queat, ſed exprobrator ad revocationem probri una cum aliquali carceris punitione, & reſtitutione impenſarum cogi, atque læſum rogare debet, ut ſibi talem iniuſtam imputa-

ANNO 1549. putationem propter Deum remittere velit. Quum denique noſtra, Regnorumque ac Provinciarum noſtrarum maximopere interſit, ut in Regnis, & Dominiis noſtris bonam, eandemque iuſtam habeamus monetam, quamobrem pro bono communi utrinque curabimus, & efficiemus, ne illegitima, prava, vel reproba moneta in Regnis, Provinciisque noſtris cudatur, & recipiatur. Quod ſi hac ex parte, quæſtio inter Nos inciderit, agemus, quantum opus fuerit, cum ordinibus Regnorum, Provinciarumque noſtrarum, atque de eorum aſſenſu Commiſſarios noſtros utrinque deputabimus, qui habita ratione communium Regnorum, Provinciarumque noſtrarum eas tentent, ineantque rationes, quibus vel eadem bonitate, & valore utrobique moneta cudatur, vel diverſarum monetarum prout quævis, vel melior, vel deterior reperta fuerit, iuſtum ſemper pretium, æſtimatioque conſtituatur, id quod & de ſale utriuſque noſtrum in alterius Regna, & Provincias educendo pariter cautum eſſe volumus. Quod ſi tamen res hæc, vel altero, vel utroque caſu inter communes noſtros Commiſſarios tranſigi nequeat, tunc ſalvum, liberumque ſemper utrique noſtrum eſſe debere, & de moneta, & de ſale ſuo ſtatuendi id, quod cuiuſvis, ac Regnorum, & Provinciarum ſuarum neceſſitas, utilitaſque exegerit. Quæ omnia, & ſingula matura Procerum, & Conſiliariorum noſtrorum deliberatione prævia Nos Rex FERDINANDUS perſonaliter, & Nos SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex &c. per Oratorem noſtrum ſufficienti ad hoc Mandato ſuffultum acceptamus, approbamus, & Regia noſtra authoritate ratificamus per Præſentes, promittentes in verbo noſtro Regio, & bona fide, loco iuramenti mediante, præinſerta Pactorum, & Fæderum Capitula in omnibus eorum punctis, clauſulis, conditionibus, & articulis firma, rata, & grata ſemper habituros, ac ſancte, inviolabiliterque obſervaturos, nec non per Officiales, & ſubditos, ac omnes, quorum intereſt, pariformiter obſervari, & manuteneri curaturos, dolo, & fraude ſemotis. Reſervantes poſtremo, & ab hac Confæderatione pro Nobis Rege FERDINANDO excipientes Sanctiſſimum Dominum noſtrum Papam, ſanctamque Sedem Apoſtolicam, nec non Sacram Imperatoriam Maieſtatem Fratrem, & Dominum noſtrum chariſſimum, ac Sacrum denique Romanum Imperium, cui Nos pro fide, quam illi iureiurando obſtrinximus, deeſſe non poſſemus, ſi quis illud afficere iniuria vellet. Et præterea Turcarum etiam Principem per Præſentes quinquennales, & futuras quoque, ſi quæ interceſſerint, Inducias, ita ut iſthæc Confæderatio Nos Regem FERDINANDUM contra illos ligare non poſſit, nec debeat. Sic viciſſim Nos Rex SIGISMUNDUS præfatum Sanctiſſimum Dominum noſtrum Papam, ſanctamque Sedem Apoſtolicam, nec non Turcarum Principem pro Nobis pariter excipiendos reſervandoſque duximus. In quorum omnium robur, & evidens teſtimonium, Nos præfati Reges binas eiuſdem tenoris Literas manuum noſtrarum ſubſcriptione, Sigillorumque appenſione munitas, ac cuilibet noſtrum alteras conſignatas expediri fecimus, quæ datæ ſunt die ſecunda Menſis Julii Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Nono.

ANNO 1549.

FERDINANDUS *mp.*
SIGISMUNDUS AUGUSTUS
Rex *mp.*

## LI.

*Renovatio, & Confirmatio Pactorum, & Fœderum inter Domum Auſtriæ, & Reges, ac Regnum Poloniæ initorum per* CAROLUM V. *Imp. facta, eodem ordine, forma, modo, & tenore, quo* FERDINANDUS *Rom. Rex eadem Pacta & Fœdera confirmavit, inſtauravit, & renovavit.* Dat. Bruxellis die 12. Menſis Decembris Anno 1549. *Ex Originali.*

CAROLUS V. divina favente Clementia Roman. Imperator Auguſtus, ac Rex Germaniæ, Hiſpaniarum, utriusque Siciliæ, Hieruſalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Inſularum Balearium, Sardiniæ, Fortunatarum, & Indiarum, ac Terræ Firmæ, Maris Oceani, &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Lothrici, Brabantiæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, Gheldriæ, Wirtembergæ &c. Comes Habſpurgi, Flandriæ, Tyrolis, Artheſiæ, & Burgundiæ, Palatinus Hannoniæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, Ferreti, Kiburgi, Namurci, & Zutphaniæ, Langravius Alſatiæ, Marchio Burgoviæ, & S. R. I. &c. Princeps Sveviæ, &c. Dominus Friſiæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis, & Mechliniæ &c. Recognoſcimus, & memoriæ commendamus, quibus expedit Univerſis. Quum

ANNO 1549. paulo ante Sereniſſimus Princeps Dominus SIGISMUNDUS Poloniæ Rex, Magnus Dux Litvaniæ, &c. Frater, & Conſangvineus noſter chariſſimus, Nobis ſuggeſſiſſet antiqua illa neceſſitudinis, ac amicitiæ Jura, quæ Inclitis Praedeceſſoribus, ac Progenitoribus noſtris, tam Romanorum Imperatoribus, & Regibus, quam Archiducibus Auſtriae cum Maioribus ipſius Regibus Poloniae interceſſiſſent, quibus etiam effectum eſſet, ut aliquot ab hinc ſaeculis inter eosdem certa quaedam Faedera, tanquam mutui illius amoris, ac benevolentiae evidentiſſima documenta firmata fuerint, eadem quoque a Nobis pro inſigni affectione, & fraterno amore, quem erga Nos haberet, approbari, confirmari, & renovari petiiſſet. Quumque eodem tempore intellexiſſemus Sereniſſimum Principem Dominum FERDINANDUM Rom. Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae &c. Regem, Archiducem Auſtriae, Ducem Burgundiae &c. Comitem Tyrolis &c. Fratrem noſtrum chariſſimum, a quo idem fuerat petitum, libenter ac prompto animo annuiſſe, dictaque Faedera, Tractatu ſuper hoc habito continuanda, confirmanda, inſtauranda, & renovanda, atque adeo declaranda, corroboranda, amplificanda duxiſſe, eo ſcilicet ordine, forma & tenore, qui ſequitur in haec verba: Nos FERDINANDUS divina favente Clementia Romanorum Rex ſemper Auguſtus &c. vide Num. L. fol. 213.

Nos igitur CAROLUS Rom. Imperator praedictus, ut nihil magis in votis habemus, quam cum omnibus Chriſtiani nominis Principibus, praecipue vero cum praefato Sereniſſimo Rege SIGISMUNDO AUGUSTO Conſangvineo, & Fratre noſtro chariſſimo mutuam pacem, amicitiam & concordiam alere, tenere, & conſervare, eidemque ſincero fraterni amoris affectu per omnia reſpondere, ita in hac parte non minus, quam in aliis omnibus laudata Maiorum noſtrorum veſtigia ſequi volentes, praedicta Faedera eodem omnino ordine, forma, modo, & tenore, quo praefatus Rex FERDINANDUS Frater noſter chariſſimus, factum ipſius ratum, & gratum habentes, continuamus, confirmamus, inſtauramus, renovamus, declaramus, corroboramus, & amplificamus, tam pro Perſona noſtra, quam pro Regnis, Provinciis, ac Dominiis haereditariis noſtris, tenore Praeſentium promittentes in verbo noſtro Caeſareo, & bona fide, Nos huiusmodi Tractatum, & Confirmationem, ac omnia & ſingula in iis contenta, & expreſſa, quatenus Nos concernunt, inviolabiliter obſervare, & adimplere, & in nullo illis contravenire velle, dolo, et fraude ſemotis. Harum teſtimonio Literarum manu noſtra ſubſcriptarum, et Sigilli noſtri Caeſarei appenſione munitarum. Dat. in Oppido noſtro Bruxellis Ducatus Brabantiae, die duodecima Menſis Decembris Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Nono. Imperii noſtri trigeſimo, et Regnorum noſtrorum trigeſimo quarto. ANNO 1549.

CAROLUS *Imperator.*

*Ad Mandatum Cæſareæ & Catholicæ Maieſtatis proprium.*

## LII.

*Pacta Matrimonialia inter* SIGISMUNDUM AUGUSTUM, & CATHARINAM FERDINANDI *Rom. Regis Filiam, cuius Sponſor Pater, conſtituens dotem centum millium florenorum Rhenenſium, intra unius anni ſpatium Sub pœna dupli ſolvendorum.* Dat. Viennæ die 23. Menſis Jnnii Anno 1553. *Ex Originali.*

NOS FERDINANDUS divina favente Clementia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Infans Hiſpaniarum, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, &c. Dux Lucemburgiæ, ac Superioris, & Inferioris Sileſiæ, Wirtembergiæ, & Tecke, Princeps Sveviæ, Comes Habſpurgi, Tyrolis, Ferretis, Kiburgi, & Goritiæ, Landgravius Alſatiæ, Marchio S. R. I. Burgoviæ, ac ſuperioris & inferioris Luſatiæ Dominus, Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, & Salinarum &c. Recognoſcimus, & tenore Præſentium ſignificamus, quibus expedit Univerſis, tam præſentibus quam futuris. Quod cum Sereniſſimus Princeps Dominus SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, &c. Dominus & Hæres, Filius, & Conſangvineus noſter chariſſimus, miſſis ob eam cauſam ſolennibus Oratoribus ſuis, videlicet Illuſtri Nicolao Radziwilo in Olika, & Nieſwiż Duce, Palatino Vilnenſi, Magni Ducatus Litvaniæ Supremo Mareſchalco, & Cancellario Breſtenſi, Szaulenſique Capitaneo, ac Reverendo & Magnifico Joanne de Przerab Præpoſito Cracovienſi, Regni Poloniæ Vicecancellario ſincere Nobis dilectis, a Nobis Sereniſſimam Principem Domi-

ANNO 1553. Dominam CATHARINAM relictam Viduam, Ducissam Mantuæ, Archiducissam Austriæ, Filiam nostram charissimam sibi in Matrimonium collocari amice, amanterque petiisset, atque dicti Oratores huiusce laudabilis, honestissimique Serenitatis suae desiderii plures magnas, gravesque causas, & rationes, praesertim vero, quod exinde non solum inclitis utriusque nostrum Domibus, & Familiis illustria ornamenta, sed etiam Regnorum, & Dominiorum nostrorum subditis, quibus divina largitate imperamus, non exigua commoda accessura essent, tam publice, quam privatim, diserte, prudenterque exposuissent, Nosque pro perpetua illa nostra benevolentia, ac amore, affectuque plane paterno, quo ipsum Serenissimum Poloniae Regem antea semper prosecuti sumus, & nunc quoque prosequimur, huiusmodi Serenitatis suae petitionem paternum nostrum consensum, & assensum, una cum ipsa Serenissima Principe Domina CATHARINA Filia Nostra charissima similiter expresse assentiente, & consentiente praebuissemus; tandem quod felix, ac faustum sit, ad laudem & Gloriam Dei Omnipotentis, semperque Gloriosae Virginis Mariae eius Genitricis, pro conservatione, & augmento Reipublicae Christianae, proque firmiore statu Regnorum, ac Provinciarum utrique nostrum subditarum, utque vinculum sangvinis et affinitatis, quod inter Nos et ipsum Serenissimum Regem Poloniae multis nominibus iam pridem firmum existit, nova affinitate magis magisque coarctetur, inter praefatam Dominam CATHARINAM Filiam nostram charissimam Nobis pro ea, et eius Nomine, et cum illius praescitu, et expresso consensu, voluntateque agentibus ex una, ac memoratum Serenissimum Regem Poloniae, medio Serenitatis suae Oratorum supra memoratorum, plenum et sufficiens Mandatum ad id habentium parte ex altera, obtenta primum a Sanctissimo Domino nostro Papa JULIO tertio, super tertio consangvinitatis gradu, quo Serenissimus Rex Poloniae, et Serenissima Filia nostra praefati, invicem coniuncti sunt, nec non super illo affinitatis impedimento ex hoc emergente, quod Serenissimus Rex SIGISMUNDUS AUGUSTUS in primo Matrimonio Serenissimam quondam ELISABETHAM Filiam nostram charissimam, eiusdem Serenissimae Dominae CATHARINAE Sororem Germanam Uxorem habuerit, necessaria ac convenienti dispensatione, sub Data Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Quingentesimo Quinquagesimo Tertio, tertio decimo Calendas Junii, Pontificatus sui Anno quarto, tractatum, et concluſum est Matrimonium verum, et legitimum, sub Articulis, et Conventionibus sequentibus; videlicet quod Sereniſſima Domina CATHARINA dabit, et assignabit in Dotem Sereniſſimo Regi Poloniae Domino SIGISMUNDO AUGUSTO Summam centum millium florenorum Rhenensium, sexaginta Cruciferis bonae, et usualis monetae Germanicae, pro quolibet floreno computatis. Quae quidem Summa etiam in priore ipsius Matrimonio sibi pro Dote, et portione legitima tam paternae quam maternae haereditatis a Nobis constituta, et assignata fuit. Quia vero huiusmodi Dotis Summa adhuc in manibus nostris existit, et de illa Illustri quondam Duci Mantuæ, Genero nostro, et eidem Filiae nostræ charissimæ Sereniſſimæ Dominæ CATHARINÆ Coniugibus, qui in id benevole assenserant, annuum interesse, seu censum hactenus solvimus, ideo conventum est, et concluſum, quod Nos Rex FERDINANDUS antedictus praefatam centum millium florenorum Rhenensium Summam in unius Anni a Die consummati Matrimonii computandi spatio, et termino in Ducatis Aureis Hungaricalibus, seu alterius cussionis, quae valori, et bonitati Aureorum Hungaricorum par sit, boni, et iusti ponderis, vel in Thaleris, ita ut in Regno Poloniae tam Aurei, quam Thaleri expenduntur, realiter, et cum effectu exolvere, et repræsentare debeamus et teneamur. Econverso vero Sereniſſimus Princeps Dominus SIGISMUNDUS Rex Poloniae praedictam Dotem recipiendo, pro Contradote seu Donatione propter Nuptias similiter Summam centum millium florenorum Rhenensium supradicti valoris Sereniſſimæ Dominæ CATHARINÆ Sponsæ suæ dare, et constituere, et has utrasque Summas tam scilicet Dotis, quam Contradotis in omnibus illis Regni sui Poloniae Dominiis, Civitatibus, Oppidis, Arcibus, et aliis quibuscunque Terris, et Bonis quomodocunque vocatis, quae Sereniſſimis Poloniae Reginis ab antiquo inscribi, et in Reformationem Dotis et Contradotis dari et asſignari consveverunt, nullis demptis, in bona et debita forma inscribere, et assecurare, et huiusmodi reformationem seu Inscriptiouem ad manus nostras consignare, & ad hæc curare, efficereque debebit, & tenebitur, quod omnes Dominiorum, Civitatum, Oppidorum, Castrorum, Terrarum, Villarum, & Bonorum huiusmodi Capitanei, Rectores, Tenutarii, Cives præsentes, & futuri, ipsi Sereniſſimæ Dominæ CATHARINÆ ple-

ANNO 1553.

ANNO 1553. nam præſtent ſponſionem, ac corporale fidelitatis iuramentum. Quod ſi Sereniſſimo Regi Poloniæ, priusquam Ipſi Dominæ CATHARINÆ aliquid humanitus acciderit, tunc & in eo caſu nulli alteri niſi Serenitati eius Dominia, Civitates, Oppida, Arces, Terras, Villas, & Bona ſibi inſcripta tradent, & conſignabunt cum omnibus inde percipiendis fructibus, commodis, emolumentis, & reditibus, & quod Serenitati eius in omnibus et per omnia parebunt, & obedient fideliter, & conſtanter, ita ut Sereniſſimis Regibus Poloniæ obedire ſunt ſoliti, & adſtricti. Inſuper permiſſum eſt arbitrio Sereniſſimi Domini Regis Poloniæ, ut ſecuta per copulam huius felicis Matrimonii conſummatione, Sereniſſimam Sponſam ſuam aliquo munere Nuptiali tam pro Regio ſuo honore, quam Ipſius Sereniſſimæ Sponſæ ſuæ merito, remunerare poſſit. Nos enim de Ipſius Sereniſſimi Regis tam erga Nos, quam Sponſam ſuam amore, & benevolentia nihil dubitamus. Pro hoc autem munere Nuptiali, ut præmittitur, deputando, etiam Inſcriptio & Aſſecuratio legitima itidem fieri debebit. Conventum præterea eſt, quod ſi Sereniſſima Domina CATHARINA prior Sponſo ſuo defuncta fuerit, tunc Dos, & Donatio propter Nuptias, et Munus Nuptiale ad Sereniſſimum Regem, & Regnum Poloniæ perpetuo devolvantur ſine aliqua ipſius Dotis reſtitutione. Si vero Sereniſſimum Regem Poloniæ præmori contigerit, prole ex ea (quod Deus prohibeat) non ſuſcepta, vel ſi ſuſcepta fuerit, tam præmortua, quam etiam ſuperſtite; tunc nihilominus Sereniſſima Domina CATHARINA omnibus Terris, Diſtrictibus, Dominiis, Civitatibus, Oppidis, & Bonis ſibi pro Dote, et Contradote, nec non munere Nuptiali inſcriptis, et aſſignatis ad vitæ ſuæ extrema tempora, ſive ad alia vota Matrimonialia ſibi convolandum duxerit, ſive in vita viduali permanſerit, plenam utendi, et fruendi poteſtatem habere debeat. Poſt mortem autem ſuam prædicta centum millium florenorum Rhenenſium Summa, ratione Donationis propter Nuptias, ſeu Contradotis ſibi donata, et inſcripta ad præfatum Poloniæ Regnum converti, et redire debebit. De alia vero centum millum florenorum Rhenenſium Summa, Dote ſcilicet ſua, nec non de munere Nuptiali prædicto, ſi eiusmodi munus fuerit, ut de eo teſtari poſſit, habeat Sereniſſima Domina CATHARINA tam in vita, quam in mortis articulo donandi, teſtandi, et arbitrio ſuo diſponendi facultatem. Quod ſi vero de Dote, et munere huiusmodi Nuptiali nihil diſpoſuerit, tum et Dos, et munus ipſum nuptiale, ſi tale datum fuerit, ut eius proprietas ad Serenitatem eius legitime pertineat, vel ea pars, de qua non diſpoſuerit, ad Sereniſſimam Domum noſtram Auſtriæ, proximosque. Ipſius Sereniſſimæ Dominæ CATHARINÆ Hæredes Maſculos, et illis non extantibus Fæminas devolvantur, eisque dictam Dotis Summam una cum munere Nuptiali Sereniſſimi Domini Poloniæ Regis Hæredes, et Succeſſores integre, vel partem aliis non donatam, aut legatam effectualiter reſtituere, et perſolvere debeant, et teneantur; hac expreſſa adiecta lege, et conditione: quod in caſu obitus Sereniſſimæ Dominæ CATHARINÆ ab inteſtato Serenitatis ſuæ Hæredes ſupradicti, in caſu vero alicuius diſpoſitionis factae, perſona, aut perſonae illa, vel illae, cui, vel quibus Sereniſſima Domina CATHARINA donationem, vel legatum fecerit annuos reditus certos, et integros decem millium florenorum Rhenenſium ſupramemorati voloris, nec non id, quod ratione muneris Nuptialis competierit, ex ſupradictis inſcriptis, et aſſignatis Bonis tam diu quilibet pro ſua rata parte, ſine aliquo defectu habere, levare, et percipere poſſint, donec, et quousque plene, et integre ſatisfacti, et contenti redditi fuerint, tam ſcilicet de Summa Dotis, quam de munere Nuptiali. Conventum praeterea, et concluſum eſt, quod Sereniſſima Domina CATHARINA non ſolum Bonis, et Dominiis ſibi pro Dote, Contradote, et munere Nuptiali, ut praedictum eſt inſcribendis, et aſſignandis, ſed etiam aliis omnibus Juribus, Libertatibus, et Privilegiis eo modo uti, frui, et gaudere poſſit, quo Sereniſſimae Poloniae Reginae ab antiquo uti, frui, gaudere, et Bona huiusmodi poſſidere ſolitae ſunt. Ita tamen, ut quae in praeſenti Contractu expreſſe pacta, et conventa ſunt, firma, inconcuſſaque permaneant, atque de iis, quae praefatae Dominae CATHARINÆ eiusdem Contractus vigore debentur, nihil decedat, ſed omnia integre praeſtentur, et executioni mandentur. De aliis vero rebus, et Bonis quibuſcunque ad ipſam Sereniſſimam Dominam CATHARINAM ſive ex donatione, ſive legato, aut teſtamento Illuſtris quondam Ducis Mantuae prioris Mariti, vel alterius cuiuſcunque perſonae, aut alias quovis Jure, et titulo nunc ſpectantibus, nihil omnino excipiendo, ita conventum, et concluſum eſt, quod Sereniſſima Domina CATHARINA illa omnia habeat, teneat, et poſſideat tanquam res, et Bona ſua propria, poſſitque illis uti, frui, et gaudere, ac de ipſis in omni caſu, et eventu ſive per liberam Donationem, aut alium quem-

ANNO 1553.

ANNO 1553. quemcunque Contractum inter vivos, ſive cauſa mortis, ſive per ultimam voluntatem ſecundum beneplacitum ſuum diſponere, et ordinare ſine cuiusvis impedimento. Si vero Sereniſſimam Dominam CATHARINAM e vivis diſcedere contigerit nulla facta de ſupra dictis rebus, et Bonis ſuis diſpoſitione, vel ordinatione per Contractum inter vivos, vel cauſa mortis, ſive per ultimam eius voluntatem, aut aliter quomodocunque, tunc et in eo caſu res, et Bona ſua huiusmodi omnia, quæ temopre obitus Serenitatis ſuæ extare comperientur, et ſupererunt, ad ſupra dictos proximos Serenitatis ſuae Haeredes Maſculos, et illis deficientibus, Faeminas redire debeant, et ad eorundem Bonorum omnimodam reſtitutionem Sereniſſimi Regis Poloniae Haeredes, et Succeſſores teneantur, et obligati ſint. Verum Bona illa, quæ Sereniſſimae Dominae CATHARINÆ tempore Nuptiarum donabuntur, ſi Serenitatem ſuam praemori contigerit, Sereniſſimo Regi Poloniae Marito ſuperſtiti cedent. Si vero Domina CATHARINA Sereniſſimo Regi Marito ſupervixerit, et de illis nullam diſpoſitionem in vita ſua fecerit, tunc poſt illius obitum ſimiliter ad prafatos ipſius Haeredes devolvantur. Porro ea, quae Sereniſſima Domina CATHARINA poſt Nuptias in Regno Poloniae quomodocunque acquiſiverit, & comparaverit, in caſu quo de illis nullam ordinationem, ſeu diſpoſitionem, ut praedictum eſt, ſive in vita, ſive in mortis articulo fecerit, non ad ipſius Sereniſſimæ Dominæ CATHARINÆ Haeredes ſupradictos, ſed ad Regnum Poloniae, & Regis Poloniae Haeredes, & Succeſſores pertinere, eisque permanere debeant, exceptis duntaxat iis reditibus, & Bonis immobilibus, quæ ex pecunia ſecum in Poloniam apportata comparaverit. Caeterum praefata Sereniſſima Domina CATHARINA de omnibus praedictis rebus, & Bonis tam nunc ad eam ſpectantibus, quam tempore Nuptiarum, & poſt Nuptias acquiſitis, ſeu acquirendis habeat, & habere debeat in omni caſu, & eventu per Donationem liberam, & quemvis alium Contractum inter vivos, ſeu cauſa mortis, ſeu per Teſtamentum plenam, omnimodamque, ſecundum beneplacitum ſuum diſponendi, & ordinandi facultatem, ſine cuiusvis impedimento, & contradictione. Inſuper concluſum, & conventum eſt, quod licet Sereniſſima Domina CATHARINA iam antea haereditati tam paternae, quam maternae, atque ſucceſſioni Regni Hungariae, Dominiorumque quorumlibet Sereniſſimae Domus Auſtriae, non modo pro Nobis, ſed etiam pro Sacra Caeſarea & Catholica Regia Maieſtate, Fratre, & Domino noſtro chariſſimo, ac utriusque noſtrum Liberis, & Haeredibus, per lineam maſculinam deſcendentibus, ſed quoad Regnum Bohemiae pro Nobis tantum, Liberisque, & Haeredibus maſculini ſexus, in quantum iuxta eiusdem Regni Bohemiae Jura, & Privilegia ad huiusmodi Renuntiationem tenetur, per Literas ſuas ſufficienter renuntiaverit, ſalvo ſibi Jure ſuccedendi in defectu Maſculorum. Atque adeo praeſens Contractus matrimonialis cum ipſa Sereniſſima Domina CATHARINA iam poſt factam ſimul ab ea Renuntiationem initus, & concluſus ſit, nihilominus tamen ſaepefatus Sereniſſimus Dominus SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex huiusmodi Renuntiationem per ſuas ſpeciales Literas denuo ratam habere, approbareque debeat, & teneatur. Conventum praeterea eſt, quod omnes & ſinguli Contractus, & Obligationes, ac Inſcriptiones, ſi quae ante hunc Contractum factae ſunt, quae eius effectum impedire deberent, caſſatae, & annihilatae eſſe cenſeantur, neque ad impediendum praeſentem Contractum, effectumque illius vim & robur aliquod habere debeant. ANNO 1553.

Et ut in omnibus prædicto Contractui ſatisfiat, conventum, & concluſum eſt, quod illi pæna centum millium florenorum Rhenenſium apponatur ita, quod ſi Nos FERDINANDUS Rex, aut noſtri Hæredes, & Succeſſores præſenti Contractui contravenerimus, neque illi, quantum ad Nos, & Hæredes, Succeſſoresque noſtros pertinet, ſatisfecerimus, pænam prædictam centum millium florenorum Rhenenſium incurriſſe cenſeamur, eiusque exigendæ Sereniſſimus Rex Poloniæ, & eius Hæredes, & Succeſſores a Nobis, Hæredibus, ac Succeſſoribus noſtris plenam habeant facultatem. Quod ſi Nos, aut Hæredes, & Succeſſores noſtri, neque pænam prædictam ſolvere, neque Contractui ſatisfacere voluerimus, liceat Sereniſſimo Domino Poloniæ Regi, & eius Hæredibus, ac Succeſſoribus, Dominia noſtra quæcunque, Bonaque noſtra, & ſubditorum noſtrorum invadere, & pignorare, usque ad plenam pænæ praedictae centum millium florenorum Rhenenſium ſolutionem, & debitam Contractus praeſentis, quantum ad Nos, & Haeredes, ac Succeſſores noſtros pertinet, ſatisfactionem. Et viciſſim, ſi Sereniſſimus Dominus Rex Poloniae, aut eius Haeredes, & Succeſſores praeſenti Contractui contravenerint, neque illi, quantum ad ipſum Sereniſſimum Regem Poloniae, & Serenitatis ſuae Haeredes, ac Succeſſores pertinet, ſatisfecerint, ſimiliter

Anno militer paenam praedictam centum mil-
1553. lium florenorum Rhenenſium incurriſſe cenſeantur, eiusque exigendae Nos, ac Haeredes, & Succeſſores noſtri ab ipſo Sereniſſimo Rege Poloniae, ac Serenitatis ſuae Haeredibus, & Succeſſoribus plenam habeamus facultatem. Quod ſi Serenitas eius, vel ipſius Haeredes, & Succeſſores, neque paenam praedictam ſolvere, neque Contractui ſatisfacere voluerint, liceat ſimiliter Nobis, ac Haeredibus, & Succeſſoribus noſtris Dominia quaecunque, & Bona praefati Sereniſſimi Regis Poloniae, & Serenitatis ſuae ſubditorum invadere, & pignorare, uſque ad plenam paenae praedictae centum millium florenorum Rhenenſium ſolutionem, et debitam Contractus præſentis, quantum ad ipſum Sereniſſimum Regem Poloniæ, & Serenitatis ſuæ Hæredes, ac Succeſſores pertinet, ſatisfactionem, & propterea a neutra Partium, Amicitia, Fœdera, & Pacta inter Nos, & Sereniſſimam Domum noſtram Auſtriae, ac Sereniſſimum Dominum Poloniæ Regem, & Regnum Poloniæ inita, violata cenſeantur. Inſuper conventum eſt, quod ſi alter contrahentium ante conſummationem nuptialem (quod Deus clementer avertere dignetur) e vivis decederet, tunc totus iſte Tractatus cum omnibus in eo contentis pro annihilato, caſſato, & enervato habeatur. Poſtremo conventum eſt, quod Sereniſſimus Dominus Poloniæ Rex poſt reditum ad ſe Oratorum ſuorum prædictorum præſentem Contractum matrimonialem ratificare, & approbare, eumque deſcriptum, ac manu ſua ſubſcriptum, & Sigillo ſuo obſignatum in manus noſtras transmittere debebit. In quorum omnium præmiſſorum fidem, teſtimonium, & corroborationem præſentes Literas Nos Rex Ferdinandus ſimul cum præfata Sereniſſima Domina Catharina Filia noſtra chariſſima, manibus noſtris propriis ſubſcripſimus, ac Sigilis utriusque noſtrum appenſis communiri iuſſimus, & fecimus. Datum in Civitate noſtra Vienna die vigeſima tertia Menſis Junii Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo tertio, Regnorum noſtrorum Romani vigeſimo tertio, aliorum vero vigeſimo ſeptimo.

FERDINANDUS *Rex.*
CATHARINA.

*Ad Mandatum Sacræ Regiæ Maieſtatis proprium.*

Thomas D. Vicecancellarius *R.*

Hordanus.

## LIII.

Anno 1553.

Sigismundi Augusti *Regis Pactorum, & Conventuum præcedentium Ratificatio, & Approbatio.* Datum Cracoviæ d. 4 Auguſti Anno 1553. *Ex Originali.*

Sigismundus Augustus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiaviæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Culmenſis, Elbingenſis, Pomeraniæque &c. Dominus, & Hæres. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt, univerſis, quod cum miſiſſemus ad Sereniſſimum, & Excellentiſſimum Principem, & Dominum, Dominum Ferdinandum Divina favente clementia Romanorum &c. Regem, Parentem noſtrum chariſſimum Oratores, & Mandatarios noſtros, ad petendum in Matrimonium Nobis Sereniſſimam Dominam Catharinam Mantuæ Ducem, Viduam, Maieſtatis eius Filiam, atque Maieſtas eius petitioni noſtræ paterne, & benevole aſſentiens, eam ipſam Sereniſſimam Filiam ſuam Nobis in Uxorem in perſona Mandatariorum noſtrorum inferius ſcriptorum deſpondiſſet, Contractus etiam matrimonialis inter Nos & ipſum Sereniſſimum, & Excellentiſſimum Romanorum Regem, Sereniſſimamque Principem Dominam Catharinam Poloniæ iam Reginam, Coniugem noſtram chariſſimam factus eſt, cuius tenor eſt iſte.

Nicolaus Radzivil in Olika & Nieszwiesz Dux, Palatinus Vilnenſis, Magni Ducatus Litvaniæ Supremus Mareſchalcus, & Cancellarius Breſtenſis, Boriſſovienſis, Szawlenſisque Capitaneus. Et Joannes de Przeram Regni Poloniæ Vicecancellarius, & Cracovienſis Præpoſitus, Sereniſſimi Principis, & Domini, Domini Sigismundi Augusti Dei Gratia Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Ruſſiæ, totius Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæque &c. Domini, & Hæredis, Domini noſtri clementiſſimi ad Sereniſſimum, & Excellentiſſimum Principem, & Dominum, Dominum Ferdinandum Divina favente clementia Romanorum Regem ſemper Auguſtum, ac Germaniæ, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae &c. Regem, Infantem Hiſpaniarum, Archiducem Auſtriae, Ducem Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae, Marchionem Moraviae, Ducem Lucemburgiae, ac Superioris

ANNO 1553. Superioris & Inferioris Silesiæ, Virtembergæ, & Teckæ, Principem Sueviæ, Comitem Habspurgi, Tyrolis, Feretis, Kiburgi, & Goritiæ, Landgravium Alsaciæ, Marchionem Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Lusatiæ, Dominum Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, & Salinarum, Dominum nostrum clementissimum Oratores, & ad infrascripta vigore sufficientis Mandati, et Plenipotentiae Procuratores, et Mandatarii, planum, testatumque facimus, ac præsentibus Literis recognoscimus, quorum interest universis. Quod cum Sereniſſimo Principi, Domino, Domino SIGISMUNDO AUGUSTO Poloniæ Regi, Domino nostro Clementissimo a Sereniſſimo, & Excellentissimo Domino Romanorum Rege Sereniſſimam Principem, & Dominam, Dominam CATHARINAM Mantuæ Ducem, Viduam, & Archiducem Austriæ, Sacræ, & Excellentissimæ Maiestatis Filiam in Matrimonium collocari, Maiestatis eius Sereniſſimæ nomine petiissemus, atque Sereniſſima, & Excellentissima Regia Romanorum Maiestas, huic nostræ, immo verius Sereniſſimi Regis nostri petitioni, una cum ipsa Sereniſſima Principe Domina CATHARINA expresse assentiente, Paternum suum assensum, & consensum præbuisset, tandem ad laudem, & Gloriam Dei Omnipotentis, semperque Gloriosæ Virginis Mariæ eius Genitricis, pro conservatione, & augmento Reipublicæ Christianæ, proque firmiore statu Regnorum, & Provinciarum utrique Maiestati subditarum, utque vinculum sanguinis, & affinitatis, quod inter ipsas Maiestates multis nominibus iam pridem firmum existit, nova affinitate magis, magisque coarctetur, inter præfatam Sereniſſimam Dominam CATHARINAM ipso Sereniſſimo, & Excellentissimo Domino Romanorum Rege, pro ea, & eius nomine, & cum illius Serenitatis præscitu, & expresso consensu, voluntateque agente ex una, & per Nos Sereniſſimi Domini Regis nostri vigore Mandati, & plenipotentiæ Maiestatis suæ agentes parte ex altera, obtenta primum a Sanctissimo Domino nostro JULIO Papa Tertio consanguinitatis gradu, quo Sereniſſimus Rex noster, & Sereniſſima Domina CATHARINA Mantuæ Dux invicem coniuncti sunt, nec non super illo affinitatis impedimento ex hoc emergente, quod Sereniſſimus Dominus Poloniæ Rex, Dominus noster clementissimus in primo Matrimonio Sereniſſimam quondam Dominam ELISABETHAM eiusdem Dominæ CATHARINAE Sororem Germanam Uxorem habuerit, necessaria ac convenienti dispensatione, sub data Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio, tertio decimo Calendas Junii, Pontificatus sui Anno quarto tractatum, & concluſum est Matrimonium verum, & legitimum sub articulis, ac conventionibus sequentibus, videlicet: quod Sereniſſima Princeps, & Domina, Domina CATHARINA dabit, & assignabit in Dotem Serenissimo Principi, & Domino, Domino SIGISMUNDO AUGUSTO Poloniæ Regi Summam centum millium florenorum Rhenensium, sexaginta cruciferis bonæ, & usualis monetæ Germanicæ, pro quolibet floreno computatis. Quæ quidem Summa etiam in priore ipsius Matrimonio sibi pro Dote, & portione legitima tam Paternæ quam Maternæ hæreditatis a Serenissimo, & Excellentissimo Domino Romanorum Rege constituta, & assignata fuit; quia vero huiusmodi Dotis summa in manibus Serenissimæ, & Excellentissimæ Maiestatis eius adhuc existit, & de illa Illustrissimo quondam Domino Mantuæ Duci Genero suo, & eidem Serenissimæ Dominæ CATHARINAE Filiæ suæ Coniugibus, qui in id benevole consenserant, annuum interesse, seu censum hactenus solvit, ideo conventum, & concluſum est, quod Serenissimus, & Excellentissimus Princeps, & Dominus, Dominus FERDINANDUS Romanorum Rex præfatam centum millium florenorum Rhenensium summam in unius Anni, a die consummati Matrimonii computato spatio, & termino, in Ducatis Aureis Hungaricalibus, seu alterius cusionis, quæ valori, & bonitati Aureorum Hungaricorum par sit, boni, & iusti ponderis, vel in Thaleris, ita ut in Regno Poloniæ tam Aurei, quam Thaleri expenduntur, realiter, & cum effectu exsolvere, & repraesentare debeat, & teneatur. Econverso vero Serenissimus Princeps, & Dominus, Dominus SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex Poloniæ prædictam Dotem recipiendo, pro Contradote, seu donatione propter Nuptias similiter summam centum millium florenorum Rhenensium supradicti valoris, Serenissimæ Principi, & Dominæ, Dominæ CATHARINAE Sponsæ suæ dare, & constituere, & has utrasque summas, tam scilicet Dotis, quam Contradotis in omnibus illis Regni sui Poloniæ Dominiis, Civitatibus, Oppidis, Arcibus, & aliis quibuscunque Terris, & Bonis quomodocunque vocatis, quæ Serenissimis Poloniæ Reginis ab antiquo inscribi, & in Reformationem Dotis, & Contradotis dari, et assignari consueverunt, nullis demptis, in bona, et debita

ANNO 1553. bita forma inſcribere, et aſſecurare, et huiusmodi Reformationem, ſeu Inſcriptionem ad manus Serenisſimi, et Excellentisſimi Domini Romanorum Regis conſignare, et ad hæc curare, efficereque debebit, ac tenebitur, quod omnes Dominiorum, Civitatum, Oppidorum, Caſtrorum, Terrarum, Villarum, et Bonorum huiusmodi Capitanei, Rectores, Tenutarii, Cives, præſentes, et futuri, ipſi Serenisſimæ Principi, et Dominæ, Dominæ CATHARINAE plenam præſtent ſponſionem, ac corporale fidelitatis Juramentum. Quod ſi Serenisſimo Principi, et Domino, Domino Poloniæ Regi, priusquam Serenisſimæ Principi, et Dominæ, Dominæ CATHARINAE aliquid humanitus contigerit, tunc, et in eo caſu nulli alteri, niſi Serenitati eius Dominia, Civitates, Oppida, Arces, Terras, Villas, et Bona illi inſcripta tradent, et conſignabunt, cum omnibus inde percipiendis fructibus, commodis, emolumentis, et reditibus, et quod Serenitati eius in omnibus, et per omnia parebunt, obedientque fideliter, et conſtanter ita, ut Serenisſimis Regibus Poloniæ obedire ſunt ſoliti, et adſtricti. Inſuper permiſſum eſt arbitrio Serenisſimi Principis, et Domini, Domini Poloniæ Regis, ut ſecuta per copulam huius felicis Matrimonii conſumatione, Serenisſimam *Sponſam* ſuam aliquo munere nuptiali tam pro Regio ſuo honore, quam ipſius Serenisſimæ Sponſæ merito remunerare debeat. Pro hoc autem munere nuptiali, ut præmittitur, deputando, etiam Inſcriptio, et Aſſecuratio legitima itidem fieri debebit. Conventum præterea eſt, quod ſi Serenisſima Princeps, et Domina, Domina CATHARINA prior Serenisſimo Sponſo ſuo defuncta fuerit, tunc Dos, et Donatio propter nuptias, et munus nuptiale ad Serenisſimum Regem, et Regnum Poloniæ perpetuo devolvantur ſine aliqua ipſius Dotis reſtitutione. Si vero Serenisſimum Principem, et Dominum, Dominum Regem Poloniæ præmori contigerit, prole ex ea (quod DEUS prohibeat) non ſuſcepta, vel ſi ſuſcepta fuerit, tam præmortua, quam etiam ſuperſtite, tunc nihilominus Serenisſima Princeps, et Domina, Domina CATHARINA omnibus Terris, Diſtrictibus, Dominiis, Civitatibus, Oppidis, et Bonis ſibi pro Dote, et Contradote, nec non munere Nuptiali inſcriptis, & aſſignatis ad vitæ ſuæ extrema tempora, ſive ad alia vota matrimonialia ſibi convolandum duxerit, ſive in vita viduali permanſerit, plenam utendi, & fruendi poteſtatem habere debeat. Poſt mortem autem ſuam prædicta centum millium florenorum Rhenenſium ſumma, ratione donationis propter Nuptias, ſeu Contradotis ſibi donata, & inſcripta ad præfatum Poloniæ Regnum converti, & redire debebit. De alia vero centum millium Rhenenſium florenorum ſumma, Dote ſcilicet ſua, nec non de munere Nuptiali, ſi eiusmodi munus fuerit, ut de eo teſtari poſſit, habeat Sereniſſima Domina CATHARINA tam in vita, quam in mortis articulo donandi, teſtandi, & arbitrio ſuo diſponendi facultatem. Quod ſi vero de Dote, & munere huiusmodi nuptiali nihil diſpoſuerit, tum & Dos, & munus ipſum Nuptiale, ſi tale datum fuerit, ut eius proprietas ad Serenitatem eius legitime pertineat, vel ea pars, de qua non diſpoſuerit, ad Sereniſſimam Domum Auſtriæ, proximosque Ipſius Sereniſſimæ Principis, & Dominæ, Dominæ CATHARINAE Hæredes Maſculos, & illis non extantibus, ad Fæminas devolvantur, eisque dictam Dotis ſummam una cum munere Nuptiali Sereniſſimi Principis, & Domini, Domini Poloniæ Regis Hæredes, & Succeſſores integre, vel partem aliis non donatam, aut legatam effectualiter reſtituere, & perſolvere debeant, & teneantur. Hac expreſſa adiecta lege, & conditione, quod in caſu obitus Sereniſſimæ Principis, & Dominæ, Dominæ CATHARINÆ ab inteſtato Serenitatis ſuæ Hæredes ſupradicti, in caſu vero alicuius diſpoſitionis factæ, Perſonæ, aut Perſona illa, vel illæ, cui, vel quibus Sereniſſima Princeps, & Domina, Domina CATHARINA donationem vel legatum fecerit, annuos reditus certos, & integros decem millium florenorum Rhenenſium ſupramemorati valoris, nec non id, quod ratione muneris nuptialis competierit, ex ſupradictis inſcriptis, & aſſignatis bonis tam diu quilibet pro ſua rata parte ſine aliquo defectu habere, tenere, & percipere poſſint, donec, & quousque plene, & integre ſatisfacti, & contenti redditi fuerint, tam ſcilicet de ſumma Dotis, quam de munere nuptiali. Conventum præterea, & concluſum eſt, quod Serenisſima Princeps, & Domina, Domina CATHARINA non ſolum Bonis, & Dominiis ſibi pro *Dote*, Contradote, & munere Nuptiali, ut prædictum eſt, inſcribendis, & aſſignandis, ſed etiam aliis omnibus Juribus, libertatibus, & privilegiis eo modo uti, frui, & gaudere poſſit, quo Serenisſimæ Poloniæ Reginæ ab antiquo uti, frui, & gaudere, Bonaque huiusmodi poſſidere ſolitæ ſunt, ita tamen, ut quae in praeſenti Contractu expreſſe pacta, & conventa ſunt, firma, inconcuſſaque permaneant, atque de iis, quae praefatae Serenisſimae Principi, & Dominae, Dominae CATHARINAE eiusdem Contractus vigore deben-

ANNO 1553.

ANNO 1553. bentur, nihil decedat, sed omnia integre praestentur, & executioni mandentur. De aliis vero Bonis, & rebus quibuscunque ad Ipsam Serenissimam Principam, et Dominam, Dominam CATHARINAM sive ex donatione, sive legato, aut testamento Illustrissimi quondam Domini Ducis Mantuae, prioris Mariti, vel alterius cuiuscunque Personae, aut alias quovis iure, et titulo nunc spectantibus nihil omnino excipiendo, ita conventum et concluſum est, quod Serenissima Princeps, et Domina, Domina CATHARINA illa omnia habeat, teneat, et possideat tanquam res, et Bona sua propria, possitque illis uti, frui, et gaudere, ac de ipsis in omni casu, et eventu sive per liberam Donationem, aut alium quemcunque Contractum inter vivos, sive causa mortis, sive per ultimam voluntatem secundum beneplacitum suum disponere et ordinare, sine cuiusvis impedimento. Si vero Serenissimam Principem, et Dominam, Dominam CATHARINAM e vivis decedere contigerit nulla facta de supradictis rebus, et Bonis suis dispositione, vel ordinatione per Contractum inter vivos, vel causa mortis, sive per ultimam eius voluntatem, aut aliter quomodocunque, tunc in eo casu res, et Bona sua huiusmodi omnia, quae tempore obitus Serenitatis suae extare comperientur, et supererunt, ad supradictos proximos Serenitatis suae Haeredes Masculos, et illis deficientibus, Faeminas redire debeant, et ad eorumdem Bonorum omnimodam restitutionem Serenissimi Principis, et Domini, Domini Regis Poloniae Haeredes, & Successores teneantur, & obligati sint. Verum Bona illa, quae Sereniſſimae Principi, & Dominae, Dominae CATHARINAE tempore Nuptiarum donabuntur, si Serenitatem suam praemori contigerit, Sereniſſimo Principi, & Domino, Domino Regi Poloniae Marito superstiti cedant. Si vero Sereniſſima Domina CATHARINA Sereniſſimo Regi Marito suo supervixerit, & de illis nullam dispositionem in vita sua fecerit, tunc post illius obitum ad praefatos similiter Haeredes ipsius devolvantur. Porro ea, quae Sereniſſima Domina CATHARINA post Nuptias in Regno Poloniae quomodocunque acquisiverit, & comparaverit, in casu, quo de illis nullam ordinationem, seu dispositionem, ut praedictum est, sive in vita, sive in mortis articulo fecerit, non ad ipsius Sereniſſimae Dominae CATHARINAE Haeredes supradictos, sed ad Regnum Poloniae, & Regis Poloniae Haeredes, & Successores pertinere, eique permanere debeant. Exceptis duntaxat iis reditibus, & Bonis immobilibus, quae ex pecunia secum in Poloniam apportata comparaverit. Caeterum praefata Sereniſſima Princeps, & Domina, Domina CATHARINA de omnibus praedictis rebus & Bonis, tam nunc ad eam spectantibus, quam tempore Nuptiarum, & post Nuptias acquisitis, seu acquirendis habeat, & habere debeat, in omni casu, & eventu per donationem liberam, & quemvis alium Contractum inter vivos, sive causa mortis, seu per Testamentum plenam, omnimodamque secundum beneplacitum suum disponendi, & ordinandi facultatem sine cuiusvis impedimento, & contradictione. Insuper concluſum, & conventum est, quod licet Sereniſſima Princeps, & Domina, Domina CATHARINA iam antea haereditati tam paternae quam maternae, atque Successioni Regni Hungariae, Dominiorumque quorumlibet Sereniſſimae Domus Austriae non modo pro Sereniſſimo, & Excellentisſimo Principe, & Domino, Domino Romanorum Rege, sed etiam pro Sacra Caesarea & Catholica Maiestate, ac utriusque Maiestatum illarum Liberis, & Haeredibus per lineam masculinam descendentibus, sed quod ad Regnum Bohemiae, pro Sereniſſimo, & Excellentisſimo Principe, & Domino, Domino FERDINANDO Romanorum Rege tantum Liberisq;, & Haeredibus Maiestatis eius masculini sexus, in quantum iuxta eiusdem Regni Bohemiae Jura, & Privilegia ad huiusmodi Renuntiationem tenetur, per Literas suas sufficienter renuntiaverit, salvo sibi iure succedendi, in defectu Masculorum, atque adeo praesens Contractus matrimonialis cum ipsa Serenissima Principe, & Domina, Domina CATHARINA iam post factam simul ab ea renuntiationem initus, & concluſus sit. Nihilominus tamen Serenisſimus Princeps, & Dominus, Dominus SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex Poloniae huiusmodi Renuntiationem per suas speciales Literas denuo ratam habere, approbareque debeat, & teneatur. Conventum praeterea est, quod omnes & singuli Contractus, et Obligationes, ac Inscriptiones, si quae ante hunc Contractum factae sunt, quae eius effectum impedire deberent, cassatae, & annihilatae esse censeantur, neque ad impediendum praesentem Contractum, effectumque eius, vim & robur aliquod habere debeant. Et ut in omnibus praedicto Contractui satisfiat, conventum, & concluſum est, quod illi paena centum millium florenorum Rhenensium apponatur, ita, quod si Serenisſimus, & Excellentisſimus Princeps, & Dominus, Dominus FERDINANDUS Rex, aut Maiestatis eius Haeredes, & Successores praesenti Contractui contravenerint, neque illi, quantum

ANNO 1553.

ANNO 1553. tum ad illius Maiestatem, & Haeredes, Successoresque Maiestatis illius pertinet, satisfecerit, paenam praedictam centum millium florenorum Rhenensium incurrisse censeatur, eiusque exigendae Serenissimus Princeps, & Dominus, Dominus Rex Poloniae, & Maiestatis eius Haeredes, ac *Succ*essores ab ipsius Maiestatis Haeredibus, ac *Succ*essoribus ipsius plenam habeant facultatem. Quod si *Sere*nissimus, & Excellentissimus Princeps, & *D*ominus FERDINANDUS Rex, aut Haeredes, et *Succ*essores Maiestatis eius, neque paenam praedictam solvere, neque Contractui satisfacere voluerint, liceat *Sere*nissimo Principi, & *D*omino, *D*omino Poloniae Regi, et eius Maiestatis Haeredibus, ac *Succ*essoribus, *D*ominia *Sere*nissimi, et Excellentissimi Principis, et *D*omini, *D*omini FERDINANDI Regis, Haeredum, et *Succ*essorum Maiestatis eius, Bonaque Maiestatis eius, Haeredum, et *Succ*essorum, subditorumque invadere, et pignorare usq; ad plenam paenae praedictae centum millium florenorum Rhenensium solutionem, et debitam Contractus praesentis, quantum ad ipsum *Sern*issimum, et Excellentissimum Principem, et *D*ominum, *D*ominum FERDINANDUM Regem, et Maiestatis suae Haeredes, ac *Succ*essores pertinet, satisfactionem. Et vicissim, si *Sere*nissimus Princeps, et *D*ominus, *D*ominus Rex Poloniae, aut Maiestatis eius Haeredes, et *Succ*essores praesenti Contractui contravenerit, neque illi quantum ad ipsum *Sere*nissimum Principem, et *D*ominum Regem Poloniæ et Maiestatis suæ Haeredes, et *Succ*essores pertinet, satisfecerint, similiter paenam praedictam centum millium florenorum Rhenensium incurrisse censeatur, eiusque exigendae *Sere*nissimus, et Excellentissimus Princeps, et *D*ominus, *D*ominus FERDINANDUS Rex, ac Haeredes, et *Succ*essores Maiestatis suae ab ipso *Sere*nissimo Principe, et *D*omino, *D*omino Rege Poloniae, ac Maiestatis suae Haeredibus, et *Succ*essoribus plenam habeat facultatem. Quod si Maiestas eius, vel ipsius Maiestatis Haeredes, et *Succ*essores neque paenam praedictam solvere, neque Contractui satisfacere voluerint, liceat similiter *Sere*nissimo, et Excellentissimo Principi, et *D*omino FERDINANDO Regi, ac Haeredibus, et *Succ*essoribus Maiestatis eius *D*ominia quaecunque, et Bona praefati *Sere*nissimi Principis, et *D*omini, *D*omini Regis Poloniae, et Maiestatis eius Haeredum, *Succ*essorum, et subditorum invadere, et pignorare usque ad plenam paenae praedictae centum millium florenorum Rhenensium solutionem, et debitam Contractus praesentis, quantum ad ipsum *Sere*nissimum Principem, et *D*ominum, *D*ominum Regem Poloniae, et Maiestatis suae Haeredes, ac *Succ*essores pertinet, satisfactionem. Et propterea a neutra Partium Amicitia, Faedera, et Pacta inter *Sere*nissimum *D*omum Austriae ac *Sere*nissimum Principem, et *D*ominum, *D*ominum Poloniae Regem, et Regnum Poloniae inita, violata censeantur. Insuper conventum est, quod si alter Contrahentium ante consummationem nuptialem (quod *D*eus clementer avertere dignetur) e vivis decederet, tunc totus iste Tractatus cum omnibus in eo contentis pro annihilato, cassato, et enervato habeatur. Postremo conventum est, quod *Sere*nissimus Princeps, et *D*ominus, *D*ominus Poloniae Rex post reditum ad se Oratorum suorum praedictorum, praesentem Contractum matrimonialem ratificare, et approbare, eumque descriptum, ac manu sua subscriptum, et *Si*gillo suo obsignatum, in manus *Sere*nissimi, et Excellentissimi Principis, et Domini, Domini FERDINANDI Regis transmittere debebit. In quorum omnium praemissorum fidem, testimonium et corroborationem praesentes Literas Nos Oratores et Mandatarii suprascripti manibus nostris subscripsimus, ac Sigillis utriusque nostrorum appensis communivimus. Datum in Civitate Vienna die vigesima tertia Mensis Junii Anno Domini Millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio. Nicolaus Radziwił manu propria. Joannes Przerambski. Quem quidem Contractum Nos SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex praedictus ratum habentes, ipsum in omnibus articulis et clausulis approbamus, et confirmamus, ac satisfacturos Nos illi esse pollicemur, et praesentibus Literis Nos obligamus, quibus in fidem manu nostra subscripsimus, et Sigillum nostrum appendi iussimus Datum Cracoviae die quarta Mensis Augusti, Anno Domini Millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio Regni nostri vigesimo quarto.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex

*Subscripsit.*

LIV.

*Idem fatetur se recepisse Dotem centum millium florenorum Rhenensium, condonatque* FERDINANDO *Rom. Regi multam, quam commiserat, aliorum centum millium florenorum Rhenensium* Dat Varsaviæ die 18 Jan. 1556.

Zygmunt August. Zatwierdza te pewnych Artykułów pokoju Krakowskiego 1553

ANNO 1556. 1556. *Ex Archivo Regni. Lib. 69. Numero 70. fol. 192.*

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei Gratia Rex Poloniae &c. Manifestum testatumque facimus hisce Literis nostris, quorum interest, Universis, praesentibus, & futuris. Quod cum in Contractu matrimoniali Anno salutis Millesimo Quingentesimo, Quinquagesimo Tertio inter Nos ex una, & Serenissimam Principem Dominam CATHARINAM Reginam Poloniae & Conthoralem nostram charissimam, Filiam Serenissimi, & Excellentissimi Principis Domini FERDINANDI Rom. Regis semper Augusti, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, &c. Regis, Infantis Hispaniarum, Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae, Comitis Tyrolis, Marchionis Moraviae, Parentis nostri charissimi ac honorandi, ex altera parte inito, & firmato conventum, & concluſum sit, quod praefatus Serenissimus Rex Rom: Nobis unius Anni a Die consumati matrimonii computando spatio, & termino in Dotem legitimam realiter & cum effectu solvere, & numerare debeat ac teneatur summam centum millium florenorum Rhenensium, sexaginta Cruciferis bonae, & usualis monetae Germanicae pro quolibet floreno computatis, eiusque Contractus vigore Nobis eiusdem Serenissimi Romanorum Regis nomine, a Ministris & Procuratoribus Mathiae Manlich Civis Augustensis praedicta summa pecuniarum integre, realiter, ac sine defectu persoluta, & numerata fuerit, adeo quod bene contenti, & satisfacti remaneamus, nec ullam querulandi, vel dictam Dotem repetendi causam habeamus. Idcirco volentes etiam nostra ex parte desuper praestari, quod in casu Juris, ut moris est, quod ad assecurationem eiusdem charissimi & honorandi Parentis nostri, ac Haeredum, & Successorum suorum pertineret, ex certa nostra scientia, animoque deliberato melioribus, quibus potest, & debet, modo, forma, via, ac Jure, & harum etiam Literarum nostrarum tenore recognoscimus praescriptam summam centum millium florenorum Rhenensium Nobis ratione Dotis integre, & legitime, iuxta Contractum dicti matrimonii debitae ut supra scriptum est, Nomine ipsius Serenissimi Rom. Regis repraesentatam, numeratam, atque Nobis plene, realiter, & cum effectu receptam de eaque Maiestatem eius quietamus, assecuramus, liberamque & absolutam pronuntiamus, nullumque Jus Nobis ad repetendam ullo unquam tempore huiusmodi Dotem legitimam servantes, cavemusque eius Regiae Rom: Maiestati per praesentes Literas, quod neque Nos, neque quisquam Haeredum, ac Successorum nostrorum, aut a Maiestate eius, aut ab Haeredibus & Successoribus suis dictae Dotis centum millium florenorum Rhenensium, aut paenae nomine propter Dotem aliquanto tardius solutam quicquam amplius petituri, aut nullum eisdem negotium exhibituri sumus, sive directe, sive indirecte sine quocunque colore quaesito, omni dolo, & fraude semota. In cuius rei fidem & evidens testimonium Praesentes manu nostra subscripsimus &c. Datum Varsaviae Die S. Priscae. Anno. 1556.

ANNO 1556.

## LV.

*Dotis, & Contradotis Serenissimae* CATHARINAE *Reginae Poloniae in certis Terris, Civitatibus, Oppidis, & Villis collocatio* Dat. Vilnae die Dominico Reminiscere Anno 1556. *Ex Archivo Regni Lib. 70. Numero 71 fol. 305.*

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae &c. Ad perpetuam rei memoriam. Planum, testatumque facimus Universis, & singulis quorum interest, aut interesse aliquando poterit, sive iis, qui nunc sunt, sive qui futuri sunt postea, ac Literis hisce nostris, nostro, Haeredumque, & Successorum nostrorum Regum Poloniae nomine profitemur, quod posteaquam quod felix, faustum, et fortunatum cum utriusque nostrum Regnis, et Populis, tum toti Reipublicae Christianae Deus esse velit, cum Serenissimo, et Excellentissimo Principe Domino FERDINANDO divina favente Clementia Romanorum, Hungariae, Bohemiae, Croatiae, Dalmatiae, etc. Rege, Parente nostro observantissimo affinitatem contraximus, ac Serenissimam Dominam CATHARINAM Maiestatis eius Filiam Nobis desponsatam, ac legitime copulatam in matrimonium accepimus, iuxta Contractum inter Maiestatem eius, et Nos initum de Dote centum millium florenorum Rhenensium plene Nobis est, et integre satisfactum. Volentes itaque Nos Contractui matrimonii, qui inter Nos interceſſit, satisfacere, viciſſim Serenissimae Coniugi nostrae Dominae CA-

ANNO 1556. THARINÆ in compensationem Dotis a Nobis acceptæ, centum millia florenorum Rhenensium iuxta eiusdem Contractus tenorem assignavimus; pro Contradote vero Serenitati eius totidem florenos Rhenenses spondemus, & verbo nostro Regio promittimus. Quam quidem summam ducentorum millium florenorum Rhenensium, triginta grossos Polonicos in singulos florenos computando, iuxta eiusdem Contractus tenorem inscribimus, & obligamus, in Bonis Mensæ nostræ Regiæ in omnibus Terris, Civitatibus, Oppidis, Arcibus, & Villis, iis videlicet: in novae Civitatis Korczyn, Vislicienſis, Zarnovienſis, Radomienſis, Iedlna, Rozmicze, & Villis ad eandem spectantibus, nec non Chencinenſis, Radossiscenſis, Lancicienſis, Przedecenſis cum Klodava Oppido, & Villis ad eandem nunc spectantibus. Item in Broninenſi, Pisdrenſi, Junivladislavienſi similiter cum Districtibus, Oppidis, & Villis, prædiisque, & curiis, fructibus, & proventibus, censibus, utilitatibus, Dominiis, Juribus, pertinentiis, attinentiis, pensionibus, Teloneis, duorumq; grossorum, quod *poradlne* dicitur, exactionibus, contributionibusque, usibus universis quomodolibet ad ipsa Castra, Civitates, & Oppida ab antiquo spectantibus, ac servitiis, dignitatibus, honoribus, Jure Patronatus, nec non in Radzieiow & Slonsko Teloneis. Quæ omnia & singula Bona cum Proventibus, pertinentiis suis prædictis in ducentis millibus florenorum Rhenensium ratione Dotis, & Donationis propter Nuptias præfatæ Sereniſſimæ Dominæ CATHARINÆ Coniugi nostræ chariſſimæ damus, donamus, & assignamus, ascribimusque per Præsentes, donationemq; muneris propter Nuptias Serenitati eius per Nos factam innovare duximus, prout innovamus Praesentibus, cuius muneris loco, duo millia florenorum monetæ & numeri Regni, annui proventus in salinis sive Zuppis Vilicienſibus & Bochnenſibus Serenitati eius Nos inscripsimus, quemadmodum id in Literis per Nos Serenitati eius datis, satis est expressum. Cum vero in aliis Reformationibus Sereniſſimarum Reginarum Poloniæ, etiam Lobozow Villam eisdem obligatam fuisse comperiamus, quam quidem cum nunc possideat Sereniſſima Mater nostra Domina BONA Regina Poloniæ, volentes Sereniſſimæ Coniugi nostræ prospicere, loco Villæ Lobozow ducentos florenos damus, donamus, Præsentibus inscribimus, Serenitati eius ex salinis nostris Vilicienſibus quotannis pro festo Sancti Martini post obitum nostrum percipiendos: Prædicta autem BONA omnia ducentorum millium florenorum Rhenenſium Summæ sufficienter respondere cavemus. Quæ quidem Dotis, & Contradotis, muneriſque propter Nuptias causa eidem Sereniſſimæ Reginæ CATHARINÆ inscripsimus, & obligavimus ea lege, & conditione, ut si quid ipsi prius quam Nobis accideret, & Dos, & Contrados, & munus ipsum Nuptiale ad Nos, & ad Regnum nostrum Poloniæ perpetuo devolvatur sine aliqua ipsius Dotis restitutione. Si vero de Nobis prius aliquid factum fuerit, prole ex eius Maiestate (quod Deus omen obruat) non suscepta, aut si suscepta sit, præmortua multo vero magis prole ex ipsa superstite, tunc Sereniſſima Coniunx nostra Domina CATHARINA omnibus Terris Districtibusque sibi inscriptis, eorumque Districtuum, & Dominiorum Castris, Civitatibus, Oppidis, Villis, Curiis, Prædiis, Possesionibus, Allodiis, ac omnibus, & singulis ipsorum, & ipsarum fructibus, proventibus, censibus, utilitatibus, proprietatibus, Dominiis, Juribus, attinentiis, pensionibus, pertinentiis, Teloneis & usibus universis, quomodolibet ad ipsa Bona spectantibus ab antiquo, nec non servitiis, dignitatibus & honoribus, ad vitæ suæ tempora plenam utendi, fruendi potestatem habere, illisque præesse, et omnia cum pleno Jure, Dominio possidere, eo modo, conditione, & forma debeat, quibus Nos ea possidemus, absq; omni Successorum nostrorum contradictione, & impedimento, promittentes pro Nobis, Hæredibus, & Successoribus nostris sæpedictam Serenisſimam Reginam *D*ominam CATHARINAM Coniugem nostram charisſimam, in dictis Castris, Terris, Civitatibus, Oppidis, *D*istrictibus, Villis, Bonis, Possesionibus expedire, certificare, manutenere, defendere adversus universos, & singulos, qui Maiestati eius Reginali negotium exhibere voluerint, ita quod omnia supradicta Bona ad vitæ suæ tempora possidebit, & fructus ex eis percipiet absque omni impedimento, & obstaculo, pacifice, & quiete, & sine omni dolo & fraude. Efficiemus quoque, & effecturos Nos pollicemur nostro & Successorum nostrorum nomine, quod omnes prædictarum Terrarum, Castrorum, sive Oppidorum, Villarum Capitanei, Rectores, Tenutarii, Cives præsentes, & futuri plenam præstabunt ipsi Sereniſſimæ Coniugi nostræ Dominæ CATHARINÆ sponsionem, & fidelitatis corporale Juramentum, quod si Nos ex hac vita decedere

ANNO 1556.

ANNO 1556. cedere priores contingeret, nulli alteri niſi Maieſtati eius Caſtra, Terras, Civitates, Oppida, Villas præfatas plenarie & cum effectu tradent, dabunt, conſignabunt, & illorum plenam ac omnimodam facient ceſſionem & reſignationem, ac ipſi Sereniſſimæ Reginæ Dominæ CATHARINÆ Coniugi noſtræ chariſſimæ in omnibus obedient, parebunt fideliter, & conſtanter, ita, ut Poloniæ Regibus obedire ſoliti ſunt, & adſtricti. Poſt mortem autem eius centum millia florenorum Rhenenſium ratione Donationis propter Nuptias ſibi donata, & inſcripta ad Nos, Regnumque noſtrum libere revertantur. De Dote vero habeat, & habere debet Sereniſſima Coniunx noſtra tam in vita ſua, quam in mortis articulo plenam iuxta omne beneplacitum ſuum donandi, teſtandi, ac diſponendi facultatem ubilibet, ſicut olim habuit Sereniſſima Domina ELISABETHA felicis recordationis Avia noſtra, & altera ELISABETHA Coniunx noſtra charisſima. Et ſi Sereniſſimam Coniugem noſtram *D*ominam CATHARINAM Summam iam dictam *D*otis uni, vel pluribus Perſonis quibuſcunque donare, ſeu teſtari contigerit, tunc talis Perſona, vel Perſonæ ea Summa ſuper dictis, Caſtris, Civitatibus, Terris, Poſſeſſionibus modo, quo præmittitur, inſcripta Titulo, & Jure veri pignoris gaudeant, & potiatur, abſque obſtaculo, & contradictione qualibet, tamdiu donec eadem Caſtra, Terræ, Civitates, Oppida, ſoluta Summa præfata centum millium florenorum Rhenenſium ab eiſdem fuerint per Succeſſores noſtros Reges, aut Regnum Poloniæ redempta. Et hæc quidem omnia & ſingula verbo noſtro Regio & ſub cautione, obligationeque in Literis Contractus Matrimonii perſcripta ſpondemus, & recipimus Nos integre, & inviolate obſervaturos eſſe omni dolo, fraudeque ſemotis. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium haſce Literas manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillo noſtro obſignavimus. Datum Vilnæ die Dominico Reminiſcere. Anno Domini MDLVI. Regni vero noſtri Anno XXVI.

Zygmunta Augusta Konyuncie: Wilno die D. Reminiſcere 1556.

## LVI.

1589. ## *Acta Pacificationis Bithomienſis & Bendzinenſis.*

*Tractatus Pacis inter* RUDOLPHUM *II Imperatorem, Hungariæ Bohemiæque Regem*, & MAXIMILIANUM *Archiducem, univerſamque Domum Auſtriæ ab una*, & SIGISMUNDUM *III. Regem, atque Ordines Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ parte ab altera per Commiſſarios utrinque cum plena poteſtate delegatos concluſus, quo* MAXIMILIANUS *inani paucorum ſtudio in Regem Poloniæ electus praetenſo Jure in hoc Regnum cedit, ac Titulo Regis Poloniæ ſe abdicat.* Dat. Bithonii & Bendzini die 9 Martii Anno 1589. *Ex Originali Sigil. 14.*

ANNO 1589.

Nos infraſcripti Sacratiſſimi, atque Invictiſſimi Romanorum Imperatoris RUDOLPHI Secundi, nec non Hungariæ, Bohemiæque Regis, Archiducis Auſtriæ &c. &c. Domini noſtri clementiſſimi, univerſæque Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ, Regnorumque Caeſareæ Maieſtatis Hungariæ, Bohemiæ, cæterarumq; Provinciarum deputati Commiſſarii, Gvilhelmus Urſinus a Roſenberg, Domus Roſenbergicæ Gubernator, Eques aurei Velleris, Sacræ Cæſareæ Maieſtatis intimus Conſiliarius, & Supremus Regni Bohemiæ Burgravius, Petrus Epiſcopus Jaurienſis, Regni Hungariæ Cancellarius. Chriſtophorus Poppl Baro in Lobkowitz, & Tachaw Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Camerarius, & Supremus Regni Bohemiæ Cameræ Præfectus, Richardus Strein Baro in Schwartzenau & Tirnſtain, Stanislaus Epiſcopus Olomucenſis, Princeps Regalis Capellæ Bohemiæ, Comes Zaifridus a Promnitz Baro in Pleſſ, Sorau, & Tribel, Nicolaus Iſtwanffi de Kizazgon Falua Officii Palatinatus R Hungariæ Locumtenens, Capitaneus Sopronienſis, Joannes Kobentz, Baro in Proſſedk Ordinis Teutonici Commendator ex una parte: ex altera vero Nos Sereniſſimi Principis, & *D*omini *D*omini SIGISMUNDI III Regis Poloniæ, Magni *D*ucis Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniae, &c. &c. nec non commemorati Regni, Magni Ducatus Litvaniae, caeterarumque *D*itionum eius Nomine itidem deputati Commiſſarii, Hieronymus Comes in Rozdrazew, & Bombzdorff, *D*ei Gratia Epiſcopus Vladislavienſis, & Pomeraniae, Januſſius *D*ux Oſtrogiae, & Palatinus Volhiniae, Stanislaus Goidomſki de Pezoncze Palatinus Ravenſis, Capitaneus Radomienſis, Chriſtopho-

Rudolfa II. Cesarza

Petronowicz Wilhelm Urzęd z Rosenberga

Richt. Bp. Jaurijski

Krzyzkof Poppl. Baron Lobkowitz

Ryszard Strein Herr Schwarzenau

Kasimirz Bp. Olomuniecki

Hr. Zaifrid z Promnitz

Mikołaj Istwanffi de Kizazgon.

Jan Kobentz Baron in Prossedk

z Zygmunta III.

Petronowicz Hieronym Rozdrazewski Bp. Wład. Stanisław

Janusz ks. Ostrogski

Stanisław Goidomski de Pezoncze.

ANNO 1589. stophorus Zienowicz Palatinus Breſzianenſis, ac Ciecierienſis, & Peropeſienſis Capitaneus, Andreas Opalenſki de Bnin Regni Poloniæ Supremus Marſchalcus, & Maioris Poloniæ Generalis, & Lezaycenſis, Srzemenſisque Capitaneus, Joannes Zamoyſki de Zamoyſcie Regni Poloniæ Supremus Cancellarius, ac Exercituum Generalis, & Belzenſis, Marieburgenſis, Derpatenſis, Kniſzynenſis, Grodecenſis, Miedzyrzenſis, Javorovienſisque Capitaneus. Significamus Præſentibus hiſce huius, & futuri temporis, univerſis, & ſingulis. Cum Sanctiſſimo *D*omino noſtro SIXTO V. Summo Pontifice, paſtoralis muneris memore, atque ingenitæ pietatis, charitatisq; ſtudio in univerſæ chriſtianæ Reipublicæ bonum, ac quietem propenſiſſimo, Maiorumque ſuorum, ac Deceſſorum Summorum Pontificum exemplis permoto, per Legatum ſuum de Latere Illuſtriſſimum, ac Reverendiſſimum Dominum Hyppolitum, Sacræ Rom. Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem Aldobrandinum, & ſummum Pænitentiarium, enixa, & ſummâ diligentia id curante, deque amicitia, & pace diligentiſſime Principes noſtros appellante, ad controverſias, & diſſenſiones, quæ inter Principes noſtros, *D*itionesq; eorum nuper exortae fuerant, componendas, plena, et omnium rerum libera cum facultate, utrinque legati eſſemus, Nos pro facultate a Principibus noſtris, Ordinibusque Regnorum, et *D*ominiorum eorum, cum generaliter, tum ſpecialiter, et nominatim in eam rem Nobis data, commemoratas controverſias omnes, et quaſcunque omnino tandem tranſegiſſe, compoſuiſſe, et ſuſtuliſſe. Et ſi enim, quemadmodum in omnibus controverſiis accidere ſolet, non deeſſent, quae in utramque partem diu ancipites, dubiosque Nos tenerent, cum tamen, et incommoda diſſenſionum, quae cum privatim ſingulis, tum publice Regnis, Nationibusque univerſis importare ſolent, et Pacis commoda diligentius Nobiscum expendiſſemus, acceſſiſſet vero eodem S. *D*. N. authoritas: Legati autem ipſius de Latere Illuſtriſsimi, et Reverendiſsimi *D*omini Cardinalis Aldobrandini, ſummum, atque indefeſſum in concordia hac procuranda ſtudium, cum ſumma prudentia, et aequitate coniunctum; iis, quae ſupra demonſtratae ſunt, cauſis adducti, de omnibus tam controverſiis, diſſenſionibusque, quam cauſis earum, hiſce, quae ſequuntur, Conditionibus compoſuimus, tranſegimusque; Inprimis cum, quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, ut in Pace omnia floreant, ita non modo nullum malum tantum eſſe poſſit, quod a bello abſit, ſed ne Author quidem, ut aliorum bonorum, ita etiam Pacis *D*eus, non niſi in Pace pie recteque coli poſſit, cum ob publicam Reipublicae Chriſtianae ſalutem, tum inprimis Nominis Divini gloriam convenit, ſtatutumque inter Nos eſt, ut non ſolum ſuperioris temporis offenſiones, ſuſpicionesque, et cauſae offenſionum omnes inter Principes noſtros, *D*itionesque, et homines earum univerſos, et ſingulos in perpetuum abolitae, et ſublatae ſint, verum firma etiam, ſincera, et conſtans Pax, atque amicitia, perpetuis temporibus in poſterum inter eosdem colatur, obſerveturque. Cuius quidem rei eo iuſtiores cauſas Principes noſtros habere arbitrati ſumus, quod non ſolum Ditiones, & populi utriusque multis, iisque antiquiſſimis Fæderum, cognationis, & aliarum neceſſitudinum vinculis adſtricti ſemper inter ſe fuerint, ſed Principes etiam ipſi, ut quorum utrinque genus e Jagellonum Stirpe promanat, propinqua ſangvinis coniunctione devincti inter ſe ſint, ut non minor in mutuo amore pietatis, quam in Republica Chriſtiana communis ſalutis ratio habenda illis ſit, cum huiusmodi neceſſitudo ea ſit, ut non ſolum ſuperiores offenſiones omnes abolere debeat, verum ſine vituperatione nullam offenſionem inter tam coniunctos Principes admittere poſſit. Condonabunt igitur utrinque tam Cæſarea nimirum Maieſtas, Sereniſſimaque *D*omus Auſtriaca, quam Sereniſſimus Poloniæ Rex, quæ ſuperiore Anno inter ipſos, & *D*itiones eorum quomodocunque interceſſerunt, primum publicæ univerſæ Chriſtianitatis tranquilitati, deinde non minus mutuæ etiam neceſſitudini, ac ſangvinis coniunctioni, maxime autem Sanctiſſimi *D*omini noſtri Summi Pontificis Authoritati. Cum autem omnis hæc ſuperioris temporis diſſenſio ex nominatione, Juribus, & Inſtitutis Regni Poloniæ minus conſentanea, Sereniſſimi Principis, & *D*omini, *D*omini MAXIMILIANI *D*ei Gratia Archiducis Auſtriæ, *D*ucis Burgundiæ &c. in primis Comitiis Electionis Varſaviæ habitis, a quibusdam interpoſita promanarit, cum iis, quæ ſupra commemoratæ ſunt, tum aliis cauſis, ad Reipublicæ Chriſtianæ univerſæ ſalutem, & tranquillitatem pertinentibus, convenit, concluſumque inter Nos eſt, ut quo, & præterita diſſenſio, & futura cauſa, materiaque omnis tollatur, commemorato titulo, & iure, quod quocunque modo perveniſſe ad ſe inde arbitratus fuit, idem Sereniſſimus Archidux MAXIMILIANUS, cum alias memoratas ob cauſas, tum ob communis Reipublicæ Chriſtianæ, ut oſten-

ANNO 1589. oſtenſum eſt, quietem, & incolumitatem abſtineat, & nunquam in poſterum utatur. Præter eum vero Cæſarea Maieſtas etiam, cæterique Sereniſſimi Archiduces, nullam unquam controverſiam vel hac, vel alia quacunque cauſa, colore ſeu prætextu, vel Sereniſſimo Principi, ac Domino, Domino SIGISMUNDO tertio, præſenti Regi Poloniæ, vel etiam ſi (quod Deus avertat) morte eius Regnum vacare contingeret, eidem Regno, eundem Sereniſſimum Archiducem MAXIMILIANUM, vel quemcunque alium, quocunque tempore, per ſe, vel per alios relaturum, aut ſuſcitaturum, neque id facienti conſilium, auxilium, tranſitum, ſeu favorem quemcunque in eam rem ſe præbituros, præſtiturosque ſpondeant, ac promittant. Neque vero in ullam eiusdem Sereniſſimi Archiducis iniuriam, vel contumeliam accipit, aut quisquam interpretari id debebit. Quemadmodum enim, & ea Familia Serenitatem ſuam ortam, & ea ipſam etiam virtute eſſe, Ordines Regni Poloniæ libenter agnoſcunt, ut quocunque ampliſſimo Regno dignam eam iudicent, neque generis dignitate, & virtutis laude ullo ſecundam eam habeant, ita viciſſim Serenitatem quoque ſuam pre prudentia ſua cogitare non dubitant, primum Regna non ſolum ex dignitate cuiusque, ſed inprimis etiam Divina voluntate deferri, ideoque magis hanc, quam iudicia hominum ſibi defuiſſe, deinde eo æquiore etiam animo id laturam, quod ad illum delatum Regnum videat, qui & Serenitatem ſuam tam propinqua ſangvinis coniunctione attingat, ex Familia autem Jagellonica, optime de Regno Poloniæ merita, qui ſumma cum laude Regno huic præfuerit, non ſolum Avos, ac Proavos, ſed nuper etiam Avunculum Dominum SIGISMUNDUM AUGUSTUM Regem habuerit. Quam ob cauſam, etſi libera Nobilitatis ſuffragia, nulli Succeſſioni adſtricta ſint, quod nihilominus ex Familia Jagellonica Electus Rex ſit, pro ſua cum eadem Familia neceſſitudine tanto æquius feret, neque de priſtina amicitia, quæ inter Sereniſſimam Domum Auſtriacam, & Regnum Poloniæ, Magnum Ducatum Litvaniæ, cæterasque Ditiones eis coniunctas, Ordinesque, & homines earum ſemper fuit, quicquam vel Serenitas eius, vel Sereniſſima Domus ipſius ob id remittet: maxime vero, ſi (quod diutiſſime Deus ſuſtinere velit,) Regnum iterum vacare contingat, in libertate Electionis commemoratos Ordines nullo modo impediet, neque vel armis, ac vi, vel largitionibus, ſeu factionibus quicquam contra eandem libertatem faciet, aut ſuſcipiet dolo, ac fraude omni remotis. De Lubovlia deinde hunc in modum convenit. Inprimis, ut Caſtrum id cum Oppidis, Villisque ad id pertinentibus, quemadmodum iniuſſu Cæſareæ Maieſtatis, ac præter voluntatem eius occupatum eſt, ita in priſtinum uſum, & poſſeſſionem Regni Poloniæ, quemadmodum a tot ſæculis quiete, ac ſine ulla controverſia id in ea poſſeſſione, atque uſu fuit, iterum tradatur, conſigneturque, ſuppellex item reliquumque inſtrumentum omne, maxime autem tormenta, tam minora, quam maiora, omnia, quæ in Caſtro eo cum occuparetur, extiterunt, bona fide reſtituantur, unaque cum ipſo Caſtro tradantur. Ad poſſeſſionem autem eam accipiendam, utriusque partis conſenſu dies vigeſimus primus Menſis Julii præfinitus, & acceptus eſt, ad quem Regia Maieſtas Poloniæ, qui eam poſtulent, & accipiant, homines ſuos mittet, ii vero qui in Arce erunt, ſine ulla mora, quemadmodum ſupra convenit, cum omni ſuppellectile, & inſtrumento, quod ante in eo fuit, vacuam poſſeſſionem eius tradere debebunt. Cumque ut non ſolum diſſenſiones, & controverſiæ omnes ſopiantur, verum priſtina etiam amicitia, atque benevolentia utrinque reſtituatur, actum inter Nos fuerit, ut Pacta, & Fædera, quæ ab aliquot ſæculis utriusque Regnis, & Ditionibus interceſſerunt, ea forma, quæ ex utriusque noſtrum conſilio, & ſententia ſcripto comprehenſa iam eſt, ab utrisque Principibus, & eorundem Ordinibus, iterum renoventur, confirmenturque, placuit, convenitque. Quibus quidem rebus cum priſtina amicitia atque benevolentia integre conciliata, reſtituta, ac redintegrata utrinq; eſſe debeat, promittimus pro eo, ſpondemusque. Nos quidem ſupraſcripti Cæſareæ Maieſtatis, & univerſæ Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ Commiſſarii cum commoratae Caeſareae Maieſtatis, caeterorumque Sereniſſimorum Auſtriacorum Principum omnium, tum maxime Sereniſſimi MAXIMILIANI Archiducis nomine, nullam ſuperiorum diſſenſionum offenſionem Maieſtatem, Serenitatesque ſuas retenturas, eandem nullo unquam tempore renovaturas, conſtantem autem poſthac, & ſinceram cum Regia Maieſtate Poloniæ, Ordinibusque amicitiam, & benevolentiam conſervaturas, neque vi aut armis, vel per ſe, vel per ſubmiſſas perſonas quocunque tempore, vel quacunque ex cauſa, colore ſeu prætextu Regnum Poloniæ, Magnum Ducatum Litvaniæ, Ruſſiam, Pruſſiam, Maſoviam, Samogitiam, Livoniam, cæterasque Ditiones,

ANNO 1589.

ANNO 1589. nes, vel Arces, Oppida, Villas, homineſve Sereniſſimi Poloniæ Regis, aut propinquorum, ſociorum, vel adhærentium ipſius infeſtaturas, vim aut iniuriam ullam illaturas, factiones aut partes ullas contra easdem, & in iisdem foturas, alturaſve, ab iisdem proſcriptos aut exules recepturas, habituraſve, neque aliis id facientibus ullum conſilium, auxilium, tranſitum, aut quemcunque deniq; favorem accommodaturas, verum omnia, quæ tranſactione hac, Pactis perpetuis, ac Fœdere comprehenduntur, diligentiſſime obſervaturas. Similiter vero Nos Sereniſſimi Poloniæ Regis ſupraſcripti Commiſſarii eiusdem Maieſtatis ſuæ, Ordinumque eius Nomine, viciſſim recipimus, promittimus, ſpondemusque nullo unquam tempore eorum, quæ ante quocunque modo interceſſerunt, offenſionem Sereniſſimum Poloniæ Regem, aut Ordines retenturos, eamdem per quamcunque occaſionem renovaturos, ſed conſtantem poſt hac, & ſinceram cum Cæſarea Maieſtate, univerſaque Sereniſſima Domo Auſtriaca, in eaque Sereniſſimo etiam Archiduce MAXIMILIANO, Regnisq;, Ditionibus, & Ordinibus eorundem, amicitiam, & benevolentiam conſervaturos, neque ipſam Maieſtatem ſuam, Ordinesque, ſeu homines eius, quoſcunque vi, aut armis, vel per ſe, vel per ſubmiſſas perſonas, quocunque tempore, vel quacunque ex cauſa, colore ſeu prætextu, Regna Hungariæ, vel Bohemiae, Auſtriam, Moraviam, Sileſiam, vel quaecunque alia commemoratorum Sereniſſimorum Principum Dominia, Ditiones, Arces, Oppida, Villas vel homines, aut propinquorum, ſociorum, vel adhaerentium ipſorum infeſtaturos, vim aut iniuriam ullam iisdem allaturos, factiones, ſeu partes ullas contra eosdem, & in iisdem foturos, alturosve, ab iisdem proſcriptos aut exules recepturos, habiturosve, neque aliis id facientibus ullum conſilium, auxilium, tranſitum, aut quemcunque denique favorem accommodaturos, ſed omnia, quae Tranſactione hac, Pactis perpetuis, ac Faedere comprehenduntur, diligentiſſime obſervaturos. Quo firmiora vero omnia haec ſint, convenit, tranſactumque inter Nos eſt, ut Sereniſſimus Poloniae Rex Legatum ſuum ad Caeſaream Maieſtatem, caeterosque Sereniſſimos Archiduces intra diem vigeſimum Menſis Aprilis in Aulam Caeſareae Maieſtatis prior mittat. Qui quidem inprimis, ut Caeſarea Maieſtas offenſiones omnes, quae ſuperiore Anno inter Caeſaream Maieſtatem ſuam, eiusque inclytam Domum Auſtricam, & inclytum Poloniae Regnum, quomodocunque utrinque interceſſerunt, publicae tranquillitati, & Paci, tum Sanctiſſimi Domini noſtri authoritati condonet, rogabit, Sereniſſimique Regis ſui nomine paratam Maieſtatem ſuam Regiam eſſe offeret, quae in tranſactione continentur, convenerintque, ſingula confirmare, & praeſtare. Caeſarea Maieſtas in eiusdem S. D. N. gratiam, & publicae Chriſtianitatis ſalutis cauſa, Paci huiusmodi, & petitioni annuet, deinde vero ipſa quoque intra diem decimum quintum Menſis Maii ſimiliter Legatum ſuum ad Sereniſſimum Poloniæ Regem mittet, per quem gratam ſibi Legationem eius fuiſſe, & quæ ex Oratore eius intellexerit, reliqua oſtendet, & ſi quæ Sacræ Cæſareæ Maieſtati in benevolentiæ, atque amicitiæ teſtimonium videbuntur alia. Eodem deinde Legato præſente primum Sereniſſimus Rex Poloniæ ſequente forma Juramentum præſtabit. ANNO 1589.

*Ego* SIGISMUNDUS III. *Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, &c. iuro, ſpondeo, promittoque coram Deo, per hæc Sancta eius Evangelia, quod omnia ea, quæ S. D. N. Legatique eius de Latere Reverendiſſimi Cardinalis Aldobrandini interventu inter Commiſſarios meos ex una, & Cæſareæ Maieſtatis, univerſæque Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ parte ex altera, Bithomiæ, & Bendzini congregatos convenerunt, in omnibus eorum punctis, & clauſulis firmiter, inviolabiliterque obſervabo, iisdemque ſatisfaciam pro eoque cum Cæſarea Maieſtate, Sereniſſimis Fratribus, & Patruis eius univerſaque Sereniſſima Domo Auſtriaca, Regnis, Ditionibus, & hominibus eorundem iuxta eandem Tranſactionem, Pacta perpetua, & Fœdus, Pacem, amicitiamque perpetuo conſtanterque colam. Sic me Deus adiuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

Secundum Regiam deinde Maieſtatem eius, Ordines Regni Poloniæ, Magni Ducatus Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ &c. ſeu omnium Ordinum nomine Proceres ad hoc in Comitiis nominati, & ſufficiente in eam rem Mandato inſtructi, ſequentibus itidem verbis iurabunt.

*Nos N. N. iuramus, ſpondemusque coram Deo, omnium Regni noſtri ordinum nomine, quod omnia ea, quæ inter Cæſareæ Maieſtatis, cæterorumque Sereniſſimorum Principum Auſtriacorum &c. Commiſſarios ex una, & Sereniſſimi Principis, & Domini, Domini* SIGISMUNDI III. *Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ &c. parte ex altera, Ordinumque. Regnorum. & Dominiorum utriusque partis Bithomiæ, & Bendzini congregatos convenerunt, firmiter, inviolabiliterque obſervabi-*

ANNO 1589. *vabimus, Ordinesque universi in perpetuum observabunt, Serenissimis Principibus nostris, ut observent, authores semper erimus, neque ut aliter fiat, assensum, consilium, aut auxilium nostrum unquam praestabimus, sed eandem Transactionem, & Pacta omnibus viribus tuebimur, Ordinesque universi perpetuis temporibus tuebuntur. Sic Nos Deus adiuvet, & haec Sancta eius Evangelia.*

Quae cum ad eum modum perfecta fuerint, mittet deinde intra diem decimum quintum Mensis Junii, ad Caesaream Maiestatem, caeterosque Serenissimos Archiduces in Aula Maiestatis suae aut per se, aut per Legatos suos existentes alterum Legatum suum Sereniſſimus Poloniae Rex, qui inprimis Transactionem hanc, tum Juramenta, tam eiusdem Sereniſſimi Regis, quam Ordinum supra commemoratorum ab ipso Sereniſſimo Rege Poloniae, Ordinibusque Regni Poloniae, Magni Ducatus Litvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae &c. subscripta, Sigillisque eorundem munita, Caesareae Maiestati tradet, atque Transactionem hanc, ipsa quoque & caeteri Sereniſſimi Archiduces, Patrui, & Fratres Maiestatis suae similiter confirment, confirmatamque subscriptionibus, & Sigillis cum suis, tum Ordinum, seu omnium Ordinum nomine praecipuorum Procerum edant, Juramentum autem in eandem cum Caesarea Maiestas, tum Ordines Regnorum, Ditionumque eius similiter praestent, Juramentaque eadem, Caesareum a Caesarea Maiestate, & Ordinibus, Ordinum autem ab ipsis Proceribus subscripta, & signata sibi tradantur, postulabit. Qua Legatione exposita, Caesarea Maiestas eodem Legato praesente in haec itidem verba iuramentum praestabit:

RUDOLPHUS II. *Dei Gratia Electus Romanorum Imperator semper Augustus &c. &c. iuro, spondeo, ac promitto coram Deo, per haec Sancta Eius Evangelia, quod omnia ea, quae Sanctissimi Domini Nostri &c. & Legati eius de Latere, Reverendissimi Cardinalis Aldobrandini interventu inter Commissarios meos, caeterorumque Sereniſſimorum Principum, Patruorum, ac Fratrum meorum ex una, & Sereniſſimi Principis Domini* SIGISMUNDI III. *Regis Poloniae, Magni Ducis Litvaniae &c. parte ex altera Bithomiae, & Bendzini congregatos convenerunt, in omnibus eorum Punctis, & Clausulis firmiter, inviolabiliterque observabo, iisque satisfaciam, Pacem, & Amicitiam cum eodem Sereniſſimo Principe, Regnoque Poloniae, Magno Ducatu Litvaniae, caeterisque coniunctis Provinciis, & Ditionibus iuxta eandem Transactionem, Pacta perpetua, ac Foedus perpetuo, constanterque colam. Sic me Deus adiuvet, & Sancta eius Evangelia.* ANNO 1589.

Eodem deinde modo Regnorum etiam, Ditionumque Caesareae Maiestatis Hungariae, Bohemiae, Austriae, Moraviae, Silesiae &c. Ordines, seu omnium Ordinum nomine Proceres ad id nominati, & sufficiente in eam rem Mandato instructi iisdem verbis & forma, quae supra Polonicis Ordinibus praescripta est, eodem itidem Legato praesente Juramentum praestabunt, Juramentaque, & Transactio haec ita, quemadmodum supra ostensum est, a Caesarea Maiestate Sereniſſimis Archiducibus, Patruis, & Fratribus Caesareae Maiestatis, Ordinibusque Regnorum, & Ditionum Caesareae Maiestatis suprascripta, & confirmata, commemorato Regiae Maiestatis Poloniae Oratori tradentur. Idem vero Legatus Pactorum quoque secundum eam Formulam, quae ex communi consilio, ac sententia scripto a Nobis comprehensa est, confirmationem simul a Caesarea Maiestate petet, & cum eiusdem Caesareae Maiestatis eorundem Pactorum confirmationem ad Sereniſſimum Regem Poloniae deferet, tum Sereniſſimi Poloniae Regis apud Caesaream Maiestatem relinquet. Vicissim vero debebit Sereniſſimus Princeps, & Dominus, Dominus MAXIMILIANUS Archidux Austriae &c. &c. Hrodlo, quo in loco nunc est, ad diem 16. Mensis Julii movere, ac quam honorificentissime Byczynum, vel, si ita Serenitati suae videbitur, Bithomiam, cura Sereniſſimae Regiae Maiestatis Poloniae ad diem vigesimum octavum Mensis Julii deduci, quemadmodum quidem Nos eiusdem Maiestatis suae suprascripti Commissarii ad ita futurum cum Maiestatis suae, Ordinumque, tum nostro nomine promittmus. Priusquam etiam Sereniſſimus Archidux MAXIMILIANUS e Regno, proficiscatur Sereniſſimus Poloniae Rex ipse eum inviset, mutuamque benevolentiam ita ei declarabit, ut eam superioris temporis iniuria interruptam magis fuisse, quam vel tum etiam illi defuisse, vel inposterum defuturam ostendat, quamque maxime poterit, dignitatis eius rationem libenter habebit. Quamprimum vero ultra fines Regni Poloniae in Caesareae Maiestatis Ditionis fines Serenitas sua pervenerit, inprimis quod nunc quidem Caesarea Maiestas, utriusque autem Nomine Nos Caesareae Maiestatis Commissarii spondemus, promittimusque, ipse quoque Transactionem hanc in omnibus suis Capitibus, & Articulis itidem confirmabit, confirmatamque & sua, atque aliquod Procerum Germanicorum, quos tum secum habuerit, subscriptioni-

ANNO 1589. bus, et Sigillis munitam, iis, qui nomine Sereniſſimi *P*oloniae Regis eum comitabuntur, Inſtrumentumque illius ab eo poſtulabunt, tradet. *D*einde vero Iuramentum corporale ſequentibus verbis praeſtabit, idemque ſimiliter a ſe, et aliquot *P*roceribus Nationis Germanicae, qui tum circa eum fuerint, ſignatum, ſubſcriptumque dabit.

MAXIMILIANUS *Dei Gratia Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ &c. &c. iuro, ſpondeoque per haec Sancta Dei Evangelia, quod omnia ea, quæ Sanctiſſimi Domini Noſtri &c. & Legati eius de Latere Reverendiſſimi Cardinalis Aldobrandini interventu, inter Sacræ Cæſareæ Maieſtatis, Domini, & Fratris mei obſervandiſſimi, cæterorumque Sereniſſimorum Principum Auſtriacorum Commiſſarios ex una, & Sereniſſimi Principis, Domini* SIGISMUNDI III. *Poloniæ Regis, Magni Ducis Litvaniæ &c. parte ex altera Bithoniæ, & Bendzini congregatos convenerunt, in omnibus eorum punctis, & clauſulis firmiter, inviolabiliterque obſervabo, Pacem, & Amicitiam cum eodem Sereniſſimo Rege Poloniæ, Magno Duce Litvaniæ &c. Regnoque, Magno Ducatu Litvariæ, & cæteris Ditionibus eius perpetuo, conſtanterque colam, neque quicquam, quod contra eiusdem Sereniſſimi Regis, Ditionum, Hominumve eius ſalutem, & quietem ſit, ſuſcipiam, admittamve, neque vim aliquam inferam, aut aliquo modo publice vel occulte moleſtabo, ſed Fraterno honore, amore, & benevolentia omnibus in locis per omnem occaſionem eundem Sereniſſimum Regem proſequar, ſic me Deus adiuvet, & hæc Sancta eius Evangelia.*

Quo Iuramento praeſtito, tandem iis, etiam quos ex Natione *P*olonica iuramento, fide, aut quocunque modo obligatos antea Serenitas ſua habuit, fidem eam, iusiurandum, omnemq; omnino obligationem remittet, planeque liberos eos pronuntiabit. Reſervamus poſtremo ab hac Transactione, Nos quidem Caeſareae Maieſtatis Commiſſarii pro Sacra Caeſarea Maieſtate, Domino noſtro clementiſſimo, univerſaque Sereniſſima Domo Auſtriaca, Sanctiſſimum Dominum noſtrum Papam, Sanctamque Sedem Apoſtolicam, nec non Sacrum Romanum Imperium, cui pro ea fide, quam illi iureiurando obſtrinxit Cæſarea Maieſtas, ſi quis illud iniuria afficere vellet, deeſſe non poſſet. Præterea vero Sereniſſimum, ac Potentiſſimum Principem, & Dominum, Dominum PHILIPPUM Regem Hiſpaniarum Catholicum &c. &c. Magnum Moſchorum Principem, ita tamen ne propter hanc exceptionem, vel contra Sereniſſimum Regem, Regnumque Poloniæ, Magnum Ducatum Litvaniæ &c. vel contra Sereniſſimum Sveciae Regem, Caeſarea Maieſtas, aut caeteri Sereniſſimi Archiduces ullum auxilium Moſchis dare, & hanc Tranſactionem turbare debeant, aut poſſint. Ad extremum etiam Turcarum Principem per praeſentes, & futuras, quocunque ſi quae interceſſerint Inducias, ita ut iſthaec Tranſactio Caeſaream Maieſtatem contra illum ligare non poſſit, nec debeat. Viciſſim vero Nos Sereniſſimi Poloniae Regis Commiſſarii, eiusdem Sereniſſimi Regis, Regni, Magni Ducatus Litvaniae, caeterarumque Ditionum eius nomine praefatum Sanctiſſimum Dominum noſtrum Papam, Sanctamque Sedem Apoſtolicam, tum Sereniſſimum Parentem Sereniſſimi Regis noſtri Regem Sveciae, Illuſtriſſimum SIGISMUNDUM Principem Tranſylvaniae, nec non Pacem, quae eidem Sereniſſimo Regi noſtro cum Turcarum Principe intercedit, aut in poſterum iuxta priſtinam Domini SIGISMUNDI AUGUSTI Avunculi eius Formulam intercedet, diſerte excipimus, reſervamusque. Quae omnia, & ſingula in omnibus ſuis punctis, articulis, & clauſulis, ſancte inviolabiliterque obſervatum, expletumq; iri, Nos ſupraſcripti utriusque Partis Commiſſarii cum Principum noſtrorum, ordinumque ipſorum, tum noſtro nomine iam ex hoc ipſo tempore, ſub fide, honore, & iuramentis noſtris ſancte promittimus, ſpondemusque. Juris autem firmitudinis, & fidei cauſa, inprimis, ut Sanctiſſimi etiam Domini noſtri de Latere Legatus, Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus, Dominus Cardinalis Aldobrandinus, ut cuius prudentia, ſtudio, atque opera maximo haec res confecta fuit, eandem Tranſactionem hanc ſubſcriberet, Sigilloque ſuo muniret, communiter ab Illuſtriſſima Dominatione ſua impetravimus, tum vero duo eiusdem exempla conficienda curavimus, ſingulaque exempla, ab omnibus nobis communiter ſubſcripta, Sigillisque omnium munita, ſingulae Partes accepimus. Datum Bithomii, & Bendzini Nona die Menſis Martii Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Octuageſimo Nono.

HYPPOLITUS *Tituli S. Pancratii Presbyter Cardinalis, Aldobrandinus Sacræ Romanæ Eccleſiæ maior Pœnitentiarius, & Sanctiſſimi Domini noſtri, Sanctæque Sedis Apoſtolicæ Legatus de Latere.*

GVILELMUS *Urſinus de Roſenberg.*

PETRUS *Epiſcopus Jaurienſis.*

CHRISTOPHORUS *iunior Baro a Lobkowitz.*

RICHAR-

ANNO 1589. RICHARDUS STREIN *Baro in Schwartzenau.*
STANISLAUS *Epiſcopus Olomucenſis.*
SEIFRIDUS *a Promitz, Baro in Pleſſ.*
NICOLAUS Iſthvanffi.
KOBENZEL *de Proſſek Baro.*
HIERONYMUS *Comes a Rozdrazow Epiſcopus Vladislavienſis & Pomeraniæ.*
JANUSSIUS *Dux in Oſtrog, Palatinus Volhiniæ.*
STANISLAUS GOSTOMSKI *de Lezenice Palatinus Ravenſis, Capitaneus Radomienſis.*
CHRISTOPHORUS ZIENOWICZ *Palatinus Breſtenſis Magni Ducatus Litvaniæ, manu propria.*
ANDREAS OPALENSKI *Supremus Regni Poloniæ Mareſchalcus, manu propria.*
JOANNES ZAMOYSKI *Regni Poloniæ Cancellarius, & Generalis Capitaneus.*

## LVII.

*Ratificatio & approbatio eiuſdem Tranſactionis per* SIGISMUNDUM *III. Regem Poloniæ in Comitiis Regni Generalibus facta.* Varſaviæ die 18 April. 1589. *Ex Originali.*

NOS SIGISMUNDUS III *D*ei Gratia Rex Poloniae, Magnus *D*ux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae &c. Significamus, quorum intereſt, intereritve, huius, & futuri temporis univerſis, & ſingulis. Cum Sanctiſſimi *D*omini noſtri SIXTI V Summi Pontificis, Legatique eius de Latere Reverendiſſimi *D*omini Hyppoliti Sacrae Romanae Eccleſiae Preſbyteri, Cardinalis Aldobrandini, & Summi Paenitentiarii interventu, inter Commiſſarios Sacrae Caeſareae Maieſtatis, univerſaeque Serenisſimae *D*omus Auſtriacae ab una, & noſtros ab altera partibus, Bithomiae, & Bendzini congregatos, firma, perpetua, & ſtabilis Pax, & amicitia inter commemoratam Sacram Caeſaream Maieſtatem, Serenisſimamque *D*omum Auſtriacam, & Nos, atque utriuſque Regna, & *D*itiones certis conditionibus, & legibus conſtituta eſſet, Nos Tranſactionem eam pro noſtra etiam parte, ex Tranſactionis eiusdem formula nominatim confirmare, ratamque habere debeamus. Nos praeſentibus hiſce Literis noſtris eandem Tranſactionem ad verbum inſerendam, edendam, confirmandam, omnemque authoritatem, & aſſenſum noſtrum harum teſtimonio adhibendum ei duximus. Cuius quidem Tranſactionis tenor infraſcriptus ſequitur. ANNO 1589.

*Nos infraſcripti &c. &c.* Nos igitur SIGISMUNDUS Rex ſuper inſertam Tranſactionem, omniaque & ſingula eiuſdem capita, conditiones, clauſulas confirmamus, approbamus, rata habemus, corroboramus, & praeſentibus Literis noſtris ſub fide, & honore Principis noſtro, ſubque onere praeſtiti iuramenti ad ea Nos obligamus, promittentes, ſpondenteſque, ea Nos omnia, & ſingula in eis contenta, & expreſſa inviolabiliter obſervaturos, & adimpleturos, & in nullo directe, vel indirecte, clam vel aperte nunquam illis contraventuros bona fide, doloque, & fraude ſemotis. In quorum omnium fidem, & evidentius teſtimonium haſce manu noſtra ſubſcripſimus, Sigilloque Maieſtatis Regni obſignari mandavimus. *D*atum Varſaviae in Comitis Regni noſtri Generalibus *D*ie 18 Menſis Aprilis An. Domini, MDLXXXIX. Regni noſtri ſecundo, Praeſentibus Reverendis, Illuſtribus, Magnificis, & Generoſis Domino Stanislao Karnkowſki, Dei Gratia Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato Nato, & Regni noſtri Primate, Joanne Demetrio Solikowſki Dei Gratia Archiepiſcopo Leopolienſe, Hieronymo Comite a Rozdrazow Vladislavienſe, & Pomeraniæ, Luca a Kościelec Polnanienſe, Petro Dunin Wolſki Plocenſe, Bernardo Macieiowſki Luceorienſe, Alberto Baranowſki Premislienſe, & Regni noſtri Vicecancellario, Petro Koſtka de Stangenberg Culmenſe, Laurentio Goslicki Chelmenſe, eadem Gratia Epiſcopis, & Ottone Szkenkink nominato Vendenſe, Nec non Chriſtophoro Radziwił Duce in Dubinki, & Bierze Vilnenſe, Exercituum Magni Ducatus Litvaniæ Praefecto, Kokenhauſenſe, Boriſovienſe, Solecenſe, Urzędovienſe Capitaneo, Joanne Kiſzka de Ciechanowiec Caſtellano Vilnenſe, Capitaneo Breſtenſe in in Litvania, Petro de Potuliſze Caliſienſe, Capitaneo Wyſſogrodenſe, Jone Chlebowicz Trocenſe, Capitaneo Radoſcovienſe, Alberto Laſki Siradienſe, Capitaneo Marieburgenſe, Joanne Chriſtophoro Radziwił Duce in Olyka, & Nieświez Caſtellano Trocenſe, Joanne Splawſki de Targowa gorka Inovladislavienſe, Nicolao Herbort de Fulſtin, & in Dziedzitow, Ruſſiae, & Capitaneo Tlumacenſe, Januſſio Duce in

ANNO 1589. Oſtrog Volhyniæ, Joanne a Sienno Podoliæ, & Capitaneo Horodlenſe, Czorſtinenſeque, Gregorio Zieleńſki Plocenſe, & Capitaneo Zakrocimenſe, Mlavenſeque, Stanislao Kryſki de Drobnin Maſoviæ, Capitaneo Plocenſe, Staniſlavovienſeque, Stanislao Radzimińſki Podlaſſiæ, Capitaneo Livenſe, Stanislao Goſtomſki de Lezenice Ravenſe, & Capitaneo Radomienſe, Chriſtophoro Zienowicz Breſtianenſe in Litvania, & Capitaneo Ciecierienſe, Nicolao a Działyn Culmenſe, & Capitaneo Bratianenſe. Ianuſſio *Duce* in Zbaraſz Bracławienſe, Capitaneo Pinſcenſe, Chriſtophoro Koſtka de Stangenberg Pomeraniæ, & Capitaneo Golubenſe Palatinis, Stanislao Comite a Tarnow Sandomirienſe, Capitaneo Stobiecenſe. Joanne Comite a Tenczyn Voynicenſe Præfecto Cubiculi noſtri, Lublinenſe, Parovienſeque Capitaneo, Paulo Szczawińſki Lancicienſe, & Capitaneo Bielſcenſe, Sereniſſimæ Reginæ Curiæ Magiſtro, Nicolao Naruſzowic Samogitiæ, Chriſtophoro Kościelecki Inovladislavienſe, Michaele Miſka Wołhyniæ, Raphaele Sieniawſki Kamenecenſe, Petro Niſzczycki Bełzenſe, Alberto Wilkanowſki Plocenſe, Joanne Leśniowolſki Podlahienſe, & Capitaneo *Ducatus* Zatorienſis, Loſſicienſeque, Joanne Goſtomſki de Lezenice Ravenſe, Staniſlao a *Działyn* Elbingenſe, Nicolao Firley de *Dąbrowica* Bieczenſe, Referendario Curiæ Regni novæ Civitatis Korczen, Caſimirienſeque Capitaneo, Georgio Mniſzech de Magna Kunczyce Radomienſe Capitaneo, Sanocenſe, Socalienſeque, Joanne Myſzkowſki Zarnovienſe, Chriſtophoro Lanſkorońſki de Brzezie Małogoſtinenſe, Nicolao Herbort de Fulſtin Premislienſe, & Capitaneo Leopolienſe, Joanne a *Drohoiow* Sanocenſe, Felice Zyłki *Dobrzinenſe*, Joanne Oſſowſki Polanecenſe, Martino Falencki Roſpirienſe, & Capitaneo Batkovienſe, Strumecenſeque, Alberto Padniewſki Oświecimenſe, & Capitaneo *Dibovienſe*, Simone Szubſki de *Szczawin* Inovladislavienſe, & Capitaneo Goſtinenſe, Hieronymo Paris Sochacovienſe, Martino Mezyńſki Viſnenſe, Stanislao Paris Livenſe, & Capitaneo Czimenſe, Stanislao Mińſki Zakrocimenſe, Sebaſtiano Tarnowſki Konarienſe Caſtellanis, Andrea Opaleńſki de Bnin, ſupremo Regni Mareſchalco, Generali Maioris Poloniæ, Lezaiſcenſe, & Sremenſe Capitaneo, Alberto Radziwił *Duce* in Olyka, & Nieświez Magni Ducatus Litvaniæ Supremo Mareſchalco, Kownenſeque Capitaneo, Joanne de Zamoście Supremo Regni noſtri Cancellario, & Generali Exercituum, Beſzenſe, Marieburgenſe, Knyſzynenſe, Dorpatenſe, Miedzyricenſe, Grodecenſe, & Iavorovienſe Capitaneo, Leone Sapieha Magni Ducatus Litvaniæ Vicecancellario, Słominenſeque Capitaneo, Joanne Dulſki Caſtellano Culmenſe, Theſaurario Regni Generali, Branſcenſe, Rogoſnenſe, Suraſcenſe, Svecenſeque Capitaneo, Theodoro Skumin Theſaurario M. D. L. Utcenſeque Capitaneo, Stanislao Przyiemſki Mareſchalco Curiæ Regni noſtri, Capitaneo Koninenſi, Georgio Farensberg Praeſide Vendenſe, nec non Palatinatuum, & Terrarum Legatis. *Ex Palatinatu Cracovienſi*: Nicolao Zebrzydowſki Generali Cracovienſe, Lanſcoronenſe, Boleslavienſeque, Petro Myſkowſki Oświecimenſe, Oycovienſeque, Procopio Pieniążek Vendenſe, Capitaneis, Stanislao Likowſki de Woysławice, Succamerario Cracovienſe, Sebaſtiano Lubomirſki Præfecto Salinarum Cracovienſium, & Capitaneo Dobcicenſe, Marciano Chelmſki Vexillifero Cracovienſe, Baltazare Porembſki. *Ex Poſnania*: Joanne Kościelecki Caſtellano Miedzirecenſe, & Capitaneo Bydgoſtienſe, Hieronymo Goſtomſki Caſtellano Naklenſe, & Capitaneo Valcenſe, Adamo Czarnowſki Capitaneo Piſdrenſe, Joanne Gaiewſki Judice Poſnanienſe, Andrea Czarnkowſki. *Ex Vilnenſi*: Joanne Pac Pocillatore Magni Ducatus Litvaniæ, Georgio Chotkiewicz Inciſore M. D. L. Chriſtophoro Munvid Dapifero M. D. L. Capitaneo Volkovienſe, Adamo Roſki Succamerario Ośmianenſe, Melchiore Pentkiewic Notario Terreſtri Vilnenſe, Andrea Zawiſza, Andrea Dawidowic. *Ex Palatinatu Sandomirienſi*: Stanislao Gołuhowſki Succamerario Sendomirienſe, Ioachimo Ocieſki Capitaneo Olſtinenſe, Stanislao Szafraniec de Pieſkowa Skała Tenutario Volbramenſe, Joanne Firley, Andrea Koniecpolſki, Andrea Malicki, Alexandro Koniecpolſki. *Ex Palatinatu Caliſſienſi*: Sventoslao Orzelſki Judice Caliſſienſe, Joanne Orzelſki Capitaneo Coſtenſe, Andrea Przyiemſki, Stanislao Czarnotulſki. *Ex Palatinatu Trocenſi*: Joanne Szawicz Richarſki Locumtenente Trocenſe, Demetrio Chalecki Theſaurario MDL. Nicolao Sapieha Succamerario Grodnenſe. Franciſco Gradowſki Mareſchalco noſtro, Michaele Sumorok Notario Terreſtri Kownenſe, Stanislao Białozor Judice Terreſtri

ANNO 1589.

ANNO 1589. restri Upitense, Gaspare Wielcz. *Ex Terra Somogitiæ*: Sebastiano Sebastianowicz Tribuno Samogitiæ, Melchiore Szemoth, Stanislao Czechowicz, Marschalco nostro, Vicecapitaneo Samogitiæ. *Ex Palatinatu Siradiensi*: Stanislao Bykowski Castellano Conariense, & Capitaneo Siradiense, Stanislao Krasnicki Judice Siradiense. *E Terra Vielunensi* Alexandro Koniecpolski, Capitaneo Vielunense, Georgio Radoffewski Succamerario, Petro Olewiński Vicecapitaneo Vielunense. *E Palatinatu Lancicienſi:* Stanislao Kuczyński Succamerario Gostinense, Joanne Karnkowski Capitaneo Lancicienſe, Sebastiano Karśnicki Vexillifero Lancicienſe. *E Breſtenſi*: Januſſio Riszyński Castellano Kovalienſe, Michaele Sokołowski Breſtenſe, & Rogosnense Capitaneo. *E Palatinatu Kiiovienſi*: Stephano Losza Pocillatore Kiiovienſe, Jacobo Pomsza. *E Palatinatu Iunivladislavienſi*. Adamo Balinski Capitaneo Kruszvicienſe, & Andrea Raikowski. *E Terra Dobrinenſi* Valentino Czerski, Michaele Działyński. *E Palatinatu Ruſſiæ*: Nicolao Zolkiewski Succamerario, Joanne Herbort Vexillifero, Leopolienſibus. Andrea Fredro Tribuno Samborienſe, Stanislao Kopyciński Judice Terrestri Halicienſe, Procopio Raszko Succamerario Halicienſe, Stanislao Zołkiewski Capitaneo Hnabieszovienſe, Nicolao Iasłowiecki de Buczacz Capitaneo Sniatinense, Stanislao Lanckoroński de Brzezie Castellano Hallicienſe, Capitaneo Skalense, Stanislao Kuropatwa, Paulo Orzechowski Succamerario Chełmense, Nicolao ab Ostrorog, Joanne Bieykowski Dapifero Premislienſe, Joanne Thoma Drohoiowski Capitaneo Premislienſe, Erasmo Herbort de Fulstin. *Ex Palatinatu Volhyniæ*: Theodoro Rudecki, Venceslao Bochovilin, Jacobo Lyszakowski, Theodoro Zachorowski, Gabriele Chyski, Basilio Bałbas. *Ex Palatinatu Podoliæ*: Jacobo Petfici Capitaneo Trebovlienſe, Andrea Potocki, Sigismundo Blazewski. *Ex Palatinatu Lublinenſi*: Adamo Gorayski, Stanislao Ryszkowski. *Ex Palatinatu Plocenſi*: Michaele Sokoliński, Basilio Renth. *Ex Bełzenſi*: Jacobo Wozuczyński Tribuno, Martino Rogalia Subiudice Bełzense, Martino Oleśnicki, Stanislao Cieszanowski. *Ex Novogrodenſi:* Basilio Zienkowicz Marschalco nostro, Gregorio Uniechowski, Joanne Mieleszko, Andrea Iundziel Marschalco nostro. *Ex Palatinatu Plocenſi*: Stanislao Garwaski Notario Terrestri Plocense, Stanislao Koszobucki Notario Terræ Zawkrzenenſi, Felice Kriski Palatinide Masoviæ. *Ex Witebscenſi*: Joanne Danilowicz Chrapowicki Vexillifero Vitebscense, Balthazaro Starosielski Subiudice Vitepscense, Gregorio Sapieha Succamerario Orszanense, Theodoro Chorski. *Ex Palatinatu Masoviæ*: Alberto Raczayski Castellano Varsavienſe, & Capitaneo Kovalienſe, Stanislao Uchański, Christophoro Janczewski Notario Visnense, Floriano Kryski, Tribuno Zakrocimenſe, Alberto Kryski Palatinide Masoviæ, Nicolao Wilkanowski, Petro Niszczycki Capitaneo Praśnicense, Francisco Kraśnicki Judice Ciechanovienſe, Joanne Podoski Capitaneo Rosanense, Laurentio Przeradowski, Joanne Grodzicki, Stanislao Zaliwski Judice Livense, Adriano Dobrzyniecki, Felice Obrzycki, Alberto Rakowski Lectistratore nostro, Joanne Lasocki, Procopio Oborski, Joanne Zamoyski Pincerna Lomzense Secretario nostro, Nicolao Laskowski, Jacobo Pilchowski. *Ex Palatinatu Podlachiæ*: Arnolpho Hlebowicz Vexillifero, Joanne Wodiński, Pocillatore Drohicense, Bartholomæo Groth Tribuno Mielicense, Gasparo Dembiński Succamerario Mielnicense, Andrea Ialbrzyk Wyszyński Tribuno Drohicense, Petro Pietkowski Notario Bielscense, Nicolao Ialbrzyk, Wyszyński, Stanislao Loknicki Secretario nostro. *Ex Palatinatu Ravenſi*: Stanislao Plichta Dapifero Sochaczovienſe, Joanne Ciechomski Judice Gostinense, Joanne Pudlowski Tribuno Sochaczovienſe, Paulo Ciechomski, Ioanne Krosnowski. *Ex Palatinatu Breſtianenſi in Litvania*: Nicolao Pac Succamerario Breſtianense, Stanislao Szerma Tribuno, Michaele Dulski Subiudice, Pinscensibus. *Ex Palatinatu Culmenſi*: Mathia Konopacki Succamerario Culmense, Ioanne Plemenski. *Ex Mściſlavienſi*: Hieronymo Massalski. *Ex Marieburgenſi:* Georgio Zaliński, Iudice Marieburgense, Ioanne Szorcz Succamerario Marieburgense, Capitaneo Kissovienſe. *Ex Braclavienſi*, Laurentio Pieszociński Succamerario, Nicolao Mikaliński Notario Braslavienſe. *Ex Pomerania* Georgio Kliński, Reicholdo Krakowski, Mathia Niewieściński, Christophoro Konarski, Iosua Ianowicz. *Ex Palatinatu Minſcenſi*: Ioanne Bykowski Tribuno Minscense, Ioanne Horski, Stephano Lowieiko Tribuno Mozyrenense, Alexandro Indzielki Subiudice Rzeczynense. *Ex Livonia*, Henrico & Ioanne Tyzenhausys in Berzon, Gvilhelmo a

Anno 1589. Roſen, Bartholomæo Oſtromencki, & aliis compluribus Secretariis, Officialibus, & Aulicis noſtris.

## LVIII.

*Mandatum Ordinum Regni Poloniæ in eos, qui ad Juramentum iuxta Conventionem Bendzinenſem in Comitiis Generalibus delegati fuerunt.* Actum Warſaviæ d. 18. Aprilis Anno 1589. *Ex Originali. Extat in Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. Lib. Num. 167. fol. 78.*

Sigismundus III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque &c. nec non Regni Sueciæ proximus Hæres, & futurus Rex. Significamus præſentibns Literis noſtris, quorum intereſt univerſis, & ſingulis. Cum inter alias Transactionis conditiones inter Sacram Cæſaream Maieſtatem, univerſamque Sereniſſimam Domum Auſtriacam, Regnaque, ac Ditiones Sacræ Cæſareæ Maieſtatis ab una, Nos, & Regnum noſtrum Poloniæ, Magnum Ducatum Litvaniæ, cæterasque Ditiones noſtras ex altera partibus, Bithomiæ, & Bendzini inſtitutæ, hæc quoque diſerte expreſſa, & recepta eſſet, ut cum Cæſarea Maieſtas intra diem decimum quintum Menſis Maii Anni vertentis, Legatum ſuum ad Nos miſiſſet, inprimis Nos, deinde vero ſecundum Nos, Ordines etiam Regni noſtri Poloniæ, Magni Ducatus Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque &c. ſeu omnium Ordinum Nomine Proceres ad hoc in Comitiis nominati, & ſufficiente in eam rem Mandato inſtructi, ea formula, quæ in commemorata Transactione præſcripta illis eſt, in eandem Transactionem iurarent, commemoratos Ordines noſtros, cum ipſam Transactionem gratam, & ratam habentes, tum quantum in illis eſt, ſicut in aliis omnibus eius capitibus, & conditionibus, ita maxime in hac etiam per omnia ſatisfacere illi cupientes, præſentium Comitiorum Authoritate, Conſtitutioneque ea de re perlata, tam ex Senatu, quam nuntiis Terrarum certos aliquos delegaſſe, iisque, ut omnium nomine commemoratum Juramentum præſtarent, omniaque, quae ad eam rem pertinerent, perficerent, plenam, integramque facultatem tribuiſſe. Reverendiſſimos nimirum, Illuſtriſſimos, Magnificos, & Generoſos Dominos, Stanislaum Karnkowſki Dei Gratia Archiepiſcopum Gneſnenſem, Legatum Natum, & Regni noſtri Primatem, Bernardinum Macieiowſki Luceorienſem, Albertum Baranowſki Premislienſem, & Regni noſtri Vicecancellarium, Petrum Koſtka de Stangenberg Culmenſem, Laurentium Geſlicki Chelmenſem, eadem Gratia Epiſcopos, & Ottonem Szenking nominatum Vendenſem, Joannem Kiſzka de Cieckanowiec Caſtellanum Vilnenſem, Capitaneum Breſtenſem in Litvania, Petrum de Potulicze Palatinum Caliſſienſem, Capitaneum Viſogrodenſem, Joannem Hlebowicz Palatinum Trocenſem, Capitaneum Radoſzkovienſem, Conſtantinum Ducem in Oſtrog, Palatinum Kiiovienſem, Marſchalcum Terrarum Volhyniæ, Capitaneum Włodomirienſem, Joannem a Sienno Podoliae, & Capitaneum Hrodlenſem, Czorſtinenſemque, Stanislaum Goſtomski de Lezenice Ravenſem, & Capitaneum Radomienſem, Nicolaum a Dzialyn Culmenſem, & Capitaneum Bratianenſem Palatinos. Stanislaum Comitem a Tarnow Caſtellanum Sandomirienſem, Capitaneum Buſcenſem, Stobnienſemque, Joannem Comitem a Tenczyn Voynicenſem, Praefectum Cubiculi noſtri Lublinenſem, Parcovienſemque Capitaneum, Stanislaum Wlodek de Hermanow Leopolienſem, & Capitaneum Halicienſem, Colomienſemque, Joannem Lesniowolſki Czernenſem, & & Capitaneum Pernavienſem, Martinum Lesniowolſki Podlaſſenſem, & Capitaneum Ducatus Zatorienſis, Loſicenſem, Ioannem Myszkowski Zarnovienſem, Stanislaum Minſki Zakroczymenſem Caſtellanos, Andream Opalenſki de Brun Supremum Regni Mareſchalcum, Generalem Maioris Poloniae, Lezazſcenſem, & Sremenſem Capitaneum, Ioannem de Zamoyſcie Supremum Regni noſtri Cancellarium, & Generalem Exercituum, Belſcenſemque, Marieburienſem, Knyſzynenſem, Derpatenſem, Miedzirecenſem, Grodecenſem, & Javorovienſem Capitaneum, Leonem Sapieha Vicecancellarium Magni Ducatus Litvaniae, Słonimenſemque Capitaneum, Ioannem Dulſki Caſtellanum Culmenſem, Theſaurarium Regni Generalem, Branſcenſem, Rogoſnenſem, Svecenſem, Surazenſemque Capitaneum, Stanislaum Przieмſki Mareſchalcum Curiae Regni noſtri, Capitaneum Koninenſem, Georgium Farensbek Praeſidem Vendenſem. Ex Ordine vero Nuntiorum ad praeſentem Conventum ab univerſa Nobilitate ablegatorum, Generoſos Stanislaum Cikowſki de Woyslawice Succamerarium Cracovienſem, Sebaſtianum Lubomirſki Praefectum Salina-

Anno 1589.

ANNO 1589.

linarum Cracovienſium, Burgrabium Cracovienſem, & Capitaneum Dobczynenſem, Hieronymum Goſtomſki Caſtellanum Naklenſem, & Capitaneum Valcenſem, Adamum Czarnkowſki Capitaneum Pisdrenſem, Georgium Chodkiewicz Inciſorem Magni Ducatus Litvaniæ, Chriſtophorum Munvid Dapiferum Magni Ducatus Litvaniæ, Capitaneum Volkovienſem, Adamum Roſki *S*uccamerarium Oſmianenſem, Andream Koniecpolſki, Andream Malicki, Alexandrum Koniecpolſki Capitaneum Vielunenſem, *S*tanislaum Przeremſki, *S*ebaſtianum Karſnicki Vexilliferum Lancicienſem, *S*taniſlaum Czechowicz Marſchalcum Noſtrum, Vice-Capitaneum *S*amogitiæ, Ioannem Thomam a Drochoiow Capitaneum Premiſlienſem, Procopium Raſzko *S*uccamerarium Halicienſem, *S*taniſlaum Zolkiewſki Capitaneum Hrubieſzovienſem, Nicolaum Iaſtowiecki de Buczacz Capitaneum *S*niatynenſem, *S*taniſlaum Lanckoronſki de Brzezie Caſtellanum Halicienſem Capitaneum Skaſenſem, Andream Firley de Dombrowica Palatinidem Cracovienſem, Iacobum Lyſakowſki, Iacobum Povſza, Albertum Rakowſki Lectiſtratorem noſtrum, Ioannem Laſſocki, Procopium Oborſki, Ioannem Zamoyſki Pincernam Lomzenſem, *S*ecretarium noſtrum, Nicolaum Laſkowſki, Iacobum Pilchowſki, Gaſparum Dembinſki, *S*uccamerarium Mielnicenſem, Andream Ialbrzyk Wyſzynſki Tribunum Drochicenſem, Ioannem Pudlowſki Tribunum *S*ochaczovienſem, *S*taniſlaum Loknicki *S*ecretarium noſtrum, Mathiam Konopacki *S*uccamerarium Culmenſem, Ioannem *S*zorcz *S*uccamerarium Marieburgenſem, Capitaneum Kiſlovienſem, Laurentium Pieſzocinſki Succamerarium Braſlavienſem, Staniſlaum Koſtka de *S*tangenberg, Palatinidem Pomeraniæ, Andream Orzechowſki Capitaneum Laiſcenſem, & *S*igismundum Kazanowſki. Quibus quidem quemadmodum ſupra ſcriptum eſt, facultatem, poteſtatemque id commemoratum Juramentum ea forma, quae Transactione comprehenſa, ac praeſcripta eſt, ut in ſuam, ita omnium animam corporaliter elevatis digitis, in *S*ancta Dei Evangelia praeſtandi, tum ſi quae alia ad earum conditionem, perfectionemque pertinebunt, implendi, exequendi, adminiſtrandi omni meliore forma, iure, ac ſolennitate, qua id de iure fieri debet, commemoratae Conſtitutionis authoritate, iidem Ordines noſtri dederunt, dantque praeſentibus hiſce, hac nimirum ratione, & modo, ut ſi forte aliqui ex commemoratis Delegatis adeſſe non poterunt, caeteri nihilominus, qui praeſentes fuerint, aliorum abſentia non obſtante, cum Juramentum commemoratum praeſtent, tum caetera ad id pertinentia peragant. Quibus ita praeſtitis, eandem omnino authoritatem, ac vim commemorati Ordines tribuent, quam Leges, & Conſtitutiones in publicis Comitiis latae habere ſolent, promittentes ſub fide, & honore ſuo non ſecus obſtrictos, & obligatos iis fore, rataque, ac firma, quae acta, & iurata, a commemoratis Delegatis ſuis fuerint, habituros, quam ſi ab omnibus, & univerſis corporaliter iuramentum id praeſtitum, caeteraque, ſi quae ad alia pertinent, adminiſtrata eſſent. Quemadmodum quidem commemoratae Conſtitutionis vigore omni meliore forma, ac modo, iam ex hoc ipſo tempore, firmiter, ac bona fide ad ea ſe obligant, obſtringuntque, rata, ac firma habent. In quorum omnium fidem *S*igilla Regni noſtri, & Magni Ducatus Litvaniae hiſce appendi iuſſimus. Actum Varſaviae in Comitiis Regni noſtri die decima octava Menſis Aprilis, Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Octuageſimo Nono, Regni vero noſtri Anno *S*ecundo. Praeſentibus praeter hos, qui ad Actum hunc Delegati ſunt, Reverendiſſimis, Reverendis, Illuſtribus, Magnificis, & Generoſis Joanne Demetrio *S*olikowſki Dei Gratia Archiepiſcopo Leopolienſe, Hieronymo Comite a Rozdrazow Vladiſlavienſe, & Pomeraniae, Luca a Koſcielec Poſnanienſe, Petro Dunin Wolſki Polocenſe, Epiſcopis, Chriſtophoro Radziwil, Duce in Dubinki, et Bierze, Palatino Vilnenſe, Exercituum Magni Ducatus Litvaniae Praefecto, Kokenhauvenſe, Boriſlovienſe, *S*olecenſe, Urzędovienſeque Capitaneo, Nicolao Chriſtophoro Radzivil Duce in Ołyka, et Nieſwiez Caſtellano Trocenſe, Joanne *S*plawſki de Targowa Gorka Inovladiſlavienſe, Nicolao Herbort de Fulſtin, et in Dziedzilow Ruſſiae, et Capitaneo Tłumacenſe, Januſſio Duce in Oſtrog Volhiniæ, Georgio Zielenſki Plocenſe, & Capitaneo Zakroczimenſe Mławenſeque, Staniſlao Krzyſki de Drobnin Maſoviæ, Capitaneo Plocenſe, Staniſlavovienſeque, Staniſlao Radziminſki Podlaſziec Capitaneo Livenſe, Chriſtophoro Zienowicz Breſtianenſe in Litvania, & Capitaneo Ciecierienſe, Januſſio Duce in Zbaraz Braclavienſe, Capitaneo Pinſcenſe, Chriſtophoro Koſtka de Stangenberg Pomeraniæ, & Capitaneo Golubinenſe, Palatinis. Paulo Szczawinſki Lancicienſe, & Capitaneo Bielſcenſe, Curiæ Sereniſſimæ Reginæ Magiſtro, Nicolao Naruſzowic Samogitiæ, Chriſtophoro Koſcielecki

ANNO 1589.

ANNO 1589. lecki Inovladiſlavienſe, Michaele Myſzka Volhiniæ, Raphaele Sieniawſki Kamenecenſe, Petro Niſzczycki Belzenſe, Alberto Wilkanowſki Plocenſe, Joanne Goſtomſki de Lezenice Ravenſe, Staniſlao a Działyn Elbingenſe, Nicolao Firley de Dombrowica Bieczenſe, Referendario Curiæ Regni Novæ Civitatis Korzyn, Caſimirienſe Capitaneo, Georgio Mniſzech de Magna Kunczyce Radomienſe, Capitaneo Sanocenſe, Sokalienſe, Chriſtophoro Lanckoronſki de Brzezie Małogoſtenſe, Nicolao Herbort de Fulſtin Premiſlienſe, & Capitaneo Leopolienſe, Joanne a Drochoiow Sanocenſe, Felice Zelſki Dobrzynenſe, Joanne Oſſowſki Polanecenſe, Martino Falecki Roſpirienſe, & Capitaneo Batkovienſe, Strimenecenſeque, Alberto Podniewſki Oſwiecimenſe, & Capitaneo Dibovienſe, Simone Szubſki de Szczawin Inovlodenſi, Capitaneo Goſtinenſe, Hieronymo Paris Sochaczovienſe, Martino Mezynſki Viſnenſe, Staniſlao Paris Livenſe, & Capitaneo Czernenſe, Sebaſtiano Tarnawſki Conarienſe Caſtellanis, Alberto Radzivil Duce in Olika, & Nieſwiez Magni Ducatus Litvaniæ Supremo Marſchalco, Kovnenſeque Capitaneo, Theodoro Skumin Theſaurio M. D. L. Olitenſeque Capitaneo, nec non Palatinatuum atque Terratum Legatis. *Ex Palatinatu Cracovienſi:* Nicolao Zebrzydowſki, Generali Cracovienſe, Lanckorunenſe, Boleſlavienſeque, Petro Myſkowſki Oſwiecimenſe, Oycovienſeque, Procopio Pieniązek Vendenſe, Capitaneis, Martiano Chełmſki Vexillifero Cracovienſe, Baltazaro Porembſki. *Ex Poſnanienſi:* Joanne Koſcielecki Caſtellano Miedzyrecenſe, & Capitaneo Bidgoſtienſe, Joanne Gaiewſki Judice Poſnanienſe, Andrea Czarnkowſki. *Ex Vilnenſi:* Joanne Pac Pocillatore Magni Ducatus Litvaniæ, Melchiore Pentkowic Notario Terreſtri Vilnenſe, Andrea Zawiſza, Andrea Dawidowic. *Ex Palatinatu Sandomirienſi:* Staniſlao Gołuchowſki Succameratio Sandomirienſe, Joachimo Ocieſki Capitaneo Olſtynenſe, Staniſlao Szafraniec de Pieſkowa ſkała Tenutario Volbramenſe, Joanne Firley. *Ex Palatinatu Caliſſienſi:* Joanne Orzelſki Capitaneo Coſtenſe, Andrea Przyiemſki, Staniſlao Czarnotulſki. *Ex Palatinatu Trocenſi:* Joanne Szawic Richorſki Locumtenente Trocenſe, Demetrio Chalecki Theſaurario Magni Ducatus Litvaniæ, Nicolao Sapieha Succamerario Grodnenſe, Franciſco Gradowſki Marſchalco noſtro, Michaele Sumorok Notario Terreſtre Kovnenſe, Staniſlao Białłozor Judice Terreſtri Upitenſe, Gaſpare Kielcz. *E Terra Samogitiæ:* Sebaſtiano Sebaſtianowicz Tribuno Samogitiæ, Melchiore Szemioth. *E Palatinatu Siradienſi:* Staniſlao Bykowſki Caſtellano Konarienſe, & Capitaneo Siradienſe, Staniſlao Karſznicki Judice Siradienſe. *E Terra Vielunenſi.* Georgio Radoſzewſki Succamerario, Petro Olewinſki Vicecapitaneo Vielunenſe. *E Palatinatu Lancicienſe:* Staniſlao Kuczynſki Succamerario Goſtinenſe, Joanne Karnkowſki Capitaneo Lancicienſe. *E Breſtenſi:* Ianuſſio Ruſimſki Caſtellano Kowalienſe, Michaele Sokołowſki Breſtenſe, & Rogoſnenſe Capitaneo. *E Palatinatu Kiiovienſi:* Stephano Loſza Pocillatore Kiiovienſe, Iacobo Pouſza. *E Palatinatu Junovladiſlavienſi:* Adamo Balinſki Capitaneo Kruſzwicenſe, Andrea Raykowſki. *E Terra Dobrzinenſi:* Valentino Czerſki, Michaele Działynſki. *E Palatinatu Ruſſiæ:* Nicolao Zolkiewſki Succamerario, Ioanne Herbort Vexillifero Leopolienſe, Fredro Tribuno Samborienſe, Staniſlao Kopycinſki Iudice Terreſtri Halicienſe, Staniſlao Koropatwa, Paulo Orzechowſki Succamerario Chełmenſe, Nicolao ab Oſtrorog, Ioanne Bieikowſki Dapifero Premiſlienſe, Eraſmo Herbort de Fulſtin. *Ex Palatinatu Volhiniæ:* Theodoro Rudecki, Venceſlao Bocsowitin, Iacobo Liſakowſki, Theodoro Zahorowſki, Gabriele Chyſki, Baſilio Bałbas. *Ex Palatinatu Podoliæ:* Iacobo Pretficz, Capitaneo Trembovlienſe, Andrea Potocki, Sigismundo Biazewſki. *Ex Palatinatu Lublinenſi:* Adamo Goraiſki, Staniſlao Ryſzkowſki. *Ex Palatinatu Plocenſi:* Michaele Sokolinſki, Baſilio Renth. *Ex Belſenſi:* Iacobo Wozucinſki Tribuno, Martino Rogalia Subiudice Bełzenſe, Martino Oleſnicki, Staniſlao Cieſzanowſki. *Ex Novogrodenſi:* Baſilio Zienkowic Marſchalco noſtro, Gregorio Uniechowſki, Ioanne Mieleſzko Succamerario Mozirenſe, Conrado Mieleſzko, Andrea Iundzil Marſchalco noſtro. *Ex Plocenſi:* Staniſlao Garwaſki Notario Terreſtri Plocenſe, Staniſlao Koſſobucki Notario Terreſtre Zavlczenſe, Felice Kryſki Palatinide Maſoviæ. *Ex Vitepſcenſi:* Ioanne Danilowic Chrapowicki Vexillifero Vitepſcenſe, Baltazaro Starofielſki Subiudice Vitepſcenſe, Gregorio Sapieha Succamerario Orſzanenſe, Theodoro Chorſki. *Ex Palatinatu Maſoviæ:* Alberto Reczayſki Caſtellano Varſavienſe, & Capitaneo Koralienſe, Staniſlao Uchanſki, Chriſtophoro Juaczenſki, Notario Viſnenſe, Floriano Kryſki Tribuno Zakrocimenſe, Alberto Kryſki Palatinide Maſoviæ, Nicolao Wilkanowſki, Petro Niſzczycki

ANNO 1589.

ANNO 1589. ſzczycki Capitaneo Przaſnicenſe, Franciſco Kraſinſki Iudice Ciechanovienſe, Ioanne Podoſki Capitaneo Roſanenſe, Laurentio Przeradowſki, Joanne Grodzicki, Staniſlao Zaliwſki Judice Livenſe, Adriano Dobriniecki, Felice Obrzycki. *Ex Palatinatu Podlachiæ:* Arnolpho Hlebowicz Vexillifero, Joanne Wodinſki Pocillatore Drohicenſe, Bartholomæo Groth Tribuno Mielnicenſe, Petro Pietkowſki Notario Bielſcenſe, Nicolao Jalbrzyk Wyſzynſki. *Ex Palatinatu Ravenſi:* Staniſlao Plihta Dapifero Sochaczovienſe, Ioanne Ciechomſki Iudice Goſtinenſe, Paulo Ciechomſki, Ioanne Kroſnowſki. *Ex Palatinatu Breſtianenſe in Litvania:* Nicolao Pac Succamerario Breſtianenſe, Staniſlao Szerma Tribuno, Michaele Dulſki Subiudice Pinſcenſibus. *Ex Palatinatu Culmenſi:* Ioanne Plemecki, Daniele Plemecki. *Ex Mſciſtavienſi:* Hieronymo Maſſalſki. *Ex Mariemburgenſi:* Georgio Zalinſki Iudice Marieburgenſe. *Ex Bractavienſi:* Nicolao Mikulinſki Notario Braclavienſe. *Ex Pomerania:* Georgio Klinſki, Reinholdo Krokowſki, Mathia Niewieſlinſki, Chriſtophoro Konarſki, Ioſua Ianowicz. *Ex Palatinatu Minſcenſi:* Ioanne Bykowſki Tribuno Minſcenſe, Ioanne Chorſki, Stephano Loveyko Tribuno Mozerenſe, Alexandro Indzicki Subiudice Rzeczinenſe. *Ex Livonia:* Henrico, & Ioanne Tyſenhauſiis in Berzon, Gvilehlmo a Rozen, Bartholomæo Oſtromecki, & aliis compluribus Secretariis, Officialibus, & Aulicis noſtris.

SIGISMUNDUS *Rex.*

*Joannes Zamoyſki Cancellarius Regni Poloniæ, & Generalis Capitaneus.*

*Leo Sapieha Cancellarius M. D. L.*

LIX.

*Juramentum* SIGISMUNDI III. *Regis Poloniæ, quo eandem Tranſactionem confirmat.* Dat. Lublini die 24. Maii Anno 1589. *Ex Originali.*

SIGISMUNDUS Tertius Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque &c. nec non Regni Sveciæ proximus Hæres, & futurus Rex, Recognoſcimus, & Præſentibus profitemur. Cum Legatus Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Reverendiſſimus in Chriſto Pater, Dominus Andreas Epiſcopus Wratiſlavienſis, & Supremus utriusque Sileſiæ Capitaneus, ad diem decimam quintam Menſis Maii in formula Tranſactionis, inter utriusque Partis Commiſſarios Bithomiæ, & Bendzini congregatos initæ præſtitutam iuſtis de cauſis adeſſe non potuiſſet, poſteæ etiam propter Feſta Pentecoſtes, ſub quæ ad Nos venerat, poſtulationem hanc Iuramenti, aliarumque rerum, quæ ad commemoratæ Tranſactionis perfectionem pertinerent, differri poſtulaſſet, Nos in meliorem partem id interpretatos benigne, ſane hucusque rem diſtuliſſe, hodierna autem die vigeſima quarta Menſis Maii Sereniſſimo, & Excellentiſſimo Principi Domino RUDOLPHO II. Divina favente Clementia Electo Rom. Imperatori ſemper Auguſto, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Regi, Archiduci Auſtriæ, Duci Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Virtembergæ, &c. Comiti Tyrolis, &c. Fratri, & Conſangvineo noſtro chariſſimo, fidei puræ, & perfectæ ſervandæ, maximeque in Tranſactionem inter commemoratam Sacræ Cæſareæ Maieſtatis, univerſæque Sereniſſimæ Domus eius Auſtriacæ parte ab una, & noſtro, Ordinumque noſtrorum nomine deputatos ab altera Commiſſarios Bithomiæ, & Bendzini congregatos, inter Nos, Regnaque & Ditiones noſtras factam voto Iuramenti, Sanctis Dei Evangeliis, per Nos corporaliter tactis præſtiti, de certa ſcientia, & conſilio noſtro ſancte Nos obligaſſe, obſtrinxiſſeque. Quod quidem iuramentum ſeu Fidei Sacramentum ſequentibus præſtitum, a Nobis eſt. ANNO 1589.

*Ego* SIGISMUNDUS III. *Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque, &c. nec non proximus Hæres Regni Sveciæ, & futurus Rex iuro, ſpondeo, promittoque coram Deo per hæc Sancta Eius Evangelia, quod omnia ea, quæ Sanctiſſimus Dominus noſter, Legatique eius de Latere Reverendiſſimi Cardinalis Aldobrandini interventu inter Commiſſarios meos ex una, & Cæſareæ Maieſtatis, univerſæque Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ parte ex altera Bithomiæ, et Bendzini congregatos convenerunt, in omnibus eorum punctis, & clauſulis, firmiter, inviolabiliterque obſervabo, iisque ſatisfaciam, pro eoque cum Cæſarea Maieſtate, Sereniſſimis Fratribus, & Patruis eius, univerſaque Domo Auſtriaca, Regnis, Ditionibus, & Hominibus eorundem iuxta eandem Tranſactionem, Pacta perpetua, ac Fœdus, Pacem, amicitiamque perpetuo, conſtanterque colam. Sic me Deus adiuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.*

ANNO 1589. Quod quidem ſupraſcriptum Iuramentum Nos eidem ſancte obſervare, neque unquam contra illud venire, præſentium etiam Literarum harum teſtimonio promittimus, ſpondemuſque, maioris fidei cauſa manu noſtra haſce ſubſcripſimus, Sigilloque Maieſtatis noſtræ muniri mandavimus. Datum Lublini Die vigeſima quarta Menſis Maii Anno Domini Milleſimo quingenteſimo, Octuageſimo Nono Regni noſtri Anno ſecundo. Præſentibus Illuſtriſſimis, Reverendiſſimis, Reverendis, Nobilibus, & Strenuis Annibale de Capua, Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia Archiepiſcopo Neapolitano ad Nos in Regnum noſtrum Poloniæ Sanctæ Sedis Apoſtolicæ cum poteſtate Legati de Latere Nuntio, Domino Andrea Ierin eadem Gratia Epiſcopo Vratislavienſe, utriusque Sileſiæ Supremo Capitaneo, & Sacræ Caeſareae Maieſtatis ad Nos Legato, Paulo Alberto Sacræ Theologiæ Doctore, Eccleſiæ Cathedralis Vratislavienſis Scholaſtico, & ad Sanctam Crucem Canonico, Curiæ Epiſcopalis Vratislavienſis Judice, Aloyſio Brancalio Canonico Neapolitano, Fabiano Indello Canonico Neapolitano, Andrea Boba Presbytero a Maltis, & Dippoldiſualdaw, Epiſcopatus Vratislavienſis Capitaneo, ſuæ Reverendiſſimæ Dominationis Conſiliario, Nicolao Schirowſki a Schirow Conſiliario, Ulrico Kren a Krenberg Cancellario, Venceslao Gomero Conſiliario, Ioanne Kuna Collegiatæ Eccleſiae Niſſenſis ad S. Ioannem, & Nicolaum Canonico, Praecentore Svidnicenſe, Iacobo Heins Secretario.

SIGISMUNDUS REX.

IOANNES PIOTROWSI *Decanus Poſnanienſis Scholaſticus Lancicienſis Canonicus Cracovienſis Secretarius ſcilicet.*

## LX

*Iuramentum Delegatorum ab Ordinibus Regni Poloniæ* Dat. Lublini die 24 Maii Anno 1589. *Ex Originali.*

Nos infraſcripti Bernardus Macieiowſki Luceorienſis, Albertus Baranowſki Premislienſis Vicecancellarius, Petrus Koſtka de Stangenberg Culmenſis, Otto Schenking Nominatus Vendenſis, Epiſcopi, nec non Joannes Kiſzka de Ciechanowiec Caſtellanus Vilnenſis, Capitaneus Breſtenſis in Litvania, Ioannes Hlebowicz Palatinus Trocenſis, Capitaneus Radoſzkovienſis, Conſtantinus Dux in Oſtrog Palatinus Kiovienſis, Marſchalcus Terrarum Volhyniæ, Capitaneus Vłodimirienſis, Ioannes a Sienno Podoliæ, & Capitaneus Horodlenſis, Czorſtinenſiſque, Nicolaus a Działyn Culmenſis, & Capitaneus Bratianenſis, Palatini, Stanislaus Comes a Tarnow Caſtellanus Sandomirienſis, Buſcenſis, Stobnicenſiſque Capitaneus, Joannes Comes a Tenczyn Voynicenſis, Præfectus Culinæ Regni, Lublinenſis, Parcovienſiſque Capitaneus, Joannes Leśniowolſki de Obory Czernenſis, & Capitaneus Pernavienſis, Martinus Leśniowolſki de Obory Podlaſſienſis, & Capitaneus Ducatus Zatorienſis, Loſſicenſiſque, Joannes Myſzkowſki Zarnovienſis, Stanislaus Miński Zakrocimenſis, Caſtellani, Andreas Opaleński de Bnin Supremus Regni Marſchalcus, Generalis Maioris Poloniæ, Lezaiſcenſis, Sremenſisque Capitaneus, Ioannes de Zamoście Supremus Regni Cancellarius, & Generalis Exercituum, Bełzenſis, Marieburgenſis, Knyſzynenſis, Derpatenſis, Miedzirecenſis, Grodenſis, & Iavorovienſis Capitaneus, Leo Sapieha Cancellarius Magni Ducatus Litvaniæ, Słonimenſiſque Capitaneus, Ioannes Dulſki Caſtellanus Culmenſis Theſaurarius Regni Generalis, Branſcenſis, Svecenſis, Surazenſiſque Capitaneus, Stanislaus Przyiemſki Marſchalcus Curiæ Regni Capitaneus Roninenſis, Georgius Farensberg Hæres Karkuſy, Præſes, Vendenſis, Nobilitatis Livoniæ in militia Præfectus, Tauraſenſiſque Capitaneus, Stanislaus Ciakowſki de Voyslavice Succamerarius Cracovienſis, Georgius Chotkiewicz Inciſor Magni Ducatus Litvaniæ, Chriſtophorus Munvid Dapifer M. D. L. Capitaneus Volkovienſis, Andreas Roſki Succamerarius Oſmianenſis, Andreas Koniecpolſki, Stanislaus Przerembſki, Sebaſtianus Kraśnicki Vexillifer Lancicienſis, Stanislaus Czechowicz, Vicecapitaneus Samogitiæ, Procopius Raſzko Succamerarius Halicienſis, Stanislaus Zołkiewſki Capitaneus Hrubieſzovienſis, Nicolaus Iazłowiecki de Buczacz Capitaneus Sniatynenſis, Stanislaus Lanckoroński de Brzezie Caſtellanus Halicienſis, Andreas Firley de Dambrowica Caſtellanus Małogoſtenſis, Iacobus Lyſzakowſki, Albertus Rakowſki Lectiſtrator Regius, Ioannes Laſocki, Procopius Oborſki, Ioannes Zamoyſki Pincerna Łomzenſis, Secretarius Regius, Nicolaus

ANNO 1589.

Anno 1589. laus Laskowski, Iacobus Pilchowski, Gaspar Dembiński Succamerarius Mielnicensis, Andreas Ialbrzyk Wyszyński Tribunus Drochicensis, Stanislaus Loknicki Secretarius Regius, Ioannes Szorcz Succamerarius Marieburgensis, Capitaneus Kissoviensis, Laurentius Pieszociński Succamerarius Błasławiensis, Stephanus Kostka de Stangenberg Palatinides Pomeraniæ, Andreas Orzechowski Capitaneus Layensis, Significamus Præsentibus hisce quorum interest, Universis & singulis. Cum inter Sacræ Cæsareæ Maiestatis, Universæque Sereniſſimæ Domus Austriacæ ab una, & Sereniſſimi Principis, & Domini Domini Sigismundi Tertii Dei Gratia Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ &c. parte ab altera Commissarios Bithomiæ, & Bendzini congregatos, inter commemoratos, Sereniſſimosque Principes nostros certis conditionibus, & Legibus firma, ac perpetua Pax, & amicitia constituta esset, Legatusque Sacræ Cæsareæ Maiestatis Reverendiſſimus in Christo Pater Dominus Andreas Ierin Episcopus Vratislavienſis, & Supremus utriusque Silesiæ Capitaneus, ad diem decimam quintam Mensis Maii in Formula Transactionis inter utriusque Partis Commissarios Bithomiæ, & Bendzini initæ præstitutam, iustis de causis adesse non potuisset, postea etiam propter Festa Pentecostes, sub quæ ad Sacram Regiam Maiestatem, Dominum nostrum Clementiſſimum venerat, præstationem Iuramenti, aliarumque rerum, quæ ad commemoratæ Transactionis perfectionem pertinerent, differri postulasset. Nos die hodierna vigesima quarta Mensis Maii, Regni Poloniæ, Magni Ducatus Litvaniæ, Russiæ, Pussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæque &c. omnium Ordinum nomine, in eandem Transsactionem corporale Iuramentum sequentibus verbis præstitisse.

*Iuramus Spondemusque coram Deo, omnium Regni Poloniæ, Magni Ducatus Litvaniæ, &c. Ordinum nomine, quod omnia ea, quæ inter Sacræ Cæsareæ Maiestatis, cæterorumque Sereniſſimorum Principum Austriacorum &c. Commissarios ex una, & Sereniſſimi Principis; & Domini Domini* Sigismundi III. *Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, &c. parte ex altera, Ordinumque Regnorum, & Dominiorum utriusque partis Bithomiæ, & Bendzini congregatos convenerunt, firmiter, inviolabiliterque observabimus. Ordinesq; universi in perpetuum observabunt, Sereniſſimis Principibus nostris, ut observent, authores semper erimus, neque ut aliter fiat, assensum, consilium, aut auxilium nostrum unquam præstabimus, sed eandem Transactionem, & Pacta omnibus viribus tuebimur, Ordinesque universi perpetuis temporibus tuebuntur. Sic Nos Deus adiuvet, & hæc Sancta Evangelia.* Quod suprascriptum Iuramentum quemadmodum, & commemoratam Transactionem in omnibus eius punctis, & clausulis sancte, firmiter, inviolabiliterque observare, neque unquam in ullo contravenire illis promittimus, spondemusque. In quorum omnium fidem, & evidentius testimonium hasce manibus nostris subscripsimus, Sigillisque nostris obsignavimus. Datum Lublini die 24 Mensis Maii Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Octogeſimo nono, Præsentibus Illustriſſimis, Reverendiſſimis, Reverendis &c. ut supra. Anno 1589.

## LXI.

Rudolphi *Imperatoris Ratificatio, & Confirmatio eiusdem Transactionis.* Datum Pragæ d. 26 Maii Anno 1589. *Ex Originali.*

Rudolphus Secundus Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Marchio Moraviæ &c. Dux Lucemburgiæ, ac Superioris, & Inferioris Sileſiæ, Wirtembergæ, & Teckæ, Princeps Sveviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac Superioris, & Inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, Salinarum &c. Significamus, quorum intereſt, intereritve, huius, & futuri temporis universis, & singulis. Cum Sanctiſſimi Domini Sixti Quinti Summi Pontificis, Legatique eius de Latere Reverendiſſimi Domini Hyppoliti Sacræ Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Cardinalis Aldobrandini, & Summi Paenitentiarii interventu, inter Commissarios Sereniſſimæ Domus nostræ Austriacæ ab una, & Sereniſſimi Principis Domini Sigismundi Tertii Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ &c. ab altera

ANNO 1589. otera partibus, Bithomiæ, & Bendzini congregatos firma, perpetua, ac ſtabilis Pax, & amicitia inter commemoratam Sereniſſimam Domum noſtram, Sereniſſimumque Regem Poloniæ, atque utriuſque Regna, & Ditiones certis conditionibus, & Legibus conſtituta eſſet, Noſque Tranſactionem eam pro noſtra etiam parte ex Tranſactionis eiuſdem Formula nominatim etiam confirmare, ratamque habere debeamus: Nos præſentibus hiſce Literis noſtris eandem Tranſactionem ad verbum inſerendam, edendam, confirmandam, omnemque authoritatem, & aſſenſum noſtrum harum teſtimonio adhibendum ei duxiſſe. Cuiusquidem Tranſactionis tenor infraſcriptus ſequitur. *Nos infraſcripti* &c. &c. Nos igitur RUDOLPHUS II. Dei Gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ &c. ſupra inſertam Tranſactionem, omniaque & ſingula eiuſdem Capita, Conditiones, clauſulas confirmamus, approbamus, rata habemus, corroboramus, & præſentibus Literis noſtris ſub fide ac verbo *P*rincipis noſtro, ſub quo onere præſtiti Iuramenti ad ea Nos obligamus, promittentes, ſpondenteſq; ea Nos, & omnia, ac ſingula in eis contenta, & expreſſa inviolabiliter obſervaturos, & adimpleturos, & in nullo directe, vel indirecte clam vel aperte unquam illis contraventuros bona fide, dolo & fraude ſemotis. In quorum omnium fidem & evidentius teſtimonium has *P*ræſentes manu noſtra ſubſcripſimns, & *S*igilli noſtri *C*æſarei appenſione communiri iuſſimus. Datum in Arce noſtra Regia *P*ragæ die Vigeſima Sexta Menſis Maii Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Octuageſimo Nono. Regnorum Romani Decimo quarto. Hungarici Decimo ſeptimo, Bohemici itidem Decimo quarto.

RUDOLPHUS.

ADAMUS *de Nova Domo S. R. Bohemiæ Cancellarius.*

*Ad Mandatum S. Cæſareæ Maieſtatis proprium.*

OSVALDUS *de Schoenfeld.*

SEBAST HEUGEL.

## LXII. ANNO 1589.

*Tractatus Fœderis inter* RUDOLPHUM II *Imp. Hungariæ, &c. & Bohemiæ Regem, ac* SIGISMUNDUM III *Regem Poloniæ concluſi, quo priora Pacta, & Fœdera inter Domum Auſtriæ, ac Reges, & Regnum Poloniæ inita renovantur, inſtaurantur, & confirmantur.* Datum Pragæ die 26 Maii An. 1589. *Ex Orig.*

RUDOLPHUS II Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae &c. Rex, Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, &c. Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac Superioris, & Inferioris Sileſiæ, Wirtembergæ, & Teckæ, Princeps Sueviæ, Comes Habſpurgi, Tirolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravius Alſatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac Superioris, & Inferioris Luſatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, & Salinarum &c. Et Nos SIGISMUNDUS TERTIUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, nec non eadem Gratia deſignatus Rex Sueciæ, & Magni Ducatus Finlandiæ Hæres &c. tenore Præſentium recognoſcimus, ac notum facimus Univerſis, & ſingulis, præſentibus & futuris harum notitiam habituris. Quandoquidem qui Chriſti locum in terris gerunt, eos in hoc elaborare maxime decet, ut cuius locum obtinent, eius veſtigiis incedant. Nos memoria tenentes, quod non aliunde poteſtas noſtra ſit, quam ab eo, a quo Nomen ducimus, cuius appellatione cenſeri volumus, Domino noſtro JESU Chriſto, qui, quos ipſe Nobis ſubiecit Nobis populos, eos loco ſuo regere Nos voluit, & gubernare, huc omnes curas, & cogitationes noſtras convertendas duximus, ut quatenus id humanitus præſtari poteſt, adiuvante eo, cuius id ſolius munere contingit, quam proxime ad ſimilitudinem eius accederemus, per quem Reges regnant, Principes imperant, & Potentes decernunt iuſtitiam, ſed eam ſolam, qua ſocietas hominum inter ipſos continetur, dilectionem, qua nos prior ipſe præter meritum ullum proſequutus eſt, imitari voluit, ut ſicut ipſe dilexit Nos, ita & ipſi viciſſim diligeremus invicem, ac Pacem, Concordiam, Tranquillitatem-

que

ANNO 1589. que mutuam inter eos conſervaremus, neque poteſt illi Sacrificium ullum a mortalibus offerri gratius, quam ſit fraterna charitas inter unius corporis membra. Hanc illius dilectionem, qui Nobis tot Civitates, tot Populos, lingua, moribus, habitu inter ſe diſſidentes, tot tam late patentes Provincias, tot ampliſſima Regna ſubiecta eſſe voluit, præcipue pro virili noſtra imitandum eſſe duximus. Itaque cum inter recolendæ memoriæ Maiores noſtros, iam inde a longiſſimo tempore certamen amoris, benevolentiæque mutuæ ſuſceptum fuiſſe cognoviſſemus, cuius rei tanquam Teſtes ſunt Pactorum, & Fæderum Literæ, quæ inter noſtras Auſtriæ, & Jagelloniam Domum, quæque inter utriusque Domus Regna, Imperia, Provincias, & Nationes, nominatim vero, quæ inter quondam ALBERTUM Archi-Ducem Auſtriæ, cum quondam CASIMIRO Poloniæ Rege, & Divum FRIDERICUM Imperatorem cum eodem CASIMIRO Rege, poſtea vero etiam inter recolendæ memoriæ FERDINANDUM & MAXIMILIANUM Imperatores, cum itidem recolendæ memoriæ SIGISMUNDO AUGUSTO Rege interceſſerunt. Nos Maiorum noſtrorum exemplo provocati, qui ſummam ſemper inter ſe neceſſitudinem, & amicitiam conſervare ſtudebant, atque eam arctis præterea affinitatis vinculis fortius colligabant, quam ut diſſolvi facile poſſet, ea nimirum Pacta, & Fædera, quæ inter præfatos Maiores noſtros, quondam ALBERTUM, FRIDERICUM, FERDINANDUM, MAXIMILIANUM II. & CASIMIRUM, SIGISMUNDUMque AUGUSTUM obſervata fuerunt, id quod felix, fauſtum, & fortunatum DEUS eſſe velit, utrique noſtrum, ac utriusque Noſtrum Imperiis, Regnis, Terris, Civitatibus, Populis, & Nationibus in Dei Optimi Maximi nomine, a quo tanquam fonte perenni manat, quidquid bonarum eſt rerum, inter Nos quoque ad vitam ſaltim noſtram continuanda, confirmanda, inſtauranda, & renovanda, atque ad ea declaranda, corroboranda, & amplificanda duximus, ita, ut continuamus, confirmamus, inſtauramus, renovamus, declaramus, corroboramus, & amplificamus, Præſentium per tenorem. Ac primum quidem ſicut in Literis quondam ALBERTI Archi-Ducis præſcriptumeſt, Nos omni honore, fide, & amore Nos invicem proſequi, & promovere debemus, & volumus in locis omnibus, & temporibus, ubi Nobis id faciendi ſe facultas obtulerit, citra dolum, & fraudem aliquam, neque committemus unquam, ut alter alteri, aut familiaribus, eius, Vaſallis, & Subditis quibuscunque, Regnis, Ducatibus, Terris, & Civitatibus ei ſubiectis, & ſub eius obedientia, & defenſione conſtitutis, quacunque ex cauſa bellum inferamus, inimicitias denuntiemus, diffidemus, aut hoſtiliter eos impetamus, per Nos, aut per ſubmiſſas Perſonas fraude, & dolo ſemotis: ac non modo ipſi ab eiusmodi rebus abſtinebimus, verum etiam Subditos noſtros, & quicunque in fide poteſtateque noſtra ſunt, eos prohibebimus, ac ab omni vi, modo ſuperius deſcripto temperare ſibi cogemus. Habebunt etiam poteſtatem Homines noſtri, cuiuſcunque Status, & conditionis fuerint, in quibuſcunque Terris, Dominiis, Civitatibus noſtris, & noſtræ obedientiae ſubiectis agendi, & commorandi, atque etiam inde libere ac ſecure, cum illis viſum fuerit, diſcedendi. Deinde ſicut etiam Literis Divi FRIDERICI cautum eſt, ita Nos invicem uniendos, obligandos, alligandos, confaederandos duximus, quemadmodum unimus, obligamus, promittimus, alligamus, confaederamus Praeſentibus, quod ex tempore ipſo, perpetuo realiter, & cum effectu invicem, & mutuo obligati, & confaederati ſimus, & erimus, & inter Nos, & Subditos noſtros, nec non Regna, Principatus, & Dominia, quae nunc uterque noſtrum poſſidet, conſtans, & perpetua, indiſſolubilis, & Chriſtiana Pax eſſe, & ſervari debet, & debebit, & in omnibus utriusque noſtrum honorem, dignitatem, ſtatum, augmentum concernentibus, & concernere valentibus mutuo Nobis auxiliabimur, conſulemus, invicem promovebimus, & aſſiſtemus, nec alteruter noſtrum quicquam faciet, cupiet, pertractabit, aut molietur, quod contra alterutrum noſtrum, Regna, Principatus, Dominia, ſubditos, honorem, ſtatum, dignitatem, aut augmentum ſit, ſeu eſſe, aut tendere poſſit. Neque noſtrum alter alteri, ipſius Regnis, Principatibus, Dominiis, & ſubditis bellum, damnum, aut quodvis aliud nocumentum inferet, nec a ſuis quovis quaeſito colore inferri permittet, ſed quilibet noſtrum contra ſubditos ſuos, qui huiusmodi faciunt, aut facere, & moliri vellent, totis viribus ſuis, & potentia in Terris, & Dominiis ſuis conſurget, & eos pro huiusmodi exceſſibus pæna condigna puniet, & caſtigabit, donec damnorum datorum integram compenſationem, & refuſionem faciant. Præterea nullus noſtrum ad alterius Regna, Principatus, & Dominia aſpirare, aut anhelare debet, nec alterius noſtrum Regna, Principatus, Dominia, & ſubditos, ſi quos (quod Deus avertat,) ab alterutro noſtrum deficere, recedere, aut rebellare contingeret con-

Anno 1589. tra alium, eius Regna, Principatus, Dominia, & ſubditos ſuſcipere, tenere, protegere, iuvare, aſſiſtere, neque conſulere, aut favore proſequi debet, neque a ſuis talia fieri patiatur; ſed contra tales infideles unus alteri auxiliabitur, & aſſiſtet, atque Dominiis ſuis eos excludet. Si vero alter noſtrum eius Regna, Principatus, aut ſubditi contra alterum, ſubditos ipſius, Principatus, aut Dominia, actionem realem, ſeu perſonalam, civilem, ſeu criminalem, aut qualemcunq; querelam habet, aut inpoſterum habuerit, ſi ſuper ea non potuerimus amicabiliter concordare, tum neque ipſe, neque ſubditi eius contra alterum, ipſiusque ſubditos, Regna, Principatus, & Dominia quicquam via facti attentare, neque ſibi ipſi ius dicere, aut ulciſci, ſed ſuper eo iure, & non aliter experiri debet. Cæterum pro maiori ſuprascriptorum Fœderum declaratione, proq; tranquilliori ſubditorum noſtrorum ſtatu, quiete, & bonæ vicinitatis conſervatione, & quo firmior inter Nos, Regna, & ſubditos noſtros Pax, amicitia, & benevolentia perpetuo conſtare queat, utque omnes diſſidiorum cauſæ, quoad eius fieri poteſt, præſcindantur, ordinamus, ſtatuimus, declaramus, & volumus, quod cum initio ſcriptum eſt, quod mutua Nobis auxilia ferre debemus, quomodo alter alteri auxilia ferre velimus, id in arbitrio utriusque noſtrum, & Ordinum Regnorum noſtrorum poſitum eſſe debere, hoc tamen expreſſo, ut liceat utrique noſtrum ex Terris, & Provinciis alterius voluntarios Milites ære ſuo conductos educere, & arma in uſum ſuum exportare, hactenus tamen milites educere liceat, quatenus id ſciente fiat altero noſtrum, neque ſit alteruter noſtrum bello ſuo proprio contra hoſtes aliquos ſuos impeditus. Hoſtibus vero ne id liceat, neve favor ullus præſtetur, qui alteri obeſſe poſſit, ita tamen, ut nedum iuxta præſcripta Maiorum noſtrorum Fœdera, nullus noſtrum alteri vel ipſius Regnis, Principatibus, Dominiis, & ſubditis bellum, damnum, aut quodvis aliud nocumentum inferre, ſed neque alterius hoſtes, aut rebelles fovere, protegere, ſeu eis aſſiſtere, vel favorem, conſilium, aut auxilium quovis modo præſtare debeat. Volumus præterea, vias, & flumina publica, nec non Commercia, & negotiationes mutuas per Regna, & Provincias noſtras omnibus, & ſingulis Regnicolis, Provincialibus, & ſubditis noſtris tam terra, quam aqua utrinque libera eſſe, nec ullis unquam interdictis, arreſtationibus, ſeu repreſſaliorum conceſſionibus impediri, ſed utriusque noſtrum ſubditos, in alterius Regnis, & Dominiis libero tranſitu, ac fide publica, quem Salvum Conductum vocant, non minus quam proprios cuiusque ſubditos gaudere, uti, ac frui poſſe, & debere. Nec denique cuiquam noſtrum, aut his, qui Nobis ſubditi ſunt, querelas, & actiones ſuas, ſi quæ iam ſunt, vel futuris temporibus oboriantur, aliter quam mediante Jure proſequi liceat. Ut autem omnis vel protelatæ, vel denegatæ iuſtitiæ querela tam inter Nos, quam ſubditos noſtros hinc inde præcaveatur, ſed cuique expeditum Jus, & iuſtitia ſummarie, & de plano adminiſtrari, eiusdemque debita executio effectualiter obtineri valeat, convenimus, & concordavimus, quod ſi quis noſtrum, vel unius noſtrum ſubditi, contra alterius unum, vel plures privatos ſubditos actiones ſive perſonales, ſive reales intentarent, tunc ſemper Pars agens, forum, & iudicium ipſius rei ſequi debeat, & quod in perſonalibus iniuriarum, violentiarumque ſuper ſpoliatione ſeu ſimilibus, Judex permiſſione ſubitarii iudicii, citra dilationem, & exceptionum admiſſionem, Actori forenſi de ſimplici, & plano iuſtitiæ complementum facere, in realibus vero ſecundum Ditionis conſvetudinem ita procedere teneatur, ut quilibet citra dilationem, iuſtitiæ executionem obtinere queat, id quod per Superioritates, & Magiſtratus fideliter provideri, & dirigi par eſt. Quod ſi alter noſtrum contra alterius Provinciam, vel communitatem aliquam, vel viciſſim Provincia, Communitas, vel privati ſubditi unius noſtrum contra alterum ex Nobis, vel eius Provinciam, ſeu Communitatem privatas actiones prætenderent, tunc cauſæ huiusmodi coram alterius noſtrum, ſub quo pars rea degit, Conſiliariis, ſeu Commiſſariis per eundem iuxta Partium conditionem, & cauſarum exigentiam, non minus ſeptem numero deſignandis, ſummarie audiri, & vel amicabiliter componi, vel iure mediante determinari, & executioni demandari debeant. Porro ſi inter Nosmet ipſos Reges ſeu forſan Regna, & Provincias noſtras, tum metarum, & terminorum, tum commerciorum, ſeu quarumlibet aliarum, tam veterum, quam novarum cauſarum, iurium, vel obligationum occaſione querelæ, gravamina, & controverſiæ ſuborirentur, tunc alter noſtrum, qui, vel cuius Regnum, ſeu Provincia Ius, vel querelam prætendit, alium per Nuntios, vel Literas ſuas amicabiliter informare, ac pro tollendo, ſarciendo, amovendoque gravamine admonere, & requirere debet. Quod ſi obtinere nequeat, tunc quilibet noſtrum ſtatim intra duorum ſpa-

Anno 1589.

ANNO 1589. ſpatium a facta amicabili requiſitione, tres Conſiliarios ſuos e Proceribus Regnorum Hungariæ, Bohemiæ, Moraviæ, Sileſiæ, & vel ex aliquibus harum, prout quodque negotium ad aliquam harum Provinciarum pertineat, vel etiam ex omnibus pro exigentia, & gravitate negotii ab una, Regnique Poloniæ, Magni Ducatus Litvaniæ ab altera partibus ad convenientem diem, & locum per partem læſam, ſeu querulantem nominandum, ſemota omni excuſatione mittere debeat. Qui utriusque noſtrum Conſiliarii ſummam inprimis diligentiam adhibeant, quo huiusmodi querelæ, gravamina, & controverſiæ inter Nos, Regna, vel Provincias noſtras amicabili compoſitione tranſigantur. Ea vero non ſuccedente, tunc læſa Pars ſive Agens coram prædictis ſex Conſiliariis, actionem ſuam ſtatim ipſo die iuridice exhibendi poteſtatem habeat, idque duplicatis ſcripturis, quarum unam Conſiliarii penes ſe retineant, aliam vero parti reæ transmittant, quo facto pars rea reſponſum ſuum etiam ſcriptis duplicatis ſæpe dictis Conſiliariis, vel ei, cui ex illis hoc demandatum fuerit, intra ſpatium proximorum duorum Menſium a transmiſſo actionis libello, mittere teneatur, ut ſcilicet Actor replicas, reus vero duplicas ſuas, ac præterea utraque pars tertiam quoque concluſionem, & ſubmiſſivam ſcripturam, de bimeſtri in bimeſtre duplicatis, ut præfertur, ſcriptis, offerre queat, eo ſane modo, & ordine utrique parti remittendis, ſicut de actionis libello demonſtratum eſt. Oblatis tandem ſucceſſive ab utraque parte duplicatis trinis ſcripturis, in quibus utrinque omnia ſua Iura explicabunt, ſex illi Commiſſarii partibus ad promulgandam ſententiam, intra proximum ſequens bimeſtre, diem ad eum locum, ubi cauſa primo agi cœpit, indicent. Quo loco, & tempore partes per Procuratores ſuos pleno Mandato ſuffultos comparere, illicque & ipſi Conſiliarii convenire, ac diligenter viſis ſcriptis, & diſcuſſis Actis totius cauſæ, Partes rurſum ad concordiam, & amicabilem compoſitionem invitare, & cohortari, nihilque in eo operæ, & diligentiæ intermittere debeant. Quam ſi ne tunc quidem inter Partes obtinere queant, ſtatim ad ferendam ſententiam procedant, ac id, quod Iuris & Iuſtitiæ fuerit, cognoſcant, & decernant. Quod ſi ſupraſcripti Conſiliarii de ferenda ſententia, ſive interlocutoria, ſive definitiva fuerit, concordare non poſſent, tunc toties, quoties opus fuerit, arbitrum communi voce deligant, vel per quamlibet conſiliorum partem duabus idoneis perſonis propoſitis ex iisdem ſorte conſtituant, cuius partes ſint, huic Conſiliariorum opinioni, quæ ei iuri, & æquitati magis conſona videatur, ſubſcribere, eandemque laudare, & approbare. Quidquid autem per ipſos Conſiliarios noſtros, ſeu maiorem eorum partem ſeparatim, vel per eosdem, vel Arbitrum coniunctim decretum, et pronuntiatum fuerit, id ratum firmumque maneat, ac ſtatim debitæ demandetur executioni, remota omni plane appellatione, ſupplicatione, reductione, in integrum reſtitutione, aliisque Iuris beneficiis & remediis, etiam motu proprio conceſſis, obtentis non obſtantibus. Debent autem Conſiliarii per Nos pro tempore deputandi, nec non & Arbiter ipſe per Nos, & quantum ad quemlibet noſtrum ſpectat, ab obedientiæ, & Iuramenti debito, ad eam cauſam tantum abſolvi, ac pro adminiſtranda iuſtitia, novoque, conſvetoque Iuramento obſtringi. Quod ſi pendente lite unus vel plures ex ipſis Conſiliariis mortem obirent, tunc in demortuorum locum, prout ad quemlibet noſtrum pertinebit, alios ſemper ſubrogabimus. Ipſi quoque Conſiliarii non plures Scripturas admittant, aut terminos alio modo, quam ſupradictum eſt, prorogandi, aut alterandi poteſtatem habeant, ſed forma, & modo illis conceſſa procedant, excepto caſu, quo Partes teſtes producere neceſſe haberent, tunc ipſi Conſiliarii Jurisdictionem ſuam prorogandi poteſtatem habeant tantiſper, donec teſtes eius cauſae conſcii, ſecundum Juris diſpoſitionem legitime producti, & auditi fuerint. Ita tamen ne ulla minus neceſſaria prorogatio quaeratur vel admittatur, ſed omnes teſtes ad unum diem, & terminum, quantum fieri poſſit, audiantur, ac publicatis atteſtationibus non niſi unica ſcriptura a qualibet Parte ſuſcipiatur. Proinde quo magis Regna, Principatus, & Dominia noſtra ab omni bellorum, depraedationum, latrociniorum, hoſtilitatisque periculo libera, ſecura, purgataque eſſe queant, conventum inter Nos eſt, quod nullus noſtrum alterius, ſeu Regnorum, Provinciarum, vel ſubditorum ſuorum diffidatores, hoſtes, homicidas, raptores, ſeu damnificatores, nec non profugos ſeu rebelles ſubditos, quicunque in alterius noſtrum Regnis, & Ditionibus reperti, denuntiati, vel per Nosmet, aut Officiales noſtros perveſtigati fuerint, nequaquam amplius fovere, & aſſecurare, multominus vero per ſubditos noſtros ullo hoſpitio, auxilio, ſive receptatione quocunque prætextu directe, vel indirecte, publice, vel occulte recipere,

ANNO 1589.

ANNO 1589. cipere, iuvare, vel intertenere debeat, ſed ubicunque huiusmodi graſſatores, raptores, diffidatores, & damnificatores ubilibet in præfatis Regnis, & Ditionibus noſtris deprehenſi fuerint, contra eos iuſſu noſtro, & directione, atque accurata diligentia Officialium utrobique Parti læſæ, atque deferenti iuſtitia immediate, atque irrecuſabiliter permitti, atque adminiſtrari, aut etiam citra Partium requiſitionem, de iis, ut communibus hoſtibus a Capitaneis, & Magiſtratibus ubicunque ex Officio inquiri, inſequi, & pænaliter procedi debeat. Caſu autem quo aliquis ex Officialibus, aut ſubditis noſtris, propter receptionem, aſſecurationem, vel defenſionem ante dictorum diffidatorum inſecutionis, captivationis, ſive animadverſionis ſcienter contravenerit, in tales utrobique ſive delati a Parte altera, ſive alias veriſimili ſuſpicione deprehenſi forent, capitali ſupplicio irremiſſibili debet animadverti. Quod ſi alter utrius noſtrum unus vel plures Incolæ, vel ſubditi, alteri noſtrum ſeu Regnis, et Dominiis noſtris generaliter, vel ſingularibus perſonis, Incolis, & ſubditis privatim hoſtilitatem denuntiaverint, tunc ſtatim Præfectus, Capitaneus, aut Officialis illius loci, ſive Diſtrictus, cui diffidatio indicta eſt, Generales Præfectos, & Capitaneos Regnorum, & Provinciarum alterius noſtrum, ſub qua tales diffidatores degunt, ea de re certiores reddere, ipſisque exemplar diffidatoriarum Literarum transmittere debeat. Quo accepto prædicti Præfecti, & Capitanei diffidatores, pro publicis hoſtibus iudicare, promulgare, & publicare, omnibusque, & ſingulis Incolis cuiuſcunque Ordinis, & Conditionis extiterint, eorum conſvetudinem interdicere, & ne a quoquam hoſpitio recipiantur, aut conſilio, ſive ulla re alia iuventur, prohibere, cavere, bonaque diffidentium applicare Fiſco, & Cameræ Regiæ, ac proinde in hoſpites, ſocios, conſcios, & complices, pari quoque ſeveritate animadvertere teneantur, ignorantiæ excuſatione univerſis penitus ſublata. Quod ſi quiſpiam Præfectus, Capitaneus, aut Magiſtratus huiusmodi caſibus ſubitam iuſtitiam adminiſtrare cunctaretur, aut etiam alias ex Officio, inquiſitione, inſecutione, & animadverſione, debita non procederet, tunc tales noſtræ punitioni immediate obnoxii, & rei eſſe debeant. Ut autem praecipuus diffidationum, & graſſationum fomes, quo huiusmodi latrocinia inprimis aluntur, e medio tollatur, coerceaturque licentia, & impunitas receptandi hoſtes, praedones, & diffidatores, ſerio inter Nos convenit, ut omnes, promotores, detentores, acceptatores, complices dictorum facinoroſorum homi- ANNO num, qui vel notorietate facti, vel ex veraci 1589. denuntiatione ſpoliatorum, aut ex fuga captivorum ( modo tales captivi vel ſpoliati bonae fidei, & integrae famae ſint ) ſive aliis, tam manifeſtis indiciis, ut ulteriore probatione res non egeat, convicti, vel deprehenſi forent, iidem citra ulteriorem purgandi ſui admiſſionem, & conceſſionem ſpoliatis, ac damnum paſſis ad reſtitutionem, & ſatisfactonem probabilium damnorum de Bonis ſuis teneantur, aut ſi ſolvendo non ſint, ſecundum qualitatem delicti corpore luant.

Quod ſi tales etiam patrati criminis conſcii, vel complices eſſent, & ad illata damna, caedemque evidentem cauſam ſcienter praebuerint, iidem non tam Parti ad reſtitutionem damnorum, ut iam praemiſſum eſt, teneantur, quam etiam Superioritatis ſuae cognitioni, ad ſumendum de iis pro modo delicti ſupplicium citra evaſionem ſubiaceant. Si vero aliqui receptatorum, aut complicum, non omnino manifeſtis indiciis, nec apertis captivorum confeſſionibus, ſed alias delati, & de tali facinore ſuſpecti potius, quam convicti fuerint, contra tales, tam ex delatione damnificatorum, vel alterius Superioritatis Officialium, quam ex Officio per Capitaneos, aut Magiſtratus eius Regni, aut Ditionis, in qua fuerint, hac tamen Conditione, differentia, ſive moderatione debet procedi, ut ſi forent Nobiles, aut poſſeſſionati Cives, antehac in talibus non infamati, neque ullis prioribus confeſſatis ſuſpecti, tales in caſu negationis ſeſe proprio eorum Iuramento coram ſupremo eius Ditionis Magiſtratu publice de huiuſmodi infamatione exonerare, & purgare queant. Si vero iidem anterioribus infamiae, aut confeſſatorum præiudiciis notati, & ſemi manifeſti forent, ita tamen ut huiuſmodi confeſſata non omnimode certum facti indicium præbere poſſent, tales etiam ad purgationem ſui medio Iuramento mettertia manu integræ famæ poſſeſſionatorum vicinorum admitti, aut ſi in utroque caſu in purgatione ſui defecerint, debitæ capitis animadverſioni ſubiici, & ſubiacere debent. Quod ſi quis ex Regnis, & Provinciis noſtris auſu temerario contra Jus, & aequitatem, ac publica, mutuaque Regnorum noſtrorum Faedera in alterius Regna, vel Ditionem, excurſionem, & irruptionem faceret, atque ibi Mercatores, & vectores depraedaretur, aut detineret, homines occideret,

ANNO 1589. deret, vel abduceret, pecora abigeret, incendio saeviret, aut alio quovis modo damnum, & iniuriam inferret, & patrato nefario scelere rursum se domum, vel cum praeda securus, vel fugiens insequentium manus in hospitia consveta, & solita diverticula reciperet, tum in eo Regno Praefecti illius Territorii, vel Districtus, & omnes Incolae, totaque vicinitas mox a damnificatis, iniuriatis, seu quibusvis aliis hostem, praedonem, & communium Faederum violatorem insequentibus commonefacti, evocatique, extiterint, debebunt laesis ferre opem, adesse in armis fortiter, & graviter insequi, & inquirere noxios, & turbatores Pacis publicae, & tranquillitatis. Et si sui tuendi causa in aliqua Castra, aut fortalitia, vel loca abdita, seu natura munita profugerint, acrius, & diligentius insistere, & ipsos, & eorum hospites, socios, consocios, complicesque obsidere, oppugnare, & ita omnes ad deditionem urgere, ad debitum supplicium trahere, & ad restitutionem, compensationemque damnorum illatorum cogere teneantur. Si qui autem negligentiores, & remissiores in ferendo offensis auxilio, & in prosequendo hostes, & damnificatores sese exhibuerint, hi sciant se indignationem nostram, & severam animadversionem irremisibiliter incursuros esse. Si vero contingeret, aut per subordinationem Superioritatis, aut alioqui per damnificatos, atque diffidatos contra praemissos damnificatores, diffidatores, malefactores, receptatores, aut complices captivandos, sive etiam iam tum captivos, & convictos in alterutrius Regnum, aut Ditionem pro imploratione iustitiae mitti, iidem imploratores non solum ad executionem iustitiae, pro ratione delicti cum omnibus in tali facto necessariis admitti, & provideri, verum etiam tam in loco administrandae iustitiae, quam in reditu ad propria omnimode tuti, atque assecurati esse debeant. Casu etiam quo in alterutrius nostrum Regno, aut Ditione aliquis aut Nobilibus, aut aliis zelo honestatis, & studio supprimendorum publicorum malefactorum, aut iussu Magistratuum, aut motu proprio huiusmodi publicos prædones, & grassatores insequeretur, idq; sibi a quoquam, ut inhonestum exprobraretur, talis exprobratio nulli cuiuscunque Status ullum honoris sui discrimen, imminutionem, & præiudicium aliquod generare queat, sed exprobrator ad revocationem probri una cum aliquali carceris punitione, & restitutione impensarum cogi, atque lasum rogare debet, ut sibi talem iniustam imputationem propter Deum remittere velit. Quum denique nostra, Regnorumque, & Provinciarum nostrarum maximopere interfit, ut in Regnis, & Dominiis nostris bonam, eandemque iustam habeamus monetam, quamobrem pro bono communi utrinque curabimus, & efficiemus, ne illegitima, prava, & reproba moneta, in Regnis, Provinciisque nostris cudatur, recipiaturque. Quod si hac ex parte quaestio inter Nos inciderit, agemus, quantum opus fuerit, cum Ordinibus Regnorum, Provinciarumque nostrarum, aut eorum assensu Commissarios nostros utrinque deputabimus, qui habita ratione communium Regnorum, Provinciarumque nostrarum eas tentent, ineantque rationes, quibus vel eadem bonitate, vel valore utrobique moneta cudatur, vel diversarum monetarum, prout quaevis vel melior, vel deterior reperta fuerit, iustum semper pretium, aestimatioq; constituatur. Id quod, & de sale utriusque nostrum in alterius Regna, & Provincias educendo, pariter cautum esse volumus. Quod si tamen hae res vel altero, vel utroque casu inter communes nostros Commissarios transigi nequeant, tunc salvum, liberumque semper utrique nostrum esse debere, & de moneta, & de sale suo statuendi id, quod cuiusvis, ac Regnorum, & Provinciarum suarum necessitas, utilitasq; exegerit. Quae omnia, & singula matura Procerum, & Consiliariorum nostrorum deliberatione praevia Nos Imperator RUDOLPHUS II, & Nos SIGISMUNDUS III acceptamus, approbamus, & Regia nostra authoritate ratificamus per Praesentes, promittentes in verbo nostro Imperiali, & Regio, & bona fide sub onere Iuramenti mediante, praeinserta Pactorum, & Faederum capitula, in omnibus eorum Punctis, Clausulis, Conditionibus, & Articulis firma, rata, & grata semper habituros, ac sancte, inviolabiliterque observaturos, nec non per Officiales, & subditos nostros, ac omnes, quorum interest, pariformiter observari, & manuteneri curaturos, dolo, et fraude semotis. Reservantes Postremo ab hac confaederatione pro Nobis Imperatore RUDOLPHO Sanctissimum Dominum Papam, Sanctamque Sedem Apostolicam, nec non Sacrum Romanum Imperium, cui pro ea fide, qua illi iureiurando obstricti sumus, si quis illud iniuria afficere vellet, deesse non possemus. Praeterea vero Sereniſſimum, ac

ANNO 1589. Potentiſſimum Principem, et Dominum, Dominum PHILIPPUM Regem Hiſpaniarum Catholicum etc. Magnum Moſchorum Principem, ita tamen, ne propter hanc exceptionem, vel contra Sereniſſimum Regem, Regnumque Poloniae, Magnum Ducatum Litvaniae etc. vel contra Sereniſſimum Sveciae Regem, noſtra Maieſtas, aut caeteri Archiduces ullum auxilium Moſchis dare, & hoc Fædus, ac Pacta turbare debeamus, ac poſſimus. Ad extremum etiam Turcarum Principem per præſentes, & futuras quoque, ſi quæ interceſſerint Inducias, ita ut iſthoc Fædus noſtram Maieſtatem, contra illum ligare non poſſit, nec debeat. Sic viciſſim Nos Rex SIGISMUNDUS III. præfatum Sanctiſſimum Dominum noſtrum Papam, Sanctamque Sedem Apoſtolicam, nec non Sereniſſimum Dominum Parentem noſtrum, Regemque Sueciæ, & Illuſtrem Tranſylvaniæ Principem, ad extremum etiam Turcarum Principem pro Nobis pariter excipiendos, reſervandosque duximus. Cum vero eadem Pacta, ante etiam per recolendæ memoriae CAROLUM V. Imperatorem, Hiſpaniarum Regem &c. ratione quorumcunque hæreditariorum Regnorum ſuorum confirmata fuerint, promittimus itidem, ſpondemusque Nos Imperator RUDOLPHUS effecturos Nos, ut per Sereniſſimum, ac Potentiſſimum Principem, & Dominum, Dominum PHILIPPUM Regem Hiſpaniarum Catholicum &c. tanquam in iisdem hæreditariis Regnis, & Dominiis Succeſſorem, quo ad eadem Regna, et Dominia ſua ſimiliter renoventur, confirmenturque, confirmationemque eam intra octo menſium ſpatium a præſente die numerandorum ad Sereniſſimum Poloniæ Regem Nos tranſmiſſuros. Nos vero SIGISMUNDUS Rex, iam ex hoc ipſo tempore, atque hiſce Literis itidem pro parte noſtra, ac pro Regno, & cæteris Dominiis noſtris, eadem Pacta, & Fædera cum Sereniſſimo, ac Potentiſſimo Rege Catholico, Regnis, Provinciis, ac Dominiis eius hæreditariis continuamus, confirmamus, inſtauramus, renovamus, declaramus, corroboramus, amplificamus, & præſentibus Literis noſtris Nos obligamus, & verbo noſtro Regio, bonaque fide promittimus, ea Nos, & omnia, & ſingula in eis contenta, & expreſſa inviolabiliter obſervare, & adimplere, & in nullo illis contravenire velle, dolo, & fraude ſemotis. In quorum omnium robur, & evidens teſtimonium Nos præfati Reges binas eiusdem Literas tenoris manuum noſtrarum ſubſcriptione, Sigillorumque appenſione munitas, ac cuilibet noſtrum alteras conſignatas expediri fecimus. Quæ datæ ſunt in Arce noſtra Regia Pragæ die vigeſima ſexta Menſis Maii Anno Domini MDLXXXIX. Regnorum noſtrorum Romani decimo quarto, Hungarici decimo ſeptimo, & Bohemici itidem decimo quato. ANNO 1589.

RUDOLPHUS.

ADAMUS *de nova Domo S. R. Bohemiæ Cancellarius.*

*Ad Mandatum Sacræ Cæſareæ Maieſtatis proprium.*

Oſualdus de Schvenfeldt.

Seb. Heugel.

## LXIII.

*Confirmatur eadem Transactio per Sereniſſimum* CAROLUM *Archiducem.* Dat. in Civitate Gratz die 30. Maii An. 1589. *Ex Originali.*

NOS CAROLUS Dei Gratia Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, ac Wirtembergæ &c. Comes Tyrolis, & Goritiæ &c. Significamus quorum intereſt, intereritve huius, & futuri temporis Univerſis, & Singulis. Cum Sanctiſſimi D. N. SIXTI V. Summi Pontificis, Legatique eius de Latere Reverendiſſimi Domini Hyppoliti S. R. E. Presbyteri Cardinalis Aldobrandini, & Summi Pœnitentiarii interventu, inter Commiſſarios Sereniſſimæ Domus noſtræ Auſtriacæ ab una, & Sereniſſimi Principis Domini SIGISMUNDI III. Regis Poloniæ ab altera partibus, Bithomiæ, & Bendzini congregatos firma, perpetua, ac ſtabilis Pax, & amicitia inter commemoratam Sereniſſimam Domum noſtram, Sereniſſimumque Regem Poloniæ, atque utriusque Regna, et Ditiones certis conditionibus et legibus conſtituta eſſet, Nosque Transactionem eam pro noſtra etiam parte ex Transactionis eiusdem formula nominatim etiam confirmare, ratamque habere debeamus; Nos præſentibus hiſce Literis noſtris eandem Transactionem ad verbum inſerendam, edendam, confirmandam, omnemque authoritatem, et aſſenſum noſtrum harum teſtimonio adhibendum ei duxiſſe. Cuius quidem Transactionis tenor infraſcriptus ſequitur. *Nos infraſcripti.* etc. Nos igitur CAROLUS etc. ſuprainſertam Transactionem, omniaque, et ſingula eiusdem capita, conditiones, clauſulas confirmamus, approbamus, rata habemus, corro-

robo-

ANNO 1589. roboramus, et præsentibus Literis nostris sub fide, ac verbo Principis nostro, eoque plane vigore, ac si corporali Juramento in Sancta Dei Evangelia iurata a Nobis fuissent, ad ea Nos obligamus, promittentes, spondentesque ea Nos, et omnia, ac singula in eis contenta, et expressa inviolabiliter observaturos, et adimpleturos: et in nullo directe, vel indirecte, clam, vel aperte unquam illis contraventuros bona fide, dolo, et fraude semotis. Harum testimonio Literarum manu nostra propria subscriptarum, et Sigilli nostri appensione munitarum. Datum in Civitate nostra Metropli Gratz trigesima die Mensis Maii, Anno vero salutis humanæ millesimo quingentesimo octuagesimo nono.

CAROLUS.

*Ad Mandatum Domini Archiducis proprium.*

Wolfgang Schranz etc.

M. Ryst etc.

## LXIV.

*Confirmatio Transactionis Serenissimi* MATHIÆ *Archiducis.* Dat. In Arce Lintzensi die 1. Junii Anno 1589. *Ex Originali.*

NOs MATHIAS Dei Gratia Archidux Austriae, Dux Burgundiæ, Stiriae, Carinthiae, Carniolae, ac Wirtembergae, etc. Comes Habspurgi, et Tyrolis etc. Significamus quorum interest, intereritve huius, et futuri temporis Universis, et Singulis. Cum Sanctissimi D. N. SIXTI V. Summi Pontificis, Legatique eius de Latere Reverendissimi Domini Hyppoliti S. R. E. Presbyteri Cardinalis Aldobrandini, et summi Pœnitentiarii interventu, inter Commissarios Serenissimae Domus nostrae Austriacae ab una, et Serenissimi Principis Domini SIGISMUNDI III. Regis Poloniae ab altera partibus Bithomiae, et Bendzini congregatos, firma, perpetua, ac stabilis Pax, et Amicitia inter commemoratam Serenissimam Domum nostram, Serenissimumque Regem Poloniae, atque utriusque Regna, & Ditiones certis conditionibus, et legibus constituta esset, Nosque Transactionem eam pro nostra etiam parte, ex Transactionis eiusdem formula nominatim etiam confirmare, ratamque habere debeamus: Nos praesentibus hisce Literis nostris eandem Transactionem ad verbum inserendam, edendam, confirmandam, omnemque authoritatem, et assensum nostrum harum testimonio adhibendum ei duxisse. Cuius quidem Transactionis tenor infrascriptus sequitur. *Nos infrascripti &c.* Nos igitur MATHIAS Archidux etc. supra insertam Transactionem, omniaque et singula eiusdem capita, conditiones, clausulas confirmamus, approbamus, rata habemus, corroboramus, & præsentibus Literis nostris sub fide, ac verbo Principis nostro, eoque plane vigore, ac si corporali Juramento in Sancta Dei Evangelia iurata a Nobis fuissent, ad ea Nos obligamus, promittentes, spondentesque ea Nos, & omnia, ac singula in eis contenta, & expressa inviolabiliter observaturos, & adimpleturos, & in nullo directe, vel indirecte, clam, vel aperte unquam illis contraventuros bona fide, dolo, & fraude semotis. In quorum omnium fidem, & evidentius testimonium præsentes manu nostra propria subscripsimus, ac Sigilli nostri appensione, muniri iussimus. Datum in Arce Lintzensi die primo Mensis Junii Anno Domini Millesimo Quingentesimo Octuagesimo Nono. ANNO 1589.

MATHIAS.

## LXV.

*Confirmatio eiusdem Transactionis Serenissimi* FERDINANDI *Archiducis.* Datum Oeniponte die 5. Junii Anno 1589. *Ex Originali.*

NOs FERDINANDUS divina favente Clementia, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Lucemburgiæ, & Wirtembergæ, Princeps Sveviæ, Marchio S. R. I. super Anasum, & Burgoviæ, Comes Palatinus Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kiburgi, & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicae, Portus Naonis, & Salinarum &c. Significamus quorum interest, intereritve, huius & futuri temporis universis, & singulis. Cum Sanctissimi D. N. SIXTI Quinti Summi Pontificis, Legatique eius de latere Reverendissimi Domini Hyppoliti S. R. E. Presbyteri Cardinalis Aldobrandini, & Summi Paenitentiarii interventu, inter Commissarios Serenissimae Domus nostrae Austriacae ab una, & Serenissimi Principis Domini SIGISMUNDI III. Regis Poloniae ab altera partibus Bithomiae, & Bendzini congregatos firma, perpetua, ac stabilis Pax, & amicitia inter commemoratam Serenissimam Domum nostram, Serenissimumque Regem Poloniae, atque utriusque Regna, & Ditiones certis conditionibus, & legibus constituta esset, Nos Transactionem eam, quae a Sacra Caesa-

Anno 1589. rea Maiestate, Domino, & Patruele nostro clementissimo iam antea confirmata, & Nobis praelecta fuit, ad suae Caesareae Maiestatis, & Dilectionis requisitionem, ex Transactionis eiusdem Formula pro nostra etiam parte nominatim ratam habere debeamus. Nos praesentibus hisce Literis nostris eandem Transactionem ad verbum inserendam, edendam, confirmandam, omnemque authoritatem, & assensum nostrum harum testimonio adhibendum ei duxisse. Cuius quidem tenor infrascriptus sequitur. *Nos infrascripti* &c. &c. Nos igitur praedictus Ferdinandus Archidux Austriae supra insertam Transactionem iam antea a Sacra Caesarea Maiestate, Domino, & Patruele nostro observandissimo confirmatam, omniaque & singula eiusdem capita, conditiones, & clausulas ad suae Caesareae, Maiestatis, & Dilectionis requisitionem approbamus, rata habemus, corroboramus, & praesentibus Literis nostris ad ea Nos obligamus, promittentes, spondentesque ea Nos, & omnia, ac singula in eis contenta, & expressa inviolabiliter observaturos, & adimpleturos, et in nullo directe, vel indirecte, clam, vel aperte illis contraventuros bona fide, doloque, et fraude semotis. In quorum omnium fidem, et evidentius testimonium etiam Praesentes manus nostrae subscriptione, et Sigilli nostri maioris appensione corroboravimus. Datum in Civitate nostra Oenipotente quinta die Mensis Junii Anno *D*omini Millesimo Quingentesimo Octuagesimo Nono.

FERDINANDUS.

V. Justinianus.

*Ad Mandatum Sereniſſimi Domini Archiducis proprium.*

Con. Decius.

## LXVI.

*Confirmatio Transactionis Sereniſſimi* Ernesti *Archiducis.* Dat. Viennæ die 10. Junii Anno 1589. *Ex Originali.*

Nos Ernestus Dei Gratia Archidux Austriae, *D*ux Burgundiae, Styriae, Carinthiæ, Carniolæ, et Wirtembergae &c. Comes Habspurgi, & Tyrolis etc. Significamus quorum interest, intereritve huius, et futuri temporis universis, et singulis. Cum Anno 1589. S. D. N. Sixti Quinti Summi Pontificis, Legatique eius de Latere Reverendissimi *D*omini Hyppoliti S. R. E. Presbyteri Cardinalis Aldobrandini, et Summi Paenitentiarii interventu inter Commissarios Serenissimae *D*omus nostrae Austriacae ab una, et Serenissimi Principis *D*omini Sigismundi III. Regis Poloniae ab altera partibus, Bithomiae, et Bendzini congregatos, firma, perpetua, ac stabilis Pax, et amicitia inter commemoratam Serenissimam *D*omum nostram, Sereniſſimumque Regem Poloniae, atque utriusque Regna, et Ditiones certis conditionibus, et legibus constituta esset, Nos Transactionem eam pro nostra etiam parte ex Transactionis eiusdem formula nominatim etiam confirmare, ratamque habere debeamus: Nos praesentibus hisce Literis nostris eandem Transactionem ad verbum inserendam, edendam, confirmandam, omnemque authoritatem, et assensum nostrum harum testimonio adhibendum ei duxisse. Cuius quidem Transactionis tenor infrascriptus sequitur. *Nos infrascripti* etc. Nos igitur Ernestus Archidux Austriae etc. supra insertam Transactionem, omniaque, et singula eiusdem capita, conditiones, clausulas confirmamus, approbamus, rata habemus, corroboramus, et praesentibus Literis nostris sub fide, ac verbo Principis nostro, eoque plane vigore, ac si corporali Juramento in Sancta *D*ei Evangelia iurata a Nobis fuissent, ad ea Nos obligamus promittentes, spondentesque ea Nos omnia, ac singula in eis contenta, et expressa inviolabiliter observaturos, et adimpleturos, et in nullo directe, vel indirecte, clam, vel aperte unquam illis contraventuros, bona fide, doloque, et fraude semotis. In quorum omnium fidem, et evidentius testimonium hasce Literas manu nostra propria subscripsimus. *D*atum in Civitate Vienna die decima Mensis Junii Anno *D*omini Millesimo Quingentesimo Octuagesimo Nono.

ERNESTUS.

*Ad Mandatum Sereniſſimi Domini Archiducis proprium.*

S. Westernacher.

ANNO 1589.

## LXVII

*Juramentum* RUDOLPHI *Imperatoris, quo eandem Tranſactionem confirmat.* Datum Pragæ die 10. Julii. Anno 1589. *Ex Originali.*

RUDOLPHUS II. divina favente Clementia Electus Rom: Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, &c. Marchio Moraviæ &c. Dux Lucemburgiæ, ac Superioris, & Inferioris Sileſiæ, Wirtembergæ, & Teckae, Princeps Sveviæ, Comes Habſpurgi, Tyrolis, Ferretis, Kiiburgii, & Gorithiæ, Landgravius Alſatiæ, Marchio S. R. J. Burgoviæ, ac Superioris, Inferioris Luſatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, & Salinarum &c. Recognoſcimus, & Præſentibus profitemur Sereniſſimo Principi Domino SIGISMUNDO III. Dei Gratia Regi Poloniæ, Magno Duci Litvaniæ, ac Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, &c. Fratri, ac Conſangvineo noſtro chariſſimo, fidei puræ, & prefectæ ſervandæ cauſa, maximeque in Tranſactionem inter noſtros Sereniſſimæque Domus noſtræ &c. ab una, & commemorati Sereniſſimi Regis Poloniæ &c. parte ab altera Commiſſarios, Bithomiæ, & Bendzini congregatos, inter Nos, Regnaque, & Ditiones noſtras factam voto Iuramenti Sanctis Dei Evangeliis per Nos Corporaliter tactis præſtiti, de certa ſcientia, & Conſilio noſtro ſancte Nos obligaſſe, obſtrinxiſſeque. Quod quidem Iuramentum, ſeu fidei Sacramentum Præſentibus Reverendiſſimo in Chriſto Patre Domino GEORGIO Radziwił Sanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli Sancti Sixti Presbytero Cardinale, Epiſcopatusque Vilnenſis Adminiſtratore, ac Spectabili & Magnifico Nicolao Firley de Dambrowicza Palatino Cracovienſi, Novae Civitatis Korczyn, & Caſimirienſi Capitaneo, ſupradicti Poloniae Regis Legatis, ſequentibus verbis praeſtitutum a Nobis eſt. *RUDOLPHUS II. Dei Gratia Electus Rom: Imperator ſemper Auguſtus. &c. Juro, ſpondeoque, ac promitto coram Deo per hæc Sancta eius Evangelia, quod omnia ea, quæ Sanctiſſimi Domini Summi Pontificis, & Legati eius de Latere Reverendiſſimi Cardinalis Aldobrandini interventu, inter Commiſſarios meos, cæterorumque Sereniſſimorum Principum, Patruorum, ac Fratrum meorum ex una, & Sereniſſimi Principis Domini* SIGISMUNDI III. *Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ &c. parte ex altera, Bithomiæ, & Bendzini congregatos convenerunt, in omnibus eorum punctis, & clauſulis firmiter, inviolabiliterque obſervabo, iiſque ſatisfaciam, Pacem, & amicitiam cum eodem Sereniſſimo Principe, Regnoque Poloniæ, Magno Ducatu Litvaniæ, cæteriſque coniunctis Provinciis, & Ditionibus iuxta eandem Tranſactionem, Pacta perpetua, ac Fœdus, perpetuo conſtanterque colam: ſic me Deus adiuvet, & hæc Sancta eius Evangelia.* Quod quidem ſupraſcriptum Iuramentum Nos eidem ſancte obſervare, neque unquam contra illud venire, praeſentium etiam Literarum harum teſtimonio promittimus, ſpondemuſque, maioris fidei cauſa manu noſtra haſce ſubſcripſimus, Sigilloque Maieſtatis noſtrae muniri mandavimus. Datum in Arce noſtra Regia Pragae, die decima Menſis Julii Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Octuageſimo Nono. Regnorum noſtrorum Hungarici decimo ſeptimo, & Bohemici itidem decimo quarto.

*Ad Mandatum Sacræ Cæſareæ Maieſtatis proprium.* Sebaſt: Heugel.

## LXVIII.

*Juramentum Ordinum Regni Bohemiæ, Archiducatus Auſtriæ, Marchionatus Moraviæ, Ducatuum Sileſiæ, & utriuſque Marchionatus Luſatiæ, quo eandem Tranſactionem confirmant.* Datum Pragæ 10 Julii Anno 1589. *Ex Originali.*

NOs infraſcripti delegati a Statibus, & Ordinibus inclyti Regni Bohemiae: Gvilhelmus Urſinus Domus Roſembergicae Gubernator, Eques aurei Velleris, Sacrae Caeſareae, Regiaeque Maieſtatis intimus Conſiliarius, & Supremus Regni Bohemiae Burgravius, Georgius Senior Baro de Lobkowicz in Libochowicz, & Liczkow Caeſareae Maieſtatis Cubicularius, & Supremus Regni Bohemiae Curiae Praefectus, Georgius Borzita Baro de Martynicz in Smeczna Supremus Judex eiuſdem Bohemiae Regni, Joachimus Nowohradſki Baro de Kolowrath, in Koſzatek, & Buſnehrad, Burgravius Arois Calſtrein, Chriſtophorus Junior Baro de

ANNO 1589. Lobkowicz in Tachau Sacrae Caesareae Maiestatis Cubicularius, & Supremus Regni Bohemiae Camerae Praefectus. Venceslaus Berka Baro de Duba & Lippeho in Ruchmburgkh. Volphgangus Nowogradski Baro de Kolowrath in Lnarzich. Carolus Baro a Birstain in Dievin Supremus Regni Bohemiae Monetae Praefectus. Venceslaus Baro de Rziczian in Horzowiz. Georgius Baro a Stemberg in Zelna Hora. Michael Sspanowski de Lisowa in Paczow, & Woziczy Supremus Regni Bohemiae Notarius. Burzan Trezka de Lippy in Swietla super Sazavam Succamerarius Regni Bohemiae. Albertus Kapaun Svoykowa in Hlupiczych Burgravius Districtus Hradecensis. Vilhelmus Wostroveiz de Kralowic in Vlassim Sacrae Caesareae Maiestatis Procurator in Regno Bohemiae. Venceslaus Pless. Herzmanski de Slaupna in Stolanech Capitaneus Minoris Partis Pragae. Radslaus Wchinski de Wchinic in Teplic, & Zachorzanech. Venceslaus Budowecz de Budova, omnes suae Caesareae &c. Maiestatis Consiliarii. Christophorus Zieleński de Sebuzina Vice-Notarius Regni Bohemiae. Christophorus Schlenicz de Schleynic in Honspach. Vilhelmus Urzeszovecz de Urzeszowic in Tauchoviczych. Nos etiam ab Ordinibus Archi-Ducatus Austriae deputatae Personae. Sigismundus Comes in Hardegk, Glaczae et Machland in Rigerspurg Pincerna Haereditarius Archi-Ducatus Austriae, Supremus Dapifer Stiriae. Maximilianus a Minming in Kirchperg ad Fluvium Pulacensem et Sitzenthal. Joannes a Thernembel Baro Schwerdperg et Vindegk per Karniolam et Marchiam Sclavonicam Pincerna Haereditarius, Georgius a Nathaus in Staxirchen et Senfftenberg Sacrae Caesareae Maiestatis Consiliarii.

Similiter nos infra inscripti ab Ordinibus Marchionatus Moraviæ delegati. Hinco Brtnieki Baro de Waldstein in Brnicz, Capitaneus, & Supremus Camerarius Moraviæ, Joannes Baro de Boskowicz in Trehoue Supremus Judex eiusdem Marchionatus, Tas Mezericzki de Lomnice in Gemnicz. Eggardus a Schvoben Abbas Viclegradensis. Nicolaus de Hradek in Nova Arce Succamerarius prædicti Marchionatus Moraviæ. Venceslaus Lachradecki de Lachradeck in Budzieskoviczych. Nos itidem ex Ducatibus Silesiæ ordinatæ Personæ: Carolus Munsterbergensium, & Olsnensium Dux, Comes Glacen. Sigefridus a Promnitz Liber Baro in Plesnau Soravien, & Tribelien, in Hoyersverda Ducatus Saganen. Tenutarius, Consiliarius Sacræ Caesareae Maiestatis, Brandanus a Zedcz in Hartmannsdorff, Georgius Strzela a Dzielavin Milven. Nicolaus a Burgkhaus in Stoltz & Schildtperg, Erasmus Muller in Maickovicz & Kreikav, Simon Hannibal in Rotensirben, & Pilsnick Imperatoriæ Maiestatis Consiliarius. Et nos subscripti ex Superioris Lusatiae Marchionatu Ernestus a Rechnberg in Crosta Sacrae Caesareae Maiestatis Consiliarius, & Capitaneus eiusdem Superioris Lusatiae, Hieronymus a Schonauh in Sigersdorff. Nec minus etiam & Nos ex Inferiori Lusatia deputati Carolus a Kitlicz Liber Baro Malnuen, Eisenbergen, & Sprembergen, Richardus a Schulenburg in Lubenau, Lubros et Straupicz, significamus Praesentibus hisce quorum interest, universis, et singulis. Cum inter Sacrae Caesareae etc. Maiestatis, universaeque Sereniſſimae Domus Austriacae ab una, et Sereniſſimi Principis, et Domini, Domini SIGISMUNDI III. Regis Poloniae, Magni Ducis Litvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniae etc. parte ab altera Commissarios Bithomiae, et Bendzini congregatos, inter commemoratos Sereniſſimos Principes nostros, certis conditionibus, et legibus firma, ac perpetua pax, atque amicitia constituta esset: Nos Regni Bohemiae, Archiducatus Austriae, Marchionatus Moraviae, Ducatuum Silesiae, et utriusque Marchionatus Lusatiae, omnium Ordinum nomine in eandem Transactionem corporale Juramentum sequentibus verbis praestitisse.

*Nos infrascripti Guilhelmus Ursinus Domus Rosembergicæ Gubernator, Eques Aurei Velleris, Sacræ Cæsareæ Maiestatis intimus Consiliarius, & Supremus Regni Bohemiæ Burgravius, Georgius Senior Baro de Lobkowicz in Libochowitcz, & Luczkow, Cæsareæ Maiestatis Cubicularius, & Supremus Regni Bohemiæ Curiæ Præfectus, Georgius Borzita Baro de Martnicz in Smeczna Supremus Judex eiusdem Bohemiæ Regni, Joachimus Novohrádski Baro de Kollovrat in Kossateck, & Bussiechrad Burgravius Arcis Carstein, Christophorus Junior Baro de Lobkowicz in Tachau Sacræ Cæsareæ Maiestatis Cubicularius, & Supremus Regni Bohemiæ Cameræ Præfectus, Venceslaus Berka Baro de Duba, & Lippeho in Richmburgkh, Volphgangus Nowochradski Baro de Kollovrath in Znarzich, Baro a Bibrstain in Dievin Supremus Regni Bohemiæ Monetæ Præfectus, Venceslaus Baro de Rzecian in*

ANNO 1589. *in Horzovic. Georgius Baro a Stemberg in Zelena Hora, Michael Sspanowski de Liſowa in Paczow, & Voziczy Supremus Regni Bohemiæ Notarius, Burzan Trezka de Lippy in Swietła ſuper Sazavan, Succamerarius Regni Bohemiæ, Albertus Kapaun de Swoykowa in Hluſſiczych Burgravius Diſtrictus Hradecenſis, Vilhelmus Voſtrovecz de Kralowicz in Wlaſſim Sacræ Cæſareae Maieſtatis Procurator in Regno Bohemiae, Venceſlaus Pleſs Herzmanski de Slaupna in Stolanech Capitaneus minoris partis Pragæ. Radſlaus Wchinski de Wchinicz in Teplicz & Zachorzanech, Venceſlaus Budovecz de Budowa omnes Suae Caeſareae Maieſtatis Conſiliarii, Chriſtophorus Zielenſki de Sebuzyna Vice-Notarius Regni Bohemiae, Chriſtophorus Schleinicz de Szkleinicz in Honſpach, Vilhelmus Urzeſovecz de Vreſovicz in Tauchoviczich, Sigismundus Comes in Hradegk Glacz & Machlana in Rigerſpurg Pincerna haereditarius Archiducatus Auſtriae, Supremus Dapifer Stiriae, Maximilianus a Mainming in Kirchſperg ad fluvium Palacenſem, & Sintzenthal, Joannes a Tschernembl Baro in Schverdperg & Veindegk, per Carniolam, & Marchiam Sclavonicam Pincerna haereditarius, Georgius a Naihaus in Statkirchen & Senfftenberg, Sacrae Caeſareae Maieſtatis Conſiliarii. Hinco Brtniczki Baro de Waldſtein in Brtnicz, Capitaneus, & Supremus Camerarius Moraviae, Joannes Baro de Bozkovic in Trzebove Supremus Judex eiusdem Marchionatus, Taſs Mezerziczki de Lomnice in Giemnicz, Eggardus a Schvoben Abbas Velegrandenſis. Nicolaus de Hradek in Nova Arce Succamerarius praedicti Marchionatus Moraviae. Venceslaus Zachradecki de Zachradek in Budziſkoviczich, Carolus Munſterbergen, & Olsnenſium Dux, Comes Glacenſis, Sigefridus a Promnitz Liber Baro in Plesnau, Soravien. & Tribelien. in Hoiersverda Ducatus Saganen. Tenutarius, Conſiliarius Sacrae Caeſareae Maieſtatis, Brandanus a Zedlicz in Hartmannsdorff, Georgius Strzela a Dielav in Mitven. Nicolaus a Burghaus in Stolz & Schildperg, Eraſmus Muller in Malckovicz & Kreickau, Simon Hannibal in Rotenſirben, & Pilsnicz Imperatoriae Maieſtatis Conſiliarius. Erneſtus a Rechnberg in Croſta, Sacrae Caeſareae Maieſtatis Conſiliarius, & Capitaneus Superioris Luſatiae, Hieronymus a Schonaich in Siegersdorff, Carolus a Kytlicz, Liber Baro Malnicen. Eiſenbergen, & Sprembergen. Richardus a Schulenburg in Lubenau, Lubros. Straupicz iuramus, ſpondemusque coram Deo, omnium Regni Bohemiae, Archiducatus Auſtriae, Marchionatus Moraviae, Ducatuum Sileſiae, & utriusque Marchionatus Luſatiae Ordinum nomine, quod omnia ea, quae inter Sereniſſimae Caeſareae Maieſtatis, caeterorumque Sereniſſimorum Principum Auſtriacorum Commiſſarios ex una, & Sereniſſimi Principis, & Domini, Domini* SIGISMUNDI III. *Regis Poloniae, Magni Ducis Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, &c. parte ex altera, Ordinumque, Regnorum, & Dominiorum utriusque Partis, Bithomiae, & Bendzini congregatos, convenerunt, firmiter, inviolabiliterque obſervabimus, Ordinesque univerſi in perpetuum obſervabunt, Sereniſſimis Principibus noſtris, ut obſervent, Authores erimus, neque ut aliter fiat, aſſenſum, conſilium, aut auxilium noſtrum unquam praeſtabimus, ſed eandem Transactionem, & Pacta omnibus viribus tuebimur, Ordinesque univerſi perpetuis temporibus tuebuntur, ſic nos DEVS adiuvet, & haec Sancta eius Evangelia.* ANNO 1589.

Quod ſupra ſcriptum Juramentum, quemadmodum et commemoratam Transactionem, in omnibus eius punctis et clauſulis ſancte, firmiter, inviolabiliterque obſervare, neque unquam in ullo contravenire illis promittimus, ſpondemusque. In quorum omnium fidem, et evidentius teſtimonium haſce manu noſtra ſubſcripſimus, Sigillisque noſtris obſignavimus. Datum Pragae decima die Menſis Julii Anno Domini MDLXXXIX.

*Mandatum Ordinum eorundem in eos, qui nomine illorum iurarunt, a Cæſarea Maieſtate editum.*

RUDOLPHUS II. Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae etc. Rex, Archidux Auſtriae, Dux Burgundiae, Marchio Moraviae, Lucemburgenſis, et Sileſiae Dux, Luſatiaeque Marchio etc. ſignificamus Praeſentibus hiſce, quorum intereſt univerſis et ſingulis. Cum inter Nos, Regna, et Ditiones noſtras, et Sereniſſimum Principem Dominum SIGISMUNDUM III. Regem Poloniae, Magnum Ducem Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiaeque etc. praeter reliquas Tranſactionis Bithomiae, et Bendzini inſtitutae, factaeque Conditiones, etiam haec utrinque recepta, diſerteque in Tranſactione expoſita fuerit, ut ad alteram eius Serenitatis Legationem, quae a Nobis Juramentum, et Transactionis confirmationem exceptura eſſet, etiam Regnorum

ANNO 1589. noſtrorum Hungariae, atq; Bohemiae, Archiducatus Auſtriae, Marchionatus Moraviae, Ducatuum Sileſiae, et Marchionatus Superioris, et Inferioris Luſatiae Ordines, aut omnium Ordinum nomine, praecipui aliqui Proceres ad id nominati, aut ſufficiente in eam rem Mandato inſtructi Juramentum ad praeſcriptum formulae in dicta Transactione comprehenſæ, ederent, idque ſcriptum, et ſignatum dictæ ſecundæ Serenitatis eius Legationi traderent. Cum vero dicti Regni Hungariae Comitia, in quibus aliqui Proceres cum plena in eam rem facultatem deputandi erant, ob multa et gravia impedimenta haberi hoc tempore nequiverint, commemoratos tamen Regni noſtri Bohemiae, Archiducatus Auſtriae, Moraviae, Sileſiae, Luſatiaeq; Status, atque Ordines (approbantibus ipſis eandem Tranſactionem, in omnibus eius capitibus, punctis, et clauſulis, illasque conditiones pro parte ſua adimplere, iisque omnibus ſatisfacere cupientibus) auctoritate proxime habitorum comitiorum ſuo ex numero infra memoratas Perſonas delegaſſe, et ad hoc deputaſſe. Nimirum ex Regno Bohemiae Illuſtrem Guilhelmum Urſinum, Domus Roſembergicae Gubernatorem, Equitem Aurei Velleris, Intimum Conſiliarium noſtrum, & Supremum Regni Bohemiæ Burgravium, Magnificos, & Generoſos Georgium Seniorem de Lobkovicz in Libechowicz Mielnico, & Liczkow Cubicularium noſtrum, & ſupremum eiusdem Bohemiæ Regni Curiæ Præfectum, Georgium Borzitam de Martinicz in Smeczna Supremum Judicem Regni Bohemiæ, Joachimum Novohradſki de Kolowrath in Koſſatek Burgravium Arcis Carlſtein, Chriſtophorum Juniorem de Lobkovicz in Tahav, Noſtrum Cubicularium, & Supremum Regni Bohemiæ Cameræ Præfectum, Venceſlaum Bercka de Dube, & Lippeho in Richumburg, Volphgangum Novohradſki de Koluvrath in Lnarzich. Carolum a Biberſtein in Dievin Supremum Regni Bohemiæ monetæ Præfectum. Venceſlaum de Krziccian in Horzovicz, Georgium a Stenberg in Zelena hora, Nobiles, & Strenuos Mihaelem Spanowſki de Liſova in Paczov, & Vocziczy Supremum Regni Bohemiæ Notarium, Burzanum Trzcka de Lippi in Swietla ſuper Sazuavam Succamerarium eiusdem Regni, Albertum Capaun de Swoykowa in Hluſiczych Burgravium Diſtrictus Hradecenſis, Vilhelmum Voſtrovetz de Kralovitz in Vlaſſim Procuratorem noſtrum in Regno Bohemiæ, Venceſlaum Pleſs Herzmanſki de Slaupna Capitaneum minoris Urbis Pragenſis, Radslaum Wchinſki de Wchinicz in Teplicz, Venceſlaum Rudovecz de Budowa Conſiliarios noſtros, Chriſtophorum Zieleńſki de Sebuzina Vicenotarium Regni Bohemiæ, Chriſtophorum Schleinitz de Schleinitz in Honſpach, Vilhelmum Ureſſovetz de Ureſſovitz in Janchoviczych. Ex Archiducatu autem Auſtriæ Magnificos Generoſos Nobiles, & Strenuos Sigismundum Comitem ab Hardegk Glatz, & Machland in Rigerſpurg Hæreditarium Pincernam Archi-Ducatus Auſtriæ, Supremum Dapiferum Stiriæ, Maximilianum a Mainmaing in Kirchperg ad fiuvium Palacenſem, & Sitzental, Joannem Baronem a Tſchernembel in Schverdperg, & Veindegk Pincernam Hæreditarium per Carniolam, & Marchiam Sclavonicam, Georgium a Naihaus in Stadkirchen, & Senftenberg Conſiliarios noſtros. Ex Marchionatu vero Moraviæ Magnificos, & Generoſos Hynconem Brtnitzki de Waldſtain in Brtnicz Capitaneum, & Supremum Camerarium, Joannem a Boſkovicz in Trzevove Supremum Judicem eiusdem Marchionatus, Taſſum Meſerziczki de Lomnice in Gemnitz, Reverendum Eggerdum a Schvoben Abbatem Vielegradenſem, Nobiles, & Strenuos Nicolaum de Hradku in Nova Arce Succamerarium prædicti Marchionatus Moraviæ, Venceſlaum Zachradetſki de Zachradek in Budzisſkoviczich. Ex Ducatibus Sileſiæ Illuſtrem Carolum Munſtenbergen, & Olnenſium Ducem Comitem Glacenſem, Magnificum, & Generoſum Sigefridum a Promnitz liberum Baronem Pleſſnau. Soravien, & Tribelien, in Hoyerſverda Ducatus Saganenſis Tenutarium, Conſiliarium noſtrum, Nobiles, & Strenuos Brandarum a Zedlitz in Hartmandorff, Georgium Strzela a Dzielav in Milben, Nicolaum a Burgkhaus in Stoletz, & Schisdperg, Erasmum Muller in Malckwicz, Simonem Hannibal in Retenſirben, & Pilſnitz Conſiliarium noſtrum. Ex Marchionatu Superioris Luſatiæ, Nobiles, & Strenuos Erneſtum a Rechemberg in Broſtau Conſiliarium noſtrum, & Capitaneum dictæ Superiorioris Luſatiæ, Hieronymum a Schonaich in Sigersdorf. Ex inferioris vero Luſatiæ Marchionatu Magnificum, & Generoſum Carolum a Kitlitz liberum Baronem Malnicien: Eiſembergenſem, & Sprembergenſem, Nobilem, & ſtrenuum Richardum a Schullenburg in Lubenau: Lubros, & Straupicz fideles Nobis dilectos. Quibus quidem Perſonis coniunctim, & diviſim pleniſſimam facultatem, & poteſtatem omni meliore forma, modo, Jure, ac ſolenni-

ANNO 1589.

Anno 1589. enitate, qua id de Jure fieri debet, attribuerunt, & conceſſerunt, non ſolum ſupradictum Juramentum forma tali, quæ in Tranſactione continetur, tum in ſuam, tum in Omnium Ordinum, & Statuum Regni Bohemiæ, Archi-Ducatus Auſtriæ, Marchionatus Moraviæ, Ducatuum Sileſiæ, atque utriusque Marchionatus Luſatiæ animam, corporaliter in Sancta DEI Evangelia præſtandi, verum etiam reliqua omnia, quæ ad dictam Tranſactionis Confirmationem requiruntur, & facere ſeu ſpectare videntur, itidem plene exequendi, tractandi, & gerendi. Præterea ſæpe dicti Ordines ſub fide, & honore ſuo ſolenniter ſpoponderunt, promiſeruntque ea omnia, quæ a Commemoratis Perſonis, & ipſorum Delegatis, circa hunc actum geſta, tranſacta, iurataque fuerint, rata, & firma ſe habituros, iisque non ſecus obſtrictos, & obligatos fore, ac ſi ab omnibus, & Univerſis acta, geſta, iuramentoque roborata, & firmata eſſent, quemadmodum iidem Status atque Ordines Regni noſtri Bohemiæ, Archi-Ducatus Auſtriæ, Marchionatus Moraviæ, Ducatuum Sileſiæ, & utriusque Marchonatus Luſatiæ, ex hoc tempore firmiter, ac bona fide, ad ea omnia ſe obligant, obſtringuntque, rataque, ac firma illa habent. In quorum fidem, ac teſtimonium haſce manus noſtræ ſubſcriptione, & ſigilli noſtri appenſione communiri iuſſimus. Datæ Pragæ decima Menſis Julii Anno Domini Milleſimo Quigenteſimo Octuageſimo Nono. Regnorum noſtrorum Romani decimo quarto, Hungariæ decimo ſeptimo, & Bohemiæ itidem decimo quarto.

RUDOLPHUS.

Adamus *de nova Domo S. R. Bohemiæ Cancellarius.*

Oslualdus de Schvenfeldt.

*Ad Mandatum S. Cæſar. Maieſt. proprium.*

Seb. Heugel.

LXIX.

Rudolphus *ſecundus Imperator promittit ſe curaturum, ut Ordines Regni Hungariæ in proximis Comitiis Tranſactionem Bendzinenſem, & Bithomienſem Juramento confirment, quam ſuo, & Regni ſui Bohemiæ, nec non Auſtriæ, Moraviæ, & Sileſiæ Ordinum Juramento iam confirmatam eſſe teſtatur.* Dat. Pragæ die 14. Julii Anno 1589. *Ex Originali.* Anno 1589.

Rudolphus II. Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Marchio Moraviæ &c. Dux Lucemburgiæ ac Superioris, & Inferioris Sileſiæ, Wirtembergæ, & Teckæ Princeps Sveviæ, Comes Habſpurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravius Alſatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac ſuperioris, & Inferioris Luſatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, & Salinarum &c. Significamus hiſce Præſentibus, quorum intereſt univerſis, & ſingulis. Quod cum Tranſactioni inter noſtros, & Sereniſſimæ Domus noſtræ Auſtriacæ, Regnorumque Hungariæ, & Bohemiæ, cæterorumque Ditionum noſtrarum hæreditariarum ex una, & Sereniſſimi Principis Domini Sigismundi III. Regis Poloniæ Magni Ducis Litvaniæ, ac Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæque, nec non commemorati Regni Poloniæ, Magni Ducatus Litvaniæ, cæterarumque Ditionum eius, parte ex altera Commiſſarios, qui Bithomii, & Bendzini nuper congregati fuerunt initæ, in omnibus ex parte noſtra ſatisfacere ſincero animo cupiamus, ita quidem, ut etiam hodierna die, noſtro atque Ordinum Regni Bohemiæ, Auſtriæ, Moraviæ, Sileſiæ &c. Nomine Procerum ad id deputatorum, iureiurando eandem in omnibus confirmaverimus, Regni autem noſtri Hungariæ Comitia, quibus aliqui Proceres ab illis Ordinibus ad idem præſtandum cum plena poteſtate nominandi erant, haberi propter varia Magni momenti impedimenta nequiverint, Nos hac etiam in parte Tranſactioni ſatisfactum cupientes, ſupradicto Sereniſſimo Poloniæ Regi &c. Regnoque, & Ditionibus ſupra ſcriptis, præſentibus Literis noſtris ad id Nos obligamus, atque adeo promittimus, ſpondemusque eſſe Nos curaturos, ut commemorati Regni Hungariæ Ordinum nomine deputati, & ſufficienti Mandato in eam rem inſtructi Proceres, in proximis illius Regni Comitiis, quæ quamprimum fieri poterit, & ſi quidem fieri poterit, ante huius adhuc anni exitum haberi curabimus, Juramentum, iuxta formulam in iam commemorata Tranſactione Ordinibus præſcriptam, præſtent, utque Juramenti Literæ, & Inſtru-

ANNO 1589. ſtrumentum ſubſcriptum, Sigillisque Procerum munitum dicto Poloniæ Regi mittantur. Cum autem ea temporis ad Juramentum ab Hungariæ Ordinibus, vel ab eis deſtinandis Proceribus præſtandum aſſignati, prorogatio rebus id neceſſario exigentibus facta ſit, expreſſe id hiſce Literis noſtris cavemus, nihil hanc temporis immutationem Tranſactioni, ita iam a Nobis ſuſceptæ, & roboratæ nocere aut derogare poſſe. Verum eam eiusdem roboris atque valoris fore, ac ſi circa noſtrum, cæterorumque Dominiorum noſtrorum Ordinum Juramentum illud præſtitum fuiſſet. In quorum omnium fidem Præſentes has ſubſcripſimus, ac Sigilli noſtri appenſione communiri iuſſimus. Datum in Arce noſtra Regia Pragæ die decima quarta Menſis Julii Anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo nono, Regnorum noſtrorum Romani decimoquarto, Hungarici decimo ſeptimo, & Bohemici itidem decimo quarto.

RUDOLPHUS.

Tiburtius Himelrrih.

## LX

MAXIMILIANI *Archiducis de Tranſactione per Ordines Hungariæ confirmanda, iiſque, quæ ex eadem Tranſactione reliqua debentur adimplendis Cautio.* Datum Vislicii 1. Sept. 1589. *Ex Originali.*

MAXIMILIANUS Dei Gratia Archidux Auſtriae, Dux Burgundiae, Comes Tyrolis etc. *S*ignificamus Praeſentibus hiſce, quorum intereſt univerſis, et ſingulis. Cum Ordines Regni Hungariae ſecundum Formulam Tranſactionis Bythomienſis et Bendzinenſis, Iuramentum in eandem Transactionem praefinito tempore praeſtare non potuiſſent, atque etiam aliis rebus nonnullis infraſcriptis Tranſactioni per omnia ſatisfactum non videretur, Nos in omnibus rebus Tranſactioni ei ſatisfacere cupientes, utque nihil ea in re deſideretur ad dignitatem noſtram pertinere iudicantes, *S*ereniſſimo Regi, atque Ordinibus Regni Poloniae ſequentem cautionem ultro obtuliſſe, praeſtitiſſeque, quemadmodum quidem Praeſentibus hiſce offerimus praeſtamusque. Imprimis promittimus ſpondemusque, et Nos apud Caeſaream Maieſtatem, Dominum Fratrem noſtrum obſervandiſſimum, et Caeſaream Maieſtatem apud Ordines Regni Hungariae curaturam, prorſuſque effecturam, ut Iuramentum, quod ſecundum ſomulam Tranſactionis praeſtare debent, Hungariae quoque Regni Ordines in primis Regni Hungariae Comitiis praeſtent, neque ante praeſtitutum Iuramentum, vel in poſterum ullo unquam tempore praedictam Tranſactionem turbent, neque Nos eo vel praetextu, vel cauſa, aut commemoratam Tranſactionem, et Pacem turbabimus, aut ad eandem turbandam vel auxiliis Regni Hungariae, vel favore ullo, vel tranſitu, quemadmodum ne *S*. R. I. quidem aut *S*ereniſſimæ Domus noſtrae Auſtriacae, aliarumve Ditionum eius unquam utemur. Cum deinde Confirmatio Tranſactionis ea *S*igillo tantum Regni Bohemiae ſignata ſit, tituli etiam, qui in Tranſactione recepti ſunt in dubium vocari dicantur, effecturos ſimiliter, praeſtituroſque Nos ſpondemus, ut hi etiam defectus a Caeſarea Maieſtate intra ſex Menſes a data Praeſentium computandos, omni meliore modo reſarciantur, ſuppleanturque; interim vero nihil commemoratae Tranſactioni ulla in re derogatum cenſeri debere: verum eandem in ſuo robore, atque authoritate, ut nunc, ita perpetuo permanſuram, quae etiam a Nobis praeſtari confirmationes debent, eas illis Formulis, quae iam ante a Nobis ex vi Tranſactionis probatae, acceptae, et per Conſiliarium noſtrum Andream Hanvivaldum ſubſcriptae fuerant, quam primum intra fines Regni Poloniae pervenerimus, ſine ulla controverſia Nos edituros, tradituroſque, et ea, quae ex praeſcripto Tranſactionis Nobis incumbunt, ſine ulla mora completuros, praeſtituroſque. *S*imiliter autem hanc ipſam etiam Cautionem, ſi ii, qui ad fines Nos deducent, opus id fore iudicaverint, de verbo ad verbum denuo ſub manu, ac Sigillo noſtro edituros, ſive autem aliam ediderimus, ſive non, hanc tamen perpetuo firmam, ratamque futuram. Quae omnia ſicut a nullo adacti, invitatique, aut perſvaſi, verum noſtra ſponte, deliberato, atque conſulto non ſolum recepimus, verum ultro etiam ad ea Nos obtulimus: ita tam haec, quam ipſam etiam commemoratam Tranſactionem, ac Pacem in omnibus eius punctis, clauſulis, et Articulis firmiter inviolabiliterque Nos conſervaturos, neque unquam contra ea venturos verbo Principis, et ſub vi Iuramenti, quod ex Formula Tranſactionis

ANNO 1589.

ANNO 1589. nis praestare debemus, promittimus, spondemusque. In quorum fidem et evidentius testimonium hasce manu nostra subscripsimus, Sigilloque nostro obsignari mandavimus. Datum Vislicii prima die Septembris Anno Domini Millesimo Quingentesimo Octuagesimo Nono.

MAXIMILIANUS.

## LXXI.

*Regiæ Maiestatis ad Summum Pontificem de Conditionibus Transactionis Bendzinensis per* MAXIMILIANUM *Archiducem contra datam fidem non expletis Epistola.* Datum Varsaviæ 9 Januarii Anno 1690. *Ex Arch. Thes. Reg.*

*Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater, ac Domine Domine Clementissime.*

Post oscula pedum beatorum, meique, Regni, ac Dominiorum meorum humillimam commendationem, invitus sane facio, ut apud Sanctitatem vestram de quoquam querar, eorum praesertim, cum quibus ut multarum rerum necessitudines mihi intercedunt, ita maxima etiam, ac quam constantissima animorum coniunctio merito intercedere debebat. Sed cum causa querelarum earum nulla a me proficiscatur, quod silentio eas plane praeterire non potuerim necessitati, quod apud Sanctitatem potissimum vestram deponendas eas existimavi, pietati in Sanctitatem vestram meae tributuram eam spero. Quamvis enim eae res, de quibus querendum mihi est, non minus ad S. V. Auctoritatem, contra quam maxime eae susceptae sunt, pertineant, tanquam ad communem Christianitatis Parentem, sed maxime ideo etiam ad S. V. deferendas eas putavi, quod non minus de Eius, Sanctaeque Sedis Apostolicae dignitate, quam meis, Regnique mei rationibus in iis agatur. Qua ratione quibusque Conditionibus, qua denique Religione, superiore anno inter Serenissimam Domum Austriacam, et me Regnumque meum Transactio quaedam constituta sit, quomodo autem ea discessu Illustrissimi Archiducis MAXIMILIANI turbata, supervacaneum puto ostendere, cum universo Orbi Terrarum, maxime autem S. V. notissima iam haec sint, cuius interventui atque authoritati potissimum ea data fuit. Rationes etiam quibus in dubium nunc ea vocatur, non necessarium puto refutare, quod et ad huiusmodi rem inficiendam, quae tot Principum, Regnorumque Chirographis, ac iure iurando sanctissime confirmata sit, nullam unquam satis iustam causam reperiri posse statuam, & quæ causæ eius rei afferuntur, eas vel nullo contradicente res ipsa satis refutet. Cum enim duplici, ut audio, colore Transactio ea nunc enervetur, uno, quod vel ipse Serenissimus Archidux MAXIMILIANUS, vel consensus eius adhibitus ad eam non sit, altero, quod ab Illustre, ac Magnifico Joanne de Zamoście Regni mei Cancellario, & Copiarum Præfecto, ultra diem in Transactione præstitutam, idem non nihil retentus, novaque Cautio accepta ab eo sit. Priore sane nihil plane iuvari eos posse, vel Transactio ipsa testis esse potest; in altero accusari potius possunt, quod & ipsius Serenissimi Archiducis retinendi, & Cautionis eius ab eo accipiendæ ipsi causam præbuerint. Non interfuit sane Serenissimus Archidux MAXIMILIANUS ipse conventui Commissariorum, neque ulla ratione multis, & gravibus de causis fieri id potuit, ut enim alia taceantur, cum in finibus Conventus haberetur, sine maximo exercitu deduci eo non potuisset. Conventui igitur ipse quidem non interfuit, at a Serenissimi Imperatoris, cæterorumque Serenissimorum Archiducum Fratrum eius, universæq; adeo Serenissimæ Domus Austriacæ Commissariis Transactio ea constituta, ab ipsis deinde Principibus non solum rata postea habita, verum etiam partim Chirographis, partim iureiurando sanctissime confirmata fuit, quorum ille consilio, & authoritate adductum, & Regium nomen se susscepisse, & reliqua omnia administrare, in quorum denique potestate se esse, futurumque semper confirmare solebat. Neque tamen ita omnia constituta fuerunt, ut de omnibus rebus cum ipso etiam Serenissimo Archiduce MAXIMILIANO prius communicari, deque omnibus, quæ agerentur ipsi etiam liquere non potuerit. Nam & Literis, & Internuntiis tam a Cæsarea Maiestate, cæterisque Serenissimis Principibus Austriacis ad eundem Serenissimum Archiducem, quam ab eo ad Cæsaream Maiestatem, cæterosque Consangvineos Principes, quotiescunque uti iis visum illi fuit, liberrimus commeatus permissus

ANNO 1589.

ANNO 1590. sus semper fuit, adeoque vel Conventu ipso durante non rari cum Internuntii, tum Literæ utrinque commearunt, ne dicam iam nihil omnino aliud in Conventu eo per communes Commissarios constitutum, quam quæ iam ante post Biczinense prælium ipsius deditionis Conditionibus constituta, sancitaque fuissent, quin aliquid potius de iis mitigatum fuisse. Ad ea vero quod attinet, quæ cum Illustri ac Magnifico Regni mei Cancellario postea intercesserunt, fuit sane illi, & a me, & ab Ordinibus Regni mei eiusdem Serenissimi Archiducis MAXIMILIANI custodiendi cura ea conditione commissa, ut cum omnibus Transactionis capitibus, quæ ante dimissionem eius exleri debebant, satisfactum esse a Legatis, qui Pragam missi erant, cognovisset, *Se*renitatem eius sine ulla mora dimitteret. Ad deducendam vero Serenitatem eius, alii ex Senatorio Ordine in Comitiis Legati fuerant. Cum vero quibusdam rebus satisfactum non fuerit, si paucos aliquot dies ultra præstitutam diem retenta ideo Serenitas eius fuit, Cautioque de iis servandis ab ea accepta, non propterea ipsius Transactionis tollendæ iustam causam habent, sed sibi potius per quos id steterit, merito imputare debent. Cum præsertim & aliarum quarundam rerum dies, qui in Transactione præfiniti fuerant, ante etiam non satis accurate ab iis ipsis observati fuerint, & quod Iuramentum suum, ac de Hungaricorum Ordinum Iuramento controversiam tamdiu ipsi duxissent, ut nihil aliud incidisset, non multo prius tamen fere Serenissimus Archidux MAXIMILIANUS dimitti potuerit, quam dimissus est. Neque vero de levibus adeo rebus hæsitatum fuit. Primum enim Iuramentum requisitum fuit Ordinum unius Regni, quod cum ex Transactione præstari debuisset, plane præstitum non fuit. Deinde vero de titulo Provinciæ integræ in eadem Transactione, recepto, postea autem in dubium vocato, seu omnino potius negato actum fuit. Ad extremum de Sigillo, quod ad confirmandam Transactionem privatum Regni Bohemiæ adhibitum fuerat, cum ad similia negotia aliud Aulicum, quod Imperii Sigillum referret, applicari alias consveviset. De quibus rebus cum controversia esset, quid humanius fieri potuit, quam ut Cautione, ad quam præsertim ultro idem *Sereni*ssimus Archidux MAXIMILIANUS se obtulerat, sola accepta, dimtteretur. Quæ cum ad constitutam ante Transactionem magis confirmandam, seu perficiendam potius tota pertineret humanitas hæc mea, atque Ordinum, quemadmodum quidem speraram, magis ad arctiorem amicitiam coniungendam, quam ante constitutam dissuendam valere debuisset. *Sed* cum alius nunc, quam ego vel opinatus fueram, vel esse debuisset, exitus rerum harum fuerit, ad nullum rectius, quemadmodum ante iam ostendi, quam ad Sanctitatem Vestram deferre me ea debere statui, quæ Transactionis huius maxime & author, & sequester fuerit. Cum autem ipsa res per se gravissima sit, tum multo etiam gravius est, quod id potissimum eius rei tempus captatum sit, quo me ad congressum cum Sereniss*i*mo Sveciæ Rege Parente meo observandissimo profecto Regnum meum non minus fortassis ob suspiciones Transactionis eius a *Sereni*ssimi Archiducis MAXIMILIANI dimissi, quam alias ob causas, quæ praetendebantur, cum a Tartaris, tum Turcarum Copiis gravissimum periculum adibat. A Sanctitate Vestra etiam atque etiam peto, ut si rem Christiano Orbi tam salutarem sine ulla iusta causa turbari, si non minus suam authoritatem, quam Transactionem mecum, & Regno meo semel susceptam violari intelligit, communem sibi dolorem hunc mecum statuat, authoritateque sua contra eos potissimum utatur, qui huius turbationis authores, & causa sunt. Atque constitueram sane per Legationem eam, quam pro mea in S. V. atque Sanctam Sedem Apostolicam observantiae iam dudum S. V. debeo, ad Sanctitatem Vestram hæc deferre. Verum cum huiusmodi res hæc esset, ut nullam moram pateretur, & de qua ne Legationi ipsi impedimenti aliquid afferret, verendum mihi esset, malui nulla mora interposita hisce Literis id facere. Quid quid igitur de S. V. hac in re expectandum mihi sit, ut S. V. primo quoque tempore significare mihi velit, diligenter S. V. supplico, quo quid ulterius hisce de rebus statuendum mihi sit, quam primum amplius cum Ordinibus Regni mei deliberare possim. Simul vero ut maiori Legato, quem ad S. V. delegavi, prospicere aliqua ratione S. V. ne gravetur, quo sub hasce suspiciones sine cuiusquam impedimento, quam tutissime ad S. V. pervenire possit, non minus diligenter *S.* V. supplico, gratiæque *S.* Vestræ me, Regnum, Ditioneseque meas diligenter commendo. Datum

ANNO 1590.

ANNO tum Varſaviæ 9. Januarii Anno. 1590.
1590.

LXXII.

*Eadem de re ad Cæſaream Maieſtatem.* Dat. Varſav. die 7. Feb. Anno 1590. *Indidem.*

Sereniſſimo & Excellentiſſimo Principi Domino RUDOLPHO II. divina favente clementia Rom. Imperatori ſemper Auguſto, ac Germaniæ, Bohemiæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Regi, Archiduci Auſtriæ, Duci Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, &c. Comiti Tyrolis, &c. Domino Conſangvineo, Vicino, & Amico noſtro chariſſimo. SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, &c. nec non proximus Hæres Regni Sveciæ, & futurus Rex &c. Sereniſſime & Excellentiſſime Princeps Domine Conſangvinee,& Vicine noſter chariſſime. Cum diſſenſio ea, quæ ſuperiore tempore inter Nos, Ditionesque noſtras inciderat, non modo per communes Commiſſarios tanto ſtudio, quantum ad eam rem adhibitum fuit, compoſita fuiſſet, verum Compoſitio etiam ea, quemadmodum a Nobis, ita a Maieſtate etiam Veſtra, cæterisque Sereniſſimis Archiducibus plerisque, atque utriusque Partis Regnorum Ordinibus, partim Juramento, partim Chirographis confirmata eſſet, nihil minus Nobis in mentem venire poterat, quam ut res tam ſolenniter, ac tanta cum Religione conſtituta per ullam occaſionem unquam in dubium vocaretur, aut ut quod accidiſſe videmus, Sereniſſimus Archidux MAXIMILIANUS Juramento, quod ab ipſo praeſtari debuerat, non praeſtito, infectam quaſi Tranſactionem relinqueret, qua de re multa ſane queri poſſemus. Non modo enim Tranſactionem ipſam, & tot Principum, ac Populorum fidem in dubium vocari, verum iniquiſſimum etiam tempus noſtrum ſtudioſe captatum intelligimus, quo Nobis ad Sereniſſimum Sveciae Regem Parentem noſtrum obſervandiſſimum profectis, graviſſimum a Turcis, & Tartaris bellum Regno noſtro intentabatur. Verum nolumus in praeſentia pluribus hac de re cum Maieſtate veſtra queri. Cum autem a congreſſu cum Sereniſſimo Parente noſtro in Regnum noſtrum nunc rediiſſemus, non committendum Nobis putavimus, quin primo quoque tempore Maieſtatem veſtram de ea appellaremus. A Maieſtate veſtra diligenter poſtulamus, ut ſi non modo ſuam, aliorumque Principum fidem, verum tot Populorum etiam quietem tentari intelligit, quod aliorum errore turbatum eſt, id ipſa ſua prudentia corrigere velit, utque ab iis, ad quos amplius ea res pertinet, & qui non modo in poteſtate eius eſſe debent, ſed quorum factum etiam Maieſtas veſtra ipſa iuſiurandi Religione recepit, corrigatur, curet. Quicunque autem ſenſus Maieſtatis veſtrae hac de re fuerit, quidque expectandum de ea Nobis ſit, ut per eundem hunc, qui haſce Literas ad Maieſtatem veſtram defert, Maieſtas veſtra Nobis reſcribat, itidem diligenter poſtulamus. Maieſtati veſtrae omnia fauſta, ac felicia a Deo Optimo Maximo precamur. Datum Varſaviae die 7. Feb. 1590. ANNO 1590.

LXXIII.

*Ad Cæteros Sereniſſimos Archiduces mo exemplo.* Dat. Varſav. die 7. Mart. Anno 1590. *Indidem.*

SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiæ, Pruſſiæ, &c. Sereniſſimo Principi Domino FERDINANDO Archiduci Auſtriae &c. Sereniſſime Princeps Domine Conſangvinee noſter chariſſime. Quem exitum Tranſactio inter Nos, Regnumque noſtrum, & Sereniſſimam Domum Auſtriacam ſuperiore anno per communes Commiſſarios conſtituta, poſtea autem utriusque Partis Principum, & Ordinum, partim iuramentis, partim Chirographis ſancita habuerit, quomodoque a Sereniſſimo Archiduce MAXIMILIANO Juramento, quod praeſtari debuerat, non praeſtito, infecta, aut ſuſpenſa certe fuerit, non neceſſe arbitramur multis repetere. Appellandos autem, ea de re nullos rectius cenſuimus, quam eos, qui Tranſactionem eam non modo ipſi per Commiſſarios ſuos conſtituerint, verum & ratam poſtea habuerint, & ratam perpetuo futuram, partim Juramento, partim Chirographis ſuis caverint. Inter quos cum Serenitas etiam Veſtra ſit, facere non potuimus, quin quam primum a Congreſſu cum Sereniſſimo Sveciae Rege Parente noſtro obſervandiſſimo rediiſſemus, ad ipſam quoque hac de re Literas haſce mitteremus, Serenitatem Veſtram, quam pro ſua prudentia non modo publicam quietem, verum tot Principum etiam, ac populorum fidem, hac in re agi ſatis perſpicere ſtatuimus, non dubitamus ipſam etiam pro ſuo loco operam daturam: quod quidem ut faciat, Nos etiam diligenter nunc ab ea poſtulamus, ut quod non nullo fortaſſis humano errore admiſſum eſt, eo maiore cura, ac Religione reſartiatur. Quid quid tamen hac de re, Nos Regnique noſtri Ordines ſibi polliceri debeant, ut per eundem hunc,

ANNO 1590. qui haſce Literas ad *S*erenitatem Veſtram a Nobis defert, Literis ſuis *S*erenitas Veſtra Nobis ſignificet, diligenter poſtulamus, eamque quam optime valere cupimus. Datum Varſaviae die 7. Mart. Anno 1590.

## LXXIV.

*Summi Pontificis Literæ, quibus ad ſuperiores Regiæ Maieſtatis reſpondet.* Dat. Romæ die 10. Martii Anno 1590. *Ex Originali.*

*Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro* SIGISMUNDO *Regi Poloniæ Illuſtri.*

*SIXTVS Papa* V.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Literas Maieſtatis Tuæ, quas ad Nos quinto Idus Januarii quam accuratiſſime ſcripſiſti, ſumma animi lætitia legimus, quod ea, quæ de Te ex aliis iam accepimus, in tuis Literis certiſſima perſpeximus. Et cum ab eo tempore, quo Nos MAXIMILIANUM, Transactionem initam, & Conventiones expreſſo chariſſimi in Chriſto Filii noſtri RUDOLPHI in Imperatorem electi eius Fratris, Auſtriacæque Domus conſenſu ſtabilitas, ſuoque iureiurando corroboratas, ratas habere recuſaſſe intelleximus, ut debuimus Maieſtatis Tuæ, & publicæ iſtius Regni tranquillitatis cauſa, maxima moleſtia affecti ſumus. Cumque huius rectam actionis tollendæ, & controverſiæ delendæ cauſæ obviam ire in præſenti cupiamus, hoc tempore dari Nobis facilitatem cupimus, qua utriusque rationibus conſultum eſſe poſſit. Idque matura conſultatione ſuper ea re cum aliquibus ex Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus adhobita, præſtare quamprimum curabimus, Pactionisque inter Vos celebratæ perpetuo vinculo confirmandae, iura pro utriusque *D*itionis conſervatione, & ſubditorum Pace, & Chriſtianae Reipublicae amplitudine illuſa, ab eodem MAXIMILIANO obſervari omni opera ſtudebimus, Maieſtatem Tuam interea hortamur, & monemus, ut Te, Regnoque Tuo firmiſſimis praeſidiis munito, eam tandem ineas rationem, quae Te Regno ſalvum, & incolumem, & Regnum Tibi, poſterisque tutum, atque ſecurum reddere poſſis. Idque cum Catholicam Fidem, de qua, & Tuorum Maiorum, qui in hoc Regno floruerunt exemplo, & tua praeclara illorum imitatione, ſingularique eius tuendae ſtudio, & omnium Regiarum virtutum praeſtantia es optime meritus, inprimis ſanctiſſime colere, *D*omumque Auſtriacam bene, & laudabiliter agendo, & omnes, ut magnum Regem decet, beneficiis afficiendo, & novarum rationum ſtudiis, vinculisque Tibi adiungere ſtudueris, non ſolum factu facillimum Tibi fore ſentis, ſed etiam exitum optimum, quem in tuenda, & augenda Republica Chriſtiana conſilia tua ſpectabunt, illum ex ſententia nullo negotio cum incredibili tua gloria, & Regni Tui incremento omnino Te conſecuturum eſſe Tu praeclare ſentis, & Nos Tibi affirmamus, in Nobisque recipimus. Quo vero ad ea, quae de Oratore Tuo, qui ad Nos venturus eſt, ſcribis, & ſi eum nullum a quopiam, maximeque ab eodem RUDOLPHO, quem noſtri ſtudioſiſſimum eſſe, Sedemque Apoſtolicam valde colere exploratum habemus, impedimentum habiturum certe ſciamus, tamen ad eundem RUDOLPHUM, ut Tibi ex ſententia ſatisfaciamus, diligenter ſcripſimus, ut ea Officia praeſtet, per quae tutum per ſuas Provincias eidem Oratori Tuo iter praebeatur. Ita Maieſtas Tua eum celeriter, ut debet ad Nos mittat, & quo Literae ea de re per eum ſcribendae iſtuc facilius, celeriusque perferri poſſint, cum eodem RUDOLPHO egimus, ut eas dari quam primum iubeat Nuntio noſtro Pragae reſidenti, qui ad Nuntium apud Te exiſtentem illas confeſtim transmittat. Quaecunque denique a Nobis, & a Sede Apoſtolica beneficia in Te, & Regnum Tuum profectura merito ſperas, ne Maieſtas Tua ullo unquam tempore fruſtra id expectet, quibuscunque poterimus ſtudiis, & officiis procurare, & efficere non deſiſtemus. *D*at. Romae apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die X. Martii, Anno *D*omini MDXC. Pontificatus noſtri Anno quinto.

M. Veſtrius Barbianus.

## LXXV.

FERDINANDI *Archiducis ad Regiam Maieſtatem Epiſtola.* Dat. Oenipotente die 22. Martii Anno 1590. *Ex Archivo Theſauri Regni.*

Sereniſſimo Principi Domino SIGISMUNDO III. Regi Poloniae, Domino Conſangvineo noſtro chariſſimo. Nos FERDINANDUS Dei Gratia Archidux Auſtriae, Dux Burgundiae &c. Comes Tyrolis &c. Salutem, & paratiſſimorum officiorum noſtrorum commendationem. Ex Literis Regiae Dignitatis, & Dilectionis Veſtrae Varſaviae ad Nos ſcriptis, & Nobis per harum

Anno 1589. harum latorem redditis intelleximus, quid a Nobis ratione Transactionis superiore Anno, inter ipsam, & inclytam Domum nostram sancitam postulet. Nos quidem non ignoramus, quid ad suae Caesareae Maiestatis Domini, & Patruelis nostri observandissimi instantiam, & requisitionem, & ut suae Caesareae Maiestati hac in parte gratificaremur, in dicta Transactione ratificanda fecerimus, in quo etiamnum acquiescimus. Quod eidem, cui omnia fausta atque felicia a Deo Optimo Maximo precamur, hisce paucis respondere voluimus. Datae in Civitate nostra Oenipotente vigesimo secundo die Mensis Martii Anno Domini MDLXXXIX. Serenitatis atque Dil. Vestrae.

*Amicus, & Consangvineus.*

FERDINANDUS.

## LXXVI.

1590. Ernesti *Archiducis ad Regiam Maiestatem Epistola.* Dat. Pragæ die 27. Martii Anno 1590. *Ex Originali.*

Sereniſſime Princeps *D*omine Consangvinee noster chariſſime, Literae *S*erenitatis Vestrae Regiae septimo die Martii datae, quibus Nobis eorum memoriam, quae confirmata nuper a Nobis Transactione promisimus amice renovat, recte accepimus. Ad quas ut sincere de animi nostri sententia respondeamus, sciet *S*erenitas Vestra optime Nos, quid promissum a Nobis fuerit meminisse, idque re ipsa, ne qua de Nobis unquam iusta esse querela possit, integre, & ut inter coniunctissimos Principes decet, constanter praestare, & complere paratos esse. In caeteris ad ea, quae *S*acra Caesarea Maiestas *D*ominus, & Frater noster chariſſimus, & observandissimus, per Legatum responsura est suum, *S*erenitatem Vestram amice remittentes, nostrum ad omnia, quae eidem a Nobis proficisci grata possint, studium permanenter deferimus. *D*atum Pragae vigesima septima Martii Anno *D*omini Milleſimo Quingenteſimo Nonageſimo. Eiusdem *S*erenitatis Vestrae

*Bonus Consangvineus.*

ERNESTUS.

## LXXVII.

Anno 1590. *Literæ* Rudolphi II. *Imp. ad* Sigismundum III. *Regem. Postulat, ut Oratori suo, quem mutuæ amicitiæ conservandæ causa mittit, fidem habeat.* Dat. Pragæ d. 2. April. 1590. *Ex Originali.*

Rudolphus II. Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Wirtembergæ &c. Comes Tyrolis &c. Sereniſſimo Principi Domino Sigismundo III. Regi Poloniæ, Designato Sueciæ, Magno Duci Litvaniæ, ac Russiæ, Masoviæ, Samogitiæque Domino, Cognato, Vicino, & Amico nostro chariſſimo salutem, & mutuam benevolentiam. Sereniſſime Princeps, Vicine chariſſime. Qui istuc a Nobis ad Serenitatem Vestram missus venit Egregius, Fidelis, Nobis Dilectus Daniel Printzius a Buchau, Regni nostri Bohemiæ Appellationum Consiliarius, quæ ad amicitiam, bonæque vicinitatis coniunctionem inter utrumque nostrum, & utriusque Regna, Ditionesque servandam, perpetuandamque pertineant, nostro Nomine, iussuque exponet, responsurus & ad eas Literas, quas Ipsa ad Nos septimo Februarii dedit. Illum ut Serenitas vestra libenter, ac benevole audiat, utque fidem illi, quam Nobis, si coram loqueremur, habitura esset, habeat pro necessitudine nostra, & rei ipsius æquitate postulamus. De cætero, quod amicitia nostra dignum est, cuncta Serenitati Vestræ evenire prospera, ac salutaria precamur. Datum in Arce nostra Regia Pragæ die secunda Mensis Aprilis Anno Domini milleſimo quingetenſimo nonageſimo. Regnorum nostrorum Romani decimo quinto, Hungariæ decimo octavo, & Bohemiæ itidem decimo quinto.

RUDOLPHUS.

Jacobus Curtius a Senffenau.
Jo. Baruitius.

## LXXVIII.

Caroli *Archiducis ad Regiam Maiestatem.* Dat. in Gratz d. 3. Aprilis An. 1590. *Ex Originali.*

Sereniſſime Rex Domine Consangvinee chariſſime salutem, & mutui amoris

Anno 1590. continuum incrementum. Accepimus quas ad Nos ſeptima die proxime elapſi Menſis Februarii dedit Literas, quibus ita reſpondemus. Minime Nobis gratum fuiſſe id, quod ſuperioribus diebus a Sereniſſimo Patruele noſtro Archiduce Maximiliano de non præſtito Juramento intelleximus; verum non eſt, quod *Sereniſſima* Celſitudo Veſtra ſiniſtre quicquam ſuſpicetur, ſed perſvaſum omnino ſibi eſſe cupimus, Nos ne minimum quidem ob defectum Juramenti recuſati a ratihabitione Tranſactionis præfatæ diſceſſuros. Quin potius omni tempore, quantum ad Nos attinet, non obſtante, quicquid citra opinionem noſtram contigerit, firmiter, ac ſancte, & inviolatam conſervaturos. Id ipſum Maieſtatem Cæſaream Dominum Patruelem noſtrum clementiſſimum, cum cæteris Conſanguineis noſtris dilectiſſimis facturam. Quod reliquum eſt, Sereniſſimam Celſitudinem Veſtram, omnia proſpera a Deo ſibi imprecando, peroptime valere optamus. Datum in Civitate noſtra Gratz tertio die Aprilis Anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo.

*E. Sereniſſimæ Celſitudinis Veſtræ*

Conſangvineus addictiſſimus
CAROLUS.

## LXXIX.

*Ad eundem Archiducis* Mathiæ *Literæ.* Dat. Viennæ d. 9 Aprilis. An. 1590. *Ex Originali.*

Sereniſſimo Principi, Domino Sigismundo eius Nominis Tertio Regi Poloniæ, Magno Duci Litvaniæ &c. nec non Regni *Sueciæ* Hæredi &c. Domino, Amico, & Conſanguineo noſtro chariſſimo Mathias Dei Gratia Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ &c. Comes Tyrolis &c. ſalutem, ac perpetuum gratificandi ſtudium, cum omnis boni incremento. *Sereniſſime* Princeps, Domine Amice, & Conſanguinee noſter chariſſime. Ad ea, quæ Serenitas Veſtra Literis ſuis die ſeptima praeteriti Menſis Februarii, ad Nos datis, de Tranſactione *Sereniſſimæ* Domus noſtræ Auſtriacæ, ac Inclyti Poloniæ Regni communes Commiſſarios conſtituta, deinde etiam, utriuſque Partis Juramentis, ac Chirographis roborata Nobis in mentem revocat, adeoque ob non præſtitum ex Parte *Sereniſſimi* Maximiliani &c. Fratris noſtri chariſſimi Juramentum in dubium quaſi revocari, ac ſuſpenſum iri queritur, hoc duntaxat benevole reſpondendum duximus, arbitrari Nos *Sereni*tati Veſtræ haud excidiſſe memoria, qualiter ultra ea, quæ a *Sacra* Cæſarea Regiaque Maieſtate Nobis, cæterisque Archiducibus modo prædicta, rite ſancita, ac præſtita ſunt, Maieſtas eius Cæſarea per Conſiliarium ſuum Danielem Printz, ad *Sereni*tatem Veſtram deſtinatum ſe declaraverit, cui quidem declarationi non minus æquiſſimæ, quam ab eius Maieſtatis ſincera mente profectæ, Nos etiamnum inhærentes, Veſtramque *Sereni*tatem ad eam remittentes benevole, ac amanter eandem hortamur, ſibi ut perſvaſum habeat, nihil magis in votis Nobis eſſe, quam ut ea omnia, quæ tam ſolenniter utrinque ſancita ſunt, aliaque ad ſtabiliendam amicitiam integerrimam, amoris ac ſinceri Conſangvinei ſtudia ex parte quoque noſtra ſarta, tectaque ſerventur, ac præſtentur. De cætero *Sere*nitatem Veſtram optime valere cupimus. Dat. Viennæ nona die Menſis Aprilis Anno 1590. Anno 1590.

*Serenitatis Veſtræ*

Bonus Amicus, & Conſangvineus
Mathias.

## LXXX.

*Oratio Nomine Cæſareæ Maieſtatis recitata a Daniele Printz a Buchau eiusdem Conſiliario, & ad Sereniſſimum Poloniæ Regem Legato* d. 23. Aprilis Anno 1590. *Ex Archivo Theſauri Regni.*

Sacra Romanorum *Cæſarea*, nec non Hungariæ, ac Bohemiæ Regia Maieſtas, Dominus meus clementiſſimus, *Sereniſſime*, & Potentiſſime Rex Poloniæ, Magne Dux Litvaniæ, *Sere*nitati Veſtræ Regiæ, Amico, *Cognato*, & Vicino ſuo chariſſimo benevolam ſalutem nuntiat, ſique eidem in Regni huius adminiſtratione omnia feliciter, ac proſpere ſuccedant, uti quidem pro ſincera ſua benevolentia exoptat, de hac felicitate *Sere*nitati Veſtræ Regiæ gratulatur, & inpoſterum omnia, quæ ad tranquillitatem, & felicem rerum omnium ſucceſſum pertinere videntur, eidem precatur, ſimul quoque ampliſſimis Dominationibus Veſtris Reverendiſſimi, & Religioſiſſimi Antiſtites, Illuſtriſſimi, *Spectabiles*, ac Magnifici Proceres, Generoſi, & Fortiſſimi deniq; Equites gratiam ſuam, & propenſum animi ſtudium omnibus, & ſingulis benigne offert. Iniunxit mihi autem *Sacra* Maieſtas ſua traditis hiſce Literis, ut Mandata

quæ-

ANNO 1590. quædam Serenitati Veſtræ Regiæ exponerem, ea ut cum ampliſſimis Ordinibus, non gravatim audire, & intelligere velit, eo quo decet ſtudio, & obſervantia peto. Quanta inter Auguſtos Romanorum Imperatores, & Sereniſſimos Poloniæ Reges longa annorum ſerie fuerit coniunctio, familiaritas, & amicitia, neminem in hoc ampliſſimo conſeſſu eſſe puto, qui ignoret. Ut de vetuſtioribus, & quæ nimis antiqua videri poſſint, nihil dicam, ea ſaltem, quæ Inclytæ Domus Auſtriacæ propria ſunt, attingam, tantopere ſalus, & incolumitas Regni huius ampliſſimi Divis Imperatoribus MAXIMILIANO II. & qui eum ſecuti ſunt, curæ fuit, ut de eo non ſecus, ac de propriis ſuis Provinciis ſolliciti fuerint, & calamitates imminentes, omni, quo potuerunt, ſtudio averterint. Divi FERDINANDUS, & SIGISMUNDUS I. laudatiſſimae memoriae Principes mutuis officiis divincti fraterno ſe prorſus amore proſecuti ſunt, & de graviſſimis Reipublicae negotiis, & Literis, & Legationibus ſaepenumero contulerunt, & Faedera inter ſe conſtituta ſanctiſſime obſervarunt. In eadem benevolentia Divum quoque MAXIMILIANUM II. & SIGISMUNDUM AUGUSTUM perſtitiſſe, notius eſt, quam ut a me commemorari debeat. Atque hanc ſane ſinceram Principum iſtorum benevolentiam, & amicitiam, florentiſſimus huius Regni ſtatus, quod etiamnum in memoria hominum ſubſiſtit, conſecutus eſt. Taceo de connubiis, & affinitatibus, quae ſubinde inter Familias iſtorum Principum contractae, & de ampliſſimis dotibus aliquoties in hoc Regnum illatae ſunt, taceo inſuper de variis ornamentis, quae non raro Divi Imperatores in privatas Regni huius Familias contulerunt. Cum Sacratiſſimo Imperatori meo RUDOLPHO ſalute, & incolumitate totius Reipublicae Chriſtianae nihil ſit antiquius, cumque in eiusdem quaſi ſpecula conſtitutus, omnia quae perniciem aliquam afferre ſecum videntur, avertere cupiat, & vero erga ampliſſimum hoc Poloniae Regnum optime ſit affectus, Maiorum ſuorum veſtigiis (ſi modo eam voluntatem Genti huic gratam eſſe intellexerit) ut inſiſtat, modis omnibus elaborare ſtudebit, ut Maieſtas ſua hoc tempore eius rei indicium aliquod exhibeat, facere non potuit. Cum, etenim publicum Regni Conventum celebrari intellexiſſet, ad illum Me, quamvis gravibus de cauſis repugnantem ablegare, & praecipuum Legationis meae caput eſſe voluit, ut Serenitatem Veſtram Regiam, & ampliſſimos Regni Ordines, de ſincera ſua voluntate, & ſtudio, quo non ſolum inter ſe, & Serenitatem Veſtram Regiam amicitiam mutuam, verum etiam inter utriusque Regna, Provincias, & ſubditos, firmam concordiam, quietem, & bonam amicitiam fovere, & conſervare cupit, certos, & ſecuros redderem, cum praeſertim Maieſtas ſua, quosdam hac de re dubitare, quosdam cum periculorum metu diffidere, & de bellorum apparatibus, neſcio quos vanos rumores ſpargere acceperit, idque eo magis, quod praeterea Serenitatis Veſtrae Regiae Literae ſeptima Februarii ſcriptae, quae de non praeſtito a Sereniſſimo Maieſtatis ſuae Fratre MAXIMILIANO Juramento quererentur, ſupervenerint. Cum enim actiones ſuas, atque adeo cogitationes etiam ipſas, Bonis omnibus probare deſideret, re ipſa quoque demonſtrare cupit, nihil omnino, quod honeſtati, iuſtitiae, aut caeteris, quae Chriſtano Principe dignae ſunt, virtutibus repugnet, ad agendum ſibi eſſe propoſitum. Regiae itaque Serenitati Veſtrae, & toti Poloniae Regno, quacunque in re poteſt benigne gratificari, deque ipſis, qualibet occaſione oblata, quam optime mereri cupit, planeque ita comparata eſt, ita ad Pacem cum Serenitate Veſtra Regia, & Regno hoc conſtanter ſervandam animata, ut veſtigiis Maiorum ſuorum inſiſtendo, omnem ipſis potius benevolentiam (dummodo ipſi eundem quoque animum habeant, & erga inclytam Familiam Auſtriacam bene affecti ſint) quam ullam offenſionis cauſam praebere cupiat. Et quidem, quod ad Transactionem utrinque poſt ſuperiorum annorum offenſiones ſopitas, & ſublatas, nuper confirmatam attinet, eam Maieſtas ſua hactenus equidem, quantum potuit, & quantum debuit, quae quidem facti ſui fuerunt, integre conſtanterque ſervavit, et eandem ſe in poſterum quoque, dummodo idem etiam ex hac parte fiat, obſervaturam pollicetur. Ad Juramentum Sereniſſimi Fratris ſui MAXIMILIANI quod attinet, expoſuit is Sacrae Maieſtati ſuae multas ſibi duras Conditiones, & novas, antequam dimitteretur, praeter Tranſactionis ſancitae Pacta, & praeter Serenitatis Veſtrae Regiae, atque Ordinum Mandata obtruſas, & importuna coactione impoſitas, ad quas ſibi grave duxerit, re non ſatis mature deliberata iureiurando ex tempore obſtringi. Ob gravitatem itaque negotii non quidem detrectavit Juramentum, ſed dilationem ſibi dari, donec Sereniſſimis Agnatis ſuis hoc negotium communicaret, eorumque conſilio uteretur, petiit. Verum neque in hac parte Maieſtas ſua Serenitati Veſtrae Regiae, & ampliſſimis Ordinibus de-

ANNO 1590. erit, de his etenim postulatis ad Serenissimum Fratrem suum, primo quoque tempore scribet, & de iis cum caeteris Serenissimis Familiae suae Archiducibus conferet, ut collatis sententiis certi quid concludatur, & Serenitati Vestrae Regiae, sine ambagibus absolute respondeatur, neque dubitat, cum iidem Sereniſſimi Archiduces eadem hactenus in Pacem voluntate fuerint, illud ipsum, quod ex communicatione, communi consilio respondebitur, tale futurum, quo ad plenam animorum consensionem, ex hac parte confirmandam plurimum momenti allaturum sit. Quo animo Sacratissima Maiestas Caesarea erga Serenitatem Vestram Regiam, & amplissimum hoc Regnum sit affecta, ex iis quae a me pro mea tenuitate dicta sunt, intelligi potuisse spero. Verum non absque dolore Maiestas sua malam sibi pro hac animi propensione, a quibusdam inferri gratiam intellexit, quamvis enim omnes actiones suas ita instituat, ut ne malevoli iidem, quod re vera reprehendendum sit, habere possint, inveniri tamen quosdam auditione accepit, qui non solum in sese, eiusdemque inclytam Familiam Austriacam, quae tot saeculis de Republica Christiana bene merita est, gravissimas calumnias confingunt, sed etiam Constitutiones quasdam cum summa Familiae huius iniuria coniunctas urgeant, quam male Authores harum rerum posteritati consulant, dum illi in Patriam suam Nepotes, item, & Pronepotes, perpetua odia derivare cupiunt, Serenitas Vestra Regia cum amplissimis Ordinibus suis, pro prudentia sua, facili coniectura assequi potest, favores etiam in privata via ampliandos vulgata Juris consultorum Regula praecipit. Quod praeceptum nullo magis inter Summos Principes, & eorum Regna, atque Provincias, ad conservandam publicam Pacem, & tranquillitatem, locum habere debet, cum praesertim multae Respublicae hac ratione in optimo, ac florenti rerum statu conservatae, plurimae item, ob spretam vicinorum amicitiam ad internecionem deletae sint. Cum amplissimum hoc Regnum, ferociſſimas Gentes, a vero Dei cultu alienas, imo vero Christiani Nominis acerrimos hostes vicinos habeat, potius elaborandum est, ut eorum conatus mutuis viribus, & auxiliis infringantur, quam ut Regnum hoc novis, & perpetuis inimicitiis involvatur. Est & aliud, quod Maiestati suae Caesareae superioribus diebus, non parum molestiae asperſit, scriptum enim satis contumeliosum in celeberrimam domum Austriacam, a quodam publice, & parum verecunde sparsum est qui se, acre, & acutum suum ingenium Civibus suis demonstrare voluit. Aliam potius materiam, quam hanc cum contumelia tantorum Principum coniunctam quaerere debuit, cum aequitas, & integritas eiusdem amplissimae Familiae, toti Christiano Orbi perspecta sit, cum semper sinceriſſimo, & amiciſſimo erga vicinum hoc Poloniae Regnum animo fuerit, cumque ad extremum ista omnia Transactioni, & Paci non sint consona, quam hoc fiat indigne, Serenitas Vestra Regia, & quicunque secundum rectam rationem ista perpendere volent, facile iudicare poterunt. Ne itaque Sacra Maiestas sua, eiusque inclyta Familia praeter meritum eiusmodi non tolerandis iniuriis afficiatur, neve aliquid, quod tantis Principibus de toto Christianorum Orbe, tam benemeritis contumelioſum esse possit, statuatur, Serenitas Vestra Regia cum amplissimis Ordinibus suis, totaque insigni Nobilitate, uti spero, operam dabit, de qua sibi viciſſim omnia, quae ad Regni sui utilitatem, & emolumentum pertinere videbuntur, polliceri poterit. Atque haec fere sunt, quae Sacratissimus Imperator meus, ut Serenitati Vestrae Regiae, Vobisque Illustrissimi, & Reverendissimi Praesules, Illustres, Spectabiles, & Magnifici Proceres, atque Generosi, & fortissimi Equites in hac Legatione mea exponerem, mihi iniunxit, cui si ulla occasio de Regno hoc amplissimo benemerendi oblata fuerit (si praecipue suiquoque, suaeq; inclytae, Familiae rationem haberi intellexerit) eam nullo unquam tempore negliget, sed Serenitati Vestrae Regiae omne studium, & benevolentiam, reliquis vero omnibus, & singulis benignam animi sui propensionem, & gratiam declarabit.

ANNO 1590.

## LXXXI.

*Responsum S. Regiae Maiestatis ad Legationem nomine S. Caesareae Maiestatis a Magnifico Daniele Printzio a Buchau Regni Bohemiae Appellationum Consiliario, & eiusdem Caesareae Maiestatis Oratore expositam.* Dat. Varsaviae die 26. Aprilis Anno 1590. *Indidem.*

Libenter Sacra Regia Maiestas benevolentiam erga se Sacrae Caesareae Maiestatis, cum ex Legatione ipsa, tum ex salutatione agnovit, inque eam partem omnia illa accepit, in quam ea, quae a coniunctiſſimo Principe, & optimo in se

ANNO 1590. se animo profecta statuit, accipere debuit, vicissim ipsa Cæsareæ quoque Maiestati omnium rerum felices successus a Deo Optimo Maximo precatur, tum studium Sacræ Cæsareæ Maiestati summum suum defert. Cuius etsi multas causas habere se intelligat, vel gravissima tamen inter hasce illi est ea, quæ inter utriusque Maiores, ab aliquot iam sæculis necessitudo intercessit, quæque ab ipso Oratore Domino commemorata est, in qua colenda, tum alios Maiores suos, tum maxime Avum suum Dominum SIGISMUNDUM I. ita versatum esse Sacra Regia Maiestas intelligit, ut complura non solum in Divæ memoriæ CAROLUM V. Imperatorem, verum universam Serenissimam Domum Austriacam officia eius, neque illis temporibus obscura fuerint, neque memoriam eorum, nunc etiam obliteratam existimet. Maiorum suorum in amicitia cum Serenissima Domo Austriaca colenda constantiam hanc Regia Maiestas ab initio iam, non tam exemplum, quam præscriptum, ac Legem quasi quandam sibi quoque esse debere statuit. Itaque & ad Regnum ipsum eo animo accessit, ut cum Vicinos illi eos Principes habituram se sciret, inter quorum, suosque Maiores summa necessitudo intercessisset, facultatem hanc eandem, cum ipsis quoque necessitudinem colendi non minus libenter arriperet, quam oblatam sibi gratularetur, & postea cum præter opinionem suam ab iisdem in ipsius Regni possessione adeunda turbatus fuisset, omnibus tamen rebus publicæ Paci, ac tranquillitati condonatis, ad eandem coniunctionem non minore, quam ab initio sibi proposuerat studio colendam, totum iterum se convertit, seu potius de pristino in sacram Cæsaream Maiestatem, Serenissimamque Domum Austriacam animo, quamvis eæ, quæ intercesserunt res, intercessissent, nihil tamen diminuit; non modo enim Serenissimum Archiducem MAXIMILIANUM humanissime omnibus rebus habuit, verum cum ex parte Serenissimæ Domus Austriacæ quædam, quorum in Transactione certa dies præstituta fuerat, sive dilata fuissent, sive ad diem præstari non potuissent, quamvis cum ex Regiæ Maiestatis parte nihil prætermissum fuisset, eadem ratione a Cæsarea Maiestate, Serenissimoque Domo ipsius omnia exigere potuisset, tantum tamen & suo in Serenissimam Domum Austriacam studio, & illius mutuæ in se benevolentiæ tribuit, ut omnia illa ipsius Cæsareæ Maiestatis fidei concrederet. Optaret equidem Regia Maiestas in mutua amicitia, mutuo animo, atque eodem modo sibi quoque ab altera Parte respondsum fuisse, non potest autem dissimulare id, quod Literis ad Sacram Cæsaream Maiestatem, cæterosque Serenissimos Archiduces datis, iam ante etiam præfetulit, neque parum se, Ordinesque Regni commotos eo fuisse, quod quantum in ipso fuerit, infecta quasi Transactione, tanta cura, ac fide Bendzini constituta, Serenissimus Archidux MAXIMILIANUS discesserit, neque causas, ob quas, & ante Juramentum recusatum dicatur, & ad hoc usque tempus nondum præstitum sit, satis iustas sibi videri. Quod enim multas duras Conditiones & novas, antequam dimitteretur, præter Transactionis sancitæ Pacta, & præter Regiæ Maiestatis, atque Ordinum Mandata Serenissimo Archiduci MAXIMILIANO obtrusas, ob earumque gravitatem non tam recusatum a Serenitate sua Juramentum, quam dilatum dicatur, de horum altero nullas alias Conditiones propositas Serenitati suæ fuisse, Regia Maiestas confirmare potest, quam de titulo, qui in ipsa Transactione comprehensus esset, & Sigillo eo, quod quemadmodum omnium Cæsareæ Maiestatis Ditionum nomine Transactio hæc constituta fuisset, ita omnes communiter etiam quasi repræsentaret, applicando. Atque hæc quidem huiusmodi fuerunt, ut Legati ipsi Regiæ Maiestatis in discessu suo partim protestati contra ea fuerint, partim integra ad Regiam Maiestatem relaturos se ostenderint. De altero, an propterea & Juramentum, & una cum eo Transactio recte in dubium vocata sit, quilibet facile iudicaverit. Etsi enim nullæ aliæ, quam quæ ad ipsam Transactionem pertinerent Conditiones Serenissimo Archiduci MAXIMILIANO propositæ fuerint, tamen ne illas quidem, sed ea tantum verba, quæ in ipsa Transactione iam ante ad Juramentum præstandum concepta erant, aut Serenitas sua iurare debuit, aut ut iuraret, quisquam ab ea postulavit. Eo autem graviora Regiæ Maiestati, atque Ordinibus visa hæc sunt, quod illo potissimum tempore intercesserint, quo a communibus Christianitatis hostibus, Turcis, & Tartaris, atque ob amicitiæ fortassis eius cum Serenissima Domo Austriaca, suspiciones in gravissimum discrimen Regnum, Ditionesq; Regiæ Maiestatis vocabantur, & Regia Maiestas ad congressum

ANNO 1590. greſſum eum Sereniſſimo Parente ſuo longiſſime proceſſerat. Ad Conſtitutiones quaſdam novas quod attinet, quæ ad iniuriam Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ pertinere putantur, facile equidem Regia Maieſtas, atque Ordines Regni huius iis rationibus omnium ſuſpicionum, quibus maxime Respublicæ turbari ſolent, tollendarum acquieviſſent, quas Tranſactio ipſa Regiæ Maieſtati, ac Ordinibus ſubminiſtrabat. Cum Tranſactionem ipſam a Sereniſſimo Archiduce MAXIMILIANO in dubium vocatam cognoviſſent, neq; poſtea etiam tanto tempore elapſo, ullam certam ſpem eius confirmandæ, ſed contraria potius omnia afferri animadverterent, neceſſario alias rationes ſuſcipiendas ſibi iudicarent, ut non modo difficultatibus omnibus, quantum humana ratione provideri poſſet, Rempublicam explicarent, verum metu etiam, ac ſuſpicione difficultatum omnium in perpetuum eam liberarent. De aliis Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ Principibus, ut omnia humanitatis, & æquitatis officia ſibi pollicentur, ita omnia etiam integra iiſdem reliquerunt, ut qualis ipſorum in Tranſactione ea obſervanda, mutuaque neceſsitudine colenda, animus futurus eſſet, tale Regiæ Maieſtatis, atque Ordinum Regni mutuum in ſe quoque ſtudium omnibus rebus experiri poſſent. Verum tota hac de re ſi unum hoc dicatur, & in omnibus Rebuspublicis pro cuiuſque Reipublicæ commodo non pauca ſemper conſtituta fuiſſe, & ſi quid ab aliquo vel publici Status pacandi, vel utilitatis publicæ cauſa ſtatuatur, non protinus ad alterius iniuriam id pertinere, quis eſt, qui non æquiſsime, & dici, & fieri iſta iudicaturus ſit? De ſcripto aliquo, quod in contumeliam Sacræ Cæſareae Maieſtatis, aut Sereniſsimæ Domus Auſtriacæ ſparſum dicitur, Regiæ Maieſtati, Senatuique nihil omnino conſtat, ſi quod illud ſit, demonſtratumfuerit,authorque eius indicatus, eam Regia Maieſtas Senatusque curam eius rei ſuſcipient, ut & moderationis ſuæ & amicitiæ Bendzinenſe Tranſactione reconciliatæ ſummam rationem, non minorem etiam Sacræ Cæſareae Maieſtatis, Sereniſsimæque Domus Auſtriacæ Dignitatis habitam fuiſſe Sacra Cæſarea Maieſtas intelligat. Non poteſt autem per eandem hanc occaſionem ſilentio Regia Maieſtas præterire, quod in Regiæ Maieſtatis Regno, quamvis inſciente Regia Maieſtate, ac Senatu fieri Cæſarea Maieſtas queritur, de eo multo rectius Regiam Maieſtatem queri poſſe; ab aliquo enim tempore aliquot eius generis libros in Cæſareæ Maieſtatis Ditionibus ſpargi Regia Maieſtas intelligit, quibus non modo præcipuorum aliquorum Senatorum, ve- Regiæ Maieſtatis, Sereniſsimæ Reginæ, ac Regni adeo ipſius publica exiſtimatio, publice, graviſsimeque, & contra omnium hominum conſcientiam lædatur, neque vero id vel clam, vel diſsimulanter. Cum enim ante Transactionem Bendzinenſem expreſſo authoris nomine editi tales libri fuiſſent, & primi nominis Senatori Regni Bohemiæ publice dedicati, Commiſſariique Sacrae Cæſareæ Maieſtatis in communium illo Commiſſariorum Conventu, tanquam de re publice nota admoniti fuiſſent, tantum tamen abeſt, ut quicquam ea re profectum ſit, ut & iidem libri denuo editi ab eo tempore fuerint, & ad illos alii novi etiam eiuſdem generis acceſſerint. Cum Sacra Cæſarea Maieſtas benevolentiam ſuam, atq; amicitiam ita Regiæ Maieſtati, atque Regno huic deferat, ut in Tranſactione per communes Commiſſarios ſemel conſtituta firmiſsime ſe permanſuram teſtatur. De animo quidem Caeſareae Maieſtatis nihil plane dubitandum ſibi Regia Maieſtas ſtatuit, idem vero, ut re ipſa etiam ex utraque parte teſtatum fiat, plurimum cum ad utriuſque Regnorum, tum ad publicam etiam reliquae Chriſtianitatis tranquillitatem, & commodum pertinere Regia Maieſtas iudicat. Itaque ut iſta, quae hac in re requiri poſsint, Caeſarea Maieſtas animadvertat, & maxime quod ex Transactione a Caeſarea Maieſtate Juramento iam confirmata, a Sereniſsimo etiam Archiduce MAXIMILIANO praeſtari Juramentum adhuc debet, & quae alia reſtant, ut praeſtanda Caeſarea Maieſtas curet, cum aequitatis, tum prudentiae, tum Dignitatis Caeſareae Maieſtatis erit. Quantis viribus, ac conatu a communi Chriſtianitatis hoſte bellum apparetur non dubitat Regia Maieſtas, in ea vicinitate non minus Caeſareae Maieſtati, quam ſibi perſpectum eſſe, quo erupturus ſit, ut non plane certum adhuc ſit ita nihil certius, quam quocunque erumpat, ſive in Regiae Maieſtatis, ſive Caeſareae Maieſtatis Ditiones, cum ita coniuncta, ac vicina Regna haec ſint, nihil uni periculi afferri poſſe, quin magna eius periculi pars ad alterum etiam pertineat. Si, quod exploratnm fere Regia Maieſtas habet, ipſa, Regnumque ſuum potiſsimum bello hoc petitur, non minimam

ANNO 1590.

ANNO 1590. mam certe periculo huic cauſam eae ſuſpiciones praebuerunt, quae ob liberatum Sereniſsimum Archiducem MAXIMILIANUM obiectae hoſti fuerunt: nihil autem, vel a mutua benevolentia, ac neceſsitudine, vel ab aequitate alienius fuerit, quam ob cuius rei ſuſpiciones, maxime in periculum adducta Regia Maieſtas, atque Regnum ipſius videantur, eiuſdem Rei ab altera etiam parte ancipite ſuſpicione Regiam Maieſtatem, Ordineſque Regni adhuc diſtineri. Hanc igitur ut omnem Caeſarea Maieſtas removeat, utque Juramentum ex ipſa Tranſactione a Sereniſsimo Archiduce MAXIMILIANO debitum, nunc ſaltem in Tranſactionem praeſtetur, reliqua, quae ſupplenda reſtant, re ipſa eadem aliquando expleantur, quemadmodum ante oſtenſum eſt, non minus ad mutuam neceſſitudinem, atque coniunctionem, quam iuſtitiam Caeſareae Maieſtatis pertinebit. Coniungenda autem Regiae Maieſtati cum cauſa hac periculi etiam Turci mentio eſt, quod cum non tantum Regno huic, ſed non minus reliquae etiam Chriſtianitati, maxime autem Caeſareae Maieſtatis Ditionibus, quae per Regni huius latus magis fere, quam ipſum hoc Regnum peti videtur, immineat: cumque inprimis ea etiam de qua ſupra demonſtratum eſt, cauſa excitatum id videatur, ut in publico Chriſtianitatis periculo, contra communem eius hoſtem, pro eo loco, quem in Chriſtianitate obtinet, communem etiam eius curam Caeſarea Maieſtas ſibi eſſe velit, Regia Maieſtas petit. Praecipue vero de quo per Nuntium ſuum ad Caeſaream Maieſtatem ea de re miſſum, iam ante etiam Regia Maieſtas eam appellavit, ut per omne belli huius tempus, tam militem, quam arma, apparatumque, atque inſtrumentum bellicum, cum ex *S*acro Romano Imperio, tum ex Ditionibus Sacrae Caeſareae Maieſtatis, authoritate, ac permiſſu ſcribere, conquirere, exportareque poſsint, diligenter *S*acram Caeſaream Maieſtatem requirit. Quibus omnibus in rebus quemadmodum *S*acram Caeſaream Maieſtatem, neq; æquitati neque publicae Chriſtianitatis ſaluti, neque ſuae etiam in Regiam Maieſtatem, atque Regnum eius benevolentiae defuturam omnino ſibi Regia Maieſtas perſvadet, ita Regia Maieſtas, Ordineſque Regni viciſsim omnem operam libenter dabunt, ne mutuum in ſe quoque ſtudium, atq; obſervantiam illorum ulla in re Sacra Caeſarea Maieſtas deſideret. Quae quidem, & ipſi diligenter Sacrae Caeſareae Maieſtati nunc deferunt, utque Dominus Orator coram etiam diligentiſsime Sacrae Caeſareae Maieſtati eorum nomine deferat, a Domino Oratore poſtulant. ANNO 1590.

## LXXXII.

### *Regiae Maieſtatis ad* RUDOLPHUM *Imperatorem Literae.* Dat. Varſaviae d. 26. Aprilis Anno 1590. *Indidem.*

*Sereniſſimo, & Excellentiſſimo Principi, Domnio* RUDOLPHO II. *Divina favente Clementia Electo Roman. Imperatori ſemper Auguſto, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae &c. Regi, Archiduci Auſtriae, Duci Burgundiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae, Wirtembergae, &c. Comiti Tyrolis &c.*

SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniae, nec non Regni Sveciae proximus Hæres, & futurus Rex, Cognato, Vicino, & Amico noſtro chariſſimo, ſalutem, & mutuam benevolentiam. Sereniſſime Princeps, Cognate noſter chariſſime. Oratorem Maieſtatis Veſtræ Egregium Danielem Printzium a Buchau, benevolentiam, atque amicitiam Maieſtatis Veſtræ Nobis deferentem, cæteraque, quæ mandata a Maieſtate Veſtra habuit, exponentem, & libenter audivimus, & nunc ſcripto cum reſponſo ad Maieſtatem veſtram remittimus. Maieſtatem interim Veſtram de Juramento a Sereniſſimo Archiduce MAXIMILIANO Fratre eius, in Transactionem adhuc præſtando, cæterisque, quæ ſecundum eandem Trans. actionem expleri adhuc debeant, perficiendis, non poſſumus non iterum requirere, verum cum omnia, quæ ad Legationem hanc pertineant, ex ipſo Oratore ſuo accuratius coram cognitura Maieſtas Veſtra ſit. Nunc quod reliquum eſt, ſtudium noſtrum diligenter Maieſtati Veſtræ deferentes, omnia fauſta, ac felicia a Deo Optimo Maximo ei precamur. Datum Varſaviae die 26. Menſis Aprilis Anno Domini 1590. Regni noſtri tertio.

## LXXXIII.

### *Regiae Maieſtatis ad* ERNESTUM *Archiducem Literae.* Dat. Varſaviae d. 26. Aprilis Anno 1590. *Indidem.*

SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſ-

Anno 1590. siae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniae &c. nec non Regni Sveciae proximus Hæres, & futurus Rex, Sereniſſimo Principi Domino Ernesto eadem Gratia Archiduci Auſtriae, Duci Burgundiae, &c. Conſanguineo noſtro chariſſimo ſalutem, & mutuam benevolentiam. Sereniſſime Princeps, Conſanguinee noſter chariſſime. Literae Serenitatis Veſtrae, ab Oratore Caeſareae Maieſtatis redditae Nobis ſunt, quibus quod ſtudium ſuum Transactionis iam ante a ſe confirmatae inpoſterum etiam, ut inter coniunctos Principes decet conſtanter adimplendae, obſervandaeque Nobis declarat, gratiſſimum Nobis eſt, utque re ipſa etiam id praeſtet, diligenter Serenitatem Veſtram requirimus. Totum id in eo poſitum erit, ut Juramentum a Sereniſſimo Archiduce Maximiliano Fratre ſuo debitum, caeteraque, quae ſecundum Transactionem explenda adhuc reſtant, quam primum praeſtanda curet, quo ita non diſſenſio modo omnis, quae iam dudum ſublata eſſe debet, verum ſuſpicio etiam diſſenſionis omnis plane tollatur. Reliqua cum ad Caeſareae Maieſtatis Legationem Serenitas Veſtra reiiciat, Nosque ad eandem ſcripto etiam plenius reſponderimus, non eſt, quod pluribus nunc cum Serenitate Veſtra de iis agamus. De Serenitatis autem Veſtrae in animo, atque mutua in Nos benevolentia, quemadmodum non dubitamus, ita omnibus in rebus, quae gratae illi a Nobis accidere poſſint, ſummam voluntatem noſtram, viciſſim Serenitati Veſtrae deferimus, omniaque fauſta, ac felicia a Deo Optimo Maximo ei precamur. Datum Varſaviae die XXVI. Menſis Aprilis Anno Domini 1590. Regni noſtri tertio-

## LXXXIV.

1592. *Pacta Matrimonialia inter* Sigismundum III. *Regem Poloniae*, & Rudolphum II. *Imperatorem per Oratores Regis Poloniae concluſa, quibus* Anna, Caroli *Archiducis Auſtriae Filia, praefati* Rudolphi *Imperatoris Soror* Sigismundo *Regi in Matrimonium collocatur cum Dote quadraginta quinque millium Florenorum Rhenenſium.* Dat. Pragae d. 17. Aprilis 1592. *Ex Originali.*

*In Nomine Domini Amen.*

Nos Hieronymus a Rozdrazev Epiſcopus Vladislavienſis, & Pomeraniae & Albertus Radziwił Dux in Ołyka, & Nieswieſz, Magni Ducatus Litvaniae Supremus Marſchalcus, Caunenſis Rombergenſisque Capitaneus, Sereniſſimi Principis, & Domini, Domini Sigismuudi III. Dei Gratia Regis Poloniae, Magni Ducis Litvaniae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniae &c- nec non Regni Sueciae proximi Haeredis, & futuri Regis ad Sereniſſimum, & Excellentiſſimum Principem, Dominum, Dominum Rudolphum Divina favente Clementia Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae &c. Regem, Oratores, & ad infraſcripta vigore ſufficientis Mandati, & Plenipotentiae Procuratores, & Mandatarii fidem facimus hiſce Literis noſtris, quorum intereſt univerſis. Quod cum a Sereniſſimo, & Excellentiſſimo Principe, Domino, Domino Rudolpho Romanorum Imperatore, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae &c. Rege, Infante Hiſpaniarum, Archiduce Auſtriae, *D*uce Burgundiae, Brabantiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae, & Wirtembergae &c. Comite Tyrolis &c. Sereniſſimo Principi, & Domino, Domino Sigismudo III. Dei Gratia Poloniae Regi, Magno Duci Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniaeque, &c. nec non Regni Sveciae proximo Haeredi, & futuro Regi Sereniſſimam Principem Dominam Annam, Sereniſſimi quondam Principis Domini Caroli Archiducis Auſtriae, Ducis Burgundiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae, Wirtembergae &c. Comitis Tyrolis, & Goritiae &c. Filiam natu Maiorem Primogenitam in Matrimonium collocari petiiſſemus, & Caeſaream Maieſtatem eius in huiusmodi Sereniſſimi Regis noſtri petionem tam ſuo, quam Contutorum, Sereniſſimi videlicet Principis Domini Ferdinandi Archiducis Auſtriae, Ducis Burgundiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae, & Wirtembergae &c. Landgravii Alſatiae, Marchionis Burgoviae, Comitis Tyrolis, nec non Illuſtris Principis Domini Gvilhelmi Comitis Palatini Rheni, Superioris, & Inferioris Bavariae Ducis, ac Sereniſſimae Principis Dominae Mariae Archiduciſſae Auſtriae, Duciſſae Burgundiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae, & Wirtembergae, &c. Comitiſſae Tyrolis, & Goritiae, &c. natae Comitiſſae Palatini Rheni, ac Superioris, & Inferioris Bavariae Duciſſae, Viduae nomine, benigne, & benevole annuerit, acceſſerit etiam aſſenſus eiusdem Sereniſſimae Virginis. Tandem quod felix, & fauſtum ſit ad gloriam, & laudem Dei Omnipotentis, ſemperque Glorioſae Virginis Mariae

ANNO 1592. riae eius Genitricis, pro conservatione, & augmento Reipublibae Christianae, proque firmiore Statu Regnorum, & Provinciarum utrique Maiestati subditarum, atque vinculum sangvinis, quod inter ipsius Maiestates iam pridem firmum existit, nova affinitate magis magisque coarctetur, inter praefatam Serenissimam Dominam ANNAM, Maiestatis suae Caesareae Patruelem, ipsamet Maiestate eius Cæsarea pro se suoque, & Contutorum omnium supradictorum nomine ex una, & per Nos Sereniſſimi Poloniæ Regis, Domini nostri Clementissimi Oratores, & Mandatarios agentes parte ex altera, obtenta primum a felicis recordationis Sanctissimo Domino nostro Papa INNOCENTIO Nono, super tertio, & quarto consangvinitatis gradu, quo Serenissimus Rex Poloniæ Dominus noster, ac Serenissima Princeps Domina Archiducissa ANNA præfati invicem coniuncti sunt, necessaria, ac convenienti Dispensatione, sub data Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo Nonagesimo primo, trigesima die Novembris, Pontificatus sui Anno primo, tractatum, & concluſum est matrimonium verum, & legitimum sub Articulis, & conventionibus sequentibus: Videlicet, quod Maiestas eius Cæsarea una cum Contutoribus suis prædictæ Serenissimæ Patruelis suæ nomine dabit, & assignabit in Dotem Serenissimo Principi, & Domino, Domino SIGISMUNDO III. Regi Poloniæ, & Magno Duci Litvaniae &c. Summam Quadraginta quinque millium florenorum Rhenensium, Sexaginta cruciferis bonæ, & usualis monetæ Germanicæ in Regno Poloniæ currentis pro quolibet floreno computatis, eamq; Summam intra trimestre tempus, postquam in Regni Comitiis de facienda Reformatione conventum, idque Maiestati eius Cæsareae significatum fuerit, in numerata Cracoviae, aut ad Regni Poloniæ confinia, utrum Sereniſſimus Rex Poloniæ maluerit, citra omnem dilationem exsolvet. E converso vero Sereniſſimus Princeps, & Dominus, Dominus SIGISMUNDUS III. Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. praedictam Dotem recipiens pro Contradote, seu Donatione propter Nuptias similiter summam quadraginta quinque millium florenorum Rhenensium supradicti valoris Sereniſſimae Dominae ANNÆ Sponsae suae dare, & constituere, & has utrasque Summas, tam scilicet Dotis, quam Contradotis in opportunis sufficientibus Dominiis, Civitatibus, Oppidis, Arcibus, & Terris Regni Poloniae, & Magni Ducatus Litvaniae secundum Constitutionem Regni Poloniae, in proximis Regni Comitiis in bona, & debita forma inscribere, & assecurare, & huiusmodi Reformationem, seu Inscriptionem receptaDote ad manus Caesareae Maiestatis eius consignare, & ad haec curare, efficereque debebit, & tenebitur, quod omnes *D*ominiorum, *C*ivitatum, Oppidorum, Castrorum, Terrarum, Villarum, & Bonorum inscriptorum Capitanei, Rectores, Tenutarii, Cives praesentes, et futuri, qui si praedictae reformationi subiacebunt, ipsi Sereniſſimae Dominae ANNÆ plenam praestent sponsionem, ac corporale fidelitatis Juramentum. Quod si Sereniſſimo Principi, & Domino, Domino SIGISMUNDO III. Regi Poloniae, &c. Magno *D*uci Litvaniae, priusquam ipsi Sereniſſimae Dominae ANNÆ aliquid humanitus acciderit, tunc & in eo casu nulli alteri, nisi Serenitati eius Dominia, Civitates, Oppida, Arces, Terras, Villas, & Bona sibi subscripta tradent, & consignabunt, cum omnibus inde percipiendis fructibus, commodis, emolumentis, reditibus, & quod Serenitati eius in omnibus, & per omnia secundum Regni Leges parebunt, & obedient fideliter, & constanter, ita, ut Sereniſſimis Regibus Poloniae obedire sunt soliti, & adstricti. Sed tributa in Conventione Regni iussa subditi eorum locorum, nihilominus cum aliis Regni incolis conferent, podvodasque, ut moris est, praebebunt, ac in Castris in hac Dote & Dotalitio obligatis consveta iudicia Castrensia, Capitanealia, & Regalia celebrentur. Insuper permissum Arbitrio Sereniſſimi Regis Poloniae, & Magni Ducis Litvaniae etc. Domini nostri clementissimi, ut secuta per copulam huius felicis Matrimonii confirmatione, Sereniſſimam Sponsam suam aliquo munere nuptiali, tam pro Regio suo honore, quam Sereniſſimae Sponsae suae merito remunerare possit, cum de ipsius Serenissimi Regis erga suam Sponsam amore, & benevolentia nihil dubitetur. Pro hoc autem munere Nuptiali, ut praemittitur, deputando, etiam inscriptio, et assecuratio legitima itidem fieri debebit. Conventum praeterea est, quod si Serenissima Domina ANNA prior sponso suo defuncta fuerit, tunc Dos, et Donatio propter Nuptias, et munus nuptiale ad Serenissimum Regem, et Regnum Poloniae perpetuo devolventur, sine aliqua Dotis ipsius restitutione. Si vero Serenissimum Regem Poloniae praemori contigerit, Prole ex ea (quod Deus prohibeat) non suscepta, vel si suscepta fuerit, tam praemortua, quam etiam superstite, tunc nihilominus Sereniſſima ANNA omnibus Terris, Districtibus, Dominiis, Civitatibus, Oppidis, et Bonis sibi pro

ANNO 1592. pro Dote, et Contradote, nec non munere nuptiali inſcriptis, et aſſignatis ad vitae ſuae vidualis tempora plenam utendi, et fruendi poteſtatem habere debeat. Poſt mortem autem ſuam praedicta quadraginta quinque millia Florenorum Rhenenſium ratione Donationis propter Nuptias, ſeu Contradotis ſibi donata, & inſcripta ad præfatum Poloniae Regnum converti, & redire debebit. De alia vero quadraginta quinque millium Florenorum Rhenenſium Summa, Dote ſcilicet ſua, nec non de munere nuptiali prædictis, ſi eiusmodi munus fuerit, ut de eo teſtari poſſit, habeat Sereniſſima Domina ANNA tam in vita, quam in mortis articulo donandi, teſtandi, & arbitrio ſuo diſponendi facultatem. Quodſi vero de Dote, & munere huiusmodi nuptiali nihil diſpoſuerit, tum & Dos, & munus ipſum nuptiale, ſi tale datum fuerit, & eius proprietas ad Serenitatem eius legitime pertineat, vel ea pars, de qua non diſpoſuerit, ad Sereniſſimæ Dominæ ANNÆ Liberos, quos poſt mortem ſuam ſuperſtites reliquerit, nullis autem ex ea progenitis Liberis poſt mortem eius extantibus, ad proximos ipſius Sereniſſimæ Dominæ ANNÆ Hæredes maſculos, & non extantibus illis, ad fæminas devolvatur, eisque dictam Dotis Summam una cum munere nuptiali Sereniſſimi Principis, & Domini, Domini Regis Poloniæ, & Magni Ducis Litvaniæ &c. Succeſſores, integre, vel partem aliis non donatam, aut legatam effectualiter reſtituere, & perſolvere debeant, & teneantur. Hac expreſſa adiecta Lege, & Conditione, quod in caſu obitus Sereniſſimæ Dominæ ANNÆ ab inteſtato Serenitatis ſuæ Hæredes ſupradicti, in caſu vero factæ alicuius diſpoſitionis Perſona, aut Perſonæ illæ, vel illa, cui, vel quibus Sereniſſima Domina ANNA Donationem, vel Legatum fecerit, annuos reditus certos, & integros, quatuor millium & quingentorum Florenorum Rhenenſium ſupra memorati valoris, nec non id, quod ratione muneris nuptialis competierit, ex ſupradictis, inſcriptis et aſſignatis bonis tam diu quilibet pro ſua rata parte ſine aliquo defectu habere, levare, & percipere poſſint, donec & quouſque plene, et integre ſatisfacti, et contenti redditi fuerint, tam ſcilicet de Summa Dotis, quam de munere nuptiali, ſi tale fuerit, de quo levari poſſit. Conventum præterea, et concluſum eſt, quod Sereniſſima Domina ANNA non ſolum Bonis, et Dominiis ſibi pro Dote, Contradote, et munere nuptiali, ut prædictum eſt, inſcribendis, & aſſignandis, ſed & aliis omnibus Juribus, libertatibus, & Privilegiis eo modo uti, frui, & gaudere poſſit, quo Serenisſimæ Reginæ Poloniæ ab antiquo uti, frui, gaudere, & Bona eiusmodi poſſidere ſolitae ſunt iuxta Leges, & Conſtitutiones Regni, ita tamen, ut quae in praeſenti Contractu expreſſa Pacta, & Conventa ſunt, firma, inconcuſſaque permaneant, atque de iis, quae praefatae Serenisſimae Dominae ANNÆ ratione eiusdem Contractus debentur, nihil decidat, ſed omnia integre praeſtentur, & executioni mandentur. De aliis vero rebus, & bonis quibuscunque ad ipſam Serenisſimam Dominam ANNAM, quocunque Jure, & titulo nunc temporis ſpectantibus nihil omnino excipiendo ita conventum, & concluſum eſt, quod Serenisſima Domina ANNA illa omnia habeat, teneat, & poſſideat, tanquam res, & bona ſua propria, poſſitq; illis uti, frui, & gaudere, & de ipſis in omni caſu, & eventu, ſive per liberam Donationem, aut alium quemcunque Contractum inter vivos, ſive cauſa mortis, ſive per liberam voluntatem, ſecundum beneplacitum ſuum diſponere, & ordinare, ſine cuiusvis impedimento. Si vero Serenisſimam Dominam ANNAM e vivis decedere contigerit, nulla facta de ſupradictis rebus, & bonis ſuis diſpoſitione, videlicet Ordinatione per Contractum inter vivos, vel cauſa mortis, ſive per ultimam eius voluntatem, aut aliter quomodocunque, tunc & in eo caſu res, & Bona ſua huiusmodi omnia, quae tempore obitus Serenitatis ſuae extare comperientur, & ſupererunt, ad ſupradictos proximos Serenitatis ſuae Haeredes maculos, & illis deficientibus ad faeminas redire debeant, & ad eorundem bonorum omnimodam reſtitutionem Serenisſimi Regis Poloniae, & Magni Ducis Litvaniae &c. Succeſſores teneantur, & obligati ſint. Verum res, & Bona illa, quae Serenisſimae Dominae ANNÆ tempore Nuptiarum donabuntur. Si Serenitatem ſuam praemori contigerit, Serenisſimo Principi, & Domino, Domino Regi Poloniae Marito Superſtiti cedent. Si vero Serenisſima Princeps Domina ANNA Serenisſimo Regi Marito ſupervixerit, & de illis nullam diſpoſitionem in ſua vita fecerit, tunc poſt illius obitum ſimiliter ad praefatos ipſius Haeredes devolvantur. Porro ea, quae Serenisſima Domina poſt Nuptias quomodocunque acquiſiverit, & comparaverit in caſu, quo de illis nullam ordinationem, ſeu diſpoſitionem, ut praedictum eſt, ſive in vita, ſive in mortis articulo fecerit, non ad ipſius Serenisſimae Dominae ANNÆ Haeredes ſupradictos, ſed ad Regnum Poloniae, & Regis Poloniae Succeſſores perti-

ANNO 1590. tineant, permanere debeant exceptis duntaxat iis reditibus, & bonis immobilibus, si quæ ex pecunia secum in Poloniam asportata comparaverit. Caeterum Serenissima ANNA praefata de omnibus praedictis rebus, & bonis tam nunc ad eam spectantibus, quam tempore Nuptiarum, & post Nuptias acquisitis, seu acquirendis habeat, & habere debeat, in omni casu, & eventu per Donationem liberam, & quemvis alium Contractum inter vivos, seu causa mortis, seu per Testamentum plenam, omnimodamq; secundum beneplacitum suum disponendi, & ordinandi facultatem sine cuiusvis impedimento, & contradictione. Insuper concluſum est, quod Serenissima *D*omina ANNA postquam ad Serenissimum sponsum deducta fuerit, tunc ante confirmationem Matrimonii caveat, & promittat Literis super ea re specialiter confectis, se post solutionem *D*otis immediate, solenniter, et expresse renuntiaturam esse, atque adeo in eum eventum, ubi nimirum *D*os realiter numerata fuerit, exnunc prout extunc expresse renuntiet Haereditati Paternae, et Maternae, atque suae cessionis Regni Hungariae, Bohemiae, *D*ominiorumque quorumlibet Serenissimae *D*omus Austriacae, pro omnibus Austriacae Familiae Principibus, eorumque Liberis, et Haeredibus per lineam masculinam descendentibus, salvo sibi per omnia Jure succedendi in defectu masculorum, et hanc ipsam modo suprascriptam faciendam Renuntiationem Serenissimus Princeps, et *D*ominus, *D*ominus SIGISMUNDUS III. Rex etc. per suas speciales Literas ratam habere, approbareque debeat, et teneatur. Insuper concluſum est, quodsi alter contrahentium ante consumationem Nuptialem (quod *D*eus clementer avertere dignetur) e vivis decederet, tunc totus iste Tractatus cum omnibus in eo contentis pro annihilato, cassato, et enervato habeatur. Conventum etiam est quod Serenisſimus Princeps, et *D*ominus, *D*ominus SIGISMUNDUS III. Poloniae Rex etc. post reditum ad se Oratorum suorum praedictorum praesentem Contractum Matrimonialem ratificare, et approbare, eumque descriptum, ac manu sua subscriptum, et Sigillo suo obsignatum una cum supradictae Renuntiationis ratificatoriis Literis in manus Legatorum Maiestatis Caesareae, qui Nuptiis Regalibus praesentes aderunt, consignare debeat. Postremo conventum est, quod alter nostrum, ego Albertus Radzivil Dux in Olyka, et Nieswiesz Supremus Marschalcus M. D. Lit. vigore Mandati Specialis missi a Serenissimo Poloniae Rege mihi traditi, et Maiestati eius Caesareae exhibiti, me quamprimum, cum omnia inter partes praescriptis modis acta, et transacta iam sint, Viennam conferre, illicque Serenissimi Poloniae Regis etc. nomine cum praedicta Serenissima *D*omina ANNA Sponsalia de praesenti contrahere, omniaque hisce rebus fieri solita, et consveta exequi debeam, et tenear, dato Nobus a Maiestate eius Caesarea huius ipsius Contractus Matrimonialis reciproco simili Exemplari altero. In quorum omnium fidem, testimonium, & corroborationem præsentes Literas manibus nostris subscrisimus, & Sigillis nostris communiri fecimus. Datum Pragæ die decima septima Aprillis Anno Domini MillesimoQuingentesimoNonagesimo secundo. ANNO 1592.

## LXXXV.

SIGISMUNDI III. *Regis Pactorum eorundem Ratificatio, & Approbatio.* Dat. Cracoviæ die 3. Junii Anno 1592. *Ex Archivo Regni. Liber. 107. Num. 108. folio 141.* 1592.

SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæque &c. nec non Regni Sveciae proximus Hæres, & futurus Rex. Ad perpetuam rei memoriam Significamus praesentibus Literis nostris. Quod cum Reverendissimum in Christo Patrem Dominum Hieronymum Comitem à Razdrażew, & in Bimbsdorff Episcopum Vladislavienſem, & Pomeraniæ, ac Illustrem Albertum Radziwił Ducem in Olika, & Nieswiesz, Magni Ducatus Litvaniæ Supremum Marschalcum, ad Sereniſſimum, & Excellentiſſimum Principem Dominum RUDOLPHUM divina favente Clementia Electum Rom. Imperatorem semper Augustum, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Regem, Infantem Hispaniarum, Archiducem Austriæ, Ducem Burgundiæ, Sleſiæ, Carinthiæ, Carniolæ, Virtembergæ, &c. Comitem Tyrolis &c. cognatum, vicinum, & amicum chariſſimum Oratores miſiſſemus, ut quam ad rem sæpius cum publice, tum privatim Senatores nostri, Nobis Autores fuerunt, a Maiestate sua, tanquam Liberorum Sereniſſimi olim Principis Domini CAROLI laudabilis memoriæ Archiducis Austriæ, Ducis Burgundiæ, Sleſiæ, Carinthiæ, Carniolæ, Virtembergæ, &c. Comitis Tyrolis, & Goritiæ, Tutore primario, eiusdem commemorati Principis Filiam Primogenitam, Sereniſſimam

ANNO 1592. mam Principem ANNAM Nobis in Matrimonium peterent, ipsique promptissima Cæsareæ Maiestatis, ac reliquorum Contutorum, & Sereniſſimæ Principis Dominæ Mariæ Archiducissæ Austriæ &c. accedente voluntate, ac ipsius etiam Virginis assensu, ea re impetrata iuxta præscriptum legationis suæ, ac vi sibi a Nobis concessæ potestatis, Pacta, atque Conditiones huiusce Matrimonii ad normam veterum in Matrimoniis ineundis, in eadem Sereniſſima Austriaca Domo a D. D. Maioribus nostris Poloniæ Regibus Contractuum observatorum, paucis, pro ratione tempotum Reipublicæ nostræ, Legibus immutatis, constituissent; quod autem ab ipsis actum, & transactum est vigore Mandatorum nostrorum, id quemadmodum data ipsis huius Matrimonii tractandi potestate spoponderamus, perpetuo firmum, & stabile esse debeat, faciendum putavimus, ut in hoc Diploma nostrum totum eum Contractum, ipsorum Syngraphis, & Sigillis roboratum de verbo ad verbum describi mandaremus, eundemque hoc nostro Diplomate confirmaremus. Cuius quidem iisdem plane verbis, formula sequitur, & est talis. In Nomine Domini Amen. Nos Hieronymus Comes a Rozdrazew Episcopus Vladislavienſis, & Pomeraniæ, & Albertus Radziwił Dux in Olyka, & Nieſwieſz, Magni *D*ucatus Litvaniæ Supremus Marschalcus, &c. Nos itaque SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus *D*ux Litvaniæ &c. supra nominatus præmissum hunc Contractum totum, & integrum, omnesque sigillatim eius Conditiones, Puncta, & Articulos præsentibus Literis nostris omni meliore modo, & forma ratificamus, approbamus, confirmamus, & corroboramus, eaque omnia Nos rata, & grata habere testamur, ac firma, & inviolabilia, quoad quid ad Nos pertineat, Nos servaturos esse, neque ulla in parte a quoquam labefactari permissuros spondemus, ac verbo nostro regio pollicemur. In cuius rei fidem Præsentes manu nostra subscripsimus, & Sigillo Regni consignari iussimus. *D*at. Cracoviae die 3. Mensis Junii Anno MDXCII.

SIGISMUNDUS,
*Rex.*

## LXXXVI.

*Confirmatio Renuntiationis* ANNÆ *Reginæ Poloniæ per* SIGISMUNDUM III. *Regem Consortem suum facta.* Dat. Cracoviæ d. 3. Junii 1592. *Ex Archivo Regni Lib. 107. Num. 108. fol. 145.* ANNO 1592.

*Ad perpetuam rei apud posteritatem memoriam.*

NOS SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæque &c. nec non Regni Sveciæ proximus Hæres, & futurus Rex. In Nomine Domini Amen. Significamus præsentibus Literis nostris, quod cum ex Pactis, & conditionibus per Oratores nostros Reverendiss. in Christo Patrem Hieronymum Comitem a Rozdrazew, & in Bombsdorff Episcopum Vladislavienſem, & Pomeraniae, & Illustrem Albertum Radziwił *D*ucem in Olyka, & Nieſwieſz, Supremum Magni *D*ucatus Litvaniae Marschalcum, Caronenſem, Remburgenſemque Capitaneum, cum Sereniſſimo Principe *D*omino RUDOLPHO *D*ivina favente Clementia Electo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, *D*almatiae, Croaciae, Sclavoniae, &c. Rege, Infante Hiſpaniarum, Archiduce Auſtriae, *D*uce Burgundiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae, Virtembergae, &c. Comite Tyrolis, &c. cognato, vicino, & amico noſtro chariſſimo Conventis, mutuisque Sponſionibus ſancitis, Sereniſſima Princeps *D*omina ANNA *D*ei Gratia Regina Poloniae Magna *D*ux Litvaniae &c. Coniunx noſtra chariſſima, ut cui *D*otis nomine a Caeſarea Maieſtate Tutoris nomine, quadraginta quinque millia florenorum Rhenenſium conſtituta ſint, Nobis certo tempore in Literis praefinito repraeſentanda, ante conſumationem Matrimonii, iis tamen Conditionibus, quae in Literis Contractus Matrimonialis perſcriptae ſunt, omni paternae, et maternae Succeſſioni, et haereditati ſolenniter renuntiare deberet, idque voluntate, aſſenſu, et auctoritate noſtra accedente in eam formulam feciſſet, Nos ANNA *D*ei Gratia Regina Poloniae Archiduciſſa Auſtriae, *D*uciſſa Burgundiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae, Wirtembergae etc. Committiſſa Tyrolis, et Goritiae etc. Cum in Tractatu Matrimonii inter Sereniſſimum Principem, *D*ominum SIGISMUNDUM III. *D*ei Gratia Regem Poloniae Magnum *D*ucem Litvaniae, ac Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniaeque, nec non Regni Sveciae proximum Haeredem, et futurum Regem, *D*ominum Coniugem noſtrum chariſſimum, honorandiſſimumque, et Nos per Sereniſſimum, et Potentiſſimum Principem *D*ominum, *D*ominum RUDOLPHUM II. *D*ivina favente

ANNO 1592. te clementia Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiae, Sclavoniæ, &c. Regem, Archiducem Auſtriæ Ducem Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Wirtembergæ, &c. Comitem Tyrolis &c. Dominum, & Patruelem noſtrum colendiſſimum concluſi, & firmati, & quod fauſtum, felixque ſit, iam conſumati inter alia promiſſum fuerit. Quod præfatus Sereniſſimus Imperator tutorio Nomine, pro Noſtra Dote vera, & legitima dabit eidem Sereniſſimo Regi Domino Coniugi noſtro ſummam quadraginta quinque millium florenorum Rhenenſium, modis, & temporibus de quibus in dicti Tractatus Capitulis apparet, nec non quod poſtquam Nos ipſa ad præfatum Sereniſſimum Regem *D*ominum Coniugem noſtrum perducta fuerimus, hæreditati paternae, & maternae cum conſenſu praedicti Sereniſſimi Regis *D*omini Coniugis noſtri renuntiare ſolenniter ante conſumationem Matrimonii deberemus, modo, et forma, ut in dictis Capitulis continetur, et propterea aequum ſit, ut Nos praedictis paternae, et maternae haereditatibus, iuxta Conventa renuntiemus, idque in executionem dicti Tractatus facere nunc velimus. Ideo Nos antedicta cum praeſcitu, conſenſu, & authoritate praefati Sereniſſimi Regis *D*omini SIGISMUNDI III. Regis Poloniae, Magni *D*ucis Litvaniae etc. *D*omini Coniugis noſtri, qui Nobis conthorali ſuae in infra ſcripta conſenſit, et conſentit, et authoritatem praeſtitit, ac praeſtat, Sereniſſimo, et Potentiſſimo Principi *D*omino, *D*omino RUDOLPHO II. *D*ivina favente clementia Electo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, *D*almatiae, Croatiae, Sclavoniae, etc. Regi etc. nec non Reverendiſſimo Principi *D*omino Andreae Epiſcopo Vratiſlavienſi, Supremo *D*ucatus *S*ileſiae Capitaneo, praedictae *S*acrae Caeſareae Maieſtatis Conſiliario, et Illuſtriſſimo *D*omino Georgio Ludovico Landgravio in Lathenberg *S*acri Rom. Imperii Principi nomine, et ad partem, et favorem omnium *S*ereniſſimorum Auſtriacae Familiae Principum, et eorum omnium Filiorum, et Liberorum per Maſculinam Lineam legitime deſcendentium recipientibus et ſtipulantibus, ſponte, et ex libera noſtra voluntate, et in executionem in dicto Tractatu Conventorum, habitis per praefatum *S*ereniſſimum Regem *D*ominum Coniugem noſtrum dictis florenis Rhenenſibus quadraginta quinque millibus, ut ſupra praemiſſum, exnunc prout extunc renuntiavimus, et renuntiamus hae-



reditati tam paternae, quam maternae, atque *S*ucceſſioni Regni Hungariae, Bohemiae, *D*ominiorumque quorumlibet *S*ereniſſimae *D*omus Auſtriae pro omnibus Auſtriacae Familiae Principibus, eorumque Liberis, et haeredibus per *L*ineam Maſculinam deſcendentibus, ſalvo Nobis Jure *S*uccedendi in praedictis in defectu haeredum maſculorum, quod Jus iuxta Conventa Nobis reſervavimus, et reſervamus, renuntiamus prout renuntiavimus, et renuntiamus, exceptioni doli mali cuiusvis, videlicet metus, nec non cuicunque Privilegio, et exceptioni in favorem mulierum introducto, Quibus contra ſuperius per Nos geſta quoquomodo venire poſſemus. Hancque Renuntiationem, et omnia, et ſingula, ut ſupra expreſſa ſunt, ſemper, et omni tempore firma, et rata habere promiſimus, et promittimus, et nullo unquam tempore contrafacere, vel contravenire, ſub obligatione omnium Bonorum noſtrorum praeſentium, et futurorum, ſubque vera Principis fide, et vinculo Juramenti ad *S*ancta *D*ei Evangelia tactis *S*acris *S*cripturis per Nos praeſtiti. In cuius rei teſtimonium Praeſentibus *S*igillum noſtrum eſt appenſum, quas etiam Chirographo noſtro corroboravimus. Nos itaque SIGISMUNDUS III. *D*ei Gratia Rex *P*oloniae Magnus *D*ux Litvaniae praeſentibus Literis noſtris teſtamur, et profitemur, Renuntiationem hanc libera voluntate, expreſſoque conſilio, et bene deliberato animo Sereniſſimae *P*rincipis Reginae ANNÆ Coniugis noſtrae, noſtro etiam conſenſu, et autoritate adiuncta, modo quo ſupra deſcriptum eſt, eſſe perfectam. Cavemus etiam, & promittimus verbo noſtro Regio per Praeſentes Nos vigore *P*actorum Conventorum in Contractu *S*ponſali inter *S*ereniſſimum, atque Excellentiſſimum *P*rincipem, et *D*ominum RUDOLPHUM II. *D*ivina favente clementia Electum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, *D*almatiae, Croatiae, *S*clavoniae, etc. Regem, Infantem Hiſpaniarum Archiducem Auſtriae *D*ucem Burgundiae, *S*tiriae, Carinthiae, Carniolae, Wirtembergae, Comitem Tyrolis, Cognatum, Vicinum, et Amicum noſtrum chariſſimum, et inter Oratores noſtros ſolenniter initorum, Renuntiationem talem in omnibus, et ſingulis Punctis, et Articulis ſuis, ratam, gratam, et probatam habere, et ſemper habituros, neque ulla in re illi unquam contraventuros. In cuius fidem, et teſtimonium has Literas noſtras Regio noſtro *S*igillo obſignari iuſſimus, et manu propria ſubſcripſimus.

ANNO *D*atum Cracoviae die 3. Menſis Junii 1593. Anno *D*omini MDXCII.

## LXXXVII.

*Dotis, & Contradotis Reginæ* ANNÆ *in certis Bonis Collocatio.* Dat. Varſaviæ in Conventione Regni Generali d. 15. Junii Anno 1593. *Ex Originali. Extat in Archivo Regni Lib. 103 Numero 104. fol. 582. Item in Archivo Magni Ducatus Litvaniæ Lib. Numero 163. fol. 477.*

SIGISMUNDUS Tertius Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. Ad perpetuam rei memoriam, notum, teſtatumque facimus, ad quos praeſentes hae literae noſtrae pervenerint, huius & futuri temporis, univerſis & ſingulis. Cum, quod felix, & & fauſtum ſit, Nobiſque, Regnis & Ditionibus noſtris ſalutare, a *S*erenisſimo & Excellentisſimo Principe Domino RUDOLPHO Divina favente clementia Electo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, nec non Germaniae, Hungariae, Bohomiae &c. Rege, Serenisſima Princeps Domina ANNA primogenita Serenisſimi quondam CAROLI Archiducis Auſtriae, Ducis Burgundiae &c. Comitis Tyrolis & Goritiae, eiusdem Caeſareae Maieſtas Patruelis, *S*acræ Cæſareæ Maieſtatis, Contutorumque eius nomine, per Legatos noſtros publice, diligenterque id Nobis petentibus, in Matrimonium Nobis collocata fuiſſet, interque alias conditiones Matrimonii eius, quæ Pactis nuptialibus expreſſæ fuerunt, *D*os etiam certa Nobis conſtituta, & intra trimeſtre tempus, poſtquam in Regni Comitiis de facienda Reformatione conveniſſet, idq; eidem Maieſtati Cæſareæ ſignificatum a Nobis eſſet, numeratio eius promiſſa Nobis fuiſſet, utque ea accepta viciſſim Nos commemoratæ Sereniſſimæ Coniugi noſtræ ſimilem ſummam ratione Contradotis, ſeu Donationis propter nuptias aſſignaremus, & conſtitueremus, & utraſque haſce ſummas tam ſcilicet Dotis, quam *C*ontradotis, idoneis locis, Dominiis, *C*ivitatibus, Oppidis, Arcibus, & Terris Regni Poloniæ, & Magni *D*ucatus Litvaniæ, ſecundum Conſtitutiones Regni Poloniæ in proxiims Regni Comitiis idonee inſcriberemus, obligaremus, caveremusque, conveniſſet, quemadmodum aliis in rebus Pactis iſtis *C*onventis ſatisfacere, tum amorem noſtrum, quo Sereniſſimam Coniugem noſtram proſequimur. quocunque benevolentiæ genere, notum teſtatumque omnibus eſſe cupimus, ita ut hæc quoque conditio, quam primum a Nobis expleretur, ſedulam diligentemque operam dedimus, & iam proxime præteritis *C*omitiis, omni in id ſtudio incubuimus. *S*ed cum in iis Comitiis ob temporum difficultates aliquas, ut aliis de rebus, ita de hac quoque Reformatione, nihil conſtitui potuiſſet, in hiſce tandem *C*omitiis, ut quanti & dignitas Sereniſſimae Domus Auſtriacae, & Sereniſſimae *C*oniugis noſtrae virtus ſummis Principibus digna, per omne hoc tempus Matrimonii, publice omnibus ſpectata a ſe fieret, Ordines Regni noſtri, Magni Ducatus Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae *&c.* oſtenderent, eandemque fidem, atque obſervantiam, quam Maiores eorum Sereniſſimis Maioribus noſtris Regibus Poloniae conſtantiſſime cum ſingulari Nobiliſſimae huius Nationis laude ſemper praeſtiterunt, Nobis quoque, Sereniſſimaeque Coniugi noſtrae teſtificarentur, non modo conditionem eam de Reformatione facienda a Nobis acceptam approbarunt, ratamque habuerunt, verum certa etiam loca, Oppida, Arces, & Civitates, Bielſcum nimirum, Raygrodum, Grudentum, Tucholium, Swieczum, Łomſam, Lubomlam, Uſtiam, Pilam, Georgeburgum, cum nova *C*olonia, & ſylvarum Praefecturis, Upitam cum omnibus pertinentiis & Praediis liberaliſſime aſsignarunt, utque eadem in quinquaginta millium Florenorum Polonicalium, quorum ſinguli triginta groſsis receptae & uſitatae in Regno hoc noſtro monetae aeſtimantur, paremque ſummam *C*ontradotis ſeu Donationis propter nuptias, ſalvis Iuribus cum Sereniſsimae Reginae Materterae noſtrae, tum aliorum modernorum Poſſeſſorum, obligaremus, inſcriberemus, aſsignaremus, publica praeſentium horum Comitiorum authoritate permiſerunt, conſtituerunt, ea tamen expreſſa *C*onditione adiecta, ſi & ex Regno Sveciae, ad quod viſendum conſtituendumque certum tempus ab iiſdem Regni, Magni Ducatus Litvaniae, Ruſsiae, Pruſsiae, Maſoviae, *&c.* Ordinibus permiſſum, praefinitumque Nobis eſt, exacto tempore eo, in Regnum noſtrum Poloniae revertamur, & poſtea ad extrema uſq; vitae noſtrae tempora, in eodem Regno noſtro retinendo, perque Nos ipſos adminiſtrando perſeveremus. *C*ui conſenſui

ANNO 1593.

ANNO 1593. ſenſui, autoritatique Ordinum, tum etiam Pactis Matrimonialibus cum Sacra Caeſarea Maieſtate initis Nos innitentes; Nos ſupra memoratam centum Millium florenorum Polonicalium ſummam, Quinquaginta nimirum Millium Dotis & ſimilem Contradotis in ſupra recenſitis Oppidis, Caſtellis, & Terris, cum Conſilio, conſenſu ſcitoque Senatorum Noſtrorum inſcribimus, obligamus, eidemque Sereniſsimae Reginae Coniugi noſtrae damus, donamus veraeque hypothecae nomine oppignoramus, cum ea expreſſa conditione, ſi ad praefinitum tempus ex Svecia revertamur, & deinceps perpetuo Regnum hoc adminiſtraverimus, aut etiam ſi, quod DEUS avertat, intra praefinitum Nobis ab Ordinibus tempus priuſque ex Svecia revertamur, humani aliquid Nobis acciderit, tum vero ſequentibus Conditionibus & modis: Imprimis & ante omnia curaturos effecturosque Nos promittimus, ut omnes ſupra commemoratorum Dominiorum, Civitatum, Oppidorum, Caſtrorum, Terrarum, Villarum, & Bonorum inſcriptorum Rectores, Conſules, Cives, Advocati & ſubditi ipſi Sereniſsimæ Dominae ANNÆ Coniugi noſtrae chariſſimae ſpondeant, promittant, Corporaleque fidelitatis Iuramentum in id praeſtent, quod ſi Deo Optimo Maximo ita forte diſponente, prius Nobis, quam eidem Sereniſsimae Coniugi noſtrae humani aliquid acciderit, caſu eo exiſtente, nulli alteri, quam Serenitati eius Oppida, Caſtra, Arces, Villas, Terrasque eas cum omnibus inde percipiendis fructibus, commodis emolumentis, et reditibus, ſeque adeo ipſos tradent, conſignabuntque, et quod Serenitati eius in omnibus, et per omnia ſecundum Regni Leges parebunt, et obedient fideliter, et conſtanter. Tributa tamen in Conventibus publicis Regni iuſſa, cum aliis Regni Incolis nihilominus conferant, Podvodasque, ut moris eſt, praebeant. Judicia denique conſveta, tam Caſtrenſia Capitaneorum, quam Regalia, quae antea in aliquibus horum Caſtrorum habita fuerint, poſthac etiam de more in iisdem celebrentur. Et quoniam munus etiam aliquod nuptiale noſtro arbitrio, atque voluntati iis Pactis matrimonialibus permiſſum eſt, ut amorem noſtrum, quo ob ſingulares eius virtutes, atque in Nos obſervantiam, merito Sereniſſimam Coniugem noſtram complectimur, hac etiam re declaremus, ſeparatim duo millia etiam florenorum aureorum hungaricalium auri puri, proventus annui in Zuppis Bochnenſibus eidem Sereniſſimae Reginae Coniugi noſtrae damus, donamus, aſſignamus, inſcribimus, attribuimusque iisdem hiſce Literis noſtris. Quas quidem ſummas Dotis, Donationis propter Nuptias, tum muneris nuptialis eiusdem Sereniſſimae Reginae ANNÆ Coniugi noſtrae inſcripſimus, et obligavimus, inſcribimusque et obligamus, ea lege et conditione, ut ſiquidem Serenitatem ſuam priusquam Nos ex hac vita decedere contigerit, tam Dos, et Donatio propter Nuptias, quam munus nuptiale ad Nos, Regnumque noſtrum irrevocabiliter devolvantur, ſine aliqua ipſius Dotis reſtitutione. Si id prius Nobis accidat, tum vel Prole ex ea non ſuſcepta, quod Deus avertat, vel morte ſublata, vel etiam eadem, aut alia Prole ſuperſtite, commemorata Sereniſſima Regina Coniunx noſtra omnes Terras, Diſtrictus, Dominia, Civitates, Oppida, Bona, in Dotem, et Contradotem, tum etiam munus nuptiale, ſupra a Nobis ei obligata, et inſcripta, cum omnibus eorum reditibus, cenſibus, iuribus, cum aliis, tum etiam Patronatus Eccleſiarum, omnibus denique commodis, emolumentis, utilitatibus, attinentiis, Dominio, et Jurisdictione in poteſtatem, poſſeſſionemque ſuam accipere debet, exceptoque quod Lomzenſis Jurisdictio a Nobis, Sereniſſimisque Succeſſoribus noſtris Nobili in Diſtrictu illo poſſeſſionato ſecundum Leges Regni detur, in caeteris etiam Caſtris, et Praefecturis, itidem non niſi indigenae Nobiles Regni, Magni Ducatus Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, &c. caeterorumque Dominiorum illis adiunctorum, prout quaeque Praefectura in aliqua Provincia ſita eſt, a Serenitate ſua collocentur, habeanturque, eadem pro ſuo arbitrio adminiſtrare poterit, & debebit, ad extrema uſque vitae ſuae vidualis tempora, iisdem utendi, fruendi, ſecundumque praeſentem hanc obligationem de iis diſponendi, fructusque, commoda, emolumenta, utilitates, reditusque omnes ex iis percipiendi, inque uſus ſuos convertendi plenam, integramque poteſtatem habebit. Atque illud quidem, ſi in viduitate permanſerit, ſi autem forte ad ſecunda vota deſcenderit, tum centum millibus florenis Polonicalibus Dotis, & Contradotis a Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris ei perſolutis, ita nimirum, ut duae partes eius Summae ex Regno Poloniæ, tertia Magno Ducatu Litvaniæ ſolvatur, cautioneq; de quinquaginta millibus Contradotis, poſt mortem eius Regno reſtituendis, ab illa praeſtita, & interpoſita, eadem Bona mox libere dimittere, inque poſſeſſionem Succeſſorum noſtrorum tradere ANNO 1593.

ANNO 1593. dere rursum tenebitur. Post mortem vero eius, sive in viduali statu permanserit, sive ad secunda vota descenderit, praedicta quinquaginta millium florenorum Polonicalium Summa Donationis propter Nuptias, seu Contradotis, ad Poloniae Regnum nostrum redire debebit. De alia vero quinquaginta Millium florenorum Polonicalium Summa, Dote nimirum sua, quemadmodum & de iis, quae munere nuptiali percipiet, perceperit, vel liberum, integrumque ei erit, tam in vita, quam in mortis articulo pro suo arbitrio disponere, testarique, eadem donare, legare, in quoscunque denique, quos ei visum fuerit, usus convertere. Intestata vero ea mortua Dos, caeteraque, quae supra commemorata sunt, vel ea pars de qua non disposuerit, ad Liberos eius, quos post mortem eius superstites reliquerit, aut Liberis nullis extantibus, ad proximos eiusdem Serenissimae Reginae, Coniugis nostrae Haeredes Masculos, aut ne illis quidem extantibus, Fœminas devolventur, quibus supra commemoratam Dotis Summam Serenissimi Successores nostri, aut Ordines Regni, Magnique Ducatus Litvaniae integram, vel partem aliis non donatam, legatamve effectualiter restituere, & persolvere debebunt, tenebunturque, ita nimirum, ut duae eius partes ex Regno nostro Poloniae, adiunctisque ei Ditionibus, tertia pars ex Magno Ducatu nostro Litvaniae praestetur, hac expressa adiecta Lege, & Conditione, ut in casu obitus commemoratae Serenissimae Coniugis nostrae ab intestato Serenitatis eius Haeredes supradicti, in casu autem factae alicuius dispositionis, personae, aut persona illa, vel illae, cui vel quibus eadem Serenissima Coniunx nostra aliquid, vel inter vivos donarit, vel Testamento reliquerit, annuos reditus certos & integros quinque millium Florenorum Polonicalium, supra memorati valoris ex supradictis inscriptis, & assignatis Bonis, tam diu quilibet pro sua rata parte sine aliquo defectu habere, levare, & percipere possint, donec & quousque plene & integre illis, aut cuilibet eorum, quod obvenire eis debeat, solutum, & tum de Summa Dotis, quam aliis, quae secundum inscriptionem hanc debebuntur, satisfactum eisdem sit. Non solum autem Bonis, & Dominiis in Dotem, Contradotem, & Munus nuptiale supra ei inscriptis, obligatisque, sed & aliis omnibus Juribus, Libertatibus, et Privilegiis eo modo utetur, fruetur, et gaudebit, quo Serenissimae Poloniae Reginae unquam ab antiquo iuxta Leges, et Consvetudines Regni uti, frui, gaudere, Bonaque huiusmodi possidere solitae fuerunt, neque ulla in re deteriore conditione erit, quam, qua ulla unquam Regina in Regno nostro optima fuerit, ita tamen, ut nihil hac generalitate derogatum velimus iis, quae Literis hisce nominatim constituta, praescriptaque sunt, deque iisdem nihil omnino Serenitati eius decedat, sed omnia et singula verbo nostro Regio, et sub cautione, obligationeque in ipsis Pactis matrimonialibus, seu Literis Tractatus eius perscripta, adeoque Senatus nostri Consilio, et Consensu, publicaque Comitiorum horum authoritate accedente integre, et inviolabiliter Nos, Successoresve nostros observaturos, nostro, Successorumque nostrorum Regum Poloniae, et Magni Ducatus Litvaniae nomine recipimus, promittimus, et spondemus bona fide, doloque et fraude omni remotis. In quorum omnium et singulorum fidem, et testimonium hasce manu nostra subscripsimus, Sigillisque Regni nostri, et Magni Ducatus Litvaniae obsignari mandavimus. Dat. Varsaviae in Conventione Regni nostri Generali die 15. Mensis Junii, Anno Millesimo Quingentesimo, nonagesimo tertio, Regnorum vero nostrorum Poloniae Sexto, & Sveciae primo, Praesentibus Illustrissimis, Reverendissimis, Illustribus, Reverendis. Magnificis, Generosis, Venerabilibus, & Nobilibus, Stanislao Karnkowski, Archiepiscopo Gnesnensi Legato Nato, & Regni Primate, Georgio Sacrae Rom. Ecclesiae tituli Sancti Sixti Praesbytero Cardinale Radziwił, perpetuo Administratore Episcopatus Cracovienſis, Luca Koscielecki a Kozielec Posnanienſi. Alberto Baranowski Plocenſi. Andrea S. R. E. Cardinale Bathoreo, perpetuo Administratore Episcopatus Varmienſis, Bernardo Macieiowski Luceorienſi, Laurentio Goslicki Premislienſi Episcopis. Januſſio *D*uce in Ostrog Castellano Cracovienſi, Nicolao Firleyde *D*ąbrowica Cracovienſi, Novae Civitatis Korczyn, Casimirienſique Capitaneo. Hieronymo Gostomski de Lezenice Posnanienſi, Valcenſi, Sredenſique Capitaneo. Georgio Mniszech de Magna Konczyce Sandomirienſi, Sanocenſi, Sokalienſi, Samborienſique Capitaneo. Stanislao Minski Lancicenſi, Constantino Konstantynowicz *D*uce Ostrogiae Kiiovienſi, & Marschalco Volhyniae, Joanne Spławski de Targowa Gorka Inovladislavienſi, Nicolao Zebrzydowski de Zebrżydowice Lublinenſi, Generali Cracovienſi, Landskoronenſi Capitaneo. Stanislao Gostomski Ravenſi, Radomienſique Capitaneo. Nicolao *D*ziałyński Culmenſi, Bratianenſi Capitaneo. Januſſio *D*uce a Zbaraż Bracławienſi. Krzemieniecenſi, Pinscenſi Capitaneo,

ANNO 1593.

ANNO 1593. neo, Palatinis. Staniſlao Comite a Tarnow Sandomirienſi, Buſcenſi, *S*tobnicenſique Capitaneo. Paulo *S*zczawińſki Lancicenſi, Reginalis Maieſtatis Aulae Magiſtro. *S*taniſlao Zołkiewſki, Leopolienſi, Exercituum Campeſtri Praefecto, Rubieſzovienſi Capitaneo. *S*taniſlao *D*ziełyńſki Elbingenſi. Georgio Konopacki Culmenſi, Januſſio a Kozielec Miedzyrzecenſi. Andrea a Zborow, Biecenſi, Andrea Zebrzydowſki de Więcbork *S*remenſi, Andrea Męczyńſki Vielunenſi, Brzeznicenſique Capitaneo. *S*taniſlao Kruſicki Premiſlienſi, Reginalis Maieſtatis Coniugis Noſtrae Curiae Magiſtro, Lumbolienſi, Bolemovienſique Capitaneo, Andrea Czarnkowſki Naklenſi. Alberto Padniewſki Oſwiecimenſi, Capitaneo, *D*ibovienſi, Martino Mężyńſki Viſlicenſi, Caſtellanis. *S*taniſlao Radziwił *D*uce in Ołyka, et Nieſwieſz, Magni *D*ucatus Litvaniae Marſchalco. Joanne de Zamoſcie Regni *S*upremo Cancellario, & Exercituum Generali, Belſenenſi &c. &c. Capitaneo. Leone *S*apieha Magni *D*ucatus Litvaniae Cancellario, *S*tonimenſi, Markovienſi Capitaneo. Joanne Tarnowſki, Regni Vicecancellario, & Cracovienſi, Wladiſlavienſi, Lancicenſi Praepoſito. Gabriele Woyna Magni *D*ucatus Litvaniae Vicecancellario. Joanne Firley de *D*abrowica Regni noſtri Theſaurario, Lublinenſi Capitaneo. *D*emetrio Halecki Magni *D*ucatus Litvaniae Theſaurario. *S*taniſlao Przyiemſki Curiae Regni Marſchalco. Petro Tylicki *S*ecretario Maiore, & Referendario Regni, Praepoſito Gneſnenſi, Cracovienſi Canonico. Matthaeo Pſtrokońſki Cracovienſi, Varſavienſi Canonico, *S*imone Rudnicki Cuſtode Gneſnenſi. Reinaldo Heydenſteinio, *S*ecretariis noſtris, & aliis quam plurimis Officialibus, Aulicis, & Nunciis Terreſtribus ex omnibus Terris, & *P*alatinatibus Regni, & Magni *D*ucatus Litvaniae ad praeſentia Comitia congregatis.

SIGISMUNDUS. *Rex.*

## LXXXVIII.

1598. MAXIMILIANI *Archiducis Auſtriæ Tranſactionis Bendzinenſis, & Bithomienſis Ratificatio, & Approbatio.* Dat. Pragæ die 8. Maii Anno 1598. *Ex Originali.*

MAXIMILIANUS Dei Gratia Archidux Auſtriae, *D*ux Burgundiae, *S*tiriae, Carinthiae, Carniolae, & Wirtembergae, &c. Comes Habſpurgi, & Tyro-



lis &c. *S*ignificamus quorum intereſt, intereritve huius, & futuri temporis Univerſis, & ſingulis. Cum *S*anctiſſimi *D*omini noſtri SIXTI quinti *S*ummi *P*ontificis, Legatique eius de Latere Reverendiſſimi Domini Hippolyti Sacræ Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Cardinalis Aldobrandini, & ſummi Pœnitentiarii interventu, inter Commiſſarios Sereniſſimæ Domus noſtræ Auſtriacæ ab una, & Sereniſſimi Principis Domini SIGISMUNDI III. Regis Poloniæ ab altera partibus, Bithomiæ, & Bendzini Congregatos, firma, perpetua, ac ſtabilis Pax, & amicitia inter commemoratam Sereniſſimam Domum noſtram, Sereniſſimumque Regem Poloniæ, atque utriusque Regna, & Ditiones certis Conditionibus, & Legibus conſtituta eſſet, Nosque Tranſactionem eam pro noſtra etiam parte ex Tranſactionis eiusdem Formula nominatim etiam confirmare, ratamque habere debeamus, Nos præſentibus hiſce Literis noſtris eandem Tranſactionem de Verbo ad verbum inſerendam, edendam, confirmandam, omnemque authoritatem, & aſſenſum noſtrum harum teſtimonio adhibendum ei duxiſſe. Cuius quidem Tranſactionis tenor infraſcriptus ſequitur. Nos infraſcripti Nomine Sacratiſſimi, atque Invictiſſimi Romanorum Imperatoris RUDOLPHI II. Nos igitur prædictus MAXIMILIANUS Archidux Auſtriæ ſupra inſertam Tranſactionem, & ſingula eiusdem capita, conditiones, clauſulasque confirmamus, approbamus, rata habemus, corroboramus, & præſentibus Literis noſtris ſub fide, ac Verbo Principis noſtro, ſubque onere præſtiti Juramenti ad ea Nos obligamus, promittentes, ſpondentesque ea Nos, & omnia, ac ſingula in eis contenta, & expreſſa inviolabiliter obſervaturos, & adimpleturos, & in nullo directe, vel indirecte, clam, vel aperte unquam illis contraventuros bona fide; dolo, & fraude ſemotis. In quorum omnium fidem, & evidens teſtimonium præſentes manus noſtræ Subſcriptione, & Sigilli noſtri appenſione corroboravimus. Dat. Pragæ die 8. Menſis Maii Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Nonageſimo Octavo. Præſentibus Spectabilibus Magnificis, Generoſis, Nobilibus, & Doctis Wolffgango Rumpff in Wierloff libero Barone in Veitra, Equite S. Jacobi de Eſpada, Commendatore Paracuellenſi, intimo Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Conſiliario, Supremoque Curiæ Præfecto, & Supremo Camerario, Paulo Sixto Trauthſon Comite in Falckenſtain, libero Barone in Sprechenſtain, & Schrofenſtain Domino in Kheya, & Laa, Comitatus Tyrolis

ANNO 1598. hæreditario Marſchalco, intimo pariter Cæſareæ Maieſtatis Conſiliario, & Supremo Curiæ Marſchalco, Erneſto a Molart libero Barone in Reinegk, & Droſſendorff, Cæſareæ Maieſtatis Conſiliario Regiminis Inferioris Auſtriæ, Antonio Trauthſon libero Barone in Sprechenſtain, & Schrofenſtain, Comitatus Tyrolis hæreditario Marſchalco, noſtro Conſiliario, & ſupremo Camerario. Jo. Sigismundo libero Barone in Herberſtain, Neuperg, & Guttenhag Lencowicz, hæreditario per Ducatum Carinthiæ tum Camerario, tum Dapifero, Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Conſiliario, ſupremo in confinibus Regni Croatiæ Capitaneo, ac noſtro Camerario, Rudolpho Corraducio Juris utriusque Doctore, Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Secreto Conſiliario, ac Procancellariatus Imperialis Adminiſtratore, Joanne Hildebrando Mecker, ab & in Balckhaimb Juris utriusq; Doctore, Sacræ Cæſareæ Maieſtatis itidem Conſiliario Secreto, & Joanne Barvicio Juris utriusque Doctore, Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Conſiliario, Imperiali Aulico, & Secretario, teſtibus idoneis, fide dignis, & ad hæc ſpecialiter vocatis.

MAXIMILIANUS.

*Wolffgangus Rumpff.*
*Paulus Sixtus Thrauthſon, Comes in Falckenſtein.*
*Erneſtus a Molart Baro.*
*Antonius Trauthſon Baro.*
*Joannes Sigismundus liber Baro in Herberſtain Generalis.*
*Rudolphus Corraducius mp.*
*Joannes Hildebrandus Meckherus in Balckheimb.*
*Joannes Barvicius mp.*

## LXXXIX.

*Eiusdem Juramentum de ſervanda eadem Tranſactione.* Dat. Pradie 8. Maii 1598. *Ex Originali.*

Nos MAXIMILIANUS Dei Gratia Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, Comes Habſpurgi, & Tyrolis &c. Recognoſcimus, & Præſentibus profitemur. Cum ſuperioribus annis ultra fines Regni Poloniæ, & in Ditiones Sacræ Cæſareæ Maieſtatis, Fratris, & Domini noſtri Clementiſſimi reverſi, Juramentum iuxta Formulam Tranſactionis inter utriusque Partis Commiſſarios Bithomiæ, & Bendzini congregatos initæ præſtare diſtulerimus, hodierno autem die Octavo Menſis Maii Sereniſſimo Principi Domino SIGISMUNDO III. Dei Gratia Poloniæ, & Sveciæ Regi, Magno Duci Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæque Conſangvineo, & Affini noſtro Chariſſimo fidei pure, & perfecte ſervandæ cauſa, maximeque in Tranſactionem inter commemoratæ Sacræ Cæſareæ Maieſtatis, univerſaeque Domus Auſtriæ parte ab una, & Serenitatis eius, atque Ordinum nomine, Commiſſarios parte ab altera factam, voto Juramenti Sanctis Dei Evangeliis per per Nos corporaliter tactis præſtiti, de certa ſcientia, & Conſilio noſtro Nos obligaſſe, obſtrinxiſſeque. Quod quidem Juramentum ſeu fidei Sacramentum ſequentibus verbis a Nobis præſtitum eſt. ANNO 1598.

*Ego* MAXIMILIANUS *Dei Gratia Archidux Auſtriæ iuro ſpondeoque per hæc Sancta Dei Evangelia, quod omnia ea, quæ Sanctiſſimi Domini noſtri, & Legati eius de Latere Reverendiſſimi Cardinalis* ALDOBRANDINI *interventu inter Sacræ Cæſareæ Maieſtatis, Domini, & Fratris mei obſervandiſſimi, cæterorumque Sereniſſimorum Principum Auſtriacorum Commiſſarios ex una, & Sereniſſimi Principis Domini* SIGISMUNDI III. *Poloniæ & Sveciæ Regis parte ex altera, Bithomiæ, & Bendzini congregatos convenerunt, in omnibus eorum punctis, & clauſulis firmiter, inviolabiliterque obſervabo, pacem, & amicitiam cum eodem Sereniſſimo Rege Poloniæ, Magno Duce Litvaniæ, Regnoque, Magno Ducatu Litvaniæ, cæterisque Ditionibus eius perpetuo, conſtanterque colam, neque quidquam, quod contra eiusdem Sereniſſimi Regis, Ditionum hominumque eius ſalutem, aut quietem ſit, ſuſcipiam, admittamve, neque vim aliquam inferam, aut aliquo modo publice, vel occulte moleſtabo, ſed fraterno amore, honore, & benevolentia omnibus in locis, perque omnem occaſionem eundem Sereniſſimum Regem proſequar; ſic me Deus adiuvet, & hæc Sancta eius Evangelia.*

Quod quidem ſupraſcriptum Juramentum Nos eidem ſancte obſervare, neque unquam contra illud venire præſentium etiam Literarum harum teſtimonio promittimus, ſpondemusque, Maioris fidei cauſa manu noſtra haſce ſubſcripſimus, Sigilloque noſtro muniri iuſſimus. Datum Pragæ die Octava Menſis Maii Anno *Domini* Milleſimo Quingenteſimo Nonageſimo Octavo, Praeſentibus Spectabilibus, Magnificis, Generoſis, Nobilibus, & Doctis, Wolffgango Rumpff in Wierlſs, Libero Barone in Weytra, Equite Sancti Jacobi de Eſpada, Commendatore in Paracuellen, Intimo Sacrae Caeſareae Maieſtatis Conſiliario, ſupremoque Curiae Praefecto, & ſupremo Camerario. Paulo Sixto Trautſohn Comite in Falckenſtain, Libero



ANNO 1598. ro Barone in *S*prechenſtain, & *S*chrofenſtain, Domino in Kheia, ac Laa, Comitatus Tyrolis Haereditario Mareſchalco, intimo pariter Caeſareae Maieſtatis Conſiliario, Camerario, & ſupremo Curiae Mareſchalco. Erneſto a Molart Libero Barone in Reinegk, & Droſſendorf, Caeſareae Maieſtatis Conſiliario Regiminis Inferioris Auſtriae. Antonio Trautſohn, Libero Barone in *S*prechenſtain, & *S*chrofenſtain, Comitatus Tyrolis Haereditario Mareſchalco, noſtro Conſiliario, & ſupremo Camerario. Joanne *S*igismundo Libero Barone in Herberſtain, Neuperg, & Guttenhag in Lencowitz, Haereditario per Ducatum Carinthiae tum Camerario, tum Dapifero, *S*acrae Caeſareae Maieſtatis Conſiliario, *S*upremo in Confinibus Regni Croatiae Capitaneo, ac noſtro Camerario. Rudolpho Corraducio Juris Utriusque Doctore, *S*acrae Caeſarae Maieſtatis *S*ecreto Conſiliario, ac Procancellariatus Imperialis Adminiſtratore. Joanne Hildebrando Mecker, ab & in Balckheim iuris Utriusque Doctore, *S*acrae Caeſareae Maieſtatis itidem Conſiliario *S*ecreto, & Joanne Barvicio Juris Utriusque Doctore, *S*acrae Caeſareae Maieſtatis *C*onſiliario Imperiali Aulico, ac *S*ecretario, Teſtibusque idoneis fide dignis, & ad haec ſpecialiter vocatis. ANNO 1598.

MAXIMILIANUS.

*Wolgangus Rumpff.*
*Paulus Sixtus Trauthſon Comes in Falckenſtain.*
*Antonius Trauthſon Baro mp.*
*Joannes Sigismundus L. Baro in Herberſtain generalis mp.*
*Erneſtus a Molart Baro.*

## XC.

*Inſtrumentum publicum publicorum Notariorum, quo præſtiti ex Formula Transactionis Bendzinenſis a* MAXIMILIANO *Archiduce Juramenti teſtimonium dicunt.* Dat. in Arce Pragenſi d. 8. Maii Anno 1598. *Ex Originali.*

*In Nomine Domini Amen.*

Per hoc præſens Inſtrumentum publicum cunctis pateat evidenter, ac ſit notum. Quod Anno a Nativitate eiusdem Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo octavo, Indictione undecima Die Veneris, octava Menſis Maii intra horam nonam, ac decimam antemeridianam, Pontificatus Sanctiſſimi Domini Noſtri, Domini CLEMENTIS Divina Providentia Papæ Octavi Anno ſeptimo. Regnante Sereniſſimo, Potentiſſimoque Principe, & Domino, Domino RUDOLPHO II. Divina favente Clementia Electo Rom. Imperatore ſemper Auguſto, ac Hungariæ, Bohemiæq; Rege, Archiduce Auſtriæ, Duce Burgundiæ, Domino noſtro clementiſſimo in infra ſcriptorum, & ad hoc ſpeciatim requiſitorum, & rogatorum Dominorum Teſtium, & noſtra Notariorum præſentia, conſtitutus perſonaliter in Camera ſua interiori Sereniſſimus Princeps, ac Dominus, Dominus MAXIMILIANUS Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, Comes Habſpurgi, & Tyrolis &c. ore proprio expoſuit, Serenitatem ſuam cum ad Sanctitatis ſuæ, & Maieſtatis Cæſareæ, Domini, ac Fratris ſui obſervandiſſimi inſtantiam, & requiſitionem, tum etiam pro bono publico eo tandem ſe reſolviſſe, quod Juramentum vigore Tranſactionis Polonicæ, Bithomiæ ſcilicet & Bendzini Anno ſuperiori octuageſimo nono, die nona Menſis Martii initæ realiter præſtare velit. Ac proinde a Dominis Teſtibus infra ſcriptis, & nobis Notariis petiit, ut actui huic intereſſe, & omnia, quæ a Serenitate ſua dicerentur, ac fierent, diligenter obſervaremus, & annotaremus. Ibique coram altari in dicta Camera parato, ac duabus ſuper eo candelis cereis albis accenſis, poſitoque in medio illarum Crucifixo argenteo, protinus in genua ſuper holoſericum pulvinar quoddam rubeum procidens manu dextra ſacroſanctis Dei Evangeliis corporaliter tactis, capiteque aperto viva voce in hunc, qui ſequitur modum ſolenniter pronuntiavit, & declaravit, ac iuravit.

*Ego* MAXIMILIANUS *Dei Gratia Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, iuro, ſpondeoque per hæc Sancta Dei Evangelia, quod omnia ea, quæ Sanctiſſimi Domini Summi Pontificis, & Legati eius de Latere Reverendiſſimi Cardinalis Aldobrandini interventu inter Sacræ Cæſareæ Maieſtatis, Domini, & Fratris mei obſervandiſſimi, cæterorumque Sereniſſimorum Principum Auſtriacorum Commiſſarios ex una, & Sereniſſimi Principis, Domini* SIGISMUNDI III. *Poloniæ Regis, Magni Litvaniæ Ducis parte ex altera Bithomiæ, & Bendzini congregatos convenerunt, in omnibus eorum punctiis & clauſulis firmiter, inviolabiliterque obſervabo, pacem, & amicitiam cum eodem Sereniſſimo Rege Poloniæ, Magno Duce Litvaniæ, Regnoque, Magno Ducatu Lituaniæ, & cæteris Ditionibus eius perpetuo, conſtanterque colam, neque*

ANNO 1598. *quidquam, quod contra eiusdem Sereniſſimi Regis Ditionum, hominumue eius ſalutem, aut quietem ſit, ſuſcipiam, admittamue, neque vim aliquam inferam, aut aliquo modo publice, uel occulte moleſtabo, ſed fraterno honore, amore, & beuevolentia omnibus in locis, perque omnem occaſionem eundem Sereniſſimum Regem proſequar; ſic me Deus adiuuet, & hæc Sancta eius Euangelia.*

Qua quidem Juramenti ſolennitate praeſentibus, quibus ſupra, ſic celebrata, exoſculatus Evangelia ſurrexit, ac quae ſequuntur verba ſtando ſubdidit, videlicet. Hoc iam praeſtito Juramento tandem iis etiam, quos ex Natione Polonica Juramento, fide, aut quocunque modo obligatos antea habuimus, fidem eam, Jusiurandum, omnemque obligationem remittimus, pleneque liberos, ab iis pronuntiamus. His itaque ſic, ut praemittitur, a *S*erenitate ſua peractis, ſibi demum a Nobis infraſcriptis Notariis unum, ſeu plura deſuper Inſtrumentum, ſive Inſtrumenta publica quomodocunque, & quotcunque, ac quando opus fuerit, conſui requiſivit. Quam quidem requiſitionem Nos ea, qua decet reverentia accepimus, omniaque ſic, ut ſupra, geſta, dicta, & pronuntiata pro officio noſtro in publicam hanc formam redegimus. Acta autem fuerunt haec in Arce Regia Pragae, inque *C*amera *S*erenitatis ſuae interiori, iuxta Eccleſiam Metropolitanam ſita, anno, Indictione, die, hora, Menſe, Pontificatu, & Imperio, quibus ſupra. Praeſentibus ibidem Illuſtriſſimis Generoſis, Magnificis, atque *S*trenuis Dominis, Domino Wolffgango Rumpff in Wierloff, Libero Barone in Weytra, Equite Ordinis *S*ancti Jacobi de Eſpada, *C*ommendatore Paracuellenſi, Intimo Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Conſiliario, ac Supremo Camerario, Supremoque Curiæ Præfecto. Domino Paulo Sixto Trautſohn Comite in Falckenſtain, Libero Barone in Sprechenſtain, & Schrofenſtain, Domino in Kheya, ac Laa, Hæreditario per Comitatum Tirolenſem Mareſchalco, Intimo pariter Maieſtatis ſuæ *C*æſareae Conſiliario, Supremoque Curiæ Mareſchalco. Domino Erneſto a Molart Libero Barone in Reinegk, & Droſſendorf, Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Conſiliario Regiminis Inferioris Auſtriæ, & Domino Antonio Trautſohn Libero Barone in *S*prechenſtain, & Schrofenſtain Hæreditario Comitatus Tirolenſis Mareſchalco, prælibati Sereniſſimi Archiducis MAXIMILIANI Conſiliario, Supremoque *C*amerario, Domino Joanne Sigismundo Libero Barone in Herberſtain, Neuberg, & Guttenhag in Lencowitz, Hæreditario per Ducatum *C*arinthiæ, tum *C*amerario, tum Dapifero, Sacræ *C*æſareæ Maieſtatis Conſiliario, *S*upremoque in confinibus Regni *C*roatiæ Capitaneo, ac Sereniſſimi Archiducis MAXIMILIANI *C*amerario, Domino Rudolpho *C*orraducio, Juris Utriusque Doctore, *S*acræ *C*æſareæ Maieſtatis ſecreto *C*onſiliario, ac Procancellariatus Imperialis Adminiſtratore, Domino Joanne Hildebrando Mecker, ab & in Balckheim, Juris utriusque *D*octore, ſuæ Maieſtatis *C*æſareæ *C*onſiliario itidem ſecreto, & *D*omino Joanne Barvicio Juris utriusque *D*octore, Eiusdemque Maieſtatis *C*æſareæ Imperiali Aulico, *C*onſiliario, & Secretario, tanquam Teſtibus idoneis, fideque dignis ad hunc actum ſpecialiter vocatis, & requiſitis. 1598.

Et ego Ambroſius Benck Aulicus Sacræ *C*æſareæ Maieſtatis Secretarius & Publicus Imperiali eiusdem Authoritate Notarius, atque Judex Ordinarius. Quia præmiſſis omnibus, & ſingulis, dum ſic fierent, & agerentur una cum prænominatis *D*ominis Teſtibus, ac infraſcripto *C*ollega meo perſonaliter interfui, eaque ſic fieri vidi, & audivi. Idciro præſens Inſtrumentum Publicum per nos ſuperinde confectum propria manu ſubſcripſi, ſolitoque meo, tum Notariatus Signo, tum Nomine, et *C*ognomine appoſito communivi, in Fidem, et Teſtimonium omnium, ac ſingulorum præmiſſorum requiſitus, et rogatus.




Et quia ego Paulus Mainpock a Mainpach *S*acræ *C*æſareæ Maieſtatis *C*ancellariæ Latinæ Imperialis Amanuenſis, Pontificiaque, et *C*æſarea Authoritate Publicus, Aulæ vero Notarius Ordinarius, præmiſſis omnibus, et ſingulis, dum ſic fierent, et agerentur una cum prænominatis Dominis Teſtibus, ac ſupra ſcripto *C*ollega meo perſonaliter interfui, eaque ſic fieri vidi, et audivi. Idcirco præſens Inſtrumentum publicum per nos ſuperinde confectum propria manu ſubſcripſi, ſolitoque meo, tum Notariatus Signo, tum Nomine, et *C*ogno-



ANNO 1598. Cognomine appoſito communivi. In fidem, & teſtimonium omnium, & ſingulorum praemiſſorum requiſitus pariter, atque rogatus.

Zbigneus Dei, & Sanctae Sedis Apoſtolicae Gratia Archiepiſcopus Pragenſis, Legatus Natus, Supremus, & Generalis Magiſter Ordinis Crucigerorum cum rubea ſtella per Bohemiam, Moraviam, Sileſiam Poloniam &c. Univerſis Praeſentes inſpecturis notum facimus, & atteſtamus ſupraſcriptos Ambroſium Benckh, & Paulum Mainpock a Mainpach eſſe Notarios Publicos fideles, & legales, eorumque Inſtrumentis, & ſcripturis publicis in Judicio, & extra plenam, & indubiam fidem abhiberi. Datum Pragae in aedibus noſtrae Archiepiſcopalis Reſidentiae 13. Maii Anno 1598.

Zbigneus Bers. mp. (L.S.)

Ego Paulus Sixtus Trauthſon Comes in Falckenſtain, Liber Baro in Sprechenſtain, & Schrovenſtain, Dominus in Kheya, ac Laa, Haereditarius per Comitatum Tyrolenſem Mareſchalcus, Intimus Sacrae Caeſareae Maieſtatis Conſiliarius, Supremusque Curiae Mareſchalcus fidem facio, & atteſtor Supra ſcriptos Ambroſium Benck, & Paulum Mainbock eſſe Notarios legales, & authenticos, ipſorumque Inſtrumentis ac Scripturis publicis plenam, & indubiam fidem ubique locorum adhiberi in Judicio, & extra. In cuius rei teſtimonium has manu noſtra ſubſcriptas Sigilli noſtri impreſſione communiri iuſſimus. Actum Pragae die 13. Menſis Maii Anno Domini Milleſimo, quingenteſimo Nonageſimo octavo.

Paulus Sixtus Trauthſon Comes in Falckenſtein. (L.S.)

XCI.

*Literae* RUDOLPHI *Imp. transmittentis* SIGISMUNDO III. *Regi Poloniae Ratificationem Tranſactionis a* MAXIMILIANO *Archiduce factam, & Juramentum ex formula eiusdem Tranſactionis ab eodem praeſtitum.* Dat. Pragae die 11. Maii Anno 1598. *Ex Originali.*

RUDOLPHUS II. divina favente clementia Electus Rom. Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae Rex, Archidux Auſtriae, Dux Burgundiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae, & Wirtembergiae, Comes Tyrolis, &c. Sereniſſimo Principi Domino SIGISMUNDO III. Regi Poloniae, & Sveciae, Magno Duci Litvaniae, ac Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Cognato, Affini, & Vicino noſtro chariſſimo ſalutem, ac mutuam benevolentiam. Sereniſſime Princeps, Cognate, Affinis, & Vicine chariſſime. Qua iam ante curavimus animi integritate, ut Sereniſſimus Frater noſter Archidux MAXIMILIANUS Tranſactioni Bithomienſi, ac Bendzinenſi ſua ex parte ſatisfaceret, ac Juramentum iuxta conceptam eiusdem Tranſactionis formulam ederet, iam perfecti, & abſoluti totius negotii documenta, quae proxime ſuperioribus Literis Nos miſſuros polliciti ſumus, per Aulae noſtrae Caeſareae familiarem Carolum Magnum Nobis charum mittimus, de Serenitatis veſtrae integritate Nobis viciſſim promittentes, ipſam nequaquam praetermiſſuram eſſe, quin & ſua, & ſuorum ex parte bonae vicinitatis, amicitiaeque officia benevole, ac ſincere etiam ipſa abſente praeſtentur, Nobisque, ac noſtris maior in dies mutuis benevolentiae ſtudiis certandi occaſio praebeatur. His Serenitati veſtrae, quod ſuſcipit in Sveciam iter, iterum atq; iterum feliciſſimum, omniaque maxime ſalutaria precamur. Datum in Arce noſtra Regia Pragae, die undecima Menſis Maii Anno Domini MDXCVIII. Regnorum noſtrorum Romani XXIII. Hungarici XXVI. & Bohem. XXIII. ANNO 1598.

XCII.

*Literae* MAXIMILIANI *Archiducis ad* SIGISMUNDUM III. *Regem Poloniae, quibus ei ſignificat ſe conditionibus, quae ad perficiendam Tranſactionem Bendzinenſem adhuc reſtabant, iam ſatisfeciſſe.* Dat. Pragae die 12. Maii Anno 1598. *Ex Originali.*

Sereniſſimo Principi Domino SIGISMUNDO III. Poloniae, Sveciae, Gothorum, Vandalorumque Regi, Magno Duci Litvaniae, Conſangvineo, & Affini noſtro dilecto. MAXIMILIANUS Archidux Auſtriae, Dux Burgundiae ſalutem, & benevolentiae ſignificationem. Etſi non tam ulla animi averſio a Serenitate Veſtra, quam iuſtae quaedam aliae rationes hactenus obſtitere, quominus ut Tranſactioni Bythomienſi ex pacto ſatisfaceremus, adduci potuerimus, utcunque vero graves eaedem Nobis viſae ſunt, condonare tamen eas publicae ſecuritati,

ANNO 1598. ti, ac sangvinis propinquitati, & amoris erga Serenitatem vestram affectui, ipsiusque Pontificis Maximi, & Sacrae Caesareae Maiestatis Domini, & Fratris nostri colendissimi assiduis, & continuis adhortationibus satius duximus, quam aut odii alicuius, aut privatae cupiditatis obstinatione communi Christianitatis bono obstaculo fuisse videri, quare cum iam a Nobis quoque adimpletum sit quod hucusq; in alia Transactione desideratum est, atque eo modo omnis dissidii, aut suspicionis sinistrae scrupulo semoto, sinceram posthac, a qua etiam ante non alieni fuimus, cum Serenitate vestra, Regnisque eius, ac Provinciis amicitiam, & vicinitatem colere, & servare decreverimus, idem vicissim ab Ea, iisdemque ubicunque vel nostro, vel publico vel Sacrae Caesareae Maiestatis nomine constituti, & futuri erimus, expectamus, & Nobis pollicemur, adeo ut Serenitati vestrae serio promittamus, si quid ea absente, aut alioquin moliri quidpiam in detrimentum eius animadvertamus, modo officium hoc nostrum acceptum illi esse intelligamus, Nos ei rei omni studio, & conatu obviam ituros, quod declarandae affectionis, & voluntatis nostrae causa Serenitati vestrae significare voluimus, cui salutem, & faustum iter precati, felices rerum Patriarum Successus optamus. Datae Pragae duodecima die Mensis Maii Anno Millesimo quingentesimo Nonagesimo octavo.

*Serenitatis vestrae.*

*Bonus Consangvineus, & Affinis.*

MAXIMILIANUS.

XCIII.

PHILIPPI *Hispaniarum Regis Transactionis Bendzinensis Ratihabitio, & Approbatio.* Dat. Divi Laurentii 8. Julii An. 1598. *Ex Originali.*

PHILIPPUS Dei Gratia Castellae, Legionis, Aragonum, utriusque Siciliae, Hierusalem, Portugaliae, Navarrae, & Indiarum &c. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, & Mediolani, Comes Habspurgi, Tyrolis &c. Notum facimus universis, quod cum Serenissimus MAXIMILIANUS Archidux Austriae, Nepos noster charissimus se iustis de causis bonum publicum concernentibus sponte abdicaverit, & spoliaverit ab omni Jure, quod ad ipsum expectare poterat, ex ea Electione, qua in publicis Poloniae Comitiis ad regium Regni illius culmen evectus fuerat, ANNO desiderarique sentiamus nostram eius actus 1598. ratihabitionem tam a Serenissimo, & Potentissimo RUDOLPHO II. Rom. Imperatore Nepote nostro charissimo, quam a Serenissimo SIGISMUNDO itidem eisdem Comitiis Electo, & nunc Rege Poloniae, nec non Sveciae, & generaliter a Statibus eiusdem Poloniae ad maiorem rei firmitatem, Nos qui semper Dei Gratia bono publico, & Christianorum Regnorum tranquillitati aures, & oculos libenter exhibemus, caeteris omnibus posthabitis, supradictae Serenissimi Archiducis MAXIMILIANI cessioni, & renuntiationi assentimur, & consentimus, quinimo eam (si quod tale a Nobis proficisci potest) approbamus, & laudamus, nec non talem, & tantae virtutis deliberationem tanto Principe dignam, gratamque Nobis fuisse, & ratam habere profitemur, in verboque nostro Regio pollicemur, & promittimus, neque Nos ullo unquam tempore his contradicturos, aut contraventuros, atque si quis (quod minime verendum est) contra se gesserit, factum reprobaverit, & quocunque modo effringere tentaverit, a Nobis nec consilium, nec auxilium obtenturum. Sic enim dictam abdicationem, & renuntiationem sustineri volumus, ut nullus eius revocationi, aut contraventioni locus relinquatur. Harum testimonio Literarum manu nostra subscriptarum, & Sigilli nostri appensione munitarum. Dat. Divi Laurentii die 8. Mensis Julii An. Domini 1598.

PHILIPPUS p.p.

*Ad Mandatum suae Catholicae Maiestatis proprium.*

XCIV.

RUDOLPHI II. *Imperatoris ad* SIGISMUNDUM III. *Literae, in quibus misit ei Diploma* PHILIPPI *Hispaniarum Regis confirmantis Transactionem Bithomiensem.* Dat. Pragae die 18. Septembris Anno 1598. *Ex Originali.*

RUDOLPHUS II. Divina favente Clementia Electus Rom. Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae &c. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae, & Wirtembergae &c. Comes Tirolis &c. Serenissimo Principi, Domino SIGISMUNDO III. Regi Poloniae, & Sveciae, Magno Duci

ANNO 1598. Duci Litvaniæ, ac Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæque &c. Cognato, Affini, & Vicino noſtro chariſſimo ſalutem, ac mutuam benevolentiam. Sereniſſime Princeps, Cognate, Affinis, & Vicine chariſſime. Ut Serenitas Veſtra non tantum ea, quæ Nobis in manu ſint, neceſſitudinis noſtræ mutuæ cauſa libenter a Nobis præſtari, ſed etiam, quæ ab aliis præſtanda ſollicite procurari videat. En Sereniſſimi Hiſpaniarum Regis Catholici &c. Avunculi ſororii, & Fratris noſtri chariſſimi Diploma, quo Tranſactionem Bithomienſem ſua ex parte confirmat. Quicquid vero etiam deinceps in aliis quocunque gratificandi ſtudio poterimus, eſt, quod Serenitas Veſtra id ſibi de ſincero noſtro, ac benevolentiſſimo in ſe affectu promittat, cui proſperrimos rerum ſucceſſus precamur. Datum in Arce noſtra Regia Pragæ die decima octava Menſis Septembris Anno Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo octavo, Regnorum noſtrorum Romani vigeſimo tertio, Hungarici vigeſimo ſexto, & Bohemici itidem vigeſimo tertio.

## XCV.

1605. *Pacta Matrimonialia inter* SIGISMUNDUM III. *Regem Poloniæ, & Sereniſſimam Principem* CONSTANTIAM CAROLI *Archiducis Auſtriæ Filiam.* Dat. Græcii die 23. Octobr. Anno 1605. *Ex Originali Sigill.* 2.

NOS MARIA Dei Gratia Comes Palatina Rheni, ac Superioris, & Inferioris Bavariæ Dux Vidua, & Nos FERDINANDUS, eiusdem favente clementia, Archiduces Auſtriæ, Duces Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, Comites Tyrolis, & Goritiæ &c. Notum facimus, quorum intereſt univerſis, tam præſentibus quam futuris. Quod cum Sereniſſimus, ac Potentiſſimus Dominus SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque, nec non Svecorum, Gothorum, Vandalorumque hæreditarius Rex, reſpective Filius, Gener, & Affinis noſter chariſſimus, Reverendum in Chriſto Patrem Martinum Szyſzkowſki Epiſcopum Luceorienſem, & Illuſtrem, ac Magnificum Sigismundum Marchionem in Mirow Myſzkowſki, Supremum Regni Poloniæ Mareſchalcum, Korczynenſem, Grodecenſem, Selecenſemque Capitaneum, Legatos ſuos deſtinaverit, per eosque Sereniſſimam Principem, Dominam CONSTANTIAM, Sereniſſimi quondam Principis, & Domini, Domini CAROLI Archiducis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, Comitis Tyrolis, & Goritiæ &c. Noſtramque reſpective Filiam, & Sororem natu minimam in Matrimonium ſibi collocari, ex ſingulari, quo fertur erga Nos, & Sereniſſimam Domum noſtram benevolentiæ affectu, petierit, allegatis hanc ob rem cauſis non levibus, inter quas non poſtremæ fuerunt, tam authoritas utriusque noſtrum Familiæ inde acceſſura, quam utilitas in Regna, & Ditiones, quibus uterque Dei præeſt beneficio, redundatura, Nosque priſtino illo ducti amore, ac ſanguinis vinculo, quo eidem Sereniſſimo Regi Poloniæ conſtantiſſime coniuncti ſumus, honorificentiſſimæ huic ſuæ Serenitatis petitioni libentiſſimo annuerimus animo, acceſſerit etiam aſſenſus prædictæ Sereniſſimæ Virginis, tandem, quod felix & fauſtum ſit, ad Laudem & Gloriam Dei Omnipotentis, ſemperque Glorioſæ Virginis MARIÆ Eius Genitricis, pro conſervatione, & augmento Reipublicæ Chriſtianæ, proque firmiore ſtatu Regnorum & Provinciarum, tam Sereniſſimo Regi Poloniæ, quam Nobis ſubditarum, utque vinculum ſanguinis & affinitatis, quod inter ſuam Serenitatem, & Nos iam pridem extitit firmum, renovatione iſta Affinitatis, & Coniunctionis magis coarctetur, inter præfatam Sereniſſimam Dominam CONSTANTIAM Nobis intercedentibus ex una, & ſupra dictos Sereniſſimi Poloniæ Regis Oratores, & Mandatarios agentes parte ex altera, obtenta prius a Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa PAULO V. tam ſuper tertio, & quarto Conſanguinitatis gradu, quam Affinitatis nexu, quo Sereniſſimus Rex, & Sereniſſima CONSTANTIA Filia, & Soror noſtra chariſſima invicem, coniuncti ſunt, neceſſaria, & convenienti diſpenſatione, ſub Data Romæ apud Sanctum Marcum, ſub Annulo Piſcatoris, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo ſexcenteſimo quinto, die tertia Septembris, Pontificatus ſui Anno primo, tractatum, & concluſum eſt Matrimonium verum & legitimum ſub Articulis & Conventionibus ſequentibus, videlicet: Quod Sereniſſimus Archidux FERDINANDUS prædictae Sereniſſimae Sororis ſuae nomine, dabit, & aſſignabit in Dotem Sereniſſimo Principi, & Domino, Domino SIGISMUNDO III. Regi Poloniae, & Magno Duci Litvaniae &c. Summam quadraginta quinque millium Florenorum Rhenenſium, ſexaginta cruciferis bonae, & uſua-

ANNO 1605.

ANNO 1605. lis Monetæ Germanicae in Regno Poloniae currentis, pro quolibet floreno computatis, eamque Summam intra trimestre tempus, postquam in Regni Comitiis de facienda Reformatione conventum, idq; Serenitati eius significatum fuerit, in numerata pecunia Cracoviae, aut ad Regni Poloniae confinia, utrum Sereniſſimus Rex Poloniae maluerit, citra omnem dilationem exsolvet. E converso vero Sereniſſimus Princeps, & Dominus, Dominus SIGISMUNDUS Rex Poloniae praedictam Dotem recipiendo, pro Contradote, seu Donatione propter Nuptias, similiter summam quadraginta quinque millium florenorum Rhenensium supradicti valoris, Sereniſſimae Dominae CONSTANTIÆ Sponsae suae dare, et constituere, et has utrasque Summas, tam scilicet Dotis, quam Contradotis, in opportunis, et sufficientibus Dominiis, Civitatibus, Oppidis, Arcibus, et Terris Regni Poloniae, et Magni Ducatus Litvaniae, secundum Constitutiones Regni Poloniae in proximis Regni Comitiis, aut si illa iustis ex causis, seu impedimentis re infecta dissolverentur, in mox subsequentibus, in bona, & debita forma inscribere, & assecurare, & huiusmodi Reformationem ad manus Serenisſimi Archiducis FERDINANDI, aut Serenitatis eius Serenisſimae Matris consignare, & ad haec curare, efficereque vult, & tenebitur, quod omnes Dominiorum, Civitatum, Oppidorum, Castrorum, Terrarum, Villarum, & Bonorum inscriptorum Capitanei, Rectores, Tenutarii, Cives, praesentes, & futuri, qui supra dictae Reformationi subiacebunt, Ipsi Sereniſſimae Dominae CONSTANTIAE plenam praestent sponsionem, ac corporale Fidelitatis Juramentum. Quod si Serenisſimo Principi, & Domino, Domino SIGISMUNDO III. Regi Poloniae, & Magno Duci Litvaniae, prius quam Ipsi Serenisſimae Dominae CONSTANTIAE aliquid humanitus acciderit, tunc & in eo casu nulli alteri, nisi Serenitati eius, Dominia, Civitates, Oppida, Arces, Terras, Villas, & Bona sibi inscripta tradent, & consignabunt, cum omnibus inde percipiendis fructibus, commodis, emolumentis, & reditibus, & quod Serenitati eius in omnibus, & per omnia secundum Regni Leges parebunt, & obedient, fideliter, & constanter, ita ut Sereniſſimis Regibus Poloniæ obedire sunt soliti, & astricti. Sed tributa in Conventione Regni iussa, subditi eorum locorum nihilominus cum aliis Regni Incolis conferent, Podwodasque ut moris est, præstabunt, ac in Castris in hac dote, & dotalitii nomine obligatis, consveta iudicia Castrensia Capitaneorum, & Regalia celebrabuntur, quæ tamen contributiones, podwodæ, & Judicia Castrensia, & Regalia nullum præiudicium, aut detrimentum Sereniſſimæ Dominæ CONSTANTIÆ, & hæredibus eius, in proventibus post Mortem Sereniſſimi Regis Poloniæ, ex bonis prædictis percipiendis inferre debent. Insuper permissum est arbitrio Sereniſſimi Poloniæ Regis, & Magni Ducis Litvaniae, ut secuta per copulam huius felicis Matrimonii consumatione, Sereniſſimam Sponsam suam aliquo Munere Virginali, tam pro Regio suo honore, & attenta eius Viduitate, quam Sereniſſimae Ipsius Sponsae suae merito remunerare possit, cum Utrinque de Ipsius Sereniſſimi Regis erga suam Sponsam amore, & benevolentia nil dubitetur. Pro hoc autem Munere Virginali, ut praemittitur deputando, etiam Inscriptio, & Assecuratio legitima itidem fieri debebit. Conventum praeterea est, quod si Sereniſſima Domina CONSTANTIA prior Sponso suo defuncta fuerit, tunc Dos, & Donatio propter Nuptias, & Munus Nuptiale seu Virginale ad Sereniſſimum Regem, & Regnum Poloniae, & sane donatio propter Nuptias perpetuo devolvatur; Ad dotem autem, & Munus Nuptiale, quod attinet, Partes ea de re nil adhuc certi statuerunt, cum quidem ex parte Sereniſſimae Sponsae, vigore Declarationis a Sereniſſimo Rege Poloniae super Contractu Matrimoniali cum eius Serenitatis priore Coniuge, pientiſſimae Memoriae inito, factae, ac die tertia Junii Anni Millesimi Quingentesimi Nonagesimi secundi, Cracoviae datae, & habita consideratione, quod sicut Contrados ad Sereniſſimum Regem, & Regnum Polonae devolvitur, ita dotem ad Sereniſſimae Dominae CONSTANTIÆ haeredes recidere aequum sit, petebatur Dotem, et Munus nuptiale ad Sereniſſimum Regem Poloniae, quoad Sereniſſimae Sponsae suae super vixerit, tantum pertinere, post mortem autem eiusdem Sereniſſimi Regis, nullis ex Sereniſſima Domina CONSTANTIA (quod Deus avertat) susceptis liberis, vel susceptis quidem, sed Sereniſſimo Regi praemortuis, ad Sereniſſimae CONSTANTIÆ haeredes Masculos, atque iis deficientibus, ad Faeminas, sive Serenitas sua ab intestato decesserit, sive ea de re, vel in vita, vel in mortis articulo dispoſuerit, redire debere; ex parte vero Sereniſſimi Regis Poloniae Oratorum praetendebatur, dotem ac Munus Nuptiale non minus, quam Contradotem Regi, & Regno Poloniae perpetuo permanere debere, sibique per Instructionem supradictis postulatis assenti-

ANNO 1605.

ri

ANNO 1605. ri non licere, ideo de hoc Articulo hac vice nil concluſum, ſed controverſia iſthaec ad Sereniſſimum Poloniæ Regem remiſſa, qui cum præfata Sereniſſima Archiduce MARIA Vidua, ac Sereniſſima Sponſa de hoc, & nonnullis aliis poſtea dicendis Articulis, haud difficulter conveniet, & Serenitatibus ſuis ante conſumationem Matrimonii, voluntatem ſuam declarabit. Bona vero quæ pro Contradote Ipſius Serenitati inſcripta fuerint, ad Sereniſſimum Regem, Regnumve Poloniae devolventur. Promittitur etiam Sereniſſimum Regem Poloniae in proximis Comitis, aut ſi illa ex iuſtis cauſis, ſeu impedimentis re infecta diſſolverentur, in mox ſubſequentibus, ut ſupra dictum eſt, operam daturum, ut Sereniſſimae eius Sponſae tam de Dote quam Contradote, ac etiam Munere Virginali tales certi reditus conſtituantur, qui decimam totius Summae ſingulis Annis, in caſu Mortis Sereniſſimi Regis explere valeant. Si vero Sereniſſimum Regem Poloniae praemori contigerit, prole ex Sereniſſima Domina CONSTANTIA vel ſuſcepta, vel (quod Deus prohibeat) non ſuſcepta, vel etiam praemortua, tunc nihilominus Sereniſſima Domina CONSTANTIA, omnibus Terris, Diſtrictibus, Dominiis, Civitatibus, Oppidis, & Bonis ſibi pro Dote, & Contradote, nec non Munere Virginali ad rationem decem pro centum inſcriptis, & aſſignatis, ad vitae ſuae vidualis tempora plenam utendi, & fruendi poteſtatem habebit. Inſuper allegata Regia declaratione continetur, modo dictam utendi, & fruendi poteſtatem Sereniſſimam Dominam Archiducem habituram, etiamſi extra Regnum Poloniae vitam ducere velit vidualem, non minus, ac ſi in Regno degeret, id quod huic Contractui expreſſe inſerere ex parte Sereniſſimae Sponſae poſtulatum fuit, Regii autem Oratores id fieri ideo recuſarunt, quod de eo in ipſorum Inſtructione nulla fieret mentio, quapropter etiam de iſta clauſula expectanda erit Sereniſſimi Regis Poloniae conveniens, & Sereniſſimae MARIÆ non ingrata reſolutio. Poſt mortem autem Sereniſſimæ Dominæ CONSTANTIÆ, ſi nimirum Sereniſſimo Regi SIGISMUNDO ſupervixerit, prædicta quadraginta quinq; millium florenorum Rhenenſium ſumma, ratione Contradotis ſibi donata et inſcripta, ad praefatum Poloniae Regnum converti, et redire debebit. Quod tamen ex parte Sereniſſimae Dominae CONSTANTIAE non aliter approbatur, quam ſi Sereniſſimus Rex idem vice verſa de Dote ſtatuerit. De alia vero quadraginta quinque millium florenorum Rhenenſium ſumma, Dote ſcilicet ſua, nec non de Munere Virginali praedicto, ſi eiusmodi fuerit, ANNO 1605. ut de eo teſtari poſſit, habeat Sereniſſima Domina CONSTANTIA tam in vita, quam in mortis articulo donandi, teſtandi, et arbitrio ſuo diſponendi facultatem. Quodſi vero de Dote, et Munere huiusmodi Virginali nihil diſpoſuerit, aut ab inteſtato deceſſerit, tunc Dos, et Munus ipſum Virginale, ſi tale datum fuerit, ut eius proprietas ad Serenitatem eius legitime pertineat, vel ea pars, de qua non diſpoſuerit, ad Sereniſſimae Dominae CONSTANTIAE Liberos, quos poſt mortem ſuam ſuperſtites reliquerit, nullis autem ex ea progenitis Liberis poſt mortem eius extantibus, ad proximos ipſius Serenitatis Haeredes Maſculos, et illis non extantibus, Faeminas devolvantur, eisque dictam Dotis ſummam una cum Munere Virginali Serenisſimi Principis, et Domini, Domini SIGISMUNDI Poloniae Regis, et Magni Ducis Litvaniae etc. Succeſſores integre, vel partem aliis non donatam, aut legatam, effectualiter reſtituere, et perſolvere debeant, et teneantur. Hac expreſſa adiecta lege et conditione, quod in caſu obitus Serenisſimae Dominae CONSTANTIAE ab Inteſtato Serenitatis ſuae Haeredes ſupradicti, in caſu vero factae alicuius diſpoſitionis, Perſona aut Perſonae, illa vel illae, cui vel quibus Serenisſima Domina CONSTANTIA donationem vel egatum fecerit, annuos reditus certos, et integros quatuor millium et quingentorum florenotum Rhenenſium ſupra memorati valoris, nec non id, quod ratione Muneris Virginalis competierit, ex ſupradictis inſcriptis, et aſſinatis Bonis, tam diu quilibet pro ſua rata parte ſine aliquo defectu habere, levare, et percipere poſſint, donec, et quouſq; plene, et integre ſatisfacti, et contenti redditi fuerint, tam ſcilicet de ſumma Dotis, quam de Munere Virginali, ſi tale fuerit, de quo legari poſſit. Conventum praeterea eſt, et concluſum, quod Serenisſima Domina CONSTANTIA non ſolum Bonis, et Dominiis ſibi pro Dote, Contradote, et Muneri Virginali, ut praedictum eſt, inſcribendis, et aſſignandis, ſed et aliis omnibus Juribus, Liberatibus, & Privilegiis, eo modo uti, frui, gaudereque poſſit, quo Sereniſſimæ Poloniæ Reginæ ab antiquo uti, frui, gaudere, & bona huiusmodi poſſidere ſolitæ ſunt, iuxta Leges, & Conſtitutiones Regni. Ita tamen, ut quæ in præſenti Contractu expreſſe pacta, & conventa ſunt, firma, inconcuſſaque permaneant, atque de iis, quæ præfatæ Sereniſſimæ Dominæ CONSTANTIÆ eiusdem Contractus vigore debentur, nil decedat, ſed omnia integre

ANNO 1605. tegre præſtentur, & executioni mandentur. De aliis vero rebus, & Bonis quibuscunque ad Sereniſſimam Dominam CONSTANTIAM quovis Jure, & titulo nunc temporis ſpectantibus, nihil omnino excipiendo, ita conventum, & concluſum eſt. Quod Sereniſſima Domina CONSTANTIA illa omnia habeat, teneat, & poſſideat, tanquam res, & bona ſua propria, poſſitque illis uti, frui, & gaudere, ac de ipſis in omni caſu, & eventu, ſive per liberam donationem aut alium quemcunque Contractum inter vivos, ſive Cauſa Mortis, ſive per ultimam voluntatem, ſecundum beneplacitum ſuum diſponere, & ordinare, ſine cuiusvis impedimento. Si vero Sereniſſimam Dominam CONSTANTIAM e vivis diſcedere contigerit, nulla facta de ſupra dictis rebus, & bonis ſuis diſpoſitione, vel ordinatione per Contractum inter vivos, vel cauſa Mortis, ſive per ultimam eius voluntatem, aut aliter quomodocunque, tunc, & in eo caſu, res & bona ſua huiusmodi omnia, quæ tempore obitus Serenitatis ſuæ extare comperientur, & ſupererunt, ad ſupradictos proximos Serenitatis ſuæ hæredes Maſculos, & illis deficientibus, Fæminas redire debeant, & ad eorundem bonorum omnimodam reſtitutionem Sereniſſimi Regis Poloniæ, & Magni Ducis Litvaniæ &c. Succeſſores teneantur, & obligati ſint. Ad bona illa, quæ Sereniſſimæ Dominæ CONSTANTIÆ tempore Nuptiarum donabuntur, item ea, quæ poſt Nuptias in Regno Poloniæ quomodocunque acquiſiverit, & comparaverit, quod attinet, equidem in Contractu Matrimoniali cum Sereniſſima Regina ANNA laudatiſſimæ recordationis celebrato habetur, ſi Serenitatem ſuam præmori contigerit, dicta bona, & dona Sereniſſimo Regi Poloniæ ſuperſtiti cedere. Si vero Sereniſſima Domina ANNA ſupervixerit, & de illis in vita ſua nullam diſpoſitionem fecerit, tunc poſt illius obitum ad præfatos Sereniſſimi Regis hæredes devolvi debere, exceptis iis duntaxat reditibus, & bonis immobilibus, ſi quæ ex pecunia ſecum in Poloniam apportata comparaverit, id quod Sereniſſimi Regis Poloniæ, Oratores etiam huic Contractui, ſicut modo dictum eſt, adiungi flagitarunt. Sed ex parte Sereniſſimæ Dominæ CONSTANTIÆ adducta prælibata Sereniſſimi Regis declaratione, qua antedictæ Sereniſſimæ Reginæ ANNÆ feliciſſimæ memoriæ, expreſſe cautum fuit, Munus nuptiale, atque alia dona ac bona ſive in Nuptiis acquiſita, ſive in poſterum acquirenda, cui velit, ea donandi, ac de iis ſive in vita, ſive in Mortis articulo diſponendi eidem fore integrum; ab inteſtato vero ſi deceſſerit, non Sereniſimo Regi, ſed Sereniſſimæ Reginæ ANNÆ hæredibus ceſſura. Quod ſi vero ea omnia (præter Dotem, quæ ſecundum illam Declarationem apud Sereniſſimum Regem SIGISMUNDUM, quoad vixerit tantum permanere, poſt Mortem vero ad Sereniſſimæ ANNÆ hæredes redire debuit) continuo a Sereniſſimo Rege Poloniæ, exſoluta, & tradita non fuerit, tum hæredibus Sereniſſimæ Reginæ Dominæ ANNÆ ſingulis annis decem pro centum, æſtimato eorum valore exſolvendos eſſe, quoad eis omnia integre reſtituta fuerint, petitum fuit, ut ſuper iſto Articulo præfatæ ſtaretur Declarationi. Quia vero Regii Oratores uſi ſuperiori excuſatione conſentire abnuerunt, res iſta ſimiliter ad Sereniſſimum Regem Poloniæ dilata, qui cum prædicta Sereniſſima Archiduce MARIA ante conſummationem Matrimonii, prout de non nullis aliis, ut ſuperius cautum eſt, convenire debet. Cæterum præfata Sereniſſima Domina CONSTANTIA de omnibus prædictis rebus, & bonis, tam nunc ad eam ſpectantibus, quam tempore Nuptiarum, & poſt Nuptias acquiſitis, ſeu acquirendis habeat, & habere debeat in omni caſu, & eventu, per Donationem liberam, & quemvis alium Contractum inter vivos, ſeu mortis cauſa, ſeu per Teſtamentum, plenam, omnimodamque ſecundum beneplacitum ſuum diſponendi, & ordinandi facultatem, ſine cuiusvis impedimento, & contradictione. Inſuper concluſum eſt, & conventum, quod Sereniſſima Domina CONSTANTIA poſtquam ad Sereniſſimum Sponſum deducta fuerit, tunc ante conſummationem Matrimonii caveat, & promittat Literis ſuper ea re ſpecialiter confectis, ſe poſt ſolutionem Dotis immediate, ſolenniter, & expreſſe renunciaturam eſſe, atque adeo in eum eventum, ubi nimirum realiter Dos numerata fuerit, exnunc prout extunc expreſſe renunciet hæreditati paternæ, & maternæ, atque ſucceſſioni Regni Hungariæ, Bohemiæ, Dominiorumque quorumlibet Sereniſſimæ Domus Auſtriæ, pro omnibus Auſtriacae Familiae Principibus, eorumque Liberis, & haeredibus legitimis per lineam Maſculinam deſcendentibus, ſalvo ſibi per omnia Jure ſuccedendi in defectu Maſculorum. Et hanc ipſam modo ſupra ſcripto faciendam Renunciationem Sereniſſimus Princeps, & Dominus, Dominus SIGISMUNDUS III. Rex &c. per ſuas ſpeciales Literas ratam habere, approbareque debeat, & teneatur. Inſuper concluſum eſt, quod ſi alter Contrahentium ante conſummationem nuptialem (quod Deus clementer avertere digne- ANNO 1605.

ANNO 1605. dignetur) e vivis decederet, tunc totus iſte contractus cum omnibus in eo contentis pro annihilato, caſſato, & enervato habeatur. Expreſſum etiam eſt, quod ea de quibus inter ambas Partes, ut ſupra dictum eſt, iam convenit, vim effectivam, & vigorem habebunt, quando inter Sereniſſimum Poloniae Regem, & Sereniſſimam Archiducem MARIAM Regiae Sponſae nomine, etiam ſuper caeteris nondum concluſis, ſed ad Regiam Declarationem remiſſis Articulis, ante conſummationem Matrimonii conventum fuerit. Qua Conventione ſecuta, Sereniſſimus Princeps, ac Dominus, Dominus SIGISMUNDUS Poloniae Rex, in manus Sereniſſimae ſupradictae Archiducis MARIÆ Viduae Serenisſimae Dominae CONSTANTIÆ Matris, quae Nuptiis Regalibus praeſens aderit, Contractum Matrimonialem, tam ſuper iam concluſis, quam concludendis, in Forma Authentica confectum, ac manu ſua ſubſcriptum, Regiique Sigilli appenſione munitum, una cum ſupradictae Renuntiationis, ratificatoriis Literis, ante conſummationem Matrimonii conſignare debeat. Pro quibus Articulis nondum concluſis, Regii Oratores, cum id non habeant in ſua Inſtructione, non ſe quidem obligant, ſed omnem ſe daturos operam promittunt, ut Serenisſimus Rex haec omni meliori modo Serenisſimae Reginae aſſecuret. Poſtremo conventum eſt, quod alter ex Legatis Regiis nempe Illuſtris, & Magnificus Nobis ſincere dilectus SIGISMUNDUS Marchio in Mirow Myſzkowſki Supremus Regni Poloniae Mareſchalcus, Korczynenſis, Grodecenſis, Solecenſisque Capitaneus vigore Mandati ſpecialis ipſi a Sereniſſimo Rege Poloniae traditi, ac Nobis exhibiti, cum omnia inter Partes praeſcriptis modis (exceptis iis Articulis de quibus ſupra) acta, & tranſacta iam ſint, Serenisſimi Regis Poloniae nomine, cum ſaepedicta Serenisſima Domina CONSTANTIA, Sponſalia per verba de praeſenti contrahere, omniaque in hiſce rebus fieri ſolita, & conſveta exequi debeat, & teneatur, dato Nobis a praefatis Oratoribus Regiis, huius ipſius Contractus Matrimonialis reciproco ſimili Exemplari altero. In quorum omnium fidem, teſtimonium, & corroborationem, praeſentes Literas manibus noſtris ſubſcripſimus, & Sigillis noſtris communiri fecimus. Datae in Urbe noſtra Graecio die vigeſima tertia Menſis Octobris Anni Milleſimi Sexcenteſimi Quinti. ANNO 1605.

MARIA. FERDINANDUS.

L.S.

*Ad Mandatum Sereniſſimorum D.D. Archiducum proprium.*

Balthaſar Laymann. N. Noyſaeus.

XCVI.

*Obligatio, & Inſcriptio certorum Bonorum Sereniſſimæ Reginæ* CONSTANTIÆ *Dotis, & Contradotis nomine facta.* Datum Varſaviæ 25. Menſis Februarii An. 1609, *Ex Originali. Extat in Archivo Regni Lib. 123. Num. 124. fol. 46.*

SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniaeq; &c. nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumq; hæreditarius Rex. Ad perpetuam rei memoriam notum, teſtatumque facimus, ad quos praeſentes hae Literae noſtrae pervenerint, huius, & futuri temporis univerſis, & ſingulis. Cum ſingulari Providentia *D*ivina, quod Nobis, Regnisque, ac Populis Nobis ſubditis bene, & feliciter eveniat, Sereniſſima Princeps, *D*omina CONSTANTIA, Coniunx noſtra chariſſima, per Legatos noſtros maritalibus Votis a Nobis expedita, ſumma Sereniſſimorum Principum *D*ominæ MARIÆ Palatinae Rheni, ac ſuperioris, et inferioris Bavariae Ducis Viduae, Matris, nec non FERDINANDI Archiducis Auſtriae, *D*ucis Burgundiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae, Wirtembergae &c. *C*omitis Tyrolis, & Goritiae, eiusdem *S*ereniſſimae Coniugis noſtrae Fratris Germani, ut in quarum cura, poteſtateque eſſet, voluntate Nobis deſponſata eſſet, ac inter alias conditiones Matrimonii eius certa etiam Dos, quinquaginta nimirum millium florenorum Rhenenſium, ſexagenorum cruciferorum valoris intra trimeſtre poſt conſenſum Comitiorum Regni, in Reformationem a Nobis impetratam numeranda, conſtituta, promiſſaque fuiſſet, ea accepta viciſſim Nos ſimilem ſummam ratione *C*ontradotis, & Donationis propter

ANNO 1609. Nuptias Serenitati ſuae conſtituturos, & utrasque haſce ſummas, tam videlicet *D*otis quam Contradotis idoneis Locis, *D*ominiis, Civitatibus, Oppidis, Arcibus, & Terris Regni Poloniae, & Magni Ducatus Litvaniae, ſecundum Jura Regni Poloniae Nos inſcripturos, idoneeq; cauturos, iisdem Pactis nuptialibus Nos promiſiſſe. Ad id igitur, cum ex vi Pactorum adſtricti eſſemus, tum vero ſingulari noſtro inpræfatam Sereniſſimam Coniugem noſtram amore, atq; benevolentia, ſummisq; eius virtutibus, atque in Nos obſervantiae, per omne hoc Matrimonii tempus ſpectatae, multo magis etiam debere exiſtimantes, nihil ſane in Nobis ad eam rem recte conficiendam ſtudii in ſuperioribus etiam Comitiis deſiderari paſſi fuimus, ſed cum difficultatibus iis, quae tum deliberationes publicas morabantur, impediti, quemadmodum aliis de rebus, ita de hac quoque nihil conſtituere Ordines potuiſſent, in hiſce tandem Comitiis ſingulare ſtudium, obſervantiamq; ſuam eo cumulatius Nobis declararunt. Exemplo enim Maiorum ſuorum, qui eximia Nobiliſſimae huius Nationis, cum laude, ſumma ſemper fide, atque obſervantia Maiores noſtros *S*erenisſimos Poloniae Reges proſecuti ſunt, quanto Nos amore, atque fide colerent, quoque ſtudio Sereniſſimam Conſortem noſtram Regum, Imperatorum, ac a tot ſaeculis primae dignitatis in Orbe Chriſtiano Principum Progeniem complecterent, declarandum putarunt. Non modo enim conditionem eam de Reformatione facienda in Pactis a Nobis receptam, conſenſu ſuo approbarunt, firmamque, ac ratam habuerunt, verum certa etiam Loca, Oppida, Arces, et Civitates nimirum Bielſkum, Tucholiam Vſcziam, Pilam, *S*użecium, Latowiczium, Lezayſko, Kamienieciam, Zawiſzynum, Stanisławowo, Kobrinium, et Olikam, cum Praefecturis ſylvarum, omnibusque eorundem pertinentiis, utilitatibus, proventibus, reditibus, qui vel praediis, vel agris, ſylvis, piſcationibus, continentur, omnibus denique utilitatibus, proventibus, qui vel nunc in iis ſunt, vel poſtea cuiusquam ingenio excogitari poſſint, nullis penitus exceptis liberaliſſime aſſignarunt, utque eadem in quinquaginta millium florenorum Polonicalium, quorum ſinguli triginta groſſis receptae, et uſitatae in Regno hoc noſtro monetae aeſtimentur, parique ſumma Contradotis, ſeu *D*onationis propter Nuptias, modernorum tamen Poſſeſſorum Juribus ſalvis obligare, et inſcribere aſſignaremus, publica praeſentium horum Comitiorum authoritate Nobis permiſerunt, conſenſeruntque. Cui quidem conſenſui, authoritatique Ordinum, tum etiam Pactis matrimonialibus ſupra memoratis Nos innitentes, ſupra memoratam centum millium florenorum Polonicalium ſummam, quinquaginta nimirum millium Dotis, et ſimilem Contradotis in ſupra memoratis Oppidis, Caſtelliis, Terris, cum conſilio, conſenſu, ſcituque *S*enatorum, omniumque adeo Ordinum noſtrorum inſcribimus, eidemque *S*erenisſimae Reginae Coniugi noſtrae damus, donamus, in eamque Bona ſupra commemorata verae Hypothecae nomine oppignoramus, obligamusque, ſequentibus nimirum conditionibus, et modis. Inprimis, et ante omnia curaturos, effecturosque Nos promittimus, ut omnes ſupra commemoratorum Dominiorum, Oppidorum, Civitatum, Caſtrorum, Terrarum, Villarumque, & Bonorum inſcriptorum Rectores, Conſules, Advocati, Cives, & Subditi, ipſi Serenisſimae Reginae Dominae CONSTANTIÆ Coniugi noſtrae Charisſimae ſpondeant, promittantque, corporaleque fidelitatis Juramentum in id praeſtent: Quodſi Deo Optimo Maximo ita diſponente prius Nobis, quam eidem Serenisſimae Coniugi noſtrae humanae vitae ſuprema lex obvenerit, eo caſu nulli alii, quam Serenitati eius Oppida, Arces, Caſtra, Villas, Terrasque eas, cum omnibus inde provenientibus fructibus, commodis, emolumentis, et reditibus, ſeque adeo ipſi tradent, conſignabuntque, & quod Serenitati eius in omnibus, & per omnia, ſecundum Regni Leges ſumma cum fide, obſervantiaque parebunt, & obedient. Tributa tamen in Conventibus publicis, Regni decreta, cum aliis Regni Incolis nihilominus conferant, Podvodasque ut moris eſt praebeant. Judicia denique ſolennia tam Caſtrenſia Capitaneorum, quam Regia, quae antea in aliquibus horum Caſtrorum habita fuerint, poſthac etiam de more in iisdem celebrentur. Et quoniam Muneris etiam alicuius nuptialis aſſignatio noſtro arbitratui, atque Voluntati Pactis iis matrimonialibus praemiſſa eſt, ut quanti eius virtutes, atque conſtantiam, in Nos, amoremque faciamus, hac quoque re declaremus, ſeparatim etiam proventum annuum duorum Millium florenorum aureorum Hungaricalium auri puri in Zuppis Bochnen. eidem Serenisſimae Reginae Coniugi noſtrae damus, donamus, aſſignamus, inſcribimus, attribuimusque iisdem hiſce Literis noſtris. Quas quidem ſummas Dotis, Donationisque propter nuptias, tum muneris nuptialis, eidem Serenisſimae CONSTANTIAE Coniugi noſtrae inſcripſimus, & obligavimus inſcri-, ANNO 1609.

ANNO 1609. inſcribimusque, & obligamus ea lege, & conditione, ut ſi quidem Serenitatem ſuam prius quam Nos ex hac vita decedere contigerit, tam Dos, & Donatio propter Nuptias, quam munus nuptiale, ad Nos Regnumque noſtrum irrevocabiliter redeant, devolvanturque ſine aliqua ipſius Dotis reſtitutione. Sin prius id Nobis acciderit, tum vel prole ex ea ſuſcepta, quod DEUS avertat, morte ſublata, vel etiam eadem, aut alia ſuperſtite, commemorata Sereniſima Regina Coniux noſtra, omnes Terras, Diſtrictus, Dominia, Civitates, Oppida, Bona in Dotem, & Contradotem, tum etiam munus nuptiale, ſupra a Nobis ei obligata, & inſcripta, cum omnibus eorum reditibus, cenſibus, Juribus, cum aliis, tum etiam Patronatus Eccleſiarum, omnibus denique commodis, emolumentis, utilitatibus, attinentiis, dominio, & iurisdictione, in poteſtatem, poſſeſſionemque ſuam accipere, ea conditione, ut Caſtrenſis iurisdictio a Nobis, Sereniſimisque Succeſſoribus noſtris Nobili in diſtrictu illo poſſeſſionato ſecundum Leges Regni detur, ac in caeteris etiam Caſtris, & Praefecturis itidem, nonniſi Indigenae Nobiles Regni, Magni Ducatus Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, &c. caeterorumque Dominiorum illis adiunctorum, prout quaeque Praefectura in aliqua Provincia ſita eſt, a Serenitate ſua collocentur, habeanturque, eadem pro ſuo arbitrio adminiſtrare poterit, & debebit ad extrema usque vitae ſuae Vidualis tempora, iisdem utendi, fruendi, ſecundumque praeſentem hanc Obligationem de iis diſponendi, fructusque, commoda, emolumenta, utilitates, reditusque omnes ex iis percipiendi, inque uſus ſuos convertendi plenam, integramque facultatem habebit. Atque illud quidem, ſi in viduitate permanſerit. Si autem forte ad ſecunda Vota deſcenderit, tum centum millibus florenorum Polonicalium Dotis, & Contradotis, a Sereniſimis Succeſſioribus noſtris ei perſolutis, ita nimirum ut duae partes eius Summae ex Regno Poloniae, tertia ex Magno Ducatu Litvaniae ſolvatur, Cautioneque de quinquaginta millibus Contradotis, poſt mortem eius Regno reſtituendis ab illa praeſtita, & interpoſita, eadem bona mox libere dimittere, inque poſſeſſionem Succeſſorum noſtrorum tradere rurſum tenebitur. Poſt mortem vero eius ſive in viduali ſtatu permanſerit, ſive ad ſecunda vota deſcenderit, praedicta quinquaginta millium florenor. Polonicalium ſumma Donationis propter nuptias, ſeu Contradotis, ad Poloniae Regnum noſtrum redire debebit. De alia vero quinquaginta millum floren. Polon. ſumma Dote nimirum ſua, quemadmodum, & de iis, quae de munere nuptiali percipiet, perceperitue, liberum, integrumque ei erit tam in vita quam mortis Articulo, pro ſuo arbitrio diſponere, teſtarique, eadem donare, legare, in quoſcunque denique, quos ei viſum fuerit, uſus convertere. Inteſtata vero ea mortua, Dos, caeteraque quae ſupra commemorata ſunt, vel ea pars de qua non diſpoſuerit, ad liberos eius, quos poſt mortem eius ſuperſtites reliquerit, aut Liberis nullis extantibus, ad proximos Serenisſimae Reginae Coniugis noſtræ hæredes Maſculos, aut ne illis quidem extantibus, Fæminas devolventur, quibus ſupra commemoratam Summam Dotis, Sereniſſimi Succeſſores noſtri, aut ordines Regni, Magnique Ducatus Litvaniæ, integram, vel partem aliis non donatam, legatamve effectualiter reſtituere, & perſoluere debebunt, tenebunturque. Ita nimirum, ut duæ illius partes ex Regno noſtro Poloniæ, adiunctisque ei ditionibus, tertia pars ex Magno Ducatu noſtro Litvaniæ præſtetur, hac expreſſa adiecta Lege, & conditione, ut in caſu obitus commemoratæ Sereniſſimæ Coniugis noſtræ ab inteſtato, Serenitatis eius hæredes ſupradicti, in caſu autem factæ alicuius diſpoſitionis, perſonæ, aut perſona illa, vel illæ, cui, vel quibus eadem Sereniſſima Coniux noſtra aliquid, vel inter vivos donarit, vel teſtamento reliquerit, annuos reditus certos, & integros quinque millium florenorum Polonicalium, ſupra memorati valoris, ex ſupradictis inſcriptis, & aſſignatis bonis, tam diu quilibet pro ſua rata parte, ſine aliquo defectu habere, levare, & percipere poſſint, donec, & quousque plene, & integre illis aut cuilibet eorum, quod obvenire eis debeat, ſolutum, et tam de ſumma Dotis, quam aliis, quae ſecundum Inſcriptionem hanc debebuntur, ſatisfactum eisdem ſit. Non ſolum autem Bonis, et Dominiis in Dotem, et Contradotem, et Munus nuptiale ſupra ei inſcriptis, obligatisque, ſed et aliis omnibus Juribus, Libertatibus, et Privilegiis, eo modo utetur, fruetur, et gaudebit, quo Serenisſimae Poloniae Reginae unquam ab antiquo iuxta Leges, et conſvetudines Regni uti, frui, gaudere, Bonaque eiusmodi poſſidere ſolitae fuerunt, neque ulla in re deteriore conditione erit, quam qua ulla unquam Regina in Regno noſtro optima fuerit. Ita tamen, ut nihil hac generalitate derogatum velimus iis, quae Literis hiſce nominatim conſtituta, perſcriptaque ſunt, deque iisdem nihil omnino Serenitati eius decedat, ſed omnia integre

ANNO 1609.

Anno 1609. tegre praeſtentur, executionique mandentur. Atque haec quidem omnia et ſingula verbo noſtro Regio, et ſub cautione, obligationeque in ipſis Pactis matrimonialibus ſeu Literis Tractatus eius praeſcripta, adeoque Senatus noſtri conſenſu, publicaque Comitiorum Authoritate accedente integre, et inviolabiliter Nos, Succeſſoresque noſtros obſervaturos, noſtro, Succeſſorumque noſtrorum Regum Poloniae, et Magni Ducatus Litvaniae nomine recipimus, promittimus, et ſpondemus bona fide, doloque et fraude omni remotis. In quorum omnium fidem, et teſtimonium, bina Privilegia manu noſtra ſubſcripta, alterum autem Regni, alterum Magni Ducatus Litvaniæ Sigillis ſignata edi mandavimus. Datum Varſaviae in Conventione Regni noſtri Generali, die vigeſima quinta Menſis Februarii Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo nono, Regnorum noſtrorum Poloniae XXII. Sveciae XV.. Praeſentibus Reverendiſſimis, Reverendis, Illuſtribus, Magnificis, et Generoſis Alberto Baranowſki Gneſnenſi, Legato Nato, Regni Primate, Primoque Principe, Joanne Zamoyſki Leopolienſi Archiepiſcopis, Petro Tyliczki Cracovienſi, Mathia Pſtrokonſki Vladiſlavienſi, Benedicto Woyna Wilnenſi, Andrea Opalinſki Poſnanienſi, Martino Szyrzkowſki Plocenſi, Simone Rudniſki Varmienſi, Paulo Wołucki Luceorienſi, Laurentio Gembicki Culmenſi, et Regni Cancellario, Georgio Zamoyſki Chelmenſi, Chriſtophoro Kazimirſki Kiiovienſi Epiſcopis. Janusſio Duce Oſtrogiae, Caſtellano Cracovienſi, Włodzimirienſi, Czerkaſtenſi, Nicolao Zebrzydowſki Cracovienſi et Sniatinenſi, Hieronymo Goſtomſki Poſnanienſi et Sendomirienſi, Chriſtophoro Nicolao Radziwił Wilnenſi, Georgio Mniſzech Sendomirienſi Palatinis, et Capitaneis, et aliis quam plurimis Dignitariis, Officialibus, Secretariis, et Aulicis noſtris, tum etiam Nuntiis Terrarum Regni, et Magni Ducatus Litvaniae ad praeſentem Conventum congregatis.

Sigismundus *Rex.*

*Hieronym. Cielecki.*

## XCVII.

*Tractatus Fœderis perpetui inter* Mathiam *Romanorum Imperatorem, &* Sigismundum III. *Poloniæ Regem, ac inter utriusque Regnorum, Provinciarum, Dominiorum Populos, & Nationes initi, quo priora Pacta, & Fœdera inter Maiores ſuos inita renovant, inſtaurant, declarant, & confirmant, mutuumque ſibi invicem amorem, & auxilia promittunt, atque hæc, & alia concluſa inſimul ratificant.* Datum in Arcibus Poſſonienſi & Varſovienſi die 23. Menſis Martii Anno 1613. *Ex Originali. Sigill. 2. Extat in Archivo Cancell. Regni. Lib. 126. num. 127. fol. 3.* Anno 1613.

Nos Mathias Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, &c. Marchio Moraviæ &c. Dux Lucemburgiæ, ac Superioris, & Inferioris Sileſiæ, Wirtembergæ, & Tecke, Princeps Sueviæ, Comes Habſpurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravius Alſatiæ, Marchio S. R. Imperii, Burgoviæ, ac Superioris, & Inferioris Luſatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, & Salinarum, &c. Et Nos Sigismundus III. D.G. Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque, &c. Nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex. Tenore præſentium recognoſcimus, ac notum facimus, Univerſis, & Singulis, præſentibus, & futuris, harum notitiam habituris. Quandoquidem, qui Chriſti locum in terris gerunt, eos in hoc elaborare maxime decet, ut cuius locum obtinent, eius veſtigiis incedant: Nos memoria tenentes, quod non aliunde poteſtas noſtra ſit, quam ab eo, a quo Nomen ducimus, cuius appellatione cenſeri volumus, Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui, quos ipſe Nobis ſubiecit Populos, eos loco ſuo regere Nos voluit, & gubernare. Huc omnes curas, & cogitationes noſtras convertendas duximus, ut quatenus id humanitus præſtari poteſt, adiuvante eo, cuius id ſolius munere contingit, quam proxime ad ſimilitudinem eius accederemus, per quem Reges regnant, Principes imperant, & Potentes decernunt iuſtitiam. Quoniam vero non ille potentiam ſuam, non ſapientiam, ſed eam ſolam, qua ſocietas hominum inter ipſos continetur, dilectionem, qua Nos prior ipſe praeter meritum ullum proſecutus eſt, imitari voluit, ut ſicut ipſe dilexit Nos, ita, & ipſi viciſſim

ANNO 1613. sim diligeremus invicem, ac Pacem, Concordiam, Tranquillitatemque mutuam inter Nos conſervaremus, neque poteſt illi Sacrificium ullum a mortalibus offerri gratius, quam ſit fraterna charitas inter unius corporis membra. Hanc illius dilectionem, qui Nobis tot Civitates, tot Populos, lingua, moribus, habitu inter ſe disſidentes, tot tam late patentes Provincias, tot amplisſima Regna ſubiecta eſſe voluit, praecipue pro virili noſtra imitandam eſſe duximus. Itaque cum inter recolendae memoriae Maiores noſtros, iam inde a longisſimo tempore certamen amoris, benevolentiaeque mutuae ſuſceptum fuiſſe cognoviſſemus, cuius rei tanquam teſtes ſunt Pactorum, & Foederum Literæ, quæ inter Noſtras Auſtriæ, & Jagelloniam Domum, quaeque inter utriusque Domus, Regna, Imperia, Provincias, Populos, & Nationes, nominatim vero, quae inter quondam ALBERTUM Archiducem Auſtriae cum quondam CASIMIRO Poloniae Rege, & Divum FRIDERICUM Imperatorem, cum eodem CASIMIRO Rege, poſtea vero etiam inter recolendae memoriae FERDINANDUM, & MAXIMILIANUM Imperatores, cum itidem recolendae memoriae SIGISMUNDO AUGUSTO Rege, ac tandem inter RUDOLPHUM II. & Nos SIGISMUNDUM interceſſerunt, Nos Maiorum noſtrorum exemplo provocati, qui ſummam ſemper inter ſe neceſsitudinem, & amicitiam conſervare ſtudebant, atque eam arctis praeterea Affinitatis vinculis fortius colligebant, quam ut diſſolvi facile poſſet, ea nimirum Pacta, & Fœdera, quæ inter præfatos Maiores noſtros quondam ALBERTUM, FRIDERICUM, FERDINANDUM, MAXIMILIANUM II. RUDOLPHUM II. & CASIMIRUM, SIGISMUNDUMq; AUGUSTUM obſervata fuerunt, id quod felix, fauſtum, & fortunatum Deus eſſe velit, utrique noſtrum, ac utriusq; noſtrum Imperiis, Regnis, Terris, Civitatibus, Populis, & Nationibus in Dei Optimi Maximi Nomine, a quo, tanquam fonte perenni manat, quicquid bonarum eſt rerum, inter Nos quoque, & pro Nobis, & Succeſſoribus noſtris continuanda, confirmanda, inſtauranda, & renovanda, atque adeo declaranda, corroboranda, & amplificanda duximus, ita, ut continuamus, confirmamus, inſtauramus, renovamus, declaramus, corroboramus, & amplificamus, Præſentium per tenorem: Ac primum quidem, ſicut in Literis quondam ALBERTI Archiducis perſcriptum eſt, Nos omni honore, fide, & amore Nos invicem proſequi, & promovere debemus, & volumus in locis omnibus, & temporibus, ubi Nos id faciendi ſe facultas obtulerit, citra dolum, & fraudem aliquam, neque committemus unquam, ut alteri, aut familiaribus eius, vaſallis, & ſubditis, quibuscunque Regnis, Ducatibus, Terris, & Civitatibus ei ſubiectis, & ſub eius obedientia, & defenſione conſtitutis quacunque ex cauſa bellum inferamus, inimicitias denuntiemus, diffidemus, aut hoſtiliter eos impetamus per Nos, aut per ſubmiſſas Perſonas, fraude, & dolo ſemotis. Ac non modo ipſi ab eiusmodi rebus abſtinebimus, verum etiam ſubditos noſtros, & quicunq; in fide, poteſtateque noſtra ſunt, eos prohibebimus, ac ab omni vi, modo ſuperius præſcripto, temperare ſibi cogemus. Habebunt etiam poteſtatem homines noſtri, cuiuscunque Status, & Conditionis fuerint, in quibuscunq; Terris, Dominiis, Civitatibus noſtris, et noſtrae obedientiæ ſubiectis, agendi, et commorandi, atque etiam inde libere, et ſecure, cum illis viſum fuerit, diſcedendi; Deinde ſicut etiam Literis Divi FRIDERICI cautum eſt, ita Nos invicem uniendos, obligandos, alligandos, confœderandos duximus, quemadmodum unimus, obligamus, promittimus, alligamus, confœderamus Præſentibus, quod ex hoc tempore ipſo perpetuo realiter, et cum effectu invicem et mutuo obligati, alligati, et confœderati ſimus, et erimus, et inter Nos, et ſubditos noſtros, nec non Regna, Principatus, et Dominia, quæ nunc uterque noſtrum poſſidet, et quæ Deo concedente in futurum acquiremus, conſtans, perpetua, indiſſolubilis, et Chriſtiana Pax eſſe, et ſervari debet, et debebit, et in omnibus utriusque noſtrum honorem, dignitatem, ſtatum, augmentum concernentibus, et concernere valentibus, mutuo Nobis auxiliabimur, conſulemus, invicem promovebimus, et aſſiſtemus, nec alteruter noſtrum quicquam faciet, cupiet, pertractabit, aut molietur, quod contra alterutrum noſtrum Regna, Principatus, Dominia, ſubditos, honorem, ſtatum, dignitatem, aut augmentum ſit, ſeu eſſe, aut tendere poſſit. Neque noſtrum alter alteri ipſius Regnis, Principatibus, Dominiis, et ſubditis bellum, damnum, aut quodvis aliud nocumentum inferet, nec a ſuis quovis quæſito colore inferri permittet. Sed quilibet noſtrum contra ſubditos ſuos, qui huiusmodi faciunt, aut facere, et moliri vellent, totis viribus ſuis, et potentia in Terris, et Dominiis ſuis conſurget, et eos pro huiusmodi exceſſibus pœna condigna puniet, et caſtigabit, donec damnorum datorum integram compenſationem, et refuſionem facient. Præterea

ANNO 1613. nullus noſtrum ad alterius Regna, Principatus, et *D*ominia adſpirare, aut anhelare debet, nec alterius noſtrum Regna, Principatus, et ſubditos, ſi quos (quod Deus avertat) ab altero noſtrum deficere aut recedere, aut rebellare contingeret, contra alium, eius Regna, Principatus, Dominia, et ſubditos ſuſcipere, tenere, protegere, iuvare, aſſiſtere, neq; conſulere, aut favore proſequi debet, neque a ſuis talia fieri patiatur, ſed contra tales infideles unus alteri auxiliabitur, & aſſiſtet, atque Dominiis ſuis eos excludet. Si vero alter noſtrum eius Regna, Principatus, aut *S*ubditi contra alterum, ipſius Subditos, Principatus, aut *D*ominia actionem realem, ſeu perſonalem, civilem, ſeu criminalem, aut qualemcunque querelam habet, aut impoſterum habuerit, ſi ſuper ea non potuerimus amicabiliter concordare, tum neque ipſe, neque ſubditi eius contra alterum, ipſiusque ſubditos, Regna, Principatus, & Dominia, quicquam via facti attentare, neque ſibi ipſi Jus dicere, aut ulciſci, ſed ſuper eo Jure, & non aliter experiri debent. Cæterum pro maiori ſupra ſcriptorum Fœderum declaratione, proque tranquilliore ſubditorum noſtrorum ſtatu, quiete, & bonæ vicinitatis conſervatione, & quo firmior inter Nos, Regna, & ſubditos noſtros Pax, Amicitia, & benevolentia perpetuo conſtare queat, utque omnes diſſidiorum cauſæ, quoad eius fieri poteſt, præſcindantur; ordinamus, ſtatuimus, declaramus, & volumus, quod cum initio ſcriptum eſt, quod mutua Nobis invicem auxilia ferre debemus, quomodo alter alteri auxilia ferre velimus, id in arbitrio utriusque noſtrum, & Ordinum Regnorum noſtrorum poſitum eſſe debere. Hoc tamen expreſſo: ut liceat utrique noſtrum ex Terris, & Provinciis alterius, voluntarios milites ære ſuo conductos, & arma in uſum ſuum exportare. Eatenus tamen milites educere liceat, quatenus id ſcienter fiat altero noſtrum, neque ſit alteruter noſtrum bello ſuo proprio contra hoſtes aliquos ſuos impeditus. Hoſtibus vero ne id liceat, neve favor ullus præſtetur, qui alteri obeſſe poſſit, ita tamen, ut nedum iuxta præſcripta Maiorum noſtrorum Fœdera, nullus noſtrum alteri, vel ipſius Regnis, Principatibus, *D*ominiis, & ſubditis bellum, damnum, aut quodvis aliud nocumentum inferre, ſed neque alterius hoſtes, aut rebelles fovere, protegere, ſeu eis aſſiſtere, vel favorem, conſilium, aut auxilium quovis modo præſtare debeat. Volumus prætera vias, & flumina publica, nec non commercia, & negotiationes mutuas per Regna, & Provincias noſtras, omnibus & ſingulis Regnicolis, Provincialibus, & ſubditis noſtris; tam terra, quam aqua utrinque libera eſſe, nec ullis unquam interdictis, arreſtationibus, ſeu Repreſſaliorum conceſſionibus impediri, ſed utriusque noſtrum ſubditos in alterius Regnis, & *D*ominiis libero tranſitu, ac fide publica, quem Salvum Conductum vocant, non minus, quam proprios cuiusque ſubditos gaudere, uti, ac frui poſſe, & debere. Neque denique cuiquam noſtrum, aut his, qui Nobis ſubditi ſunt, querelas, & actiones ſuas, ſi quæ iam ſunt, vel futuris temporibus oboriantur aliter, quam mediante iure proſequi liceat. Ut autem omnes vel protelatæ, vel denegatæ iuſtitiæ querelæ tam inter Nos, quam inter ſubditos noſtros hinc inde præcaveantur, ſed cuique expeditum ius, & iuſtitia ſummarie, & de plano adminiſtrari, eiusdemque debita executio effectualiter obtineri valeat, convenimus, & concordavimus, quod ſi quis noſtrum, vel unius noſtrum ſubditi contra alterius unum, vel plures privatos ſubditos actiones, ſive perſonales, ſive reales intentarent, tunc ſemper Pars agens Forum, & Judicium ipſius rei ſequi debeat: et quod in Perſonalibus iniuriarum, violentiarum ſuper ſpoliatione, ſeu ſimilibus Judicii citra dilationum, & exceptionum admiſſionem Actori Forenſi de ſimplici & plano Juſtitiæ complementum facere, in realibus vero ſecundum uniuscuiusque Ditionis conſvetudinem ita procedere teneatur, ut quilibet citra dilationem, Juſtitiæ executionem obtinere queat, id quod per *S*uperioritates, & Magiſtratus fideliter provideri, & dirigi par eſt. Quod ſi alter noſtrum contra alterius Provinciam, vel Communitatem aliquam, vel viciſſim Provincia, Communitas, vel privati ſubditi unius noſtrum contra alterum ex Nobis, & eius Provinciam, ſeu Communitatem privatas actiones prætenderent, tunc cauſa huiusmodi coram alterius noſtrum, ſub quo pars rea degit, Conſiliariis, ſeu Commiſſariis per eundem iuxta Partium conditionem, & Cauſarum exigentiam, non minus ſeptem numero deſignandis ſummarie audiri, & vel amicabiliter componi, vel Jure mediante determinari ac executioni demandari debeant. Porro ſi inter nosmet ipſos Reges, ſeu forſan Regna, & Provincias noſtras, tum metarum, & terminorum, tum commerciorum, ſeu quarumlibet aliarum, tam veterum, quam novarum Cauſarum, Jurium, vel Obligationum occaſione Querelæ, Gravamina, & Controverſiæ ſuborirentur, tunc alter noſtrum, qui, vel cuius Regnum, ſeu Provincia, Jus vel querelam prætendit, alium per Nuntios, vel Literas

ANNO 1613.

ANNO 1613. ras ſuas amicabiliter informare, ac pro tollendo, ſarciendo, amovendoque Gravamine admonere, & requirere debet. Quod ſi obtinere nequeat, tunc quilibet noſtrum ſtatim intra duorum menſium ſpatium a facta amicabili requiſitione, tres Conſiliarios ſuos e Proceribus Regnorum Hungariæ, Bohemiæ, Moraviæ, Sileſiæ, & vel ex aliquibus harum, prout quodque negotium ad aliquam harum Provinciarum pertineat, vel etiam ex omnibus, pro exigentia, & gravitate negotii ab una, Regniq; Poloniæ, M. D. Litvaniæ, &c. ab altera Partibus ad convenientem diem, & locum per Partem læſam, ſeu querulantem nominandum, ſemota omni excuſatione, mittere debeat. Qui utriusque noſtrum Conſiliarii ſummam imprimis diligentiam adhibeant, quo huiusmodi querelæ, gravamina, & controverſiæ inter Nos, Regna, & Provincias noſtras amicabili Compoſitione tranſigantur. Cauſa vero non ſuccedente, tunc læſa Pars ſive agens coram prædictis ſex Conſiliariis actionem ſuam ſtatim ipſo die iuridice exhibendi poteſtatem habeat, idque duplicatis ſcripturis, quarum unam Conſiliarii penes ſe retineant, aliam vero Parti reæ transmittant. Quo facto, Pars rea Reſponſum ſuum etiam ſcriptis duplicatis ſæpedictis Conſiliariis, vel ei, cui ex illis hoc demandatum fuerit, intra ſpatium proximorum duorum Menſium a tranſmiſſo Actionis Libello mittere teneatur, ut ſcilicet Actor Replicas, reus vero Duplicas, ac præterea utraque Pars tertiam quoque Concluſionem, & Submiſſivam ſcripturam de bimeſtri, in bimeſtre duplicatis, ut præfertur, ſcriptis offerre queat, eo ſane modo, & ordine utrique Parti transmittendis, ſicut de actionis Libello demonſtratum eſt. Oblatis tandem ſucceſſive ab utraque Parte duplicatis trinis Scripturis, in quibus utrinque omnia ſua Jura explicabunt, ſex illi Commiſſarii Partibus ad promulgandam Sententiam inter proximum ſequens bimeſtre, diem ad eum locum, ubi Cauſa primo agi coepit, indicent. Quo loco, & tempore Partes per Procuratores ſuos pleno Mandato ſuffultos comparere, illicque, & ipſi Conſiliarii convenire, & diligenter viſis Scriptis, & diſcuſſis Actis totius Cauſæ Partes rurſum ad Concordiam, & amicabilem Compoſitionem invitare, & cohortari, nihilque in eo opere diligentiæ intermittere debeant. Quam ſi ne tunc quidem inter Partes obtinere queant, ſtatim ad ferendam Sententiam procedant, ac id, quod Juris, ac Juſtitiæ fuerit, cognoſcant, ac decernant. Quod ſi ſupradicti Conſiliarii de ferenda Sententia, ſive interlocutoria, ſive definitiva fuerit, concordare non poſſint, tunc toties, quoties opus fuerit, arbitrum communi voce deligant, vel per quamlibet Conſiliariorum partem duabus idoneis Perſonis propoſitis, ex iisdem ſorte conſtituant, cuius Partes ſint, huic Conſiliariorum opinioni, quæ & Juri, & æquitati magis conſona videatur, ſubſcribere, eandemque laudare, & approbare. Quidquid autem per ipſos Conſiliarios noſtros, ſeu maiorem eorum partem ſeparatim, vel per eosdem, vel Arbitrum coniunctim decretum, & pronuntiatum fuerit, id ratum, firmumque maneat, ac ſtatim debitæ demandetur executioni, remota plane omni Appellatione, Supplicatione, Reductione, & in integrum Reſtitutione, aliisque Juris Beneficiis, & Remediis, etiam motu proprio conceſſis, obtentis non obſtantibus. Debent autem Conſiliarii per Nos pro tempore deputandi, nec non, & Arbiter ipſe, per Nos, & quantum ad quemlibet noſtrum ſpectat, ab obedientiæ, & Juramenti debito ad eam tantum Cauſam abſolvi, ac pro adminiſtranda iuſtitia, novo conſultoque iuramento obſtringi. Quod ſi pendente lite unus vel plures ex ipſis Conſiliariis mortem obirent, tunc in demortuorum locum, prout ad quemlibet noſtrum pertinebit, alios ſemper ſurrogabimus. Ipſi quoque Conſiliarii non plures Scripturas admittant, aut terminos alio modo, quam ſupra dictum eſt, prorogandi, aut alterandi poteſtatem habeant; ſed forma, & modo illis conceſſo procedant. Excepto caſu, quo Partes Teſtes producere neceſſe haberent, tunc ipſi Conſiliarii Jurisdictionem ſuam prorogandi poteſtatem habeant tantiſper, donec teſtes eius Cauſæ conſcii, ſecundum Juris diſpoſitionem legitime producti, & auditi fuerint, ita tamen ne ulla minus neceſſaria Prorogatio quæratur, vel admittatur, ſed omnes Teſtes ad unum diem, & Terminum, quantum fieri poteſt, audiantur, a publicatis atteſtationibus non niſi unica Scriptura a qualibet Parte recipiatur. Proinde quo magis Regna, Principatus, & Dominia noſtra, ab omni bellorum, depræ-

ANNO 1613. dationum, latrociniorum, hoſtilitatisque periculo libera, ſecura, purgataque eſſe queant, conventum inter Nos eſt, quod nullus noſtrum alterius ſeu Regnorum, Provinciarum, vel Subditorum ſuorum diffidatores, hoſtes, homicidas, raptores, ſeu damnificatores, nec non profugos, cuiuscunque conditionis, ſive Eccleſiaſticos, ſive Sæculares, item rebelles Subditos, quicunque in alterius noſtrum Regnis, & Ditionibus reperti, denuntiati, vel per Nosmet, aut Officiales noſtros perveſtigati fuerint, nequaquam amplius fo-

ANNO 1613. vere, & assecurare, multominus vero per Subditos nostros ullo hospitio, auxilio, sive receptatione, quocunque prætextu, directe, & indirecte, publice, vel occulte, recipere, iuvare, vel intertenere debeat. Sed ubicunque huiusmodi grassatores, raptores, diffidatores, & damnificatores, ubilibet in præfatis Regnis, & Ditionibus nostris deprehensi fuerint, contra eos iussu nostro, & directione, atque accurata diligentia Officialium utrobique Parti læsæ, atque deferenti, Justitia immediate, atque irrecusabiliter permitti, atque administrari, aut etiam citra Partium requisitionem de iis, ut communibus hostibus, a Capitaneis, & Magistratibus ubicunque ex Officio inquiri, insequi, & poenaliter procedi debeat. Casu autem quo aliquis ex Officialibus, aut Subditis nostris propter recertationem, assecurationem, vel defensionem antedictorum diffidatorum, automissionem antedictorum diffidatorum Insecutionis, Captivationis, sive Animadversionis scienter contravenerit, in tales utrobique, si delati a Parte altera, sive alias verisimili suspicione deprehensi forent, capitali Supplicio irremissibili debet animadverti. Quod si alterutrius nostrum unus, vel plures Incolæ vel Subditi alteri nostrum, seu Regnis, & Dominiis nostris generaliter, vel singularibus Personis, Incolis, & Subditis privatim hostilitatem denuntiaverint, tunc statim Præfectus, Capitaneus, aut Officialis illius Loci, seu Districtus, cui diffidatio indicta est, Generales Præfectos, & Capitaneos Regnorum, & Provinciarum alterius nostrum, sub quo tales diffidatores degunt, ea de re certiores reddere, ipsisque Exemplar diffidatoriarum Litterarum transmittere debeat, quo accepto præfati Præfecti, & Capitanei, diffidatores pro publicis hostibus iudicare, promulgare, publicare, omnibusque, & singulis Incolis, cuiuscunq; Ordinis, & conditionis extiterint, eorum consvetudinem interdicere, & ne a quoquam hospitio recipiantur, aut consilio, auxilio, sive re ulla alia iuventur, prohibere, cavere, bonaque diffidantium applicare Fisco, & Cameræ Regiæ. Ac proinde in hospites, socios, conscios, & complices pari quoque severitate animadvertere teneantur, ignorantiæ excusatione universis penitus sublata. Quod si quisquam Præfectus, Capitaneus, aut Magistratus in huiusmodi casibus subitam Justitiam administrare cunctaretur, aut etiam alias ex Officio, Inquisitione, Insecutione, & Animadversione debita non procederet, tunc tales nostræ punctioni immediate obnoxii, & rei esse debeant. Ut autem præcipuus diffidationum, aut grassationum fons, quo huiusmodi latrocinia inprimis aluntur, e medio tollatur, coerceaturque licentia, & impunitas receptandi hostes, praedones, et diffidatores, serio inter Nos convenit, ut omnes Promotores, detentores, receptatores, complices dictorum facinorosorum hominum, qui vel notorietate facti, vel ex veraci denuntiatione spoliatorum, aut ex fuga captivorum (modo tales captivi, vel spoliati bonæ fidei, & integræ famæ sint) sive aliis tam manifestis indiciis, ut ulteriori probatione res non egeat, convicti, vel deprehensi forent, iidem citra ulteriorem purgandi sui admissionem, & concessionem spoliatis, & damnum passis ad restitutionem, & satisfactionem probabilium damnorum de Bonis suis teneantur, aut si solvendo non sint, secundum qualitatem delicti corpore luant. Quod si tales etiam patrati criminis conscii, vel complices essent, & ad illata damna, cædemque evidentem causam scienter præbuerint, iidem non tam Parti ad restitutionem damnorum, ut iam præmissum est, teneantur, quam & Superioritatis suæ cognitioni ad sumendum de eis pro modo delicti supplicium, citra evasionem subiaceant. Si vero aliqui Receptatorum, aut Complicum non omnino manifestis indiciis, nec apertis captivorum confessionibus, sed alias delati, & de tali facinore suspecti potius, quam convicti fuerint, contra tales, tam ex delatione damnificatorum, vel alterius Superioritatis Officialium, quam ex officio per Capitaneos, aut Magistratus eius Regni, aut Ditionis, in qua fuerint, hac tamen conditione, differentia, sive moderatione debet procedi, ut si fuerint Nobiles, aut possessionati Cives antehac in talibus non Infamati, neque ullis prioribus confessatis suspecti, tales in casu negationis sese proprio eorum Juramento coram supremo eius Ditionis Magistratu publice de huiusmodi infamatione exonerare, & purgare queant; si vero iidem anterioribus infamiæ, aut confessatorum præindiciis notati, & semimanifesti forent, ita tamen, ut huiusmodi confessata non omnimode certum facti Indicium præbere possent, tales etiam ad purgationem sui medio Juramento, etiam tertia manu integræ famæ possessionatorum Vicinorum admitti, aut si in utroque casu in purgatione sui defecerint, debitæ capitis animadversioni subiici debeant. Quod si quis ex Regnis & Provinciis nostris ausu temerario contra ius, & æquitatem, ac publica, mutuaque Regnorum nostrorum Fœdera in alterius Regna, vel *D*itionem excursionem, & irruptionem faceret, atque ibi Mercatores, & ve-

ANNO 1613.

ANNO 1613. & vectores deprædaretur, aut detineret, homines occideret, vel abduceret, pecora abigeret, incendio sæviret, aut alio quovis modo damnum & iniuriam inferret, & patrato nefario scelere rursum se domum, vel cum præda securus, vel fugiens insequentium manus, in hospitia consveta, & solita diverticula reciperet, tum in eo Regno Præfecti illius Territorii, vel Districtus, & omnes Incolæ, totaque vicinitas, mox, ut a damnificatis, & iniuriatis, seu quibusvis aliis hostem, prædonem, & communem Fœderum violatorem insequentibus commonefacti, evocatique extiterint, debeant læsis ferre opem, adesse in armis fortiter, & graviter insequi, & inquirere noxios, & turbatores Pacis publicæ, & tranquillitatis. Et si sui tuendi causa in aliqua Castra, ac Fortalitia, vel loca abdita, seu natura munita profugerint, acrius, ac diligentius insistere, & ipsos, & eorum hospites, socios, conscios, complicesque obsidere, oppugnare, & ita omnes ad deditionem urgere, ad debitum supplicium trahere, & ad restitutionem, recompensationemque damnorum illatorum cogere teneantur.

Si qui autem negligentiores, & remissiores in ferendo offensis auxilio, & in prosequendo hostes, & damnificatores sese exhibuerunt, hi sciant, se indignationem nostram, & severam animadversionem irremissibiliter incursuros esse.

Si vero contingeret, aut per Subordinationem Superioritatis, aut alios, qui per damnificatos, atque diffidatos, contra præmissos Damnificatores, Diffidatores, Malefactores, Receptores, aut Complices captivandos, sive etiam iam tum captivos & convictos in alterutrius Regnum, aut Ditionem pro imploratione Justitiæ mitti, iidem imploratores non solum ad executionem Justitiæ, pro ratione delicti, cum omnibus in tali facto necessariis admitti, & provideri, verum etiam tam in loco administrandæ Justitiæ, quam in reditu ad propria omnimode tuti, atque assecurati esse debeant. Casu etiam, quo in alterutrius nostrum Regno, aut Ditione aliquis ex Nobilibus, aut aliis zelo honestatis, & studio supprimendorum publicorum malefactorum, aut iussu Magistratuum, aut motu proprio huiusmodi publicos prædones, & grassatores insequeretur, idque sibi a quoquam ut inhonestum exprobraretur, talis exprobratio nulli cuiuscunque status ullum honoris sui discrimen, imminutionem & præiudicium aliquod generare queat, sed exprobrator ad revocationem probri una cum aliquali carceris punitione, & restitutione impensarum cogi, atque læsum rogare debet, ut sibi talem iniustam imputationem propter Deum remittere velit. ANNO 1613.

Cum denique nostra, Regnorumque & Provinciarum nostrarum maximopere interest, ut in Regnis, & Dominiis nostris bonam, eandemque iustam habeamus monetam, quamobrem pro bono communi utrinque curabimus, & efficiemus, ne illegitima, prava, & reproba moneta in Regnis, Provinciisque nostris cudatur, recipiaturque. Quodsi hac ex parte quæstio inter Nos inciderit, agemus, quantum opus fuerit, cum Ordinibus Regnorum, Provinciarumque nostrarum, atq; eorum assensu Commissarios nostros utrinque deputabimus, qui habita ratione communium Regnorum, Provinciarumque nostrarum eas tentent, ineantque rationes, quibus vel eadem bonitate, & valore utrobique moneta cudatur, vel diversarum monetarum, prout quævis vel melior, vel deterior reperta fuerit, iustum semper pretium, æstimatioque constituatur. Id quod de sale utriusque nostrum in alterius Regna, & Provincias educendo pariter cautum esse volumus. Quodsi tamen hæ res, vel altero, vel utroque casu inter communes nostros Commissarios transigi nequeant, tunc salvum, liberumque semper utrique nostrum esse debere, & de moneta, & de sale suo statuendi id, quod cuiusvis, ac Regnorum, & Provinciarum necessitas, utilitasque exegerit. Quæ omnia & singula, matura Procerum, & Consiliariorum nostrorum deliberatione prævia: Nos Imperator MATHIAS, & Nos SIGISMUNDUS III. pro Nobis, & pro Successoribus nostris acceptamus, approbamus, & Regia nostra Authoritate ratificamus per Præsentes, promittentes in Verbo nostrō Imperiali, et Regiō, et bona fide, sub onere Iuramenti mediante, præinserta Pactorum, et Fœderum Capitula in omnibus eorum Punctis, Clausulis, Conditionibus, et Articulis firma, rata, et grata semper habituros, ac sancte inviolabiliterq; obsevaturos, nec non per Officiales, et subditos nostros, ac omnes, quorum interest, pariformiter observari, et manuteneri curaturos, dolo et fraude semotis. Reservantes postremo ab hac Confœderatione pro Nobis Imperatore MATHIA S. D. Papam, Sanctamq; Sedem Apostolicam, nec non Sacrum Romanum Imperium, cui pro ea fide, qua illi Iureiurando obstricti sumus, si quis illud Iniuria afficere vellet, deesse non possemus. Præterea vero Serenissimum ac Potentissimum Principem, ac Dominum, D. PHILIPPUM Regem Hispaniarum Catholicum, Transylvaniam, ad extremum etiam Turcarum Principem, per præsentes, et futuras

ANNO 1613. quoque, si quæ interceſſerint, Inducias, ita, ut iſtud Fœdus noſtram Maieſtatem contra illum ligare non poſſit, nec debeat. Sic viciſſim Nos Rex SIGISMUNDUS III. præfatum S. D. N. Papam, Sanctamque Sedem Apoſtolicam, nec non Regnum noſtrum Hæreditarium Sveciæ, in quo recuperando Nobis, Succeſſoribusque noſtris deeſſe non poſſumus, Turcarum Principem, et Tranſylvaniam pro Nobis pariter excipiendos, reſervandosque duximus.

Cum vero eadem Pacta ante etiam per recolendæ memoriæ CAROLUM V. Imperatorem, Hiſpaniarum Regem, ratione quorumcunque Hæreditariorum Regnorum ſuorum confirmata fuerint, promittimus itidem, ſpondemusque Nos Imperator MATHIAS effecturos Nos, ut per Sereniſſimum, et Potentiſſimum Principem, ac Dominnm, Dominum PHILIPPUM Hiſpaniarum Regem Catholicum, tanquam in iisdem Hæreditariis Regnis, et *D*ominiis Succeſſorem, quoad eadem Regna, et Dominia ſua ſimiliter renoventur, confirmenturque: Confirmationemque eam intra octo Menſium ſpatium a præſenti die numerandorum ad Sereniſſimum Poloniæ Regem transmiſſuros.

Nos vero SIGISMUNDUS Rex, iam ex hoc ipſo tempore, atque hiſce Literis itidem pro parte noſtra, ac pro Regno, et cæteris Dominiis noſtris eadem Pacta, et Fœdera cum eodem Sereniſſimo, et Potentiſſimo Rege Catholico, Regnis, Provinciis, ac Dominiis eius Hæreditariis continuamus, confirmamus, inſtauramus, renovamus, declaramus, corroboramus, amplificamus, et præſentibus Literis noſtris Nos obligamus, et verbo noſtro Regio, bonaque fide promittimus, ea Nos et omnia ac ſingula in eis contenta, et expreſſa inviolabiliter obſervare, et adimplere, et in nullo illis contravenire velle, dolo, aut fraude ſemotis. In quorum omnium robur, et evidens teſtimonium Nos præfati Reges binas eiusdem tenoris Literas manuum noſtrarum ſubſcriptione, Sigillorumque appenſione munitas, ac cuilibet noſtrum alteras conſignatas expediri fecimus. Datæ in Noſtris Poſonienſi, & Varſovienſi Arcibus Regiis die 23. Menſis Martii Anno Domini 1613. Regnorum noſtrorum, MATHIÆ Imperatoris, Romani primo, Hungarici Quinto, Bohemici Secundo: Noſtrorum vero SIGISMUNDI III. Poloniæ 25to Sveciæ 19mo.

MATHIAS.

SIGISMUNDUS *Rex.*

ANNO 1633.

## XCVIII.

*Fœdus inter* FERDINANDUM II. *Imp. &* VLADISLAUM IV. *Regem Poloniæ, quo priora Pacta, & Fœdera inter Reges, ac Regnum Poloniæ inita renovantur, & confirmantur.* Dat. in Civitate Viennenſi, & Arce Regia Cracovienſi die 12. Menſis Februarii Anno 1633. *Ex Originali. Extat in Archivo Cancell. Regni Lib. 178. Num. 179. fol. 109.*

NOS FERDINANDUS II. Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator, Semper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac Superioris, & Inferioris Sileſiæ, Wirtembergæ, & Teckæ, Princeps Sveviæ, Comes Habſpurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravius Alſatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac Inferioris, & Superioris Luſatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, & Salinarum &c.

Et Nos VLADISLAUS Dei Gratia Poloniæ, nec non Svecorum Gotthorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ Samogitiæ, Livoniæque, & Electus Magnus Dux Moſcoviæ. Tenore Præſentium recognoſcimus ac notum facimus, Univerſis, & Singulis praeſentibus, & futuris horum notitiam habituris. Quandoquidem qui Chriſti locum in Terris gerunt, eos in hoc elaborare maxime decet, ut cuius locum obtinent, eius veſtigiis incedant. Nos memoria tenentes quod non aliunde Poteſtas noſtra ſit, quam ab eo, de quo nomen ducimus, cuius appellatione cenſeri volumus, Domino noſtro JESU Chriſto, qui, quos Ipſe Nobis ſubiecit Populos, eos loco ſuo regere Nos voluit, & gubernare, huc omnes curas, & cogitationes noſtras convertendas duximus, ut quatenus id humanitus praeſtari poteſt, adiuvante eo, cuius id ſolius munere contingit, quam proxime ad ſimilitudinem eius accederemus, per quem Reges regnant, Principes imperant, & Potentes decernunt Juſtitiam. Quoniam vero non ille Potentiam ſuam, non Sapientiam, ſed eam ſolam, qua Societas Hominum inter ipſos continetur, dilectionem, qua Nos prior ipſe praeter meritum

ANNO 1633. ritum ullum prosecutus est, imitari voluit, ut sicut ipse dilexit Nos, ita & ipsi vicissim diligeremus invicem, ac Pacem, Concordiam, tranquillitatemque mutuam inter Nos conservaremus, neque potest illi Sacrificium ullum a Mortalibus offerri gratius, quam sit fraterna Charitas inter unius Corporis membra. Hanc illius dilectionem, qui Nobis tot Civitates tot Populos, Lingva, Moribus, Habitu inter se dissidentes, tot tam late patentes Provincias, tot ampliſſima Regna subiecta esse voluit, praecipue pro virili nostra imitandam esse duximus. Itaque cum inter recolendæ memoriæ Maiores nostros, iam inde a longissimo tempore certamen amoris, benevolentiæque mutuæ susceptum fuisse cognovissemus, cuius rei tanquam testes sunt Pactorum, & Fæderum Literæ, quæ inter nostras Austriæ, & Iagelloniam Domum, quæque inter utriusque Domus Regna, Imperia, Provincias, Populos, & Nationes, nominatim vero quæ inter quondam ALBERTUM Archiducem Austriæ cum quondam CASIMIRO Poloniæ Rege, & Divum FRIDERICUM Imperatorem, cum eodem CASIMIRO Rege, postea vero etiam inter recolendæ memoriæ FERDINANDUM, & MAXIMILIANUM Imperatores, cum itidem recolendæ memoriæ SIGISMUNDO AUGUSTO Rege, ac tandem inter RUDOLPHUM II. & successive inter MATHIAM Imperatores: Nec non Nos FERDINANDUM II. & quondam SIGISMUNDUM III. Sereniſſimum Poloniæ ac Sveciæ Regem, itidem præclariſſimæ memoriæ, intercesserunt. Nos Maiorum nostrorum exemplo provocati, qui summam semper inter se necessitudinem, & amicitiam conservare studebant, atque eam arctis præterea affinitatis vinculis fortius colligabant, quam ut dissolvi facile posset, ea nimirum Pacta, & Fædera, quæ inter præfatos Maiores nostros quondam ALBERTUM Archiducem Austriæ, FRIDERICUM, FERDINANDUM, MAXIMILIANUM II. RUDOLPHUM II. & MATHIAM Imperatores præclariſſimæ memoriæ, nec non Nos FERDINANDUM II. atque CASIMIRUM SIGISMUNDUM AUGUSTUM, & quondam SIGISMUNDUM III. observata fuerunt, id quod felix, faustum, & fortunatum Deus esse velit, utrique nostrum, ac utriusque nostrum Imperiis, Regnis, Terris, Civitatibus, Populis, & Nationibus, in DEI Optimi Maximi nomine, a quo tanquam fonte perenni manat, quid quid bonarum est rerum, inter Nos quoque, & pro Nobis, & Successoribus nostris continuanda, confirmanda, instauranda, & renovanda, atque adeo declaranda, corroboranda, & amplificanda duximus, ita ut continuamus, confirmamus, instauramus, renovamus, declaramus, corroboramus, & amplificamus Præsentium per tenorem. Ac primum quidem, sicut in Literis quondam ALBERTI Archiducis præscriptum est, Nos, omni honore, fide, & amore Nos invicem prosequi, & promovere debemus, & volumus, in locis omnibus, & temporibus, ubi Nobis id faciendi se facultas obtulerit, citra dolum, & fraudem aliquam, neque committemus unquam, ut alter alteri, aut Familiaribus eius, Vasallis, & Subditis quibuscunque, Regnis, Ducatibus, Terris, & Civitatibus ei subiectis, & sub eius obedientia, & defensione constitutis, quacunque ex causa bellum inferamus, inimicitias denuntiemus, diffidemus, aut hostiliter eos impetamus, per Nos, aut submissas Personas, fraude & dolo semotis. Ac non modo ipsi ab eiusmodi rebus abstinebimus, verum etiam Subditos nostros, & quicunque in fide, potestateque nostra sunt, eos prohibebimus, ac ab omni vi, modo superius descripto, temperare sibi cogemus. ANNO 1633.

II.

Habebunt etiam Potestatem Homines nostri cuiuscunque Status, & Conditionis fuerint, in quibuscunque Terris, Dominiis, Civitatibus nostris, & nostræ Obedientiæ subiectis agendi, & commorandi, atque inde etiam libere, & secure, cum illis visum fuerit, discedendi.

III.

*D*einde sicut etiam Literis Divi FRIDERICI cautum est, ita Nos invicem uniendos, obligandos, alligandos, confæderandos duximus, quemadmodum unimus, obligamus, promittimus, alligamus, confæderamus Præsentibus, quod ex hoc tempore ipso perpetuo, realiter cum effectu invicem, & mutuo obligati, alligati, & confæderati simus, & erimus, & inter Nos, & Subditos nostros, nec non Regna, Principatus, & Dominia, quæ nunc uterque nostrum possidet, & quæ DEO concedente, in futurum acquiremus, constans, perpetua, indissolubilis, & Christiana Pax esse, & servari debet, & debebit, & in omnibus utriusque nostrum honorem, dignitatem, statum, augmen-

Anno 1633. tum concernentibus, & concernere valentibus, mutuo Nobis auxiliabimur, conſulemus, invicem promovebimus, & aſſiſtemus, nec alteruter noſtrum, quidquam faciet, cupiet, pertractabit, aut molietur, quod contra alterutrum noſtrum Regna, Principatus, Dominia, Subditos, honorem, ſtatum, dignitatem, aut augmentum ſit, ſeu eſſe, aut tendere poſſit.

IV.

Neque noſtrum alter alteri, ipſius Regnis, Principatibus, Dominiis & Subditis bellum, damnum, aut quodvis aliud nocumentum inferet, nec a ſuis quovis quæſito colore inferri permittet, ſed quilibet noſtrum contra Subditos ſuos, qui huiusmodi faciunt, aut facere, & moliri vellent, totis viribus ſuis & potentia in Terris, & Dominiis ſuis conſurget, & eos pro huiuſmodi exceſſibus pæna condigna puniet, & caſtigabit, donec damnorum datorum integram compenſationem & refuſionem facient.

V.

Præterea nullus noſtrum ad alterius Regna, Principatus, & Dominia aſpirare, aut anhelare debet, nec alterius noſtrum Regna, Principatus, Dominia, & Subditos, ſi quos, (quod DEUS avertat) ab altero noſtro deficere, recedere, aut rebellare contingeret, contra alium, eius Regna, Principatus, Dominia, & Subditos ſuſcipere, tenere, protegere, iuvare, aſſiſtere, neque conſulere, aut favore proſequi debet, neque a ſuis talia fieri patiatur, ſed contra infideles tales unus alteri auxiliabitur, & aſſiſtet, atque Dominiis ſuis eos excludet.

VI.

Si vero alter noſtrum, eius Regna, Principatus, atque Subditi, contra alterum, ipſius Subditos, Principatus, aut Dominia, actionem realem ſeu perſonalem, civilem ſeu criminalem, aut qualemcunque querelam habet, aut inpoſterum habuerit, ſi ſuper ea non potuerimus amicabiliter concordare, tum neque ipſe, neque Subditi eius contra alterum, ipſiuſque Subditos, Regna, Principatus, & Dominia quidquam via facti attentare, neque ſibi ipſis ius dicere, aut ulciſci ſed ſuper eo, Jure, & non aliter, experiri debent.

VII.

Cæterum pro maiore ſupraſcriptorum Fæderum declaratione, proque tranquilliore Subditorum noſtrorum Statu, quiete, & bonæ vicinitatis conſervatione, & quo firmior inter Nos, Regna, & Subditos noſtros Pax, amicitia, & benevolentia perpetuo conſtare queat, utque omnes diſſidiorum cauſæ, quoad eius fieri poteſt, præſcindantur, ordinamus, ſtatuimus, declaramus, & volumus, quod cum initio ſcriptum eſt, quod mutua Nobis invicem auxilia ferre debemus, quomodo alter alteri auxilia ferre velimus, id in arbitrio utriuſque noſtrum, & ordinum Regnorum noſtrorum poſitum eſſe debere. Hoc tamen expreſſo, ut liceat utrique noſtrum ex Terris, & Provinciis alterius voluntarios Milites ære ſuo conductos educere, & arma ſua in uſum exportare. Eatenus tamen Milites educere liceat, quatenus id ſciente fiat altero noſtrum, neque ſit alteruter noſtrum bello ſuo proprio contra hoſtes aliquos ſuos impeditus. Anno 1633.

VIII.

Hoſtibus vero ne id liceat, neque favor ullus præſtetur, qui alteri obeſſe poſſit. Ita tamen, ut nedum iuxta præſcripta Maiorum noſtrorum Fædera, nullus noſtrum alteri, vel ipſius Regnis, Principatibus, Dominiis, & Subditis bellum, damnum, aut quodvis aliud nocumentum inferre, ſed neque alterius hoſtes, aut rebelles fovere, protegere, ſeu eis aſſiſtere, vel favorem, conſilium, aut auxilium quovis modo præſtare debeat.

IX.

Volumus præterea vias, & flumina publica, nec non commercia, & negotiationes mutuas, per Regna & Provincias noſtras, omnibus & ſingulis Regnicolis, Provincialibus, & Subditis noſtris, tam terra, quam aqua, utrinque libera eſſe, nec ullis unquam interdictis, arreſtationibus, ſeu Repreſſaliorum conceſſionibus impediri, ſed utriuſque noſtrum Subditos in alterius Regnis, & Dominiis, libero tranſitu, ac fide publica, quem Salvum Conductum vocant, non minus, quam proprios cuiuſque Subditos gaudere, uti, ac frui poſſe, & debere. Neque denique cuiquam noſtrum, aut his, qui Nobis Subditi ſunt, querelas, & actiones ſuas, ſi quæ iam ſunt, vel futuris temporibus oboriantur, aliter quam mediante Jure proſequi liceat.

X.

Ut autem omnes vel protelatæ, vel denegatæ iuſtitiæ querelæ, tam in Nos, quam Subditos noſtros hinc inde præcaveantur, ſed cuique expeditum ius, & iuſtitia ſummarie, & de plano adminſtrari,

ANNO 1633. ri, eiusdemque debita executio effectualiter obtineri valeat, convenimus & concordavimus, quod si quis nostrum, vel unius nostrum Subditi, contra alterius unum, vel plures privatos Subditos, actiones sive personales, sive reales intentarent, tunc semper Pars agens forum, & Judicium ipsius rei sequi debeat. Et quod in personalibus, iniuriarum, violentiarum, super spoliatione, seu similibus Judex permissione subitarii Judicii citra dilationum, & exceptionum admissionem actori forensi, de simplici, & plano Justitiæ complementum facere, in realibus vero secundum unius cuiusque Ditionis consvetudinem, ita procedere teneatur, ut quilibet citra dilationem, Justitiae executionem obtinere queat; id quod per Superioritates, & Magistratus fideliter provideri, & dirigi par est.

XI.

Quod si alter nostrum contra alterius Provinciam vel communitatem aliquam, vel vicissim Provincia, Communitas, vel Subditi privati unius nostrum, contra alterum ex Nobis, vel eius Provinciam, seu Communitatem privatas Actiones praetenderent, tunc causa huiusmodi coram alterius nostrum, sub quo Pars ea degit, Consiliariis, seu Commissariis per eundem iuxta Partium Conditionem, & Causarum exigentiam, non minus septem numero designandis summarie audiri, & vel amicabiliter componi, vel Jure mediante determinari, & executioni demandari debeat.

XII.

Porro si inter Nosmet ipsos Reges, seu forsan Regna, & Provincias nostras, tum Metarum, & Terminorum, tum Commerciorum, seu quarumlibet aliarum, tam veterum, quam novarum Causarum, Jurium, vel Obligationum occasione querelae, gravamina, & controversiae suboriantur, tunc alter nostrum, qui, vel cuius Regnum seu Provinciae, ius vel querelam praetendit, alium per Nuntios, vel Literas suas amicabiliter informare, ac pro tollendo, sarciendo, amovendoque gravamine admonere, & requirere debet. Quod si obtinere nequeat, tunc quilibet nostrum statim, intra duorum mensium spatium, a facta amicabili requisitione, tres Consiliarios suos, e Proceribus Regnorum Hungariae, Bohemiae, Moraviae, Silesiae, & vel ex aliquibus harum, prout quodque Negotium ad aliquam harum Provinciarum pertineat, vel etiam ex omnibus pro exigentia, & gravitate Negotii ab una, Regnique Poloniae, Magni Ducatus Litvaniae &c. ab altera partibus, ad convenientem diem, et locum per Partem laesam, seu querulantem nominandum semota omni excusatione mittere debeat. Qui utriusque nostrum Consiliarii summam in primis diligentiam adhibeant, quo huiusmodi querelae, gravamina, et controversiae inter Nos, Regna, et Provincias nostras, amicabili compositione transigantur. Ea vero non succedente, tunc laesa Pars, sive agens, coram praedictis sex Consiliariis Actionem suam statim ipso die Juridice exhibendi potestatem habeat, idque duplicatis *Scripturis*, quarum unam Consiliarii penes se retineant, aliam vero Parti reae transmittant. Quo facto Pars rea Responsum suum etiam *Scriptis* duplicatis, saepedictis Consiliariis, vel ei, cui ex illis hoc demandatum fuerit, intra spatium proximorum duorum Mensium, a transmisso actionis libello mittere teneatur; ut scilicet Actor Replicas, Reus vero Duplicas suas, ac praeterea utraque Pars tertiam quoque Conclusionem, et *Submissionum Scripturam* de bimestri in bimestre duplicatis, ut praefertur, *Scriptis* offerre queat, eo sane modo, et ordine, utrique Parti transmittendis, sicut de Actionis libello demonstratum est. Oblatis tandem successive ab utraque Parte duplicatis trinis *Scripturis*, in quibus utrinque omnia Jura sua explicabunt, sex illi Commissarii Partibus ad promulgandam *Sententiam* inter proximum sequens bimestre diem ad eum locum, ubi causa primo agi coepit, indicent. Quo loco, et tempore Partes per Procuratores suos pleno Mandato suffultos comparere, illicque ipsi Consiliarii convenire, ac diligenter visis *Scriptis*, et discussis Actis totius Causae, Partes rursum ad Concordiam, et amicabilem compositionem invitare, et cohortari, nihilque in eo operae, et diligentiae intermittere debeant. Quam si ne tunc quidem inter Partes obtinere queant, statim ad ferendam *Sententiam* procedant, ac id quod Juris, et Justitiae fuerit, cognoscant, et decernant. Quod si supradicti Consiliarii de ferenda *Sententia*, sive interlocutoria, sive definitiva fuerit, concordare non possint, tunc toties quoties opus fuerit, arbitrum communi voce deligant, vel per quamlibet Consiliariorum Partem, duabus idoneis Personis propositis, ex iisdem sorte constituant, cuius Partes sint, huic Consiliariorum Opinioni, quae et Juri, et aequitati magis consona videatur, subscribere, eandemque laudare, et approbare. Quidquid autem per ipsos Consiliarios nostros, seu maiorem eorum Partem, separatim vel per eosdem, vel Arbitrum

Anno 1633. bitrum coniunctum, decretum, et pronuntiatum fuerit, id ratum, firmumque maneat, ac ſtatim debitae demandetur executioni, remota omni plane appellatione, ſupplicatione, reductione, in integrum reſtitutione, aliisque Juris beneficiis, et remediis, etiam motu proprio conceſſis, obtentis non obſtantibus. Debent autem Conſiliarii, per Nos pro tempore deputandi, nec non et Arbiter ipſe per Nos, et quantum ad quemlibet noſtrum ſpectat, ab obedientiae, et Juramenti debito ad eam Cauſam tantum abſolvi, ac pro adminiſtranda Juſtitia novo, conſvetoque Juramento adſtringi.

XIII.

Quod ſi pendente Lite, unus vel plures ex ipſis Conſiliariis mortem obirent, tunc in demortuorum locum, prout ad quemlibet noſtrum pertinebit, alios ſemper ſurrogabimus. Ipſi quoque Conſiliarii non plures ſcripturas admittant, aut Terminos alio modo, quam ſupradictum eſt, prorogandi, aut alterandi poteſtatem habeant, ſed forma, & modo illis conceſſo procedant, excepto caſu, quo Partes Teſtes producere neceſſe haberent, tunc ipſi Conſiliarii Jurisdictionem ſuam prorogandi poteſtatem habeant tantiſper, donec Teſtes eius cauſæ conſcii, ſecundum Juris diſpoſitionem legitime producti, & auditi fuerint. Ita tamen, ne ulla minus neceſſaria Prorogatio quæratur, vel admittatur, ſed omnes Teſtes ad unum diem, & terminum quantum fieri poteſt, audiantur, a publicatis atteſtationibus nonniſi unica Scriptura a qualibet Parte recipiatur.

XIV.

Proinde quo magis Regna, Principatus, & Dominia noſtra, ab omni bellorum, deprædationum, latrociniorum, hoſtilitatisque periculo libera, ſecura, purgataque eſſe queant, conventum inter Nos eſt, quod nullus noſtrum alterius, ſeu Regnorum, Provinciarum, vel Subditorum ſuorum diffidatores, hoſtes, homicidas, raptores, ſeu damnificatores, nec non profugos cuiuscunque conditionis, ſive Eccleſiaſticos, ſive Saeculares, item rebelles ſubditos, quicunque in alterius noſtrum Regnis, & Ditionibus reperti, denuntiati, vel per Nosmet, aut Officiales noſtros perveſtigati fuerint, nequaquam amplius fovere, & aſſecurare, multominus vero per Subditos noſtros ullo hoſpitio, auxilio, ſive receptatione, quocunque prætextu, directe, vel indirecte, publice, vel occulte, recipere, iuvare, vel intertenere debeat. Sed ubicunque huiusmodi graſſatores, raptores, diffidatores, & damnificatores, ubilibet in præfatis Regnis, & Ditionibus noſtris deprehenſi fuerint, contra eos iuſſu noſtro, & directione, atque accurata diligentia Officialium utrobique Parti læſæ, atque deferenti, Juſtitia immediate, atque irrecuſabiliter permitti, atque adminiſtrari, aut etiam citra Partium requiſitionem de iis, ut communibus hoſtibus, a Capitaneis, & Magiſtratibus ubicunque ex Officio inquiri, inſequi, & poenaliter procedi debeat. Caſu vero quo aliquis ex Officialibus, aut Subditis noſtris propter receptationem, aſſecurationem, vel defenſionem antedictorum diffidatorum, aut omiſſionem antedictorum diffidatorum Inſecutionis, Captivationis, ſive Animadverſionis ſcienter contravenerit, in tales utrobique, ſive delati a Parte altera, ſive alias veroſimili ſuſpicione deprehenſi forent, capitali ſupplicio irremiſſibili debet animadverti. Anno 1633.

XV.

Quod ſi alterutrius noſtrum unus, vel plures, Incolæ vel Subditi alteri noſtrum, ſeu Regnis, & Dominiis noſtris generaliter, vel ſingularibus Perſonis, Incolis, & Subditis privatim hoſtilitatem denuntiaverint, tunc ſtatim Præfectus, Capitaneus, aut Officialis illius Loci, ſive Diſtrictus, cui diffidatio indicta eſt, Generales Præfectos, & Capitaneos Regnorum, & Provinciarum alterius noſtrum, ſub quo tales diffidatores degunt, ea de re certiores reddere, ipſisque Exemplar diffidatoriarum Litterarum transmittere debeat, quo accepto præfati Præfecti, & Capitanei, diffidatores pro publicis hoſtibus iudicare, promulgare, publicare, omnibusque, & ſingulis Incolis, cuiuscunq; Ordinis, & Conditionis extiterint, eorum conſvetudinem interdicere, & ne a quoquam hoſpitio recipiantur, aut conſilio, auxilio, ſive re ulla alia iuventur, prohibere, & cavere, bonaq; diffidantium applicare Fiſco, & Cameræ Regiæ. Ac proinde in hoſpites, ſocios, conſcios, & complices pari quoque ſeveritate animadvertere teneantur, ignorantiæ excuſatione univerſis penitus ſublata. Quod ſi quispiam Præfectus, Capitaneus, aut Magiſtratus in huiusmodi caſibus ſubitam Juſtitiam adminiſtrare cunctaretur, aut etiam alias ex Officio, Inquiſitione, Inſecutione, & Animadverſione debita non procederet, tunc tales noſtræ punitioni immediate obnoxii, & rei eſſe debeant. Ut autem præcipuus diffidationum, & graſſationum fons, quo huiusmodi latrocinia inprimis aluntur, e medio tollatur, coerceaturque licentia, & impunitas receptandi hoſtes, praedones, et diffidatores

ANNO 1633. tores, ſerio inter Nos convenit, ut omnes Promotores, detentores, receptatores, complices dictorum facinoroſorum hominum, qui vel notorietate facti, vel ex veraci denuntiatione ſpoliatorum, aut ex fuga captivorum (modo tales captivi, & ſpoliati bonæ, & integræ famæ ſint) ſive aliis tam manifeſtis indiciis, ut ulteriore probatione res non egeat, convicti, vel deprehenſi forent, iidem citra ulteriorem purgandi ſui admiſſionem, & conceſſionem ſpoliatis, & damnum paſſis ad reſtitutionem, & ſatisfactionem probabilium damnorum de Bonis ſuis teneantur, aut ſi ſolvendo non ſint, ſecundum qualitatem delicti corpore luant. Quod ſi tales etiam patrati criminis conſcii, vel complices eſſent, & ad illata damna, cædemque evidentem cauſam ſcienter præbuerint, iidem non tam Parti ad reſtitutionem damnorum, ut iam præmiſſum eſt, teneantur, quam & Superioritatis ſuæ cognitioni ad ſumendum de eis pro modo delicti ſupplicium, citra evaſionem ſubiaceant. Si vero aliqui Receptatorum, aut complicum non omnino manifeſtis indiciis, nec apertis captivorum confeſſionibus, ſed alias delati, & de tali facinore ſuſpecti potius, quam convicti fuerint, contra tales, tam ex delatione damnificatorum, vel alterius Superioritatis Officialium, quam ex officio per Capitaneos, aut Magiſtratus eius Regni, aut Ditionis, in qua fuerint, hac tamen conditione, differentia, ſive moderatione debet procedi, ut ſi fuerint Nobiles, aut poſſeſſionati Cives antehac in talibus non infamati, neque ullis prioribus confeſſatis ſuſpecti, tales in caſu negationis ſeſe proprio eorum Juramento coram ſupremo eius Ditionis Magiſtratu publice de huiusmodi infamatione exonerare, & purgare queant. Si vero iidem anterioribus infamiæ, aut confeſſatorum præindiciis notati, & ſemimanifeſti forent, ita tamen, ut huiusmodi confeſſata non omnimode certum facti indicium præbere poſſent, tales etiam ad purgationem ſui medio Juramento, etiam tertia manu integræ famæ poſſeſſionatorum Vicinorum admitti, aut ſi in utroque caſu in purgatione ſui defecerint, debitæ capitis animadverſioni ſubiici debeant.

XVI.

Quod ſi quis ex Regnis, & Provinciis noſtris, auſu temerario contra Jus, & æquitatem, ac publica, mutuaque Regnorum noſtrorum Fœdera, in alterius Regna, vel Ditionem excurſionem, et irruptionem faceret, atque ibi Mercatores, & vectores deprædaret, aut detineret, homines occideret, vel abduceret, pecora abigeret, incendio ſæviret, aut alio quovis modo damnum, & iniuriam inferret, & patrato nefario ſcelere rurſum ſe domum, vel cum præda ſecurus, vel fugiens inſequentium manus, in hoſpitia conſveta, & ſolita diverticula reciperet, tum in eo Regno Præfecti illius Territorii, vel Diſtrictus, & omnes Incolæ, totaq; vicinitas mox ut a damnificatis, & iniuriatis, ſeu quibusvis aliis hoſtem, prædonem, & communem Fœderum violatorem inſequentibus commonefacti, evocatique extiterint, debeant læſis ferre opem, adeſſe in armis fortiter, & graviter inſequi, & inquirere noxios, & turbatores Pacis publicæ, & tranquillitatis. Et ſi ſui tuendi cauſa in aliqua Caſtra, ac Fortalitia, vel loca abdita, ſeu natura munita profugerint, acrius, ac diligentius inſiſtere, & ipſos, & eorum hoſpites, ſocios, conſcios, complicesque obſidere, oppugnare, & ita omnes ad deditionem urgere, ad debitum ſupplicium trahere, & ad reſtitutionem, recompenſationemque damnorum illatorum cogere teneantur. ANNO 1633.

Si qui autem negligentiores, & remiſſiores in ferendo offenſis auxilio, & in proſequendo hoſtes, & damnificatores ſeſe exhibuerint, hi ſciant ſe indignationem noſtram, & ſeveram animadverſionem irremiſſibiliter incurſuros eſſe.

Si vero contingeret, aut per Subordinationem Superioritatis, aut alios, qui per damnificatos, atque diffidatos, contra præmiſſos Damnificatores, Diffidatores, Malefactores, Receptatores, aut Complices captivandos, ſive etiam iam tum captivos & convictos in alterutrius Regnum, et Ditionem pro imploratione Juſtitiæ mitti, iidem imploratores non ſolum ad executionem Juſtitiæ pro ratione delicti cum omnibus in tali facto neceſſariis admitti, & provideri, verum etiam tam in loco adminiſtrandæ Juſtitiæ, quam in reditu ad propria omnimode tuti, atque aſſecurati eſſe debeant. Caſu etiam, quo in alterutrius noſtrum Regno, et Ditione aliquis ex Nobilibus, aut aliis zelo honeſtatis, & ſtudio ſupprimendorum publicorum malefactorum, aut iuſſu Magiſtratuum, aut motu proprio huiusmodi publicos prædones, & graſſatores inſequeretur, idque ſibi a quoquam ut inhoneſtum exprobraretur, talis exprobratio nulli cuiuscunque ſtatus ullum honoris ſui diſcrimen, imminutionem & præiudicium aliquod generare queat, ſed exprobrator ad revocationem probri una cum aliquali carceris punitione, & reſtitutione impenſarum cogi, atque læſum rogare debet, ut ſibi talem iniuſtam imputationem propter Deum remittere velit.

ANNO 1633.

XVII.

Cum denique noſtra, Regnorumque & Provinciarum noſtrarum maximopere interſit, ut in Regnis, & Dominiis noſtris bonam, eandemque iuſtam habeamus monetam, quamobrem pro bono communi utrinque curabimus, & efficiemus, ne illegitima, prava, & reproba moneta in Regnis, & Provinciis noſtris cudatur, recipiaturque. Quod ſi hac ex parte quæſtio inter Nos inciderit, agemus, quantum opus fuerit, cum Ordinibus Regnorum, Provinciarumque noſtrarum, atq; eorum aſſenſu Commiſſarios noſtros utrinque deputabimus, qui habita ratione communium Regnorum, Provinciarumque noſtrarum eas tentent, ineantque rationes, quibus vel eadem bonitate, & valore utrobique moneta cudatur, vel diverſarum monetarum, prout quævis vel melior, vel deterior reperta fuerit, iuſtum ſemper pretium, æſtimatioque conſtituatur.

XVIII.

Id quod de ſale utriusque noſtrum in alterius Regna, & Provincias educendo pariter cautum eſſe volumus. Quod ſi tamen hæ res, vel altero, vel utroque caſu inter communes noſtros Commiſſarios tranſigi nequeant, tunc ſalvum, liberumque ſemper utrique noſtrum eſſe debere, & de moneta, & ſale ſuo ſtatuendi id, quod cuiuſvis, ac Regnorum, & Provinciarum ſuarum neceſſitas, utilitasque exegerit.

Quæ omnia & ſingula matura Procerum, & Conſiliariorum noſtrorum deliberatione prævia Nos Imperator FERDINANDUS II. & Nos VLADISLAUS pro Nobis, & Succeſſoribus noſtris acceptamus, approbamus, & Regia noſtra authoritate ratificamus per Præſentes, promittentes in Verbo noſtro Imperiali, et Regio, et bona fide, ſub onere Iuramenti mediante, præinſerta Pactorum, et Fœderum Capitula in omnibus eorum Punctis, Clauſulis, Conditionibus, et Articulis firma, rata, et grata ſemper habituros, ac ſancte inviolabiliterq; obſervaturos, nec non per Officiales, et ſubditos noſtros, ac omnes, quorum intereſt, pariformiter obſervari, et manuteneri curaturos, dolo et fraude ſemotis. Reſervantes poſtremo ab hac Confœderatione pro Nobis Imperatore FERDINANDO S. D. Papam, Sanctamq; Sedem Apoſtolicam, nec non Sacrum Roman. Imperium, cui pro ea fide, qua illi Iureiurando obſtricti ſumus, ſi quis illud Iniuria afficere vellet, deeſſe non poſſemus. Præterea vero Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem, ac Dominum, D. PHILIPPUM Regem Hiſpaniarum Catholicum, Tranſylvaniam, ad extremum etiam Turcarum Principem, per præſentes, et futuras quoque, ſi quæ interceſſerint, Inducias, ita ut iſthoc Fœdus noſtram Maieſtatem contra illum ligare non poſſit, nec debeat. Sic viciſſim Nos Rex VLADISLAUS præfatum S. D. Papam, Sanctamque Sedem Apoſtolicam, nec non Regnum noſtrum Hæreditarium Sveciæ, in quo recuperando Nobis, Succeſſoribusque noſtris deeſſe non poſſumus, Turcarum Principem, & Tranſylvaniam pro Nobis pariter excipiendos, reſervandosque duximus. Cum vero eadem Pacta antea etiam per recolendæ memoriæ CAROLUM V. Imperatorem, Hiſpaniarum Regem, ratione quorumcunque Hæreditariorum Regnorum ſuorum confirmata fuerint, promittimus itidem, ſpondemusque Nos Imperator FERDINANDUS effecturos Nos, ut per Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem, ac Dominum, Dominum PHILIPPUM Regem Hiſpaniarum Catholicum, tanquam in iisdem Hæreditariis Regnis, ac Dominiis Succeſſorem, quoad eadem Regna, & Dominia ſua ſimiliter renoventur, confirmenturque, confirmationemque eam intra octo Menſium ſpatium a præſenti die numerandorum ad Sereniſſimum Poloniæ Regem Nos transmiſſuros. Nos vero VLADISLAUS Rex, iam ex hoc ipſo tempore, atque hiſce Literis itidem pro parte noſtra, ac pro Regno, & cæteris Dominiis noſtris eadem Pacta, & Fœdera cum eodem Sereniſſimo, & Potentiſſimo Rege Catholico, Regnis, Provinciis, ac Dominiis eius Hæreditariis continuamus, confirmamus, inſtauramus, renovamus, declaramus, corroboramus, amplificamus, & præſentibus Literis noſtris Nos obligamus, & verbo noſtro Regio, bonaque fide promittimus ea Nos et omnia ac ſingula in eis contenta, & expreſſa inviolabiliter obſervare, & adimplere, et in nullo illis contravenire velle, dolo, & fraude ſemotis. In quorum omnium robur, & evidens teſtimonium Nos præfati Reges binas eiusdem tenoris Literas manuum noſtrarum ſubſcriptione, Sigillorumque appenſione munitas, ac cuilibet noſtrum alteras conſignatas expediri fecimus. Datæ in Civitate noſtra Viennenſi, & Arce Regia Cracovienſi die duodecima Menſis Februarii Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo triceſimo tertio, Regnorum noſtrorum FERDINANDI Imperatoris Romani decimo quarto, Hungarici decimo quinto, & Bohemici decimo ſexto. Noſtrorum

ANNO 1633.

ANNO 1637. strorum vero VLADISLAI Poloniæ ac Sueciæ primo.

| FERDINANDUS. | VLADISLAUS *Rex.* |
|---|---|
| *Hermannus Queſtemberg, Sacræ Cæſ. Maieſtatis Secretarius* | *Jacobus Zadzik, Secretarius Regni Maior-* |

XCIX.

*Pacta Matrimonialia inter* VLADISLAUM IV. *Poloniæ, & Sueciæ Regem, ac Sereniſſimam Principem* CÆCILIAM RENATAM FERDINANDI III. *Imperatoris Sororem, cuius Sponſor Frater conſtituens Dotem centum millium florenorum Rhenenſium.* Dat. Viennæ d. 9. Auguſti Anno 1637. *Ex Originali.*

*In Nomine Domini Amen.*

NOs Antonius Epiſcopus Viennenſis, Abbas Cremiphanenſis, Sacri Romani Imperii Princeps, ac Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Conſiliarius Intimus, Maximilianus Comes in Trautmanstorf, Liber Baro in Gleichenberg, Negæ, Burgau & Tozembach, Dominus in Feinis, Mirſekau, & Tsetſhowiz, Aurei Velleris Eques, eiusdem Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Conſiliarius Intimus, Supremus Aulæ Præfectus, ac Camerarius, & Joannes Mathias Brickel Mæir, Maieſtatis ſuæ Conſiliarius, & Auſtriacus Aulæ Vicecancellarius, tamquam dictæ Sacræ Cæſareæ Maieſtatis, Sereniſſimi, & Invictiſſimi Principis, ac Domini, Domini FERDINANDI III. Divina favente Clementia Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, & Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Regis, Archiducis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Virtembergae, Comitis Tyrolis, & Goritiae Commiſſarii, & ad infraſcripta cum Plenipotentia Mandatarii, fidem facimus hiſce Literis noſtris, quorum intereſt, Univerſis. Quod cum Sereniſſimus, ac Potentiſſimus Princeps, ac Dominus, Dominus VLADISLAUS IV. Rex Poloniae, Magnus *Dux* Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniae, Smolenſciae, Czernichoviaeque, nec non Svecorum, Gotthorum, Vandalorumq; Haereditarius Rex, Excellentiſſimos Oratores, & Legatos ſuos ad dictum Sereniſſimum, & Invictiſſimum Principem, ac Dominum, Dominum FERDINANDUM III. Romanorum Imperatorem, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae Regem, Archiducem Auſtriae, Dominum noſtrum Clementiſſimum deſtinaverit, per eosq; Sereniſſimam Principem, ac Dominam, Dominam CÆCILIAM RENATAM Poloniae, & Sveciae Reginam, Hungariae, et Bohemiae Principiſſam, Archiduciſſam Auſtriae, eiusdem Sereniſſimi, ac Invictiſſimi Imperatoris Sororem chariſſimam, natu minorem, in Matrimonium ſibi collocari petierit, atque ipſa Sacra Caeſarea Maieſtas in huiusmodi honorificentiſſimam Sereniſſimi, & Potentiſſimi Poloniae, et Sveciae Regis petitionem ſuo, et omnium, quorum ex parte Sereniſſimae Domus Auſtriae intereſt, nomine benevolentiſſime annuerit, acceſſerit etiam aſſenſus praedictae Sereniſſimae CÆCILIÆ RENATÆ, tandem, quod felix fauſtumque ſit, ad Gloriam, & Laudem Dei Omnipotentis, & ſemper Glorioſae & Beatae Virginis MARIÆ eius Genitricis, pro conſervatione, & augmento Reipublicae Chriſtianae, pro communi bono, ac commodo utriusque Sereniſſimae Domus, proque firmiore ſtatu Regnorum, ac Provinciarum utrique Maieſtati ſubditarum, utque vinculum ſanguinis, quod inter ipſas Maieſtates iam pridem firmum extitit, nova Affinitate magis coarctetur, inter praefatam Sereniſſimam Reginam CÆCILIAM RENATAM, Maieſtatis ſuae Caeſareae Sororem, ipſa Sacra Caeſarea Maieſtate, pro ſe, et aliorum Nomine, ut ſupra, per nos Commiſſarios, et Mandatarios ſuos, vigore Mandati Caeſarei die vigeſima octava Menſis Julii, proxime elapſi, in noſtras perſonas expediti, interveniente ex una, et per Reverendiſſimum Dominum a Lipie Lipſki Epiſcopum Culmenſem, et Pomeſaniae, ac Illuſtriſſimum Dominum Gaſparem Comitem a Denhoff, Palatinum Siradienſem, et Praefectum Laiſcenſem, Boleslavienſem, Radomienſem, eiusdem Sereniſſimi, ac Potentiſſimi Poloniae, et Sveciae Regis Oratores, et Legatos ſufficienti Mandato, et Plenipotentia Regia ſub die vigeſinma ſexta menſis Junii proxime praeteriti inſtructos agentes, parte ex altera, obtenta prius a Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa URBANO VIII. ſuper ſecundo conſangvinitatis gradu, quo Sereniſſimus Pooniae Rex, et Sereniſſima CAECILIA RENATA invicem in linea aequali coniuncti ſunt, ac ſuper quibuslibet aliis remotioribus, etiam multiplicibus conſangvinitatis, et ſeu affinitatis, ſeu aliis impedimentis neceſſaria, et convenienti Diſpenſatione ſub dato Romae apud Sanctam MARIAM Maiorem ſub annulo Piſcatoris die decima Maii, Anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo, Pontificatus

ANNO 1637. ficatus ſui Anno decimo quarto, tractatum, et concluſum eſt Matrimonium verum, et legitimum ſub Articulis, et Conventionibus ſequentibus videlicet.

Quod Maieſtas eius Cæſarea prædictæ Sereniſſimæ Sororis ſuæ nomine dat, & aſſignat in Dotem ſupra dicto Sereniſſimo VLADISLAO IV. Poloniæ Regi Summam centum Millium Florenorum Rhenenſium, Sexaginta Cruciferis bonæ, & uſualis monetæ Germanicæ pro quolibet Floreno computatis, eamque ſummam defacto nunc eo, quo alias alibi conventum eſt, modo exolvet. Econverſo vero Sereniſſimus Rex Poloniæ prædictam Dotem recipiendo pro Contradote ſeu Donatione propter Nuptias ſimiliter ſummam centum millium Florenorum ſupradicti valoris Sereniſſimæ Reginæ CÆCILIÆ RENATÆ Sponſæ ſuæ dare, & conſtituere tenebitur, & has utrasque ſummas, tam ſcilicet Dotis, quam Contradotis in opportunis, & ſufficientibus Dominiis, Civitatibus, Oppidis, Arcibus, & Terris Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ, cum aliquot reſidentiis Reginali Maieſtate condignis, ſecundum Conſtitutiones Regni Poloniæ in proximis Regni Comitiis in bona, & debita forma inſcribere, & aſſecurare, & huiusmodi Reformationem, ſeu Inſcriptionem quantocius ad manus Cæſareæ Maieſtatis transmittere, & ad hæc curare, efficereque debebit, & tenebitur, quod omnes Dominiorum, Civitatum, Oppidorum, Caſtrorum, Terrarum, Villarum, & Bonorum inſcriptorum Capitanei, Rectores, Tenutarii, Cives præſentes, & futuri, qui ſupra dictæ Reformationi ſubiacebunt, ipſi Sereniſſimæ Reginæ CÆCILIÆ RENATÆ plenam præſtent Sponſionem, ac corporale fidelitatis Juramentum. Quod ſi Sereniſſimo Regi Poloniæ prius, quam ipſi Sereniſſimæ Reginæ CÆCILIÆ RENATAE aliquid humanitus acciderit, tunc & in eo caſu nulli alteri, niſi Maieſtati ſuae Reginali Dominia, Civitates, Oppida, Arces, Terras, Villas, & Bona ſibi inſcripta tradent, & conſignabunt, cum omnibus inde percipiendis fructibus, commodis, emolumentis, & reditibus, & quod Maieſtati ſuae in omnibus, & per omnia ſecundum Regni Leges parebunt, & obedient fideliter, & conſtanter, ita ut Sereniſſimis Poloniae Regibus obedire ſunt ſoliti, & adſtricti. Sed Tributa in Conventione Regni iuſſa ſubditi eorum locorum nihilominus cum aliis Regni Incolis conferent, Podvodasque, ut moris eſt, praebebunt, & in Caſtris in hac Dote, ac Dotalitio obligatis conſveta iudicia Caſtrenſia Capitaneorum, & Regalia celebrabuntur. Et ſi eadem bona deperdantur, aut vaſtentur, tunc Sereniſſimus Rex aliunde ſupplebit. ANNO 1637.

Inſuper permiſſum eſt, Arbitrio Sereniſſimi Regis Poloniae, ut ſecuta percopulam huius felicis Matrimonii conſummatione, Sereniſſimam Reginam Sponſam ſuam aliquo munere nuptiali, tam pro Regio ſuo honore, quam ipſius Sereniſſimae Sponſae ſuae merito remunerare poſſit, cum utrinque de ipſius Sereniſſimi Regis erga Sereniſſimam Sponſam amore, & benevolentia nihil dubitetur. Pro hoc autem munere nuptiali, ut praemittitur, deputando etiam Inſcriptio, & Aſſecuratio legitime itidem fieri debebit.

Conventum praeterea eſt, quod ſi Sereniſſima Regina CÆCILIA RENATA prior Sponſo ſuo defuncta fuerit, tunc Dos, & Donatio propter Nuptias, & munus nuptiale ad Sereniſſimum Regem, & Regnum Poloniae perpetuo devolvantur, ſine aliqua ipſius Dotis reſtitutione. Si vero Sereniſſimum Regem Poloniae praemori contigerit, Prole ex ea, quod Deus prohibeat, non ſuſcepta, vel ſi ſuſcepta fuerit, tam praemortua, quam ſuperſtite, tunc nihilominus Sereniſſima Regina CÆCILIA RENATA omnibus Terris, Diſtrictibus, Dominiis, Oppidis, & Bonis ſibi pro Dote, & Contradote, nec non munere nuptiali inſcriptis, & aſſignatis ad vitae ſuæ Vidualis tempora plenam utendi, & fruendi poteſtatem habere debeat. Poſt mortem autem ſuam praedicta centum millium Florenorum ſumma ratione donationis propter Nuptias, ſeu Contradotis ſibi donata, & Inſcripta ad Poloniae Regnum converti, & redire debebit. De alia vero centum millium Florenorum Summa Dote ſcilicet ſua, nec non de munere nuptiali praedicto, ſi eiusmodi munus fuerit, ut de eo teſtari poſſit, habeat eadem Sereniſſima Regina CÆCILIA RENATA tam in vita, quam in mortis Articulo donandi, teſtanti, & arbitrio ſuo diſponendi facultatem. Quod ſi vero de Dote, & munere huiusmodi Nuptiali nihil diſpoſuerit, tunc & Dos, & munus ipſum Muptiale, ſi tale datum fuerit, ut eius proprietas ad Maieſtatem ſuam Reginalem legitime pertineat, vel ea pars, de qua non diſpoſuerit, ad Sereniſſimae Reginae CAECILIAE RENATAE Liberos, quos poſt mortem ſuam ſuperſtites reliquerit, nullis autem ex ea progenitis Liberis poſt mortem eius extantibus ad proximos ipſius Sereniſſimae CAECILIAE RENATAE haeredes maſculos, & illis non extantibus, ad Faeminas devolvatur, eisque dictam Dotis Summam, una cum munere Nuptiali Sereniſſimi

ANNO 1637. simi VLADISLAI IV. Poloniae Regis Successores integre, vel partem aliis non donatam, aut legatam effectualiter restituere, & persolvere debeant, & teneantur. Hac expressa Lege, & Conditione, quod in casu obitus Sereniſſimae Reginae CAECILIAE RENATAE ab intestato Maiestatis suae Regalis Haeredes supradicti, in casu vero factae alicuius dispositionis persona, aut personae, illa, vel illae, cui, vel quibus Sereniſſima Regina CAECILIA RENATA donationem, vel legatum aliquod fecerit, annuos reditus certos, & integros decem millium Germanicorum florenorum supra memorati valoris, nec non id, quod ratione Muneris Nuptialis competierit, ex supradictis inscriptis, & assignatis bonis tam diu quilibet pro sua rata parte, sine aliquo defectu habere, levare, & percipere possint, donec, & quousque plene, & integre satisfacti, & contenti redditi fuerint, tam scilicet de summa dotis quam de Munere nuptiali, si tale fuerit, de quo legari possit. Conventum praeterea, & concluſum est, quod Sereniſſima Regina CAECILIA RENATA non solum Bonis, & Dominiis sibi pro Dote, Contradote, & Munere nuptiali, ut praedictum est, inscribendis, et assignandis, sed et aliis omnibus Juribus, Libertatibus, et Privilegiis, quibus caeterae Sereniſſimae Reginae Poloniae, uti, frui, gaudere, et bona huiusmodi possidere solitae sunt, utatur, iuxta Leges, & Constitutiones Regni, ita tamen, ut quae in praesenti Contractu expresse facta, & conventa sunt, firma, inconcusſaque permaneant, atque de iis, quae praefatae Sereniſſimae Reginae CAECILIAE RENATAE eiusdem Contractus vigore debentur, nihil decedat, sed omnia integre praestentur, & executioni demandentur. De aliis vero rebus, & bonis quibuscunque ad ipsam Sereniſſimam Reginam CAECILIAM RENATAM, quovis iure, & titulo hoc tempore spectantibus nihil omnino excipiendo, ita conventum, & concluſum est, quod Sereniſſima Regina CAECILIA RENATA illa omnia habeat, teneat, & possideat, tanquam res, & bona sua propria, possitque illis uti, frui, & gaudere, ac de ipsis in omni casu, & eventu, sive per liberam donationem, aut alium quemcunque Contractum inter vivos, sive causa mortis, sive per ultimam voluntatem, secundum beneplacitum suum disponere, & ordinare sine cuiusvis impedimento. Si vero Sereniſſimam Reginam CAECILIAM RENATAM e vivis decedere contigerit nulla facta de supradictis rebus, & bonis suis dispositione, vel ordinatione per contractum inter vivos, vel causa mortis, sive per ultimam eius voluntatem, aut aliter quomodocunque, tunc & in eo casu res, & bona sua huiusmodi omnia, quae tempore obitus Maiestatis suae Reginalis extare comperientur, & supererunt, ad supradictos proximiores Maiestatis suae Reginalis Haeredes masculos, & illis deficientibus Faeminas redire debeant, & ad eorundem bonorum omnimodam restitutionem Sereniſſimi Poloniae Regis Successores teneantur, & obligati sint. Verum res, & bona illa, quae Serenisſimae Reginae CAECILIAE RENATAE tempore nuptiali donabuntur, si Maiestatem suam Reginalem praemori contigerit, Sereniſſimo Regi Poloniae Marito superstiti cedant, si vero Sereniſſima Regina CAECILIA RENATA Sereniſſimo Regi Poloniae Marito supervixerit, & de illis nullam dispositionem in vita sua fecerit, tunc post illius obitum similiter ad praefatos ipsos haeredes devolvantur. Porro ea quae Sereniſſima Regina CAECILIA RENATA post Nuptias in Regno Poloniae quomodocunque acquisiverit, & comparaverit, in eo casu, quo de illis nullam ordinationem, vel dispositionem, ut praedictum est, sive in vita sua, sive in mortis Articulo fecerit, non ad ipsius Sereniſſimae Reginae CAECILIAE RENATAE Haeredes supradictos, sed ad Regnum Poloniae, & Regis Poloniae Successores pertinere, eisque remanere debeant, exceptis duntaxat iis reditibus, & bonis immobilibus, si quae ex pecunia secum in Poloniam adportata comparaverit. Caeterum praefata Sereniſſima CAECILIA RENATA de omnibus praedictis rebus, & bonis tam nunc ad eam spectantibus, quam tempore Nuptiarum, & post Nuptias acquisitis, seu acquirendis habeat, & habere debeat in omni casu, & eventu per Donationem liberam, & quemvis alium Contractum inter vivos, seu causa mortis, seu per testamentum, plenam omnimodamque secundum beneplacitum suum disponendi, & ordinandi facultatem, sine cuiusvis impedimento, & contradictione.

ANNO 1637.

Insuper concluſum est, & conventum, quod Sereniſſima Regina CÆCILIA RENATA, postquam ad Sereniſſimum Regem Sponsum deducta fuerit, tunc ante consummationem Matrimonii, Literis super ea re specialiter confectis solemniter, & expresse renuntiet Haereditati Paternae, Maternae, & Fraternae, atque Successioni Regni Hungariae, Bohemiae, *Dominiorumque quorumlibet Serenisſimae* Domus Austriacae, pro omnibus Austriacae Familiae Principibus, eorumque liberis, & Haeredibus per lineam masculinam descendentibus, salvo sibi

Anno 1637. ſibi per omnia Jure ſuccedendi in defectu maſculorum. Et hanc ipſam modo ſupraſcripto faciendam Renuntiationem Sereniſſimus Wladislaus Rex Poloniæ per ſuas ſpeciales Literas ratam habere, approbareque debeat, & teneatur, ſalvo tamen ſemper & firmo remanente Contractu unionis Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ, & Sigiſmundanæ, prout alias alibi &c. Inſuper concluſum eſt, quod ſi alter contrahentium ante conſummationem nuptialem, quod DEUS clementer avertere dignetur, e vivis excederet, tunc totus iſte Contractus, ſeu Tractatus, cum omnibus in eo contentis pro annihilato, caſſato, & enervato habeatur.

Conventum etiam eſt, quod Sereniſſimus Rex Poloniæ poſt reditum ad ſe Dominorum Oratorum ſuorum prædictorum, præſentem Contractum matrimonialem ratificare & approbare, eundemque manu ſua ſubſcriptum, & Sigillo ſuo obſignatum una cum ſupradictæ Renuntiationis ratificationis Literis in manus Commiſſariorum Maieſtatis Cæſareæ ad hoc ſpecialiter deputatorum conſignare debeat.

Poſtremo conventum eſt, quod Sereniſſimus Princeps Casimirus Princeps Poloniæ, & Sveciæ vigore Mandati ſpecialis ſibi a Sereniſſimo Vladislao Quarto Poloniæ, & Sveciæ Rege Fratre Chariſſimo ſub die vigeſima Sexta Menſis Junii, qui proxime præteriit, traditi, & Maieſtati Cæſareæ exhibiti, cum primum omnia inter partes præſcriptis modis acta, & tranſacta iam ſint, illico Sereniſſimi Vladislai Quarti Regis Poloniæ nomine cum prædicta Sereniſſima Regina Cæcilia Renata ſponſalia, per verba de præſenti contrahere, omniaque in his rebus fieri ſolita, & conſveta exequi debeat, ac teneatur, aut Serenitate ſua quavis occaſione impedita, alter ex memoratis Dominis Regiis Oratoribus & Legatis, nempe Illuſtriſſimus *D*ominus Gaſpar Comes a *D*enhoff, Palatinus Siradienſis vigore ſimilis Mandati ſub die decima ſexta Julii proxime elapſi a Sereniſſimo Rege ipſi conceſſi, idem perficere teneatur.

Huius vero Contractus Matrimonialis dabitur Nobis ex parte Sereniſſimi Poloniæ, & Sveciæ Regis a ſupradictis Dominis Regiis Oratoribus, & Legatis ſuis reciprocum, ac ſimile Exemplum. In quorum omnium fidem, & teſtimonium, & corroborationem præſentes Literas manibus noſtris ſubſcripſimus, & Sigillis noſtris communiri fecimus. Datum Viennæ in Aula Cæſarea die nona Auguſti, Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo trigeſimo ſeptimo.

C. Anno 1637.

Ferdinandi III. *Imp. Pactorum eorundem Approbatio. Ratione duarum Dotium* Annæ, & Constantiæ *necdum a Domo Auſtriæ ſolutarum, tum quod attinet ad ſummam trecentorum millium florenorum Rhenenſium, quam Pater eius* Ferdinandus II. *Imp. a Rege Poloniæ mutuo acceperat, Dominium Wittengau in Regno Bohemiæ ſitum in ſumma quadringentorum millium florenorum Rhenenſium* Vladislao IV. *obligat, cui etiam hypothecæ Dotem* Cæciliæ Renatæ *ſupponit. Cætera.* Dat. Viennæ die 10 Auguſti Anno 1637. *Ex Originali.*

Nos Ferdinandus III. Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ. Comes Tyrolis & Goritiæ, &c. recognoſcimus, & teſtatum facimus pro Nobis, & Hæredibus, ac Succeſſoribus noſtris, Significantes tenore Præſentium, quibus expedit univerſis. Quod cum Nos tanquam Auguſtæ memoriæ Sereniſſimi Principis, ac Domini, Ferdinandi II. Electi Romanorum Imperatoris, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Regis, Archiducis Auſtriæ, &c. Domini, & Genitoris noſtri Chariſſimi, Filius natu maior, & univerſalis Hæres, ex Pactis & Conditionibus cum Sereniſſimo Principe Domino Vladislao Quarto Dei Gratia Rege Poloniæ, Magno Duce Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Czerniehoviæque, nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rege Hæreditario &c. Conſobrino, Vicino, Fratre, & affine noſtro Chariſſimo, per certos noſtra ex parte Commiſſarios & ex altera per Reverendum, & Illuſtrem Joannem Lipſki de Lipie Epiſcopum Culmenſem, & Pomeſaniæ, & Gaſparum a Denhoff Comitem Palatinum Siradienſem, Legatos & Oratores ad Nos a dicto Sereniſſimo Poloniæ, & Sveciæ Rege miſſos die heſterna initis, nomine Sereniſſimæ Principis, Dominæ Cæciliæ Renatæ, Poloniae & Sveciae Re-

ANNO 1637. Reginae, Magnae Ducis Litvaniae, Hungariae, & Bohemiae Principis, Archiducis Auſtriae, &c. Coniugis ſuae, ac Sororis noſtrae Chariſſimae, in dotem centum millia Florenorum Rhenenſium, Sexaginta Cruciferis bonae, & uſualis monetae Germanicae pro quolibet Floreno computatis, aſſignaverimus. Et praeterea etiam eidem Sereniſſimo Poloniae, & Sveciae Regi, uti & Sereniſſimis ſuis Fratribus, ac Sorori, ratione duarum *D*otium pro felicis recordationis Matribus ſuis, quondam Sereniſſimis Poloniae Reginis ANNA, & CONSTANTIA, amitis noſtris Chariſſimis necdum ſolutarum, alia nonaginta millia Florenorum eiuſdem valoris, nec non & alia trecenta millia florenorum ſimilis quoque valoris, quae ante aliquot annos praememoratae Caeſareae Maieſtati, Domino, & Genitori noſtro Clariſſimo, mutuo data ſunt, debeamus; adeoque a praedictis ipſius Sereniſſimi Poloniae & Sveciae Regis Oratoribus ſummo cum ſtudio, ac multiplicibus adductis rationibus ferventer, & iterato actum ſit, ut credita & obligationes praefatae, Principatu, aut Dominio, vel ſtatu aliquo compenſarentur, ſimulq; eo ipſo Dos auctior, pro Sereniſſima Sorore noſtra decerneretur. E contra vero tales, & tam praegnantes noſtra ex parte obſtiterint rationes, ob quas petitioni huic, abſque Succeſſorum noſtrorum, atque Auguſtae noſtrae Auſtriae Domus evidenti, & graviſſimo incommodo, et praeiudicio clementer annuere non poteramus. Idcirco eam, quam praeſens rerum Status admittit, ſatisfactionem benevole praeſtare, propenſumque noſtrum, quem erga Chariſſimam Sororem noſtram, Sereniſſimam Reginam, ac totam Sereniſſimam Domum Regiam Sigiſmundanam gerimus affectum, teſtari volentes, ex certa noſtra ſcientia, animoque bene deliberato, declaravimus Nos, ac promiſimus, hiſceque Praeſentibus declaramus, et promittimus, quod Sereniſſimae et Chariſſimae Sorori noſtrae, Reginae CÆCILIÆ RENATÆ, ad eius dies vitae, a Sereniſſimo Hiſpaniarum Rege Catholico, Conſobrino, Affine, et Fratre noſtro Chariſſimo penſionem duodecem millium Florenorum Rhenenſium annuatim perſolvendam, et hic Viennae ſine procraſtinationibus, et diſpendioſis miſſionibus numerandam, intra unius anni ſpatium, a data harum, quantum in Nobis erit, procurabimus. Quod ſi vero hoc non obtineremus, ſpondemus, atque obligamus Nos, eandem Dotem centum millium Florenorum unius anni curriculo proximo, ſine ulteriori mora, vel dilatione realiter numeraturos, atque ut tam ſupradictarum Summarum, quam etiam huius Dotis nomine, tum ipſi Sereniſſimo Regi Poloniae, et Sveciae, tum etiam chariſſimae *S*orori noſtrae, plenius cautum ſit, praeſenſque Tractatus peculiari aſſecuratione ſtabiliatur, ac firmetur, Civitatem ac totum Dominium noſtrum Wittingau, in Regno noſtro Bohemiæ ſitum, cum omnibus Jurisdictionibus, Juribus Patronatus, ſi quæ eidem ſunt connexa, Arcibus, Pagis, Villis, Subditis, Servitutibus, Poſſeſſionibus, Cenſibus, Proventibus, Fructibus, Reditibus, Sylvis, Paſcuis, Nemoribus, Montibus, Vallibus, Venationibus, Aquis, fluviis, aquarum decurſibus, piſcationibus, molendinis, et molendinorum locis, ac univerſis Terris arabilibus, cultis, et incultis, et quibuslibet utilitatum integritatibus, quibuſcunque vocabulis nuncupentur, et cum cæteris quibuſvis Juribus, et conſvetudinibus, iis ſolum, de quibus infra, exceptis memorato Sereniſſimo Poloniæ, et Sveciæ Regi, Domino VLADISLAO Quarto, Sereniſſimis fratribus eius, et Sorori, pro ſupradictis Quadringentorum millium Florenorum Rhenenſium ſummis, et etiam huius conſtitutæ Dotis nomine, centum videlicet millium Florenorum itidem Rhenenſium, quamdiu eadem realiter perſoluta non fuerit, pignori et hypothecæ ſuppoſuimus, eoque nomine, et Jure, ipſis benevole aſſignavimus, et obligavimus, prouti vigore Praeſentium ſupponimus, aſſignamus, et obligamus, iis ſcilicet Legibus et Conditionibus, uti ſequitur. Videlicet ut dicta *C*ivitas et Dominium Wittingau, omniaque eius Jura et pertinentiæ cum pleno uſu, fructu, præfatæ ipſius Sereniſſimi Poloniæ & Sveciæ Regis Coniugi ac Sorori noſtræ Chariſſimæ CÆCILIÆ RENATÆ ſtatim ab hoc tempore ad vitæ ſuæ dies irredimibiliter, in poſſeſſionem tradatur, ita ut ſi caſus aliquis tulerit, ipſa ibidem pro beneplacito ſuo perſonaliter reſidere, & vel per ſe, vel per adminiſtratores ſuos gubernare, adminiſtrare, fructuſque plene percipere poſſit, ac debebit, ad rationem quinque per centum videlicet, ita, ut annuatim viginti quinque millia conficiant, reſpectu nimirum conſtitutæ Dotis, & aliarum iam ſupradictarum ſummarum, ſi nimirum ſupradicta annua penſio non ſubſequatur, ea vero obtenta ſolum ad viginti millia annuatim, in tantum, quod ſi hæc bona, iam dicto annuo cenſui non ſufficerent, vel per hoſtem aut militem, aliove caſu fortuito vaſtarentur, aliunde ſatisfacere, atque

Anno 1637. omnem defectum ſupplere velimus. Poſt ipſius vero Sereniſſimæ Reginæ Cæciliæ Renatæ mortem, Nobis ac cæteris Bohemiæ Regibus, Legitimis Hæredibus, & Succeſſoribus noſtris, poteſtas competat, perſolutis iam ſæpe ſupradictis Summis, reluendi, atque redimendi, ita tamen, ut quamdiu eædem Summæ, realiter & integre perſolutæ non fuerint, Sereniſſimus Rex, eiuſque ac etiam Sereniſſimæ Reginæ Succeſſores, eandem poſſeſſionem continuare, ac Dominium hoc eodem modo & Jure tenere, & poſſidere cum omnibus fructibus & emolumentis poſſint, ac valeant, donec ipſis plene ſatisfactum, atque perſolutum fuerit.

Miniſtri omnes, Officiales, & ſubditi in hoc *Dominio* ſint, & eſſe intelligantur in ſubiectione, & fidelitate eiusdem Sereniſſimæ Reginæ Caeciliae Renatae eo modo, quo alii Miniſtri, Officiales, & ſubditi per Regnum Bohemiæ in aliorum Vaſallorum, & Statuum noſtrorum fidelitate, & ſubiectione eſſe noſcuntur, ſecundum Regni Conſtitutiones, & Ordinationes, ſalvis tamen eorundem Civium & ſubditorum particularibus Juribus, Privilegiis, Libertatibus, & Immunitatibus, nec non rationabilibus Conſvetudinibus, quae a Nobis et Maioribus noſtris Regibus Bohemiæ, huc usque legitime obtinuerunt. Sereniſsima quoque Regina Soror noſtra charisſima eam circa conſtituendos iam dictos Officiales, & Miniſtros, tempore abſentiæ ſuæ maxime principales inibit rationem, ut tales ſemper eligantur, et adhibeantur, qui Nobis, et Regno noſtro non ſint ingrati aut oneroſi. Praeterea et illud cavebitur, ne aliqua nova ibidem conſtruantur aedificia, aut tales inſtituantur melioratione, quæ Summam centum Florenorum excederent, et pro quibus reluitionis tempore aliqua poſsit praetendi refuſio, vel retentio, maxime ſine noſtro, noſtrorumque Succeſſornm præſcitu, aut beneplacito. Reſervamus autem, et excipimus Nobis, Haeredibus, et Succeſſoribus noſtris Bohemiae Regibus, ſupremam Superioritatem, praecipue vero Jus imponendi, et tenendi Praeſidii, ſi quod neceſſarium foret, ſine damno tamen horum Bonorum, et diminutione fructuum. Item et alia, quae Religionis, et Regni conſervationem concernunt, extremam praeterea prorogationem, appellationes confiſcationes, theſauros, fodinas, quae noviter reperirentur, viarum publicarum Jura, et Steuras, caeterasque impoſitiones, maxime vini, et cereviſiae, ac alias contributiones et communia Regni onera, uti et reliqua maiora Regalia, et praeeminentias. Ipſe vero Sereniſsimus Poloniae, et Sveciae Rex Vladislaus vicisſim Obligatione, et Hypotheca iſta acceptata Sereniſsimis ſuis Fratribus, et Sorori pro portionibus in dicta Summa quadringentorum millium florenorum ipſis competentibus, cuilibet eorum ſatisfaciet, cavebitque Nobis, ac Hæredibus noſtris, & Succeſſoribus, de indemnitate, nec non ipſa Sereniſſima Regina *Co*niunx eius peculiaribus Reverſalibus coniunctim promittent, ſe omnia ſupradicta, rata, & & grata habere, ac ſingula, quæ ipſarum Serenitates concernunt, firmiter obſervaturas. Et denique ut eidem Sereniſſimo Poloniæ Regi, & omnibus intereſſe habentibus, noſtra quoque ex parte tanto amplius, ſecuriusve cautum ſit, ſerio committemus, ut hæc noſtra declaratio, promiſſio, & Dotis ac Hypothecæ aſſignatio, & obligatio quamprimum in tabulas Regni noſtri Bohemiæ inſerantur, & inſcribantur ſub fide & verbo noſtro Cæſareo, Regio, & Archiducali. Quam fraternam noſtram, ac beneficæ voluntatis teſtificationem erga Sereniſsimum Regem ac Reginam, univerſamque Sereniſſimam Sigismundanam Lineam, etſi grato ac lubenti animo ipſum Sereniſsimum Regem accepturum perſvaſum habeamus, prædictis tamen eius Oratoribus rem integram ad ipſius Serenitatem recipientibus Nos quoque declarationem huiusmodi ſubiungimus, ſi intra trium ſpatium menſium Sereniſſimo Regi non placuerit hanc Hypothecam, & Dotis, debitarumque ſummarum aſſecurationem, præinſertaque omnia non acceptare, Nos Dotem quidem Nomine Sereniſſimæ Reginæ in Pactis matrimonialibus expreſſam, intra annum a data eorundem Pactorum computando duabus ratis perſoluturos, Summas vero debitas omni meliori modo cum cenſu annuo ab iisdem aſſecuraturos, vel parata pecunia exſoluturos, aut alia ratione, prout conventum fuerit, compenſaturos. In cuius rei teſtimonium has noſtras Literas propria manu ſubſcripſimus, & Sigillo noſtro Cæſareo muniri iuſſimus. Datum in Civitate noſtra Viennæ die decima Menſis Auguſti Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo, Regnorum noſtrorum Romani primo, Hungarici duodecimo, Bohemici vero decimo.

FERDINANDUS.

*Joannes Mathias*
*Prikelmeyr.*

*Ad Mandatum Sacræ Cæſareæ Maieſtatis proprium.*

CI.

ANNO 1638.

CI.

*Dotis, Contradotis, seu Donationis propter Nuptias, tum & Muneris nuptialis Sereniſſimæ Dominæ* CÆCILIÆ RENATÆ *Poloniæ, & Sveciæ Reginæ in Bonis infra nominatis Aſſecuratio.* Dat. Varſaviæ in Conventione Regni Generali d. 30. Aprilis. Anno 1638. *Ex Archivo Regni Lib. 152. Num. 153. fol. 141. Item Lib. 151. Num. 152. fol. 40.*

VLADISLAUS IV. Dei Gratia Rex Poloniæ, M. Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviae, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Czernichoviæque, nec non Svecorum, Gothorum, Vandalorumq; hæreditarius Rex, ad perpetuam rei memoriam notum, teſtatumq; facimus, ad quos præſentes Literae noſtrae devenerint, huius & futuri temporis univerſis, & ſingulis. Cum, quod felix, fauſtumque ſit, Nobis, Regnoq;, & Ditionibus noſtris a *Sereniſſimo*, & Excellentiſſimo Principe, Domino FERDINANDO III. Divina favente Clementia Electo Romanoum Imperatore ſemper Auguſto, nec non Germaniae, Hungariae, Bohemiae Rege, Serenisſima Princeps Domina CAECILIA RENATA Serenisſimi nuper defuncti FERDINANDI II. Rom. Imperatoris Filia, eiusdem *Caeſa*reae Maieſtatis Soror germana, Nomine eiusdem Sacrae Caeſareae Maieſtatis per Legatos noſtros publice, diligenterq; id Nobis petentibus in Matrimonium collocata fuiſſet, interque alias conditiones Matrimonii eius, quae Pactis nuptialibus expreſſae fuerunt, Dos iam certa Nobis conſtituta, & in ſpecificatis Bonis, Principatu videlicet Vittingavienſi in Regno Bohemiae ſito, quaèque ei connexa ſunt, videlicet Arcibus, Pagis, ſubditis inſcripta, & aſſecurata ſit, vicisſim Nos commemoratae Serenisſimae Coniugi noſtrae ſimilem ſummam ratione Contradotis, ſeu Donationis propter Nuptias aſsignaremus, & conſtitueremus, & utrasque haſce ſummas, tam ſcilicet Dotis, quam Contradotis, ſeu Donationis propter Nuptias idoneis Locis, Dominiis, *Civitatibus*, Oppidis, Arcibus, & Terris Regni Poloniae, & Magni Ducatus Litvaniae ſecundum *Conſtitutiones* Regni Poloniae in praeſentibus Regni Comitiis idonee inſcriberemus, obligaremus, caveremusque, conveniſſet, quemadmodum aliis in rebus Pactis iſtis conventis ſatisfacere, tum amorem noſtrum, quo Serenisſimam *Coniugem* noſtram proſequimur, quocunque benevolentiae genere notum, teſtatumque omnibus eſſe cupimus, ita ut haec quoque conditio quam primum a Nobis expleretur, ſedulam, diligentemque operam dedimus, & iam praeſentibus Comitiis omni in id ſtudio incubuimus, ut quanti & dignitas Sereniſſimae Domus Auſtriacæ, & Serenisſimae *Coniugis* noſtrae virtus ſummis Principibus digna per omne hoc tempus Matrimonii publice omnibus ſpectata a Regni noſtri, & Magni Ducatus Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae &c. Ordinibus aeſtimaretur, teſtaremur eandem pariter fidem, atque obſervantiam, quam Maiores eorum Serenisſimis Maioribus noſtris Regibus Poloniae conſtantiſſime cum inſigni huius Inclytae Nationis laude ſemper praeſtiterunt, Nobis quoq; Serenisſimaeque Coniugi noſtrae teſtificarentur, non modo conditionem eam de Reformatione facienda a Nobis acceptam approbarunt, ratamque habuerunt, verum certa etiam Loca, Civitates, Oppida & Arces, Knyſinum nimirum, cum Goniądz, ſylvaque Knyſinenſi, & Praefectura ſylvarum Goniądzenzi, Niepołomice cum Rudno, & Sierosławice, Krzeczow, Camenecum Maſoviae cum ſylva Obryńſka, Sytna, Zawiſzyn, & Jadow, Staniſlawow, Tykocinum cum praefectura ſylvarum ibidem, Surazum, Wiſniovum, Kapinoſum, Wilkow, Młodzieſzyn, Kazoń, & Grocholice, Uſcie, Pilam cum Tarnowo, Brodnicam, Golubium, Tucholam cum ſylva Lopienko, Bobroyſk in Litvania, Luzburgum, Novam Wolam, Sokołkam, Kamienna, Chodorowſkam, Przerośl cum Praefecturis ſylvarum, Siemno, & Metole, cum omnibus pertinentiis, & Prædiis, Jureque Patronatus in omnibus hiſce bonis liberaliſſime aſſignarunt, utque eadem in ſumma centum millium florenorum Dotis iam memoratæ, paremque ſummam Contradotis, ſeu Donationis propter nuptias ſalvis Juribus modernorum Poſſeſſorum obligaremus, & aſſignaremus, publica praeſentium Comitiorum authoritate permiſerunt, & conſtituerunt. Cui conſenſui, authoritatique Ordinum, tum etiam Pactis Matrimonialibus cum Sacra Cæſarea Maieſtate initis Nos innitentes, ſupra memoratam ducentorum millium florenorum Summam, centum nimirum millium Dotis, & ſimilem *Contradotis* inſupra recenſitis Civitatibus, Oppidis, Caſtellis, & Terris cum conſilio, conſenſu, ſcituque omnium Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ Ordinum inſcribimus, obligamus, eidemque Sereniſſimæ Reginæ Coniugi noſtræ damus, donamus, veræque Hypothecæ nomine oppignoramus, volumusque, ut omnes ſupra commemoratorum Domi-

ANNO 1638. niorum, Civitatum, Oppidorum, Caſtrorum, Terrarum, Villarum, & Bonorum inſcriptorum Rectores, Conſules, Cives, Advocati, & ſubditi ipſi Sereniſſimæ Dominæ CAECILIAE RENATAE Coniugi noſtræ Chariſſimæ ſpondeant, & fidem atque obedientiam promittant. Quod ſi Deo Optimo Maximo ita forte diſponente prius Nobis, quam Sereniſſimæ Coniugi noſtræ humani aliquid acciderit, caſu eo nulli alteri, quam Serenitati eius Civitates, Oppida, Caſtra, Arces, Villas, Terras eas cum omnibus inde percipendis fructibus, commodis, emolumentis, & reditibus, ſeque adeo ipſos tradent, conſignabuntque, Serenitatique eius in omnibus, & per omnia ſecundum Regni leges fideliter, & conſtanter parebunt, & obedient. Tributa tamen in Conventibus Regni Publicis ſancita, & indicta cum aliis Regni Incolis nihilominus conferant, Podvodasque, ut moris eſt, præbeant. Et quoniam inſuper munus nuptiale aliquod noſtro arbitrio, atque voluntate iis Pactis Matrimonialibus permiſſum eſt, ut amorem noſtrum, quo ob ſingulares eius virtutes, atque in Nos obſervantiam, merito Sereniſſimam Coniugem noſtram complectimur, hac etiam re declararemus, ſeparatim duo millia aureorum Hungaricalium auri puri, proventus annui in Zuppis Vielicenſibus eidem Sereniſſimæ Reginæ Coniugi noſtræ damus, donamus, aſſignamus, tribuimusque eisdem Literis noſtris. Quas quidem ſummas Dotis, & donationis propter nuptias, tum muneris nuptialis, eidem Sereniſſimæ Reginæ CAECILIAE RENATAE Coniugi noſtræ inſcripſimus, & obligavimus, inſcribimus, & obligamus, ea lege, & conditione, ut ſi Serenitatem ſuam prius, quam Nos ex hac vita decedere contigerit, tam Dos, & donatio propter nuptias, quam munus nuptiale ad Nos, Regnumque noſtrum irrevocabiliter devolvantur, ſine ulla Dotis eiusdem reſtitutione. Si vero id prius Nobis accidat, tum vel Prole ex ea ſuſcepta, morte (quod Deus avertat) ſublata, vel etiam eadem aut alia Prole ſuperſtite, commemorata Sereniſſima Coniux noſtra Regina omnes Terras, Diſtrictus, Dominia, Civitates, Oppida, Bona in Dotem & Contradotem, tum etiam Munus nuptiale, ſupra a Nobis obligata, & inſcripta, cum omnibus eorum reditibus, cenſibus, iuribus, cum aliis, tum etiam Patronatuum Eccleſiarum, omnibus denique commodis, emolumentis, & utilitatibus, attinentiis, Dominio, & Jurisdictione, in poteſtatem, poſſeſſionemque ſuam accipere, eadem pro ſuo arbitrio adminiſtrare poterit, & debebit ad extrema usque vitæ ſuæ vidualis tempora, ANNO 1638. iisdem utendi, fruendi, ſecundum hanc præſentem obligationem de eis diſponendi, fructusque, commoda, emolumenta, utilitates, omnesque reditus ex iis percipiendi, & in uſus ſuos convertendi, plenam, integeramque poteſtatem habebit. Ita tamen ut in Caſtris, & Præfecturis non niſi Indigenæ Nobiles Regni, Ducatuum Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, &c. cæterorumque Dominiorum illis adiunctorum, prout quæque Præfectura in aliqua Provincia ſita eſt, a Serenitate ſua collocentur, habeanturque. Atque illud quidem, ſi permanſerit in viduitate, ſi autem forte ad ſecunda vota tranſierit, tum ducentis millibus florenorum Dotis, & Contradotis a Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris ei perſolutis, ita nimirum ut duæ partes eius Summæ ex Regno Poloniae, tertia ex Magno Ducatu Litvaniae ſolvantur, cautione de centum millibus Contradotis poſt mortem eius reſtituendis, ab illa praeſtita, & interpoſita, ea Bona mox libera dimittere, inque Poſſeſſionem Succeſſorum noſtrorum tradere rurſus tenebitur. Poſt mortem vero eius, ſive in viduali ſtatu permanſerit, ſive ad ſecunda vota tranſierit, praedicta centum millium florenorum ſumma Donationis propter nuptias, ſive Contradotis, ad Poloniae Regnum, Magnum Ducatum Litvaniae redibit, & devolvetur. De alia vero centum millium florenorum ſumma, Dote nimirum ſua, quemadmodum, & de iis, quae ex munere nuptiali percipiet, perceperitque, liberum integrumq; ei erit, tam in vita, quam mortis articulo pro ſuo arbitrio diſponere, teſtarique, eadem donare, legare, in quoſcunque denique, quos ei viſum fuerit, uſus convertere. Inteſtata vero ea mortua, Dos caeteraque, quae ſupra commemorata ſunt, vel ea pars, de qua non diſpoſuerit, ad Liberos eius, quos morte ſua ſuperſtites reliquerit, aut Liberis nullis extantibus ad proximos eiusdem Sereniſſimae Reginae Coniugis noſtrae Maſculos, aut ne illis quidem extantibus, Faeminas devolventur. Quibus ſupra commemoratam Dotis ſummam Sereniſſimi Succeſſores noſtri, aut Ordines Regni Poloniae, Magni Ducatus Litvaniae integram, vel partem aliis non donatam, legatamve effectualiter reſtituere, & perſolvere debebunt, tenebunturque. Ita nimirum ut duae eius partes ex Regno noſtro Poloniae, adiunctisque ei Ditionibus, tertia pars ex Magno Ducatu Litvaniae praeſtetur, hac expreſſa adiuncta lege, & conditione, ut in caſu obitus commemoratae Sereniſſimae Coniugis noſtrae, ab inteſtato Sere-

nitatis

ANNO 1638. nitatis eius Haeredes ſupradicti, in caſu autem factae alicuius diſpoſitionis Perſonae, vel Perſona, illae, vel illa, cui, vel quibus eadem Sereniſſima Coniux noſtra aliquid vel inter vivos donaverit, vel teſtamento reliquerit, annuos reditus certos, & integros quinque millium florenorum ex ſupradictis inſcriptis, & aſſignatis bonis, tam diu quilibet pro ſua rata parte ſine aliquo defectu habere, levare, & percipere poſſint, donec, & quousque plene, & integre illis, aut cuilibet eorum, quod obvenire eis debeat, ſolutum, & tam ſcilicet de ſumma Dotis, quam aliis, quæ ſecundum inſcriptionem hanc debebuntur, ſatisfactum iisdem ſit. Non ſolum autem Bonis, & Dominiis in Dotem, Contradotem, & munus nuptiale ſupra ei inſcriptis, obligatiſque, ſed & aliis omnibus Juribus, Libertatibus, & Privilegiis eo modo utetur, fruetur & gaudebit, quo Sereniſſimæ Reginæ Poloniæ unquam ab antiquo iuxta Leges, & Conſtitutiones Regni, uti, frui, gaudere, Bonaque eiuſmodi poſſidere ſolitae fuerant. Neque ulla in re deteriori conditione erit, quam qua Anteceſſores ipſius Reginæ Poloniæ gaudebant. Ita tamen ut nihil hac generalitate derogatum velimus iis, quæ Literis hiſce nominatim conſtituta, præſcriptaque ſunt. Deque iis nihil omnino Serenitati eius decedat; ſed omnia integre præſtentur, executionique mandentur. Atque hæc quidem omnia & ſingula verbo noſtro Regio, & ſub cautione, obligationeque in ipſis Pactis matrimonialibus ſeu literis Tractatus eius comprehenſa, adeoque Senatus noſtri Conſilio, & Conſenſu Publico, Comitiorum horum authoritate accedente integre, & inviolabiliter Nos, Succeſſoreſque noſtros obſervaturos, noſtro, Succeſſorumque noſtrorum Regum Poloniæ, & Magnorum Ducum Litvaniæ nomine recipimus, promittimus, & bona fide, dolo & fraude omni remotis ſpondemus. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium haſce manu noſtra ſubſcripſimus, Sigilliſque Regni noſtri & Magni Ducatus Litvaniæ obſignari mandavimus. Datum Varſaviæ in Conventione Regni Generali die XXX. Menſis Aprilis, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo octavo. Regnorum Noſtrorum Poloniæ, & Sveciæ Sexto Anno. Præſentibus Reverendiſſimo, Reverendis, Illuſtribus, Magnificis, Generoſis, Venerabilibus, Nobilibus: Joanne Wężyk Archiepiſcopo Gneſnenſi Legato Nato, & Regni noſtri Primate. Jacobo Zadzik Cracovienſi. Mathia Łubieński Cuiavienſi, & Pomeraniæ. Andrea Szoldrſki Poſnanienſi, Stanislao Lubieński Plocenſi, Nicolao Szyſzkowſki Varmienſi, Petro Gębicki Præmislienſi Regni Cancellario, Paulo Piaſecki Camenecenſi, Epiſcopis; Stanislao de Koniecpole Koniecpolſki Caſtellano Cracovienſi, Exercituum Regni Generali, Chriſtophoro de Bnin Opaliński Poſnanienſi, Sremenſi Capitaneo, Gaſparo Denhoff Siradienſi, Laiſcenſi, Beleslavienſi Capitaneo, Maximiliano Przerębſki Lancicienſi, Curiæ Sereniſſimæ eiuſdem Coniugis noſtræ Præfecto, Stanislao Potocki Podoliæ, Halicienſi Capitaneo, Alexandro Korwin Gąſiewſki Smolenſcenſi, Vielizenſi Capitaneo, Stanislao Warſzycki Maſoviæ, Melchiore Weiher Culmenſi, Valcenſi, & Słuchovienſi Capitaneo, Samuele Konarſki Mariæburgenſi, Paulo Działyński Pomeraniæ, Bratianenſi Capitaneo, Palatinis; Adamo Kazanowſki Sandomirienſi, Cubiculi noſtri Præfecto, Petro Szyſzkowſki Woinicenſi, Joanne Szczawiński Breſtenſi, Lancicienſi Capitaneo, Joanne Łowicki Iunivladislavienſi, Nicolao Herbort a Fulſtyn Camenecenſi, Skalenſi Capitaneo, Maſſalſki Smolenſcenſi, Stephano Grzybowſki Lublinenſi, Marco Wodyński Podlachiæ, Valentino Plichta Ravenſi, Erneſto Magno Donhoff Parnavienſi, Adamo Grodziecki Medirecenſi, Stephano Gembicki Rogoznenſi, Samuele Słupecki a Konary Radomienſi, Chriſtophoro Sułowſki, Zarnovienſi, Sebaſtiano Wołucki Małogoſtenſi Ravenſi Capitaneo, Feliciano Grochowſki Præmislienſi, Petro Charbicki Brezinenſi, Joanne Caſimiro Kraſińſki Varſavienſi, Adamo Noſkowſki Goſtinienſi. Sieciemſki Viſſogrodienſi, Petro Zabicki Livenſi, Przedwoiewſki Lubaczovienſi, Paulo Warſzycki Konarienſi, per Lanciciam, Caſtellanis; Luca de Bnin Opaliński Supremo Regni noſtri Marſchalco, Lezaiſcenſi, Rhubieſzovienſi, Łoſicenſi, Gieranovienſi Capitaneo, Alberto Stanislao Radziwiłł Cancellario Magni Ducatus Litvaniæ, Georgio a Tenczyn Oſſoliński Regni Vice-Cancellario, Bydgoſtienſi, Lubaczovienſi Capitaneo, Stephano Pac Vice-Cancellario Magni Ducatus Litvaniæ, Prænenſi Capitaneo, Joanne Nicolao a Zurow Daniłowicz Supremo Regni Theſaurario, Præmislienſi, Samborienſi, Ratinenſi, Korſunenſi, Collenſi Capitaneo, Nicolao Tryżna Theſaurario Magni Ducatus Litvaniæ, Stanislao Przyiemſki Curiæ Regni Marſchalco, Capitaneo Generali Maioris Poloniæ, Nicolao Alberto de Olexow Gniewoſz Secretario Maiori

ANNO 1638. iori Regni, eiuſdem Sereniſſimæ Coniugis noſtræ Cancellario, Jacobo Wierzbięta Doruchowſki, Remigiano Zaleſki Regni Referendariis, Martiano Tryżna Magni Ducatus Litvaniæ Referendario, Maximiliano a Tenczyn Oſſolińſki Curiæ Regni noſtri Theſaurario, Mariæburgenſi, Biecenſi Capitaneo, Januſsio Radziwiłł Cubiculi noſtri in Litvania *Præfecto*, Jacobo *Sobieſki Pocillatore* Regni, Craſnoſtavienſi, Javorovienſi Capitaneo, Nicolao ab Oſtrorog Inciſore dapum Regni, Rohatinenſi Capitaneo, *Petro* Daniłowicz Dapifero Regni, Krzemienecenſi Capitaneo, Gedeone Tryżna Inciſore dapum in Litvania, Breſtenſi Capitaneo, Chriſtophoro Gębicki Subdapifero Regni, Gneſnenſi Capitaneo, & aliis quam plurimis Officialibus, Aulicis & Nuntiis ex Omnibus Terris & *Palatinatibus* Regni, & Magni Ducatus Litvaniae, ad praeſentia Comitia Congregatis.

VLADISLAUS REX

*Nicolaus Albertus Gniewoſz*
*Secretarius Maior*

CII.

1657. LEOPOLDI *Hungariæ, & Bohemiæ Regis Literæ plenæ poteſtatis Commiſſariis ſuis datæ ad concludendum Fœdus inter ſe, &* JOANNEM CASIMIRUM *Regem & Regnum Poloniæ.* Dat. Viennæ die 24 Aprilis Anno 1657. *Ex Archivo Regni.*

NOS LEOPOLDUS DEI Gratia Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, &c. Rex, Archidux Auſtriae, Dux Burgundiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae, & Wirtembergae, Comes Tyrolis &c. Agnoſcimus, & notum facimus Univerſis, quorum intereſt per Præſentes, quod apud quondam Sereniſſimum, & Potentiſſimum Principem, ac Dominum, Dominum FERDINANDUM III. Electum Rom: Imperatorem ſemper Auguſtum, nec non Hungariæ, & Bohemiæ Regem, Archiducem Auſtriæ, Dominum Patrem noſtrum colendiſſimum glorioſæ memoriæ, Sereniſſimus Princeps Dominus JOANNES CASIMIRUS Rex Poloniæ, & Sveciæ, Magnus Dux Litvaniæ, ac Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæque Avunculus, & Frater noſter Chariſſimus, Regnumque Poloniæ, & Magnus Ducatus Litvaniæ iam ab aliquot Annis per diverſos tam ſolennes Legatos, quam alias Perſonas, ex antiquorum inter dictam Sacram Cæſaream Maieſtatem, noſtroſque Anteceſſores ex una, ac dictum Sereniſſimum Regem, Eiuſque item Anteceſſores, Reges, Regnumque Poloniæ, & Magnum Ducatum Litvaniæ ex altera parte exiſtentium Fœderum, ac Pactorum Lege, ſibi tam internis turbis, quam externis bellis graviter laborantibus auxilium ferri petiiſſent, ac tandem re multum, diuque deliberata, prima Decembris Anni proxime præteriti 1656. inter dictæ Sacræ Cæſareæ Maieſtatis cum plena facultate ad hoc deputatos Commiſſarios, ac memorati Sereniſſimi Regis, & Regni Poloniæ, atque Magni Ducatus Litvaniæ Plenipotentes Legatos, certa quædam Conventio, ſive Fœdus initum, ac inter alia pactum fuerit, quod Maieſtas ſua Cæſarea certum numerum pedeſtris militiæ ex ſuis dimittere, & ſub ſigna Polonica concedere, ſtatuto tempore debebat permittere. Porro autem creſcentibus ſubinde ex novorum acceſſione hoſtium dicti Regis, Regnique Poloniae, tam machinationibus, quam eorundem periculis, idem Sereniſſimus Rex & Regnum Poloniae, & M. D. L. per Legatum ſuum extraordinarium Illuſtrem ſincere Nobis dilectum, Boguslaum Comitem in Leſzno, Supremum Theſaurarium Regni *Poloniae*, Maioris *Poloniae* Generalem, Miedzyrzecenſem, Oſtrenſem, & Oſiecenſem Gubernatorem, tum apud dictum Colendiſſimum Dominum *Patrem* noſtrum, quam Nos ipſos dicta auxilia augeri, & periculis avertendis adaequari, etiam atque etiam inſtiterint, Nos benigne, pleneque confiſi de ſpectata fide, rerum uſu, & prudentia Illuſtriſſimi Joannis Weithardi Ducis Munſterburgenſis in Sileſia *S.* R. Imp: *Principis* ab Aveſperg, Comitis in Gothſhec, & Welo, Domini in Schon & Schviſenberg, Equitis Aurei Velleris, Sacrae quondam Caeſareae Maieſtatis, & dilectiſſimi Domini Genitoris noſtri Colendiſſimi glorioſae memoriae Conſiliarii intimi, & ſupremi Aulae *Praefecti*, nec non Ducatus Carniolae, & Marchiae Sclavonicae Supremi & Haereditarii *Provinciae* Mareſchalci, itidemque Camerarii, Conſanguinei noſtri Chariſſimi, nec non Illuſtrium & Magnificorum fidelium Nobis dilectorum Erneſti Comitis in Ottingen, itidem Conſiliarii intimi, *Praeſidiſque* Conſilii Imperialis Aulici, & Camerarii, atque Joannis Ferdinandi Comitis de *Porcia* & Brugnera Domini Haeraeditarii in Seneſitsch & Bremb, Conſiliarii noſtri intimi, et Supremi Aulae *Praefecti*, iiſdem commiſerimus, prout hiſce animo deliberato, ex certa ſcientia committimus, ut cum praefati Sereniſſimi Regni, M. D. Lit. Legato

ANNO 1657.

ANNO 1657. Legato plenipotentiario consilia conferant, statuantque, & concludant, quæ hoc loci ad mutuam utriusque partis securitatem stabiliendam, conservandamque ulterius supereſſe, ac spectare videbuntur. Dantes & concedentes dictis Commissariis nostris plenam ad hoc potestatem & facultatem. Promittentes etiam, quod quidquid iidem Commissarii nostri concluserint, statuerint, & promiserint, id firmum, ratumq; habituri sumus, non secus, ac si Nos ipsi id concluſiſſemus, statuiſſemus, ac promiſiſſemus In quorum fidem hasce manu nostra subscripsimus, & Sigillo nostro secreto muniri iussimus. Quæ dabantur in Civitate nostra Viennæ die 24. Aprilis Anno Domini 1657. Regnorum nostrorum Hungarici altero, Bohemici vero primo.

LEOPOLDUS.

Comes de NOSTITZ
R. B. S ab HOLDORF

*Joannes Hartugius*
*Cancellarius.*
Clemens.

## CIII.

*Tractatus Fœderis inter* LEOPOLDUM *Hungariæ, & Bohemiæ Regem, &* JOANNEM CASIMIRUM *Regem Poloniæ pro reſtauranda Pace in Polonia, & ſecuritate utriusque Partis, concluſi* Viennæ 27. Maii Anno 1657. *Ex Originali. Extat in Archivo Cancell. Regni Lib. 166. num. 167. fol. 36.*

*In Nomine Sanctiſſimæ, & Individuæ Trinitatis, Dei Patris, Filii, & Spiritus Sancti Amen.*

Notum sit universis, & singulis, quorum interest, vel quomodolibet intereſſe poteſt, quod cum apud quondam Sereniſſimum, & Potentiſſimum Principem, ac Dominum, Dominum FERDINANDUM III. Electum Roman. Imperatorem semper Auguſtum, nec non Hungariae, & Bohemiae Regem, Archiducem Auſtriae &c. glorioſae memoriae, Sereniſſimus, ac Potentiſſimus item Princeps, ac Dominus, Dominus JOANNES CASIMIRUS Poloniae, & Sveciae Rex, Magnus Dux Litvaniae, Regnumque Poloniae, & Magnus Ducatus Litvaniae iam ab aliquot annis per diverſos, tam ſolennes Legatos, quam alias Perſonas, ex antiquorum inter dictam Sacram Caeſaream Maieſtatem, eiusque Anteceſſores ex una, ac dictum Sereniſſimum Regem, eiusq; item Anteceſſores Reges, Regnumq; Poloniae, & Magnum Ducatum Litvaniae ex altera parte exiſtentium Fœderum, & Pactorum Lege, ſibi tam internis turbis, quam externis bellis graviter laborantibus auxilium ferri petiiſſent. ANNO 1657

Ac tandem re multum diuque deliberata d. 1. Decembris Anni proxime elapſi An. 1656. inter dictae Sacrae Caeſareae Maieſtatis cum plena facultate ad hoc deputatos Commiſſarios, ac dicti Sereniſſimi Regis, & Regni Poloniae, ac Magni Ducatus Litvaniae Plenipotentiarios Legatos certa quaedam Conventio, ſive Fœdus initum, ac inter alia pactum fuerit, quod Maieſtas Sacra Caeſarea certum numerum pedeſtris Militiae ex ſuis dimittere, & ſub Signa Polonica concedere, ſtatutoque tempore debebit permittere.

Porro autem cum creſcentibus ſubinde ex novorum acceſſione hoſtium dicti Regis, Regnique Poloniae, tam machinationibus, quam eorundem periculis animadverſum fuerit, ad aſſerendam tam pacem, & tranquillitatem dicti Sereniſſimi Regis, & Regni Poloniae, ac Magni Ducatus Litvaniae, quam in ſecuritatem quoq; utriusq; Partis Regnorum, & Provinciarum, aliis maioribusque copiis, ac viribus opus eſſe. Jam ſub exceſſum ex hac vita dictae Sacrae Caeſareae Maieſtatis de numero, & modo eorum auxiliorum expediendorum, Pactorumque pro utriusque partis ſecuritate concipiendorum actum, ac demum poſt obitum ſaepe dictae Maieſtatis Caeſareae, negotio reaſſumpto inter *Sereniſſimi* ac Potentiſſimi Principis, ac Domini, Domini LEOPOLDI Hungariae, & Bohemiae Regis, Archiducis Auſtriae &c. cum ſpeciali poteſtate ad hoc deſtinatos *Commiſſarios*, Excellentiſſimos, *Dominum* Joannem Weithardum Ducem Munſterbergenſem in Sileſia, Sacri *Romani* Imperii Principem Averſperg, *Comitem* in Gotſchee, et Velo, *Dominum* in Schon, et Schviſenberg etc. Equitem Aurei Velleris, *Sacrae* quondam Caeſareae Maieſtatis glorioſae memoriae Conſiliarium intimum, et Supremum Aulae Praefectum, nec non Ducatus *Carniolae*, et Marchiae Sclavonicae ſupremum, et haereditarium Provinciae Mareſchallum, et Camerarium. Item Dominum Erneſtum Comitem in Oettingen dictae quondam *Caeſareae* Maieſtatis Conſiliarium intimum, et *Conſilii* Imperialis Aulici Praeſidem, ac *Dominum* Joannem Ferdinandum Comitem de Porcia, et Brugnera, haereditarium in *Seneſitſch*, et Bremb, dictae Sacrae quondam Caeſareae Maie- Conſiliarium intimum, nec non dictæ S. R. Maieſtatis Hungariæ, et Bohemiae *Conſilia-*rium

Anno 1657. rium intimum actualem, et Supremum Aulae Praefectum, ac saepedicti Serenissimi *Regis* Joannis Casimiri, *Regnique* Poloniae, ac Magni *Ducatus* Litvaniae, cum plena similiter potestate Legatum Extraordinarium, Excellentissimum Dominum Boguslaum Comitem in Leszno, Supremum Thesaurarium *Regni* Poloniae, Maioris Poloniae Generalem, Miedzyricensem, Ostrensem, Osiecensem Gubernatorem Tractatu, in *Dei* Nomine in hoc Fœdus conventum est.

Inprimis rata, ac firma stent, non modo, quae dicta Conventione, sive Fœdere 1. Decemb. inito, verum etiam, quæ antiquitus inter Serenissimas Austriae, et Jagellonicam Domos pacta, et statuta fuerant, nisi quatenus iisdem per sequentia derogatum, vel additum fuerit. Inhaerendo igitur dictis Fœderibus, et Pactis, sit Fœdus inter dictum Serenissimum Hungariae, et Bohemiæ *Regem*, Archiducem Austriae ex una, et dictum Serenissimum Joannem Casimirum Regem Poloniæ, et *Sveciæ*, Magnum Ducem Litvaniæ, dictum Regnum Poloniae, et Magnum Ducatum Litvaniæ ex altera parte, pro restauranda pace in Polonia, & securitate utriusque partis Regnorum, & Provinciarum. Et hic quidem Serenissimus Rex Hungariae, & Bohemiae denuo protestatur, se per hoc Fædus nullatenus velle, vel posse a Pace Monasterienſi, & Osnaburgensi recedere, vel illi ulla ratione contravenire.

Ad hunc ergo finem Pacis, & securitatis sæpe dictus Serenissimus Rex Hungariæ, & Bohemiæ loco quatuor millium peditum antea in subsidium determinatorum, iustum Exercitum pedestris, equestrisque Militiæ, convenienti tormentorum bellicorum numero, cum requisitis rei tormentariæ instructum sub signis suis, ac Generali Campi Marschallo, & subordinatis Ductoribus loco in finibus Regni Poloniæ statuendo, cum copiis Serenissimi Regis, & Regni Poloniæ, ac Magni Ducatus Litvaniæ, eo die, & loco, quo inter *Serenissimum* Regem Poloniæ, & Generalem *Serenissimi* Regis Hungariæ conventum fuerit, quantocius coniunget, non aliter, quam pro defensione saepedicti *Serenissimi* Regis, & Regni in Poloniæ operaturum. *Si* Serenissimus Rex Poloniæ, & *Sveciæ* ipse in Castris coniunctis præsens erit, imperium Maiestati suæ summum in Exercitum auxiliarem competet. *Si* vero abfuerit, tum cuiusque Exercitus Generali Præfecto in Exercitum sibi commissum imperium erit. *Sive* autem *Serenissimus* Rex in Castris adsit, sive absit, actiones Generalis Praefecti auxiliarium Copiarum resolvantur, & executioni mandentur. Anno 1657.

Ad promovendam expeditionem dicti Exercitus auxiliaris conventum est, ut *Serenissimo* Regi Hungariæ, & Bohemiæ exolvatur a *Serenissimo* Rege Poloniæ, ac *Sveciae* summa quingentorum millium florenorum Rhenensium. Pro conservatione vero eiusdem Exercitus in futurum, quandiu bellum hoc durabit, summa trerentorum millium florenorum Rhenensium pendatur annue, præterea *Serenissimus* Rex, & Regnum Poloniae, Exercitui auxiliari sustentando, non tantum quovis tempore annonam praebebit, eoque fine, & ne ex horum defectu detrimenti aliquid capiatur, locis opportunis granaria, sive Magazyn, ut vocant, suo sumptu constituet, verum etiam stativa hyberna more germanico praestabit.

*Si* praeter haec omnia, sive ex Mandato Regis, sive Reipublicae Poloniae, aliqua *Summa* paratae pecuniae subsidii loco, huic Exercitui distributa fuerit, haec in deductionem dictae summae trecentorum millium florenorum Rhenensium veniet. Insuper Castella, loca, & Civitates ad *Serenissimum* Regem, Regnumque Poloniae, & Magnum Ducatum Litvaniae pertinentes, praesertim Juris Regii, & Ecclesiasticorum, maxime vero ad flumina sitae pro ratione, & necessitate belli, *Serenissimi* Hungariae, & Bohemiae Regis, Exercitui semper ad tutum sui receptum apertae erunt, quamdiu necessitas securitatis postulaverit Praesidio tenendae, ac mox, ubi ea cessaverit, dimittendae. Hac praeterea *Serenissimo* Regi Hungariae optione data, ut eidem liceat duobus, vel tribus ex omnibus praememoratis Locis, vel Civitatibus suo arbitrio deligendis iustum Militis sui Germanici Præsidium imponere, quod Praesidium *Serenissimus* Hungariae, ac Bohemiae Rex, Pace facta deducere tenebitur, nihilq; Juris in ea Loca praetendet. Administratio autem, & Jurisdictio, ac Judicia rerum politicarum, & Civilium Praesidio durante penes eum, vel eos maneant, ad quem, vel quos ea vi Legum, & Constitutionum Regni pertinent.

Hoc Faedus mutuae defensionis tam diu duret, donec Pax facta, & executioni mandata fuerit, de Pace vero vel Induciis cum adversa parte, neutra pars hoc Faedere comprehensa, sine alterius praescitu, & consensu agat, tractetve, nedum concludat. *Si* pendente hoc bello Polonico *Serenissimum* Hungariae, & Bohemiae Regem, eiusve *Successores*, & Haeredes, sive eiusdem Regna, & Provincias quacunque de causa a quocunque infestari contingat, teneatur Serenissimus Rex, & Regnum

Anno 1657. gnum Poloniæ,& M.D. Litvaniæ, tanquam in cauſa propria Sereniſſimo Regi Hungariæ, & Bohemiæ, eiusque Hæredibus, omnibus viribus aſſiſtere, nec ab ea aſſiſtentia deſiſtere, donec communi conſenſu Pax fuerit concluſa. Cæterum rato manente integro Articulo viciſſim ſæpedictæ Conventionis 1. Decembris anni proxime præteriti initæ, cum Sereniſſimo Electore Brandeburgico promoveatur Tractatio vigore Conventionis ſupradictæ 1. Decembris initæ, & pro aſſecuratione ſua pateat illi ad Societatem communis Fæderis aditus.

Promoveatur ſimiliter iuxta dictam Conventionem Tractatio cum Coſacorum Duce Chmielnicio, ut is non modo Coſacos, ſi qui nunc contra Poloniam, vel Magnum Ducatum Litvaniæ militant, ſtatim revocet, ſed ipſe quoque una cum Militia ipſi adhærente, certis Legibus, & data ſecuritate ad obedientiam Regis, & Regni redeat. Cum Sereniſſimo Magno Duce Moſcoviæ non tantum Induciæ ſancte obſerventur, ſed cum eodem etiam agatur, ut Pax ſtabilis iam nunc inter ipſum, & Sereniſſimum Regem, & Regnum Poloniae conſtituatur, quo Sereniſſimus Rex Hungariæ, & Bohemiæ interpoſitionem ſuam offerat, & Sereniſſimus Magnus Dux interea omnibus viribus, ſuo etiam loco pro pacanda Polonia concurrere pergat. Agatur etiam cum Sereniſſimo Rege Daniæ, ut & is in Societatem armorum pro communi ſecuritate quamprimum concedat. Si qui alii Reges, Respublicæ, vel Principes in eandem Societatem recipi deſideraverint, de eo communi Fæderatorum Conſilio agatur. In quorum omnium fidem duo huius Fæderis, ſive Conventionis confecta fuerunt Exemplaria, pro ſingulis Partibus unum a ſæpedictis Dominis Commiſſariis, & Plenipotentiario Legato manibus propriis ſubſcripta, & appoſitis Sigillis ſuis munita. Dat. Viennæ 27. Maii Anno Domini 1657.

*Joannes Weithard Princeps ab Aversberg.*
*Erneſtus Comes in Oettingen.*
*Joann. Ferdinand. Comes a Porcia.*
*Boguſlaus Comes in Leſzno, Supremus Regni Poloniæ Theſaurarius.*

Articulus *ſeparatus ſuper Electione Civitatum Cracovienſis, & Poſnanienſis, quibus Regia Maieſtas Hungariæ Præſidium Militis ſui imponere poſſit.* Loco & Anno Dato eodem. *Ex Originali.* 1657.

Cum Tractatu Fæderis inter Sereniſſimorum Hungariæ, & Bohemiæ, ac Poloniæ, & Sveciæ Regum cum plena poteſtate deputatos Dominos Commiſſarios, & Legatum Extraordinarium hodie concluſi, inter alia, Articulo inſuper conventum ſit, in optione dicti Sereniſſimi Hungariæ, & Bohemiæ Regis debere eſſe poſitum, ex omnibus Locis, & Civitatibus Regni Poloniae duo, vel tria Loca, vel Civitates eligere, quibus iuſtum Praeſidium Militis ſui Germanici poſſit imponere, quod Praeſidium idem Sereniſſimus Rex Pace facta teneatur deducere, nihilque Juris in ea Loca praetendat, certis vero de cauſis minime conſultum viſum fuerit, ea Loca, ſive Civitates in ipſo Faedere mox publicando expreſſe nominare. Idcirco dicti Domini Commiſſarii, & Legatus hoc Articulo ſeparato, eandem vim, ac robur habituro, ac ſi de verbo ad verbum dicto Faederi fuiſſet inſertus, declaraverunt, & declarant ea Loca, ſive Civitates eſſe, et intelligi debere has duas videlicet, Cracoviam,et Poſnaniam, quarum proinde utraq; hac,aliisq; prægnantibus de cauſis, quo ad eius fieri poteſt, quam primum recuperari debeat. In cuius rei fidem huius Articuli duo Exemplaria, unum pro ſingulis Partibus facta, et a ſaepedictis Dominis Commiſſariis, et Legato manibus ſubſcripta, et Sigillis ſuis munita fuerunt. Dat. Viennae die 27. Maii Anno Domini 1657.

*Joannes Princeps ab Aversberg.*
*Erneſtus Comes in Oettingen.*
*Joann. Ferdinand. Comes a Porcia.*
*Boguſlaus Comes in Leſzno, Supremus Regni Poloniæ Theſaurarius.*

*Conventio ulterior inter eosdem ſub eodem Dato, & Loco de Aſſecuratione Summæ Capitalis Regi Hungariæ, ad promovendam expeditionem Exercitus auxiliaris, a Rege, & Regno Poloniæ exolvendæ. Ex Originali.*

Cum Tractatu Faederis inter Sereniſſimorum Hungariae, et Bohemiae, ac Poloniae, et Sveciae Regum cum plena poteſtate deputatos Commiſſarios, et Legatum Extraordinarium hodie concluſi, inter alia conventum ſit.

I.

Quod Sereniſſimus Rex Hungariae, et

ANNO 1657. Bohemiae iuſtum Exercitum, cum Copiis Sereniſſimi Regis Poloniae, et Sveciae ſit coniunctus, dicti Domini Commiſſarii, et Legatus declaraverunt, et declarant, ſe hoc Loci per voces, iuſtum Exercitum, aliud non intelligere, quam Exercitum conſtantem numero duodecim circiter millium armatorum.

II.

Cum item conventum ſit, quod ad promovendam expeditionem Exercitus auxiliaris Sereniſſimi Regis Hungariae, et Bohemiae, a Sereniſſimo Rege, et Regno Poloniae ſumma quingentorum millium florenorum Rhenenſium exolvi, ac in futurum pro conſervatione, et ſupplemento eiusdem Exercitus annue trecenta millia florenorum Rhenenſium praeſtari debeant. Unde autem, et quomodo ea ſolutio, et praeſtatio fieri debeat, certis de cauſis in Inſtrumento Faederis non fuerit expreſſum; dicti Domini Commiſſarii, et Legatus declaraverunt, et declarant modo dictam ſolutionem, et praeſtationem, hoc modo fieri debere, videlicet: pro aſſecuratione tam dictae ſummae capitalis quingentorum millium florenorum, quam alterius trecentorum millium annuorum, aſſignabitur Sereniſſimo Hungariae, & Bohemiae Regi media pars omnium proventuum, qui ex ſalis fodinis Vielicenſibus, & Bochnenſibus communi adminiſtratione percipiuntur, quae quidem Adminiſtratio, ex mutuo Partium conſenſu, in eum, qui ſequitur modum redigetur. Contractus iſte nihil praeiudicet directo, & utili Dominio, Juri, & proprietati Sacrae Regiae Maieſtatis Poloniae ſuper fodinis ſalis Vielicenſibus, & Bochnenſibus, quae Jura debent manere integra, & illaeſa, non obſtante ſuper eisdem fodinis hac praeſenti Conventione.

III.

Eadem Conventio nihil praeiudicet ſecundum Leges, & Conſvetudines Regni, Juribus certorum Palatinatuum, quibus ſecundum Jus publicum, & rationes Zupparum pendi annuatim Banci, & Tonnae ſalis ſunt ſolitae, prout pendi cuivis Jura, & conſvetudines iniungunt.

IV.

Penſiones Eccleſiis, Officialibus, & quibuscunque privatis pendi ſolitae, ſecundum cuiusvis iura, & rationes Zupparum, non obſtante hac Conventione ſolvantur.

V.

Officiales haereditarii, qui nunc ſunt, maneant, & eorum Succeſſores ſecundum eorum Privilegia. Sacra Regia Maieſtas Poloniae admittet ad communionem medietatis uſuum fructuum ſalinarum Vielicenſium & Bochnenſium Sacram Regiam Maieſtatem Hungariae, & Bohemiae. ANNO 1657.

VI.

Liberum erit S. R. M. Hungariae, et Bohemiae, idonea Arcibus Vielicenſi, et Bochnenſi Praeſidia ad maiorem Commercii ſecuritatem praeficere, quae eodem prorſus modo ſuſtentabuntur, quo reliqui eiusdem Regii Exercitus Milites.

VII.

Habebit Sacra Maieſtas Regia Hungariae, et Bohemiae proprium in memoratis ſalis fodinis Adminiſtratorem adiunctum Adminiſtratori Serenisſimi Poloniae Regis, quorum communi conſenſu, parique authoritate communis adminiſtratio rei ſalinariae dirigetur.

VIII.

Conveniet quoque inter Commiſſarios ex utraque parte de certa quantitate ſalis annuatim excindendi, quae excindi non poterit abſque mutuo Partium conſenſu, certaq; inter Sereniſſimos Reges taxa conſtituetur, iuxta quam tenebuntur in ærarium, vel communes rationes referre, & com. putare pretium ſalis, quod ex Zuppis accipient.

IX.

Serenisſimi Regis Hungariae, et Bohemiae Adminiſtratori diſtributio ſalis incumbet per Provincias, Regna, et Dominia eiusdem Regiae Maieſtatis cum debita cautela, ne alteri cuipiam ſine eiusdem conſenſu liceat per eadem Regna, et Provincias ſalem divendere, ac devehere, Serenisſimi vero Regis Adminiſtratori idem Juris per Poloniam competet.

X.

Quidquid Serenisſimis Regibus in proprio ſuo Regno, ac Dominiis per privatam ſuam induſtriam, et authoritatem ex divenditione ſalis lucri acceſſerit, ultra pretium communis taxae inter ipſos conſtitutum, id in propriam cuiusque utilitatem cedet.

XI.

Lucrum autem omne ſive proventus, qui poſt ſoluta antiqua Zupparum onera, et impenſas in ipſis ſalis fodinis praeſtari ſolitas ſuperfuerint, aequaliter inter Serenisſimos Reges dividentur, medietas autem, quae Serenisſimo Hungariae, et Bohemiae Regi accedet, eidem imputabitur ad deductionem ſupra memorati crediti ſui.

XII.

Haec communis Adminiſtratio eo, quo definita eſt, modo durabit ad integram uſque debiti exſolutionem, qua plene adimpleta Serenisſimus Rex Hungariae, et Bohemiae nihil amplius iuris, poſſeſſionis, aut uſusfructus praetendet, ſed eadem, prout antea fuerunt, ſine ullo one-

re

Anno 1657. re hypothecae, vel praetenſione, ſub Dominio, et proprietate Sereniſſimi Regis et Regni Poloniae manebunt.

XIII.

In ſubdium autem, et evictionem praefatae Aſſecurationis Sereniſſimus Rex Poloniae Jura omnia hypothecaria, vel alia, quaecunque fuerint, quae ipſi in Regno Neapolitano competunt, et quae defacto poſſidet, Sereniſſimo Hungariae et Bohemiae Regi ſubſidiaria obligatione aſſignat, et obligat, ut deficiente quocunque tandem caſu, principali aſſecuratione Sereniſſimo Hungariae, et Bohemiae Regi regreſſus, et actio pateat ad ſubſidiariam.

XIV.

Habeat haec ſupradicta Conventio eandem omnino vim, et robur, atque ſi ipſi Inſtrumento Fœderis de verbo ad verbum eſſet inſerta.

In cuius rei fidem huius Conventionis ſeperatae duo Exemplaria, unum pro ſingulis *P*artibus facta, et a ſupradictis Commiſſariis, et Legato, manibus propriis ſubſcripta, et Sigillis ſuis munita fuerunt. Dat. Viennae die 27 Maii Anno 1657.

*Joannes Princeps ab Averſberg.*
*Joan. Ferdinand. Comes a Porcia*
*Erneſtus Comes in Oettingen.*
*Boguslaus Comes in Leſzno Supremus Regni Poloniæ Theſaurarius.*

CIV.

1659. *Conventio inter Imperatorem, & Regem Poloniæ de titulo* Potentissimi. *Ex Archivo Regni Lib: 166. Numero 167. fol. 205.*

Joannes Casimirus DEI Gratia Rex *P*oloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, *P*ruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniae, Smolenſciae, Czerniechoviaeque, nec non Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Haereditarius Rex. Significamus *P*raeſentibus Literis noſtris univerſis, & Singulis. *Quod coram Actis Metricæ Cancellariæ noſtræ maioris Regni, comparens perſonaliter Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus in Chriſto Pater, Dominus Nicolaus in Prażmow Prażmowſki, Supremus Regni noſtri Cancellarius Epiſcopus nominatus Luceorienſis, perpetuus Abbatiæ Sieciechovienſis Adminiſtrator, Præpoſitus ad Sanctum Michaelem in Arce Cracovienſi, ad Generales Sveticos Tractatus Commiſſarius Deputatus, a foro ſuo quovis proprio, & competenti recedendo, præſenti autem iuriſdictioni noſtræ Regiæ, quoad Actum præſentem duntaxat ſe incorporando, ſponte ultro, libere ſcriptum infraſcriptum reproduxit ſub tenore tali.* Quandoquidem inter Auguſtiſſimum Rom: Imperatorem, & Sereniſſimum Poloniæ, ac Sveciæ Regem conventum ſit, ut prædicatum *Potentiſſimi* a Regibus Poloniæ, tam Imperatori, quam Regibus Poloniæ, et Hungariæ, etiamſi Imperatores eos non eſſe contingeret, ſemper tribueretur, & viciſſim, a præfato Imperatore ac Regibus Hungariæ, & Bohemiæ, Poloniæ Regibus idem quoque ſemper concederetur. Ideo ad perpetuam Rei memoriam, & normam in poſterum ſervandam, ex Mandato Sereniſſimi Poloniæ Regis Regeſtris Cancellariæ ſuæ hæc Conventio ſic annotata, & inſcripta eſt Menſe Junio Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo Quinquageſimo Nono. *Quod quidem Scriptum præinſertum Actis præſentibus ingroſſari, & in Authentica forma &c. tradi mandavimus. In cuius Rei fidem &c.* Anno 1659.

CV.

*Mandatum & Plenipotentia* Leopoldi *Imperatoris ad concludenda Pacta Matrimonialia, & Dotalia inter ſe, nomine Sereniſſimæ* Eleonoræ *Sororis ſuæ, &* Michaelem *Regem Poloniæ.* Dat. Viennæ die 16 Decembris Anno 1659. *Ex Originali.*

Leopoldus Divina favente clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, Comes Tyrolis, & Goritiae &c. Teſtamur, & ad perpetuam rei memoriam notum facimus tenore Praeſentium Univerſis. Cum ad Laudem inprimis, & Gloriam DEI Omnipotentis, Eiuſque Glorioſae ſemper Genitricis Virginis Mariae, & deinde pro conſervatione, & augmentatione Reipublicae Chriſtianae, nec non ut inchoatum bonae vicinitatis vinculum, quod inter Nos, & Sereniſſimum, ac Potentiſſimum Principem Dominum Michaelem Regem Poloniae, Magnum Ducem Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſo-

ANNO 1659. Maſoviae, Samogitiae, Livoniaeque, Vicinum, & Fratrem noſtrum chariſſimum nova affinitate coarctetur, & magis, magiſque ſtabiliatur, pro utrius noſtrum Regnorum, & Ditionum perpetuo, pacifico, & tranquillo Statu, de Matrimonio inter eundem Sereniſſimum Poloniae Regem, & Sereniſſimam ELEONORAM Hungariae, & Bohemiae Principiſsam, Archiduciſſam Auſtriae, Duciſſam Burgundiae, Comitiſſam Tyrolis, Sororem natu Maiorem Nobis chariſſimam, Tractatus inſtitutus, iamque unanimi noſtro conſenſu ad requiſitionem ab ipſo Sereniſſimo Poloniae Rege per ſolennem Legationem apud Nos hodie interpoſitam, declarato, eo ventum ſit, ut de Conditionibus, & Pactis Dotalibus certa conſtituenda ſit ratio. Idcirco Nos plenam indubiamque fiduciam gerentes de praeclara fide, integritate, ac prudentia Illuſtriſſimi VENCESLAI Ducis Saganenſis, Principis, & Gubernatoris Domus Lobkowicz, Principis, Comitis Steinſteinenſis, Domini in Chlumnitz, & Raudnitz ad Albim, Equitis Aurei Velleris, noſtri Conſiliarii intimi, Supremi Aulae Praefecti, Conſangvinei, & Principis noſtri chariſſimi, ſimul, & Generoſi fidelis Nobis dilecti Joannis Pauli Hocher Liberi Baronis, Conſiliarii pariter noſtri intimi, & Supremi Aulae Cancellarii, ex certa noſtra ſcientia, animoque bene deliberato, & omni meliori modo, via forma, & Ordine, quibus id fieri poteſt, fecimus, conſtituimus, & deputavimus, atque vigore Praeſentium facimus, conſtituimus, & deputamus noſtros veros, Legitimos, & Plenipotentiarios Commiſſarios, & Mandatarios, dantes, & concedentes eis amplam, plenam, & omnimodam facultatem, & poteſtatem noſtro nomine cum eo, qui a me morato Sereniſsimo Poloniae Rege Vicino, & Fratre noſtro chariſſimo, ad hunc finem ad Nos ablegatus, & cum pari Plenipotentia, & Mandato inſtructus adeſt, nempe cum Reverendo Andrea Olſzowſki Epiſcopo Culmenſe, & Pomeſanienſe, eiuſdem Sereniſsimi Regis, ac Regni Vice-cancellario, noſtro ac dictae Sereniſsimae, atque chariſsimae Sororis noſtrae nomine de toto huius Matrimonii negotio tractandi, adeoque de Dote, Donatione propter Nuptias, munere nuptali, reſidentia, & ſuſtentatione viduali, Bonis paraphernalibus, omnibuſque aliis rebus huius Matrimonii Contractum concernentibus promittendi, acceptandi, conveniendi, concludendi, aſſecurandi, atq; cavendi. Quid quid ergo per ipſos Plenipotentiarios, Commiſſarios, & Mandatarios noſtros vigore huius Mandati actum, promiſſum, acceptatum, tranſactum, conſtitutumque, & aſſecuratum fuerit, id Nos ratum, & gratum habituros, idemque certum, & firmum perpetuo futurum eſſe pollicemur, & promittimus. Et ſi iiſdem Commiſſarii, & Mandatarii noſtri ampliori, quam hiſce expreſſum ſit, poteſtate opus haberent, eandem ipſis hiſce in pleniſsima forma, ac ſi de verbo ad verbum inſerta eſſet, conceſſam eſſe volumus. Harum teſtimonio Literarum manu noſtra ſubſcriptarum, & Sigilli noſtri appenſione munitarum Datum in Civitate noſtra Viennae die decima ſexta Menſis Decembris, Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo Sexageſimo Nono. Regnorum noſtrorum Romani duodecimo, Hungarici decimo quinto, Bohemici vero decimo quarto.

ANNO 1659.

LEOPOLDUS.

*Ad Mandatum Sacrae Cæſareæ Maieſtatis proprium*

Chriſtophorus Abeli: D. L.

CVI.

*Pacta Matrimonialia inter* MICHAELEM *Regem Poloniæ, &* ELEONORAM LEOPOLDI *Imp. Sororem.* Dat. Vinnae die 24 Decembris Anno 1669. *Ex Originali.* 1669.

In Nomine Domini. Amen

NOS VENCESLAUS Dux Saganenſis, Princeps & Gubernator Domus Lobkowitz, Princeps, Comes Steinſteinenſis, Dominus in Chlumnitz, & Raudnitz ad Albim, Eques Aurei Velleris, Sacrae Caeſareae Maieſtatis Conſiliarius Intimus, ac Supremus Aulae Praefectus, & Joannes Paulus Hocher Liber Baro, eiuſdem Sacrae Maieſtatis Conſiliarius pariter Intimus, ac Supremus Aulae Cancellarius, tanquam dictae Sacrae Caeſareae Maieſtatis Sereniſsimi, & Invictiſsimi Principis, ac Domini Domini LEOPOLDI Divina favente Clementia Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae, etc. Regis, Archiducis Auſtriae, Ducis Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae, et Virtembergae, Comitis Tyrolis, et Goritiae, etc. Commiſſarii, et ad infraſcripta cum Plenipotentia Mandatarii fidem facimus hiſce Literis Noſtris, quorum intereſt Univerſis. Quod cum Sereniſsimus, ac Potentiſsimus Princeps ac Dominus, Dominus MICHAEL Rex Poloniae, Magnus Dux Litva-

ANNO 1669. Litvaniae, *Ruſsiae*, *Pruſsiae*, Maſoviae, *Samogitiae*, Kiioviae, Volhyniae, Livoniae, *Smoleńſciae*, *Severiae*, *Czerniechoviaeque*, Excellentiſsimum Oratorem, et Legatum ſuum *Reverendiſsimum* Dominum Andream de Olſzowa Olſzowſki Epiſcopum *Culmenſem* et *Pomeraniae*, *Procancellarium Regni Poloniae*, ad dictum *Sereniſsimum* et *Invictiſsimum Principem*, ac Dominum Dominum LEOPOLDUM *Romanorum* Imperatorem, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae *Regem*, Auſtriae Archiducem, Dominum noſtrum *Clementiſsimum*, deſtinaverit, per eumque *Sereniſsimam Principem* ac Dominam Dominam ELEONORAM *Poloniae Reginam*, tum Hungariae, et Bohemiae *Principiſſam*, Archiduciſſam Auſtriae, Duciſſam Burgundiae, Comitiſſam Tyrolis, Eiuſdem *Sereniſsimi*, atq; *Invictiſsimi* Imperatoris *Sororem Chariſsimam*, in Matrimonium ſibi collocari petierit, atque ipſa *Sacra Caeſar*: Maieſtas in huiuſmodi honorificentiſsimam *Sereniſsimi Poloniae Regis* petitionem tam ſuo, quam *Sereniſsimae*, et *Potentiſsimae Principis*, ac Dominae Dominae ELEONORÆ Romanorum Imperatricis, uti Matris, quam omnium quorumcunque ex Auguſtiſſima Domo Auſtriaca intereſſe habentium nomine, benevolentiſſime annuerit, acceſſerit etiam aſſenſus prædictæ *Sereniſſimæ* ELEONORÆ, tandem quod felix, fauſtumque ſit ad laudem, & Gloriam Dei Omnipotentis, & ſemper Glorioſæ, ac Beatæ Virginis Mariæ eius Genitricis pro conſervatione, & augmento Rei Chriſtianæ, pro communi bono, ac commodo utriusque *Sereniſſimæ* Domus, proque firmiore ſtatu Regnorum, ac Provinciarum utriuſque Maieſtati ſubditorum, utque vinculo ſangvinis magis, magiſque bona amicitia, fida vicinitas, & mutua defenſio coarctetur, inter prædictam *Sereniſſimam* Reginam ELEONORAM Maieſtatis ſuae Cæſareæ Sororem, ipſa Sacra Cæſarea Maieſtate pro ſe, & aliorum nomine, ut ſupra per Nos Commiſſarios, & Mandatarios ſuos vigore Mandati Cæſarei, die decima Sexta Menſis Currentis Decembris in noſtras Perſonas expediti, & dicto Excellentiſſimo Oratori, & Legato *Sereniſſimi Poloniæ Regis* Reverendiſſimo Domino Andreae de Olſzowa Olſzowſki Epiſcopo Culmenſi, & Pomeraniae, Procancellario Regni Poloniae traditi, interveniente ex una, & per eundem Dominum Legatum, & *Mandatarium* prædicti *Sereniſſimi Poloniæ Regis*, ſufficienti *Mandato*, & Plenipotentia Regia ſub die vigeſima tertia *Menſis* Novembris proxime praeteriti expedita, & Nobis ab eodem reciproce conſignata, inſtructum parte ab altera, tractatum, & concluſum eſt Matrimonium verum, & legitimum, ſub Articulis & *Conventionibus* ſequentibus; Videlicet: Quod *Maieſtas* eius Caeſarea praedictae *Sereniſſimae* Sororis ſuae nomine dabit, ſi et aſſignabit in Dotem ſupradicto *Sereniſſimo* Domino MICHAELI Poloniae Regi Summam centum millium florenorum Rhenenſium, ſexaginta cruciferis bonae et uſualis monetae Germanicae pro quolibet floreno computatis, eamque Summam defacto nunc exolvet, eo, quo alias per ſingularem Conventionem pactum eſt modo, ſed et inſuper ſua Caeſarea Maieſtas ultra dictam Dotem centum millium florenorum memoratae ſuae *Sereniſſimae* Sorori promittit, et ex Cauſa ſpontaneae liberalitatis donat quadringenta millia florenorum Germanicorum eo modo, prouti in modo allegata ſingulari Conventione continetur, ſaepe indigitato Regi Poloniæ, Nomine *Sereniſſimæ* Reginæ exſolvenda, & numeranda. E converſo vero *Sereniſſimus Rex Poloniæ* prædictam Dotem recipiendo pro Contradote, inprimis ſpecifice ſummam centum millium florenorum ſupradicti valoris Rhenenſium *Sereniſſimæ Reginæ Poloniæ* ELEONORÆ Sponſæ ſuæ dare, & conſtituere tenebitur, & totam Summam tam Dotis, quam Contradotis, & Donationis Cæſareæ quadringentorum millium florenorum, adinſtar Pactorum Dotalium, inter *Sereniſſimum Poloniæ* Regem VLADISLAUM, & *Sereniſſimam* CÆCILIAM RENATAM conventorum, in opportunis, & ſufficientibus, iisque non vaſtatis, ſed integris, beneque ſtantibus, tantumque circiter redituum, & Proventuum, quantum ex inſcriptis Bonis dicta *Sereniſſima* Regina CÆCILIA RENATA annuatim habuiſſet, importantibus Dominiis, Civitatibus, Oppidis, Arcibus, & Terris, Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ, cum aliquot Reſidentiis Reginali Maieſtate condignis, ſecundum Conſtitutiones Regni Poloniæ, in proximis Regni Comitiis, vel ſi ea abrupta, aut perturbata fuerint, in aliis ſucceſſive proximis, in bona, & debita forma, nec non in Bonis propriis habitis, & habendis inſcribere, & aſſecurare, & huiusmodi Reformationem, ſeu Inſcriptionem quantocius ad manus Cæſareæ Maieſtatis transmittere, & ad hæc curare, efficereque debebit, & tenebitur, quod omnes Dominiorum, Civitatum, Oppidorum, Caſtrorum, Terrarum, Villarum, & Bonorum inſcriptorum

ANNO 1669.

ANNO 1669. ptorum Capitanei, Rectores, Tenutarii, Cives præsentes, & futuri, qui supradictæ Reformationi subiacebunt, ipsi Serenissimæ Reginæ ELEONORÆ plenam præstent sponsionem, ac corporale fidelitatis iuramentum, quod si Serenissimo Regi Poloniæ, priusquam ipsi Serenissimæ Reginæ ELEONORÆ aliquid humanitus acciderit, tunc! & in eo casu nulli alteri, nisi Maiestati suæ Reginali Dominia, Civitates, Oppida, Arces, Terras, Villas, & Bona sibi inscripta tradent, & consignabunt, cum omnibus inde percipiendis fructibus, commodis, emolumentis, & reditibus, & quod Maiestati suæ in omnibus, & per omnia secundum Regni Leges parebunt, & obedient fideliter, & constanter, ita ut Serenissimis Poloniæ Regibus obedire sunt soliti!, & adstricti, sed Tributa in Conventione Regni iussa Subditi eorum locorum, nihilominus cum aliis Regni Incolis conferent, Podvodasque, ut moris est, praebebunt, ac in Castris in hac Dote, & Dotalitio obligatis consveta Judicia Castrensia Capitaneorum, & Regalia celebrabuntur. Et si eadem Bona deperdantur, aut vastentur, tunc Serenissimus Poloniæ Rex aliunde supplebit. Insuper permissum est arbitrio Serenissimi Regis Poloniæ, ut secuta per copulam huius felicis Matrimonii consummatione Serenissimam Sponsam suam aliquo Munere Nuptiali, tam pro Regio suo honore, quam Ipsius Serenissimæ Sponsæ suæ merito remunerari possit, cum utrinque de ipsius Serenissimi Regis, erga Serenissimam Sponsam amore, & benevolentia nihil dubitetur. Pro hoc autem Munere nuptiali, ut præmittitur, deputando, etiam Inscriptio, & Assecuratio legitime itidem fieri debebit. Conventum præterea est, quod si Serenissima Regina ELEONORA prior Sponso suo defuncta fuerit, tunc Dos, & Donatio propter Nuptias, & Munus Nuptiale ad Serenissimum Regem, & Regnum Poloniæ perpetuo devolvantur, sine aliqua dictæ Dotis restitutione. Si vero Serenissimum Regem præmori contigerit, Prole ex ea, quod Deus prohibeat, non suscepta, vel si suscepta fuerit, tam præmortua, quam etiam superstite, tunc nihilominus Serenissima Regina ELEONORA omnibus Terris, Districtibus, Dominiis, Civitatibus, Oppidis, & Bonis sibi pro Dote, Contradote, & Munere nuptiali inscriptis, & assignatis ad vitæ suae vidualis tempus, sive in Regno Poloniae, sive extra commoretur, plenam utendi, & fruendi potestatem habere debeat. Post mortem autem suam praedicta Contrados centum millium florenorum, in Bonis Regalibus inscripta ad Poloniae Regnum converti, & redire debebit. De alia vero centum millium florenorum Summa, Dote scilicet sua, memorato modo importata, & inscripta, nec non de Munere Nuptiali praedicto, si eiusmodi Munus fuerit, ut de eo testari possit, sicut & de donatis a Caesarea Maiestate quadringentis florenorum millibus, habeat eadem Serenissima Regina ELEONORA tam in vita, quam in mortis Articulo, si Regem praemori continget, donandi, testandi, & arbitrio suo disponendi facultatem. Quodsi vero de Dote, & Munere huiusmodi Nuptiali, nec non de dictis quadringentis millibus nihil disposuerit tunc & Dos, & Munus ipsum Nuptiale, si tale datum, ut eius proprietas ad Maiestatem Reginalem legitime pertineat, sicut & dicta quadringenta florenorum millia, vel ea pars, de qua non disposuerit ad Serenissimae Reginae ELEONRÆ Liberos, quos post mortem suam superstites reliquerit: nullis autem ex ea progenitis Liberis post mortem eius extantibus, ad proximos ipsius Serenissimae ELEONORÆ haeredes masculos, & illis non extantibus ad fæminas devolvantur, eisque dictam Dotis principalis, & Donationis Cæsareæ Summam, una cum Munere Nuptiali, Serenissimi Poloniæ Regis Successores integre, vel partem aliis non donatam, aut legatam effectualiter restituere, & persolvere debeant, & teneantur. Hac expressa Lege, & Conditione, quod in casu obitus Serenissimæ Reginæ ELEONORÆ ab intestato Maiestatis suæ Reginalis Hæredes supradicti, in casu vero factæ alicuius Dispositionis, persona, vel personae, illa, vel illæ, cui, vel quibus Serenissima Regina ELEONORA Donationem, vel Legatum aliquod fecerit, annuos reditus certos, & integros viginti quinque millium florenorum Germanicorum supra præmemorati valoris Rhenensis, pro Summa Dotis, & donatis quadringentis millibus, nec non eo, quod ratione Muneris Nuptialis conpetierit, ex supradictis inscriptis, & assignatis, nec non a Serenissimo Rege hypothecatis propriis Bonis in solidum, tam diu quilibet pro sua rata parte sine aliquo defectu habere, levare, & percipere possint, donec, & quousque plene, & integre satisfacti, & contenti redditi fuerint, tam scilicet de Summa Dotis, & Donationis Cæsareæ quadringentorum millium florenorum, quam de Munere Nuptiali, si tale fuerit, de quo legari possit. Conventum praeterea, & concluſum est, quod Serenissima Regina ELEONORA, non solum Bonis, & Dominiis sibi pro Dote, Contradote, ac Munere Nuptiali, ut prædictum est, inscriben-

ANNO 1669.

ANNO 1657. ſcribendis, & aſſignandis, ſed & aliis omnibus Juribus, Libertatibus, Privilegiis, quibus cæteræ Sereniſſimæ Reginæ Poloniæ uti, frui, gaudere, & Bona huiusmodi poſſidere ſolitæ ſunt, utatur, iuxta Leges, & Conſtitutiones Regni, ita tamen, ut quæ in præſenti Contractu expreſſe facta, & conventa ſunt, firma, inconcuſſaque permaneant, atque de iis, quæ præfatæ Sereniſſimæ Reginae ELEONORÆ eiusdem Contractus vigore debentur, nihil decedat, ſed omnia integra præſtentur, & executioni demandentur. De aliis vero rebus, & Bonis quibuscunque ad ipſam Sereniſſimam Reginam ELEONORAM, quovis iure, & vel Donationis, vel alio titulo, hoc nunc tempore ſpectantibus, nihil omnino excipiendo, ita conventum, & concluſum eſt; quod Sereniſſima Regina ELEONORA illa omnia habeat, teneat, & poſſideat, tanquam res, & Bona ſua propria, poſſitq; illis uti, frui, & gaudere, ac de ipſis in omni caſu, & eventu, ſive per liberam Donationem, aut alium quemcunque Contractum inter vivos, ſive cauſa mortis, ſive per ultimam voluntatem, ſive ſupervivat Sereniſſima Sponſa, ſive minus, & peculiariter de donatis quadringentis florenorum millibus (ita tamen ut iam memoratæ ſummæ uſus fructus apud Regem toto Regis vitæ tempore maneat) ſecundum beneplacitum diſponere, & ordinare ſine cuiusvis impedimento. Si vero Sereniſſimam Reginam ELEONORAM e vivis decedere contigerit, nulla facta de ſupra dictis rebus & Bonis ſuis propriis, ſecumque in Poloniam importatis, diſpoſitione, vel ordinatione per Contractum inter vivos, vel cauſa mortis, ſive per ultimam eius voluntatem, aut aliter quomodocunque, tunc & in eo caſu res, & Bona ſua huiusmodi omnia, quae tempore obitus Maieſtatis ſuæ Reginalis extare comperientur, & ſupererunt, (ſalvo tamen ſupra dicto iure uſus fructus Sereniſſimo Regi ad vitalitium in dictis quadringentis florenorum millibus competente) ad ſupradictos proximiores Maieſtatis ſuæ Reginalis hæredes maſculos, & illis deficientibus, fæminas redire debeant, & ad eorundem Bonorum omnimodam reſtitutionem Sereniſſimi Poloniæ Regis Succeſſores teneantur, & obligati ſint. Verum res, & Bona illa, quæ Sereniſſimæ Reginæ ELEONORÆ tempore Nuptiali donabuntur, ſi Maieſtatem ſuam Reginalem præmori contigerit, Sereniſſimo Regi Poloniæ Marito ſuperſtiti cedant. Si vero Sereniſſima Regina ELEONORA Sereniſſimo Regi Poloniæ Marito ſupervixerit, & de illis nullam diſpoſitionem in vita ſua fecerit, tunc poſt illius obitum ſimiliter ad præfatos ipſius Hæredes devolvantur. Porro ea, quæ Sereniſſima Regina ELEONORA poſt Nuptias, in Regno Poloniæ quomodocunq; acquiſiverit, & comparaverit, in eo caſu quo de illis nullam Ordinationem vel Diſpoſitionem, ut prædictum eſt, ſive in vita ſua, ſive in mortis Articulo fecerit, non ad ipſius Sereniſſimæ Reginæ ELEONORE hæredes ſupradictos, ſed ad Regnum Poloniæ, & Regis Poloniæ Succeſſores pertinere, eisque remanere debeant, exceptis duntaxat iis reditibus, & Bonis immobilibus, ſi quæ ex pecunia ſecum in Poloniam adportata comparaverit. Cæterum praefata Sereniſſima Regina ELEONORA de prædictis omnibus rebus, & Bonis, tam nunc ad eam ſpectantibus, quam tempore Nuptiarum, & poſt Nuptias acquiſitis, ſeu acquirendis, habeat, & habere debeat, in omni caſu, & eventu, per Donationem liberam, & quemvis alium Contractum inter vivos, ſeu cauſa mortis, ſeu per Teſtamentum plenam, omnimodamque ſecundum beneplacitum ſuum diſponendi, & ordinandi facultatem, ſine cuiusvis impedimento, & contradictione. Inſuper concluſum eſt, & conventum, quod Sereniſſima Regina ELEONORA, poſtquam ad Sereniſſimum Sponſum deducta fuerit, tum ante conſummationem Matrimonii, Literis ſuper ea re ſpecialiter confectis, ſolenniter, & expreſſe renuntiet hæreditati paternæ, & fraternæ, atque Succeſſioni Regni Hungariæ, Bohemiæ, Dominiorumque quorumlibet Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ pro omnibus Auſtriacæ Familiæ Principibus, eorumque Liberis, & Hæredibus per Lineam Maſculinam deſcendentibus, ſalvo ſibi per omnia Jure ſuccedendi in defectu Maſculorum, ita tamen, ut Renuntiatio hæc, tum primum vires, & robur ſuum habeat, poſtquam ſolutio dictæ Dotis centum millium, & Donationis Cæſareæ quadringentorum florenorum millium realiter facta fuerit, poſt quam ſolutionem exnunc, prout extunc ſit valida, & repetita intelligatur dicta Renuntiatio, & hanc ipſam modo ſupraſcripto faciendam Renuntiationem Sereniſſimus Rex Poloniæ per ſuas ſpeciales Literas ratam habere, approbareque debeat, & teneatur. Inſuper concluſum eſt, quod ſi alter contrahentium ante conſummationem nuptialem, quod Deus clementer avertere dignetur, e vivis excederet, tunc totus iſte Contractus, ſeu Tractatus cum omnibus in eo contentis, pro annihilato, caſſato, & enervato habeatur. Conventum etiam eſt, quod Sereniſſimus Rex Poloniæ poſt reditum ad ſe Domini Oratoris ſui prædicti præſen- ANNO 1669.

ANNO 1669. tem Contractum matrimonialem, & ſupra memoratam Conventionem particularem ratificare, & approbare, eandemque manu ſua ſubſcriptam, & Sigillo ſuo ſubſignatam, una cum ſupradictæ Renuntiationis ratificatoriis Literis, in manus Maieſtatis Cæſareæ transmittere, & conſignare debeat.

Huius vero Contractus matrimonialis dabitur Nobis ex parte Sereniſsimi Poloniæ Regis a ſupradicto Domino Regio Oratore, & Legato ſuo reciprocum, ac ſimile Exemplum. In quorum omnium fidem, & teſtimonium, & corroborationem præſentes Literas manibus noſtris ſubſcripſimus, & Sigillis noſtris communiri fecimus. Dat. Viennæ in Aula Cæſarea in Vigilia Nativitatis Domini noſtri, Die vigeſima quarta Decembris Anno milleſimo ſexenteſimo ſexageſimo Nono.

*V. D. Saganenſis mp.*
*Joann. Paul. Hocher, L. B.*

CVII.

LEOPOLDI *Imperatoris Pactorum eorundem Ratificatio, & Confirmatio.* Dat. die 26. Decembris Anno 1669. *Ex Originali.*

LEOPOLDUS Divina favente clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Lucemburgi, ac Superioris, & Inferioris Sileſiæ, Wirtembergæ, & Teckæ, Princeps Sveviæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, Moraviæ, Superioris & Inferioris Luſatiæ, Comes Habſpurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravius Alſatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, & Salinarum. Recognoſcimus, & teſtatum facimus, pro Nobis, & Hæredibus, ac Suceſſoribus noſtris. Significantes tenore Præſentium quibus expedit, Univerſis. Quod cum Sereniſſimus, & Potentiſſimus Princeps Dominus MICHAEL Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniaeque Frater Noſter Chariſſimus, Reverendiſſimum Andream de Olſzowa Olſzowſki Epiſcopum Culmenſem, & Pomeſaniae, Procancellarium Regni Poloniae, Oratorem, & Legatum ad Nos deſtinaſſet, & per eum Sereniſſimam Virginem Dominam ELEONORAM, Poloniae Reginam, Hungariae, & Bohemiae Principiſſam, Archiduciſſam Auſtriae, noſtram Sororem Chariſſimam, in Matrimonium ſibi collocari petiiſſet, benevolentiſſimaque tam noſtra, ac Sereniſſimae Principis, ac Dominae ELEONORÆ Romanorum Imperatricis, ut Matris, quam omnium Voluntate pro Nobis, & omnibus, quorum ex parte Auguſtiſſimæ noſtrae Auſtriae Domus intereſt, ac ipſius etiam Sereniſſimae Virginis, ad eam rem conſenſu declaratis, Pacta, atque Conditiones huiuſce Matrimonii, Nobis nomine, ut ſupra per noſtros Caeſareos Commiſſarios, & Mandatarios, Illuſtriſſimum Venceslaum Ducem Saganenſem Principem, & Gubernatorem Domus Lobkowitz, Principem, Comitem, Steinſteinenſem, Dominum in Chlumnitz, & Raudnitz ad Albin, Equitem Aurei Velleris, noſtrum Conſiliarium Intimum, et Supremum Aulae Praefectum, Conſangvineum, et Principem noſtrum Chariſſimum, nec non Generoſum fidelem Nobis dilectum Joannem Paulum Hocher Liberum Baronem, Conſiliarium noſtrum pariter Intimum, et Supremum Aulae Cancellarium, Vigore Mandati noſtri Caeſarei die decimaſexta currentis Menſis Decembris in eorum Perſonas expediti intervenientibus ex una, et per dictum Oratorem, et Legatum Regium Reverendiſſimum Andream de Olſzowa Olſzowſki Epiſcopum Culmenſem, et Pomeſaniae, Procancellarium Regni Poloniae, ſufficienti Mandato, et Plenipotentia Regia, ſub die vigeſima tertia Menſis Novembris proxime praeteriti expedita, inſtructum, agentem parte ex altera, mutuo inita, et conſtituta fuiſſent. Nos ut ea perpetuo firma, et ſtabilia ſint, quemadmodum in danda praedictis Commiſſariis, et Mandatariis noſtris ad tractandum id Matrimonium poteſtate ſpoponderamus, faciendum putavimus, ut in hoc Diploma noſtrum totum hunc Contractum, memoratorum Commiſſariorum noſtrorum Chirographis, et Sigillis roboratum, de verbo ad verbum deſcribi mandaremus, eundemque hoc noſtro Diplomate confirmaremus. Cuius iisdem plane verbis Formula ſequitur, et eſt talis. In Nomine Domini Amen. Nos VENCESLAUS Dux Sagenenſis, Princeps, et Gubernator Domus Lobkowitz etc. Nos itaque LEOPOLDUS Divina favente clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, etc. Rex, Archidux Auſtriae etc. ſupranominatus, praemiſſum hunc Contractum totum, et integrum, omnesque ſigillatim eius Conditiones, puncta, et Articulos praeſentibus Literis noſtris, omni meliore modo, et forma ratificamus, approbamus, confirmamus, et corroboramus, eaque omnia rata, et grata habere teſtamur, et firma, et inviolabilia,

ANNO 1669.

ANNO 1669 lia, quantum ad Nos pertinet, Nos ſervaturos eſſe, neque ulla in parte a quoquam labefactari permiſſuros, ſpondemus, ac verbo noſtro Caeſareo, Regio, et Archiducali pollicemur. In cuius rei fidem praeſentes manu noſtra ſubſcripſimus, et Sigillo noſtro Caeſareo muniri fecimus. Dat. in Civitate noſtra Viennae die vigeſima ſexta Menſis Decembris, Anno Incarnationis Dominicae milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo nono. Regnorum noſtrorum Rom. duodecimo, Hungarici decimoquinto, Bohemici vero quarto.

LEOPOLDUS mp.

*Ad Mandatum S. Cæſ. Maieſtatis proprium.*

Chriſtophorus Abeli.

## CVIII.

*Particularis Conventio Commiſſariorum S. Cæſ. Maieſtatis, cum Legato Plenipotentiario S. R. M. Poloniæ, tam de Solutione Dotis centum millium florenorum Rhenenſium, quam de Donatione, & Solutione aliorum quadringentorum millium florenorum Germanicorum.* Sub eodem Dato. *Ex Originali.*

*In Nomine Domini Amen.*

NOS VENCESLAUS Dux *S*aganenſis, Princeps, & Gubernator *D*omus Lobkowitz Princeps, Comes *S*teinſteinenſis, Dominus in Chlumnitz, & Raudnitz ad Albin, Eques Aurei Velleris, *S*acræ Cæſareæ Maieſtatis Conſiliarius Intimus, ac *S*upremus Aulæ Præfectus, & Joannes Paulus Hocher Liber Baro, eiusdem Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Conſiliarius pariter Intimus, ac Supremus Aulæ Cancellarius, tanquam dictæ Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Sereniſſimi, & Invictiſſimi Principis, ac Domini, Domini LEOPOLDI Divina favente Clementia Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, *S*clavoniæ Regis, Archiducis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ, Styriæ, Carynthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, Comitis *T*yrolis, & Goritiæ &c. Commiſſarii, & ad infra ſcripta cum Plenipotentia Mandatarii fidem facimus hiſce Literis noſtris, quorum intereſt, Univerſis. Cum a prædicto Sereniſſimo, & Invictiſſimo Principe, ac Domino, Domino LEOPOLDO Romanorum Imperatore, Sereniſſimæ Principi, ac Dominæ, Dominæ ELEONORAE Poloniæ Reginæ, Hungariæ, & Bohemiæ Principiſſæ, Archiduciſſæ Auſtriæ, Duciſſæ Burgundiæ, Comitiſſæ Tyrolis, per Nos vigore Pactorum dotalium inter Nos, & Reverendiſſimum, ac Excellentiſſimum Dominum Andream de Olſzowa Olſzowſki Epiſcopum Culmenſem, & Pomeſaniæ, Procancellarium Regni Poloniæ, a *S*ereniſſimo, & Potentiſſimo Principe, ac Domino, Domino MICHAELE Rege Poloniæ, Magno Duce Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kiioviæ, Volhyniæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czernichoviæque ad dictum Sereniſſimum, & Invictiſſimum Principem, ac Dominum, Dominum LEOPOLDUM Rom. Imperatorem, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ Regem, Auſtriæ Archiducem, Dominum noſtrum Clementiſſimum deſtinatum Oratorem, & Legatum, hodierna die initorum in Dotem centum millia florenorum Rhenenſium, ſexaginta cruciferis bonæ, & uſualis monetae Germanicae pro quolibet floreno computatis, aſſignata ſint, quod de eius ſolutione in eum, qui ſequitur modum, particulariter conventum ſit, nimirum quod alte memorata Sacra Caeſarea Maieſtas dicta centum millia florenorum Rhenenſium poſt Nuptias celebratas ſtatim exſolvet: quae *S*umma inſimul cum Sereniſſima Regina in *P*oloniam tranſmittetur, ac ſine ulla dilatione, neque expectata Comitiorum *R*egni concluſione, Sereniſſimo *R*egi numerabitur, ita tamen, ut tam de hac Dote centum millium florenorum, quam de *C*ontradote, aliorum centum millium florenorum reciproce promiſſa, nec non de Munere Nuptiali ab affectu, et amore Sereniſſimi *R*egis poſt conſummationem Matrimonii proxime determinando, concluſa in *P*actis Matrimonialibus, et determinata, in proximis *C*omitiis actualiter, et effective fiat Inſcriptio, *R*eformatio, et Aſſecuratio. Similiter cum a praememorata Sacra *C*aeſarea Maieſtate dictus Excellentiſſimus Orator, et Legatus praelibati *S*ereniſſimi ſui Regis nomine, auctionem Dotis ob graves praeſentis temporis neceſſitates, praegnantesque modernarum circumſtantiarum cauſas petiiſſet, e contra Nos allegaſſemus, idcirco Dotis nomine maiorem Summam contra morem in Sereniſſima Auſtriaca Domo ſolitum conſtitui non poſſe, ne in præiudicium hoc exemplum futuris temporibus trahatur, tandem eo conventum eſt, ut ſua Sacra *C*æſarea Maieſtas ad dandam in re ipſa, quam Sereniſſimus Rex deſiderat, ſatisfactionem, ſimul & ad demonſtrandum benevolum, & propenſum, quem erga *C*hariſſimam

ANNO 1669.

Anno 1669. Sororem Sereniſſimam Reginam, & Sereniſſimum Regem gerit affectum, fraterne promiſerit ſe, Sereniſſimæ Sorori ultra dictam Dotem centum millium florenorum, alia quadringenta millia florenorum Germanicorum libere donaturam, & ſequenti modo exſoluturam. Scilicet numerabuntur Sereniſſimo Regi in defalcationem dictorum quadringentorum millium florenorum centum quinquaginta florenorum millia ad Feſtum Nativitatis Sancti Joannis Baptistae, Anni proxime ſequuturi, & totum reſiduum florenorum bis centum & quinquaginta millium ad dictum Feſtum Sancti Joannis Baptistae, in Anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo primo. Ea tamen Conditione, & Lege, ut ultra Inſcriptionem a Regno faciendam, & iam ſupra in Pactum deductam a Sereniſſimo Rege Sereniſſimæ Reginæ ratione dictorum quadringentorum millium florenorum condigna fiat Aſſecuratio, qua habita, Sereniſſimo Regi poſt lapſum cuiusvis termini tantum, quantum modo promiſſum conſignabitur, & in eius plenum, liberumque uſum, & adminiſtrationem tradetur. Quæ omnia præmemoratus Excellentiſſimus Orator, & Legatus vigore ſuæ Plenipotentiae grato accepit animo, ſimulque promiſit, & ſpopondit, cum Sereniſſimus Poloniae Rex hanc ſummam in emundationem Bonorum ſuorum haereditariorum, ſeu in coemptionem, aut exemptionem aliquorum Bonorum immobilium ſit converſurus, quod & in illis, & in aliis Sereniſſimae Eleonorae Hypotheca condigna, & ſufficiens, omni meliori modo ſecnndum Jura, & Conſvetudines Regni Poloniae proxime conſtituetur. Demum concluſum, quae de reditu, & permanentia Dotis, Contradotis, Muneris nuptialis, nec non Donatione Caeſarea, aliisque Bonis paraphernalibus donatis, & propriis in Inſtrumento Pactorum dotalium inter Nos, & ſupra dictum Dominum Regium Oratorem, & Legatum expreſſe facta, & conventa ſunt, firma, & inconcuſſa permaneant, atque de iis, quae praefatae Sereniſſimae Reginae Eleonorae eiusdem Contractus vigore debentur, nihil decedat, ſed omnia integra praeſtentur, & executioni demandentur Huius vero peculiaris Conventionis dabitur Nobis, ex parte Sereniſſimi Poloniae Regis, a ſaepe dicto Domino Regio Oratore, & Legato ſuo reciprocum, ac ſimile exemplum. In quorum omnium fidem, teſtimonium & robur praeſentes Literas manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillo communivimus. Datum Viennae in Aula Caeſarea, in Vigilia Nativitatis Domini Noſtri, die vigeſima quarta Decembris Anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo nono. Anno 1669.

*V. D. Saganenſis.*
*Joan. Paul. Hocher L. B.*

## CIX.

Leopoldi *Imperatoris Conventionis præcedentis Ratificatio, & Approbatio.* Datum Viennæ die 26. Decembris An. 1669. *Ex Originali.*

Leopoldus Divina favente clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiae, Carniolæ, Lucemburgi, ac Superioris & Inferioris Sileſiæ, Wirtembergæ & Teckæ, Princeps Sveviæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, Moraviæ, Superioris, & Inferioris Luſatiæ, Comes Habſpurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravius Alſatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicae, Portus Naonis, & Salinarum &c. Significamus praeſentibus Literis noſtris, quorum intereſt Univerſis, & ſingulis. Poſtquam Contractus ſeu Pacta Matrimonialia inter Sereniſſimum, & Potentiſſimum Principem Dominum Michaelem Regem Poloniae, Magnum Ducem Litvaniae, ac Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniaeque Fratrem noſtrum chariſſimum, & Sereniſſimam Principem Dominam Eleonoram Reginam Poloniae, Hungariae, & Bohemiae Principem, Archiduciſſam Auſtriae, Duciſſam Burgundiae, Comitiſſam Tyrolis Sororem noſtram chariſſimam per Delegatos a Nobis Commiſſarios, Plenipotentiarios cum Oratore, & Legato dicti Sereniſſimi Regis Plenipotentiario hic Viennae in Vigilia Nativitatis Domini noſtri die 24. Decembris Anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo nono concluſa fuere, eadem etiam die vigeſima quarta Decembris inter eoſdem noſtros Commiſſarios, ac Mandatarios Caeſareos, & Legatum Regium, Conventionem, ſeu Tractatum particularem circa memoratae Sereniſsimæ Reginae Eleonoræ Dotem centum millium florenorum, & Donationem noſtram Caeſaream aliorum quadringentorum millium florenorum Germanicorum initum, & concluſum, ac manibus eorundem Commiſſariorum noſtrorum

ANNO 1669. ſtrorum, Sigilliſque eorum munitum eſſe, cuius tenor ad verbum ſequitur, eſtque talis. Nos VENCESLAUS Dux Saganenſis, Princeps, & Gubernator *D*omus Lobkowitz &c. &c.

Nos igitur LEOPOLDUS Divina favente clementia Electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae Rex, Archidux Auſtriae, ſupranominatus praeinſertum Conventionis particularis Inſtrumentum, vigore Plenipotentiae Commiſſariis, & Mandatariis noſtris, a Nobis datae confectum, & ſubſcriptum in omnibus eius Punctis, Clauſulis, Articulis, & Conditionibus omni meliori modo, & forma, prout de Jure, et Conſvetudine approbandum, et ratificandum eſſe duximus, uti quidem approbamus, et ratificamus praeſentibus Literis noſtris, eiuſque debitam, et totalem executionem ex parte noſtra verbo noſtro Caeſareo Regio, et Archiducali promittimus, et aſſecuramus. In cuius rei fidem praeſentes manu noſtra ſubſcripſimus, et *S*igillo noſtro Caeſareo muniri fecimus. *D*atum in Civitate noſtra Viennae die 26. *D*ecembris, Anno *D*omini milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo nono Regnorum noſtrorum Romani duodecimo, Hungarici decimo quinto, Bohemici decimo quarto.

LEOPOLDUS.

*Ad Mandatum Sacræ Cæſareae Maieſtatis proprium.*
Chriſtophorus Abeli

*Tenor eorundem Pactorum Matrimonialium ex parte Legati S. R. M. Poloniæ.* Sub eodem Loco & Dato. *Ex Originali.*

Ego Andreas de Olſzowa Olſzowſki Epiſcopus Culmenſis, et Pomeſaniae, Procancellarius Regni Poloniae, Sereniſsimi et Potentiſsimi *P*rincipis, ac *D*omini, *D*omini MICHAELIS *D*ei Gratia Regis Poloniae, Magni *D*ucis, Litvaniae, Ruſsiae, Pruſsiae, Maſoviae, Samogitiae Kiioviae, Wołhyniae, Livoniae, Smolenſciae, Severiae, Czerniechoviaeque, et ad Sereniſsimum, et Invictiſsimum *P*rincipem, ac *D*ominum, *D*ominum LEOPODUM Divina favente clementia Rom. Imp. ſemper Auguſtum, et Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque etc. *R*egem, Archiducem Auſtriae, *D*ucem Burgundiae, *S*tiriae, Carinthiae, Carniolae, et Wirtembergae, ac Comitem Tyrolis et Goritiae etc. Orator, et Legatus, ad infraſcripta vigore ſufficientis Mandati & Plenipotentiæ Commiſſarius, Procurator, & Mandatarius fidem facio hiſce Literis meis, quorum intereſt, Univerſis. Quod cum a prædicto Sereniſsimo, & Invictiſsimo Principe ac Domino, Domino LEOPOLDO Rom. Imperatore, Sereniſsimo ac Potentiſsimo Principi, ac Domino, Domino MICHAELI Poloniæ Regi Domino meo clementiſsimo Sereniſsimam Principem, ac Dominam ELEONORAM Poloniæ Reginam, Hungariae, et Bohemiæ Principiſſam, Archiduciſſam Auſtriae, *D*uciſſam Burgundiae, Comitiſſam Tyrolis eiuſdem *S*ereniſsimi, atq; Invictiſsimi Principis Sororem chariſsimam in Matrimonium collocari petiiſſem, & Sacra Caeſarea Maieſtas in huiuſmodi Sereniſsimi Regis mei petitionem ita ſuo, quam Sereniſsimae & Potentiſsimae Principis, ac *D*ominae, Dominæ ELEONORÆ Rom: Imperatricis, uti Matris, quam omnium quorumcunque ex Auguſtiſsima Domo Auſtriaca intereſſe habentium nomine benigne mihi, ac benevole annuerit, acceſſerit etiam aſſenſus eiuſdem *S*ereniſsimae Virginis, tandem quod felix, fauſtumque ſit &c. In quorum omnium fidem, teſtimonium, et robur, praeſentes Literas manu noſtra ſubſcripſi, & Sigillo communivi, Datum Viennae, in Aula Caeſarea, in Vigilia Nativitatis *D*omini noſtri, die 24 *D*ecembris Anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo nono. ANNO 1669.

*Andreas Olſzowſki Epiſcopus Culmenſis Vicecancellarius, & Legatus Poloniæ.*

CX

MICHAELIS *Regis Poloniæ eorundem Pactorum Matrimonialium Ratificatio, & Approbatio.* Datum Varſaviæ. die 23. Menſis Januarii Anno 1670. *Ex Originali.*

MICHAEL Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, *R*uſsiae, Pruſsiae, Maſoviae, Samogitiae, Kiioviae, Wołhyniae, Livoniae, Smolenſciae, Severiae, Czerniechoviaeque. Significamus praeſentibus Literis noſtris, quorum intereſt Univerſis, & Singulis: Exhibita eſſe Nobis Inſtrumenta bina Contractus, ſeu Pactorum Matrimonialium inter Nos, & Sereniſsimam Principem Dominam ELEONORAM Reginam Poloniae, Hungariae, & Bohemiae Principiſſam, Archi-

ANNO 1670. chiduciſſam Auſtriae, Duciſſam Burgundiae, Comitiſſam Tyrolis, Sponſam noſtram chariſsimam cum delegatis a Caeſarea Maieſtate Commiſſariis Plenipotentiariis, per Oratorem Legatum noſtrum Plenipotentiarium Viennae in Vigilia Nativitatis Domini noſtri, die vigeſima quarta Decembris, milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi noni inſtituta, manu eiuſdem Legati noſtri ſubſcripta, & eius Sigillo munita, ſana, ſalva, illaeſa, omnique ſuſpicione carentia. Quorum tenor ſequitur, eſtque talis. In Nomine *D*omini Amen. Ego Andreas de Olſzowa Olſzowſki Epiſcopus Culmenſis, & Pomeſaniae, Procancellarius Regni Poloniae, &c. Nos igitur MICHAEL Rex praeinſerta Contractus, ſeu Pactorum noſtrorum Matrimonialium bina Inſtrumenta vigore *P*lenipotentiae Oratori, & Legato noſtro a Nobis datae confecta & ſubſcripta in omnibus eorum punctis, clauſulis, articulis & conditionibus omni meliori modo, & forma, prout de Jure, & Conſvetudine approbanda, & ratificanda eſſe duximus, uti quidem approbamus, ratificamus, praeſentibus Literis, earumque debitam, & totalem executionem ex Parte noſtra verbo Regio promittimus, et aſſecuramus. In cuius rei fidem praeſentes manu noſtra ſubſcriptas Sigillo Regni communiri iuſſimus. Dat. Varſaviae die XXIII. Menſis Januarii Anno Domini M*D*CLXX. Regni noſtri Anno primo.

MICHAEL *Rex.*

## CXI.

*Reformatio Sereniſſimæ Reginæ* ELEONORÆ. Dat. Varſaviæ die 7. Novembris Anno 1670. *Ex Archivo Regni Lib. 181. Numero 182. fol 51.*

MICHAEL *D*ei Gratia Rex Poloniae, Magnus *D*ux Litvaniae, Ruſsiae, *P*ruſsiae, Maſoviae, Samogitiae, Kiioviae, Volhyniae, *P*odoliae, Podlachiae, Livoniae, Smolenſcyae, Severiae, Czerniechoviaeque. Ad perpetuam rei memoriam, Notum, teſtatumque facimus, ad quos praeſentes Litterae noſtrae devenerint, huius, et futuri temporis Univerſis, et *S*ingulis; *C*onnubialis amicitiae conditionem, non ad animorum duntaxat, voluntatumque inter ſe devinctarum individuum nexum, verum etiam ad externorum bonorum communionem, mutuumque uſum referri, certum habetur; quae tunc demum ſolido conſediſſe fundamento exiſtimanda eſt, cum et affectus invicem, et coniugales fortunae pari ſorte in praeſidium, et decus utrinque miſcentur. Quod equidem ſacer maritalis amor tanto ampliori merito exigit, quanto plura in dilecta ad perpetuitatem omnis fortunae Conſorte, charitatis illicia, et quaedam innocentium flammarum alimenta aſpiciuntur. Iſto nomine *D*ivinae bonitati ſupplices ſumus, reddimuſque immortales gratias, quae ſicuti Nos magnarum Gentium Regem eſſe iuſsit, ita ad firmandas per *C*onnubium Imperii, et duraturae felicitatis ſpes, animum flexit, quo Regia poſteritas in felicem votorum materiam Electori populo naſcatur, ne quae funeſta ampliſsimi Regni orbitas gravi, et metuendo externorum ambitu deinceps laceretur. Rependimus gratum affectum Sereniſsimae Domui Auſtriacae, quod deliberatio Matrimonii noſtri, nec difficilis, nec ambigua diu fluctuavit, quae Regum thalamis condigna vota Caeſarum filias, Nepteſque parere, et educare tot ſaeculis aſſveta, noſtri deſiderii curſum facilem, et plenis velis, ventiſque in ſe vertit, impulitque Maieſtas illa, et ſplendor Auſtriacus, qua ſol utrumque recurrens aſpicit Oceanum diffuſus, ſtimulo fuit, ut minime dubitantem animum in eligenda *S*ereniſſima ELEONORA determinare voluerimus. *C*ommendarunt Nobis Auguſtam Principem non ſolum inclytae origines, et per tot Caeſares, et ſceptra deductus ſangvis, ſed non minus magnae ſtirpi par, et digna Regno mens, quae diviſas in aliis dotes, in ſe unam adeo collegit, ut pietas modeſtiae, prudentia candori, forma pudicitiae, bonitati gravitas in hac Principe optime iungantur, reſpondeantque, et in Auguſta facie, oculiſque habitantes gratiae, magnae virtuti reconditae fidem non ambiguam faciant. ANNO 1670

Itaque cum de conſilio Senatus noſtri per Legatum noſtrum Caeſaream Maieſtatem de Nuptiis noſtris appellaverimus, & obtentum Caeſareae Domus pignus Sereniſſimam Principem ELEONORAM Archiduciſſam Auſtriae Throno, Thoroque Regali ſociam iunxerimus, reliquum eſt, ut amorem noſtrum, quo eandem Sereniſſimam Reginam, Conſortem noſtram dilectiſſimam complectimur, in argumenta eximia, & publica provocemus, quatenus Orbi Chriſtiano conſtet, quo apud Nos Sereniſſimae Domus Auſtriacae coniunctionem, quo item Regias Sereniſſimae Conſortis virtutes loco habeamus. Quod igitur ex obligatione Pactorum matrimonialium præſtare tenebamur, iam feliciter in Comitiis Regni Generalibus ſedula, diligen-

Anno 1670. diligentique opera noſtra perfecimus, ut iuxta eadem Pacta pro Dote centum millium florenorum Rhenenſium ſtatim, & realiter Czenſtochoviae poſt Nuptias celebratas Nobis numerata, alia ſumma centum millium florenorum ratione Contradotis, ſeu Donationis propter Nuptias in certis idoneis Locis, Dominiis, Civitatibus, Oppidis, Arcibus, & Terris Regni Poloniae, & Magni Ducatus Litvaniae de conſenſu omnium Ordinum aſſignaretur, conſtitueretur, & Reformatio ſufficiens ſecundum Conſtitutiones Regni, & Conſvetudinem alias obſervatam, ſuper iisdem Bonis approbaretur, & ratificaretur. Quae Loca, Civitates, Oppida, & Arces in Regno, nimirum Uſcie cum Pila, Krzeczow, Tucholia, Novitargum, Dolinia, Graudentum, Oſtrolęnka, Zarnoviecia, Golubia, Dybvia, Rubiezovia, & Advocatia Bydgoſtienſis: In Litvania vero Jurborkum, Nova Vola, Upitia cum attinenentiis, Opeſkia, Uſpolia cum ſaltibus, ac ſylvis, Bolonga, Siemnum, Metelle, Onikſzty cum Juribus Patronatus in Conſtitutione ſpecificata ſunt. Porro cum Sereniſſima Regina Conſors noſtra dilectiſſima obſtantibus Juribus modernorum Poſſeſſorum, & communicativis eorundem Bonorum Reformationi ſuae ſervientium poſſeſſionem adire, & fructum ex iis ſtatim, & ad praeſens percipere non poſſit, inhaerendo praedictae Conſtitutioni proviſionem annuam ſuper Zuppa ſalinaria noſtra Bochnenſi, centum quinquaginta millium florenorum monetæ in Regno currentis eius Serenitati aſſignamus, determinamus, & Privilegio praeſenti noſtro roboramus, ea lege, ut cum, & quando ſua Serenitas alte memoratas Praefecturas, & Bona ſua reformatoria in poſſeſſionem receperit, tantum de ſumma proviſionis annuae Bochnenſis ducta proportione detrahatur, quantum quaelibet Praefectura fructus, et reditus annui Serenitati ſuae realiter, et effective importabit. Qua quidem Proviſione Bochnenſi tota, & integra, per ratas infallibiliter, et ſine dilatione, aut minima diminutione numeranda, et exſolvenda Sereniſſima Regina pleno Jure utetur, & fruetur, uſque ad extenuationem eius per Aſſecurationem, et Poſſeſſionem pacificam dictarum Praefecturarum, alias ad vitae ſuae tempora, ſalvo Donativo nuptiali duorum millium Hungaricalium in utrisque Zuppis Vielicenſi, et Bochnenſi aſſignato, quod extenuationi minime ſubeſt, et integre item ad vitae tempora a Sereniſſima Regina recipietur. Quam quidem proviſionem annuam Bochnenſem, et omnia, ac ſingula eius certitudinem, et ſecuritatem concernentia, Verbo noſtro Regio, et ſub cautione, obligationeque in Pactis matrimonialibus, ſeu Literis Tractatus eius comprehenſa, adeoque Senatus noſtri conſilio, et conſenſu publico, Comitiorum authoritate accedente, integre, et inviolabiliter Nos, Succeſſoresque noſtros obſervaruros, noſtro, Succeſſorumque noſtrorum Regum Poloniae nomine recipimus, promittimus, et bona fide, dolo, et fraude ſemotis, ſpondemus. In quorum omnium et ſingulorum fidem, et teſtimonium haſce manu noſtra ſubſcriptas Sigillo Regni noſtri communiri iuſſimus. Datum Varſaviae die ſeptima Menſis Novembris, Anno Domini MDCLXX. Regni noſtri ſecundo Anno. Anno 1670.

MICHAEL *Rex.*

(L.S.)

*Procancellariatu Reverendi in Chriſto Patris P. Andreae Olſzowſki Epiſcopi Culmenſis, & Pomeſanienſis, Procancellarii Poloniæ.*

Stanislaus Buzenski, *Gneſnenſ. Varmienſ. Canonicus, Regens Cancell. Regni.*

CXII.

*Fœdus inter* Leopoldum *Rom. Imperatorem, &* Joannem III. *Regem Poloniæ, quo priora Pacta, & Fœdera inter Reges, & Regnum Poloniæ inita, renovantur, & confirmantur.* Actum in Civitate Viennæ, & Arce Regia Varſavienſi die 24. Aprilis Anno 1677. *Ex Originali. Sigil. 2.* 1677.

Joannes III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Kiioviæ, Volhyniæ, Podlachiæ, Podoliæ, Severiæ. Univerſis, & ſingulis Regni, & Dominiorum noſtrorum, annexarumque illi Provinciarum, cuiuscunque ſtatus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ ſubditis noſtris praeſentibus Literis ſignificamus.

Quod cum inter primarias muneris noſtri Regii curas poneremus, ut poſt felicem Electionem, & Coronationem noſtram Foedera, & Pacta, quae inter Sacram Caeſaream Majeſtatem, Domumque Auſtriacam, & Sereniſſimos Praedeceſſores noſtros antiquitus interceſſerunt, novis utrinque nexibus roborarentur, Po-

ANNO 1677. pulorumque tranquillitati, & bonae vicinitatis cultui, quaeque inde dependent, correſpondentiarum, & commerciorum uſui proſpiceretur; ideo Pacta eadem renovanda, & confirmanda eſſe duximus, prout renovamus, & confirmamus. Quorum tenor ſequitur eiusmodi.

Nos LEOPOLDUS, Divina favente Clementia, Electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae Rex, Archidux Auſtriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae, Marchio Moraviae, Dux Lucemburgiae, ac Superioris, & Inferioris Sileſiae, Wirtembergiae, & Teckae, Princeps Sueviae, Comes Habſpurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiae, Landgravius Alſatiae, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviae, ac Superioris, & Inferioris Luſatiae, Dominus Marchiae Sclavonicae, Portus Naonis, & Salinarum etc. etc. Et Nos JOANNES III. Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, ac Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniae, Smolenſciae, Kiioviae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Severiae, Czerniechoviaeque.

Tenore praeſentium recognoſcimus, ac notum facimus Univerſis, & Singulis, praeſentibus, et futuris, harum notitiam habituris. Quandoquidem, qui Chriſti locum in terris gerunt, eos in hoc elaborare maxime decet, ut, cuius locum obtinent, eius veſtigiis incedant: Nos memoria tenentes, quod non aliunde poteſtas noſtra ſit, quam ab eo, a quo nomen ducimus, cuius appellatione cenſeri volumus, Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui, quos ipſe Nobis ſubiecit populos, eos loco ſuo regere Nos voluit, et gubernare: huc omnes curas, et cogitationes noſtras convertendas duximus, ut, quatenus id humanitus praeſtari poteſt, adiuvante eo, cuius id ſolius munere contingit, quam proxime ad ſimilitudinem eius accederemus, per quem Reges regnant, et Principes imperant, et Potentes decernunt iuſtitiam. Quoniam vero, non ille potentiam ſuam, non ſapientiam, ſed eam ſolam, qua Societas hominum inter ipſos continetur, dilectionem, qua Nos prior ipſe praeter meritum ullum proſecutus eſt, imitari voluit, ut, ſicut ipſe dilexit Nos, ita & ipſi viciſſim diligeremus invicem, ac pacem, concordiam, tranquillitatemque mutuam inter Nos conſervaremus: neque poteſt illi ſacrificium ullum a mortalibus offerri gratius, quam ſit fraterna charitas, inter unius corporis membra. Hanc illius dilectionem, qui Nobis tot Civitates, tot Populos, lingua, moribus, habitu inter ſe diſſidentes, tot tam late patentes Provincias, tot ampliſſima Regna ſubiecta eſſe voluit, praecipue pro virili noſtra imitandam eſſe duximus. Itaque cum inter recolendae memoriae Maiores noſtros iam inde a longiſſimo tempore certamen amoris, benevolentiaeque mutuae ſuſceptum fuiſſe cognoviſſemus, cuius rei tanquam teſtes ſunt Pactorum, & Foederum Literae, quae inter Auſtriacam, & Jagellonicam Domos, quaeque inter utriusque Domus Regna, Imperia, Provincias, Populos, & Nationes, nominatim vero, quae inter quondam ALBERTUM Archiducem Auſtriae, cum quondam CASIMIRO Poloniae Rege, & divum FRIDERICUM Imperatorem cum eodem CASIMIRO Rege, poſtea vero etiam inter recolendae memoriae FERDINANDUM, & MAXIMILIANUM Imperatores, cum itidem recolendae memoriae SIGISMUNDO AUGUSTO Rege, ac tandem inter RUDOLPHUM II. & ſucceſſive MATHIAM, nec non FERDINANDUM II. Imperatores, & quondam SIGISMUNDUM III. ac VLADISLAUM Sereniſſimos Poloniae Reges item praeclariſſimae memoriae interceſſerunt. Nos Maiorum noſtrorum exemplo provocati, qui ſummam ſemper inter ſe neceſſitudinem, & amicitiam conſervare ſtudebant, atque eam arctis praeterea affinitatis vinculis fortius colligabant, quam ut diſſolvi facile poſſet, ea nimirum Pacta, & Foedera, quae inter praefatos Maiores noſtros, quondam ALBERTUM Archiducem Auſtriae, FRIDERICUM, FERDINANDUM, MAXIMILIANUM II. RUDOLPHUM II. & MATHIAM, nec non FERDINANDUM II. Imperatores praeclariſſimae memoriae, atque CASIMIRUM, SIGISMUNDUM AUGUSTUM, & quondam SIGISMUNDUM III. ac VLADISLAUM obſervata fuerunt, id, quod felix, fauſtum, & fortunatum Deus eſſe velit utrique noſtrum, ac utriusque noſtrum Imperiis, Regnis, Terris, Civitatibus, Populis, & Nationibus in Dei Optimi Maximi Nomine, a quo tanquam fonte perenni manat, quidquid bonarum eſt rerum, inter Nos quoque, & pro Nobis, & Succeſſoribus noſtris continuanda, confirmanda, inſtauranda, & renovanda, atque adeo declaranda, corroboranda, & amplificanda duximus, ita ut continuamus confirmamus, inſtauramus, renovamus, declaramus, corroboramus, & amplificamus, Praeſentium per tenorem. Ac primum quidem, ſicut in Literis quondam ALBERTI Archiducis praeſcriptum eſt, Nos omni honore, fide, & amore invicem proſequi, & promovere debemus, & volumus in locis omnibus, & temporibus, ubi ANNO 1677.

Nobis

ANNO 1677. Nobis id faciendi ſe facultas obtulerit, citra dolum, & fraudem aliquam, neque committemus unquam, ut alter alteri, aut familiaribus eius, Vaſallis, & ſubditis quibuscunque, Regnis, & Ducatibus, Terris, & Civitatibus ei ſubiectis, & ſub eius obedientia, & defenſione conſtitutis, quacunque ex cauſa bellum inferamus, inimicitias denunciemus, diffidamus aut hoſtiliter eos impetamus, per Nos aut ſubmiſſas perſonas, fraude, et dolo ſemotis. Ac non modo ipſi ab huiusmodi rebus abſtinebimus, verum etiam ſubditos noſtros, et quicunque in fide poteſtateque noſtra ſunt, eos prohibebimus, ac ab omni vi, modo ſuperius deſcripto, temperare ſibi cogemus. Habebunt etiam poteſtatem homines noſtri, cuiuscunque ſtatus, & conditionis fuerint, in quibuſcunque Terris, Dominiis, Civitatibus noſtris, & obedientiae noſtrae ſubiectis, agendi, & commorandi, atque inde etiam libere, & ſecure, cum illis viſum fuerit, diſcedendi. Deinde, ſicut etiam Literis Divi FRIDERICI cautum eſt, ita Nos invicem uniendos, obligandos, alligandos, confœderandos duximus, quemadmodum unimus, obligamus, promittimus, alligamus, confœderamus, Praeſentibus, quod ex hoc tempore ipſo, perpetuo, realiter, & cum effectu invicem, & mutuo obligati, alligati et confœderati ſimus, & erimus, & inter Nos, & ſubditos noſtros, nec non Regna, Principatus, & Dominia, quae nunc uterque noſtrum poſſidet, & quae Deo concedente in futurum acquiremus, conſtans, perpetua, indiſſolubilis, & Chriſtiana Pax eſſe, & ſervari debet, & debebit, & in omnibus utriusque noſtrum honorem, dignitatem, ſtatum, augmentum concernentibus, & concernere valentibus, mutuo Nobis auxiliabimur, conſulemus invicem, promovebimus, & aſſiſtemus, nec alteruter noſtrum quidquam faciet, cupiet, pertractabit, aut molietur, quod contra alterutrum noſtrum, Regna, Principatus, Dominia, ſubditos, honorem, ſtatum, dignitatem, aut augmentum ſit, ſeu eſſe, aut tendere poſſit. Neque noſtrum alter alteri, ipſius Regnis, Dominiis, Principatibus, & ſubditis bellum, damnum, aut quodvis aliud nocumentum inferet, nec a ſuis quovis quaeſito colore inferri permittet, ſed quilibet noſtrum contra ſubditos ſuos, qui huiusmodi faciunt, aut facere, aut moliri vellent, totis viribus ſuis, & potentia in Terris, & Dominiis ſuis conſurget, & eos, pro huiusmodi exceſſibus, pœna condigna puniet, & caſtigabit, donec damnorum datorum integram compenſationem, & refuſionem facient. Praeterea nullus noſtrum ad alterius Regna, Principatus, & Dominia, aſpirare, aut anhelare debet, nec alterius noſtrum Regna, Principatus, Dominia, & ſubditos, ſi quos, quod Deus avertat, ab altero noſtrum deficere, recedere, aut rebellare contingeret, contra alium, eius Regna, Principatus, Dominia, & ſubditos ſuſcipere, tenere, protegere, iuvare, aſſiſtere, neque conſulere, aut favore proſequi debet, neque a ſuis talia fieri patiatur, ſed contra tales infideles unus alteri auxiliabitur, & aſſiſtet, atque Dominiis ſuis excludet. Si vero alter noſtrum eius Regna, Principatus, aut ſubditi contra alterum, ipſius ſubditos, Principatus, aut Dominia actionem realem, ſeu perſonalem, civilem, ſeu criminalem, aut qualemcunque querelam habet, aut in poſterum habuerit, ſi ſuper ea non potuerimus amicabiliter concordare, tum neque ipſi, neque ſubditi contra alterum, ipſiusque ſubditos, Regna, Principatus, & Dominia quidquam via facti attentare, neque ſibi ipſi ius dicere, aut ulciſci, ſed ſuper eo iure, & non aliter experiri debent. Caeterum pro maiore ſupra ſcriptorum Fœderum declaratione, proque tranquilliore ſubditorum noſtrorum ſtatu, quiete, & bonae vicinitatis conſervatione, & quo firmior inter Nos, Regna, & ſubditos noſtros, Pax, amicitia, & benevolentia perpetuo conſtare queat, utque omnes diſſidiorum cauſae, quoad eius fieri poteſt, praeſcindantur: Ordinamus, ſtatuimus, declaramus & volumus, quod cum initio ſcriptum eſt, quod mutua Nobis invicem auxilia ferre debemus, quomodo alter alteri auxilia ferre velimus, id in arbitrio utriusque noſtrum, & Ordinum Regnorum noſtrorum, poſitum eſſe debere, hoc tamen expreſſo, ut liceat utrique noſtrum ex Terris, & Provinciis alterius voluntarios milites, ære ſuo conductos, educere, & arma in ſuum uſum exportare; eatenus tamen educere milites liceat, quatenus id ſciente fiat altero noſtrum, neque ſit alteruter noſtrum bello ſuo proprio contra hoſtes aliquos ſuos impeditus. Hoſtibus vero ne id liceat, neve favor ullus praeſtetur, qui alteri obeſſe poſſit, ita tamen, ut nedum iuxta praeſcripta Maiorum noſtrorum Fœdera, nullus noſtrum alteri, vel ipſius Regnis, Principatibus, Dominiis, & ſubditis bellum, damnum, aut quodvis aliud nocumentum inferre, ſed neque alterius hoſtes, aut rebelles fovere, protegere, ſeu eis aſſiſtere, vel favorem, conſilium, aut auxilium quovis modo praeſtare debeat.

ANNO 1677.

Volumus praeterea, vias, et publica flumina, nec non commercia, et negotiationes mutuas per Regna, et Provincias noſtras omnibus, et ſingulis Regnicolis, Provincialibus, et Subditis noſtris, tum

Anno 1677. terra, quam aqua liberas utrinque esse, nec ullis unquam interdictis, arrestationibus, seu repressaliorum concesionibus impediri, sed utriusque nostrum subditos in alterius Regnis, & Dominiis, libero transitu, ac fide publica, quem *Salvum* Conductum vocant, non minus, quam proprios cuiusque subditos gaudere, uti, ac frui posse,et debere. Neque cuipiam nostrum,aut his,quiNobis subditi sunt,querelas & actiones suas, si quae iam sunt, vel futuris temporibus oboriantur, aliter, quam mediante iure prosequi liceat. Ut autem omnes vel protelatae, vel denegatae iustitiae querelae tam inter Nos, quam subditos nostros hinc inde praecaveantur, sed cuique expeditum ius, et iustitia summarie, et de plano administrari, eiusdemque debita executio effectualiter obtineri valeat; convenimus, et concordavimus, quod si quis nostrum, vel unius nostrum subditi contra alterius unum, vel plures privatos subditos actiones sive personales, sive reales intentarent, tunc semper pars agens forum, et iudicium ipsius rei sequi debeat. Et quod in personalibus iniuriarum, violentiarum super spoliatione, seu similibus, Judex permisione subitarii iudicii citra dilationum, et exceptionum admisionem actori forensi de simplici, et plano iustitiae complementum facere: in realibus vero secundum uniuscuiusque Ditionis consvetudinem ita procedere teneatur, ut quilibet, citra dilationem, iustitiae executionem obtinere queat: id quod per Superioritates, et Magistratus fideliter provideri, et dirigi par est. Quodsi alter nostrum contra alterius Provinciam, vel Communitatem aliquam, vel vicisim Provincia, Communitas, vel privati unius nostrum contra alterum ex Nobis, vel eius Provinciam, seu Communitatem privatas actiones praetenderent, tunc causae huiusmodi coram alterius nostrum, sub quo pars rea degit, Consiliariis, seu Commissariis, per eundem iuxta partium conditionem, et causarum exigentiam, non minus septem numero designandis, summarie audiri, et vel amicabiliter componi, vel iure mediante determinari, et executioni demandari debent. Porro si inter Nosmet ipsos Reges, seu forsan Regna, et Provincias nostras, tum metarum, et terminorum, tum commerciorum,seu quarumlibet aliarum tam veterum, quam novarum causarum, iurium,vel obligationum occasione, querelae, gravamina, et controversiae suborientur, tunc alter nostrum, qui, vel cuius Regnum, seu Provincia ius, vel querelam prætendit, alium per Nuntios, vel Literas suas amicabiliter informare, ac pro tollendo, sarciendo, amovendoque gravamine admonere, & requirere debet. Quod si obtinere nequeant, tunc quilibet nostrum statim intra duorum Mensium spatium a facta amicabili requisitione, tres Consiliarios suos e Proceribus Regnorum Hungariæ, Bohemiæ, Moraviæ, Silesiæ, & vel ex aliquibus harum, prout quodque negotium ad aliquam harum Provinciarum pertineat, vel etiam ex omnibus pro exigentia, & gravitate negotii, ab una, Regnique Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ ab altera partibus,ad convenientem diem, & locum per partem læsam, seu querulantem nominandum, semota omni excusatione mittere debeat. Qui utriusque nostrum Consiliarii summam imprimis diligentiam adhibeant, quo huiusmodi querelae, gravamina, & controversiæ inter Nos, Regna, & Provincias nostras amicabili compositione transigantur, ea vero non succedente, tunc læsa pars, sive agens coram prædictis sex Consiliariis, actionem suam, statim ipso die, iuridice exhibendi potestatem habeat, idque duplicatis scripturis, quarum unam Consiliarii penes se retineant, aliam vero parti reæ transmittant. Quo facto pars rea responsum suum etiam scriptis duplicatis sæpedictis Consiliariis, vel ei, cui ex illis hoc demandatum fuerit, intra spatium proximorum duorum Mensium a transmisso actionis libello mittere teneatur, ut scilicet actor replicas, reus vero duplicas suas, ac præterea utraque pars tertiam quoque conclusionem, & submissivam scripturam de bimestri in bimestre duplicatis, ut præfertur, scriptis offerre queat. Eo sane modo, & ordine utrique parti transmittendis, sicut de actionis libello demonstratum est. Oblatis tandem successive ab utraque parte duplicatis trinis scripturis, in quibus utrinque omnia iura sua explicabunt, sex illi Commissarii partibus ad promulgandam sententiam inter proximum sequens bimestre, diem ad eum locum, ubi causa primo agi cæpit, indicent, quo loco, & tempore partes per Procuratores suos pleno mandato suffultos comparere, illicque, & ipsi Consiliarii convenire, ac diligenter visis scriptis, & discussis actis totius causæ, partes rursum ad concordiam, & amicabilem compositionem invitare, & cohortari, nihilque in eo operæ, & diligentiæ intermittere debeant. Quam si ne tunc quidem inter partes obtinere queant, statim ad ferendam sententiam procedant, ac id, quod iuris, & iustitiæ fuerit, cognoscant, & decernant. Quodsi supradicti Consiliarii de ferenda sententia, sive interlocutoria, Anno 1677.

ANNO 1677. cutoria, sive definitiva fuerit, concordare non possint, tunc toties quoties opus fuerit, Arbitrum communi voce deligant, vel per quamlibet Consiliariorum partem, duabus idoneis personis propositis, ex iisdem sorte constituant, cuius partes sint, huic Consiliariorum opinioni, quæ & iuri, & æquitati magis consona videatur, subscribere, eandemque laudare, et approbare. Quidquid autem per ipsos Consiliarios nostros, seu maiorem eorum partem separatim, vel per eosdem, vel Arbitrum coniunctim decretum, & pronunciatum fuerit, id ratum, firmumque maneat, ac statim debitæ demandetur executioni, remota omni plane appellatione, supplicatione, reductione, in integrum restitutione, aliisque iuris beneficiis, & remediis etiam motu proprio concessis, obtentis, non obstantibus. Debent autem Consiliarii per Nos pro tempore deputandi, nec non et Arbiter ipse per Nos, et quantum ad quemlibet nostrum spectat, ab obedientiæ, et iuramenti debito ad eam causam tantum absolvi, ac pro administranda iustitia novo, consvetoque iuramento obstringi. Quod si pendente lite unus, vel plures ex ipsis Consiliariis mortem obirent, tunc in demortuorum locum, prout ad quemlibet nostrum pertinebit, alios semper surrogabimus. Ipsi quoque Consiliarii non plures scripturas admittant, aut terminos alio modo, quam supradictum est, prorogandi, aut alterandi potestatem habeant, sed forma, & modo illis concesso procedant, excepto casu, quo partes testes producere necesse haberent, tunc ipsi Consiliarii iurisdictionem suam prorogandi potestatem habeant, tantisper, donec testes eius causæ conscii secundum iuris dispositionem legitime producti, & auditi fuerint, ita tamen, ne ulla minus necessaria prorogatio quæratur, vel admittatur, sed omnes testes ad unum diem, & terminum, quantum fieri potest, audiantur, a publicatis attestationibus, non nisi unica scriptura a qualibet parte recipiatur. Proinde, quo magis Regna, Principatus, & Dominia nostra ab omni bellorum, deprædationum, latrociniorum, hostilitatisque periculo libera, secura, purgataque esse queant, conventum inter Nos est, quod nullus nostrum alterius, seu Regnorum, Provinciarum, vel subditornm suorum diffidatores, hostes, homicidas, raptores, seu damnificatores, nec non profugos cuiuscunque conditionis, sive ecclesiasticos, sive sæculares, item rebelles subditos, quicunque in alterius nostrum Regnis, & Ditionibus reperti, denunciati, vel per Nos-

met, aut Officiales nostros pervestigati ANNO fuerint, nequaquam amplius fovere, & 1677. assecurare, multo minus vero per subditos nostros ullo hospitio, auxilio, sive receptatione quocunque prætextu, directe, vel indirecte, publice, vel occulte recipere, iuvare, vel intertenere debeat, sed ubicunque huiusmodi grassatores, raptores, diffidatores, & damnificatores, ubilibet in præfatis Regnis, & Ditionibus nostris deprehensi fuerint, contra eos iussu nostro, & directione, atque accurata diligentia Officialium, vtrobique parti læsæ, atque deferenti iustitia immediate, atque irrecusabiliter permitti, atque administrari, aut etiam citra partium requisitionem de iis, ut communibus hostibus, a Capitaneis, & Magistratibus, ubicunque ex officio inquiri, insequi, & pœnaliter procedi debeat. Casu autem, quo aliquis ex Officialibus, aut subditis nostris propter receptationem, assecurationem, vel defensionem antedictorum diffidatorum, aut omissionem antedictorum diffidatorum insecutionis, captivationis, sive animadversionis scienter contravenerit, in tales utrobique, sive delati a parte altera, sive alias verosimili suspicione deprehensi forent, capitali supplicio irremissibili debet animadverti.

Quod si alterius nostrum, unus, vel plures incolæ, vel subditi, alteri nostrum, seu Regnis, & Dominiis nostris, generaliter, vel singularibus personis, incolis, & subditis, privatim hostilitatem denunciaverint, tunc statim Præfectus, Capitaneus, aut Officialis illius loci, sive districtus, cui diffidatio indicta est, Generales, Præfectos, & Capitaneos Regnorum, & Provinciarum alterius nostrum, sub quo tales diffidatores degunt, ea de re certiores reddere, ipsisque exemplar diffidatoriarum litterarum transmittere debeat. Quo accepto præfati Præfecti, & Capitanei diffidatores pro publicis hostibus iudicare, promulgare, publicare, omnibusque, & singulis incolis, cuiuscunque ordinis, & conditionis exstiterint, eorum consvetudinem interdicere, & ne a quoquam hospitio recipiantur, aut consilio, auxilio, sive re ulla alia iuventur, prohibere, & cavere, bonaque diffidantium applicare Fisco, & Cameræ Regiæ, ac proinde in hospites, socios, conscios, & complices pari quoque severitate animadvertere teneantur, ignorantiæ excusatione universis penitus sublata. Quod si quispiam Præfectus, Capitaneus, aut Magistratus in huiusmodi casibus subitam iustitiam administrare cunctaretur, aut etiam alias ex officio,

ANNO 1677. inquisitione, insecutione, & animadversione debita non procederet, tum tales nostræ punitioni immediate obnoxii, & rei esse debeant. Ut autem præcipuus diffidationum, & grassationum fons, quo huiusmodi latrocinia inprimis aluntur, e medio tollatur, coerceaturque licentia, & impunitas receptandi hostes, prædones, & diffidatores, serio inter Nos convenit, ut omnes promotores, detentores, receptores, complices dictorum facinorosorum hominum, qui vel notorietate facti, vel ex veraci denunciatione spoliatorum, aut ex fuga captivorum (modo tales captivi, aut spoliati bonæ fidei, & integræ famæ sint) sive aliis tam manifestis indiciis, ut ulteriori probatione res non egeat, convicti, vel deprehensi forent, iidem citra ulteriorem purgandi sui admissionem, & concessionem spoliatis, & damnum passis ad restitutionem, & satisfactionem probabilium damnorum, de bonis suis teneantur, aut si solvendo non sint, secundum qualitatem delicti corpore luant. Quod si tales etiam patrati criminis conscii, vel complices essent, & ad illata damna, cædemque evidentem causam scienter præbuerint, iidem non tam parti ad restitutionem damnorum, ut iam præmissum est, teneantur, quam et superioritatis suæ cognitioni ad sumendum de iis pro modo delicti supplicium citra evasionem subiaceant. Si vero aliqui receptatorum, aut complicum non omnino manifestis indiciis, nec apertis captivorum confessionibus, sed alias delati, et de tali facinore suspecti potius, quam convicti fuerint, contra tales tam ex delatione damnificatorum, vel alterius superioritatis Officialium, quam ex officio per Capitaneos, aut Magistratus eius Regni, aut Ditionis, in qua fuerint, hac tamen conditione, differentia, sive moderatione debet procedi, ut, si forent Nobiles, aut possessionati Cives, antehac in talibus non infamati, neque ullis prioribus confessatis suspecti, tales in casu negationis sese proprio eorum iuramento coram supremo eius Ditionis Magistratu publice de huiusmodi infamatione exonerare, et purgare queant.

Si vero iidem anterioribus infamiæ, aut confessatorum præiudiciis notati, aut semi- manifesti forent, ita tamen, ut huiusmodi confessata non omnimode certum facti indicium præbere possent, tales etiam ad purgationem sui, medio iuramento, etiam tertiamet manu integræ famæ possessionatorum vicinorum admitti, aut si in utroque casu in purgatione sui defecerint, debitæ capitis animadversioni subiici debeant. Quodsi quis ex Regnis, et Provinciis nostris ausu temerario contra ius, et æquitatem, ac publica, mutuaque Regnorum nostrorum Fœdera in alterius Regna, vel Ditionem, excursionem, et irruptionem faceret, atque ibi mercatores, et vectores depræ-ANNO 1677. daretur, aut detineret, homines occideret, vel abduceret, pecora abigeret, incendio sæviret, aut alio quovis modo damnum, et iniuriam inferret, et patrato nefario scelere rursum se domum, vel cum præda securus, vel fugiens insequentium manus, in hospitia consveta, et solita diverticula reciperet, tunc in eo Regno Præfecti illius territorii, vel districtus, et omnes incolæ, totaque vicinitas, mox, ut a damnificatis, et iniuriatis, seu quibusvis aliis hostem, praedonem, et communium fœderum violatorem insequentibus commonefacti, evocatique extiterint, debeant laesis ferre opem, adesse in armis, fortiter, et graviter insequi, et inquirere noxios, et turbatores pacis publicae, et tranquillitatis. Et si sui tuendi causa in aliqua castra, fortalitia, vel loca abdita, seu natura munita profugerint, acrius, ac diligentius insistere, et ipsos, et eorum hospites, socios, conscios, complicesque obsidere, oppugnare, et ita omnes ad deditionem urgere, ad debitum supplicium trahere, et ad restitutionem, recompensationemque damnorum illatorum cogere teneantur. Si qui autem negligentiores, et remissiores in differendo offensis auxilio, et in prosequendo hostes, et damnificatores sese exhibuerint, hi sciant, se indignationem nostram, et severam animadversionem irremissibiliter incursuros esse. Si vero contingeret, aut per subordinationem superioritatis, aut alios, qui per damnificatos, atque diffidatos contra praemissos damnificatores, diffidatores, malefactores, receptatores, aut complices captivandos, sive etiam iam tunc captivos, et convictos in alterutrius Regnum, et Ditionem pro imploratione iustitiae mitti, iidem imploratores non solum ad executionem iustitiae pro ratione delicti cum omnibus in tali facto necessariis admitti, et provideri, verum etiam tam in loco administrandae iustitiae, quam in reditu ad propria omnimode tuti, atque assecurati esse debeant. Casu etiam, quo in alterutrius nostrum Regno et Ditione aliquis ex Nobilibus, aut aliis Zelo honestatis, et studio supprimendorum publicorum malefactorum, aut iussu Magistratuum, aut motu proprio huiusmodi publicos praedones, & grassatores insequeretur, idque sibi a quoquam ut inhonestum exprobaretur, talis exprobratio nulli cuiuscunque status ullum honoris

sui

ANNO 1677. sui discrimen, imminutionem, et praeiudicium aliquod generare queat, sed exprobrator ad revocationem probri una cum aliquali carceris punitione, et restitutione impensarum cogi, atque laesum rogare debet, ut sibi talem iniustam imputationem propter Deum remittere velit.

Cum denique nostra, Regnorumque, et Provinciarum nostrarum maximopere interfit, ut in Regnis et Dominiis nostris, bonam eandemque iustam habeamus monetam, quamobrem pro bono communi, utrinque curabimus, et efficiemus, ne illegitima, prava, et reprobata moneta in Regnis, et Provinciis nostris cudatur, recipiaturque. Quod si hac ex parte quaestio inter Nos incideret, agemus, quantum opus fuerit, cum Ordinibus Regnorum, Provinciarumque nostrarum, atque eorum assensu, Commissarios nostros utrinque deputabimus, qui habita ratione communium Regnorum, Provinciarumque nostrarum eas tentent, ineantque rationes, quibus vel eadem bonitate, et valore utrobique moneta cudatur, vel diversarum monetarum, prout quaevis vel melior, vel deterior reperta fuerit, iustum semper pretium, aestimatioque constituatur. Id, quod de sale utriusque nostrum in alterius Regna, & Provincias educendo, pariter cautum esse volumus; quod si tamen hae res vel altero, vel utroque casu inter communes nostros Commissarios transigi nequeant, tunc salvum, liberumque semper utrique nostrum esse debere, et de moneta, et de sale suo statuendi, id, quod cuiusvis, ac Regnorum, et Provinciarum suarum necessitas, utilitasque exegerit. Quae omnia, et singula matura Procerum, et Consiliariorum nostrorum deliberatione praevia Nos Imperator LEOPOLDUS, et Nos JOANNES III. pro Nobis, et Successoribus nostris acceptamus, approbamus, ac Regia nostra authoritate ratificamus per praesentes: promittentes in verbo nostro Imperiali, et Regio, et bona fide, sub onere iuramenti mediante, praeinserta Pactorum, et Fœderum capitula, in omnibus eorum punctis, clausulis, conditionibus, et articulis firma, rata, et grata semper habituros, ac sancte, inviolabiliterque observaturos, nec non per Officiales, et subditos nostros, ac omnes, quorum interest, pariformiter observari, et manuteneri curaturos, dolo, et fraude semotis. In quorum omnium robur, et evidens testimonium Nos praefati Reges binas eiusdem tenoris litteras manuum subscriptione, sigillorumque appensione munitas, ac cuilibet nostrum alteras consignatas expediri fecimus. Datae in Civitate nostra Viennensi, et Arce Regia Varsaviensi die vigesimo quarto mensis Aprilis, Anno Domini millesimo sexcentesimo, septuagesimo septimo, Regnorum nostrorum LEOPOLDI Imperatoris Romani decimo nono, Hungarici vigesimo secundo, & Bohemici vigesimo primo, nostri vero JOANNIS III. Poloniae tertio. ANNO 1677.

LEOPOLDUS. JOANNES.



## CXIII.

*Fœdus offensivum & defensivum inter* LEOPOLDUM *Imp. Rom. Hungariæ, & Bohemiæ Regem, &* JOANNEM III. *Regem, & Regnum Poloniæ, Magnumque Ducatum Litvaniæ initum, quo pro mutua securitate societas Armorum contra Turcas constituitur.* Actum Varsaviæ die 31. Martii Anno 1683. *Cum Ratificatione suæ Cæsareæ Maiestatis.* Datum in Arce Laxiburgi die 2. Maii. *Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. Extat in Archivo Cancell. Regni. Lib. Actorum ab Anno 1683. ad Annum 1689. fol. 98.* 1683.

NOS LEOPOLDUS Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae etc. Marchio Moraviae, Dux Lucemburgiae, et Superioris, ac Inferioris Silesiae, Wirtembergiae, et Teckae, Princeps Sveviae, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kiburgi, et Goritiae, Landgravius Alsatiae, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviae, ac Superioris, et Inferioris Lusatiae, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, & Salinarum.

Notum, testatumque facimus tenore Præsentium, quod cum quotidiana experientia compertum habeatur, Potentiam Ottomanicam, vel ideo Christianitati gravem, atque indies proficere, quod in commune minime consultum, nec ullis ad propulsandum commune periculum armorum Societatibus, & Fœderibus provisum sit, in præsens quoque, ea per universas in Europa Turcicas Ditiones, ipsamque Asiam belli fiant præparamenta, quæ nonnisi populis Christianis, potissimum autem nostro Hungariæ, vicinoque Poloniæ Regnis possunt esse nociva, unde nec

ANNO 1683. aliter plena eorum ſecuritas conſequenda videatur, quam ſi ad invicem ab immaniſſimi hoſtis aggreſſione proſpiciatur, ablataque totis viribus recuperentur, ſtimulante præſertim ad id Paterna univerſalis Paſtoris INNOCENTII XI. Sollicitudine, qua iam aliquot ab annis pro ſacroſanctæ fidei, & Religionis Zelo, pro tot populorum ſalute, & Chriſtiani Nominis Gloria Sacrum Fœdus ineundum efficaciſſimis inſtitit adhortationibus. Quapropter perpendentes ſimul ipſam Turcarum perfidiam, quæ nedum elapſo Induciarum decurſu, ſuſcepta ſubditorum noſtrorum tumultuantium protectione, Regno noſtro inhiat, Polonia quoque Pacis paulo ante concluſæ infractionem ſentiat, & denique ſucceſſive omnibus univerſale diſcrimen immineat, ordinavimus, & conſtituimus Plenipotentiarios noſtros, Illuſtrem, & Magnificos noſtros, Sacrique Imperii fideles dilectos Carolum Ferdinandum Comitem a Waldtſtein, Baronem in Zwigar, Mynchengarz, Leytſzyn, & maiore Augez, noſtrum Conſiliarium, Arcanum Camerarium, & Auguſtiſſimæ Imperatricis Viduæ ELEONORÆ Dominæ Matris noſtræ amantiſſimæ ſupremum Aulæ Præfectum, Aurei Velleris Equitem, Legatum, & Joannem Chriſtophorum Zierowſki liberum Baronem de Zierowa in Hennersdorff, Geltendorff, & maiore Schottkau Conſiliarium, & Ablegatum noſtrum, pridem in Polonia verſantem, quibus vigore Litterarum noſtrarum Plenipotentialium ſecunda Menſis Januarii præſentis milleſimi ſexcenteſimi octuageſimi tertii anni datarum, plenam, & integram facultatem, ac poteſtatem conceſſimus, dedimus, & tribuimus, ut noſtro, & Succeſſorum noſtrorum Regum Hungariæ, & Bohemiæ, ac Archiducum Auſtriæ nomine, cum Sereniſſimo, & Potentiſſimo Principe Domino JOANNE III. Rege Poloniæ, Magno Duce Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kioviæ, Volhyniæ, Livoniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czerniechoviæque, Ordinibusque Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ, Fœdus offenſivum, & defenſivum ſimultanee, vel ſi alteruter eorum impeditus, abſens, vel non valens fuerit, ſeorſive tractare, perficere, & concludere poſſint, ac valeant. Et illi quidem per frequentiores cum Sereniſſimi, ac Potentiſſimi Poloniæ Regis, Ordinumque Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ deputatis ad id Commiſſariis Varſaviæ in loco Comitiorum Regni Generalium habitas conferentias, poſt invocatum Divini Nominis auxilium, prævia que matura deliberatione, in mutuas Fœderum Leges convenerunt, eo, quo ſequitur, modo videlicet. ANNO 1683.

Notum ſit univerſis, & ſingulis, quorum intereſt, & quomodolibet intereſſe poterit. Quod cum inter Sereniſſimum, ac Potentiſſimum Principem, ac Dominum, Dominum LEOPOLDUM Electum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Regem, Archiducem Auſtriæ, Ducem Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, & Carniolæ, Marchionem Moraviæ, Ducem Lucemburgiæ, ac Superioris, & Inferioris Sileſiæ, Wirtembergæ, & Teckæ, Principem Sveviæ, Comitem Habſpurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravium Alſatiæ, Marchionem Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac Superioris, & Inferioris Luſatiæ, Dominum Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, & Salinarum ex una, & Sereniſſimum, ac Potentiſſimum Principem, & Dominum, Dominum JOANNEM Tertium Poloniæ Regem, Magnum Ducem Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Volhyniae, Livoniae, Kioviae, Podoliae, Podlachiæ, Smolenſciae, Severiae, Czerniechoviaeq;, Regnum, ac Rempublicam Polonam, Magnumque Ducatum Litvaniae ex altera parte, de arctiore amicitia, correſpondentia, & Fœdere inter ſe pro mutua Regnorum, Provinciarum, ac Ditionum ſuarum defenſione, ac ſecuritate ineundo, ab aliquot retro annis actum, nunc vero metuendum ſit, ne vicina in Hungaria mala longius ſerpant, & cum primis altiſſime memoratarum Suarum Maieſtatum Regna, & Ditiones corripiant; idcirco utrinque placuit, inceptum tam ſalutare opus per certos ad id concludendum ſpecialiter deputatos Miniſtros redordiri, maturare, ac perficere. Congreſſi itaque utrinque legitime conſtituti Plenipotentiarii, nempe ex parte Sacrae Caeſareae Maieſtatis Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus Dominus, Dominus Carolus Ferdinandus Comes a Waldtſtein, Baro in Zwigar, Mynchengarz, Leytſzchin, & maiore Augez, Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Conſiliarius, Arcanus Camerarius, & Auguſtiſſimae Imperatricis Viduae ELEONORÆ ſupremus Aulae Praefectus, Aurei Velleris Eques, Legatus, & Dominus Joannes Chriſtophorus Zierowſky liber Baro de Zierowa in Hennersdorff, Geltendorff, & maiore Schottkau, Sacrae Caeſareae Maieſtatis Conſiliarius, & Ablegatus, ex parte vero Sacrae Regiae Maieſtatis, Magni Ducis Litvaniae, Regni, ac Reipublicae Poloniae, Magnique Ducatus Litvaniae deputati, Reverendiſſimi, Excellentiſſimi,

ANNO 1683.

tissimi, ac Illustrissimi, Illustres, Magnifici & Generosi Domini, Domini Joannes Malachowski Episcopus Cracovienſis, Nicolaus Stephanus Pac Episcopus Vilnenſis, Michael Radzieiowsky Episcopus Princeps Varmienſis, & Sambienſis Sacri Romani Imperii Princeps, Stanislaus Witwicki Episcopus Luceorienſis, & Breſtenſis, Casimirus Opalinsky Episcopus Culmenſis, & Pomesaniae, Stanislaus Woinsky Episcopus Camenecenſis, Andreas Potocki Castellanus Cracovienſis, Felix Potocki Palatinus Cracovienſis, Christophorus Grzymałtowski Palatinus Posnanenſis, Casimirus Sapieha Palatinus Vilnenſis Supremus Exercituum Magni Ducatus Litvaniae Dux, Michael Dux Czatoriski Palatinus Sandomirienſis, Martinus de Kozielsko Oginski Palatinus Trocenſis, Stanislaus Joannes Jabłonowski Palatinus, & Generalis Terrarum Russiæ, Exercituum Poloniæ Supremus Dux, Nicolaus a Granow Sieniawski Palatinus Volhyniæ, Campidux Exercituum Regni, Martinus in Zamoscie Zamoyski Palatinus Lublinenſis, Joannes de Kozielsko Oginski Palatinus Polocenſis Campidux Magni Ducatus Litvaniæ, Joannes Antonius Chrapowicki Palatinus Vitepscenſis, Franciscus Bielinski Palatinus Marieburgenſis, Vladislaus Donhoff Palatinus Pomeraniæ, Albertus Constantinus Breza Castellanus Posnanienſis, Georgius Wielohorski Castellanus Volhyniæ, Martinus Kącki Castellanus Leopolienſis Generalis Artilleriæ Regni Præfectus, Stanislaus Łos Castellanus Culmenſis, Stanislaus Carolus Zurecki Castellanus Podlachiæ, Otto Felkiersamb Castellanus Livoniæ, Stanislaus Lubomirski Supremus Regni Marechallus, Joannes Wielopolski Supremus Regni Cancellarius, Joannes Gninski Procancellarius Regni, Dominicus Nicolaus Dux Radzivill Procancellarius Magni Ducatus Litvaniæ, Benedictus Sapieha Thesaurarius Supremus Magni Ducatus Litvaniæ, Lubomirski Eques Melitenſis, Mareschallus Curiæ Regni, Andreas Załuski nominatus Episcopus Kiiovienſis, Sacræ Regiæ Maiestatis Cancellarius, Christophorus Gninski Regni Referendarius Abbas Wągrovecenſis, Raphael Comes in Leszno Vexillifer Regni, Comitiorum Regni Generalium Mareschallus, Franciscus in Zakliczin Jordan Pincerna Regni, Capitaneus Dobcinenſis ex Provincia Minoris Poloniæ deputatus, Joannes Krasinski in Krasne, Referendarius Regni, Capitaneus Varsavienſis ex Provincia Maioris Poloniæ deputatus, Franciscus Sapieha Supremus Præfectus Stabuli Magni Ducatus Litvaniæ ex Magno Ducatu Litvaniæ deputatus, Josephus Słuszka Vexillifer Magni Ducatus Litvaniæ deputatus: ex Equestri Ordine Andreas Joannes a Zydow Zydowski Vicecapitaneus, & Judex Castrenſis Cracovienſis, Martinus Olwzowski Capitaneus Wielunenſis, Martianus Czaplie Succamerarius Kiiovienſis deputatus de Minori Polonia, Casimirus Sapieha Capitaneus Breſtenſis, Stephanus Zaborowski Capitaneus Wolodimirienſis deputatus de Minori Polonia, Alexander Przyiemski Vexillifer Calliſſienſis, Hieronymus Kuropatnicki Judex Terrestris Leopolienſis deputatus ex Maiori Polonia, Melchior Gurowski Pocillator Posnanenſis, Hyacinthus Rostworowski Vexillifer Livenſis, Jacobus Wiłkotarski Judex Surrogatus Castrenſis Wschovenſis, Seraphinus Głembocki Venator Junivladislavienſis, Eustachius Grothus Capitaneus Baygrodenſis: Post Plenipotentiarum tabulas utrinque rite commutatas, in mutuas Fœderis arctioris offenſivi, & defenſivi Conditiones, Leges, & Articulos, ut sequitur, convenit:

ANNO 1683.

*In nomine Sanctiſſimæ, & individuæ Trinitatis.*

Sit inter Sereniſſimos, & Potentiſſimos Principes Dominum LEOPOLDUM Divina favente Clementia Imperatorem ſemper Auguſtum, eiusque Regnorum Hungariæ, ac Bohemiæ, nec non Archiducatus Auſtriæ, & cæterarum Suæ Maieſtatis Provinciarum hæreditariarum Succeſſores ab una, & Dominum JOANNEM III. Dei Gratia Poloniæ Regem, Magnum Ducem Litvaniæ, Regnum Poloniæ, Magnumque Ducatum Litvaniæ parte ab altera, illa animorum, & armorum Societas, quæ utriusque Maieſtatis Regna, & Provincias ut vicinitate mutua, ita communione periculorum belli Ottomannici coniunctas, & in eis ſacroſanctæ fidei cultum tot Populorum ſalutem, non ſolum ab ulteriori immaniſſimi hoſtis aggreſſione, in tuto conſervare, verum etiam recuperatis ab utrinque ablatis, firma, & ſtabili Pace valeat beare.

Et hæc vero erant motiva, quæ Sacram Regiam Poloniæ Maieſtatem, & Rempublicam ad Fœderis huius neceſſitatem induxere, utpote eam, quæ vicina, ut propriâ conſiderans pericula, concluſam ante aliquot annos cum Turcis Pacem multis infractionibus læſam, nec diu duraturam bene præviderat, maxime vero dum paterna univerſalis Paſtoris INNOCENTII Undecimi ſollicitudo, aliquot ab annis Regiæ Maieſtatis magnanimitatem, Statuumque Regni Pietatem, ad ſacrum

ANNO 1683. hocce bellum ferventiſſimis, ardentiſſimis, & creberrimis adhortationibus, ac favoribus ſubſidiorum promiſſis ſollicitare non deſtiterit.

Sit ergo inter alte memoratas Maieſtates, earumque in Throno Succeſſores, Regna, & Provincias offenſivi, & defenſivi belli ſocietas. Prima ad glorioſam, & ſtabilem cum hoſte communi utriusque Partis pacificationem duratura. Altera ad eiusdem Pacis perennem conſervationem perpetuam permanſura.

Quo autem maiori robore, & indiſſociabili vinculo ſolidetur, tam ſacrum, piumque opus, utraque Pars communem Patrem Pontificem Maximum Sacræ huius Societatis Protectorem, Manutentorem, ac in virtute Guarantiæ Evictorem, ſuis cum Succeſſoribus Maximis Pontificibus, venerabunda aſſumit, minime dubia, Sanctitatem Suam id facturam, ut neutram partem pœniteat, paternis, ardentiſſimisque Suæ Sanctitatis adhortationibus pronas dediſſe aures, & filialem ſubmiſiſſe promptitudinem.

Obligant ſe identidem tam Sacra Cæſarea Maieſtas, quam Sacra Regia Maieſtas Poloniæ, una cum Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ Ordinibus ſub onere Juramenti propriarum manuum præſentis Tractatus ſubſcriptione, omnique alio vinculo, quod firma, & indiſſolubilia Principum, & Populorum ſolet reddere Fœdera, initam hanc præſentem belli ſocietatem ſacroſancte, inviolabiliter in omnibus punctis, clauſulis, articulis, per ſe, & Succeſſores ſuos conſervaturos.

Quod ut maiorem habeat vigorem, ac Religionem, ipſum Juramenti Sacramentum Eminentiſſimi Cardinales, nominatim Eminentiſſimus Pio, & Eminentiſſimus Barberini, uti earundem Gentium Protectores, & Repræſentantes, intra decurſum binorum Menſium, in manibus Suæ Sanctitatis in eam Juramenti Formam, quæ ſeorſivo Articulo pacta eſt, & in hoc Tractatu ab utrinque ſubſcripta habetur, nomine ſuarum Maieſtatum tanquam principalium ſuorum corporaliter præſtabunt. Itidem ſua Maieſtas Cæſarea prætenſiones ex Tractatu tempore belli Svetici, occaſione ſubſidiorum facto reſultantes annihilat, de hisque Sacram Regiam Maieſtatem, & Rempublicam totaliter quietat; nominatim vero Diploma ex Senatus Conſilio emanatum de Electione nullum declarat, eidem renuntiat, Regnoque Poloniæ, & Liberis eius ſuffragiis reſtituit, & Hypothecam, ſi quæ eſt, inſcriptiones, & prætenſiones ad ſalis fodinas Vielicenſes integre remittit in perpetuum, & annihilat. Viciſſim Sacra Regia Maieſtas, & Reſpublica Poloniæ ex ſupra dicto Tractatu reſultantes obligationes omnes, vel prætenſiones in perpetuum ſolvit, & annihilat: ut his ab utrinque ſublatis in perpetuum prætenſionibus omnes præſens Coniunctio excludat ſcrupulos, & confidentiæ obices. In ſocietate itaque belli offenſivi permanentes Partes nullo modo ex prætextu ſeorſive, etiamſi optima, votiva, & maxime favorabilis alterutri illarum eſſet oblata, acceptabunt Pacem, niſi ſimul, & ſemel in eandem utraque Pars conſenſerit, eandemque acceptaverit.

ANNO 1683.

Hæc belli ſocietas erit inter Sereniſſimum, & Potentiſſimum Imperatorem, qua eſt Hungariæ, & Bohemiæ Rex, Archidux Auſtriæ, tum aliarum Provinciarum Dominus, ac Hæres. Ita ut ſuæ Maieſtatis in hæreditaria Regna, & Provincias Succeſſores teneantur ad hoc Fœdus, & iisdem punctis, clauſulis, ligamentis obligentur. Ad quod Sacra Regia Maieſtas Poloniæ, eiusque in Throno Succeſſores, Regnum Poloniæ, Magnusque Ducatus Litvaniæ viceverſa obligantur.

Eadem belli ſocietas limitatur ſolius belli Turcici neceſſitate, nec ad aliud quodvis bellum ullo prorſus colore, et prætextu extendi unquam poterit.

Declarat itaque Sacra Caeſarea Maieſtas, vigore praeſentis ſocietatis, ſexaginta millia hominum ad bellum in Hungaria gerendum, quo numero comprehenduntur viginti millia ſubſidiorum Caeſareae Maieſtatis amicorum Principum, & Legiones in praeſidiis Fortalitiorum in Hungaria permanentes.

Declarat viciſſim Sacra Regia Maieſtas, Regnum Poloniae, et Magnus Ducatus Litvaniae, bello gerendo competentes quadraginta millium Exercitus vires durante eodem bello alituros.

Caſu vero, quo Viennenſi, vel Cracovienſi Urbi obſidio immineat, eo tempore utraq; Caeſarea, et Regia Maieſtas actualem Armorum ſuorum Coniunctionem, mutuo, et ad invicem ſibi adpromittunt, Exercitibusque integris Pars Partem pro liberanda Urbe illa, quae Caput; et Metropolis eſt, iuvabit, et propulſandam obſidionem curabit.

Idem utraque Pars factura, quoties bellico conſilio aſſiſtendi ſibi mutuo integris viribus, vel earum parte neceſſitas poſtulaverit. Quo fine, intimiorisque communicationis ergo Reſidentes ab utrinque Officiales belli gnari, ſpecialiter ad id ſelecti circa Partes ad invicem manebunt.

Alias per diverſionem bellum geri debet, videlicet Sacra Caeſarea Maieſtas Regno Hungariae, Fortalitiisque eius vindicandis, Sacra vero Regia Maieſtas Poloniae

ANNO 1683. niæ, Cameneco, & Podoliæ, ac Ukrainæ vindicandis incumbent. Bello acquisita, sive rehabita ex ablatis pro Jure, ad quas antea pertinebant, partibus cedent.

Quoniam vero bellum præforibus iam adest, executio autem Comitiorum in contributionibus præstandis tam cito haberi nequit. Tum Sacra Cæsarea Maiestas duodecim centenis millibus florenorum Polonicalium currentis in Regno monetæ, Regno Poloniæ, & Magno Ducatui Litvaniæ succurret pro primis, & præsentibus belli expensis, idque in continenti post subscriptionem præsentis Tractatus, cuius summæ refusionem nunquam a Republica prætendet. A Sanctissimo nihilominus Pontifice eiusdem omnimodam sibi fieri compensationem curare liberum erit.

Promittit insuper Sacra Cæsarea Maiestas præsentis Tractatus vigore, quam efficacissima apud Regem Catholicum sine mora interponenda Officia pro extradendis decimis per Ditiones suæ Maiestatis Italicas, videlicet tam in Regno Neapolitano, quam in Statu Mediolanensi, quamprimum eas Sanctitas Sua imposuerit. Quarum decimarum subsidium usque ad honestam Pacem duraturum soli Regno Poloniæ applicabitur, nullatenus Sacra Cæsarea Maiestate pro suis impensis easdem dividi prætendente, vel impediente.

Cum autem ad hancce societatem non solum invitandi sunt Christiani Principes, sed & ultro se offerentes admittendi; ideo utraque Pars se obligat pro posse invitaturam ad eam amicos, & fœderatos Principes; ita tamen, ut utriusque Partis consonus accedat assensus, quoties aliquis Principum admittendus erit, nominatim utraque Pars Sereniſſimos Moschorum Czaros omni cura ad hanc societatem invitabunt, flectentque. In quantum vero utriusque Partis consensu contingeret, alterutram Maiestatem in Castris fore præsentem, eo casu generalis gubernatio penes præsentem foret. Quod quidem Fœdus antiquis inter eosdem Sereniſſimos Principes, Regnaque, ac Dominia eorum compactatis, & limitaneis Granitierum Commissionibus nullum præiudicium adferre debet; imo perpetuum illis robur addit, & præstat.

Juramenti vero supramemorati ab utraque Parte in manibus Summi Pontificis per Eminentissimos Cardinales Protectores, & Repræsentantes præstandi talis debet esse tenor:

*Ego N. N. Sereniſſimi, & Potentiſſimi Principis* LEOPOLDI I. *Imperatoris semper Augusti, qua est Hungariæ, ac Bohemiæ Rex, & Archidux Austriæ, aliarumque Provinciarum Hæres, uti Principalis mei speciali Mandato ad id instructus, Eiusque Maiestatis in Regna, & Provincias hæreditarias Successorum Nomine sancte iuro.* ANNO 1683.

Vel: *Ego N. N. Sereniſſimi, & Potentiſſimi Principis, Domini* JOANNIS III. *Regis Poloniæ, & Magni Ducis Litvaniæ, Principalis mei, Eiusque in Throno Successorum, Regum Poloniæ, & Magnorum Ducum Litvaniæ, universæque Reipublicæ Polonæ, & Magni Ducatus Litvaniæ, quorum specialibus Mandatis ad id instructus sum, nomine, sancte iuro.*

*Quia Fœdus offensivum, & defensivum contra immaniſſimum Christiani Nominis hostem, inter alte memoratas Maiestates initum, & Varsaviæ die trigesima prima Mensis Martii Anno currenti millesimo sexcentesimo octuagesimo tertio per earundem Maiestatum Plenipotentiarios conclusum, & manuum subscriptione munitum, & ab iisdem altememoratis Maiestatibus ratum, gratum, acceptatum, ac propriarum manuum subscriptione firmatum, in omnibus eius punctis, pactis, clausulis, articulis, ac ligamentis bona fide iuxta tenorem verborum, & genuinam eorum significationem Sereniſſimus, & Potentiſſimus Princeps* LEOPOLDUS I. *Imperator semper Augustus, ut Hungariæ, & Bohemiæ Rex, & Archidux Austriæ observabit, tenebit, & adimplebit. Eiusque Maiestatis Successores Hungariæ, & Bohemiæ Reges, Archiduces Austriæ observabunt, tenebunt, & adimplebunt.*

*Vel Sereniſſimus, & Potentiſſimus Princeps* JOANNES III. *Poloniæ Rex, Magnus Dux Litvaniæ, Eiusque Maiestatis in Throno Successores Reges Poloniæ, & Magni Duces Litvaniæ, ac universi Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ Status, ac Ordines observabunt, tenebunt, & adimplebunt.*

*Neque de hoc absolutionem petent, nec oblatam suscipient, sic me Deus adiuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

In quorum fidem, nomine Sereniſſimorum suorum Principalium, eorumdem Litteris Plenipotentiariis mediantibus Nos infrascripti Legatus, & Ablegatus Augustiſſimæ Cæsareæ Maiestatis Extraordinarii, Sacræ Regiæ Maiestatis Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ ex Senatorio, & Equestri Ordine deputati Commissarii manibus propriis subscribimus, & Sigillis munimus. Quod & Sacræ, & Sereniſſimæ altememoratæ Maiestates, Domini nostri Clementiſſimi, uti Principales, in spatio unius mensis præstabunt. Actum Warsoviæ sub celebratione Generalium

Anno 1683. ralium Comitiorum Regni, die trigesima prima mensis Martii Anno Domini millesimo sexcentesimo octuagesimo tertio.

*Carolus Comes de Waldtstein.*
*Joannes Christophorus Liber Baro de Zarova Zierowski.*

Quem quidem Tractatum Nobis relectum cum omnibus suis articulis, punctis, & clausulis confirmavimus, ratihabuimus, & approbavimus: quemadmodum illum per Præsentes confirmamus, ratihabemus, & approbamus. Promittentes in verbo Imperiali, Regio, & Archiducali, ac pro Nobis, Hæredibus, & Successoribus nostris, Regibus Hungariæ, & Bohemiæ, ac Archiducibus Austriæ firmiter spondentes, omnia, & singula iuxta Conventionem præinsertam per Plenipotentiarios nostros tractata, & concluſa, integre, stricte, & inviolabiliter observanda. Harum fide, & testimonio Litterarum, subscriptione manus nostræ, ac Sigilli nostri Cæsarei appensione expeditarum. Quæ dabantur in Arce nostra Laxiburgi die secunda mensis Maii Anno Domini millesimo, sexcentesimo, octuagesimo tertio, Regnorum nostrorum Romani vigesimo quinto, Hungariæ 28. Bohemici vero vigesimo septimo.

## LEOPOLDUS.

*Leopoldus Guilhelmus Comes in Konigsegg.*

*Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ Maiestatis proprium.*

Joannes Probst.

## CXIV.

1684. *Tractatus Fœderis Offensivi, & Defensivi perpetui inter* Leopoldum *Imperatorem,* Joannem III. *Regem, Regnumque Poloniæ, & Magnum, Ducatum Litvaniæ, ac Repmublicam Venetam contra Turcam concluſi.* Actum in Arce Lincensi die 5. mensis Martii Anno 1684. *Ex Originali.*

*In Nomine Sanctissimæ Trinitatis.*

Postquam sub auspiciis Dei Optimi Maximi, & Christi in terra Vicarii Papæ Innocentii XI. Augustissimus Romanorum Imperator Leopoldus I. & Serenissimus Rex Poloniæ Joannes III. icto inter se contra Turcam communem Christianitatis hostem non ita pridem Fœdere, eoque nupero Septembri ad Vienam, quam ruptis contra Jus Gentium Induciarum Pactis, iniustissimis, ac barbaris Armis obsederat, Castris penitus exuto, pluribusque dein profligato cædibus, in Societatem tam Sancti Belli Serenissimam Venetorum Rempublicam invitassent, & illa memor avitæ Religionis, cui innixa semper floruit, & experta, quam infida, & gravis sibi sit postremo inita cum Turcis Pax, vocantem Deum, & Summum Pontificem, Cæsarem, Regemque ad Sacrum Fœdus invitantes sequi decreviſſet: Omnibus placuit maturando negatio per Legatos plena potestate, & Mandatis instructos in hac Cæsarea Aula convenire, & præsente Eminentissimo Domino Cardinale Bonvisio apud Sacram Cæsaream Maiestatem Nuntio Apostolico, rem sanctissimam conficere. Quem in finem Sacra Cæsarea Maiestas Excellentissimos Dominos suum respective Camerarium, Procancellarium Imperialem, & Aurei Velleris Equitem, nec non Aulæ suæ Cancellarium, ambos suos Consiliarios intimos, Leopoldum Guilhelmum Comitem de Konigsegg, & Theodorum Atthlesum, Henricum Baronem de Stratman. Sua Regia Maiestas, Regnumque Poloniæ, & Magnus Ducatus Litvaniæ Excellentissimum Dominum, suum ad hunc Actum Legatum Extraordinarium Joannnem Rozdrazewski Castellanum Mederecensem nominarint. Sereniſſima vero Venetorum Respublica suo in Aula Cæsarea Ordinario Oratori, Excellentissimo Domino, Domino Conturini Equiti, utpote ad hunc Actum specialiter constituto, suo Syndico, & Procuratori plenam facultatem, potestatemque dediſſet. Inter hos commutatis prius Plenipotentiarum suarum tabulis, hisce sub finem annexis, & omnibus, quæ ad rem pertinere videbantur, mature discussis, aspirante Divina Gratia de Fœdere Offensivo, & Defensivo perpetuo contra Turcam sequentibus Articulis convenit.

Anno 1684.

I.

Sit inter alte memoratas Maiestates, horumque in throno Successores, Regna, & Provincias, Sereniſſimam Rempublicam Venetam, Eiusque Successores, Status, & Provincias Offensivi, & Defensivi Belli Societas, prima ad gloriosam, & stabilem cum hoste communi omnium trium Partium pacificationem duratura, altera ad eiusdem Pacis perennem conservationem perpetuum permansura.

II.

Quo autem maiori robore, & indissolubili vinculo solidetur tam sacrum, piumque Opus, confœderatæ Partes communem Patrem Pontificem Maximum Sacræ

ANNO 1684.

Sacræ huius Societatis Protectorem, Manutentorem, ac in virtute Gvarantiæ Evictorem, ſuis cum Succeſſoribus Maximis Pontificibus venerabundæ aſſumunt, minime dubiæ Sanctitatem ſuam id facturam, ut nullam earum pœniteat paternis, ardentiſſimisque ſuae Sanctitatis adhortationibus pronas dediſſe aures, & filialem ſubmiſiſſe promptitudinem.

III.

Obligant ſe identidem tam Sacra Cæſarea Maieſtas, quam Sacra Regia Maieſtas Poloniæ una cum Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ Ordinibus, & Sereniſſima Reſpublica Veneta ſub onere Juramenti inferius inſerendi, omnique alio vinculo, quod firma, & indiſſolubilia Principum, & Populorum ſolet reddere Fœdera, initam præſentis Belli Societatem ſacroſancte, inviolabiliterque in omnibus Punctis, Clauſulis, Articulis, per ſe, & Succeſſores ſuos conſervaturos.

IV.

Quod ut maiorem habeat vigorem, ac Religionem, ipſum Juramenti Sacramentum Eminentiſſimi Domini Cardinales, nominatim Eminentiſſimus Pio, & Eminentiſſimus Barbarini, & Eminentiſſimus Ottoboni, duo Primi Germaniæ, & Poloniæ Gentium Protectores, Tertius vero Venetorum Cardinalium Senior, qua Repræſentantes, intra decurſum binorum Menſium, in manibus ſuæ Sanctitatis in eam Juramenti Formam, quæ ſeorſivo Articulo pacta eſt, Nomine ſuarum Maieſtatum, & Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ, tanquam Principalium ſuorum, corporaliter præſtabunt.

V.

In Societate belli offenſivi permanentes Partes nullo modo & prætextu ſeorſive, etiamſi optima, votiva, & maxime favorabilis alterutri illarum eſſet oblata, acceptabunt Pacem, niſi ſimul, & ſemel in eandem omnes tres conſenſerint, eandemque acceptaverint.

VI.

Hæc belli Societas erit inter Sereniſſimum, & Potentiſſimum Imperatorem qua eſt Hungariæ, & Bohemiæ Rex, Archidux Auſtriæ, tum aliarum Provinciarum Dominus, ac Hæres, ita ut ſuæ Maieſtatis in hæreditaria Regna, & Provincias Succeſſores teneantur ad hoc Fœdus, & iisdem Punctis, Clauſulis, Ligamentis obligentur, ad quod Sacra Regia Maieſtas Poloniae, Eiusque in Throno Succeſſores, Regnum Poloniae, Magnusque Ducatus Litvaniae, uti & Sereniſſima Respublica Veneta, Eiusque Succeſſores, Status, & Provinciae viceverſa obligantur.

VII.

Eadem belli Societas limitatur ſolius belli Turcici neceſſitate, nec ad aliud quodvis bellum ullo prorſus colore, & praetextu extendi unquam poterit.

VIII.

Declarant itaque Sacra Caeſarea Maieſtas, & Sacra Regia Maieſtas Poloniae, una cum Ordinibus Regni, & Magni Ducatus Litvaniae, ſe validiſſimis Exercitibus omni apparatu bellico inſtructis, & Sereniſſima Respublica Veneta, potentiſſima maritima Claſſe, & Terreſtribus in Dalmatia Copiis, adeoque omnes tres Partes maioribus, quibus poſſunt, viribus hoc bellum usque ad eius iuvante Deo glorioſum finem, & communem Pacem, bona fide geſturos.

IX.

Caſu vero quo unius, aut alterius Partis confœderatae Status ita periclitarentur, & ab hoſte premerentur, ut omnino ad eorum liberationem ſubmiſſione auxiliarium Confœderatorum ſuorum Copiarum opus eſſet, promittunt ſibi Domini Confœderati actualem pro poſſibilitate armorum ſuorum Coniunctionem.

X.

Idem ſemper facturi, quoties ex bellico Conſilio aſſiſtendi ſibi mutuo integris viribus, vel earum parte neceſſitas poſtulaverit. Quo fine, intimiorisque communicationis ergo, Reſidentes a Dominis Confœderatis Officiales belli gnari, ſpecialiter ad id ſelecti circa partes ad invicem manebunt, & ad Conſilium bellicum admittentur.

XI.

Alias per diverſionem bellum geri debet, videlicet: Sacra Caeſarea Maieſtas Regno Hungariae Fortalitiis eius vindicandis, Sacra vero Regia Maieſtas Poloniae Cameneco, & Podoliæ, ac Ukrainae vindicandis incumbent. Idem faciet Sereniſſima Reſpublica ad vindicanda, & recuperanda ab hoſte ea, quae perdidit. Bello acquiſita ſive rehabita ex ablatis pro Jure, quibus antea pertinebant, Partibus cedent.

XII.

Ut autem expeditiones militares ſemper ad communem rei bene gerendae ſcopum tanto melius inſtituantur, deliberabitur de illis ſtatim poſt ratificatum hoc Fœdus, & quotannis mature inter Dominos Confœderatos, illae, quantum poſſibile erit, & rerum circumſtantiae permittent, ita inſtituentur, uti inter confœderatos e re communi conventum fuerit.

XIII.

Cum autem ad hanc Societatem non

ANNO 1684. solum invitandi sunt Christiani Principes, sed & ultro se offerentes admittendi, ideo Domini Confœderati se obligant pro posse invitaturos ad eam Amicos, & Fœderatos Principes, ita tamen ut omnium consonus accedat assensus, quoties aliquis Principum admittendus erit, nominatim Sereniſſimos Moschorum Czaros, omni cura ad hanc Societatem invitabunt, flectentque.

XIV.

Quod quidem Fœdus antiquis inter eosdem Sereniſſimos Principes, Regnaque ac Dominia eorum, & Sereniſſimam Rempublicam Venetam, Eiusque Status, ac Dominia Compactatis, & Limitaneis Commiſſionibus nullum praeiudicium adferre debet, imo perpetuum illis robur addit, & praestat.

XV.

Hoc Fœdus triplex in nullo deroget illi, quod inter Sacram Cæsaream Maiestatem, & Regiam Maiestatem, Regnumque Poloniae, & Magnum Ducatum Litvaniae seorsim præcedente anno ictum est, sed unum non minus, quam alterum respective in omnibus articulis, punctis, & clausulis in suo robore sanctum, & inviolabile maneat.

XVI.

Diplomata Ratificationum huius Confœderationis, Domini Commiſſarii, & Legati Plenipotentiarii mutuo in Aula Caesarea intra Mensis spatium, vel citius commutabunt.

In quorum fidem Nomine Auguſtiſſimae suae Maiestatis Caesareae, & Sereniſſimae Regiae Maiestatis Poloniae, & Magni Ducis Litvaniae, uti etiam Sereniſſimae Reipublicae Venetae Literis Plenipotentiarum mediantibus: Nos Commiſſarii Cæsarei Plenipotentiarii, & Nos Legati Plenipotentiarii Regius, & Venetus manibus propriis hæc subscripsimus, & Sigillis munivimus. Actum in Arce Lincensi Die 5. Mensis Martii. Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo octuageſimo quarto.

*Ego Franciſcus Cardinalis Bonviſius apud Sacram Cæsaream Maiestatem Nuntius Apoſtolicus, requiſitus a Partibus interfui ſupra inſertis Tractatibus, & propria manu ſubſcripſi, Sigilli appenſione munivi.*

(L.S.)

*Leopoldus Guilhelmus Comes de Konigsegg.*
*Theodorus Atthleſus.*
*Henricus Baro de Strattmam.*
*Johannes Franciſcus Comes Rozdrazewſki.*
*Dominicus Conturini Eques.*

ANNO 1684.

## *Forma Juramenti in manibus Summi Pontificis per Eminentiſſimos Cardinales Protectores, & Repræſentatores præſtandi.*

*Ego N. N. Sereniſſimi, & Potentiſſimi Principis* LEOPOLDI *Primi Imperatoris ſemper Auguſti, qua eſt Hungariæ, & Bohemiæ Rex, & Archidux Auſtriæ, aliarumque Provinciarum Hæres, uti Principalis mei, ſpeciali Mandato ad id inſtructus, eiusque Maieſtatis in Regna, & Provincias hæreditarias Succeſſorum Nomine, ſancte iuro.*

*Vel. Ego N. N. Sereniſſimi Potentiſſimique Principis Domini Joannis Tertii Regis Poloniæ, & Magni Ducis Litvaniæ Principalis mei, Eiusque in Throno Succeſſorum Regum Poloniæ, & Magnorum Ducum Litvaniæ, Univerſæque Reipublicæ Polonæ, & Magni Ducatus Litvaniæ, quorum ſpecialibus Mandatis ad id inſtructus ſum Nomine, ſancte iuro.*

*In eadem forma præſtabit Nomine Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ Eminentiſſimus Cardinalis Ottoboni Juramentum.*

## *Plenipotentia Cæſarea.*

NOS LEOPOLDUS Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiae, Sclavoniae Rex, Archidux Auſtriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae, & Virtembergae, Comes Tyrolis, & Goritiae &c. Notum, teſtatumque facimus tenore Praeſentium Univerſis. Cum inſpirante, concordiae omnis Autore Deo, & paterne exhortante Sanctiſſimo Domino noſtro Pontifice Maximo, Nos, & Sereniſſimus, ac Potentiſſimus Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, nec non inclyta Reſpublica Veneta ex re Chriſtianitatis communi, & proprio cuiusvis commodo fore cenſuerimus, contra communem Chriſtianitatis hoſtem, nunc quidem Arma ſua iniuſtiſſime iuxta, ac immaniſſime adverſus Nos gerentem, omnium autem Provinciis, & toti Chriſtianitati inhiantem animos, viresque coniungere, & ſtabilem amicitiam, firmamque Confœderationem offenſivam, & defenſivam, hunc in finem inſtituere, iamque alte memoratae duae Partes ſuos in noſtra Aula modo ſubſiſtentes Legatos Mandatis, et Pleni-

ANNO 1684.

Plenipotentiis congruis ad hoc instruxerint, Nos igitur cum piam, et laudabilem hanc intentionem omnibus modis promovere intendimus, plene confisi de fide, prudentia, ac singulari rerum gerendarum usu Illustris, et Generosi nostri respective Camerarii, et Procancellarii Imperialis, Aurei Velleris Equitis, nec non Aulae nostrae Cancellarii, amborum nostrorum Consiliariorum intimorum sincere dilectorum, Leopoldi Gvilhelmi Konigsegg, et Theodori Atlesi, Henrici Baronis de Strattmann, eosdem ad tractandas, et perficiendas sacri huius Fœderis Conditiones deputavimus, sicuti et horum vigore deputamus, atque constituimus, committentes ipsis, et specialiter mandantes, ut cum Serenissimi, et Potentissimi Regis Poloniae, nec non inclytae Reipublicae Venetae Legatis, his existentibus, et ad supradictum finem Deputatis, sufficientique Mandato instructis congrediantur, nostroque Nomine, quae in rem fuerint, proponant, tractent, consulant, atque concludant. Dantes quoque dictis nostris Plenipotentiariis Commissariis, plenam, et absolutam potestatem cum omni authoritate, et Mandato ad id necessariis, ut omnia quoque Instrumenta, quæ in eum finem requiri possent, conficiant, atque expediant, aliaque omnia huc pertinentia faciant, æque, libere, et ample, ac si ipsi præsentes id faceremus. Et promittimus sub fide, et Verbo Caesareo, et Regio, Nos, quaecunque per memoratos nostros Commissarios Plenipotentiarios, ut supra dictum est, acta, conclusa, et signata fuerint, accepta, et grata habituros, atque nostrae Ratificationis Diplomata intra tempus ab ipsis promissum daturos. In quorum fidem, roburque praesentes manu nostra subscriptas, Sigillo nostro Imperatorio firmari iussimus, quae dabantur Lincii die 24. Mensis Februarii Anno millesimo sexcentesimo octuagesimo quarto.

Plenipotencija Cesarska 27 Lutego 1684. w Lincu.

LEOPOLDUS.

(L.S.)

*Julius Fridericus Bucelloni, L. B.*

*Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ Maiestatis proprium.*

Joannes Georgius Koch.

## *Plenipotentia Polonica.*

JOANNES III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kiioviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smołensciæ, Severiæ, Czernichoviæque. Significamus præsentibus Literis nostris quorum interest universis, & singulis. Quod cum indefessa vigilantia, & paterna sollicitudine Sanctissimi Domini nostri INNOCENTII Papæ XI. ac nostra cum primis cura, & studio indesinenti conclusum fuerit præterito Anno sacrum Fœdus contra Turcas inter Nos, Ordinesque Regni nostri, & Magni Ducatus Litvaniæ ex una parte, & Serenissimum, ac Potentissimum Romanorum Imperatorem ex altera parte, eiusque Sacri Fœderis præcipuum sit punctum, de non solum ultro offerentibus se Principibus, ad idem Fœdus admittendis, verum etiam aliis invitandis, Nos pro singulari, & Regio nostro erga bonum Christianitatis zelo, sicut ante per Illustrem olim Ducem Radzivilium Legatum nostrum Extraordinarium, ita deinceps statim post prædictum Fœdus feliciter conclusum Serenissimam Rempublicam Venetam in partem eiusdem Fœderis invitaverimus, ut pro sua innata generositate, & gloria Arma contra communem Christianitatis hostem una Nobiscum sumeret, eademque Serenissima Respublica ad tractandum hac de re, Fœdusque ex sua parte concludendum hortatu præcipue, & opera Summi Pontificis paratam se esse declaraverit. Hinc Nos summopere cordi habentes Christianitatis augmentum, atque optantes celerem, felicemque huiusmodi Unionis conclusionem eligimus, deputamus, & constituimus in verum, & legitimum Plenipotentiarium nostrum, & Reipublicæ Magnificum Joannem Rozdrazewski Castellanum Mederecensem, ad Aulam Serenissimi, & Potentissimi Imperatoris nostrum Ablegatum Residentem, ad hunc vero solum Actum Legatum Extraordinarium per Nos constitutum, ad tractandum, concludendum, & stabiliendum Fœdus pro parte nostra cum Serenissimo Duce, & Republica Veneta, eidemque Plenipotentiario sub illis conditionibus, pactis, modis, & formis, quæ opportune videbuntur huic tantæ rei conformes, intentionem nostram plenius per Instructionem seorsivam explicantes, dantes eidem Plenipotentiario, & Legato nostro Extraordinario Præsentibus hisce plenam potestatem, & facultatem ad hunc effectum Nomine nostro, ea omnia salva semper Approbatione, & Ratificatione nostra, tractandi, agendi, & concludendi, quæ ad constituendam Coniunctionem Armorum contra Ottomannos cum Serenissima Venetiarum Republica pertinebunt. In cuius rei fidem Præsentes manu nostra subscriptas Sigillo Regni com-

Anno muniri iuſſimus. Datum Cracoviæ die 1684. 6. Menſis Martii Anno Domini 1684. Regni noſtri X. Anno.

JOANNES *Rex.* (L.S.)

*Chriſtophorus Taranowſki Crac. Varſ. Canonicus Regiæ Maieſtatis Secretarius.*

## *Plenipotentia Veneta.*

Marcus Antonius Justinianus Dei Gratia Dux Venetiarum. Ha benedetto ſinora omnipotente mano di *D*io la Lega contr' il Turco promoſſa e validamente ſoſtenuta dal ſanto voto del ſuo Vicario in terra Innocenzo Undecimo, che con ſuoi venerati impulſi ed aſſiſtenze, nel corſo delle ſue glorioſe intrapreſe, nel felice progreſſo delle quali manifeſtamente appariſcono i contraſegni della Divina protezione ſi preſente, la fece efficace. Peroche il Sereniſſimo Leopoldo Imperatore con' i ſuoi valenti e religioſi inviti aggionti a quelli generoſi del Sereniſſimo Ré di Polonia, di entrare nella lega ſteſſa, apre al *S*enato l'adito di uniformarſi alla volontà di Dio Ottimo Maſſimo, ed inſtare né ſuoi antichi fondamentali inſtituti di Religione; conoſcendo anco il Senato ſteſſo con l' experienza quanto infida e gravoſa ſia la preſente pace con Turchi, riſolve ſtringerſi in queſta Santa Unione, nella confidenza di effetti corriſpondenti alla generoſità delle offerte de' Sudetti Principi. Con Decreto del *S*enato dunque abbiamo col nome de S. Dio e del Protettor Noſtro S. Marco creato Procuratore Sindico e Legato il Signore Domenico Contarini l'Ambaſciadore Ordinario apreſſo Sua Maeſtà Ceſarea reſidente nella Sua Corte, la virtù del quale eſperimentata in altre occaſioni appromete l'ottimo Servizio alla Patria. E perciò potrà egli colla Maeſtà di Leopoldo Imperatore ò ſuoi legitimi Procuratori e Conprocuratori legitimi, e del Sereniſſimo Ré di Polonia Giovanni III. di quelli della Republica *S*tati ed Ordini di tutto il Regno e del Gran Ducato di Litvania, che avranno idoneo potere ſopra la lega offenſiva deliberare, e conformare tutte le coſe a nome noſtro e promovere, fare, e transegere con facoltà di giurare in anima noſtra, e di obbligare a qualſi ſia condizione. Noi, e li Succeſſori noſtri prometiamo, che tutte quelle coſe, che foſſero da lui nel commeſſo di queſta confederazione ſtatuite, ci ſaranno grate e ferme, ed eſſequiremo tutto quello, che averà egli promeſſo. Datt. in noſtro Ducali Palatio.

CXV. Anno 1684.

*Ratificatio, & Confirmatio eiusdem Fœderis a* Joanne III. *Rege Poloniæ facta.* Dat. Javoroviæ die 27. Martii An. 1684. *Ex Originali.*

Joannes III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kiioviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czernichoviaeque. Notum, teſtatumque facimus quorum intereſt univerſis. Quod inter Sereniſſimum, ac Potentiſſimum Principem, Dominum Leopoldum Divina favente Clementia Electum Romanorum Imperatorem, ſemper Auguſtum, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae Regem, Archiducem Auſtriae, Ducem Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae, & Virtembergae, Comitem Tyrolis, & Goritiae, Et Sereniſſimum Marcum Antonium Justinianum Dei Gratia Ducem, & Dominium Venetum, contra Turcam, communem Chriſtianitatis hoſtem ſancti belli Societas, & Fœdus perpetuum a noſtris, & *S*ereniſſimi Imperatoris, ac Reipublicae Venetae Legatis, Commiſſariis, & Plenipotentiariis plena poteſtate inſtructis concluſum, ſancitumque ſit, ſequentis tenoris:

In Nomine ſanctiſſimae Trinitatis. Poſtquam ſub auſpiciis Dei Optimi Maximi &c. (*Inſeritur praecedens Tractatus.*)

Nos idcirco ſupra inſertum Fœdus initum, ac concluſum, ac ſingula in eo contenta approbavimus, confirmavimus, & ratum habuimus, quemadmodum hiſce approbamus, confirmamus, & ratihabemus. Promittentes inſuper, ac Regio verbo ſpondentes Nos omnia, & ſingula in praefato Fœdere contenta ſancte, & religioſe obſervaturos, impleturos, obſervari & impleri curaturos, nec permiſſuros, quantum in Nobis erit, ut a quopiam violentur. In quorum maiorem fidem Sigillum noſtrum Regium Diplomati manu noſtra ſubſcripto appendi fecimus. Datum Javoroviae die 27. Menſis Martii Anno Domini MDCLXXXIV.

JOANNES *Rex.*

*Ducis Venetiarum Fœderis eiusdem Ratificatio.* Dat. 31. Martii Anno 1684.

Marcus Antonius Justinianus Dei Gratia Dux Venetiarum &c. Notum facimus

ANNO 1684. facimus, & atteſtamur, quod nuper in Arce Lincii afflante Deo Trino, & Uno triplex in unum coacta eſt ſacri belli Societas adverſus Turcam, per Plenipotentiarios Sereniſſimi Imperatoris, Sereniſſimi Regis Poloniæ, & Reipublicæ noſtræ, tenoris ſequentis.

*In Nomine Sanctiſſimæ Trinitatis.*

Poſtquam ſub auſpiciis Dei Optimi Maximi &c. Nos igitur qui zelo Chriſtianæ fidei in aliena bella ſponte venimus, Fœdus prædictum cum Senatu noſtro omnino ratum, gratumque habemus ſpondentes in verbo Reipublicæ Venetæ, Articulos omnes, & ſingula inviolabiliter obſervare, nec pro viribus paſſuros, ut a quopiam violentur. In quorum fidem haſce noſtras fieri iuſſimus, manuque noſtra ſubſcripſimus, & ſveto Sigillo muniri mandavimus. Datum in noſtro Ducali Palatio die ultima Martii Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo quarto.

*L.* MARCUS ANTONIUS JUSTINIANUS
*Dux Venetiarum &c.*

Alexander Beonardus.

## CXVI.

LEOPOLDI *Imp. Declaratio duorum Articulorum in ſupraſcripto Fœdere contentorum.* Dat. Lincii 27. Julii Anno 1684.

NOS LEOPOLDUS Divina favente clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergiæ, Comes Tyrolis, & Goritiæ. Notum, teſtatumque facimus quorum intereſt Univerſis. Cum ipſa Communicatione Ratificationum Fœderis, inter Nos, & Sereniſſimum Regem Poloniæ, nec non Illuſtriſſimum Dominium Venetum contra Turcam, communem Chriſtianitatis hoſtem icti, ex re eſſe videretur, ut qui in Confœderationis tabulis Articulus incipit. *Sit inter* &c. & Articulus, qui incipit: *Alias per diverſionem* &c. magis declararetur, & dilucidaretur, talisque Declaratio, atque dilucidatio inter noſtros Deputatos, Commiſſarios, & Regum, atque Republicæ Venetae Legatos præſente reverendiſſimo Cardinali Bonviſio Nuntio Apoſtolico, in eum, qui ſequitur, tenorem facta, & ab unaquaque parte acceptata, & approbata fuerit nimirum: Priusquam inter Sacram Cæſaream Maieſtatem, Regiam Maieſtatem Poloniæ, uti & Sereniſſimam Rempublicam Venetam, quinta currentis Menſis Martii, ut Fœderis Ratificationes commutarentur, omnibus placuit maioris Elucidationis ergo, Articulum primum Fœderis qui incipit. *Sit inter* &c. tametſi per ſe ob promiſſam hinc inde offenſivi nunc flagrantis, quam poſt illud extinctum, ad aſſerendam obtentam generalem Pacem defenſivi belli Societatem perpetuam, ſatis clarus ſit, ab omni orituri poſt hac minimi etiam dubii interpretatione planum reddere, & declarare. Quod ſi poſt obtentam Divina Aſſiſtentia per Dominos Confœderatos a Turcis generalem Pacem, unus ex illis a Turcis vel terreſtri, vel maritima potentia invadatur, a caeteris Dominis Confaederatis illo plane modo, quo in ante memorato Faedere conventum eſt, communibus viribus Pax communis vindicari, & ad eam vindicandam promiſſa communis belli in perpetuum duratura Societas effectum ſortiri, & inviolata permanere debeat.

Eadem evitandae futurae ambiguitatis ratio movit Dominos Compaciſcentes, ut Articulum Tractatus Faederis, qui incipit: *Alias per diverſionem*, &c. tametſi non minus per ſe, quam per Articulum, qui incipit: *Declarat itaque*, &c. ſatis clarum explicarent: Quod inter Provincias ad Regnum, & Coronam Hungariae Jure avito ſpectantes, aut ab eadem vel nunc, vel olim dependentes, ſolum in Dalmatia ea, quae Sereniſſimae Reipublicae Venetae Armis a Turca recuperabuntur, eiusdem Dominio reunientur, & cedent. Actum Lincii 20. Martii Anno 1684.

Idcirco Nos Declarationem, & Elucidationem, quae praemittitur, per omnia aeque ratam, & gratam habemus, ac ſi in ipſis ſacri Faederis Tabulis de verbo ad verbum ita comprehenſa eſſet. Dedimus inſuper Reverendiſſimo Domino Cardinali Pio Germaniae, & noſtrarum Provinciarum haereditariarum Protectori in Commiſſis, ut eandem Declarationem noſtro Nomine ad manus ſuae Sanctitatis Juramento firmaret. In cuius maius robur hanc Ratificationem manus noſtrae ſubſcriptione, & Sigilli Caeſarei appenſione munivimus. Dat. in Arce noſtra Lincenſi die 27. Menſis Julii Anno 1684. Regnorum noſtrorum Romani 27. Hungarici 30.

LEOPOLDUS mp.

*F. A. Hen. C. Baro de Stratman.*

*Ad Mandatum Sacrae Cæſareæ Maieſtatis proprium.*

Joan. Georgius Koch.

Anno 1684. *Ducis Venetiarum Declarationis eiusdem Ratificatio.* Dat. 12. Auguſti Anno 1684.

Marcus Antonius Justinianus Dei Gratia Dux Venetiarum. Notum facimus, & atteſtamur, quod ſacri Fœderis adverſus Turcam per Plenipotentiarios *Sereniſſimi* Imperatoris, *Sereniſſimi* Regis Poloniae, & Reipublicae noſtrae ſanciti Lucidatio ſubſecuta eſt tenoris huiusmodi. Priusquam inter *Sacram* Caeſaream Maieſtatem, & Regiam Maieſtatem Poloniae, ut & *Sereniſſimam* Rempublicam Venetam quinta currentis Menſis Martii icti Fœderis Ratificationes commutarentur, omnibus placuit maioris Elucidationis ergo, Articulum primum Fœderis, qui incipit. *Sit inter* &c. tametſi per ſe ob promiſſam hinc inde, tam offenſivi nunc flagrantis, quam poſt illud extinctum, ad aſſerendam obtentam generalem Pacem defenſivi belli *Societatem* perpetuam, ſatis clarus ſit, ab omni orituri, poſt haec minimi etiam dubii interpretatione planum reddere, & declarare, quod ſi poſt obtentam Divina Aſſiſtentia per Dominos Confœderatos a Turcis generalem Pacem, unum ex illis a Turcis, vel terreſtri, vel maritima potentia invadatur, a caeteris Dominis Confœderatis illo plane modo, quo in ante memorato Fœdere conventum eſt, communibus viribus Pax communis vindicari, & ad eam vindicandam promiſſa communis belli inperpetuum duratura *Societas* effectum ſortiri, & inviolata permanere debeat. Eadem evitandae futurae ambiguitatis ratio movit Dominos Compaciſcentes, ut Articulum Tractatus Fœderis, qui incipit. *Alias per diverſionem &c.* tametſi non minus per ſe, quam per Articulum, qui incipit. *Declarat itaque:* ſatis clarum explicarent, quod inter Provincias ad Regnum, & Coronam Hungariae Jure avito ſpectantes, aut ab eadem, vel nunc, vel olim dependentes ſolum in Dalmatia ea, quae *Sereniſſimae* Reipublicae Venetae Armis a Turcis recuperabuntur, eiusdem Dominio reunientur, & cedent. Actum Lincii 20. Martii Anno Domini 1684.

Ratyfikacija weneska tej Deklaracij ſeyjamia ma. datowa 12 Aug. 1684.

Quam Nos cum *Senatu* noſtro Fœderis praedicti Elucidationem omnino ratam, gratamque habemus, ſpondentes illam in verbo Reipublicae noſtrae inviolabiliter obſervare, nec pro viribus paſſuros, ut a quopiam violetur. In quorum fidem haſce noſtras fieri iuſſimus, manuque noſtra ſubſcripſimus, & ſveto *Sigillo* noſtro muniri mandavimus. Datum in noſtro Ducali Palatio die 12. Auguſti. Anno Domini MDCLXXXIV.

Anno 1684.

*L.* Marcus Antonius Justinianus *Dux Venetiarum &c.*

*Receſſus commutatarum Ratificationum.* Datum Viennæ 27. Septembris Anno 1684.

Poſtquam Articuli duo ſeparati vigeſima Menſis Martii nuperi, a Dominis Plenipotentiariis tam Sacræ Cæſareæ Maieſtatis quam Regiæ Maieſtatis Poloniæ, & Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ ad declarandum Fœdus quinta eiusdem Menſis ictum initi, & ad illorum requiſitionem ab Eminentiſſimo Domino Cardinali Bonviſio interim ſubſcripti, ab altiſſime memoratis Sacra Cæſarea & Regia Poloniæ Maieſtatibus, ut & Sereniſſima Republica Veneta, approbati, & rati, gratique habiti ſunt, non ſecus acſi principali Fœderi inſerti eſſent, ipſa originalia ratificationum Diplomata licet diverſis diebus data, hodie vigeſima ſeptima Septembris 1684. Viennæ Auſtriæ, præſente memorato Eminentiſſimo Domino Cardinali Bonviſio (cui inſuper in abſentia Legati Polonici, a Sereniſſimo Poloniæ Rege Ratificatio credita fuit) rite commutata fuerunt. In cuius fidem a Domino Cardinali, & a Cæſareis, uti & Reipublicæ Venetæ Plenipotentiariis hic Receſſus commutatarum Ratificationum ſubſcriptus, conſvetisque Sigillis munitis, eſt. Actum Anno, & die ut ſupra.

Ratyfikacija zamienione teyże w Wiedniu 27 Sept. 1684. a zeſtro wydanij odtad ygdarza Bonwiſi

(L.S.) *Franciſcus Cardinalis Bonviſius, Nuntius Apoſtolicus.*
*Leopoldus Guilielmus Comes in Kiniceſs Eques. mp.*
*F. A. Henricus Liber Baro de Strattman.*
*Dominicus Contarini Eques. mp.*

## CXVII.

*Tractatus Fœderis Defenſivi inter* Carolum *Imperatorem, ut Dominiorum ſuorum Hæreditariorum Principem, & Reges Magnæ Brittaniæ, & Poloniæ, pro conſervatione Ditionum ſuarum, nec non tuitione Jurium, & Libertatis Reip. Poloniarum concluſi.* Viennæ 5. Jan. 1719.

*In Nomine Sanctiſſimæ & individuæ Trinitatis!*

Quandoquidem Sua Sacra Cæſarea Regia Catholica Maieſtas, tanquam Regno-

ANNO 1719. Regnorum, Ditionumque ſuarum Hæreditariarum Dominus, & Sua Regia Maieſtas Magnæ Brittanniæ, tanquam Elector Brunſvico-Luneburgenſis, itemque Sua Regia Maieſtas Poloniæ, tanquam Elector Saxoniæ, ſolo atque unico mutuæ defenſionis, ac conſervandarum Provinciarum, Ditionumque ſuarum intuitu, tum pacem, & tranquillitatem Imperii, eiusdem Conſtitutiones, iuxta inſitam, præſentemque uniuscuiusque Status in Imperio obligationem, tuendi ſtudió ducti, arctioris inter ſe Coniunctionis & Confœderationis faciendæ, cogitationes ſuſceperunt, & hunc in finem Mandatis ſuis inſtruxerunt, ſcilicet Sua Cæſarea Regia Maieſtas, Celſiſſimum Principem & Dominum Eugenium Sabaudiæ, & Pedemontium Principem, Conſilii Aulico-Bellici Præſidem, ſuumque Locumtenentem Generalem, S. R. I. Campi Mareſchallum, ac Belgii Auſtriaci cum plena poteſtate Gubernatorem, Aurei Velleris Equitem; Nec non Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum S. R. I. Hæreditarium Theſaurarium, Philippum Ludovicum Comitem a Sintzendorff, Liberum Baronem in Ernſtbrunn, Dominum in Gefœll, ſuperiori Selovitz &c. Burggravium a Reinbeck, Supremum hæreditarium Enſiferum, ac Præciſorem in Superiori & Inferiori Auſtria, Hæreditarium Pincernam in Auſtria ad Anaſum, Aurei Velleris Equitem, Sacræ Cæſareæ & Catholicæ Maieſtatis Camerarium Actualem, Conſiliarium Intimum, & Aulæ Cancellarium; Ac Regia Sua Maieſtas Magnæ Brittanniæ, qua Dux & S. R. I. Elector Brunſvico-Luneburgenſis, Illuſtrem D. Franciſcum Ludovicum de Peſme, S. Saphorini Dynaſtam, pedeſtris Militiæ altefactæ Maieſtatis ſuæ Locum-tenentem Generalem, eiusdemque ad Aulam Caeſaream Miniſtrum, Regia demum ſua Maieſtas Poloniae, tanquam Dux, & S. R. I. Elector Saxoniae, Illuſtriſſimum, & Excellentiſſimum D. Jacobum Henricum S. R. I. Comitem de Flemming, M. D. L. Stabuli Praefectum, in Exercitu Regni Poloniae Militiae Autoramenti exotici Generalem, altefactae S. R. Maieſtatis Poloniae, & Electoris Saxoniae Campi-Mareſchallum, Directorem Conclavis Secretioris, & Conſiliarium Intimum, Conſilii Militaris Praeſidem, Haereditarium in Pomerania Ulteriori, & Principatu Caminenſi Mareſchallum, Ordinis Militenſis deſignatum Commendatorem, Ordinum Aquilae albae, Elephanti, & S. Andreae Equitem, Dominum Caſtrenſem in Martentin, & Bœck, Dynaſtam in Burgscheidingen, Berkicht & Nebra; dicti modo Miniſtri Plenipotentiarii poſt excuſſas, trutinatasque hinc inde commiſſi Negotii rationes, loco atque die infra ſcriptis in ſequentes Fœderis Defenſivi leges convenerunt. ANNO 1719.

Articulus I.

Sit amicitia firma, vera, atque ſincera inter Partes Contrahentes ſupra nominatas, eaque ita ſancte, ſerioque colatur, ut unaquaeque earum ad alterius honorem, utilitatem, & commoda promovenda, non conſilia ſolum, operamque omnem conferre, verum etiam, ubi occaſio poſtulaverit, ad prohibenda incommoda, pericula, atque damna, & ad depellendas ab invicem hoſtiles iniurias, & inſultus auxiliis opportunis et neceſſariis concurrere teneantur.

II.

Sancitur et ſtabilitur inprimis huius Fœderis conventione, mutua defenſio Ditionum, ac Provinciarum Haereditariarum, quae ad Fœderatos in Imperio Rom. Germanico ſpectant, nec non conſervatio Circulorum, in quibus dictae Ditiones, et Provinciae ſitae ſunt, ita, ut ſi contigerit unum, vel alterum Fœderatorum in iis hoſtiliter invadi, adeoque unum vel alterum e Circulis modo indigitatis, turbis bellicis inquietari, reliqui Fœderati Parti impetitae, in iis Ditionibus aut Circulo, ubi haereditariae Ditiones ſitae ſunt, numerum Copiarum, inferius determinatum, ſubſidio mittere debeant, et quidem ita prompte, ut auxiliares iſtae Copiae eveniente caſu, ſtatim absque ulla mora, ſimul ac requiſitae fuerint, iter ad ſuccurrendum accelerare, et diverſionem hoſtibus, ſi eorum Regiones ſint ſuis vicinae, ad optionem Partis oppugnatae facere debeant.

III.

Suſtententur autem Copiae hoc modo in ſubſidium miſſae, ſtipendiis, ſumptibusque mittentium, exceptis equorum pabulis, fœno, avenaque, utpote, quae gratis praebebuntur in ſuis Ditionibus ab eo Fœderatorum, cui auxiliatum venerunt, qui curabit etiam, ut Copiae auxiliatrices panem pari pretio, quo proprius Miles, ſua tamen ſibi pecunia, comparare poſſint; Quaelibet portionum equorum, quas rationes vocant, conſiſtet ſex libris avenae, et decem libris fœni, ponderis Viennenſis, et deficiente avenae copia, in eius locum quantitas dimidia in frumento, vel hordeo exhibeatur; ubi vero neceſſe fuerit extra Territoria Fœderatorum in alienis Provinciis operationes bellicas proſequi, tunc quaelibet Pars ſuis Copiis de pane, avena, fœno,

ANNO 1719. aliisque neceſſariis omni meliori, quo poterit, modo ipſa proſpiciat.

IV.

Quodſi acciderit, duos Fœderatorum in ſuis Ditionibus eodem tempore ſimul infeſtari, tunc ambo ſuper diſpoſitione Operationum militarium, atque ſuper uſu auxiliorum, a parte extra periculum conſtituta, mittendorum, in commune conſulent, ſtatuentque dictis auxiliis interim iter a ſubveniendum ſine ulla retardatione ingredientibus, & proſequentibus.

V.

Etiamſi Partes Contrahentes ultra numerum infra Articulo XI. definitum, ad asſiſtendum Parti infeſtatae, plures Copias ſubmittere non teneantur; nihilominus tamen obſtrictae erunt, quicquid praeterea ipſis virium ſuppetit, adhibere divertendo hoſti, quantum fieri poterit, in Ditionibus, ſi quas habet, ſitu ita opportuno, ut facile in eas penetrari poſſit: liberum autem eſto Parti requirenti, ſi ita e re viſum fuerit, minorum quoque ſuppetiarum numerum, quam qui ex praeſentis Fœderis Conſtitutione deberetur, ciere atque evocare.

VI.

Conventum praeterea eſt, ut ſi forte ſua Regia Catholica Maieſtas, per aliquam ex Potentiis Septentrionalibus, durante huius Fœderis nexu in Hungaria hoſtiliter impeteretur, hoc quoque caſu eveniente, reliqui Fœderati eidem auxiliis hoc Fœdere conſtitutis, ſuccurrere ſatagant, hac tamen obſervata reſtrictione, ut Copiae *S.* M. Brittanniae in Hungariam usque progredi nullo modo teneantur, ſed interea, dum ibi res agitur, ſolummodo ad tuendum Provincias *S.* Caeſ. M. Germanicas, ad diſtrahendas vires aggreſſoris in eius Ditionibus, ſi quae forent, in vicinia Provinciarum Teutonicarum R. M. Britt. exhibeantur.

VII.

Quod Articulo 2. huius Tractatus diſpoſitum eſt, ut ſi Provinciae Germanicae unius ex Partibus paciſcentibus, hoſtilibus armis premerentur, reliquae duae Partes cum tanto Copiarum numero, quantum praeſens Fœderis Inſtrumentum praeſcribit, ad ſuppetias ferendas accurrere debeant, id ita eſt intelligendum, niſi & ipſe quoque in ſuis Ditionibus Germanicis, & Hungaria inteſtaretur. Etenim ſi omnes tres uno, eodemque tempore pariter inuadi contingeret, tunc omnes etiam ſimul collatis in medium, & conſiliis, & armis, ea, quae bonos Fœderatos decet, fide atque ſinceritate, pro neceſsitatis, communique utilitatis ratione concurrere, & agere tenebuntur.

VIII.

ANNO 1719. Hoc Fœdus complectetur, & aſſecurabit etiam tam Regni Polonici tuitionem, atque conſervationem, quam ipſius Poloniæ Regis aſſertionem, & manutentionem in Throno ſuo contra quoscunque, qui aut clam, aut palam, directe, vel indirecte illum turbare, aut moleſtare præſument in quieta poſſeſſione Regni ſui, Magnique D. L. cum omnibus eorum annexis, & dependentiis, a quibus ne minimum quidem avelli permittatur. In hunc finem, & ad aſſiſtendum Regi, Regnoque Poloniæ, ubi neceſſitas poſtulaverit, adhibebuntur æque auxiliares Copiæ inferius Articulo XI. determinatæ, hac tamen itidem reſervata modificatione, ut R. M. Britt. Miles non niſi faciendæ diverſioni in Provinciis Aggreſſoris, ſi quas Ditionibus Regiæ Maieſtatis Brittanniæ in Germania propinquas habet, inſerviat, vel etiam tutandis, ad Regiæ Maieſtatis Poloniæ requiſitionem, Provinciis eius *Saxon*: eo caſu, ſi forte Copiae, *Saxonicae* fuerint a Regno Poloniae ad opem, contra hoſtes in Polonia, aut in Magno Ducatu Litvaniae ferendam, armaque iungenda, iuſta requiſitione accerſitae.

IX.

Cum itaque huius Fœderis reſpectu ad Poloniam, non alia ſit intentio, quam ut ſalvis utrinque, & Regiae Maieſtatis, & publicae Libertatis Juribus, tum Poloniae Regnum, Magnusque Litvaniae Ducatus in ſtatu integro, illibatoque contra omnem oppreſſionem conſervetur, tum Regia S. M. uti Articulo praecedente proviſum eſt, in quieta ac imperturbata poſſeſſione, & fruitione dicti ſui Regni, Magnique Ducatus Litvaniae, cum omnibus annexis, & dependentiis manu teneatur, contra iniurias, vexationes, aut moleſtias quaſcunque, ſive aperto Marte, & vi extrinſecus adhibita inferantur, ſive per clandeſtinas machinationes, factionesque exterarum *P*otentiarum ſuggeſtionibus, aut ſecretis adminiculis ſuffultas intententur. Dicta *S.* R. Maieſtas ex abundanti declarat, polliceturque ſe Regni ſui, Magniq; D. L. Ordines Libertate omnimoda, qua gaudere debent, omnibusq; ſuis Juribus, & Privilegiis ſine ulla infractione uti, frui, minime impedituram, neq; obſtituram, quin ſua Caeſarea Maieſtas, & Magnae Brittanniae Rex ſe huius Declarationis *S*ponſores erga Rempublicam conſtituant, Fidemque ſuam, nihil omnino a Rege *P*oloniae adverſus Regni Conſtitutiones, Immunitatesque commiſſum iri, cum Guarantiae vinculo interponant.

X.

Vicisſim Rex Regnumque *P*oloniae, teſtando

Anno 1719. teſtando affectui, ſtudioque reciproco, communem Fœderis cauſam quovis poſſibili modo adiuvare tenebuntur, ex ſua quoque parte Copiarum numerum Articulo ſequenti definitum, ſiſtere, eoque ad obtinendum Fœderis ſcopum ubique concurrere; Et quidem Copiæ hæ Polonicæ præcipue inſerviant intercludendo tranſitui quibusvis exteris Copiis, quæ per Poloniam, aut Magnum Ducatum Litvaniæ verſus, aut contra Imperium, vel contra trium Fœderatorum Ditiones, comprehenſa Hungaria venire præſumpſerint; Si vero Rex Poloniæ ad prohibendum iſtius modi tranſitum, dictas Regni Copias non ſuffecturas iudicaverit, ac ideo nomine Reipublicæ, et ſub eius Sigillo aſſiſtentiam Fœderatorum requiſiverit, tunc Imperator, et M. Britanniæ Rex, iuxta huius Fœderis Leges auxilia ſine mora ſubmittent. Quod ſi in Imperatoris, aut Regis M. Britanniæ Ditionibus hoc Fœdere comprehenſis hoſtilis aggreſſio contigerit, Rex Poloniæ, quantum fieri poterit, hoſtibus e Polonia quoque diverſionem facere ſataget, aut Parti laceſſitæ, ſi ab ea requiretur, ſubſidiariam Polonicæ Militiæ ratam ſuppeditabit.

XI.

Conferet huic Fœderi ſuſtinendo Sua Cæſarea Maieſtas octo mille Equites, et totidem Pedites; Rex M. Britanniæ, tanquam Elector Brunſvici duo millia Equitum, et ſex millia Peditum, ſi Ditionibus Cæſareis ſuccurrendum fuerit, ſi autem Provinciis Saxonicis, non niſi bis mille Equites, et quatuor mille Pedites: Rex Poloniæ tanquam Elector Saxoniæ bis mille Equites, & quatuor mille Pedites: De cætero Sua M. Polonica Nomine Regio, et Regni, duo millia Deſultoriorum Equitum, et quatuor millia Peditum, Militiæ ordinariæ, cum quatuor millibus ex Militia Equeſtri Nationali contribuet.

XII.

Si contingat occaſione huius Fœderis, et durante eius nexu, generale in Septentrione bellum exardeſcere, Partes paciſcentes totis viribus ſe invicem iuvare, mutuamque ſibi operam ad depellendam vim hoſtium omni meliori modo ferre teneantur. Tunc etiam pro re nata ſuper loco, modoq; coniungendarum Copiarum, itemque ſuper Gubernatione, ductuque generali Exercitus communis, tum ſuper providendo eidem commeatu, et annona, et denique ſuper inſtituendis, exequendiſque operationibus bellicis inter ſe convenient.

XIII.

Duret, et ſubſiſtat præſens hoc Fœdus uſque ad omnimodam, ſolidamque motum in Septentrione Pacificationem, quæ ipſa tamen non alio fieri debet Pacto, niſi adhibita præcautione, ne quid in ea præſentis huius Tractatus ſtipulationibus, atque contento contrarium admittatur. Anno 1719.

XIV.

Ad huius Fœderis mere defenſivi Societatem aliæ quoque Potentiæ, præſertim omnes Imperii Principes, atque Status, et ſpecialiter Ordines Generales Uniti Belgii invitentur.

XV.

Ratihabebitur hoc Fœdus ab omnibus Fœderatis, et Ratificationum Tabulae exhibebuntur, ex parte quidem Caeſareae Maieſtatis, ex partibus itidem Magnae Brittanniae, Poloniæque Regum, tanquam Brunſvici, et Saxoniae Electorum, intra duorum Menſium ſpatium, aut citius ſi fieri poterit. Cum Rege vero Poloniae, qua tali, et cum Poloniae Regno ad minimum intra tres Menſes, pro ingreſſu in huius Fœderis Societatem declarando Pacta conficientur, et in forma ex more Regni uſitata, ratificabuntur; In quorum fidem ſupra memorati Miniſtri Plenipotentiarii praeſens Inſtrumentum tribus Exemplaribus eiusdem tenoris expeditum, manibus propriis ſubſcripſerunt, Sigillisque appoſitis muniverunt. Actum Viennae die 5. Menſis Januarii Anni 1719.

*Eugenius von Savoyen.* (L.S)

*F. L. de Peſme D. S. Saphorin.* (L.S.)

*Phil. Lud. Graff von Sinzendorff.* (L.S.)

*Graff von Flemming.* (L.S.)

CXVIII.

*Fœderis inter* Leopoldum *Imperatorem*, & Joannem III. *Regem Poloniæ Anno 1677. concluſi Renovatio.* Datum Varſaviæ in Arce Regia d. 3. Novembris Anno 1732. *Ex Originali.* 1732.

Nos infraſcripti Sacræ Cæſareæ, Regiæque Catholicæ Maieſtatis Legatus Magnus, & a Sacra Regia Maieſtate Poloniæ, ac Republica per Conſtitutionem Anni 1726. ad continuandas Conferentias, firmandamque, & aſſecurandam bonæ Viciniæ amicitiam, inter Dominia S. C. Regiæque Catholicæ Maieſtatis, & Regni Poloniæ, ac Magni Ducatus Litvaniæ deſtinati

ANNO 1732. ſtinati Commiſſarii, poſt plures conferentias habitas, & peractas, diſcuſſasque, & concertatas ab utrinque ſeparatis Articulis prætenſiones, quas & ubi adhuc aliquid a Republica deſideratur, Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Dominus Legatus apud Auguſtiſſimam Cæſaream, Regiamque Catholicam Maieſtatem, ad ſatisfactionem Reipublicæ ſubſequendam ſe omnimode promoturum, & evincere curaturum obligavit, unanimi ab invicem convenimus conſenſu, vetera Pacta, & & Fœdera inter Divum olim LEOPOLDUM I. Rom. Imperatorem, & JOANNEM III. Poloniæ Regem Anno 1677. inita, & concluſa, non ingerendo Nos in novas quasvis conditiones, vel ligamina, reaſſumenda, & renovanda eſſe, quorum Pactorum tenor eſt talis.

Nos LEOPOLDUS Divina favente clementia &c. Et Nos JOANNES III. Rex Poloniæ &c. tenore Præſentium recognoſcimus, ac notum facimus univerſis & ſingulis præſentibus, & futuris harum notitiam habituris. Quandoquidem qui Chriſti locum in Terris gerunt &c. (*Inſeritur per totum Tractatus Anni 1677.*) Datæ in Civitate noſtra Viennenſi, & Arce Regia Varſavienſi die 24. Aprilis Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Regnorum noſtrorum LEOPOLDI Imperatoris Romani decimo nono, Hungarici vigeſimo ſecundo, & Bohemici vigeſimo primo, noſtri vero JOANNIS III. Poloniæ tertio.

Quæ Pacta in omnibus Punctis, Articulis, & Conditionibus, excepto puncto de conſcribendo milite, quod huius eſt tenoris: *Hoc tamen expreſſo, ut liceat utrique noſtrum ex Terris, & Provinciis alterius voluntarios Milites ære ſuo conductos educere, & arma in uſum ſuum exportare, eatenus tamen Milites educere liceat, quatenus id ſciente fiat altero noſtrum, neque ſit alteruter noſtrum bello ſuo proprio contra hoſtes aliquos ſuos impeditus &c.* prout Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus Dominus Legatus Magnus, Nomine Sacræ Cæſareæ, Regiæque Catholicæ Maieſtatis, ita & Nos Commiſſarii Nomine Sacræ Regiæ Maieſtatis, & Reipublicæ renovamus cum robore perpetuo in iisdem Pactis expreſſo, ſalva approbatione, & ratificatione tam Sacræ Cæſareæ Regiæque Catholicæ Maieſtatis, quam & Sacræ Regiæ Maieſtatis Poloniæ, & Reipublicæ in Comitiis Generalibus proxime futuris. In quorum fidem Præſentes manibus propriis ſubſcripſimus, Sigillaque noſtra Gentilitia appoſuimus. Datum Varſaviæ in Arce Regia die tertia Menſis Novembris Anno Domini 1732. ANNO 1732.

*Henricus Guilhelm. Comes de Wilczek Legatus.*

*Chriſtophorus Antonius Szembek Epiſcopus Vladislavienſis, & Pomeraniæ.*

*Joannes Potocki Palatinus & Generalis Terrarum Kijoviæ, Capitaneus Varſavienſ. Commiſſarius.*

*Michael Caſimirus Dux Radzivill Supremus M. D. Litvaniæ Stabuli Præfectus.*

*Adamus a Wilkow. Wilkonſki Succamerarius Terræ Sochaczovienſ. Commiſſarius.*

*Theodorus Potocki Archiepiſcopus Gneſnenſ. Primas Regni Poloniæ, & M. D. L.*

*Joſeph. de Konczyce Mniſzech Supremus Regni Mareſchalcus.*

*Joannes Lipſki Epiſcopus Luceorienſis Procancellarius Regni.*

*Maximilian. de Tenczyn Oſſolinſki Supremus Regni Theſaurarius.*

# DANIA.

## I.

*Pacta inter* ERICUM *Daniæ, &* VLADISLAUM *Poloniæ Reges, & Regna eorum, nec non* VITOLDUM *Magnum Ducem, & Magnum Ducatum Litvaniæ, ad perpetuam omnium temporum memoriam, & obſervationem conſtituta. Mutua ſibi ſuis ſumptibus, cum omni potentia ſua auxilia ferent. Spolia hoſtibus detracta, ex æquo divident. Terræ, & Civitates bello partæ pro Jure, ad quas antea pertinebant, Partibus cedent. Quodſi alteruter Regum Fœderi huic ſatisfacere, fidemque ſuam liberare nollet, ſubditi nihilominus ipſius Pactis præſentibus perpetuo ſtare tenebuntur.* Dat. in Caſtro Haffnenſi d. 23. Jun. An. 1419. *Ex Originali. Sigill. 70.* 1419.

*Ex-*

ANNO 1418. *Extat in Archivo Cancell. Regni Lib. Legationum sub Lit. V. fol. 51.*

NOS ERICUS Dei Gratia Regnorum Daciæ, Sveciæ, Norvegiæ, Gottorum, Sclavorumque Rex, & Dux Pomeraniæ &c. Recognoscimus, testamur, & protestamur publice, & manifeste coram omnibus, & quibuscunque. Quod Nos propter singularem amicitiam, & amorem, & propter ambasiatam, sive negotium, prout Serenissimi Principis, & Domini, Domini VLADISLAI eadem Gratia Regis Poloniæ, & Supremi Principis Litvaniæ, Hæredis Russiæ &c. charissimi Fratris nostri fideles Nuntii, & Ambasiatores, videlicet Domini Jaroslaus de Jwno Succammerarius Calissiensis, & Sbigneus de Altomente Castellanus Rosperyensis ad Nos deduxerunt, & propter singularem complacentiam ex hoc, quia istud est pro Responso super negotiis, & ambasiatis ex parte nostra per dilectos fideles Nuntios, Consiliarios nostros, Dominos Macke Borken, Gerrardum de Dewitz, & Swantz Dewicz ad dictum Serenissimum Fratrem nostrum Regem Poloniæ &c. transmissos, & destinatos expositis, & deductis, prout a Nobis habuerunt in Commissis, & Mandatis, & ob hoc confœderavimus, confirmavimus, & ligavimus Nos pro Nobis, & nostris Hæredibus, & Succesforibus, & nostra Regna cum omnibus, & singulis inhabitatoribus eorundem, Ecclesiasticis, & temporalibus, de consilio & consensu Consiliariorum trium Regnorum nostrorum, & Terrarum præfatarum, cum dicto Serenissimo Principe, ac Domino, Domino VLADISLAO Rege Poloniæ &c. Fratre nostro charissimo, ac cum suo Regno, & Terris, & cum omnibus inhabitatoribus eorundem Ecclesiasticis, & temporalibus, nec non cum Illustri Principe, ac Domino, Domino VITOLDO, alias Domino ALEXANDRO Magno Duce Litvaniæ &c. & Castris, Terris, & Civitatibus eiusdem, & inhabitatoribus eorundem sic, & taliter: Quod Nos, & nostra Regna, nostri Hæredes, & nostri Succesflores, & omnes inhabitatores Regnorum, & Terrarum nostrarum volumus, & debemus, circa prænominati Domini Regis Poloniæ Fratris nostri charissimi, & sui Regni, nec non suarum Terrarum, & inhabitatorum eorundem Ecclesiasticorum, & Temporalium, nec non dicti Illustris Principis Domini VITOLDI, alias ALEXANDRI Magni Ducis Litvaniæ, nec non Terrarum, Castrorum, Civitatum suarum, & Inhabitatorum eorundem, iuvamen, & assistentiam remanere cum omni potentia, & potentatu nostro, bona fide ad omne Jus eorum, quando ad hoc fuerimus requisiti, dummodo posse, & potestatem Juris eorum habeamus taliter, quod stare velint definitioni nostræ in causis eorum, in ratione, iustitia, & in iure. Cum vero contingat, quod unus de Nobis præfatis Regibus, & Dominis sic confœderatis, requirat alium Regem, & Dominum Confœderatum, quod cum suo iuvamine sequatur ipsum, tunc ille sic requisitus, & invitatus, vel requisiti, & invitati, debet, vel debent sequi requirentem suis propriis expensis, sumptibus, & damnis. Verum si aliqua lucrarentur, & lucrari reciperentur in captivis, & rapinis, talia dicti Reges, et dictæ Partes debent dividere inter se, et deberent ad utramque Partem Confœderatorum pertinere. Si vero Castra, Civitates, vel Terræ expugnarentur, obtinerentur, vel lucrarentur, potenter, vel per Tractatus, talia Castra, Civitates, et Terræ deberent remanere apud illum, qui requisivisset sequelam, et cui fit, et facta est sequela. Si vero unus de Nobis requiret alium, vel alios pro sequela ad Terras, in quibus Nos ambæ Partes Jus haberemus, ex Parte Regnorum et Terrarum nostrarum, et Nos ambæ Partes in illis aliqua expugnaremus, vel lucraremur, vel obtineremus cum potentia, vel per Tractatus, tunc illa, quæ sic expugnarentur, vel lucrarentur, deberent remanere apud illum, ad cuius Regnum, Dominium, vel Terras pertinuissent, et pertinerent. Et si aliqua alia ultra præmissa de Bonis, vel Dominiis inimicorum expugnarentur, vel obtinerentur, cum potentia, vel Tractatibus, illa deberent ad utramque Partem pertinere. Etiam volumus huiusmodi Fœdera, et amicitias cum Gratia Dei, et Adiutorio habere, contra Gentiles, et Paganos, et Infideles, ita videlicet, quod in bona fide cum Dei auxilio omni tempore volumus ad hoc mentem habere, et attendere, quod Fides Catholica augeatur, et Christianitas augmentetur, iuxta ultimatum nostrum posse. Et quando Dominus Deus Nobis ambabus Partibus, aut alteri nostrum hoc instinxerit, quod Nos cum Adiutorio Dei in hoc aliquid attentare voluerimus, iuxta intellectum nostrum, et desiderium, tunc unus nostrum ad alium debet super hoc mittere suos fideles Nuntios, et Ambasiatores ad concorditer tractandum, et concordandum, et conveniendum, qualiter meliori modo, et forma istud incipiemus, et apprehen-

ANNO 1419.

ANNO 1419. demus, et poſtquam in hoc fuerimus concordes, tunc una Partium alteri debet hoc ſinceriter, et bona fide tenere, et obſervare. Etiam Nos ERICUS Rex praenominatus, et Regna noſtra, et Terrae, et Militatores earundem Eccleſiaſtici, et temporales volumus, et debemus, praenominati Domini Regis Poloniae Fratris noſtri chariſſimi, et Regni ſui, et Terrarum ſuarum, et Inhabitatorum eorundem, et dicti Domini VITOLDI alias ALEXANDRI Magni Ducis Litvaniae Terrarum, Caſtrorum, Civitatum ſuarum, et Inhabitatorum eorundem melius, utilius, et convenientius promovere, et diſconvenientia, ſeu eisdem contraria amovere, iuxta omnem poſſibilitatem noſtram, publice, et private, in bona fide, omni dolo, et fraude excluſis. Si vero aliquis de Nobis Regibus, vel ipſe Dominus VITOLDUS Dux praefatus decederet, tunc dicta Regna, et Ducatus aeque bene, deberent in dicto Fœdere permanere. Et ſimiliter ſi in aliquo de dictis Regnis, vel Ducatu unus alius Rex, vel Dux veniret, qui in huiusmodi Fœdere non vellet permanere, tunc dicta Regna, et Ducatus deberent dicta Fœdera obſervare, ut praefertur. Omnes praedictos Articulos, et quemlibet eorum in ſpecie promittimus Nos ERICUS Daciae, Sveciae, Norvegiae etc. Rex, et Dux Pomeraniae etc. praefatus, pro Nobis, noſtris Haeredibus, et Succeſſoribus, et tribus Regnis noſtris, et Terris praefatis, firmiter, et inviolabiter obſervare, ſine dolo, et Nobiscum, et pro Nobis, et Regnis noſtris, et Terris, Venerabiles, et dilecti noſtri, Praelati, Milites, et Militares, ſicut inferius deſcribuntur, promittunt, quod de eorum conſilio, et voluntate omnia facta haec ſunt in tribus Regnis noſtris, et Terris, et Nos cum eis, et ipſi Nobiscum, promittimus bona fide obſervare Sereniſſimo Principi, ac Domino Domino VLADISLAO Regi Poloniae, ac chariſſimo Fratri noſtro, et dicto Illuſtri Principi Domino VITOLDO alias ALEXANDRO, et dictis Regno, et Ducatui, et eorum Terris, et eorundem Inhabitatoribus, Praelatis, Militibus, Militaribus, et cuiuslibet eorum fidelibus bona fide firmiter obſervare. Et pro maiori teſtimonio, et firmitudine, et pleniori obſervantia omnium praemiſſorum Sigillum Maieſtatis noſtrae Praeſentibus de certa, et deliberata ſcientia, et voluntate noſtra fecimus ad hanc Literam appendi, una cum Sigillis Venerabilium Praelatorum noſtrorum, Archiepiſcoporum, et Epiſcoporum, Baronum, Militum, et Militarium infraſcriptorum, Venerabilium Patrum Dominorum videlicet, Patris Dei Gratia Epiſcopi Lundenſis, et Apoſtolicae Sedis Legati etc. et Joannis eadem Gratia Upſalenſis Archiepiſcopi, item Joannis Roſthisdenſis Summi Cancellarii Regni noſtri Daciae, praefati Canuti Lincopenſis, Joannis Sleſvicenſis, Boetii Aruſienſis, Petri Burchlanenſis, Langnonis Vorbergenſis, Joannis Ottomenſis, Chriſtierni Rippenſis, Brunolphi Scharenſis, et Naffnonis Aroſienſis eadem Gratia Eccleſiarum Epiſcoporum, et Honorabilium Virorum Antberni Duodecim Apoſtolorum Bergenſis, Joannis Burglanenſis, Joannis Vibergenſis Eccleſiarum Praepoſitorum. Item Ingenuorum, Clarorum, et Spectabilium Virorum, Caſtrorum, Dominiorum, et Terrarum infra nominandarum, et exprimendarum Caſtellanorum, Commiſſariorum, et Praefectorum, Dominorum videlicet Joannis Duwe de Thoerſſo Nukopnik, Pridberni de Podbuſch, et Ozebort, Andreæ Jacobi Lunge de Eglrethe Ravenſpurgenſis, et Tranoker, et Landglandiae, Waldemari, Budelsbach, & Moen Erici Crumedrcki Neholm, Abſolonis Petri de Herthelorwarthberg, Fallkiemberg, Stanver, et Falſterbode, Ivani Bruſeke de Wemetoffka, Nukopnig Falſtriae, Joannis Grum de Toſtorp, Lindholni, Benedicti, Nicolai de Nuneſs, Algoti Magni de Reffneſs, Grupsholin, et Augermameland, Erici Nicolai de Fum, et Dempſterſtund Rippenſis, Benedicti Pogwiſth Caſtelholm, et Alendt, Gvenonis Feures Undholm, Boetii Dywre de Stoſzkolm, et Thelghe, Joannis Nicolai de Alventzberg Legiferi Terræ noſtrae Jutiae, Nicolai Goſtavii de Rotzwuſt, Thuronis, Stetonis de Kratzhenbom, Proburgh, Nicolai Erengiſlonis, Faxholm, Benedicti Stenonis de Gokſzsholm, Canuti Udonis de Nesbum, Joannis Forweſthoms, Oreferen, Nicolai Boetii de Lindcholmen, Goſtàvi Algoti de Sugxſoe Sture, Algoti de Groenſthowghe, Tunnae, Runnove, Ezre, Cilerdi, Rumiowe de Heſle, Nicolai Fleming Legiferi Terræ Finlandiae, Othonis de Knope Openna, Henrici Kanuti Oerlom, Cirligſti, Haſs de Oertofle, Nicolai Svenonis de Elinge, Hemiti, Joannis Deſtra, Olavi, Stigoti de Krapthorx Bills de Heldorp, Andreæ Nicolai de Drothmingolm, Kopenhaff, Achonis Lauman de Vallen, Joannis Laghonis de Magenſtorb, Nicolai Strangonis de Merondoffte, Jonæ Svenonis de Swenſtorb, Luderi Cabalt de Azedaal, Laurentii Finnonis de Loghershwet

ANNO 1419.

ANNO 1419. hwet, Jonæ Lille de Webergh, & Coweschowgh, Beronis Svenonis de Werlom, & Laurentii Hwas de Oremſtorb, Militum, Petri Falſori Juſtitiani Regni noſtri Daciæ, Joannis Kroppelim, Rawehws, et Eliusbergh, Petri Lucke de Fraeth Thordorp, Joannis Laurentii Orebro, Fickonis de Urtzeen, Heyſtorb, & Abramſtorb, Stenonis Baſſe, Nuborch, Erici Erza, Alleburgh, Nicolai Jonæ, Koldingæ, Abſalonis, Braghe de Wrihſchofie Maim, Erici Rimſcedholm, Bundonis, Jacobi de Krakeholm, Abbati Buddelsbach, Hnitzegafuel, Nicolai Schmhel de Lambehage, & Ottonis Schnikell, & de Rutegharde Militarium. Datum in Caſtro Haffnenſi, in Vigilia Nativitatis Beati Joannis Baptiſtæ. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimo nono.

II.

1510. *Fœdus perpetuæ Pacis, Amicitiæ, & Confœderationis inter* SIGISMUNDUM I. *Regem Poloniæ*, & JOANNEM *Regem, nec non Filium eius* CHRISTIERNUM *Electum Regem Daniæ, concluſum, quo vetera inter Reges, & Regna Daniæ, & Poloniæ Pacta renovant, & mutua ſibi contra omnes hoſtes auxilia promittunt.* Datum Cracoviæ 19. Menſis Martii Anno 1510. *Ex Originali. Cum Sigillo* SIGISMUNDI *Regis, & 17. Sigillis Conſiliariorum. Extat in Archivo Cancell. Regni Lib. Legationum ſub Lit. V. Fol. 54.*

In Nomine Domini Amen.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Natura viventibus cunctis in ſui ortus principio indidit, ut inita concordia, ex parvis creſcant maxima, ex paucis plurima fiant: Homines tamen hoc naturæ munus tanquam peculiare ſibi magis vindicaverunt, hinc enim orta ſunt inter Regna Fœdera, inter Reges, & Principes Amicitia, & hæc quidem cum occurrit vetus, firmior fit, ſtabiliorque, ad cuius amicitiæ aditum magnum affert euntibus gradum, locorum vicinitas. Proinde Nos SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiaviæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Culmenſis, Elbingenſis, Pomeraniæque Dominus, & Hæres &c. Significamus tenore Præſentium, quibus expedit univerſis, tam præſentibus, quam futuris. Quia revolventes in animo perutiles, honeſtiſſimasque Confœderationes iam dudum factas inter divos olim Sereniſſimosque Prædeceſſores noſtros Poloniæ Reges, Regnaque ac Dominia noſtra, & inter inclytos, ac Sereniſſimos Daciæ, Sveciæ, Norvegiæ, &c. Reges, Regnaque ſimiliter, & Dominia illorum, ne antiquitatis ingrata filia oblivio, hæc univerſa aboleret, renovandas eſſe duximus, ut recens tam præclari facinoris ſplendor obiiciatur obtutibus, hoſtium præſertim, qui fidem Orthodoxam Chriſtianam crebris inſultibus lacerare non formidant, quibus profecto vicinorum Principum concordia non poteſt eſſe non formidoloſa; Conſentiente & concordi omnium Prælatorum, & Baronum Status utriusque Regni noſtri voluntate, & conſilio iniiſſe Fœdus perpetuæ amicitiæ, vetusque dudum factum renovaſſe inter Nos, & Succeſſores noſtros, Regnaque, Ducatus, Terras, & Dominia noſtra, ac Sereniſſimum Principem Fratrem, & Vicinum noſtrum Dominum JOANNEM Dei Gratia Daciæ, Sveciæ, Norvegiæ, Sclavorum, Gottorumque Regem, Sleſvicenſis ac Olſatiæ, Stormariæ, & Dithmariæ Ducem, Comitem in Oldemborgk, & Delmenhorſt &c. nec non ſuæ Serenitatis Filium, Illuſtriſſimum Dominum CHRISTIERNUM ſimiliter Dei Gratia verum Regni Norvegiæ Hæredem, ac Electum Regem Daciæ, ac Sveciæ, ambos inſimul, & illorum Succeſſores, Regnaque, Terras, Ducatus, & Dominia eorundem, univerſos denique Status hominum utriusque noſtrum, ut eiusmodi Fœderibus inviolabiliter ſervatis, læta ſint tempora noſtra, creſcat, & augmentetur defenſio Chriſtiana, Poſteris vero noſtris ſecura pax, & tranquillitas præparetur, cuius quidem innovatæ Confœderationis, Fraternitatis, & Amicitiæ conditiones præſcribimus. Inprimis omni ſtudio & vigilantia operari debebimus, ut inter Nos, Hæredesque & Succeſſores noſtros Poloniæ &c. Reges, Regnaque, Ducatus, Terras, Dominia, Civitates noſtras, ac utriusque Status homines univerſos & inter nominatos Sereniſſimos Dominos JOANNEM, & CHRISTIERNUM Dei Gratia, Daciæ, Sveciæ, Norvegiæ &c. Reges, Succeſſoresque, & Hæredes ſuos Daciæ Reges, & item Regna, Ducatus, Terras, Dominia, Civitates, ac utriusque Status homines univerſos illorum, ſit Pax firma, ANNO 1510.

ANNO 1510. Concordia vera, Vicinitas tranquilla, Unio, & amicitia perpetua, & alioquin ſint omnia, quæ amicis felicitates, & augmenta, inimicis vero terrorem, & diſpendia parturirent. Item quod prædictorum noſtrorum Regnorum homines habeant liberam terra, atque mari mercandi, & negotiandi facultatem in Regnis, & Dominiis utriusque noſtrum, liberaque commercia, ſolutis tamen de more datiis teloneisque: liberam item manſionem in Civitatibus, Oppidis, Villis, quoad voluerint, demumque liberum regreſſum, navigationem, & tranſitum in perpetuum, ſalvis depoſitoriorum Juribus. Præterea quoniam Confœderationum ille ſit fructus perneceſſarius, ut hoſtibus quibuscunque Confœderati coniunctis viribus reſiſtant, igitur cum aliquem ex Nobis Confœderatis hoſtes armis, vel quovis alio modo turbare, & invadere niterentur, tunc demum alter Confœderatorum, cui talis immineret neceſſitas, debet alterum vel per Literas, vel per Nuntios de hoc certiorem, aviſatumque reddere. Ille vero aviſatus pro viribus, ac iuxta poſſe, & poſſibilitatem ſuam, conſiliis auxiliisque fraternis neceſſitatem Confœderati Regis, ac Regnorum, Dominiorumque ſuorum adiuvabit, aſſiſtereque illi debeat; vel locum, & tempus eligere, quo uterque Confœderatorum commode prudentes Viros Conſiliarios mitteret, quæſituros, inveſtigaturosque modos, conſilia, & ingenia, quibus commodius, & facilius alter alteri ſuppetias ferret. Et inſuper Nos SIGISMUNDUS Rex Univerſi Senatus Regni, & Dominiorum noſtrorum, Prælatorum, Baronum, & Procerum conſilio perſvaſi, renovamus, reintegramus, confirmamusque per Præſentes in omnibus punctis, conditionibus, clauſulis, & articulis, nihil prorſus excipientes Fœdus, & Confœderationem iam dudum factam per Sereniſſimum olim Principem Dominum VLADISLAUM Poloniæ &c. Regem, Prædeceſſorem, & Avum noſtrum chariſſimum, & Sereniſſimum olim ERICUM Dei Gratia Daciæ, Sveciæ, Norvegiæ &c. Regem, ac inter Regna, Ducatus, Terras, Dominia, Civitates, Oppida, Regnorum tam noſtrorum quam Daciæ Regis prædicti, prout hoc latius Literis ipſius Domini ERICI Regis præfati, Sigillo magno ſuæ Maieſtatis, nec non Sigillis Univerſorum Regnorum ſuorum Status Eccleſiaſtici, & Sæcularis Conſiliariorum confirmatis, continetur. Quarum quidem Literarum effectum, robur ſuum vetus, validum, & perenne habere volumus, ac ſi præſenti novæ Confœderationi inſertæ eſſent. Quæ omnia & ſingula præmiſſa inviolabiliter obſervare, & integre adimplere in omnibus clauſulis, punctis, conditionibus, & articulis ſupradictis præſentibus Literis noſtris promittimus, & pollicemur, perpetuo, & in ævum, Nosque, Hæredes, & Succeſſores noſtros obligamus, conſilio, & aſſenſu omnium Regni, & Dominiorum noſtrorum Status utriusque Conſiliariorum ad eadem omnia, & ſingula præmiſſa accedente. In quorum omnium fidem, & teſtimonium Sigilla Regni noſtri, ac Prælatorum, & Baronum noſtrorum Præſentibus ſunt appenſa. Actum in Arce noſtra Cracoviæ die decima nona Menſis Martii Anno Domini milleſimo quingenteſimo decimo, Regni vero noſtri Anno quarto. Præſentibus Reverendo in Chriſto Patre Domino Mathia Epiſcopo Premiſlienſi, & Regni noſtri Vicecancellario, ac Magnificis Venerabilibus, & Generoſis Nicolao de Kamieniecz Palatino, & Capitaneo Cracovienſi, & Exercituum Regni noſtri Campiductore Generali, Staniſlao Kmitha de Wiſſnicze Ruſſiæ Generali, & Capitaneo Premiſlienſi. Nicolao Firley de Dambrovica Lublinenſi, & Joanne Odrowąſz de Sprowa Belzenſi Palatinis, Chriſtophoro de Schydlovieczi Sandomirienſi, & Siradienſi ac Goſtinenſi Capitaneo, Jacobo de Siekluka Voinicenſi, Georgio Krupſki Belzenſi, & Nicolao Jordan de Zakliczyn Biecenſibus Caſtellanis, Staniſlao de Chodecz Marſchalco Regni noſtri, & Capitaneo Leopolienſi, Joanne de Laſko Poſnanienſi, Plocenſique Præpoſito, & Coadiutore perpetuo Eccleſiæ Gneſnenſis Cancellario, Andrea de Koſcielecz Theſaurario Regni noſtri, Scepuſienſi, & Bydgoſtienſi Capitaneo, Zupparioque Cracovienſi, Joanne de Latalicze Gneſnenſi Lancicienſique Præpoſito, Petro de Thomicze Archidiacono, Sigismundo de Vargowiſka, Joanne Karnkowſki Canonicis Cracovien. Eccl. Decretorum Doctoribus, Staniſlao Lanckoronſki de Brzezie Pincerna Sandomirienſi, & Capitaneo Camenecenſi, Secretariis, cæterisque Conſiliariis, & Curialibus noſtris ad præmiſſa teſtibus. Dat. per manus prædicti Domini Joannis de Laſko Coadiutoris, & Cancellarii Nobis ſincere dilecti. *Joannes de Laſko qui ſupra Coadiutor, & Cancellarius ſcipſi.*

ANNO 1510.

III.

*Confœderatio perpetua inter* JOANNEM *Daniæ*, SIGISMUMDUM *Poloniæ*, *Reges*, *& Regna eorum.* Datum in Arce Haffnenſi

ANNO 1510. nensi 30. Julii Anno 1510. *Ex Originali cum Sigillo Regis Daniæ, & 7. Sigill. Consiliariorum.*

JOANNES Dei Gratia Daciæ, Sveciae, Norvegiæ, Sclavorum, Gottorumque Rex, Dux Slesvigensis, Holsatiæ, Stormariæ, ac Ditmerciæ Dux, Comes in Oldemborgh, ac Delmenhorst. Universis, & singulis praesentes nostrae Regiae Maiestatis Literas visuris, seu audituris salutem, & Praesentibus fidem indubiam adhibere. Directus iam pridem ad nostram usque praesentiam Sereniſſimi Principis SIGISMUNDI Poloniae Regis, ac Magni Ducis Litvaniae, Russiae, Prussiaeque, & Haeredis &c. Fratris nostri chariſſimi Consiliarius, & Orator Dominus Joannes Kołwitz Nobis inter caetera retulit, ac significavit, qualiter idem Sereniſſimus Rex SICISMUNDUS Frater noster chariſſimus, Nobiscum perpetuo Confœderationis vinculo, fraternaque, & sincera fide uniri desiderat. Nos vero attendentes Pacem esse, quae Terrarum cuncta sustentat Imperia, Orbis Ditiones omnes, solam conservare Unionem, & cuiuscunque Status interitum avertere non ignari, cum praefato Sereniſſimo Rege SIGISMUNDO de Consiliariorum nostrorum Magni nostri Consilii, communicato consilio, & assensu unanimi, amicitias pepigimus, nec non Confœderationes, & alligantias perpetuas, & indissolubiles fecimus, & concluſimus, facimusque, & tractamus, modo, atque forma inferius annotatis. Primo actum, dictum, & concordatum extitit, quod inter Nos, Haeredes, & Succeſſores nostros Daciae Reges, nostra Regna, & *D*ominia, Communitates nostras, Vasallos, subditos, & Regnicolas nostros quoscunque ex una, & Praeclariſſimum Principem praefatum *D*ominum SIGISMUNDUM Poloniae Regem, Succeſſoresque, & Haeredes suos, sua Regna, & *D*ominia, Communitates suas, Vasallos, & Regnicolas quoscunque; partibus ex altera, est, atque erit secura Pax, amicitia, tranquillitas, mutuus amor, charitatis unio, veraque amicitia, perpetua Confœderatio, & alligantia indissolubilis in ævum duratura. Et per praesentem Confœderationem erimus Nos, & supradictus Rex Poloniae SIGISMUNDUS, nostrique Haeredes, & Succeſſores *D*aciae, & Poloniae Reges erunt ad invicem boni, veri, indubitati, atque fideles Fratres, vinculo perfectae unionis, & amicitiae nexu, in bona, & sincera fide Confœderati. Praedictorum vero Regnorum nostrorum homines possint, & valeant praedicta hinc inde Regna nostra, & *D*ominia servire, & libere mutuo visitare, nec non inibi morari, mercari, aliasque negotiari, iuxta, & secundum consvetas, & approbatas consvetudines Regnorum. Omnia tamen, & singula, prout condecens fuerit, & quemadmodum exteri homines nostris in Regnis faciunt, debite soluturi. Item svadente causa rationabili, alter nostrum alteri assistentiam, favorem, et auxilium debeat, dummodo poterit, et sibi competens, ac congruum fuerit, debite impertiri, iuxta tamen cuiuscunque nostrum opportunitatem, atque consensum, alterque nostrum alterum concordia, iustitia, aut aequitate, rebus sic exigentibus tractandi liberam habeat facultatem. Nos igitur JOANNES Rex supradictus ad omnia, et singula praemissa in omnibus, et singulis punctis, et articulis supradictis fideliter adimplendis, firmiter tenendis, et inviolabiliter observandis, Nos, nostrosque Haeredes, et Succeſſores *D*aciae Reges his nostris Literis obligamus, salvis tamen semper, et omni ex parte illaesis quibuscunque Confœderationibus, et vinculis per Nos in antea cum caeteris Sereniſſimis Regibus, Regnis, seu Principibus celebratis, atque concluſis. In quorum omnium fidem firmiorem *S*ecretum nostrum Praesentibus duximus appendendum, una cum Sigillis Consiliariorum nostrorum pro nunc apud Nos constitutorum, videlicet Reverendi Patris Domini Joannis Jacobi Eccleſiæ Rosskildensis Episcopi, Supremi Cancellarii Regni nostri Daciæ, Magistri Anonis Vildæ, Cancellarii nostri, Lindensis, & Vibergensis Eccleſiarum Præpositi, Strenuorum Militum Nicolai Crici in Koldinghe, Henrici Krummidiga in Leghelm, & Cichonis Krabba in Helsnighorgh, & Nobilis Viri Eorberini Bilde in Vordinghorgh Advocatorum nostrorum. Datum in Arce nostra Haffnensi penultima Mensis Julii Anno Domini milleſimo quingenteſimo decimo. ANNO 1510.

IV.

*Fœdus inter* SIGISMUNDUM I. *Poloniæ, &* CHRISTIERNUM II. *Daniæ, Reges, quo priora Pacta inter Maiores suos inita instaurant, & confirmant.* Datum Vilnæ die 8. Junii Anno 1516. *Lib. 19. sub Lit. T. No. 20. Fol. 329.* 1516.

In Nomine Domini Amen.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, nec non

ANNO 1516. non Terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cuiaviae, Ruſſiae, Pruſſiae, Culmenſis, Elbingenſis, Pomeraniaeque Dominus, & Haeres &c. Manifeſtum fieri volumus univerſis. Quia cum Regnorum, & Principatuum nullus tutior ſtatus ſit, nulla praeſidia firmiora, quam Regum, & Principum mutuae inter ſe amicitiae, & ſocietates, intelligentes Sereniſſimi Principis, & Domini CHRISTIERNI Daciae, Norvegiae, Sclavorum, Gottorumque Regis ſingularem erga Nos benevolentiam, & affectum, nec non animum ſuum propenſum Nobiscum hac Societate, & Fœdebus his coniungi, quae inter Nos, & Sereniſſimum olim Parentem eius, Dominum JOANNEM Regem, ac Praedeceſſores utriusque noſtrum Poloniae, & Daciae Reges inviolata extiterunt, decrevimus eadem Fœdera pro felici ſtatu, & incremento communium Regnorum, & Dominiorum noſtrorum cum eius Maieſtate inire, & renovare, ac medio Oratorum ſuae Maieſtatis, Reverendi, et Egregii Detleſmiter Juris Pontificii Doctoris, Canonici Haſſinenſis iniiſſe, renovaſſe, et ſanxiſſe praeſentibus Literis noſtris teſtamur, quorum hic tenor eſt, qui ſequitur. Inprimis placitum, et ſancitum eſt, quod inter Nos, et praefatum Sereniſſimum Dominum Regem CHRISTIERNUM, ac Succeſſores, Regna, Dominia, et ſubditos noſtros communes quoscunque, fieri debet perpetua, et inſolubilis pax, amicitia, coniunctio, et ſocietas, et coli a Nobis mutuo amore, et fidei integritate, nec quibusvis illegitimis cauſis violari. Quod ſubditi Regnorum, et Dominiorum Utriusque noſtrum habeant liberam, et ſecuram facultatem verſandi inter ſe mutuo, et mercimonia, ac alia negotia ſua exercendi, iuxta tamen conſvetudinem ſolvendorum teloneorum, ac alia Jura Regni, Dominii, et Urbium uniuscuiusque. Quod in rebus congruis, & rationabilibus debemus Nos invicem iuxta convenientiam, & opportunitatem noſtram omni favore, auxilio, & aſſiſtentia mutua iuvare, iuſtitiamque, & favorem inter Nos, & ſubditos noſtros pro viribus colere, & obſervare. Quæ omnia, & ſingula Nos SIGISMUNDUS Rex praefatus pollicemur fide, & verbo noſtro Regio firmiter tenere, & adimplere, Succeſſoresque, & ſubditos noſtros, quantum in Nobis eſt, ad eadem tenenda, & implenda ſtringimus, & obligamus Coniunctionibus tamen, & Fœderibns noſtris, & Regni, Dominiorumq; noſtrorum cum aliis Regibus, & Principibus initis ſemper, & omni ex parte ſalvis. In quorum teſtimonium Sigillum noſtrum Praeſentibus eſt appenſum. Datum Vilnæ die octava Junii Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſedecimo, Regni noſtri decimo. ANNO 1516.

V.

*Fœdus inter* SIGISMUNDUM AUGUSTUM *Poloniæ, &* FRIDERICUM II. *Daniæ Reges, per Oratores utriusque contra* ERICUM *Sveciæ Regem concluſum.* Datum Stetinii d. 5. Octobr. Anno 1563. *Ex Originali. Extat in Archivo Cancell. Regni Lib. Legationum Lit. V. f. 43.* 1563.

*In Nomine Sanctiſſimæ, ac Individuæ Trinitatis, Amen.*

Notum, teſtatumque ſit in univerſum omnibus, atque ſeorſim ſingulis, harum aliquando notitiam habituris. Quod cum Rex Sveciæ ERICUS, nulla unquam a quoquam Rege offenſus, aut provocatus, ſeu laceſſitus iniuria, ſanctiſſimum illud dulciſſimæ, optatiſſimæque Pacis, Concordiæ, ac publicæ tranquillitatis, & amoris vinculum rumpens, in Regna, Provincias, Ditiones, & Dominia Sereniſſimorum, Potentiſſimorumque Daniæ, Norvegiæ, ac Poloniæ Regum, Dominorum noſtrorum clementiſſimorum, cæca quadam libidinis ſuæ cupiditate debacchari, atque ſævire inceperit, Populosque Maieſtatibus illarum ſubiectos, terra, marique infeſtare, & ſine ullo Chriſtianæ pietatis diſcrimine lacerare, & opprimere, ferro, igneque perſequi, ac in ſuam poteſtatem truculenter redigere, ſubigereque perrexerit, eo tandem cæcitatis pervenit, ut & calumnia utraque Maieſtate adfecta, nomen etiam ſuarum Sereniſſimarum Maieſtatum, per ſe alioquin ſemper ante hac, & ubique Gentium laudatiſſimum, tum & integerrimam, celebratiſſimamque illarum Maieſtatum famam conviciis adficere, atque diminuere fuerit conatus, qui cum ab iſto ſuo iniquo, iniuſto, impioque, & Principe Chriſtiano indigniſſimo propoſito, atque inſtituto, iuſtiſſimis rationibus, et amiciſſimis, ac ſanctiſſimis admonitionibus, tum et convenientiſſimis perſvaſionibus, ab utraque Sereniſſima illarum Maieſtate multoties, et ultra, quam par erat, avocaretur, ſpretis, et contemptis omnibus ſibi oblatis tam piiſſimis occaſionibus, atque conditionibus, nihilominus usque adeo mordicus in ſuo perſiſtit propoſito, et inſtituto, ut indies magis magisque ſuperbi-

ANNO 1563. perbire, cristas erigere, contemnere quemque, et in utramque illarum Sereniſſimam Regiam Maieſtatem usque adeo pertinaciter dentes exacuere videretur, ut omnino tandem earum Sereniſſimæ Regiæ Maieſtates, famæ, honoris, exiſtimationis, et reputationis ſuæ cauſa, conſervandorumque Regnorum, Provinciarum, Ditionum, Dominiorum, ac Populorum deinceps ſuorum, terra, marique habitorum, et poſſeſſorum, tum, et privatæ, publicæ tranquillitatis, et Pacis ſtabiliendæ, et retinendæ gratia, longe alias rationes, et media quærere ſint coactæ, quam unquam in animum induxerant ſuum.

Ne itaque ſibi, ac ſuis deeſſe, ac omnino tot contumelias, iniurias, convitia, pericula, atque damna a *Sveco* ſuis Maieſtatibus illata parvi facere, aut contemnere, et negligere viderentur, mittere primum Stralſundium, deinde huc Stetinum, Nos communes ſuos Commiſſarios utrique Maieſtati illarum ad tempus, et dies præfixos libuit, ut quandoquidem a Sveco utraque illarum Maieſtas paribus rationibus iniuriarum fuerit affecta, pari etiam ratione communicatis Conſiliis, de modo, et ratione defenſionis, et propulſandæ, propellendæque iniuriæ, atque de ſocietate belli ineunda, et de coniungendis viribus, Svecorum Regis machinationibus, et conatibus obviam parandis, mittendisque in hoc præfato Conventu moderno tractaremus, et conſultaremus. Quidquid autem ex re, honeſtate, laude, gloria, atque commodo utrarumque illarum Maieſtatum futurum exiſtimaremus, de omnibus concluderemus, ſtatueremus, ratum, gratum, ac firmum ſtabiliremus, et confirmaremus. Proinde Nos Franciſcus Ruſſocki Caſtellanus Naklenſis, Regiæ Maieſtatis, Regnique Poloniæ Conſiliarius, Gabriel Grabowiecki Tribunus Lomzenſis, et Sereniſſimæ Regis Poloniæ Maieſtatis Secretarius, ac Mlavenſis Capitaneus, Michael Brunow Sereniſſimæ Regis Poloniæ Maieſtatis Secretarius, nomine Sereniſſimi Domini, Domini SIGISMUNDI AUGUSTI. Nos item Georgius Lucke de Offergart Eques Auratus, et Sereniſſimae Regis Danorum Maieſtatis, et Regni Daniae Conſiliarius, Caſper Paſelick de Liddau, Decanus Roſchildenſis, nomine etiam Sereniſſimi Domini, Domini FRIDERICI *Secundi*, utrinque deputati Commiſſarii, primum Stralſundii, deinde, hic Stetinii in Pomerania convenientes, mutuisque ſermonibns, et conſiliis collatis, tractatis, ac diu deliberatis Conditionibus, Articulis, Clauſulis, et Punctis omnibus de Societate belli iſtius contra Svecum, et eius Adhaerentes, ac Fœderatos ineunda, in eum tandem vigore Nobis datorum Mandatorum, et Commiſſionum, quarnm tenorem in fine harum literarum adiecimus, qui ſequitur modum. ANNO 1563.

Principio, Sereniſſima Regia Poloniæ Maieſtas Dominus noſter clementiſſimus vult, prout & debet, tam copioſum, & numeroſum ex equite, & milite pedite congregatum Exercitum in Livoniam mittere, quanto maiorem nunc, & ampliorem colligere per omnem occaſionem, aut facultatem ſuam poterit, eumque ita inſtructum, & paratum ad recuperandas a Sveco occupatas Civitates, & Arces, & ad amovendas, propulſandasque ex eis Sveticas munitiones, & Præſidia, convertere, atque ibi ea omnia experiri, & tentare, quæcunque ad omnimodam eliberationem dictarum Civitatum, & Arcium, quæ a Sveco detinentur, pertineat, donec Deo favente ea, qua dictum eſt ratione omnia ad optatum, deſideratumque finem in Livonia, aut per victoriam amborum Regum, aut per viam Tranſactionis iuxta Conditiones inferius ſpecificatas perducantur, ut ſcilicet utrique Regiæ Maieſtati de ſuo intereſſe, quæcunque in Sveco deſiderabuntur, ex utriusque conſenſu, & voluntate per omnia ſatisfiat.

Ex altera item parte vult etiam, & debet Sacra Regia Daniæ Maieſtas, Dominus noſter clementiſſimus, cum omni ſuo tam equitum, quam peditum numero, & Exercitu, quem nunc habet, cumque Claſſe, quæ eſt inſtructa univerſa, Regnum Sveciæ tam Terra, quam Mari adoriri, ibique omnia experiri, & tentare, ut nihil penitus intentatum eſſe videatur, quod ad acceptas iniurias vindicandas, & ad ſuſceptæ huius mutuæ Societatis bellicæ Officium pertinere quis exiſtimet, donec etiam quantum Deus, & fortunae eventus patietur, ea, qua dictum eſt ratione, omnia ad optatum, deſideratumque finem in Svecia, aut per victoriam, aut per viam tranſactionis perducantur. Denique pro ſe quisque in iſtius tam immanis, & truculenti hoſtis, Regis Svecorum perniciem, ac detrimentum, & internecionem, illarum utræque Regiæ Maieſtates ſunt facturæ, ut omnino Dei Beneficio intelligat, & experiatur, Svecus ſe iniuſte, & ſine ulla legitima cauſa utriusque Regiæ Maieſtatis perſonas ad hoc certamen provocaſſe,

Ad hæc, ſi Civitates, & Arces in Eſtoniæ Ducatu, quæ olim Livoniæ Magiſtrorum, aut Ordinis fuerunt, nunc vero a Sveciæ Rege ferociter, ac violenter contra omne Jus, & æquitatem occupantur,

Anno 1563. nempe Weyſenſtenia, Padis, Pernovia, Arx, Civitasque Revalia cum omnibus attinentiis, aut aliæ etiam Sveticæ in Livonia munitiones deditionem omnino facere nollent, atque ita longiore obſidione opus eſſet, vult Regia Poloniæ Maieſtas propriis ſuis ſumptibus, & impenſis, quanto citius eius rei dabitur facultas, & occaſio, eas omnes eliberare, neque prius a b incæpto deſiſtere, niſi Dei Omnipotentis auxilio, adiutorioque rerum fuerit potita. Quod ſi vero ipſa belli ratio, per utramque Regiam Maieſtatem ad eum, uti dictum eſt, modum conſtituta perduci non potuerit in medium, & ſi alter alterius ope extra Ordinem indigebit, tum demum capto ex re, & occaſione, aut tempore, conſilio, utræque illarum Maieſtates rebus communibus deeſſe non debebunt, ſed eas fideliter, candideque, & ſincere, quemadmodum Confœderatos, et Conſociatos, et Amiciſſimos Principes decet, pro rei exigentia, et neceſſitate promovere, tuerique, et defendere, et eliberare, pecuniaque, et ſumptibus, et copiis mutuis iuvare erunt obſtricti. Quae omnia ad rationem temporum, et occaſionum tum, et ad rei ipſius neceſſitatem, et opportunitatem accommodare debebunt, et tenebuntur. Non debebunt autem, neque volent utraeque Poloniae ſcilicet, ac Danorum, Norvegiorumque Maieſtates, Domini noſtri clementiſſimi, alter ſine alterius aſſenſu, et ſcientia, ac voluntate cum Svecorum Rege in ullas Tranſactionum Conditiones ſeu Tractationes deſcendere, aut conſentire, niſi prius hac de re inter illarum Maieſtates ex omnibus partibus conveniat. Conditiones autem utriusque Maieſtatis Regiae, hae cum primis neceſſariae erunt proponendae. Principio ex parte Regiae Poloniae Maieſtatis, ut Illuſtriſſimum Dominum Curlandiae Ducem Clientem, et Vaſallum Sacrae Regiae Maieſtatis Poloniae, quem non bello, neque armis, ſed Judicio Sacrae Regiae Maieſtatis Poloniae perſequi debebant, inpoſterum neque bello, aut armis infeſtet, ſed eius Illuſtritati de iniuriis illatis, atque damnis per omnia ſatisfaciat, damnaque illata in toto reſarciat, ac parata pecunia rependat, et perſolvat.

*S*ecundo ut in Livonia ea omnia Poloniae Maieſtati Domino noſtro clementiſſimo, quae ibi occuparit, reſtituat, et praeſidia inde ſua ſtatim amoveat, ac deducat, liberaque omnia una cum toto apparatu bellico, et commeatum in manus eius Regiae Maieſtatis Mandatarii, ſine ulla tergiverſatione, et mora, aut procraſtinatione reddat, et tradat.

Tertio ut una cum impenſis in bellicam hanc expeditionem factis, damna, et iniurias tam Regiae Maieſtati, quam illius Maieſtatis ſubditis, quovismodo per omne id tempus illatas etiam reſarciat, et rependat. Anno 1563.

Quarto ut Illuſtriſſimum Dominum Joannem Finlandiae *D*ucem Fratrem integre a ſe in omnibus reſtitutum, atque adeo Illuſtriſſimos Dominos Duces Pruſſiæ, Curlandiæ, Pomeraniæque omnes, atque Megapolenſes, & omnes alios Duces, & Civitates, Populoſve eius Regiæ Poloniæ Maieſtati ſangvine iunctos aut Confœderatos, & neceſſarios, ac ſubditos pro amicis habeat, adverſusque illos omnes nihil unquam poſtea hoſtilitatis, aut inimicitiæ machinetur, aut moliatur.

Quinto & ultimo ut faciat liberam navigandi, atque mercandi, aut quarumvis mercantiarum ubique tranſportandi, & negotiandi poteſtatem, & facultatem per maria omnia, omnibus Regiæ Poloniæ Maieſtatis ſubditis, tam ex Regno Poloniæ, quam ex Ducatu Pruſſiæ, & Livoniæ, ac una ex aliis omnibus, & ſingulis Provinciis, & Dominiis tam Regiæ Poloniae Maieſtatis, quam Illuſtriſſimorum Dominorum ſuperius nominatorum Confœderatorum, aut adhaerentium Ducum, et Principum, et id quidem ſine ullo impedimento, et contradictione Svecorum Regis, vel quorumvis eius ſubditorum, aut illi adhaerentium.

Regiae vero Danorum, Norvegiorumque Maieſtatis nomine ii Articuli, & Conditiones erunt exhibendae.

Principio ut Rex Svecorum uſum Armorum ſeu Inſignium Sereniſſimae Danorum Maieſtatis Regnorum, tam ſuper Regno Daniae, quam Regno Norvegiae, ante omnia deponat, atque eisdem in forma meliore renuntiet. *S*ecundo ut idem Rex *S*veciae, quidquid in *S*caniae, aut aliis locis in Regno Daniae, & Norvegiae, aut etiam in Livonia Epiſcopatibus Illuſtriſſimi Ducis Magni Principis Holſatiae &c. terra, marique occuparit, illud cum omnibus utilitatibus, & fructibus perceptis *S*ereniſſimae Regiae Daniae Maieſtati ſine ulla tergiverſatione reſtituat, & tradat.

Tertio ut Rex *S*veciae omni Juri, quod quidem in Regno Norvegiae, Gotlandia, & *S*cania etc. ſibi competere hactenus aſſeruit, modo meliori, et forma renuntiet, eamque Renuntiationem ſcripto comprehenſam Regiae Danorum Maieſtati ſine contradictione offerat.

Quarto ut liberam quoque navigandi, et mercandi poteſtatem tam Regiae Daniae Maieſtatis ſubditis, quam omnibus hominibus ſine quovis impedimento concedat. Inprimis autem ut Rex *S*veciae Cautionem idoneam, et ſufficientem praeſtet

ANNO 1563. ſtet ſe Lubecenſi Reipublicae omnia damna, et iniurias illatas, ſecundum Jus, et aequum compenſaturum, iisque de omnibus gravaminibus ſatisfacturum.

Quinto ut omnes ſumptus, et expenſas, quas Sereniſſima Regia Daniae Maieſtas, vi, & iniuriis Regis Sveciae provocata in hoc bello terra, marique gerendo fecerit, Rex Sveciae parata pecunia plene perſolvat, et refundat.

Sexto & ultimo, ut defenſio de tribus Coronis, & ſi quae praeterea ſunt legitimae diſceptationis cauſae, ſecundum antiqua Fœdera, more Maiorum per utriuſque Regis deputatos Conſiliarios dirimatur, ac in genere Fœdera omnia variis quidem modis labefactata renoventur, & fide bona inpoſterum ſerventur.

Quod ſi vero Tranſactiones iſtarum conditionum duriores, quam ut eis Suecus ſatisfacere queat, videbuntur, quaeri poterunt, & inveſtigari utrinque rationes, quibus alter alterius ſententiam de conditionibus Transactionis futurae exquirere, ac deinde in medium producere, ac declarare poſſit. Quod ut ex iuſto & aequo utriq; illarum Maieſtati Regiæ par ſit ad eam rem poteſtas, ſponte ſeſe ambæ Maieſtates Regiæ ſubmiſerunt, tum & illud pollicitae ſunt mutuo, quod Regia Poloniae Maieſtas Dominus noſter clementiſſimus, in id totis viribus, & conatibus incumbere, durante hoc Suedico bello debebit, ut in Pruſſia, Livonia, Pomerania, Megapoli, quemadmodum id hactenus ab eius Regia Poloniæ Maieſtate factum eſt, diligenter Svedo paſſus, & tranſportandi commeatus facultas intercludatur. Regiaque Daniæ, Norvegiæque, tum & in Ducatibus Sleſwiciæ, Holſatiæ, ac in aliis Civitatibus vicinis, præſertim Lubecenſi, Hamburgenſi facturam promiſit.

Quod ſi vero quis Regum, aut Principum, ſive Statuum, aut Civitatum Regi Sveciæ ſeſe durante hoc bello Svedico adiungere, & illi adhærere, atque contra hanc belli mutuam ſocietatem aliquid machinari, aut moliri voluerit, eiusmodi iſtorum conatibus communibus conſiliis, ingenio, viribus, ac unanimi ope, & conſenſu obviam omnino ire, utraque illarum Maieſtas ſe ſubmiſit, & eſt pollicita. Quibus quoque liberum erit, in hanc ſocietatem bellicam, quosvis Principes, Status, Civitates, pro peculiari tamen contra Svedum auxilio recipere, cuius rei gratia ſtatim a Sereniſſima Regia Daniæ Maieſtate occaſio cum Civitate Lubecenſi intermiſſa non eſt, ob cuius Societatem, & adhærentiam ſi fortaſſe in tractationem Transactionis eſſet deſcendendum, ſpondent hic utræque quoq; illarum Maieſtates ſe ſine Civitate Lubecenſi nihil tranſigere, & neque tractare velle cum Rege Svecorum. ANNO 1563.

Eſt etiam hic nomine Sacræ Regiæ Maieſtatis Daniæ, Domini noſtri clementiſſimi expreſſe facta plenaria Declaratio, non debere hanc belli Societatem initam intelligi contra Imperatoriam, Regiamque Rom. Maieſtates, & Sacrum Imperium Germanicæ Nationis, ita ſimiliter et neque contra Sereniſſimas Regias Hiſpaniarum, Galliarum, Angliæ, Scotiæque Maieſtates, tum et neque contra Moſchorum Ducem, cum quo eius Regiae Daniae Maieſtati Pax intercedit, cum nullius iniuria, aut periculo coniuncta. De hoc quoque inter illarum Sereniſſimas Regias Maieſtates omnino convenit, Societatem hanc belli non ad tempus, ſed in eventum aut victoriae, aut transactionis inſtitutam eſſe, ita videlicet ut haec belli ſocietas nulla ratione diſſolvatur, quam bellum hoc Svedicum ad optatum finem fuerit perductum, et quam utrarumque Regiarum Maieſtatum mutua voluntas, et conſenſus ad eam rem intervenerit.

Convenerunt item illarum Maieſtates Regiae unanimiter, et libenter, Civitatem, et Arcem Pernoviam ac Padim Monaſterium, ubi ea Dei benignitate, e poteſtate inimicorum per Regiam Poloniae Maieſtatem recuperata, et emancipata fuerint, pro recompenſatione dimidii bellicorum ſumptuum, et antiqui iuris, quod Regia Daniae Maieſtas ſibi Regnoque ſuo in Ducatu Eſtoniae competere aſſerit, ſine ulla difficultate, et contradictione cum toto Diſtrictu utriusque, earumque omnium apparatu bellico, et munitione, cum commeatu, ac omnibus Juribus, et pertinentiis ſuis in manus, et poteſtatem Sereniſſimae Regiae Daniæ Maieſtatis, aut eius Maieſtatis mandatarii Jure Dominii, ſeu proprietatis cum ceſſione omnis Juris, tam Sereniſſimae Regiae Poloniae Maieſtatis, quam Illuſtriſſimi Curlandiae Ducis, quod quidem in iſtis locis habent, vel potita victoria habere poterint, omnino tradi debere, citra tamen quorumcunque hominum præiudicium, et iniuriam. Quod quidem Sereniſſima Regia Poloniae Maieſtas Dominus noſter clementiſſimus, ſe poſt recuperationem bona fide facturam, et praeſtituram eſſe recepit, et promiſit.

Quidquid autem Sereniſſima Poloniae Regia Maieſtas praeter Pernoviam, et Padim in Ducatu Eſtoniae hoc bello conſecuta fuerit, illud totum cum omni Jure ad Sereniſſimam Regiam Poloniae Maieſtatem pertinebit, poteritque eius Regia Poloniae Maieſtas pro arbitrio ſuo, et voluntate de eo diſponere. Quidcunque

ANNO 1563. que vero Regia Daniæ Maieſtas hoc bello in toto Regno Sveciæ conſecuta fuerit, illud Maieſtati Suæ, & Regno Daniæ cedet cum pleno Jure.

Cum vero in Ducatum Eſtoniæ Regia Daniæ Maieſtas ſibi Jus quoddam antiquum competere aſſerit, quod Regiæ Maieſtati, Regnoque Daniæ eiusdem Commiſſarii integrum, atque illæſum reſervarunt, & in quo hac ceſſione Pernoviæ, ac Padis Regiæ eius Maieſtati ſatisfactum nondum eſſe arbitrati ſunt, deque Arcis, ac Diſtrictus Sonneburgenſis, tum & de Epiſcopatu Revalienſi & Curonienſi, in quibus quoque Sacra Regia Poloniæ Maieſtas Jus ſibi integrum eſſe aſſerit, cumque in his de Juris prærogativa, ſeu potioritate utrinque difficultas oriretur, deque eo controverteretur; neque Nos ſuperius nominati Commiſſarii, hac de re ulteriora Mandata haberemus, ut quid definitive, aut abſolute in huiusmodi negotiis inter tantos Reges, tamque inſignes Principes decidere, decernere, aut ſtatuere poſſemus, in hoc ad extremum, & finaliter mutuo conſenſu, & voluntate convenimus, quod Nos præfati Commiſſarii utrique pro ſuis Regibus bona fide ſpondemus.

Quod tam Sereniſſima Regia Poloniæ, quam Daniæ Maieſtates tenebuntur, & debebunt inter ſe de præfatis Juribus, tam in Ducatum Eſtoniæ, & utrumque Epiſcopatum Revaliæ ſcilicet, & Curoniæ, quam in Arcem, & Diſtrictum Sonneburgenſem, deque illo toto negotio amicabiliter componere, aut ſi ita utrisque illarum Maieſtatibus viſum fuerit, utraque ſuæ cauſæ, & iurium, de quibus hic conventum non eſt, deciſionem, cognitionem, & determinationem iudicio, arbitrioq; communium Amicorum Regum, ſive Principum (de quibus inter utrasque illarum Maieſtates unanimiter convenerit) ſubiicere, ac quidquid ſuper his omnibus cauſis, actionibus, & controverſiis præfati Domini Arbitri iuſte, & legitime deciderint, & conſtituerint, Maieſtates illarum utrinque firmiter, & inviolabiliter obſervare, & manutenere debebunt, & tenebuntur. In quo tamen de eo expreſſe eſt conventum, ut Sacra Regia Daniæ Maieſtas ratione Juris ſui quæſiti, tam diu in quieta, & pacifica poſſeſſione, vel quaſi, Arcis, & totius Diſtrictus Sonnenburgenſis ſine impedimento Sereniſſimæ Regiæ Poloniæ Maieſtatis maneat, donec aut per mutuam, & ſpontaneam Transactionem, aut per communes Arbitros de ea re fuerit conſtitutum, & pronuntiatum.

Conventum eſt etiam inter illarum Maieſtates, quod cum Regia Poloniae Maieſtas Sereniſſimae Regiæ Daniae Maieſtatis Conſangvineos, & Confœderatos omnes pro amicis habet, & libenter agnoſcit, nec ſine iis ad tractationem Transactionis deſcendendum eſſe per Nos Commiſſarios ſuos præfatos in hiſce præſentibus Literis firmiſſime ſpopondit, & promiſit, Sereniſſima viciſſim Daniæ Maieſtas, Dominus noſter clementiſſimus in gratiam Sereniſſimæ Regiæ Poloniæ Maieſtatis, Fratris, Conſangvinei, & Affinis ſui chariſſimi, ſangvine iunctos, & Confœderatos Principes, Populosque, videlicet Ducem Curlandiæ, Ducem Pruſſiæ, Pomeraniæ Duces omnes, atque JOANNEM ALBERTUM, UDALRICUM Megapolenſes Duces, libenter pro amicis habet, ea tamen conditione, ne Illuſtriſſimæ illarum Celſitudines id, quod minime Regia ſperat Daniæ Maieſtas, Sveco, aut eius adhærentibus paſſus, aut ullam transportandi commeatus facultatem ſubditis ſuis permittant, & concedant. ANNO 1563.

Conventum item eſt quoq; utrinque inter illarum Maieſtates, quod ſi fortaſſe per Commiſſarios iſtos deſignatos, qui nunc Roſtochii, aut poſtea uſpiam alias conventuri ſunt, ad tractationem firmandæ, & ſtabiliendæ Pacis, & Concordiæ inter Sereniſſimam Daniæ Regiam Maieſtatem, & Svecorum Regem deſcendere, eamq; inter illarum Maieſtates conſtituere, & ad optatum finem perducere conabuntur, non prius illa Pax, aut concordia firmari, atque ſtabiliri a Regia Daniæ Maieſtate debebit, niſi ea quoque Pace, & Concordia Sereniſſima Regia Poloniae Maieſtas, atque adeo Populi, Fœderatique omnes, & Maieſtati illius adhaerentes, vigore ſuperius expreſſorum Articulorum, & Conditionum comprehenſa, & comprehenſi omnino eſſe videantur. Quod viciſſim Sereniſſima Regia Poloniae Maieſtas ſe nulla ratione facturam eſſe, ſicut antea, ita & hoc loco ſanctiſſime recipit, atque promittit.

Quantum autem Illuſtriſſimum Dominum JOANNEM Finlandiae Ducem attinet, quia hac in re Sereniſſimae Regiae Poloniae Maieſtatis Commiſſarii nulla alia habuerunt Mandata, quam ut Illuſtriſſima Celſitudo ſua intra ſex ſeptimanas hominem fidelem mittat ad Sereniſſimam Regiam Poloniae Maieſtatem cum pleno Mandato, qui media proponat, quibus in gratiam Regiae ſuae Maieſtatis ſit recipiendus, & intra quorum Mandatorum fines neceſſario ſeſe continere cogeretur, cum tamen certa fama ſparſum fuiſſet, eundem Dominum Finlandiae Ducem a Fratre Rege Svedo-

ANNO 1563. Svedorum captum esse, ita ut omnino nunc liber non sit, neque sui Juris, impossibileque illi omnino fuerit, non tantum intra sex hebdomadas, sed vix etiam inter totidem Menses fidelem Personam cum Plenipotentia ad Sereniſſimam Regiam Poloniae Maiestatem de aliqua reconciliatione ineunda, aut suscipienda mittere, nisi prius fuisset liber, ita tandem inter Nos Commissarios praefatos convenit, ut quamprimum dictus Illustrissimus Dominus JOANNES Finlandiae Dux fuerit hac fraterna captivitate liberatus, ita, ut illi omnino per Fratris impeditionem, ac impedimenta omnia sint integra, & libera; tunc demum si fortasse illud præfatus Dominus Finlandiæ Dux expetiverit, debebit statim, ubi factus fuerit liber, fidelem Personam cum plenis Mandatis ad Sereniſſimam Regiam Poloniæ Maiestatem mittere, mediaque, & rationes in medium adducere, quibus cupiat Sereniſſimæ Regiæ illius Maiestati reconciliari, ad quod negotium tractandum, & ad optatum finem perducendum debet Regiæ Poloniæ Maiestati aliquem ex suis hominibus in hanc compositionem adiungere, ut eo facilius negotium istius Compositionis componi, & omnia sopiri possint. Quod ubi fuerit factum, non dubitant Sacræ Regiæ Daniæ Commissarii eius Maiestatem ea in re omnia in gratiam Sacræ Regiæ Poloniæ Maiestatis facturam, quæcunque sine offensione Sereniſſimæ suæ Regiæ reputationis, & existimationis, ac in declaranda erga Sacram Regiam Poloniæ Maiestatem Fratrem, & Affinem suum chariſſimum benevolentia, amicitiaque, ac amore digna factu videbuntur.

Quod autem postulat Regia Poloniæ Maiestas, cum dimissi fuerint milites a Sereniſſima Daniæ Regia Maiestate, sive id confecto, sive etiam non confecto bello, ut procul a Ditionibus Sereniſſimæ Regiæ Poloniæ Maiestatis videlicet Poloniæ Regno, Livoniæ, ac totius Prussiæ, Pomeraniæque Ducatibus, iter illis constituatur. Ea postulata Regiæ Daniae Maiestatis Commissarii ad Regiam suam Maiestatem, & diligenter, & libenter perlaturos esse promittunt, atque sperant Regiam Daniæ Maiestatem, quantum omnino possibile erit, omnia penitus facturam, quæ ad Regis Christiani eiusdem, amiciſſimi Consangvinei, & chariſſimi Fratris officium, & debitum, atque adeo amorem, & amicitiam quivis pertinere posse existimet, aut credat.

Quæ omnia, & singula Nos supra memorati Commissarii, quæcunque hisce in Literis præsentibus de verbo ad verbum scripta sunt, & comprehensa, nomine & auctoritate earum Maiestatum Sereniſſimarum, in illarum omnibus punctis, clausulis, conditionibusque, & Articulis approbamus, confirmamus, ratificamusque præsentibus Literis nostris, vigore Mandatorum in hac parte a Sereniſſimis, & Potentiſſimis Principibus, & Regibus Dominis, Dominis nostris clementiſſimis concessorum, quarum tenorem de verbo ad verbum subiecimus. ANNO 1563.

## *Mandatum* SIGISMUNDI AUGUSTI *Regis Poloniæ.*

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæque, & Samogitiæ, &c. Dominus, & Hæres. Generosis, & Nobilibus Francisco Russocki Castellano Naclensi, ac Consiliario nostro, Gabrieli Grabowiecki Capitaneo nostro Mlavensi, & Michaeli Brunawo Secretario, fidelibus, dilectis, gratiam nostram. Fideles Nobis dilecti. Cum magnæ admodum causæ extent, cur Nos, unaque Nobiscum Serenisſimus Princeps Dominus FRIDERICUS II. eadem Gratia Daniæ Rex, bellum Sveciæ Regi indicere necesse habeamus, constituimus ex utriusque nostrum summa voluntate societatem belli inter Nos inire, eoque modo iniurias nostras persequi, ad cuius quidem societatis rationes constituendas indiximus communi Serenitatis eius sententia conventum Nuntiorum, & Commissariorum nostrorum, Sundii in Ditione Illustrisimorum Dominorum Ducum Pomeraniæ, ad diem duodecimam Julii. Itaque negotium constituendæ eiusmodi Societatis inter Nos, Regnumque ipsius, Fidelitatibus vestris, quarum fidem in rebus gerendis, usum, ac peritiam commendatam habemus, committendum duximus, committimusque per præsentes Literas, mandantes Fidelitatibus vestris, ut Sundium pro duodecima Julii se conferant, ibique cum Nuntiis, & Commissariis Serenitatis Eius Tractationem de rationibus ineundæ Societatis, pro fide, & officio suo erga Nos instituant, eandemq; institutam prosequantur. Et tandem ex re, & dignitate tum nostra tum Reipublicæ perficiant, omniaque faciant, quæ ad eam rem quovis modo pertinere videbuntur unius Fidelitatum vestrarum absentia non obstante. Quidquid autem per Fidelitates vestras institutum, actum, & determinatum fuerit, id Nos ratum, & gratum sumus habituri, aliter non facturæ Fidelitates vestræ pro gratia nostra. Datum Vilnæ die tredecima Junii Anno

ANNO 1563. Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio, Regni vero noſtri trigeſimo quarto.

SIGISMUNDS AUGUSTUS *Rex.*

## *Mandatum* FRIDERICI II. *Daniæ Regis.*

FRIDERICUS II. Dei Gratia Danorum, Norvegorum, Vandalorum, Gottorumque Rex, Dux Sleſvici, Holſatiae, Stormariae, ac Diethmariae, Comes in Oldenburg, & Delmenhorſt. Teſtamur, quod ad Tractationem Societatis adverſus Svecum communem iam hoſtem, cum Sereniſſimi Principis, Domini SIGISMUNDI AUGUSTI Regis Poloniae, M. Ducis Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiaeque *Domini*, & Haeredis, Fratris & Affinis noſtri chariſſimi Stetinum Pomeraniae iam ad diem Divi Matthaei Apoſtoli proximum ad eam rem deputatis, venturisque Commiſſariis Generoſis, & Nobilibus Nobis inprimis dilectis *Dominis* Franciſco *Ruſſotzki* Caſtellano Naclenſi, Gabriele Grabowietzki Tribuno Lomzenſi, et Mlavenſi Praefecto, nec non Michaele Brunow Secretario, Generoſos itidem, & Nobiles Conſiliarios noſtros, Georgium a Lucke in Offergard Equitem, et Gaſparum Paſelicki in Liddaw Licentiatum, noſtros Ambaſiatores, Commiſſarios, & Oratores ſpeciales fecimus, conſtituimus, & ordinavimus, facimusq;, conſtituimus, & ordinamus per præſentes dantes, & concedentes illis, & ſingulis plenam poteſtatem, & Mandatum ſpeciale de memorato negotio ſocietatis cum nominatis Regis Poloniæ Commiſſariis tractandi, deque iis conſultandi, paciſcendi, concordandi, concludendi, & confirmandi, & generaliter omnia, & ſingula faciendi, quæ in re iſta neceſſaria erunt, vel etiam opportuna. Promittentes in verbo Regio ratum gratum, et firmum habituros, quidquid per dictos noſtros Commiſſarios, et Oratores utrumque vel ſingulos in prædicto negotio Societatis adverſus Svecos, actum, factum, tractatum, conventum, firmatumve, aut quomodolibet geſtum fuerit, plane acſi ipſimet in propria perſona egiſſemus, concluſiſſemus, feciſſemus. Quodſi expreſſiore, ſpecialioreve Mandato quam hiſce continetur, indigebunt, id quoque meliore modo, et forma illis damus, & conferimus. E Caſtro Elſburgk ſub Sigillo Regio, quinto Menſis Septembris Anno poſt milleſimum quingenteſimum ſexageſimo tertio.

FRIDERICUS.

Nos ſupraſcripti Commiſſarii ſanctiſſime quoque ſpondemus, ac bona, & optima fide promittimus Sereniſſimas utrasque Regias Maieſtates, Dominos noſtros clementiſſimos Literis ſuis autenticis omnia hæc ratificaturas, confirmaturas, approbaturas, ac Sigillis Regnorum ſuorum munituras, & obſignaturas; manibusque ſuis propriis Regiis ſubſcripturas eſſe. ANNO 1563.

Hoc etiam adiecto, & ſpecialiter expreſſo, quod cum eiusmodi literæ ab illarum Sereniſſimis Regiis Maieſtatibus fuerint hoc pacto confirmatæ, ac approbatæ, tunc debebunt illæ Literæ Anclam Oppidum in Pomerania per fide dignas perſonas utrinque ad diem trium Regum proxime venturum mitti, ibique alter ab altero acceptas, & redditas Literas, demum ad Sereniſſimos Reges ſuos revertens, debebit reportare, & referre. In quorum omnium fidem & eius evidentius teſtimonium Nos præfati Commiſſarii Literas haſce noſtras propriis Sigillis munivimus, & obſignavimus, tum, & manibus noſtris ſubſcripſimus. Datum Stetini die 5. Octobris Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio.

*Georgius Luck de Offergartt Eques Auratus, Sereniſſimæ Regiæ Maieſtatis Daniæ Conſiliarius mpp.*

*Caſpar Paſelick de Liddaw Sereniſſimæ Regiæ Maieſtatis Daniæ &c. Conſiliarius mpp.*

*Franciſcus Ruſſocki Caſtellanus Naklenſis Sacræ Poloniæ Regiæ Maieſtat. Conſiliarius mpp.*

*Gabriel Grabowiecki Tribunus Lomzenſis S. R. M. Secretarius, & Capitaneus Mlavenſis propria ſubſcripſit manu.*

*Michael Brunow de Zwaſſow Sacræ Regiæ Poloniæ Maieſtatis Secretarins mpp.*

VI.

## FRIDERICI II. *Daniæ Regis, Fœderis eiusdem Ratificatio.* Datum Friderichsburgi die 22. Februarii Anno 1464. *Ex Originali. Extat in Archivo Cancell. Regni Liber Legationum ſub Lit. V. Fol. 56.* 1564.

*In Nomine Domini Amen.*

NOS FRIDERICUS II. Dei Gratia Danorum, Norvegorum, Sclavorum, Gottorumque Rex, Dux Sleſvici, Holſatiæ,

ANNO 1564. tiæ, Stormarciæ, ac Dithmerſiæ, Comes in Oldemburg, & Delmenhorſt teſtamur. Cum Literis Pactorum, quæ nuper Sereniſſimi Principis Domini SIGISMUNDI AUGUSTI Poloniæ Regis, Magni Ducis Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Samogitiæ, Maſoviæ &c. Domini, & Hæredis, Fratris, Affinis, & Fœderati chariſſimi, Commiſſarii, Generoſi Franciſcus Ruſſocki Caſtellanus Naclenſis, Gabriel Grabowiecki Tribunus Lomzenſis, ac Mlavenſis Capitaneus, & Michael Brunow Conſiliarii, & Secretarii Serenitatis ſuæ, cum noſtris itidem Commiſſariis, Generoſis, Georgio Lucke de Offergartt Equite, & Caſpare Paſelick de Liddaw de Societate belli adverſus Sveciæ Regem ſuſcipiendi, die quinto Octobris proximi præteriti, Stetini Pomeraniæ utriusque noſtrum Nomine invicem concluſere, inter cæteras iſtius Societatis rationes, hoc etiam cautum eſſet, memoratum Sereniſſimum Fratrem Affinem, & Fœderatum noſtrum, & Nos quoque hinc inde omnia & ſingula, ea quæ conveniſſent, literis quemque ſuis Authenticis, manu propria ſubſcriptis, Sigillisque Regnorum munitis ratificare, approbare, confirmareque debere. Qua de cauſa etiam memorati Sereniſſimi Fratris noſtri, Literæ ratificatoriæ, ſeu approbatoriæ, prout convenerat, diebus hiſce ad Nos allatæ, traditæque ſunt. Voluiſſe Nos viciſſim, & velle præſentibus his, omnia, & ſingula capita ſupra memoratorum Pactorum Societatis, a nobis ratificari, confirmarique, prout ratificamus, approbamus, & confirmamus modo iuris meliore, planeque ac ſi de verbo ad verbum hiſce expreſſius inſerta continerentur. Promittentes in verbo Regio, quidquid a nobis, noſtrisque, vi Pactorum ſupra memoratorum præſtari, fierive debet, bona fide id omne præſtituros, facturos, nihilque dolo malo, aliave minus iuſta de cauſa prætermiſſuros, donec Societas hæc inita, determinato, vel victoriæ vel transactionis exitu, finita non erit.

Quæ item de veterum Pactorum inter Regna noſtra Daniæ, Poloniæque firmitate adiecta ſunt, ita accipimus, dum ne quid iis etiam Pactis, quæ recentius a Nobis, Prædeceſſoribusque noſtris Regibus Daniæ cum aliis Regibus, Principibus, Statibusve conventa ſunt, per illa derogetur. In cuius teſtimonium evidentius manu hæc noſtra ſubſcripſimus, Sigillumque Regnorum noſtrorum appendi fecimus. Actum Friderichsburgi octavo Calend. Martii, Anno Salvatoris noſtri mil-



leſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto ANNO 1564.

FRIDERICUS *Re*

*v.*

VII.

*Reſponſum ab eodem Sereniſſimo Danorum Rege eisdem Generoſis Petro Kloczewſki, & Joanni Demetrio Solikowſki Secretariis, & Oratoribus Sereniſſimæ Regiæ Maieſtatis Poloniæ datum.* 1569.

Sacra Sereniſſima Regia Daniæ, Norvegiæ Maieſtas, Dominus noſter clementiſſimus, ex proxima propoſitione Sacræ item, ac Sereniſſimæ Regiae Poloniae Maieſtatis, Conſangvinei, Fratris, & Confœderati ſui chariſſimi, Oratorum, Magnificorum, & Generoſorum Domini Petri Kloczewski, & Joannis Demetrii Solikowski, amanter, & fraterne intellexit. Quibus cum Mandatis in Negotiis ad communem utilitatem, & mutuam inter Maieſtates illarum, Fœderum, & Amicitiae Coniunctionem pertinentibus, a Sereniſſima Regia Poloniæ Maieſtate, ad Maieſtatem ſuam ablegati ſunt. Edocta eſt etiam a Generoſis Maieſtatis ſuae, ad eam rem deputatis Conſiliariis, fideliter, quae proximis hiſce diebus inter ipſos, & memoratos Dominos Oratores in familiari negotiorum communicatione, de huius Legationis Capitibus interceſſerunt, Deliberationes, & Conſilia. De his omnibus Sereniſſima Regia ipſius Maieſtas, ſicut praeſens recepit, conſilium habuit, latiusque deliberavit.

Ac cum non minus in iſtis, quam in caeteris rebus omnibus expectationi Regiae Poloniae Maieſtatis, quantum omnino fieri poſſit, ſatisfacere cupiat, ipſa etiam negotia, poſt tantam, & tam longam, quae ob legitima Oratorum impedimenta intervenit, moram, maturam expeditionem requirere videantur, voluit ad ea Regia ipſius Maieſtas Magnificis & Generoſis ipſorum Dominationibus, iam clementer, & benigne reſpondere.

Inprimis vero Sacra Ipſius Regia Maieſtas, pro Salute tam diligenter nuntiari iuſſa, delata item benevolentia, & ſtudio Sacræ Sereniſſimæ Regiæ Poloniæ Maieſtati magnas, ſicuti par eſt, & agit, & habet Gratias. Ac petit clementer a Magnificis, & Generoſis Dominis Oratoribus, ut Sacræ Regiæ Poloniæ Maieſtati in reditu ipſorum (quem ipſis felicem peroptat) hanc Maieſtatis Suæ Gratiarum actionem, cum teſtificatione conſtantis ſui in Regiam Poloniæ Maieſtatem, Conſangvineum, Fra-

ANNO 1596. trem, & Fœderatum chariſſimum, amoris, & perpetui ſtudii intuenda, augendaque mutua neceſſitudine, renuntient. Quantum vero ad ipſam Legationem, & Mandatorum Capita pertinet, de quibus Magnificæ, & Generoſæ ipſorum Dominationes, cum in Propoſitione coram Regia ipſius Maieſtate habita, tum in ſubſecuta liberiore ſermonum collatione, coram eiusdem Conſiliariis, luculenter perorarunt, non poteſt Sereniſſima Regia ipſius Maieſtas, hoc Sacræ Regiæ Poloniæ Maieſtatis de legatione iſta decernenda Conſilium non vehementer collaudare, cum quod ſuum erga Maieſtatem ipſius amorem iſto etiam modo magis teſtatum fecit, tum quod communium negotiorum, & ipſorum Fœderum ratio mutuam, & candidam Conſiliorum, & Sententiarum communicationem poſtulare videbatur.

Quanquam autem Regia ipſius Maieſtas, pro Regiæ Poloniæ Maieſtatis per internuncium, & Literas ſuas, ea in re dudum declarata voluntate, Legationem iſtam per multos iam menſes expectavit, eiusque ſi aliquando maturius adveniſſet, ad communium Negotiorum utilitatem, forte non minor uſus, quam hoc tempore eſſe potuiſſet. Agnoſcit tamen negotia, quæ interim inciderunt, eius momenti, ac Dominorum Oratorum impedimenta, plane talia eſſe, quæ excuſationem cunctationis iſtius mereantur. Ideoque ipſius Regia Maieſtas non tantum illorum hoc nomine animo conceptam ſollicitudinem, & excuſationem propoſitam, omnino ſupervacaneam, ac minime neceſſariam exiſtimat, verum etiam Magnificarum Dominationum ipſarum in Negotiis Publicis tractandis, ſtudium, fidem, & induſtriam clementer probat, & commendat.

Inprimo autem, &, ut apparet, præcipuo Legationis huius Capite, in quo Sereniſſimam Regiam Daniæ Maieſtatem Dominum noſtrum clementiſſimum, Sacra Poloniæ Maieſtas, in eandem ferme Sententiam, qua idem antea in Literis ſuis Varſoviæ die XXII. Septembris, anni elapſi ſcriptis petivit, ad Pacem cum Illuſtriſſimo Domino Joanne Finlandiæ Duce, iam Sveciæ Rege deſignato, colendam, vel Inducias cum Illuſtritate ipſius conſtituendas, ac Pacificationem Maieſtati ſuæ permittendam, quadam cum contentione hortata eſt. Agnoſcit, & collaudat Regia ipſius Maieſtas, ea qua decet, gratitudine, & benevolentia Sereniſſimæ Regiæ Poloniæ Maieſtatis, in procuranda Pace communi, ſuſcipiendaque eius Tractatione, declaratam promptitudinem, eamque præter reliquas iſtius tam pii, ac plane Regii inſtituti cauſas, ideo etiam Maieſtatis ſuæ, & omnium Bonorum comprobatione dignum iudicat, quod Regia ipſius Maieſtas in diſſenſionibus iſtis componendis, non minorem ſe Pactorum cum Sereniſſima Regia Daniæ Maieſtate Fœderum, & amicitiæ, quam neceſſitudinis, & affinitatis cum deſignato Sveciæ Rege, rationem habituram profitetur, cuius quidem rei, iam repetita mentio Maieſtati ſuæ, tam grata, & iucunda fuit, ut ſibi cum Sereniſſima Regia Poloniæ Maieſtate, ſimilibus humanitatis, & mutuæ Coniunctionis Officiis candidè certandum eſſe iudicet. ANNO 1569.

Quæ autem Regiæ Daniæ Maieſtatis de Pace cum Illuſtriſſimo Domino JOANNE Finlandiæ Duce conſtituenda fuerit ſententia, & voluntas, præſertim cum de Sacræ Regiæ Poloniæ Maieſtatis ea in re iudicio, & conſenſu, tam certis argumentis, ex Literis nimirum iſtis, & propoſitione Cubicularii, & Internuncii ſui iam conſtaret. De eo Regiam Poloniæ Maieſtatem per Literas ſuas certiorem fecit, quibus Pacem in Conventu Roſchildenſi, factis ſolennibus de ea Tabulis, reſtitutam eſſe perſcripſit. Quorum exemplum Dominis Oratoribus antea quoque exhiberi iuſſit.

Ex his dum reddentur, quamvis Maieſtas Sua confidat, Regiam Poloniæ Maieſtatem, Conſilium hoc Maieſtatis Suæ & iam ipſi Illuſtriſſimo Finlandiæ Duci, gratificandi ſtudium intellecturam, & probaturam, ac ſupervacaneum putet eſſe, ea in hoc repetere, aut latius explicare, operæ pretium tamen, & non ab re futurum exiſtimavit, cum Magnifici, & Generoſi Domini Oratores actionem iſtam ad Sententiam Fœderum, quorum Maieſtas Sua obſervantiſſima ſemper & eſſe, & iudicari voluit, revocaverint, ſi rei geſtæ ſeries Regiæ Poloniæ Maieſtati, prout autumat, alias haud ignota, latius deducatur.

Etenim probe meminit Sereniſſima Regia ipſius Maieſtas, quid Fœdera cum Sereniſſima Regia Poloniæ Maieſtate conſtituta, hac in parte contineant, & diſponant. In quorum obſervantia, & cultu Regiæ Ipſius Maieſtati, cui omnia tribuit, minime exiſtimat concedendum.

Memoratus Illuſtriſſimus Finlandiæ Dux, a Parte Regiæ Poloniæ Maieſtatis eo in Fœdere tanquam Amicus comprehenſus eſt. Quod quidem in eo ſanciendo a Regiæ Daniæ Maieſtatis Commiſſariis ea conditione comprobatum eſt, ut Illuſtritas Ipſius ex ea, qua tum detinebatur fraterna captivitate liberata, intra tempus conſtitutum fidelem perſonam eum

ANNO 1569. cum pleno Mandato ad Maiestatem Suam mittere, & rationes, & media proponere deberet, quibus Regiæ ipsius Maiestati reconciliari vellet. Ex quo Capite Regia Poloniæ Maiestas hac sua Legatione Illustritatem Ipsius etiam nunc pro amica habendam, & Transactionem controversiarum, & Pacificationem sibi permitti postulat.

Huic Conditioni Illustritas Ipsius ex Formula Fœderis non tantum satisfacere, verum etiam erga Regiam Daniæ Maiestatem eiusque Regna, Provincias, & subditos amice se gerere, & ab omni vi, & iniuria inferenda sibi temperare tenebatur, si istorum Fœderum, Societatis, Amicitiæque, cum Sacra Regia Maiestate Poloniæ contracta, fructum (quod certe Serenissimus Rex noster Illustritati Ipsius minime invidebat) percipere statuisset. De quo equidem ideo etiam minus ambigendum est, quod ipsius Fœderis verba, hunc cum Sereniſſima Regia Daniæ Maiestate, in gratiam redeundi modum in arbitrium, & voluntatem Illustritatis Ipsius reiiciant. Ut si libera Electione, & deliberatæ mentis proposito, amicitiam Maiestatis Suæ hostilibus machinationibus prætulisset, occasionem ampliorem haberet Regia Ipsius Maiestas, sicuti eius Commissarii in Constitutione Fœderis receperunt, suam in conciliatione ista, & amicitia firmanda promptitudinem declarandi. Enimvero ut is, qui arma contra Nos gerit, & hostilia intentat, pro Amico habeatur, eoque in instituto confirmetur, tantum abest, ut cum Fœderibus mutuis conveniat, ut ab eorum sententia, non minus, quam ab omnium Gentium Jure, quod nulla æquitate nitatur, ac Ipsa demum ratione sit alieniſſimum.

Constat autem Illustritatem ipsius cum ex fraterna ista custodia non corpore tantum, sed ita etiam liberata esset, ut rebus ad Gubernationem Regni Sveciæ pertinentibus magis præesset, quam interesset, expeditam istam cum Maiestate Sua reconciliandi rationem tam pio ac bono Consilio, a Regia Poloniæ Maiestate præmonstratam, tempore ad hoc præfinito minime amplexam, sed eo nulla vi, aut iniuria Regiæ Daniae Maiestatis, aut ulla vel in speciem saltem legitima causa praetensa commotam esse, ut cum Fratre Rege ERICO consilia, & vires adversus Maiestatem ipsius coniungeret, ac cum Exercitu, sine ulla diffidatione pro Parte Illustritatis Suae, in Ditionem Regiae Majestatis ipsius irruptione facta, ferro, ac flammis hostilem plane in modum grassaretur.

Eo Illustritatis ipsius erga Sereniſſimam Regiam Daniae Maiestatem animo, praeter omnem expectationem, ac meritum re ipsa declarato, quamvis Maiestatis ipsius spem de Principis istius aequitate, & moderatione ante conceptam, illa nonnihil imminuerent, nonnullam etiam suspicionibus causam praeberent. Ac *M*aiestas Sua interim non ignoraret, quid Fœderibus nomine Illustritatis ipsius tanquam Finlandiae Ducis constitutum esset. Dissimulandum tamen hoc, & amicitiae cum Regia Poloniae *M*aiestate, & communi tranquillitati tribuendum existimavit, quantaecunque rei feliciter gerendae, in Svecia tunc offerebantur occasiones, post longam moram, cum iam rerum in Suecia Illustritas ipsius propemodum potiretur, oblatam ab ipsa Pacificationem non reiicere; ideoque petenti Illustritati ipsius, non solum securitatem pro Legatis de Pace procuranda ad *M*aiestatem ipsius mittendis indulsit, verum etiam cum tempus ad eam rem praefinitum nimis breve videretur, diem prolongavit. Inducias vero, quas Regia Poloniae *M*aiestas cum Illustritate ipsius sanciendas petivit, etiamsi Regia sua Maiestas, utpote Paci restaurandae minus idoneas, expresse non probaret, aut permitteret; a bello tamen & armis, ne iis Pacis Tractatus impediretur, & ut suum in recuperanda publica tranquillitate summum studium cum Regiae Poloniae Maiestati, tum omnibus aliis Christianis Principibus testatum faceret, tantisper abstinuit, donec Illustritatis ipsius Commissarii in Aulam Maiestatis suae advenirent.

His cum Maiestatis suae ad eam rem deputatis Consiliariis, cum de Sacrae Regiae Poloniae Maiestatis de Pace cum Illustritate ipsius colenda, voluntate, ex eius literis & relatione memorati internuntii edocta esset, actionem pacificationis permisit. De qua Regiam Poloniae Maiestatem antea per Literas suas certiorem fecit. Ac ne iam etiam Sacra Regia Daniae Maiestas, pro suo erga Regiam Poloniae Maiestatem candore, eius quid dissimulet, Pacis Roschildiae, tam cum Regia ipsius Maiestate, quam cum Lubecensi Republica constitutae Formulam Maiestatis ipsius Oratoribus offerri iussit. Sicuti etiam per Consiliarios suos, ea omnia, quae ab eo tempore isto in negotio scriptis hinc inde literis acta sunt, cum eisdem uberius, ac bona fide communicavit.

Quae cum ita se habeant, ac Sereniſsima Regia Daniae Maiestas, non dubitet Sacram Regiam Poloniae Maiestatem, sicuti per literas et Internuntium suum

ANNO 1569. declaravit, Pacis cum Illustritate ipsius constituendae, iudicium minime retractaturam, et sicut per Oratores suos pollicita est, æquam amicitiae cum Regia Maiestate sua, et affinitatis cum Illustritate ipsius contractae, habituram considerationem, Regia etiam ipsius Maiestas, ea in Pace, Fœderum cum Regia Poloniae Maiestate Pactorum, eam quam decuit, et reservatam mentionem fecerit, omnino confidit Regiam Poloniae Maiestatem pro æquitate sua has actiones a Fœderibus mutuis, amicitia communi, et ipsius Maiestatis declaratione, non alienas comprobaturam: ac de iis, sicuti par est, dextre, ac candide iudicaturam. In quibus omnibus Sacra Regia Daniae Maiestas ita in posterum, etiam se comparatura est, ut Regia Poloniae Maiestas intelligat, ac re ipsa experiatur Maiestatem suam Pacis quidem Publicae, honestis Conditionibus restaurandae percupidam, sancitorum autem cum Maiestate ipsius Fœderum, ac tuendae, ornandaeque mutuae necessitudinis cupidissimam esse.

Quam quidem Maiestatis suae voluntatem Regiae Poloniae Maiestati in postulatione induciarum cum Illustritate ipsius ineundarum, permittendaque in aliqua Germanicarum Civitatum Maiestati ipsius Pacificatione, iam etiam libenter declaratura esset, nisi magnis, & gravibus rationibus, quas Maiestatis ipsius Oratores intellexerunt, impediretur. Etenim ut de controversiis inter hæc Regna incidentibus in eorum finibus, per utriusque Proceres, & Senatores Conventus, & Tractatus instituantur, sicuti non semel Regia Daniæ Maiestas, Regiæ ipsius Maiestati perscripsit, antiquis Fœderibus, consentaneum est, ac ipse Sveciæ Rex designatus in Literis suis, quarum exempla exhibita sunt, hunc de Pace tractanda modum, non tantum proponit, sed etiam præ cæteris eligit, & probat.

Quanquam autem de certitudine, ac firmitate actionum, si quæ iterum suscipiantur, ob designati Regis, & Svecorum in eludendis Pactis conventis perspecta ingenia, Serenissima ipsius Regia Maiestas coniectura ex præteritis, & iis, quæ nuper evenerunt, desumpta parum spei retineret, ac ideo plane deliberatum, & constitutum penes se haberet, aliis, quibus non destituitur mediis, iam uti ad Pacem honestam armorum subsidio recuperandam, ac eius Rei eventum Deo Optimo Maximo omnis fraudis iustissimo Vindici, commendare voluit, tamen amori Regiæ Poloniæ Maiestatis, eiusdemque tam instanti postulationi, & adhortationi, ac communi bono maluit permittere, ac largiri. Ac ideo Honori et Auctoritati Regiae ipsius Maiestatis tribuit, ut Conventum communium Commissariorum, in finibus horum Regnorum, qui de mediis recuperandae Pacis communis agant, et statuant, iam probet, et acceptet, ac locum Conventus in finibus utriusque Regni inter Cneroetam, et Ulfsbegum, diemque vero XXIX. Iulii, currentis anni, nominet, ac constituat. In quam sententiam Regia ipsius Maiestas, sicut patet ex literis, quarum exemplum responso huic adiunctum est, Illustritati ipsius iam respondet. ANNO 1569.

Quo Illustritatem ipsius, sicut antea in genere saepius promisit, Commissarios suos missuram, ac Sereniss. Regiae Daniae Maiestatis, ac Reipublicae Lubecensis Legatis, de securitate idonee prospecturam, Regia Daniae Maiestas minime dubitat. Ac recipit Regia ipsius Maiestas suos se eo Commissarios, cum plenis Mandatis ablegaturam, gratissimumque sibi fore profitetur, si Regia Poloniae Maiestas, per hos, vel alios Oratores suos, eo tempore et loco acturis interveniat, ac Mediatoris, et Intercessoris plane exoptati officii inter Partes fungatur. Quodquidem propter Sacrae Regiae Poloniae Maiestatis, qua pollet, auctoritatem, et eam, qua dissidentibus respective iuncta est, Fœderum, et Affinitatis necessitudinem, tractationi isti non parum dignitatis, et fructus collocaturum est.

Existimaverunt autem Maiestatis ipsius Oratores a Regia Poloniæ Maiestate isto in conventu instituendo, non parem Regiæ ipsius Maiestatis cum sua reputationem habitam: ac ideo locum in Littore Germanico, ac tempus longius præfiniri contenderunt. Non dubitat tamen Regia ipsius Maiestas, Sacram Regiam Poloniæ Maiestatem pro declarato suo, in tractatione Pacis communis optimo studio non gravate istam Provinciam tunc susceptur am, ac ad finiendas tandem, bona omnium Partium cum voluntate calamitates has, Auctoritatem Regiam, & operam suam interpositurum, & se Partium dissidentium conditioni, communique utilitati, non nihil accommodaturam esse. Regia Daniæ Maiestas Dominus noster clementissimus mementura est interim, ac omnibus in actionibus sui, pro Fœderum, & amicitiæ nexu, erga Regiam Poloniæ Maiestatem Officii, idque re ipsa præstabit, ac operam dabit omnino, ut non minus in ista quam in aliis omnibus Pacis recuperandæ occasionibus, Christiani, & utilitatis communis studiosi Regis munere recte fungatur.

De

ANNO 1569. De iudiciis vero hoc in bello conſtituendis Regia ipſius Maieſtas ſæpius cum Regia Poloniae Maieſtate, mutuas per Literas ſententias communicavit, quas hic prolixitatis vitandae cauſa, pro repetitis haberi cupit. Semper enim illas niſi in longum tempus promittantur, ac de rebus controverſis interim conveniat, magis protrahendo, quam finiendo bello accommodatas eſſe, iudicatum eſt. Ideo ſperat Regia ipſius Maieſtas Regiam Poloniæ Maieſtatem in bonam partem, ac amanter accepturam, quod de iis negotiis non permittendis iam idem, quod antea ſentiat.

In ſecundo Legationis capite, in quo de negotio Parnavico actum eſt, ſperabat omnino Sereniſſima Regia Daniae Maieſtas fore, ut Sacra Regia Poloniæ Maieſtas per hos Oratores ſuos, de Arce, & Civitate iſta, cum omni apparatu, inſtrumento bellico, & commeatu, ac cum toto diſtrictu & pertinentiis, ſicut eæ, a communi hoſte recuperatæ ſunt, Maieſtati ſuae, aut Illuſtriſſimo Duci MAGNO, pure & ex ſententia Fœderis tradenda, tanto minore cum perplexitate reſponderet, quanto maiorem de Regiae ipſius Maieſtatis, in obſervandis, praeſtandisque Pactis Conventis, ſingulari conſtantia, & fide dudum Regia Daniae Maieſtas concepit, opinionem, eiusque rei Maieſtati ipſius proximis ſuis apud Regiam Poloniae Maieſtatem Legationibus, ſpes non exigua facta eſt.

Intellexit autem easdem a Magnificis & Generoſis Dominis Oratoribus, ea in cauſa repetitas, & explicatas eſſe rationes, de quibus Regia ipſius Maieſtas per poſtremam ſuam ad Regiam Poloniae Maieſtatem Legationem accurate edocta eſt. Hoc ſaltem adiecto, Regiae Poloniæ Maieſtati conſultum, & a veteribus, quorum mentio facta eſt, Fœderibus non alienum videri, ſi negotium illud ad communium Commiſſariorum diſceptationem, & concluſionem reiiciatur. Ideo brevitatis ſtudio minime neceſſarium eſſe exiſtimat, cauſas iſtas priores, quæ hinc inde iterum in deliberationem deductæ ſunt, hoc loco ingeminare.

Non diffitetur tamen Regia Daniae *M*aieſtas Dominus noſter clementiſſimus, nonnihil praeter expectationem ſibi accidiſſe traditionem iſtam ex Fœdere debitam, poſt tot admonitiones ob ſumptus in Praeſidiarios *M*ilites factos, quos ſibi Regia *M*aieſtas Poloniae tanta cum contentione refundi poſtulat, tam diu dilatam ac procraſtinatam. Fœderibus enim inter utrasque illarum *M*aieſtates Pactis, diſertis verbis cautum eſt, ut Regia Daniae *M*aieſtas, in ea belli Societate, Regnum Sueciae terra, marique ſuis impenſis hoſtiliter adoriatur. Regia vero Poloniae *M*aieſtas, Arces, Civitates, & *M*unitiones omnes, quas communis hoſtis Svecus in Livonia occupavit, ſuis item propriis ſumptibus, & impenſis oppugnet, & eliberet, ambaeque illarum *M*aieſtates ab illo ſuo inſtituto non deſiſtant, donec bellum hoc, eo, quo in tabulis Fœderum determinatum eſt, modo, Deo favente ad optatum finem perductum fuerit. Inde aperte liquere exiſtimat Regia Daniæ Maieſtas, ipſam nullo plane iure obligatam eorum ſumptuum partem, quos univerſos verba Fœderis in Regiam Poloniæ Maieſtatem reiecerunt, in ſe, multo gravioribus expenſis, hoc belli nomine, alias gravatam, derivare, ac perſolvere. Cum Præſidia iſta non Parnoviae tuendae, ſed etiam aliarum Partium iſtius Provinciae defendendarum gratia inter alios milites, a Maieſtate ipſius comparata ac conducta ſint. Neque etiam munitionis iſtius, ſi tradita fuiſſet defenſio, in Regiam Daniae Maieſtatem bello hoc durante reiicienda fuit; Sacra enim Regia Poloniae Maieſtas non minus iſtius, quam aliarum Partium protegendarum Provinciam in ſe recepit, Svecumque ex tota Livonia deturbandum, deiiciendumque ipſa ab initio ſibi deſumpſit, ac in Fœderibus recepit. ANNO 1569.

Ex quo Sereniſſima Regia Poloniae Maieſtas, pro prudentia ſua, & æquitatis ſtudio ſingulari fraterne, cognoſcet, iſtius Rei nomine, quam ipſa in multis Fœderibus recepit, & promiſit, a Sacra Regia Daniae Maieſtate, cautionem petendam, ac ob eam cauſam Parnoviae traditionem differendam non fuiſſe.

Quam frequentes, & miſerabiles prope modum querelae ad Regiam Daniae Maieſtatem a Chariſſimo Fratre ſuo Illuſtriſſimo Duce MAGNO & ſubditis Maieſtatis ſuæ in Livonia perlatæ ſint, quod Præfecti, & milites Regiae Poloniae Maieſtatis, iis in locis, non ſolum officio ſuo in defenſione iſtorum locorum, ac coercenda hoſtium audacia, plane non fungantur, nec Fœderibus ſatisfaciant, verum etiam in ſubditos Maieſtatis ſuae, quos tutari debebant, vim & iniuriam hoſtilem propemodum, in modum exerceant, ac Illuſtritatis ipſius poſſeſſiones ad maritimam pertinentes, violenter detineant. De eo Regia Daniae Maieſtas, antea per Literas, & Legationes ſuas, Regiam ipſius Maieſtatem fecit certiorem, ac cum ea egit diligenter. Exiguo quidem hactenus cum fructu, cum Regiae ipſius Maieſtatis Frater, ſe tota maritima,

Anno 1569. ma, aliisque poſſeſſionibus etiamnum privatum queratur. Nec ſine ſpe tamen Sereniſſimam Regiam Poloniae Maieſtatem, iis in rebus ſicuti ſæpius recepit, & in Fœdere ſancitum eſt, mementuram demum officii, eamque rationem inituram eſſe, ut aut per victoriam, aut transactionem, nomine Maieſtatis ipſius, Illuſtriſſimo Duci Magno Parnovia, Pactis, & maritima cum aliis ademptis poſſeſſionibus libere tradantur. Plane enim ſupervacaneum, & a mutuae neceſſitudinis fiducia alienum iudicat Regia Daniae Maieſtas, ea quæ in recentium Fœderum formulis dilucide explicata, ac determinata ſunt, ad novam Commiſſariorum tractationem, ac diſceptationem reiicere.

Quare ut breviter hoc caput abſolvat, petit Sereniſſima Regia Daniae Maieſtas, a Sacra Regia Poloniae Maieſtate fraterne ac maiorem in modum, ut quid Maieſtati ſuae iſtius eliberationis & traditionis nomine expectandum ſit, quam primum ipſi viſum fuerit, reſcribere dignetur. Quod negotium ut Maieſtatis ipſius Oratores ſibi pro eo, quo apud Maieſtatem ipſius funguntur officio, commendatum habeant, Regia Daniae Maieſtas benigne poſtulat, & requirit.

Rigenſium Negotia, quae per Legatos in Aula Regiae Daniae Maieſtatis tractant, quoniam, & horum inter orandum mentio facta eſt, plane talia ſunt, ut ea Regiae Poloniae *M*aieſtatis Auctoritati, & iurisdictioni Regiae nullum incommodum aut præiudicium adferant. Nam confirmationem Privilegiorum, & liberum navigationis, & mercimoniorum uſum, per ſtationes, & maria Regiæ Daniæ *M*aieſtatis, nec quicquam a fide & iureiurando, quod Regia Poloniae *M*aieſtas ſuſpicata eſt, alienum petiverunt.

Quod ſi factum fuiſſet, Regia Daniæ Maieſtas, pro Regia Poloniæ Maieſtatis expectatione fidem, & candorem ſuum hac in re ei probare, ac Maieſtati ſuæ, ipſisque, quorum admonetur, Fœderibus ſatisfacere voluiſſet.

Quia autem hoc in Capite demum a Maieſtatis Suæ Oratoribus, quadam cum inſtantia interceſſum eſt, ob decernendam Relaxationem Repreſſaliorum quorundam Rigenſium bonorum, quæ in ſtatione Regiæ Maieſtatis Daniæ, a Civibus quondam eius Reipublicæ, nunc autem huius Regni Incolis detenta, & ſequeſtrario Juri commiſſa ſunt. Quamvis cunctandum, nec facile, quid in Negotiis, in quibus adflicti iſti Actores, de Jure ſibi denegato queruntur, ſtatuendum putabat; amicitiæ tamen, & amori Regiæ Poloniæ Maieſtatis, & ipſius Oratorum dignitati lubens tribuere voluit, ut bona illa detenta, & aſſervata hactenus a Detentatoribus, libera iam dimittantur: eiusque Reipubl. Internuntios reliquis etiam in Negotiis idoneo cum Reſponſo clementer expediet. Hac ſolum conditione, & admonitione neceſſaria adiecta: Cum Sereniſſima Regia Daniæ Maieſtas, horum & aliorum quorundam Subditorum frequentibus querelis, ob iuſtitiam in emporiis, & Provinciis Regiæ Poloniæ Maieſtatis ſibi negatam, aut Jus male adminiſtratum, non raro etiam ob vim ab excubitoribus Maieſtatis ſuæ, ſibi in mari illatam quotidie fatigetur, eaque Res Regiæ ipſius Maieſtati, animadverſionem, & maturam emendationem omnino requirere videatur, ut Regia ipſius Maieſtas amanter ac ſedulo provideat, ut cum his tribus Actoribus Rigenſibus, tum aliis omnibus Regiæ Daniæ Maieſtatis Subditis, ab illis ex æquo, & bono, ac ſine tergiverſatione ſatisfiat. Anno 1569.

Accipitres etiam iſti, ſeu Speculatores maris, qui conceſſa a Regia ipſius Maieſtate armorum licentia, variis modis abutuntur, in Officio contineantur, & ab omni vi, & iniuria Sacræ Regiæ Daniæ Maieſtatis, & aliorum Chriſtianorum Regum, Principum, & Statuum Subditis (quibus in Stationibus ipſius Maieſtatis Navigationem, & mercimonia exercentibus, ſecuritas præſtanda eſt) in poſterum abſtineant.

Liberabit eo admodum tempeſtivo Officio Regia Poloniæ Maieſtas, & ſe ipſam, ac Regiam Daniæ Maieſtatem, quæ ad extrema iſta Juris remedia, non niſi invita, & miſerorum hominum oppreſſione permota, deſcendere ſolet, maxima moleſtia, eandem ipſi gratificandi promptitudinem, & ſubditis eius in Jure adminiſtrando æquitatem, ubi uſus erit, viciſſim demonſtratura.

De Narvica Navigatione, ad quam impediendam Sacram Regiam Daniæ Maieſtatem, Sereniſſima Regia Poloniæ Maieſtas, iam iterum tot, ac tam urgentibus rationibus hortata eſt, meminit Regia Daniæ Maieſtas eorum, quæ eadem de cauſa, cum in Fœdere ſanciendo, tum per Literas, & Legationes, eodem de Negotio hinc inde acta, ac conſtituta ſint. Quamvis autem Regiæ Poloniæ Maieſtati cum in omnibus fraterne gratificari, tum in hac præcipue Navigationis cauſa, ob quam ea tantopere afficitur, amorem & ſtudium ſuum ipſi probare percupiat: gravibus tamen rationibus, Fœderibus nempe, & Pactis tam veteribus, quam recentibus, cum plerisque Chriſtianis

ANNO 1569. ſtianis Regibus, Civitatibus, & maris Germanici Accolis, & ipſo etiam Moſcorum Principe, Divorum Prædeceſſorum exemplo conſtitutis, neceſſario impeditur, quominus Regiæ ipſius Maieſtati ea in poſtulatione ſatisfacere, aut quid a prioribus Declarationibus diſſimile iam conſtituere, aut reſpondere poſſit. Navigationem enim iſtam, & Mercimonia Ruthenica tanta eius lucri ſpe omnibus ferme Nationibus, captis, & illectis impedire, & difficile, & periculoſum foret; omnibus Chriſtianis Principibus, ſtatibus, ac maritimarum Civitatum incolis, liberum eius uſum flagitantibus, quem Regia Danorum Maieſtas ob Fœdera cum ipſis ante Navigationis iſtius uſum ſancita, & Pactiones initas, ac ob maritimarum Civitatum Immunitates, & Privilegia, quibus in Regnis hiſce fruuntur, quantacunque Locorum opportunitate, impedire non debet. Quare confidit Regiam Poloniæ Maieſtatem pro ſua, a Divina Benignitate Sibi attributa eximia Prudentia, & ſuo erga Regiam Maieſtatem Daniæ amore, & ſtudio, Maieſtatem ſuam amanter excuſaturam, & quod in prioribus declarationibus, eodem in Negotio etiamnum acquieſcit, in bonam partem, ac fraterne accepturam eſſe.

Cum autem intelligat Regiam Poloniæ Maieſtatem, alios etiam Chriſtianos Reges, & Principes, utriusque Oceani Accolas, iſtius Navigationis impediendæ gratia, per Legationes ſuas compellaturam: Ipſius etiam Regia Maieſtas, Regiæ Poloniæ Maieſtati tanto maiore gratificandi facilitatem demonſtrare parata eſt, quanto recentioribus Fœderum vinculis, initaque magnis in rebus Societate, illi eſt magis coniuncta. Tantum hoc in capite iam Maieſtas ſua recipere voluit, ſi quod ſperat, Regia Poloniæ Maieſtas, a reliquis Chriſtianis Regibus, Principibus, & Civitatibus communis Societatis Hanſæ Teutonicæ, impetraverit, ut Illorum ſubditi, & maritimarum Urbium Incolæ, a Navigationis iſtius, & mercimoniorum Ruthenicorum exercitio penitus abſtineant; ac Regia Daniæ Maieſtas de eo idoneis Documentis certior facta fuerit: tum Maieſtatem ipſius ſubditis etiam ſuis eam Navigationem promulgatis Edictis interdicturam, & eam hac in re, cum amicitiae Regiae Poloniae Maieſtatis, tum Utilitatis communis, quam decet, rationem habituram. Interim etiam hac aeſtate, non minore ſtudio, quam hactenus a Maieſtate ipſius factum eſt, providebit, ut Mercimonia exercentes, vectura armorum, & eorum, quae munitionis nomine cenſentur, prorſus ſuperſedeant. Quod in Pace etiam inter Electum Sveciae Regem, & Lubecenſes Socios, nuper Roskildiae conſtituta, ſicut Regia Poloniae Maieſtas fraterne perſpiciet, expreſſe cautum, & determinatum eſt. Quam Regiae Maieſtatis ſuae Declarationem ex conſtanti erga eandem amore, & ſtudio profectam, Regiae Poloniae Maieſtati eo in Negotio iam ſatisfacturam eſſe, Regia Daniae Maieſtas omnino ſperat, & confidit, &c. ANNO 1569.

Cui proſperrimam Valetudinem, cum rerum ac Conſiliorum omnium ſalutarium felicibus votis, & auſpiciis ex animo precatur, & optat. Magnificis, & Generoſis inſuper Maieſtatis ipſis Oratoribus, quos propter virtutem, & in rebus agendis induſtriam, merito commendat, plurimum, clementiſſimam voluntatem ſuam & favorem Regium pollicetur. Signatum Haffniae XXVIII. Aprilis Anno MDLXIX.

FRIDERICUS *Rex.*

## VIII.

*Eiuſdem ad S. R. Maieſtatem Poloniæ Literæ.* Dat. Hafniæ 29. April. An. 1569. *Ex Originali.*

FRIDERICUS II. DEI Gratia, Daniæ, Norvegiæ, Gottorum, Vandalorumque Rex, Dux Sleſvici, Stormariæ, Holſatiæ, ac Diethmarſiæ, Comes in Oldenburg & Delmenhorſt Sereniſſimo Principi Domino SIGISMUNDO AUGUSTO Poloniæ Regi, Magno Duci Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæque Domino & Hæredi, Fratri, Affini & Fæderato Chariſſimo. Salutem ad continuum felicitatis Incrementum. Sereniſſime Princeps Frater, Affinis & Fæderate Chariſſime. Audivimus ipſi Generoſos Nobis inprimis dilectos Serenitatis veſtræ Oratores Petrum Kloczewſki & Joannem Demetrium Solikowſki de negotiis a Serenitate Veſtra Ipſis commiſſis mutua Fædera noſtra, & amicitiam communem ac Publicam utilitatem concernentibus, luculenter perorantes. Ac quibuſdam Conſiliariis noſtris, eam ad rem deputatis in mandatis dedimus, ut de iſtius Legationis Capitibus cum ipſis deliberationem inſtituerent, ac ſermones & Sententias placide conferrent. His omnibus tradito de eo Scripto, ita reſpondimus, ut Serenitatem Veſtram de eo edoctam non minus noſtrum Pacis communis recuperandæ ſtudium, quam amicitiæ, & mutuorum cum Serenitate Veſtra Fæderum tuendorum ſollicitudinem fraterne comprobaturam eſſe minime dubitemus. Plane enim apud Nos deliberatum, ac conſtitu-

ANNO 1569. ſtitutum eſt, Serenitatis Veſtræ expectationi, cum in iſtis, tum in aliis negotiis, omnibus pro mutuo Fœderum, & Coniunctionis nexu, quo nihil Nobis eſt antiquius, amanter ſatisfacere, ſiicut ea cum ex iſto Reſponſo noſtro, tum ex Relatione memoratorum Oratorum, quos propter virtutem & induſtriam facimus plurimi, uberius cognoſcet. Quam cum proſperrimarum Rerum Votis Optime valere cupimus. Haffnia XXIX. Apr. Anno Domini M. DLXIX.

FRIDERICUS *Rex.*

IX.

1570. SIGISMUNDI AUGUSTI *Regis Literæ plenæ Poteſtatis Oratoribus ſuis datæ ad componendam Pacem inter Daniæ, & Sveciæ Reges.* Varſaviæ die 20. Septembr. Anno 1570. *Ex Archivo Regni. Lib. Legationum Lit. T. fol. 273.*

Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt Univerſis, & ſingulis. Cum pro noſtro erga Chriſtianam Remp. ſtudio nihil exoptemus magis, quam ut inter Chriſtianos Principes, eos præcipue, qui Nobis neceſſitudine coniuncti ſunt, Pax perpetua firmetur, & amicitia coaleſcat, atque ex ea ratione ad præſentem Conventum Sereniſſimorum Daniæ, ac Sveciæ Regum voluntate, ac conſenſu indictum noſtros quoque Commiſſarios ablegaviſſemus, ad controverſias eorundem Sereniſſimorum Regum conſopiendas, & componendas, quoniam Nobis etiam nonnullæ cum prædictis Sereniſſimis Daniæ, ac Sveciæ Regibus controverſiæ intercedunt, quas in eodem conventu Stetinenſi pro bono communi, & utilitate publica conſopiri, atque componi exoptamus. Cumque ad eam Compoſitionem, & Tranſactionem, ſi res ſine arbitrio confici, tranſigique non poſſit, Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Commiſſariorum operam aptam, & accomodatam eſſe exiſtimemus, Nos Nuntiis, & Commiſſariis noſtris ad eundem Conventum deputatis a Nobis, nimirum Reverendis, Generoſis, ac Nobilibus Martino Cromero Epiſcopatus Varmienſis Coadiutori, Sendomirienſi, Vislicenſi Cuſtodi, Canonico Cracovienſi, Joanni Demetrio Solikowſki, Stephano Zoiſio Koſtka Claudio Secretariis noſtris feciſſe, ac facere eam poteſtatem, ut poſſint, & valeant ad noſtras cum Sereniſſimis Daniæ, ac Sveciæ Regibus controverſias tollendas, & componendas prædictos Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Commiſſarios, velut Mediatores, Arbitros, & amicabiles Compoſitores adhibere, omniaque & ſingula in iis controverſiis, intervenientibus prædictis Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Commiſſariis agere, tractare, & concludere, quæ in iſtis controverſiis conſopiendis neceſſaria erunt, & opportuna; Promittentes verbo noſtro Regio totum id, quicquid per Commiſſarios noſtros cum prædictis Cæſareæ Maieſtatis Commiſſariis actum, tractatum, & concluſum fuerit, Nos ratum, gratum, firmumque perpetuo habituros, non minus quam ſi per Nos ipſos actum, tractatum, & concluſum fuiſſet. In cuius rei fidem, & teſtimonium præſentes Literas noſtras manu noſtra ſubſcripſimus, Sigilloque noſtro communiri iuſſimus. Dat. Varſaviæ die 20. Septembris Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo. ANNO 1570.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS *Rex,*

X.

*Pacta inter* STEPHANUM *Poloniæ, &* FRIDERICUM II. *Daniæ, Reges, quibus Epiſcopatus Curonienſis Regno Poloniæ pro ſumma triginta millium Talerorum reſtituitur. Dat. in Arce Regia Cronaburga d. 10. Apr. Anno 1585. Cum Confirmatione eorundem* SIGISMUNDI III. *Regis.* Dat. Varſaviæ in Comitiis Regni Generalibus die 17. Apr. An. 1589. *Ex Archivo Regni.* 1589.

JOANNES CASIMIRUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Ducatus Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smoleńſciæ, Czerniechoviæque, nec non Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Hæreditarius REX.

*Significamus præſentibus Literis Noſtris quorum intereſt, Univerſis, & ſingulis contineri in Actis Metricæ Regni Cancellariæ Maioris Literas infraſcriptas continentes in ſe Confirmationem, ſeu Tranſactionem inter Sereniſſimos olim* STEPHANUM *Prædeceſſorem noſtrum Poloniæ, &* FRIDERICUM II. *Daniæ, Reges, reſpectu Epiſcopatus Curonienſis factam de tenore ſequenti.*

In Nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam. Nos SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Polo-

ANNO 1589. Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque, nec non Regni Sveciæ proximus Hæres, & futurus Rex. Notum facimus hiſce Literis noſtris quorum intereſt, aut in poſterum quoquo modo intererit Vniverſis, & ſingulis. Poſtquam Divina aſpirante Gratia omnium Ordinum, ac Statuum inclyti Regni noſtri Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, cæterarumque Provinciarum, ad præfatum Regnum pertinentium, libera Electione, Sacro Regni Diademate inaugurati eſſemus, nihil magis Nos in Votis habuiſſe, quam ut omnium Ordinum, & Statuum Regni noſtri ſubditos Regia noſtra clementia, favore, & benevolentia complectentes, ita gubernaremus, ut non ſolum ab omni hoſtili impreſſione tuti ſine iniuria in pace vivere, ſed etiam Juribus, Privilegiis, ac immunitatibus antiquitus obtentis libere uti, & perfrui poſſint.

Quo animo cum iam ante in Conventu felicis Coronationis noſtræ omnium Incolarum Regni noſtri Jura & Privilegia confirmaſſemus, ac vero nunc Nobilitas etiam, atque Incolae Epiſcopatus Curoniae Tranſactionem quandam inter Sereniſſimos quondam Divæ memoriæ STEPHANUM Deceſſorem noſtrum Poloniæ, & FRIDERICUM II. Daniæ, Reges, de commemorato Epiſcopatu Curoniæ ſuſceptam, atque inſtitutam Nobis obtuliſſent, utque peculiaribus etiam Literis noſtris eam confirmaremus, Nobis ſupplicaſſent, eo libentius faciendum id Nobis iudicavimus, quod in eadem Tranſactione conſervanda, non ſolum Jura Privatorum, verum publicam etiam fidem verſari intelligeremus. Tenor autem Tranſactionis eius eſt is, qui de verbo ad verbum ſequitur.

*In Nomine Sanctiſſimæ & Individuæ Trinitatis.*

Notum teſtatumque ſit Univerſis, & ſingulis, hanc Tranſactionis Formulam viſuris, audituris, lecturiſve, iis præſertim quorum intereſt. Poſteaquam Dei Præpotentis voluntate Illuſtriſſimus Princeps, ac Dominus, Dominus MAGNUS in Livonia, Epiſcopatuum Oſiliæ, Wici, nec nec non Curoniæ Dominus, Epiſcopatus Revaliæ Adminiſtrator, Hæres Norvegiæ, Sleſvici, Holſatiæ, Stormariæ, & Ditmarſiæ Dux, Comes Oldenburgenſis, & Delmenhorſtenſis, Anno elapſo octuageſimo tertio vitam cum morte commutaſſet, & de derelicti Curoniæ Epiſcopatus Jure, atque Succeſſione inter Sereniſſimum, & Potentiſſimum Principem, ac Dominum, Dominum STEPHANUM Regem Poloniæ, Magnum Ducem Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque, nec non Tranſylvaniæ Principem ab una, & inter Sereniſſimum itidem ac Potentiſſimum Principem, ac Dominum Dominum FRIDERICUM eius nominis Secundum Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum, Gottorumque Regem, Sleſvici, Holſatiæ, Stormariæ, nec non Ditmarſiæ Ducem, Comitem Oldenburgenſem, & Delmenhorſtenſem ab altera partibus, gravis, & periculoſa lis, atque contentio ſuborta eſſet, adeo, ut uterque Jus ſuum, quod in hoc Curoniae Epiſcopatu habebat, ſeu habere praetendebat, vi, & armis tueri, atque vindicare in animum induxerit, quo factum, ut inter utriuſque *Regis* Officiarios, Milites, atque ſubditos ad arma, & neceſſarias defenſiones, & his ad graviores perſecutiones, conflictus, caedes, praediorum, atque agrorum depopulationes, occupationes, direptineſque, & omnem hoſtilitatem, deſcenſum, atque perventum fuerit. Quibus malis, niſi maturo Conſilio obviam itum fuiſſet, facile evenire potuiſſet, ut animorum utrinque maiori exacerbatione oborta, vetus illud, inter hos duos Potentiſſimos Principes neceſſitudinis, amicitiae, atque vicinitatis vinculum, non tantum cum extrema huius Curoniae Diſtrictus, & aliarum finitimarum Ditionum pernicie, atque interitu, ſed etiam totius Chriſtianitatis periculo, & damno ſolutum, atque diſſutum eſſet, bellumque grave, atque difficile exarſiſſet. Cum autem omnibus iis praeſertim, qui periculo proximi ſunt, pro Parte virili opera danda ſit, ne eiusmodi gliſcens flamma, & haec magnarum calamitatum ſemina viribus acquiſitis ſerpant latius, Ipſe Illuſtriſſimus Princeps, ac Dominus, Dominus GEORGIUS FRIDERICUS Marchio Brandeburgenſis in Pruſſia, Stetini, Pomeraniae, Caſſuborum, ac Vandalorum, nec non in Sileſia Carnoviae Dux, Burgrabius Noribergenſis, ac Rugiae Princeps, utrisque Sereniſſimis Poloniae, et Daniae Regibus, uni arctiſſimo Fidelitatis atque Homagii, nec non affinitatis alteri, et propinquae Cognationis, affinitatis, atque propinquitatis Jure, et neceſſitudine devinctus, pro communi ſalutis ſtudio, motuque proprio, ad haec mala, et incommoda Chriſtianitatis declinanda, apud utrumque Sereniſſimum Regem intercedere, et omnem operam, ſtudium, fidemque adhibere conatus eſt. De ſalutaribus itaque remediis, aequisque Conditionibus, quibus hoc diſſidium claudi, componi, et com-

ANNO 1589. communi periculo evitato, vetus illa neceſſitudo, atque amicitia inter utrumque Sereniſſimum Regem, eorumque Regna reſtaurari, atque conſervari poſſint; cogitatione ſuſcepta, celſitudo illius, pro ſuo candore, atque fiducia, utrumque Serenisſimum Regem ad Pacis ſtudium, armorumque depoſitionem, et totam cauſam, vel familiari Tranſactioni, vel iuſtae cognitioni, atque arbitrio amicorum committendam amice, et fideliter invitavit, atque diligenter hortari non deſtitit. Cui ſuae Celſitudinis piae voluntati, Dei benignitate accedente, utraeque Serenisſimae Regiae Maieſtates morem gerentes, pari publicae ſalutis ſtudio commotae, ad oblatam amicorum Tranſactionem, vel legitimam cognitionem animos ſalvo Jure ſuo adiecerunt. Quia vero hi compoſitionis, atque Pacis Tractatus (quod res altioris indaginis eſſet) non niſi armis, atque hoſtilitatis metu ſuſpenſis, & depoſitis, ſuſcipi, multominus feliciter perfici potuerunt: laborandum ſibi idem Illuſtriſſimus Dux Pruſſiæ putavit, ut Inducias ad utriusque ſubditorum ſecuritatem interea conciliaret, quas & accedente utriusque Sereniſſimi Regis Authoritate, & utriusque Subditorum conſenſu, ſua Celſitudo per Legatum, & Conſiliarium ſuum Generoſum Levirum a Bulau æquis Conditionibus pepigit, atque firmavit. Hac vero Illuſtriſſimi in Pruſſia Ducis præclara erga Rempublicam voluntate, ſtudio, atque candore perſpectis, utrique Sereniſſimi Reges, etſi legitima de cauſa Jureque ſuo, apud æquos, & minime ſuſpectos Judices, aut arbitros cognitionem, atque arbitrium minime reformidarent, tamen ad evitandas Controverſias, & contentiones maiores, & ad ſua quoque publicæ tranquillitatis, Pacisque ſtudia magis declaranda Deo primum, & poſt Authoritati Illuſtriſſimi in Pruſſia Ducis id deferentes, totam iſtam Cauſam per certas conditiones determinandam, atque tranſigendam deciſionem, atque Tranſactionem ſolius ſuæ Celſitudinis moderationi, prudentiæ, & fidei commiſerunt. Hac itaque poteſtate accepta Illuſtriſſimus in Pruſſia Dux, Dei Præpotentis Auxilio fretus, & penitius deliberata re, conſilioquo habito, conciliatis, atque ad æquitatem compoſitis inter ſe animis, ſola utilitate Reipublicæ, & utriusque Sereniſſimi Regis dignitate ſpectata, totam eam controverſiam Conditionibus infraſcriptis iuſtis, & æqualibus, & utrique acceptis, per dictum Conſiliarium ſuum Levirum a Bullau compoſuit, atque tranſegit. Atque inprimis quod in omnibus controverſiarum compoſitionibus laudatum, & uſitatum eſt, univerſæ, & ſingulæ diſſenſiones, offenſiones, exacerbationes, detrimenta, damna, ſumptus, atque impenſæ inter utrumque Sereniſſimum Regem, eorumq; *ſubditos huius Epiſcopatus* controverſi cauſa oborta, atquecommiſſa, vigore huius Tranſactionis perpetua oblivione ſublata, deleta, atque obliterata eſſe, ut viciſſim omnia ea, quæ ad conſtituendam Pacem, amicitiam, bonamque vicinitatem pertinere videbuntur, coli, atque obſervari debent. Et ſi vero Sereniſſimus Daniæ Rex ius ſuum, quod in hoc *Curoniæ Epiſcopatu* ſibi competere aſſeruit vigere, nec non Sereniſſimus Poloniæ Rex, prætenſum Jus ſuum docere conatus eſt, litis tamen evitandæ, & Pacis conſtituendæ cauſa per Illuſtriſſimum Ducem Pruſſiæ negotium univerſum eo usque deductum eſt, ut dictis Sereniſſimis Regibus utrinque de ſuo Jure praetenſo remitttentibus, Sereniſſimus Poloniae Rex Sereniſſimo itidem Daniae Regi, amicae, ac placidae Tranſactionis nomine, triginta Talerorum millia probae, & uſitatae, & in Romano Imperio approbatae monetae perſolvere, & numerare ſtipulatus, atque pollicitus ſit. Quae ſumma uti Sereniſſimo Daniae Regi, aut numerata, aut certo in loco idoneo aſſignata fuerit, Serenitas ſua Sereniſſimo Poloniae Regi realem poſſeſſionem Arcis Piltenſis, *totiuſque Epiſcopatus concedere, atque tradere;* Sereniſſimus vero Poloniae Rex ſimul, ac viciſſim ſubſecutum, quod omnia promiſſa, atque recepta complere, atque obſervare tenebitur. Inprimis vero, *ut ſubditorum iſtius Curoniæ Epiſcopatus*, eorum praeſertim, qui poſt obitum Illuſtriſſimi Ducis MAGNI fidem Daniae Regis ſecuti ſunt, iuſta ratio habeatur. Univerſis, & ſingulis Nobilibus, atque Oppidanis, Jura, Libertates, & Privilegia ſua legitime hucuſque obtenta, atque uſurpata a ſupradicto Sereniſſimo Poloniae Rege, confecto deſuper, atque ipſis dato Diplomate, Authoritateque, aut conſenſu Senatorum ſuorum accedente, confirmabuntur, eaque ab omnibus eius Maieſtatis Succeſſoribus, & Ordinibus Regni in perpetuum ſalva, & illaeſa conſervari debent. Nec fides Sereniſſimo Daniae Regi hucusque praeſtita, ulli eis fraudi fuerit, ſed poſthac, pro Sereniſſimi Regis Poloniae ſubditis fidelibus, atque dilectis ſuſcipientur, & habebuntur. Quando quidem, & compluribus iam abhinc Annis, in Eccleſiis Epiſcopatus iſtius nulla alia praeterquam ea, quae Confeſſioni Auguſtanae conſentanea eſt, Religio culta, atque obſervata fuit, ex com-

ANNO 1589. communi in inclyto Poloniae Regno Religionis Confaederatione aequum cenſetur, atque ex hac porro Pacificationis Tranſactione ſumitur, & conſtituitur, ut Incolis tam Nobilibus, quam Oppidanis in ſcholis, & Eccleſiis ipſorum iuriſdictioni, vel iuri ſubiectis, liberum, & pacatum exercitium eius Religionis, Auguſtanae videlicet confeſſionis relinquatur, nec ulla alia ipſis obtrudatur.

Eam itaque publice, ſine omni impedimento, pari cum Curlandiæ Ducatus ſubditis libertate, profiteri, atque exercere illis licebit, & conſcientiae ſuae libertate plene gaudebunt. Generoſus Joannes Behi Sereniſſimi Daniae Regis in Arce Piltinenſi Praefectus & Primarius iſtius Diſtrictus Incola, in pacata Bonorum ſuorum poſſeſſione Vigore Inſcriptionum, & legitime obtentorum Privilegiorum ſuorum retineri, ac conſervari debebit. In cuius rei ſecuritatem Sereniſſimus Poloniae Rex, dictarum Inſcriptionum & Privilegiorum ſuorum Diplomate, Maieſtatis ipſius Sigillo munito, Authoritate, & conſenſu Senatorum ſuorum pro more adhibito, Confirmationem ipſi dabit. Cui quoque, quod fidelem hucuſque Sereniſſimo Daniae Regi ſe praeſtiterit, plane fraudi non erit, ſed *S*ereniſſimus Poloniae Rex obliterata omni offenſa ſua, eum clementia, & gratia proſequetur. Ille vero viciſſim, vel ipſe, ſi bona iſta ſua poſſidebit, vel per alium, cui pro rerum ſuarum neceſſitate ac Statu ea poſſidenda tradiderit, eidem Regiae Maieſtati debitam, & fideli Vaſallo, & ſubdito dignam fidem, atque ſubiectionem praeſtare tenebitur. Eadem ratione caeterorum quoque Nobilium, & ſubditorum Jura, & Privilegia de bonis ſuis, iuſto titulo hucuſque poſſeſſis, ipſis, & ipſorum haeredibus non tantum tempore huius Sereniſſimi Regis, quam omnium eius Succeſſorum, & Ordinum Regni, atque *aliorum Dominorum, ad quos Diœceſis iſta* ſucceſſu temporis, quocunque iure pervenire poſſet, ſalva eſſe, conſervari, atque a Sereniſſimo Poloniae Rege, *Authoritate, & conſenſu Senatorum ſuorum accedente confirmari debebunt.* Qui pari erga Eandem Regiam Maieſtatem fide, atque ſubiectione obligabuntur, ſi quis quid, vel emptionis, vel hypothecae, aut pignoris titulo poſſideat, ſine legitima Juris cognitione, defacto ex poſſeſſione minime deturbari, ſed tantiſper in ea retineri, & conſervari debebit, dum legitima de iure fiat cognitio. Et ſi quis, vel pretium, vel mutuum in Bona aliqua a ſe expenſum, ſolutum, & numeratum eſſe docuerit, a legitimo Vindicatore Bonorum ante ceſſionem, iuſte eidem perſolvetur, atque refundetur, Bona, fundi, praedia, domicilia, coloni & id genus alia in hoc tumultu, atque controverſia alicui adempta, atque occupata legitimo Domino, & Poſſeſſori ſine omni mora, tergiverſatione, aut difficultate reſtitui, & tradi debent. Hac reſtitutione facta, & Conditionibus hiſce omnibus completis eius Epiſcopatus Nobiles, & ſubditi Juramento, ſi quo Sereniſſimo *D*aniae Regi, obſtricti fuerint, abſolvi, & Sereniſſimo Poloniæ Regi novo Jure iurando obſtringi debent, & tam huic, quam Succeſſoribus illius ceu naturalibus ſuis Dominis, nec non inclyto Poloniæ Regno omnem fidem, obedientiam, ſubiectionem, ſubditis fidelibus dignam, atque convenientem præſtare tenebuntur. Illis viciſſim omnium eorum, qui de conſervatione Religionis, iurium, Privilegiorum, atque Bonorum, in hiſce Conditionibus, promiſſa, atque recepta ſunt, inviolata conſervatio, & Regalis contra omnem vim, & iniuriam prae cæteris Regni incolis debetur defenſio, iuſtitia, atque Patrocinium praeſtabuntur, contributionibus quoque, exactionibus, & vectigalibus inuſitatis, & extraordinariis, & ab reliquis Ordinibus Poloniae *R*egni non laudatis, vel receptis, atque collatis, *eius Epiſcopatus* ſubditi minime praegravari debent, ſed eorum eadem, quae cæterorum inclyti *R*egni Poloniae incolarum, atque fidelium ſubditorum habebitur ratio. Quia etiam manifeſtum eſt durante hac controverſia, & hoſtilitate, Bona, & ſubditos *eius Epiſcopatus* omni fere ſupellectili, pecoribus, atque etiam facultatibus omnibus orbatos, deſtitutos, atque exutos eſſe, ita, ut tam facile ſe colligere, & res domeſticas ſuas reſtaurare non poſſint, pietatis, atque æquitatis arbitrium eſt, & fieri placuit, ut eius Diſtrictus ſubditi annis quinque ſubſequentibus, ab omnibus exactionibus, expeditionibus, oneribusque publicis vacent, atque immunes habeantur, nec durante eo tempore ullo modo ii aggreventur, niſi pro ſua erga Dominum & Patriam fide, urgente neceſſitate publica, ſponte quid interim conferre velint. Tempore autem eo exacto, communi cum reliquis *R*egni ſubditis ſorte cenſebuntur. Cautum praeterea eſt, ut quidquid nunc, vel tormentorum, pulveris, globorum, inſtrumentorum bellicorum, armorumve, quidquid etiam ſupellectilis, & aliarum rerum mobilium in Piltinenſi aſſervatur, omne hac Transactione confecta, quam primum vel Sereniſſimo Daniae

ANNO 1589. *Regi*, vel ad quemcunque alium id pertinebit, ſine impedimento auferre, atque exportare liceat. Si qui etiam captivi utrinque reliqui fuerint, ſine pretio, & culpa reſtituentur, & ſecure dimittentur, vel ſi quis etiam manu ſtipulata dimiſſus fuerit, is ea ſponſione, atque obligatione per hanc ipſam Transactionem liber, & ſolutus eſſe debebit. Hiſce Transactionis Capitibus rite completis, & præſtitis, Sereniſſimus Daniae Rex, uti ſe facturum diſerte recepit, Sereniſſimo Poloniae *Regi* totum hunc *Curoniæ Epiſcopatum cum omni Jure, Dominiis, uſu, fructu, cæterisque ad eum Epiſcopatum* pertinentibus, quemadmodum in ſuis Limitibus, & metis uſurpatus, ab Illuſtriſſimo Domino MAGNO piae memoriae poſſeſſus, *atque uſurpatus fuit*, pro ſe, & Sereniſſimis Succeſſoribus ſuis reſignare, cedere, & pleniſſime tradere tenebitur. Quemadmodum Serenitas ſua vigore huius Transactionis, id ipſum, quam fieri poteſt, pleniſſime concedit, & tradit. Nihil in perpetuum ſibi, aut Sereniſſimis Succeſſoribus ſuis Iuris aut Dominii *in hoc Epiſcopatu* reſervans, atque haec ſuperiora omnia inviolate obſervare, complere, & re ipſa præſtare, omnique diſſenſione ſublata ſinceram amicitiam, bonamque vicinitatem colere, utraque Regia tam Poloniae, quam Daniae Maieſtas ſub verbo, & Dignitate ſua Regia, pro ſe, & Succeſſoribus, *& Ordinibus Regni* ſancte receſſerunt, atque promiſerunt, id ipſum huius Transactionis vigore, iterum, bona fide recipientes, promittentes, atque confirmantes. In quorum omnium indubitatam fidem, atque confirmationem, & rei veritatis teſtimonium huius Transactionis Formulae, bina Diplomata, eiusdem tenoris, & vocis, in Pergameno deſcripta, & horum unum Sereniſſimi Poloniae Regis, *& eiusdem Regni Senatorum manibus*, & Sigillis, alterum Sereniſſimi Daniæ Regis, eiusque *Regni* Senatorum manibus, & Sigillis, utrumque autem Illuſtriſſimi quoque Principis Marchionis in Pruſſia Ducis, tanquam Interceſſoris, & Arbitratoris manu, & Sigillo notata, ſignata, atque corroborata, & ſingula Diplomata ſingulis Sereniſſimis *Regibus* transmiſſa, atque tradita fuerunt. Confectum eſt hoc Diploma in *Regia* Arce Cronaburga, die decima *Menſis* Aprilis, Anno ſalutis humanæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto. Cum igitur præinſerta Transactio inter commemoratos *Sereniſſimos* Principes nonſolum ipſorum Principum Conſilio, atque Authoritate, verum publico etiam *utriusque Regni Ordinum* Conſenſu inita, ſuſcepta, perfectaque fuerit: Nos quoque SIGISMUNDUS Rex præinſertæ Transactionis Conditionibus per omnia ſatisfacere cupientes *cum Conſilio, & Conſenſu Senatorum, Conſiliariorumque noſtrorum* lateri noſtro aſſidentium, eandem Tranſactionem, in omnibus eius punctis, Conditionibus, Capitibus, pro Nobis, Sereniſſimisque Succeſſoribus Noſtris confirmandam, ratificandam, roborandamque duximus. Quemadmodum quidem confirmamus, ratificamus, roboramusque præſentibus hiſce promittentes verbo noſtro Regio, eam ipſam Tranſactionem in omnibus eius Clauſulis, & Conditionibus Nos, Succeſſoresque noſtros inviolabiliter ſervaturos, tum maxime *Nobilitatem Epiſcopatus Curoniæ* in omnibus Juribus, Libertatibus, Poſſeſſionibus, Inſcriptionibus, ac Privilegiis, quæ beneficio, & vigore commemoratæ Tranſactionis pertinere ad illos poſſint, ſedulo Nos, Succeſſoresque noſtros conſervaturos, manutenturosque. In quorum omnium fidem, & evidentius teſtimonium, haſce Manu noſtra ſubſcripſimus, *Sigillisque Regni noſtri, & Magni Ducatus Litvaniæ obſignari iuſſimus*. Datum Varſoviæ in Comitiis Regni generalibus die decima ſeptima Menſis Aprilis. Anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo nono, Regni noſtri Anno ſecundo, Præſentibus Illuſtriſſimis, Reverendiſſimis, Illuſtribus, Magnificis, Generoſis, Venerabilibus, & Nobilibus, Staniſlao Karnkowſki Dei Gratia Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato Nato, & Regni Noſtri Primate, Joanne Demetrio Solikowſki Archiepiſcopo Leopolienſi, Hieronimo Rozdrazewſki Vladiſlavienſi, & Pomeraniæ, Georgio Radziwił Sacræ Romanæ Eccleſiæ Presbitero Vilnenſi, Duci in Ołyka, & Nieſwiez, Luca Koſcielecki Poſnanieńſi, Petro Dunin Wolſki Plocenſi, Bernardo Macieiowſki Luceorienſi, Alberto Baranowſki Præmiſlienſi, & Regni Vicecancellario, Laurentio Goſliki Chełmeńſi, eadem Gratia Epiſcopis, Chriſtophoro Radziwił Duce in Dubinki, & Birze Palatino Vilnenſi, Exercituum Magni Ducatus Litvaniæ Generali, Solecenſi, Boryſzovienſique Capitaneo, Joanne Kiſzka Caſtellano Vilnenſi Capitaneo Breſtenſi, Petro Potulicki Caliſſienſi, Joanne Chlebowicz Trocenſi, Miſcenſique Capitaneo, Staniſlao Kryſki de Drobnin Maſoviæ Plocenſi, Alberto Leſki Siradienſi, Nicolao Chriſtophoro Radziwił Duce in Ołyka, & Nieſwiez Caſtellano Troceńſi, Joanne Splawſki Junivladiſlavienſi, Nicolao Herborth de Fulſztyn Ruſſiæ, Joanne Sieminſki Podoliæ, Hodrenſique Capitaneo, Georgio Zie-

ANNO 1589.

Anno 1569. Zielenski Płocenſi, Mlavenſique Capitaneo, Staniſlao Kryſki de Drobnin Maſoviæ Plocenſi, Dobrzynenſi Capitaneo, Nicolao Działynſki Culmenſi Braviernenſi. Januſio Zbaraſki Bracławienſi, Prinſcenſi, Cremenen. Capitaneo, Palatinis. Staniſlao Comite a Tarnow, Sandomirienſi, Buſcenſi, Stobnicenſi Capitaneo, Joanne Comite a Tęczyn Woynicenſi, & Capitaneo Lublinenſi, Paulo Szczawinſki Lancicienſi, Belzenſi, Varacenſique Capitaneo. Nicolao Ramnowicz Samogitiæ, Martino Leſniowolſki de Obory Podlachiæ, Zatorienſi, Loſcienſique Capitaneo, Joanne Dulſki Culmenſi, Regni noſtri Theſaurario, Braſcenſi, Suraſenſi, Swiecenſi, Rogoſnenſique Capitaneo. Nicolao Firley de Dambrowica Biecenſi, Regni noſtri Referendario, Korcinenſi, Caſimirienſi Capitaneo, Staniſlao Bykowſki Konarienſi in terra Lancicienſi, Capitaneo Siradienſi, Caſtellanis. Andrea Opalinſki de Bnin Regni noſtri Supremo Mareſchalko, & Maioris Poloniæ Generali, Sremenſi, Laſnicenſique Capitaneo, Alberto Radziwił Duce in Ołyka & Nieſwiz, Magni Ducatus Litvaniæ Mareſchalco, Cavnenſique Capitaneo, Joanne Zamoiſki de Zamoyſcie Regni noſtri Supremo Cancellario, & Generali Exercituum, Belzenſi, Marieburgenſi, Darpatenſi, Knyſzynenſi, Grodecenſi, Miedzyrzecenſi Capitaneo. Leone Sapieha Magni Ducatus Litvaniæ Procancellario Słonimſcenſi, Markovienſi Capitaneo. Theodoro Skumin Magni Ducatus Litvaniæ Theſaurario, Olitenſique Capitaneo, Staniſlao Przyiemſki Curiæ Regni Mareſchalco, Petro Zylicki Regni Maiori Secretario, Præpoſito Gneſnenſi, Cracovienſi, Varmienſi Canonico. Joanne Tarnowſki Regni Referendario, Cracovienſi, Lancicienſi, Cruſvicienſi Præpoſito, Joanne Piotrowſki, Decano Poſnanienſi, Scholaſtico Lancicienſi, Cracovienſi Canonico, Joanne Salczynſki Cantore Gneſnenſi, Cracovienſi Canonico, Secretariis noſtris, Gaſparo Macieiowſki, Stabuli noſtri Praefecto, Luboſenſique Capitaneo. Hyacintho Mlodzieiowſki Curiæ Regni Theſaurario, Krzeccovienſique Capitaneo, Staniſlao Kraſicki Curruum noſtrorum Præfecto, Lumbomſenſi, Bolemovienſique Capitaneo, & aliis plurimis Aulicis, & Secretariis noſtris, nec non Nuntiis Terreſtribus ad præſentem Conventum Regni Congregatis ſincere, & fidelibus Nobis Dilectis.

SIGISMUNDUS *Rex.*

*Quas quidem Literas Confirmationis ſeu Tranſactionis præinſertæ Nos ex iisdem Actis fideliter de verbo ad verbum deſcriptas, Parti poſtulanti in Forma authentica extradi permiſimus. In cuius Rei fidem Præſentes Sigillo Regni communiri mandavimus. Datum Varſaviæ &c.* Anno 1569.

XI.

*Fœdus inter* Fridericum III. *Daniæ*, & Joannem Casimirum *Poloniæ, Reges, contra* Carolum Gustavum *Regem Sveciæ concluſum, quo ſibi mutua auxilia etiam finito hoc bello contra eundem Sveciæ Regem promittunt.* Datum Hiſpaniæ 18. Julii Anno 1657. *Ex Originali. Extat in Archivo Cancell. Regni Lib. 167. No. 168. Folio 49. Item Lib. 178. No. 179. Fol. 66.* 1657.

Sereniſſimi ac Potentiſſimi Principis, ac Domini Domini Friderici III. Daniae, Norvegiæ, Vandalorum, Gottorumque Regis, Ducis Sleſvici, Holſatiæ, Stolmariæ, Dithmarſiæque, Comitis in Oldemburg & Delmenhorſt, Domini noſtri Clementiſſimi Deputati Commiſſarii, Regnique Daniæ Senatores: Nos infra ſcripti Regni, Aulæque Magiſter, & Supremus Theſaurarius Kallundburgi, ac Monæ Præſides, Joachimus Gersdorff in Tundbycholm, & Petrus Reedzt in Tygeſtrup &c. Notum, teſtatumque facimus. Quod ſicut a multis retro annis Regibus, Regnoque Daniæ, cum Regibus, Regnoque Poloniæ pervetuſta, & intimior interceſſit amicitia, atque eidem non ſolum corroborandæ, ſed & arctiori Fœderum nexu adaugendæ commodum acciderit, quod in Aula Sacræ Regiæ Maieſtatis Domini noſtri clementiſſimi exiſtens, Mandato, & nomine Sereniſſimi, ac Potentiſſimi Principis, ac Domini, Domini Joannis Casimiri Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Czerniechoviæque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Regis Hæreditarii &c. Regnique Poloniae Internuntius Extraordinarius, Generoſus Dominus Tobias Morztynius Subdapifer Cracovienſis, Intimusque Regiæ Cameræ familiaris, ſufficienti poteſtate inſtructus, promptusque tranſigendis, quæ ſequntur, negotiis ſe obtulerit. Ita quoque dicta Sacra Maieſtas Daniæ nobis pari, & ſufficienti poteſtate munitis clementiſſime iniunxit, ut perpenſis, & conſideratis una cum prænominato Domino Internuntio Extraordinario iis, quæ pro roboranda mutua amicitia,

Annotia, & pro utriusque *S*tatus ſalute, & 1657. incolumitate præſentis temporis, & rerum circumſtantiis convenientisſima iudicarentur, certi quid de iis ſtatueremus, atque ſub Articulis quibusdam mutui Fœderis comprehenderemus. Quamobrem de infraſcriptis negotiis, poſt ſedulam eorum deliberationem ſequenti ratione convenimus.

I.

Erit inter Regem, Regnumque Daniæ, & Norvegiæ ab una, & Regem, Regnumque Poloniæ ab altera Parte vera, & ſincera Pax, & amicitia, ita ut neutra Pars alteri incommodum ullum, aut detrimentum, nec per ſe, nec per alios inferat, aut inferri faciat, ſed ſemet invicem bona fide, & candido affectu complectantur, & alter alterius commoda promoveat. Damna vero, et detrimenta, quantum in ipſa erit, impediat, et avertat.

II.

Vtriusque Partis *S*ubditi et Vaſalli, eandem Pacem et amicitiam inter ſe colent, et ubique locorum, ubi ſibi invicem obviam facti erunt, tam per Terram quam per Mare, non modo ab omni læſione, et iniuria invicem abſtinebunt, ſed et omnem benevolentiam, et amica officia, quae commode praeſtari poterunt, alteri alteris mutuo exhibebunt.

III.

Vtriusque Regis ſubditis liberum erit, alterius Provincias, Emporia, Portus, Flumina, cum mercibus ſuis tam Terra, quam Mari adire ſine ullo impedimento, ibique verſari, et negotiari, dummodo conſveta vectigalia ſolvant. Ita tamen ne Leges, et *S*tatuta Provinciarum, quibus aliae nationes omnes ſubiacent, ullo modo violentur, et infringantur, praeſertim quod attinet ad Inſulas, et Portus quosdam ad Regnum Norvegiae ſpectantes, in quibus ne ipſis ſubditis Regis negotiari licet, absque ſpeciali Regis indulto, et Privilegio. Quandoquidem univerſo Terrarum Orbi perſpectum ſit Svecorum molimina, et conatus omnes eo dirigi, ut fines Imperii, in vicinorum detrimentum, ac oppreſsionem dilatent, Dominiumque Maris Balthici ſibi ſolis vindicent, quae ex praeſenti in Regnum Daniae, et recenti in Regnum Poloniae facto hoſtili impetu ſatis liquent. Eapropter Sereniſſimus Rex Daniæ, & Norvegiæ, & Sereniſsimus Rex Poloniae magnopere deſiderantes incommodis, malisque, quae inde exoriri poſſunt, occurrere, convenit, ut inter ſumme memoratos Reges eum in finem ſincerum, et inviolabile ſanciretur Fœdus, hoc modo.

IV. Anno

Erit inter Regem, Regnumque Daniæ, 1657. & Regem, Regnumque Poloniæ amica, & ſtabilis Confœderatio ad Sveciæ Regem per Provincias, Regni ſui finitimas, terra marique bello proſequendum.

V.

Ad Confœderationem hanc Reges, Principes, Reſpublicæ, ac Civitates, quorum omnium quicquam intereſt, quique honeſtis Conditionibus petent, non ſolum admittentur, ſed, & invitabuntur, nominatim Sacra Regia Maieſtas Hungariæ, Magnus Dux Moſcoviæ, & Ordines Generales Fœderati Belgii.

VI.

Neutri Parti ſit liberum trium annorum, poſt Fœderis huius Confirmationem ſpatio, intra cuius expirationem de prædicti Fœderis prorogatione agetur, Pacem, Inducias, ſive Armiſtitium aliquod tractare, & multominus concludere cum Svecis, inſcio, vel non incluſo altero, ſi includi, ac comprehendi velit, & deſideret. Fida, & ſincera amicitia, mutuaque Societas inter ſumme memoratos Reges futura eſt. Inſuperque pro viribus, & quantum fieri poterit, altera alterius Partis commodo, utilitati, incolumitati, & ſecuritati inſerviet, conſuletque. Quemadmodum etiam incontrarium Regem Sveciae utriusque hoſtem, damno, ac detrimento quocunque afficient, & omnibus Copiis, viribusque aggredientur.

VII.

Inpoſterum quicunque invadetur a Svecis, ab alio ſuccurratur; ita ut ſi Pax, vel Induciae ſemel concludantur, & Rex, Regnumque Sveciae ex quocunque praetextu directe, vel indirecte aggrediatur, Reges, & Regna Daniae, & Poloniae, in Provinciis, Terris, & locis eorundem, ut Rex, & Regnum iniuria affectum in bellum deſcendat. Obligabitur etiam Rex, & Regnum confœderatum in apertum bellum deſcendere contra Svecos, neque Pacem poſtea tractare, vel concludere, niſi ex communi conſenſu.

VIII.

Electorem Brandeburgicum a Svecorum partibus ſeparare, alte memorati Reges connitentur, & allaborabunt.

IX.

Quodſi contingat, ut *R*ex Sveciae Polonia, ac Pruſſia relictis, in Ducatum Holſatiae, vel adiacentes, & *R*egno Daniae ſubiectas Provincias cum Exercitu invadat; tunc ſumme memoratus *R*ex Poloniae, ſi ab hoſte Sveco, quod brevi ſperat,

ANNO 1657. rat, & aliis hoſtibus liber tunc fuerit, prædictum Exercitum omnibus Copiis perſequi, hoſtem communem adoriri, & coniunctis viribus oppugnare tenebitur. Sin autem bello Svecico, vel alio impeditus eſſet, mittet nihilominus contra Exercitum Svecicum competentes copias, quas ultra ſuam propriam defenſionem habere poterit. Tractatus hic intra trium Menſium ab hoc die numerandorum ſpatium a Sacra Regia Maieſtate, & Senatoribus Regni Daniæ ab una parte, & S. Regia Maieſtate, & Senatoribus reſidentibus Regni Poloniæ, ab altera parte, approbabitur, & confirmabitur, eodemque tempore tradetur, & permutabitur utrinque prædictus Tractatus. Et Sacra Regia Maieſtas, Senatuſque Poloniæ obligabuntur ſpecificata clauſula, eundem in proximis Comitiis Generalibus Regni, a dicta Sacra Regia Maieſtate Poloniæ, & omnibus Ordinibus Regni inſuper confirmatum, & approbatum fore. Dictus tamen Tractatus interea temporis ab utraque parte fideliter, atque ex omni parte obſervabitur. In quorum omnium evidentiam, & robur conſcripta ſunt bina huius Tractatus, & Fæderis eiuſdem tenoris Exemplaria, quæ invicem tradita. Nos ſupra nominati propriis manibus ſubſcripſimus, & Sigillorum noſtrorum impreſſione, & appenſione munivimus. Hafniæ, die decima octava Julii Anno milleſimo, ſexenteſimo, quinquageſimo ſeptimo.

*Joachimus Gerſtorff.*
*P. Reedzt.*
*Tobias Morztyn.*

*Tria loca trium Sigillorum.*

*Ratificantur eadem Pacta per Sereniſſimum Regem Daniæ. Ex Originali.* Cum Sigil. Regis Daniæ & 13. Sigillis.

NOS FRIDERICUS III. Dei Gratia Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum, Gothorumque Rex, Dux Sleſvici, Holſatiæ, Stormariæ, Dithmarſiæque, Comes in Oldemburg, & Delmenhorſt. Omnibus, & ſingulis quorum intereſt conſtare volumus. Quod ultra priſtinam bonæ viciniæ amicitiam, & optimæ voluntatis mutuam correſpondentiam, quæ inter Sereniſſimos Prædeceſſores noſtros, Reges, Regnaque Daniæ, & Norvegiæ ex una, & Sereniſſimos Reges, Regnumque Poloniæ, & Magnum Ducatum Litvaniæ ex altera parte, a pluribus Sæculis laudabiliter interceſſit per Noſtros ſpecialiter ad id a Nobis deputatos Commiſſarios Generoſos, & Nobiles Regni noſtri Senatores, & fideles Nobis dilectos, Regni, Aulæque Magiſtrum, & ſupremum Theſaurarium Bornholmiæ, & Monæ Præfectos Dominum Joachimum Gerſdorff, hæreditarium in Tundbyholm Equitem, & Petrum Reedzt hæreditarium in Tygeſtrup, cum Sereniſſimi, ac Potentiſſimi Principis, atque Domini JOANNIS CASIMIRI Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, *Maſoviæ*, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Czerniechoviæque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Regis hæreditarii, Fratris, & amici noſtri chariſſimi, Internuntio Extraordinario Generoſo Domino Thobia Morztinio Subdapifero Cracovienſi, & *Se*renitatis ſuae Intimo Camerae familiari, ſufficienti ad hoc poteſtate ſimiliter inſtructo, ad corroborandam non ſolum ſupradictam amicitiam, & correſpondentiam, ſed & arctiori Faederum nexu adaugendam, pro utriuſque ſtatus ſalute, & incolumitate certos quoſdam Articulos concludi iuſſerimus, quorum tenor verbo tenus ſe habet, ut ſequitur. . *Erit inter Regem &c.* Inſertur Tractatus. ANNO 1657.

*Plenipotentia Regis Daniæ. Ex Originali.*

FRIDERICUS III. Dei Gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum, Gottorumque Rex, Dux *Sle*ſvici, Holſatiae, Stolmariae, Dithmarſiaeque, Comes in Oldenburg, & Delmenhorſt Univerſis, & ſingulis, quorum intereſt, notum, teſtatumque facimus. Cum Sereniſſimus Princeps Dominus JOANNES CASIMIRUS Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniae, Smolenſciae, Czerniechoviaeque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque haereditarius Rex, Frater, Amicus, & Vicinus noſter chariſſimus Internuntium ſuum Extraordinarium Generoſum grateque Nobis dilectum *Do*minum Thobiam Morztyn *Sub*dapiferum Cracovienſem, & Serenitatis ſuae intimum Camerae familiarem ad Nos Literis Credentialibus, ac *Mandato* ſufficienti, tam ſuae Serenitatis, quam Procerum, ac Senatorum Regni Poloniae nomine, inſtructum ablegaverit, ut antiqua Faedera, & conſtantem amicitiam, quae Nobis cum Serenitate ſua, nec non noſtris, ac Serenitatis ſuae Praedeceſſoribus Regiis glorioſiſſimae memoriae interceſſit, renovaret, ac arctiori nexu augeret, ac quae hoc periculoſiſſimo tempore ad utriuſque Regni ſecuritatem, ac dignitatem pertinerent, firmaret, Nos ad tam ſalutare propoſitum promovendum, & concludendum Magnificis, ac Generoſis Regni noſtri Senatoribus, Supremis Regni,

ANNO 1657. Aulaeque noſtrae Magiſtro, & Theſaurario, Praefectis in Boringholm, & Moen ſincere Nobis Dilectis, *D*omino Joachimo Gerſdorff in Tunbyholm Equiti noſtri Ordinis, Et Petro Reedzt in Tygeſtrup plenam, & ſufficientem huic rei poteſtatem tribuimus, ut cum ſupradictae Serenitatis ſuae Internuntio Extraordinario ad Nos miſſo, quae ad praefatum ſcopum obtinendum, & ad utriuſque Regni ſecuritatem, ac Commerciorum libertatem pertinent, noſtro nomine agant, ſtatuant, ac concludant. Quid quid igitur praedicti *D*eputati noſtri cum ſaepe memorato Internuntio Extraordinario in hunc finem tractaverint, egerint, aut concluſerint, id Nos omni meliori modo bona fide, ratum gratumque habituros, vigore harum Literarum, Regia, ac inviolabili fide promittimus. In quorum robur praeſentes manu noſtra ſubſcriptas, *S*igillo noſtro Regio muniri iuſſimus. *D*atae in Regia noſtra Hafniae *D*ie decima Julii Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo.

FRIDERICH.

## *Plenipotentia Regis Poloniæ.*

JOANNES CASIMIRUS *D*ei Gratia Rex Poloniae, Magnus *D*ux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiæ, &c. &c. Livoniae, Smolenſciae Czerniechoviaeque, nec non Svecorum, Gottorum Vandalorumque Haereditarius Rex. Significamus praeſentibus Literis noſtris, quorum intereſt Univerſis, & ſingulis. Quod cum *S*tatus Regni noſtri rationes hoc requirant, ut augeſcentibus hoſtium Regni conatibus, ex quibus vicinis etiam, & finitimis noſtris, varia oriri poſſunt pericula, arctiori cum iiſdem iungamur Faedere, viſum, conſtitutumque Nobis eſt ad Sereniſſimum *D*aniae, & Norvegiae Regem, Fratrem Amicum, & Vicinum noſtrum Chariſſimum certis cum Mandatis noſtris, Internuntium noſtrum Extraordinarium, Generoſum Tobiam Morztinium Subdapiferem Cracovienſem, *C*amerae noſtrae Intimum Familiarem deſtinare, mittereque, prout deſtinamus, & mittimus. *D*antes eidem Internuntio noſtro poteſtatem, & facultatem cum praefato Sereniſsimo *D*aniae & Norvegiae Rege, Eiuſdemque Commiſſariis in id deputandis Tractatus quoſque nomine Noſtro inſtituendi, ſuper iiſdem conferendi, eoſdem determinandi, & concludendi, Obligationes, Aſſecurationes, & Reſcripta, Reverſaleſque ſuper hoc neceſſarias dandi, invicem recipiendi, & quaecunque in eam rem ex uſu eidem viſa fuerint, Nos ex parte noſtra rata, firmaque habituros, In quorum fidem praeſentes manu noſtra ſubſcriptas, *S*igillo Regni communiri iuſſimus. *D*atum in Claromonte Czeſtochovienſi die XVI. Menſis Martii Anno *D*omini M*D*CLVII. Regnorum noſtrorum Poloniae & Sveciae IX. Anno. ANNO 1657.

JOANNES CASIMIRUS *Rex.*

## *Plenipotentia Senatus.*

NOs Status, Senatores, Officiales, Proceresque *R*egni Poloniae, & M. *D*. Litvaniae notum facimus Univerſis, & ſingulis. Quandoquidem *S*acra *R*egia Maieſtas *D*ominus noſter Clementiſsimus ad Sereniſſimum *D*ominum *D*aniae & Norvegiae Regem, certis cum Mandatis Maieſtatem ſuam *R*egiam, totumque *R*egnum concernentibus, Internuntium ſuum Extraordinarium Generoſum *D*ominum Tobiam Morztynium Subdapiferem Cracovienſem, Intimum *R*egiae Cameræ Familiarem miſit, & ordinavit, mititque, & ordinat, Nobis etiam viſum, conſtitutumque fuit, Eidem Generoſo *D*omino Internuntio huic muneri deſtinato dare, prout damus, facultatem, & poteſtatem cum præfata *D*aniae, & Norvegiae *R*egia Maieſtate, Eiuſdemque Commiſſariis ad id deputandis, *R*eipublicæ noſtræ nomine Tractatus quoſque inſtituendi, terminandi, & concludendi, Obligationes, Aſſecurationes, & Reverſales ſuper hoc neceſſarias dandi, & invicem recipiendi, & quæcunque in eam rem ex uſu viſa fuerint, ſacroſancte firmandi, & peragendi, optima fide promittentes, ea quæ per præfatum Dominum Internuntium ſancita, concluſaque fuerint, Nos ex parte Reipublicæ, & noſtra, rata, firmaque habituros. In quorum fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas dedimus Częſtochoviæ die decima ſexta Menſis Martii A. D. milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo. ANNO 1657.

Joannes Tarnowſki Archiepiſcopus Leopolienſis, Caſimirus Dux Czartoryiſki Epiſcopus Vladislavienſis, & Pomeraniæ, Andreas Trzebicki Epiſcopus Præmislienſis, Vice Cancellarius Regni, Vladislaus Gonzage Marchio in Mirow, Myſzkowſki Palatinus Cracovienſis, Joannes Koniecpolſki Palatinus Siradienſis, Hieronimus Wierzbowſki Palatinus Brzeſtenſis, Cuiavienſis, Joannes Tarło Palatinus Lublinenſis, Alexander Gratus Comes de Tarnow, Caſtellanus Kiiovienſis, Stephanus Comes de Pilca Koryciński Supremus Cancellarius Regni Poloniæ, Theodorus Łacki Mareſchalcus Curiæ Magni *D*ucatus Litvaniæ.

Cum

ANNO 1657. Cum itaque ſupraſcriptos Articulos Inſtructioni, & Mandato noſtro ſpeciali Regio omnino conformes, atque congruos eſſe deprehenderimus, eosdem vi, & vigore harum omni meliori modo, quo id fieri poſſit, aut debeat, in omnibus ſuis membris, clauſulisque, confirmamus, approbamus, & ratificamus tam pro Nobis, quam pro noſtris Succeſſoribus, & Regno Daniæ, Norvegiæque, ſpondemus quoque, ac promittimus in verbo, ac fide Regia Nos omnia, quæ in prædictis continentur Articulis, inviolabiliter obſervaturos, nec cuipiam noſtrorum, ut ab eo violentur, permiſſuros, omni dolo malo penitus excluſo. In quorum teſtimonium, & fidem præſentes haſce manu noſtra Regia ſubſignavimus, Sigilloque noſtro Regio roborari iuſſimus. Quod factum eſt in Arce noſtra Regia Hafniæ die 19. Septembris Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimo ſeptimo.

FRIDERICH.

Maioris fidei, & firmamenti ergo Generoſi, & Nobiles Regni noſtri Senatores, & fideles Nobis dilecti, præfati Regni Magiſter, Regni Mareſchalcus, Regni Admiralius, Regni Cancellarius, Judex Provincialis in Seelandia, Regius in Norvegia Vicarius, & Supremus Theſaurarius, Præfecti Borncholmiæ, Scanderburgi, Helſingburgi, Draxholmiæ, Canobiorum reſpective Boringii, Weſtervigæ, Ringſtatii, Callomburgi, Dahlum, Hagenshou, Wardyngburgi, Aggerſchuſæ, Silkeburgi, Aakier, Prygeldæ, Callæ Riparum Malmœ, Inſulæque Monæ Dominus, Joachimus Gersdorff Hæreditarius in Tundbycholm Eques, Dominus Andreas Bylle hæreditarius in Damsbœ Eques, Dominus Offue Geode hæreditarius in Tommerup Eques, Dominus Chriſtophorus Urne, hæreditarius in Auſmardz Eques, Dominus Tage Tot haereditarius in Erichſkolm Eques, Dominus Pasberg Olaus, Sefeldque, haereditarius in Neſſ, Dominus Joannes Lindenaw, haereditarius in Iſuernes Eques, Dominus Iffuer Windt, haereditarius in Norholm Eques, Dominus Georgius Brahe, haereditarius in Huedholm Eques, Dominus Fridericus Reedtz, haereditarius in Tygeſtrup Eques, Dominus Nicolaus Trolle, Haereditarius in Troholm Eques, Magnus Hoegh Haereditarius in Kiergaardholm, Dominus Henricus Rantzau, Haereditarius in Mogelkier Eques Chriſtianus Scheel, Haereditarius in Fuſingen, Gondeus Rozenkrantz; Haereditarius in Windingen &c. Otto Kragh, Haereditarius in Woldberg, Dominus Axelius Urup, Haereditarius in Belteberg Eques, Petrus Reedtz, Haereditarius in Tygeſtrup, ſupraſcriptos Articulos omnes, atque ſingulos pro ſe ſuisq; Succeſſoribus ſimul approbarunt, ſuisque authographis, & Sigillis corroborarunt: Actum ut ſupra. ANNO 1569.



XII.

*Inſtauratio, & Corroboratio eorundem Pactorum.* Dat. Hafniæ die 20. Septembris Anno 1658. *Ex Originali. Sigil. 3.* 1658.

Sereniſſimi, ac Potentiſſimi Principis, ac Domini, Domini FRIDERICI III. Daniae, Norvegiae, Vandalorum, Gottorumque *Regis*, Ducis Sleſvici, Holſatiae, Stolmariae, Dithmarſiaeque, Comitis in Oldenburg, & Delmenhorſt, Domini noſtri clementiſſimi deputati Commiſſarii, *Regnique* Daniae Senatores. Nos infra ſcripti *Regni*, Aulaeque Magiſter, & Supremus Theſaurarius Bornholmiae, ac Monae Praefides Joachimus Gersdorff in Tundbycholm, & Petrus *Reedzt* in Tygeſtrup notum, teſtatumque facimus. Quod ſicut a multis retro annis *Regibus*, *Regnoque* Daniae cum *Regibus*, *Regnoque* Poloniae pervetuſta, & intimior interceſſit amicitia, atque eidem non ſolum corroborandae, ſed et arctiori Fœderum nexu adaugendae commodum acciderit. Quod in Aula Sacrae Regiae Maieſtatis Domini noſtri clementiſſimi exiſtens, Mandato, et nomine Sereniſſimi, ac Potentiſſimi *Principis*, ac Domini noſtri JOANNIS CASIMIRI *Regis Poloniae*, Magni Ducis Litvaniae, *Ruſſiae*, *Pruſſiae*, Maſoviae, Samogitiae, Livoniae, Smolenſciae, Czerniechoviaeque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque *Regis* haereditarii, *Regni Poloniae* Internuntius extraordinarius, Generoſus Dominus Tobias Morſtinus Subdapifer Cracovienſis, Intimusque *Regiae* Camerae Familiaris, ita quoque Sacra Maieſtas Daniae Nobis pari, et ſufficienti poteſtate munitis clementiſſime iniunxit, ut perpenſis, et conſideratis una cum praenominato Domino Internuntio extraordinario, iis quae pro roboranda mutua amicitia, et pro utriusque Status ſalute, et incolumitate praeſentis temporis, ac rerum circumſtantiis convenientiſſima iudicarentur, certi quid de iis ſtatueremus, atque ſub Articulis quibusdam mutui Fœderis comprehenderemus. Quamobrem de infraſcriptis negotiis poſt ſedulam eorum deliberationem ſequenti ratione convenimus. I. *Erit inter Regem &c. &c.* Inferitur Fœdus Anni 1657. ad Articulum VIII. *Ex communi conſenſu.*

ANNO 1658. Quodsi contingat, ut alterutrum *Re*gnorum Daniae, vel *P*oloniae cum suis *P*rovinciis liberetur ab Exercitu Svecico, totaeque vires eiusdem Hostis transferantur contra unum ex praedictis *R*egnis: Obligabitur alterum *R*egnum Confœderatum ad ferendas suppetias, quae ex parte Daniae per classem maritimam, ex parte vero *P*oloniae per Exercitum Terrestrem praestabuntur.

X. Cum vero *R*ex Sveciae violata inter Coronas Septemtrionales nuper facta, et utrinque solenniter confirmata *P*ace, Exercitu suo praeter omnem expectationem in *P*rovinciam Seelandiae irruperit, eiusdemque Metropolim ex omni aditu clauserit, *R*ex *P*oloniae competentibus, et satis idoneis Copiis *R*egi Daniae sine mora auxilio venire obligabitur.

XI. Cuius respectu Sereniſſimus Daniae *R*ex similiter obligabitur Portui Gedanensi contra infestam Svecorum aggressionem, si quando haec evenerit, Classe armata succurrere. Tractatus hic intra duorum Mensium &c. &c. *Reliqua ex Pactis immediate præcedentibus ad verba* munivimus. Hafniae die 20. Septembris Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo octavo.

*Joachimus Gersdorff.*
*Petrus Reedzt.*
*Tobias Morsztyn.*

*Tria loca trium Sigillorum.*

# BAVARIA.

I.

1453. *Fœdus Unionis, & fraternæ Concordiæ inter* CASIMIRUM *Regem Poloniæ, &* LUDOVICUM *Ducem Bavariæ.* Datum in Brodnica Feria quarta ante Festum Nativitatis B. M. V. *Ex Archivo Regni Lib. 3. Num. 4. Fol. 12. Item Fol. 22.*

CASIMIRUS Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Rusiae, Prusiaeque Dominus, et Haeres. *S*ignificamus tenore praesentium universis, et singulis quibus expedit recognoscentes: Quomodo intuita, et pensata singularis benevolentiae, affectionis, et mutuae amicitiae firmitate, quibus divi recordii Illustrisimus Genitor noster Dominus VLADISLAUS Rex Poloniae, glorioſam Domum Bavariae, potisime Illustrem Principem nostri singularis Affinis, dilecti, praeclari Principis Domini LUDOVICI Comitis Palatini Rheni Inferioris, Superiorisque, Bavariae Ducis Genitorem felicis memoriae complectebatur, ANNO 1453. nec minus Nos sibi Domino LUDOVICO Duci praefato Amicitia, Affinitate, qua vicisim coniungimur, pure affecti sumus, his permoti rationibus cum eodem Domino LUDOVICO Duce Fratre, et Affine Nobis sincere dilecto, Fœdus Unionis, et fraternae Concordiae pepigimus, contraximus, et suscepimus, tenoreque praesentium mediante inimus, facimus, et contrahimus sub modis, et ordine inferius descriptis. Inprimis quia memoratum Dominum LUDOVICUM Ducem omni honore, fide, et amore prosequi, et promovere debemus, et volumus in omnibus locis, et finibus, ubi licita Nobis id faciendi facultas se dederit, dolo, & fraude cessantibus. Praeterea nolumus, neque debemus suae Dilectioni, eiusdemque Terris, & Hominibus, ac singulariter Pfaltz, & Bavariae Ducatibus, Provinciis, & Territoriis, suæ Caritatis Ditioni, manutentionique subsistentibus, ac illis, qui ad eius protectionem extunc spectare demonstrantur, quacunque ex causa guerras struere, & movere, eosque diffidare, aut hostiliter impetere per Nos, aut submissas Personas, fraude, ac quovis dolo semotis. Pari modo quoque volumus, & debemus universos subditos nostros nostrae protectioni parentes prohibere, nec eosdem præmissa faciendi, aut intentandi permittere. Præterea memorati Domini LUDOVICI Ducis subditi, ac qui eiusdem defensione, & manutentione gaudent, & potiuntur, in Regno, Ducatibus, Terris, & Districtibus nostris plenariam, & tutam securitatem, & Salvum Conductum habebunt, & habere debebunt; hac tamen apposita conditione, si aliqui ex nostris subditis cum sæpefati Domini Ducis subditis agere, aut facere haberent, extunc de condigna, ac consveta Provinciarum nostrarum iustitia, & iure in Regno, Dominiis, & Territoriis nostris consveto contenti esse debent, omnibus fraude, & dolo in his integre semotis. Quæ quidem Unio, & fraterna Confœderatio robur firmitatis obtinebunt, et habebunt, quamdiu Nobis Divina Clementia in humanis vivendi faverit, et largietur. Harum, quibus Sigillum nostrum præsentibus subappensum, testimonio Literarum. Datum in Brodnica Feria IV. ante Festum Nativitatis Mariæ Virginis gloriosissimæ Anno Domini 1453.

II.

*Fœdus inter* LUDOVICUM *Comitem Palatinum Rheni, Inferioris,* 1460. *Supe-*

ANNO 1460. *Superiorisque, Bavariæ Ducem, & CASIMIRUM Regem Poloniæ, quo comprehenduntur Duces Maſoviæ, Pomeraniæ, Stolpiæ, aliique Principes Regi, & Regno Poloniæ ſubiecti.* Datum in Landshut Feria quinta poſt Feſtum S. Margarethæ An. 1460. *Ex Originali.*

NOs LUDOVICUS Dei Gratia Comes Palatinus Rheni Inferioris, Superiorisque, Bavariæ Dux etc. Cognoſcimus, et notum facimus per præſentes Univerſis. Conſiderantes, et animadvertentes ſingularem amicitiam, et affectionem, quam Dominus, et Pater noſter felicis recordationis ad Coronam Regni Poloniæ, et maxime ad Illuſtriſſimi Principis, et Domini, Domini CASIMIRI Poloniæ Regis, Ducis Magni *D*ucatus Litvaniæ, Hæredis, et *D*omini Ruſſiæ, et Pruſſiæ etc. *D*omini, et Sororii Nobis ſincere dilecti bonæ memoriæ Genitorem, Nos quoque ad eundem *D*ominum, et Sororium noſtrum uti ad noſtrum legitimum Conſangvineum geſſimus: Ea ex cauſa Nos cum præfato *D*omino, et Sororio noſtro Cariſſimo *D*omino CASIMIRO Poloniae Rege, Fœdus percuſſimus, et Concordiam inivimus, ac Fœdus percutimus, et concordiam harum tenore inimus, forma, et modo ſubſequentibus. Primo, quod Nos Caritatem ſuam cum omni honore, fide, et amore proſequi volumus, et debemus in omnibus locis, et finibus, ubicunque locorum, quantum hoc cum decentia noſtra facere poterimus, absque dolo, fraudeque volumus, etiam, ac debemus erga Caritatem ſuam, Terras, Provincias, et homines eiusdem ſpecialiter, et nominatim Regnum Poloniæ, Magnum *D*ucatum Litvaniæ, et Provincias Ruſſiae, Pruſſiae, et Illuſtrem Principem Maſoviae, Pomeraniae, et Stolpiae, Territoria, et omnes Principes illius, et homines, eosque, qui ad protectionem, et tuitionem eius ſpectant, nulla ex cauſa guerras indicere, diffidare, aut quovis alio modo contraire, proprios, aut quospiam alios noſtra ex commiſſione, fraude, ac quovis dolo ſemotis. Simili modo volumus, et debemus Nos, noſtris, et quibus tuitionem, ac protectionem facere tenemur, quique absque fraude noſtræ ſubſunt poteſtati, ad talia faciendum nullo modo conſentire. *D*ebent quoque præfati *D*omini et Sororii noſtri ſubditi, et qui ad protectionem eius ſpectant, ac pertinent, in Principatu, Provinciis, et Territoriis noſtris liberum, ac Salvum Conductum, tutamque ſecuritatem habere, hac tamen appoſita conditione, ſi aliqui noſtrorum cum illis agere, aut facere haberent, quod extunc de condigna, ac conſveta Provinciarum noſtrarum iuſtitia, et iure in Territoriis, et Provinciis noſtris conſveto contenti eſſe debent, omnibus fraudibus, et dolis in his integre ſemotis. Et in hac Confœderatione excipimus Sanctisſimum *D*ominum noſtrum Papam, gratioſisſimum *D*ominum noſtrum Romanorum Imperatorem, ac futurum Romanorum Regem, et Nobis ſincere dilectum, *D*ominum, et Socerum noſtrum cariſſimum, *D*ominum GEORGIUM Bohemiae Regem, *D*ominum PHILIPPUM Burgundiae *D*ucem, *D*ominum FRIDERICUM Comitem Palatinum Rheni, et omnes alios Bavariae Principes, etiam noſtros, et eorum incolas, et omnes ad *D*ucatum Bavariae ſpectantes, *D*ominos Georgium Bambergenſem, et Ioannem Herbipolenſem, Epiſcopos, ac *D*ominum Albertum Archiducem Auſtriae. *D*ebet autem hoc Fœdus manere firmum, et durare ad dies vitae noſtrae. In cuius rei teſtimonium Sigillum noſtrum his Literis appendi iuſſimus. *D*atum in Oppido noſtro Landshut Feria quinta poſt Feſtum ſanctae Margarethae Anno *D*omini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo. ANNO 1460.

III.

*Confœderatio inter eosdem, qua itidem continentur Duces Maſoviæ,* ERICUS *Stetinenſis, & Pomeraniæ Duces, Epiſcopus Caminenſis, aliique Principes, qui in Auctoritate Regis Poloniæ ſunt.* Dat. in Landshut feria quarta proxima ante Feſtum Nativitatis M. V. Anno 1460. *Ex Originali. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. 3. Lit. C. Num. 4. fol. 461.* 1460.

NOs LUDOVICUS Dei Gratia Comes Palatinus Rheni Inferioris, Superiorisque Bavariæ Dux &c. Significamus tenore Præſentium Univerſis, & ſingulis quibus expedit recognoſcentes: Quoniam attendentes ſingularem benevolentiæ affectionem, ſinceriſſimæque, & mutuæ amicitiæ firmitatem, quibus Dominus, & Pater noſter felicis recordationis, Dominus HENRICUS glorioſam Coronam Regni Poloniæ, potiſſime Sereniſſimi Principis, & Domini, Domini CASIMIRI Dei Gratia Regis Poloniæ, Magni Ducis Lit-

ANNO 1460. vaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Domini, & Hæredis &c. Domini Affinis, & Fratris noſtri Cariſſimi Divæ memoriæ Genitorem Dominum VLADISLAUM Regem Poloniæ intime complectebatur, multoque ferventiori deſiderio Nos ſibi Domino Regi, Affini noſtro cariſſimo, tam paterna imitatione, quam gratia ingenuæ Proſapiæ, & Affinitatis, quibus viciſſim coniungimur, & connectimur, ac promptiſſima voluntate complacendi afficimur; his, & aliis rationabilibus moti reſpectibus cum antefato Domino Rege Fratre noſtro cariſſimo Fœdus mutuæ unionis, & vinculum caritatis, & indiſſolubilis Concordiæ nexum, de expreſſa noſtra ſcientia, & voluntate pepigimus, contraximus, & ſuſcepimus, tenoreque Præſentium mediante contrahimus, & facimus, ordine, & modis infraſcriptis. Imprimis quia memoratum Dominum Regem, & Affinem noſtrum cariſſimum omni honore, fide integra, & amore proſequemur, & promovebimus in univerſis locis, & finibus, ubi licita facultas, & honeſta ſe Nobis dederit, & obtulerit poſſibilitas. Præterea ex nunc, & deinceps nolumus, neque debemus ipſi Domino Regi Poloniæ præfato, eiusque Regno, Ducatibus, Dominiis, & Territoriis, & ſignanter Regno Poloniæ, Magno Ducatui Litvaniæ, Ruſſiæ Pruſſiæque Terris, ac Illuſtribus Principibus Dominis Maſoviæ, nec non ERICO Stetinenſi, & Pomeraniæ Ducibus, Reverendoque Patri Domino Epiſcopo Caminenſi, & eorum Territoriis, nec non quibusvis aliis Principibus, Eccleſiaſticis, & Sæcularibus, ac ſubditis, cuiuſcunque Status, Conditionis, & præeminentiæ fuerint, qui manutentioni, protectioni, & poteſtati ſuæ Serenitatis ſubſunt, & ad eius tutationem, & defenſionem ſpectare legitime cognoſcuntur, quacunq; ex cauſa, aut occaſione guerras, bella, & hoſtilitates ſtruere, movere, incitare, cauſare, eosdemque diffidare, aut hoſtiliter impetere, ſive invadere per ſe, aut Perſonas ſubmiſſas, directe, vel indirecte, auxilio, adiutorio, vel conſilio, parique modo tenebimur, & debemus omnes Vaſallos, Coadiutores, ac Univerſos ſubditos noſtros Ditioni, protectioni, & poteſtati noſtræ parentes a talibus prohibere, & avertere, nec eosdem volumus præmiſſa intentandum, ſeu movendum permittere, aut eisdem conveniendum auxilio, vel conſilio in damnum incommodum, & iacturam antefati Domini noſtri Affinis Regis, ſuæ Serenitatis, Dominorumque coadhærentium, & ſubditorum ſæpius expreſſorum, quomodolibet indulgere. Inſuper omnibus, & ſingulis ſæpefati Domini Regis Poloniae Coadiutoribus praelibatis, ſubditis, et qui eiusdem Serenitatis ſuæ defenſione, et manutentione gaudent, et potiuntur, in *D*ucatibus, Provinciis, Territoriis, et *D*ominiis noſtris perfectam, et indubium ſecuritatem, et Salvum Conductum largimur, et conferimus, tali tamen appoſita conditione, ſi aliqualis actio, alicui ex ſubditis noſtris congrueret cum ſubditis *D*omini Regis antefati, ille competenti, et conſveto iure in Regno, *D*ominiis, et *D*ucatibus, ſæpefati *D*omini Regis experietur, & agetur, de communique ipſarum Provinciarum iuſtitia, & iure contentum ſe vocare, & eſſe debebit. Ab hac confœderatione excipimus Sanctiſſimum Dominum noſtrum Apoſtolicum, & gratioſiſſimum Dominum noſtrum Imperatorem Romanorum, præſentes, et futuros, ac futurum Romanorum Regem, Dominum GEORGIUM Regem Bohemiæ &c. Dominum, & Socerum noſtrum dilectum, Dom. PHILIPPUM Burgundiae Ducem, Dominum FEDERICUM Comitem Palatinatus Rheni, & omnes alios Bavariæ Principes, Dominos Georgium Bambergenſem, & Joannem Herbipolenſem, Epiſcopos, ac Dominum Albertum Auſtriæ Archiducem. Quam quidem mutui Fœderis unionem, & amicabilis Concordiæ Inſcriptionem Nos præfatus LUDOVICUS Dux &c. promittimus, & pollicemur præſentibus, verbo Ducali, in omnibus ſuis Capitulis, Punctis, Conditionibus, & Clauſulis firmiter, & illæſe tenere, & obſervare, tenerique, & obſervari debere, omnibus fraude, dolo, & aliis quibusvis exquiſitis coloribus, arte, vel ingenio quomodolibet ad inventis procul motis, & ceſſantibus. Decernentes, & pronuntiantes præmiſſa robur firmitatis duntaxat habere, & obtinere, quamdiu Divina Clementia Nobis dies in humanis vivendi faverit, & largietur. Harum quibus Sigillum noſtrum appendi fecimus, Literarum teſtimonio. Datum in Oppido noſtro Landshut, feria quarta proxima ante Feſtum Nativitatis Mariæ Virginis glorioſiſſimæ. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo. ANNO 1460.

IV.

*Fœdus inter* CASIMIRUM *Regem Poloniæ, &* ALBERTUM *Ducem Bavariæ. Commercia libera ſint. Controverſiæ inter utriusque ſubditos per Conſiliaros ab utraque Parte delegatos in Conventu in Egra inſtituendo componantur. Quodſi inter eos non con-* 1472.

ANNO 1472. *convenerit, aliquis Superarbiter ab Actore eligatur, cui uterque Principum binos Consiliarios adiungat, stetur vero maioris Partis placito &c.* Datum Cracoviæ 12 Augusti Anno 1472. *Ex Originali. Extat in Archivo Cancellariæ Regni. Lib. 5. Lit. E. Num. 6. Fol. 86.*

In Nomine Domini Amen.

*Ad Rei Memoriam sempiternam.*

Nos CASIMIRUS Dei Gratia Rex Poloniæ, nec non Terrarum, Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiaviæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæque, ac Culmensis, Elbingensis, & Pomeraniæ Dominus, & Hæres &c. & ALBERTUS eadem Gratia Comes Palatinus Rheni Superioris, & Inferioris Bavariæ Dux &c. Significamus tenore præsentium, quibus expedit Universis, tam præsentibus, quam futuris, præsentium notitiam habituris, publice profitentes: Quomodo animadvertentes, Reges, & Principes Catholicos, Pacis amœnitate, & restauratione in suis Dominiis, & honoribns attolli, & sublimari, ac in divitiis, et incremento Reipublicæ, et Subditorum, et Mercatorum *D*ominiorum suorum augmentari, et succrescere, quod strepitu Guerrarum, et motionum, litium, rixarum, ac odiorum sit amputatum, violatum, et abscissum, pro cuius Pacis conservatione, et amicitiæ crescentia, nec non pro subditorum nostrorum commodo, et utilitate, Regnique nostri, et *D*ominiorum ex utraque parte nostrorum ampliatione, eorumque, qui temerarie rixari, seu rixas, controversias, lites, et odia parare, et gignere consveverunt, tanquam zizaniarum satorum extirpatione, et abolitione, nec non omnium, et singulorum mercatorum causa mercandi hinc inde spatiari, et girari volentium pacifico, tranquillo, et securo gressu, profectu, et promotione, hanc infra scriptam amicitiam, Fœdus, et Confœderationem, compositionemque, ac unitatem fecimus, inivimus, perpetuis temporibus inter Nos, Regnum, et *D*ominia utriusque nostrum universa, Principesque tam spirituales, quam sæculares, pro parte cuiusque nostrum specialiter nominata inferius, et descripta, cum *D*ominiis, Possessionibus, et subditis eorundem. Inprimis etenim ex utraq; parte bona fide, et Verbo Regio, & Ducali promittimus, et tenore præsentium profitemur: quod nunc, et in antea Nos invicem non contendemus, quoad vixerimus, nulla via huiusmodi, neque causam, aut rem iniuriosam, et contumeliam inter Nos, Regnum, et *D*ominia nostra quomodolibet oriundam ad animum provocabimus, quo hostilitates, guerræ, diffidationes, bella, et inimicitiæ oriri possent, teneri, vel foveri, quinimo talia genera bellorum, absque strepitu armorum Gentium, debebimus, ac tenebimur complanare, abolere, semovere, et tollere, subditosque uterque suos ab eisdem strepitibus bellicis litigiosis, ac odiosis compescere, abducere, et continere, nec tales, qui id temere facere vellent, vel conarentur, inviolationem mutuae caritatis, et amicitiae, ac Fœderis huiusmodi anhelantes, in *D*ominiis nostris patiemur. Ubi vero succesu temporis, prout plerumque contingit ex inductione zuzurrorum, et mala suggestione improborum, et etiam proborum hominum aliquae differentiae, quaestiones, vel contumeliae, aut aliae odiosae actiones, vel inimicitiae suscitarentur, quinimo vel orirentur, extunc Pars iniuriam passa, vigore dicti Fœderis tenebitur alteram Partem avisare, & diem conventionalem in Egram Civitatem, certam præfigere, & statuere, quo die utriusque Partis Consiliarii ad hoc deputandi constitui debent, & quæstiones, ac querelas differentiarum huiusmodi, seu iniuriarum exaudire, exauditasque de plenimoda potestate præsentium sopire, componere, & complanare. Quodsi præsentibus dissentientibus illæ querelæ, & iniuriosæ actiones, tunc de medio tolli non possent quoquo modo, extunc licebit Parti iniuriam passæ, cui & actio competere videtur, contra reum, ipsaque Pars habeat plenam facultatem vigore præsentis Fœderis unum Superarbitrum ex Consiliariis rei eligere, cui Superarbitro sic per Actorem electo, Actor duos ex suis Consiliariis, & reus alios duos ex suis similiter Consiliariis sic congressis ibidem in Egra adiunget, qui plenam habebunt cum Superarbitro potestatem, & facultatem pro huiusmodi iniuriis, damnis, & quæstionibus inter Partes interloquendi, omniaque decidendi, sopiendi, arbitrandi, complanandi, finiendi, & terminandi, iuxta partium propositiones, & responsa. Ubi vero de illis quinque aliqui essent ab aliis in pronuntiatione sententiæ differentes, extunc maior Pars illorum quinque, concludendi habeat potestatem, & pronuntiandi sententiam arbitralem, quam sententiam utraque Pars Actoris, & rei approbare tenebitur, rataque, ac firma inviola-

ANNO 1472.

ANNO 1472. violabiliter obſervare, ac iuri parere, pro condemnatisque ſatisfacere promittimus bona fide. Item ſi qui ex Nobilibus, Terrigenis, Incolis, Militibus, Baronibus, cæterisque ſubditis Dominiorum noſtrorum mutuo contenderint, damnaque, & iniurias, ac contumelias ſibi invicem fecerint, extunc laudatum, & ſancitum eſſe volumus, dicimus, & declaramus, ut nemo talis iniuriam paſſus audeat talem iniuriæ patratorem hoſtiliter invadere, vel præſumat. Nec ipſos ad id permittere volemus, vel patiemur. Sed reus, & iniuriam patiens iuxta iuris communis diſpoſitionem Judici, in cuius poteſtate erit Actor, de tali iniuria conqueretur, & Actor debebit ſequi forum rei, exempli gratia, ut ſi Polonus, & quivis alius ſubditus noſter Regius prætenderet ſibi actionem contra Bavarum, extunc Polonus, & quilibet talis tenebitur adire Judicem, cuius intereſt Bavarum iudicare, cui Judici Nos ALBERTUS Dux præfatus tenebimur iniungere, & mandare, ut Polonus talis, Regiusque ſubditus celerem recipiat iuris adminiſtrationem, & eadem iuris adminiſtratio extendere ſe debebit etiam Bavaro de Polono querulanti. Et hoc tenebimur inviolabiliter, ac inconcuſſe, firmiterque obſervare, per quod ambo Nos Principes præfati, tanto facilius ſubditis noſtris, unusquisque ſuis invaſionem hoſtilem unius contra alterum ſubtrahere poterimus, imo unumquemque talem in Dominiis noſtris per amplius non patiemur, neque manutenebimus, ac fovebimus, neque per aliquos ex ſubditis noſtris foveri, pati, & teneri patiemur, neque etiam quoscunque alios extraneos, & forenſes in Dominia noſtra adventantes, Nobis non ſubiectos, ſed de Dominiis noſtris, contra unum quemque ex Nobis, aut ſubditis noſtris inſultare, bellare, hoſtilitates parare, pugnare, vel moleſtare volentes quoquomodo, vel præſumentes in protectionem noſtram, vel tutamen recipere, vel ſubditis noſtris quoquomodo aggregare debemus, omni dolo, & fraude remotis. Præterea Nos ambo Principes tam Rex Poloniæ, quam Dux Bavariæ huiusmodi Fœderi modo ſic percuſſo Sanctiſſimum Dominum noſtrum Papam, eiusque Sanctam Sedem Apoſtolicam, & Sereniſſimos Principes Dominos FRIDERICUM Dei Gratia Roman. Imperatorem, ſemper Auguſtum, Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, & Carniolæ Ducem, & Comitem Tirolis, Fratrem, & Conſangvineum noſtrum chariſſimum, & VLADISLAUM eadem Gratia Regem Bohemiæ, Marchionem Moraviæ, Lucemburgenſem, ac Sleſiæ Ducem, & Marchionem Luſatiæ &c. Natum noſtrum, & amicum chariſſimum, ac Præclaros Principes Dominos, ERNESTUM Sacri Romani Imperii Electorem, & ALBERTUM Germanos Duces Saxoniæ, Landgravios in Thoringen, & Margravios Miſnenſes LUDOVICUM Comitem Palatinum Rheni, Inferioris, & Superioris Bavariæ Ducem. Nos vero CASIMIRUS Rex ſpecialiter excipimus præclarum Principem Dominum ALBERTUM Marchionem Brandeburgenſem Electorem Imperii, Aulæ Cæſaris Camerarium, & Burgravium in Norinberg, Magnificum, ac Venerabilem Dominum Henricum de Reichtenberg Magiſtrum Generalem Domus Theutonicorum in Pruſſia, Principem, & Conſiliarium noſtrum, ac ſuum totum Ordinem in Terris noſtris Pruſſiæ, nec non Illuſtrem Dominum ERICUM Stettinenſem, Pomeraniæ, Caſſubiæ, Slaviæ &c. Ducem, Rugiæque Principem, Fratres noſtros, & ſincere dilectos, & Nos ſimiliter ALBERTUS Dux præfatus in ſpecie, & nominatim in hac Confœderatione excipimus Illuſtrem Principem Conſangvineum noſtrum dilectum, videlicet Dominum FRIDERICUM Comitem Palatinum Rheni Sacri Romani Imperii Electorem &c. In quorum omnium fidem, & teſtimonium præſentes Literas ſcribi, & noſtrorum Sigillorum iuſſimus appenſione communiri, & corroborari. Actum, & Datum Cracoviæ die Lunæ duodecima Menſis Auguſti Anno Domini MCCCCLXXII. Praeſentibus Reverendo in Chriſto Patre *Do*mino Joanne Epiſcopo Cracovienſi, nec non Magnificis, Strenuis, Generoſis, Venerabilibus, & Nobilibus *Der*ſlao de Rithwiany Sandomirienſe, Staniſlao de Oſtrorog Calliſienſe, Palatinis, *Do*beſlao de Wiſnicze Lublinenſe, Joanne Felix de Tarnow Viſlicienſe Caſtellanis, Jacobo de *D*ambno Cancellario, Joanne de Rythwiany Mareſalco Regni Poloniæ, Sbigneo de Oleſznica Scholaſtico Cracovienſi, Secretario Regio, Joanne *Dł*ugoſz, et Staniſlao de Kurozwanki Canonicis Cracovienſibus, & aliis, quam plurimis teſtibus ad præmiſſa fide dignis.

ANNO 1472.

## V.

*Pacta Matrimonialia inter* GEORGIUM LUDOVICI *Ducis Bavariæ Filium, &* DOMICELLAM HEDWIGEM CASIMIRI *Regis Poloniæ Filiam.* Dat. prope in Radom 1474.

ANNO 1474. Radom die 31. Decembr. Anno 1474. *Ex Originali. Sigil. 3. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib 5. Num. 6. fol. 201.*

NOs KASIMIRUS *D*ei Gratia Rex *P*oloniæ, Magnus *D*ux Litvaniæ, Ruſſiæ, *P*ruſſiæque *D*ominus, et Hæres etc. Et Nos LUDOVICUS eadem Gratia Comes *P*alatinus Rheni, Inferioris, Superiorisque Bavariæ *D*ux etc. Recognoſcimus, et tenore *P*ræſentium notum facimus. Quemadmodum Nos pro Laude *D*ei Omnipotentis maturo noſtrorum Conſiliariorum conſilio præhabito, et ex certa ſcientia, ac providentia inter noſtri Regis Filiam, Illuſtriſſimam *D*OMICELLAM HEDVIGEM Natam noſtram ſeniorem, ex una, ac Illuſtriſſimum *P*rincipem noſtri *D*ucis LUDOVICI Filium *D*ominum GEORGIUM Comitem *P*alatinum Rheni, Inferioris, Superiorisque Bavariæ *D*ucem altera ex partibus, Matrimonium, et Amicitiam de eorum amborum bona voluntate per Tractatus fecimus, et concluſimus, et ipſos ex utraque parte matrimonialiter iuxta Ordinationem Romanæ Eccleſiæ ſimiliter deſponſavimus, et iuxta hanc rationem *D*otis, et *D*onationis propter Nuptias, et ſponſalitiæ Largitatis, etiam de eventu redeundæ *D*otis, et *D*onationis propter Nuptias, ac uſu fructu ipſorum, Nos ex utraque parte ſimul concordavimus, ſecundum quod infra ſequitur. Et nominatim Nos Rex prænominatus noſtro Socero *D*uci LUDOVICO, ac noſtro Filio *D*uci GEORGIO ad ſupranominatam noſtram Filiam DOMICELLAM HEDVIGEM pro *D*ote addiximus, et promiſimus, addicimus, et promittimus ſcienter, in vim harum Literarum ſub verbo, ac dignitate noſtra Regali, triginta duo millia florenorum Hungarical. boni auri, et ponderis dare, ac exolvere. Ita tamen qnod talis ſolutio præfatorum florenor. Hungaricalium in quinque annis proximis poſt datam harum Literarum, iuxta Ordinationem ſequentium, absque prorogatione, et impedimento per Nos (aut quod *D*eus avertat ſi medio moreremur) per noſtros hæredes, qui extunc in vita eſſent, fieri debet, et nominatim quolibet Anno ſex millia florenorum Hungaricalium, pro quinto vero Anno, et ultima rata octo millia, usque ad expletionem, et ſolutionem prænominatæ Summae triginta duorum millium florenorum, dare, et in Libſk Civitate *D*ucum Myſnenſium ſemper pro Feſto Nativitatis Chriſti, noſtris expenſis, damnis, ac periculis praeſentare, et ad Conſilium in *P*raetorio ibidem deponere debemus. Et ſi praenominatus dilectus noſter Socer *D*ux LUDOVICUS in praetacto tempore etiam moreretur, quod *D*eus etiam avertere velit, noſter amborum Filius *D*ux GEORGIUS per ſe, aut ſuum *P*rocuratorem talia ſex millia, et pro ultima rata octo millia florenorum a Conſulatu praefatae Civitatis Libſk requireret, debet tale Conſilium obligatum eſſe ſibi illa dare, & Quittanciam in communi forma e converſo recipere de ſolutione ſex millium pro qualibet rata, ſpecialem etiam in manibus Nuntiorum noſtrorum Regalium, qui pecuniam præſentabunt, tradere. Pro ultima vero rata, pro qua octo millia ſolvi per Nos Regem debent, tenebimur Nos *D*ux LUDOVICUS unam Quittanciam ſolutionis omnium ſummarum, videlicet triginta duo millia florenorum Dotis continentem, ibidem apud Conſulatum deponere, noſtris Nuntiis Regiis tradendam, prioribus. Quittantiis ſummarum particularium ſupradatarum Nuntiis noſtris Ducum LUDOVICI, & GEORGII reſtitutis. Quæ quidem Quittancia ultima tenorem habebit iuxta minutam iam confectam, & utrinque ſigillatam. Nos etiam Rex debemus apud Conſilium præfatæ Civitatis obtinere, quod ipſum Conſilium Nobis *D*uci LUDOVICO unam Literam cum appenſo eius Sigillo ſigillatam, & continentem, cum ipſius conſilio illa ſex, & octo pro ultima rata millia florenorum, a Nobis Rege, ut ſupra continetur, præſentantur, quod extunc ipſum Conſilium Nobis Duci LUDOVICO, & poſt Nos Duci GEORGIO, aut noſtris Procuratoribus ad unum quodcunque ſolutionis tempus tales florenos tradere, & Quittantiam ut ſupra poſitum eſt, e converſo recipere, & noſtris Nuntiis Regalibus præſentare. Reciproce Nos LUDOVICUS prænominatus præfatæ DOMICILLÆ HEDVIGI noſtri Regis Filiæ in recompenſam Dotis pro Donatione propter Nuptias etiam triginta duo millia florenorum Hungaricalium conſignavimus, et inſcripſimus. Ita faciunt prænominatæ Dos, & Donatio propter Nuptias in una ſumma ſexaginta quatuor millia floren. Hungarical., quam ſummam proxime nominatam Nos LUDOVICUS Dux, Domini, ac Soceri noſtri, Domini Regis Filiæ conſignavimus, & inſcripſimus, conſignamus, & inſcribimus in vim harum Literarum ſuper Caſtris, Civitatibus, & Dominiis noſtris infra nominatis videlicet, Croſtperg, Cravuſtan, Krayburg, & Mermoſen cum omnibus eorum teloneis, datiis, granariis, nemoribus, Judiciis, & cum omnibus reditibus, cenſibus, Steuris, uſibus, pænis omagialibus,

ANNO 1474. Feudis, piſcatiis, foreſtis, aquis, ſylvis, & cum omnibus aliis attinentiis ipſorum, nihil exceptis. Ita quod ſemper, de quindecim florenis Hungaricalibus, unus florenus Hungaricalis in annuo reditu taxatus eſt. In quantum autem Caſtra, Civitates, & alia ſupranominata cum eorum cenſibus, & reditibus minus in annuis reditibus, & cenſibus haberent, quod de ſexaginta quatuor millibus florenorum Hungaricalium, debent reſidui cenſus ex noſtro teloneo Keithenhal ſuppleri, ita quod etiam annuatim, ut præfertur, dari, & ſolvi debent, & ſi etiam deficeret in aliis cenſibus, & reditibus, iterum ſuppleri tenebuntur. Et ſi noſtri Ducis LUDOVICI Filius Dux GEORGIUS ante Domini noſtri Regis Filiam prætactam, poſteaquam ſimul matrimonialiter condormirent, moreretur, extunc debet præfata Domini noſtri Regis Filia, prænominata Caſtra, Civitates, & Dominia cum prætactis eorum attinentiis, & cum ſuppletione aliorum cenſuum, & redituum recipere, poſſidere, ac uti, frui, absque tamen alienatione, tanto tempore, quo in vita eſt, & cum etiam moreretur, (quod Deus diu avertere velit) debent noſtri Regis Filiæ, & noſtri Ducis LUDOVICI Filii *D*os, & *D*onatio propter Nuptias, apud ipſorum amborum Liberos, ex corporibus eorum venientes, & quos ex gratia *D*ivina acquirent, permanere. Si vero noſtri Regis Filia *D*ucem GEORGIUM, aut *D*ux GEORGIUS ipſam ſupervive-ret, et non haberent, nec relinquerent Liberos, ex corporibus eorum venientes (quod *D*eus avertere velit) debet Princeps ſupervivens præmortuæ Partis Dotem ad dies ſuos tenere, ac uti, frui. Et quum ita noſtri Regis Filia, aut Dux GEORGIUS, quæcunque perſonarum ultima eſt, inter eos moreretur, quod Deus adhuc diu permittere non velit, & nullos Liberos ex corpore eorum venientes relinquerent, extunc debent illa triginta duo millia florenorum Hungaricalium noſtræ Regis Filiæ Dos, redire ad Nos CASIMIRUM Regem, aut Succeſſores noſtros in Regno, & ſi Regis noſtri Filia Ducem GEORGIUM ſuperviveret, ſive cum Liberis, aut absque Liberis ex eorum corporibus venientibus, & quod noſtri Regis Filia ad ſecundas Nuptias convolaret, aliumque Conthoralem ſuperduceret, habent Hæredes Ducis GEORGII quolibet anno ad unamquamque diem Purificationis Sanctæ MARIÆ Virginis, aut quatuordecim diebus ante, vel poſt, quocunque anno velint, bonum ius, facultatem, ac poteſtatem eadem Caſtra, Civitates, & Dominia omnia a noſtri Regis Filia pro ſupra nominata ſumma ſexaginta quatuor millium florenorum Hungaricalium redimere, & liberare, & quocunque anno, ita redemtionem, & liberationem facere volunt, quod eorum Literis per quartale anni, immediate ante eis denuntient, & poſtea ad proximum diem Purificationis Sanctæ MARIÆ Virginis, aut quatuordecim diebus ante, vel poſt in præſcripta forma ab ea liberare, cui liberationi noſtri Regis Filia adverſari non debet, ita tamen quod extunc, illa triginta duo millia florenorum Hungaricalium, quæ ſunt Donatio propter Nuptias in Domo Bavariæ ſuper Caſtris, et Civitatibus, Dominiis, Cenſibus, & Bonis, de ſcitu, & voluntate Hæredum Ducis GEORGII ponantur, & etiam ipſa ſumma de eorum ſcitu, & voluntate ad fideles manus deponatur, donec, ut ſupra, fertur, emptio, aut ſupra poſitio facta fuerit, aut donec præfata noſtri Regis Filia Hæredes Ducis GEORGII ſufficienter contentos reddiderit, iuxta eorum voluntatem, ut prætacti Hæredes Ducis GEORGII ſupra nominatam ſummam Donationis propter Nuptias quærere ſciant, & conſequantur poſt mortem noſtri Regis Filiæ prænominatæ. Et ſi noſtri Regis Filia ſuperviveret Ducem GEORGIUM, quod in Divina ſtat voluntate, extunc ipſa conſequi debet veſtimenta, & alia, quæ pro eius ſpectant corpore, & etiam Clenodia argentea ei per Nos Regem data, aut quod ei alias de veſtimentis, & Clenodiis per Ducem GEORGIUM Filium noſtrum, aut alios donata, & quæ ipſa per ſe ei fieri fecit. Cum autem Dux GEORGIUS noſtri Regis Filiæ Clenodia, quæ a Nobis Rege, aut a noſtra Conthorali, aut alias ei venerint, pro uſu ſuo habere, & illa diſtrahere vellet, illa prius, antequam de manibus eius recipiantur, taxari debent, & ei iuxta decentiam per Hæredes noſtri Ducis LUDOVICI Filii Ducis GEORGII ſolvi debent, etiam quod Dux GEORGIUS noſtri Regis Filiæ tanquam Conthorali cum ei condormierit, iuxta ſuam voluntatem, & honeſtatem pro ſponſalitia largitate aſſignaverit, eadem ſumma debet ei cum ſupra nominatis ſummis, videlicet Dote, & Donatione propter Nuptias conſignari, & inſcribi, & quantum ei pro illa ſumma iuxta taxam ſupra nominatæ ſummæ in annuis reditibus venire, illud etiam conſequi, cum ille evenerit eventus, una cum Dote, & Donatione propter Nuptias debet, & annuos recipere reditus: circa vero redemptionem Bonorum de manibus eius, ſi caſu præmiſſo contingeret.

ANNO 1474.

Anno 1474. ret. Idem etiam desponsalitia largitate intelligi debet, sicut de summis *D*otis, et *D*onationis propter Nuptias supertactum est. In evidens testimonium sunt Literae duae in aequali forma factae, et nostro uniuscuiusque appenso Sigillo sigillatae. Et Nos Georgius *D*ei Gratia Comes Palatinus Rheni, Inferioris, Superiorisque Bavariae *D*ux, Praesentium tenore recognoscimus, et profitemur, quod omnia supratacta per Sereniſſimum *D*ominum Patrem, ac Socerum nostrum, *D*ominum Casimirum Poloniae Regem, Magnum Litvaniae *D*ucem, Russiae, Prussiaeque *D*ominum, ac Haeredem, etc. et Illustrissimum Principem *D*ominum Ludovicum eiusdem Inferioris, Superiorisque Bavariae *D*ucem, *D*ominum, ac Genitorem nostrum de nostro scitu, et bona voluntate, acta, et concluſa sunt. Promittimus quod omnia, et singula praefata, et praesertim Sponsalium Contractum Nos concernentem rata, et firma habere, fidenterque prosecutionem facere, nec iubere, ut contrafiat, omnia fideliter, et absque dolo. In cuius rei evidens testimonium Sigillum nostrum una cum praefatis *D*ominis Rege Casimiro, et *D*uce Ludovico huic Literae appendimus. Quae data est die Sabbatho, ipso die S. Sylvestri prope in Radom, Anno *D*omini milleſimo quadringenteſimo septuageſimo quarto.

## VI.

1475. *Dotis, & Donationis propter Nuptias Sereniſſimae* Domicillæ Hedvigis *in certis Caſtris, Civitatibus, & Diſtrictibus Collocatio.* Datum in Landshut, 5. Febr. 1475. *Ex Originali, Sigil. 2. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. 5. Num. 6. Fol. 202.*

Nos Ludovicus Dei Gratia Comes Palatinus Rheni, Inferioris, Superiorisque Bavariæ Dux &c. Recognoscimus tenore Præsentium, quibus expedit, Universis, præsentibus, & futuris. Quia disponente Altissimo Illustrissimum Principem Dominum Georgium Comitem Palatinum Rheni, Inferioris, Superiorisq; Bavariæ Ducem, Filium nostrum charissimum Sereniſſimi Principis Domini, ac Soceri nostri charissimi, Illustrissimæ Filiæ Virgini, & Domicillæ Hedvigi, etiam Filiæ nostræ amantissimæ matrimonialiter desponsavimus, de scitu, & bona voluntate praefati Filii nostri, & ipse eam iuxta ordinationem Romanæ Eccleſiæ in Coniugem suam legitimam, & Conthoralem recepit. Quibus praefatus Dominus, ac Socer noster Rex, triginta duo millia florenorum Hungaricalium puri auri, & boni ponderis ratione Dotis constituit, & inscripsit, iuxta tenorem Literarum Matrimonialium desuper confectarum, & emanatarum, quarum data est Sabbatho ipso die Sancti Silvestri prope in Radom, Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quarto. In quorum triginta duorum millium florenorum Dotis recompensam, alia triginta duo millia florenorum Hungaricalium ratione Donationis propter Nuptias, ac summam ratione largitatis Sponsalitiæ, vulgariter *Morgengab*, quam ex more in signum coniugalis amoris post primum thalami ingreſſum Principes Almaniæ Coniugibus suis donare consueverunt, dictæ Filiæ nostræ in, & super Castris, Civitatibus, Districtibus, Oppidis, ac Villis, videlicet *Croſtperg*, *Cravenſtan*, *Crayburg*, & *Mermoſen* cum omnibus reditibus, censibus, collectisque, quae in vulgari *Steure* appellantur, usibus, homagiis, feudis, molendinis, piscatiis, foreſtis, sylvis, agnis, praediis, venationibus, vel devolutionibus, & iure Patronatus, & generaliter cum singulis obventionibus ad eosdem Districtus pertinentibus nunc existentibus, aut in futurum venientibus consignavimus, & inscripsimus iuxta tenorem supra scriptarum Literarum Matrimonialium. Ita, & taliter quod super ratione quorumlibet quindecim florenorum de summa praefata sexaginta quatuor millium florenorum, hoc est triginta duo millia Dotis, & aliorum triginta duo millia Donationis propter Nuptias, nec non summa sponsalitiae largitatis unus florenus Hungaricalis, aut valor eius de censibus, & reditibus bonorum supra scriptorum Filiae nostrae chariſſimae praefatae obvenire debet, & assignari. Qui introitus si se ad tantam summam extendere non posſent, extunc debemus Nos, ac praefatus Filius noster Dux Georgius resiguitatem in aliis bonis, videlicet theloneo *Reychenhal*, & si etiam deficeret, in aliis bonis, censibus, & reditibus supplere, & eidem Filiae nostrae assignare. Ita tamen quod non minus de annuo introitu habeat, quam de quibuslibet quindecim florenis Dotis, *D*onationis propter Nuptias, & sponsalitia largitate unum florenum Hungaricalem, per Filiam nostram praetactam Conthoralem Filii nostri *D*ucis Georgii, in eventum, & casum mortis praefati Filii nostri Ducis Ge-

Anno 1475.

ANNO 1475. orgii tenendum, donandum, habendum, & utifruendum, pacificeque, & quiete poſſidendum, usque ad tempora vitae ſuæ, iuxta tenorem praetactarum Literarum Matrimonialium prius immanatarum. In cuius rei teſtimonium Sigillum noſtrum huic Literae appendimus. Et Nos GEORGIUS Dei Gratia Comes Palatinus Rheni, Inferioris, & Superioris Bavariae Dux &c. Recognoſcimus, & profitemur tenore praeſentium, quod omnia ſupra tacta tum de Sponſalibus, & Matrimonio, tum & aliis per Illuſtriſſimum Principem Dominum LUDOVICUM eiusdem Inferioris, Superiorisque Bavariae *D*ucem, *D*ominum, & Genitorem noſtrum chariſſimum, de noſtro ſcitu, & bona voluntate concluſa, & acta ſunt, promittimusque omnia, & ſingula ſupratacta Nos concernentia rata, & firma habere, fideliterque proſecutionem facere, & absque dolo. In cuius rei evidens teſtimonium Sigillum noſtrum una cum Sigillo praefati *D*omini Genitoris noſtri huic Literæ appendimus, quae data eſt in Landshut die Sanctae Agathae Virginis. Anno Domini MCCCCLXXV.

VII.

*Promiſſio Sacræ Regiæ Maieſtatis perſolvendæ Dotis Comitibus Palatinis Rheni, & Ducibus Bavariæ.* Datum Cracoviæ in Comitiis Generalibus 13. Januarii 1537. *Ex Archivo Regni Lib. 39. Num. 40. Fol. 88.*

SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae &c. Dominus, & Haeres. Significamus tenore Praeſentium univerſis, quorum intereſt. Quia cum veniſſet ad Nos Cracoviam Illuſtriſſimus Princeps, & Dominus OTTO HENRICUS Comes Palatinus Rheni, & Dux Bavariae, Princeps noſter e Sorore chariſſimus, & inter alia Nobis declaraſſet, Dotem Illuſtriſſimae olim Principis, & Dominae HEDVIGIS Aviae ſuae Maternae, & Sororis noſtrae chariſſimae, quam divus Parens noſter Dominus CASIMIRUS Rex Poloniae Illuſtri Principi & Domino GEORGIO Comiti, & Palatino Rheni, & Duci Bavariae Avo ſuo materno dixerat, nondum eſſe perſolutam, & rogaſſet Nos ſuo, & Fratris ſui Illuſtris Principis, et Domini PHILIPPI Comitis Palatini Rheni &c. Nomine, ut eam ipſam *D*otem ipſis exolveremus, Nos accepta hac relatione, licet tanto temporis intervallo neſciamus prorſus, qua cauſa debitum id hucusque dilatum ſit, et Nos pluribus, et gravioribus bellis, ac difficultatibus ſimus impliciti, quam dictus Sereniſſimus Parens, aut Fratres Praedeceſſores noſtri fuerunt, ad quos haec ſolutio propinquius ſpectabat, tamen cognoſcentes eorundem Principum *D*ominorum OTTONIS HENRICI, et PHILIPPI ſingularem erga Nos amorem, et obſervantiam, volentesque illos Nobis, et Regno noſtro beneficentia noſtra devincire, ac ſingularem benevolentiam noſtram, qua illos complectimur, aliis teſtatam facere, recepimus Nos, et Succeſſores noſtros ipſis decem octo millia Hungaricorum aureorum, nomine totius praedictae *D*otis perſoluturos, atque adeo hiſce Literis recepimus, ac promittimus verbo noſtro Regio. Atque nunc quidem iam quatuor millia aureorum Hungaricorum ipſi Illuſtri Domino OTTONI HENRICO perſolvimus, reliquum vero per duo millia quotannis ad Feſtum Purificationis MARIÆ incipiendo anno ſequenti, nempe 1538. et ſic deinceps quoadusque totam illam Summam ſupradictam exolvamus Illuſtritatibus eorum, aut Nuntio ab eis cum plena poteſtate miſſo Norembergae in moneta, ibi pro tempore currente ad valorem Hungaricorum aureorum, ibi pro tempore exiſtentem annumerari curabimus. Ipſi vero Domini Duces, et Recognitionem ſolutionis ſibi quotannis factae ſub Sigillis ſuis dare, et poſt exactam ſolutionem praedictorum decem octo millium aureorum Hungaricorum in ultimo termino has Literas noſtras Nobis, aut Succeſſoribus noſtris reddere, una, et Recognitionis Literas de totali ſatisfactione dare debebunt. In cuius rei teſtimonium hae Literae noſtrae Signo noſtro annulari, quo nunc utimur, appenſo conſignatae ſunt. Actum, et Datum Cracoviae in Comitiis Generalibus tredecima Januarii Anno Domini MDXXXVII. Regni noſtri Anno XXX.

SIGISMUNDUS *Rex. mpp.*

ANNO 1537.

VIII.

*Literæ Ottonis* HENRICI, & PHILIPPI *Comitum Palatinorum Rheni, Ducum Bavariæ, quibus recognoſcunt perſolutam ſibi eſſe a* SIGISMUNDO *Rege Dotem integram* DOMICELLAE HEDVIGIS *Aviæ ipſorum.* Anno 1544. *Ex Originali. Sigil. 2.* 1544.

NOS OTTO HENRICUS, & PHILIPPUS Fratres, Dei Gratia Comites Pala-

ANNO 1544. Palatini Rheni, Inferioris, Superiorisque Bavariæ Duces &c. Tenore Præsentium recognoscimus, & fatemur. Quod cum Sereniſſimo Principe, & Domino, Domino SIGISMUNDO Rege Poloniæ, Magno Duce Litvaniæ, Ruſſiæ, totiusque Pruſſiæ, Maſoviæ, &c. Domino, & Hærede, Cognato noſtro obſervandiſſimo, ratione Dotis feliciſſimæ recordationis Illuſtriſſimo Principi GEORGIO quondam Bavariæ Duci Avo noſtro Materno promiſſæ, & hactenus non præſtitæ convenimus. Ut pro eiusmodi Dote nondum ſoluta, decem & octo millia aureorum Hungaricalium Nobis per Serenitatem ſuam Regiam, & eius Succeſſores ita ſolverentur, ut ſtatim quatuor millia eiusmodi aureorum Hungaricorum numerentur, & de reſidua ſumma quotannis per duo millia ad Feſtum Purgationis Beatæ Mariæ, Norimbergæ in moneta ibi currrente ad valorem Hungaricorum, ibidem quovis tempore exiſtentem ſatisfiat &c. iuxta tenorem Literarum Concordiæ, Nobis eo Nomine datarum. Et quandoquidem duo millia eiusmodi aureorum Hungaricorum, quæ ad Feſtum Purgationis Divæ Virginis Mariæ huius Anni, & ultimi termini, debebantur, Nobis per Georgium Aichingerum Juniorem, Civem Normbergenſem, nomine Serenitatis ſuæ ad plenam ac integram totius debiti ſolutionem numerata ſunt: Nos hac plena, totali, & ſufficienti ſolutione accepta, Serenitatem ſuam, & eius Succeſſores liberos, & quietos dicimus. Quemadmodum vigore Præſentium de integra, & totali ſolutione univerſalis debiti quietamus, & liberos pronuntiamus, promittentes, neque Nos, neque Succeſſores noſtros eam ſummam amplius petituros, ſeu quovis modo exacturos. In cuius rei teſtimonium Capitalis huius Contractus Regales Literas Serenitati ſuæ reddidimus, nec non has noſtras Recognitionis Literas de totali ſatisfactione inſuper dare volumus, quibus Sigillum noſtrum appenſum eſt, quas etiam propriis manibus noſtris ſubſcripſimus Anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto.

OTTO HENRICUS *Comes Palatinus Rheni, utriusque Bavariæ Dux mp.*

PHILIPPUS *Dei Gratia Comes Palatinus Rheni, utriusque Bavariæ Dux mp.*

## IX.

*Pacta Matrimonialia inter* SIGISMUNDUM III. *Poloniæ, & Sveciæ Regem nomine tutorio Sereniſſimæ* ANNÆ CATHARINÆ CONSTANTIÆ *Poloniæ, & Sveciæ Principis, &* PHILIPPUM GVILHELMUM *Ducem Neoburgicum inita* Varſaviæ 4. Aprilis. *Cum Ratificatione eorundem* WOLFFANGI GUILHELMI *Comitis Palatini Rheni* die 21. Junii facta. *Ex Archivo Regni. Lib. 154. Num. 155. fol. 214.* ANNO 1544.

VLADISLAUS IV. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Smolenſciæ, Czernichoviæque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius *Rex Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt Univerſis, & ſingulis. Oblatas eſſe ad Acta Rheni Cancellariæ noſtræ Maioris Literas infra ſcriptas, Manu propria Sereniſſimi Principis Domini* WOLFFANGI GUILHELMI *Comitis Palatini Rheni, &c. ſubſcriptas, Sigilloque munitas, ſanas, ſalvas & illæſas, omniq; ſuſpicionis nota carentes. Supplicatumque Nobis eſt, ut easdem ad Acta ſuſcipi, iis inſeri, authenticumque earum Reſcriptum extradi mandare dignaremur. Quarum Literarum ea eſt, quæ ſequitur, Series.* Nos WOLFFANGUS GUILHELMUS Dei Gratia Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium Dux, Comes Veldentiæ, Sponhemii, Marchiæ, Ravenſpergæ, & Morſiæ, Dominus in Ravenſtein. Notum facimus Univerſis, & Singulis. Cum inter Sereniſſimum Principem Dominum PHILIPPUM GUILHELMUM, Comitem Palatinum Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium Ducem, Comitem Veldentiæ, Sponhemii, Marchiæ, Ravenſpergæ, & Morſiæ, Dominum in Ravenſtein, unicum, & Cariſſimum Filium noſtrum, & Sereniſſimam itidem Principem, & Dominam ANNAM CATHARINAM CONSTANTIAM Poloniæ, & Sveciæ Principem annuentibus, & conſentientibus eiusdem Fratribus, & legitimis Tutoribus, Sereniſſimo nimirum, & Potentiſſimo Principe Domino VLADISLAO Quarto Rege Poloniæ, Magno Duce Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiae, Livoniae, Smolenſciae, Czernichoviaeque, nec non Svecorum Gottorum, Vandalorumque Haereditario Rege, & ipſius Fratribus, & Principibus Poloniae, & Sveciae, verum, & legitimum Matrimonium, (ad quod, & Nos tum pro paterno in Filium noſtrum Affectu, & Amore, tum etiam pro ſingulari Studio, & deſiderio renovandae, &

ANNO 1544. propagandae cum dicta Sereniſſima Domo Regia veteris illus Amicitiae, Affinitatis, & Conſangvinitatis, quae cum eadem a multis retro annis, Nobis, & Maioribus noſtris, Comitibus Palatinis ad Rhenum, & Ducibus Bavariae interceſſit, aſſenſum noſtrum iam ante praebuimus iuxta Ritum, & praeſcriptum Sacrae Romanae Eccleſiae Contractum, pariterque inter eosdem (attamen ex Parte Chariſſimi Filii noſtri ſub expreſſa reſervatione, & Spe paternae noſtrae Ratihabitionis, & Confirmationis) de Pactis Matrimonialibus conventum, atque in iisdem tam de *D*otis, & *D*onationis propter Nuptias, *D*oni itidem Nuptialis, & uſus fructus conſtitutione, & aſſecuratione, quam de aliis futuris caſibus, & eventibus, ſub certis modis, conditionibus, & Articulis proviſum, & diſpoſitum ſit, cumque hae Pacta Nobis a dicto Filio noſtro tranſmiſſa, eorumque Ratificatio, Approbatio, & Subſcriptio a Nobis cum debita reverentia petita, & efflagitata fuerit, quorum tenor ita ſe habet. *In nomine Domini Amen.* Nos VLADISLAUS IV. *D*ei Gratia Rex Poloniae, M. D. Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniæ, Smolenſciae, Czernichoviaeque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque, Haereditarius Rex, tanquam Sereniſſimae Poloniae, & Sveciae Principis Dominae ANNÆ CATHARINÆ CONSTANTIÆ Sororis noſtrae chariſſimae primus naturalis Tutor, noſtro, & Sereniſſimorum Fratrum noſtrorum Poloniae, & Sveciae Principum Nomine ſignificamus praeſentibus Literis noſtris. Quod cum Sereniſſimus Princeps Dominus PHILIPPUS GUILHELMUS, Comes Palatinus Rheni, Bavariae, Juliae, Cliviae, & Montium Dux, Comes Veldentiae, Sponhemii, Marchiae, Ravenſpergae, & Morſiae, Dominus in Ravenſtein, in Regiam noſtram longis, & moleſtis itineribus pervenerit, ibidemque deſiderio contrahendae Nobiſcum, & cum Sereniſſimis Poloniae, & Sveciae Principibus, Fratribus noſtris affinitatis, aliquantum commoratus, Divina gratia demum ita diſponente, coram ipſa ſua Serenitas ac Verbis diſertis a Nobis, ac Sereniſſimis Fratribus noſtris, ſuo Parentisque ſui Sereniſſimi Principis Domini VOLFFANGI GUILHELMI Comitis Palatini Rheni, Bavariae, Juliae, Cliviae, ac Montium Ducis, Comitis Veldentiae, Sponhemii, Marchiae, Ravenſpergae, ac Morſiae, Domini in Ravenſtein, Nomine, ac ſenſu, et conſenſu Sereniſſimam Poloniae, & Sveciae Principem, Dominam ANNAM CATHARINAM CONSTANTIAM in Sponſam, ac Coniugem ſibi tradi, et iuxta Ritum Sacrae Romanae Eccleſiae in Matrimonium elocari poſtulaverit; Nos vero poſt Jura hoſpitii abunde ſuae Serenitati exhibita, re maturius deliberata, ac vetuſtam *D*ucalem proſapiam ſtrictiſſimo neceſſitudinis, et amicitiae nexu cum Sereniſſima Domo Auſtriaca, ac Nobiscum coniunctam conſiderantes, quae, et quanta ex amplioribus vinculis eius Serenitatis cum Regia noſtra Familia commoda promanare poſſent, perpendentes, petitioni ſuae Serenitatis tam honorificae aſſenſum noſtrum una cum Sereniſſimis Fratribus noſtris annuente, & conſentiente, inſimul Sereniſſima ANNA CATHARINA CONSTANTIA Sorore noſtra chariſſima praebuimus. Poſtmodum, quod felix, fauſtumque ſit ad Gloriam Dei Omnipotentis, & ſemper Glorioſae Virginis Mariae eius Genitricis, pro conſervatione, et augmento univerſae Reipublicae Chriſtianae, pro communi bono, et commodo utriusque Sereniſſimae Domus, utque Sanguinis neceſſitudines, quae quidem inter Nos, ac Sereniſſimam Neoburgicam Domum dudum extiterunt, nova affinitate propagarentur, inter Sereniſſimam ANNAM CATHARINAM CONSTANTIAM Poloniae, & Sveciae Principem, Nosque ac Sereniſſimos Fratres noſtros uti eiusdem Sereniſſimae Sororis noſtrae Tutores, et Fratres ab una, et eundem Sereniſſimum *P*rincipem PHILIPPUM GUILHELMUM, ad infra ſcripta omnia praeſentem, ac diſerte conſentientem, ab altera parte; accedente a Sanctiſſimo Domino noſtro Papa URBANO Octavo ſuper tertio conſangvinitatis gradu, quo Sereniſſima Poloniae, et Sveciae Princeps ANNA CATHARINA CONSTANTIA, et Sereniſſimus Princeps PHILIPPUS GUILHELMUS invicem coniuncti ſunt, et ſuper quibuslibet aliis remotioribus, etiam multiplicibus conſangvinitatis, et affinitatis, ſeu aliis praepedimentis neceſſaria, et convenienti Diſpenſatione, tractatum, et concluſum eſt Matrimonium verum, et legitimum ſub Articulis, et Conventionibus ſequentibus videlicet: promittimus Nos VLADISLAUS IV. Rex Poloniae, una cum Sereniſſimis Fratribus noſtris, pro Nobis, et Succeſſoribus noſtris chariſſimae Sorori noſtrae Serenisſimae ANNÆ CATHARINÆ CONSTANTIÆ, Poloniae, et Sveciae Principi, Dotis Nomimine in parata pecunia Summam Ducentorum quadraginta millium trecentorum triginta trium Talerorum Imperialium, eamque Serenisſimo Principi PHILIPPO GUILHELMO Sponſo, et Affini noſtro charisſimo infra Spatium duorum

ANNO 1544.

Anno-

ANNO 1544. Annorum Gedani numerari curabimus, hoc nrimirum modo. Inpimis tertio poſt peractaSponſalia de præſenti die duodecim millia aureorum Hungarical., quæ viginti quatuor millia Imperialium Talerorum faciunt. Emenſo poſtmodum anno intra Octavas Sacri Paſchatis Anni milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi tertii Summam centum novem millium ſexcentorum ſexaginta ſex, & medii Talerorum Imperialium. Ad extremum altero exacto anno itidem intra Octavas Sacri Paſchatis Anni milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi quarti, totidem reſidui centum novem millium ſexcentorum ſexaginta ſex, & medii Talerorum Imperialium. Recepta porro prima, uti inſinuatum eſt, duodecim millium Aureorum Hungaricalium ſolutione, Sereniſſimus Princeps Neoburgicus PHILIPPUS GUILHELMUS ſufficientem, manuque ſua ſubſcriptam Quietationem Nobis dare, ut etiam circa ſecundam, & tertiam numerationem Summarum ad ſupplementum principalis Summæ dotalis pertinentium de levatis, & perceptis, ac ultimo de univerſa Dote ſuperius ſpecificata officioſe quietare, & Inſtrumenta quietationum Nobis tradere, & tranſmittere abſque mora debebit, ſeque traditurum, ac tranſmiſſurum præſentibus promittit, & obligat. Poſtea vero poſt conſummatum Matrimonium die ipſa Sereniſſima Princeps una cum Sereniſſimo Principe Neoburgico PHILIPPO GUILHELMO Marito Suo, proprio, Hæredumque Suorum Nomine Coram Nobis, & Actis Cancellariæ noſtræ, Omnibus Hæreditatibus, & Succeſſionibus Paternis, Maternis, & Fraternis in Regno exiſtentibus, excepta infraſcripta Summa, ſuper Bonis *Zywiec* Ipſam Sereniſſimam Sororem noſtram concernente, ſecundum conceptam inter Nos Formulam circa Actum Reſignationis expediendam, exhibendamque renuntiabunt; Cum hac tamen exceptione, quod ſi forte Nos VLADISLAUS Rex, Prolesque noſtra Regia (quod Deus avertat) ex hac vita ſteriliter deceſſerimus, tunc Sereniſſima Princeps Soror noſtra una cum Liberis ex Ipſa naſcituris reſervatum Jus ſuccedendi in Bonis noſtris mobilibus, cum Sereniſſimis Principibus Fratribus noſtris pro rata portione habebit. In compenſationem autem prædictæ Dotis, idem Sereniſſimus Princeps PHILIPPUS GUILHELMUS Sereniſſimæ Principi ANNÆ CATHARINÆ CONSTANTIÆ Uxori Suæ ſtatim, poſtquam in effectu, & realiter numeraverit Summam duodecim millium Aureorum Hungaricalium, viginti quatuor millium Talerorum Imperialium valorem exprimentium, ſimilem alteram Summam viginti quatuor millium Talerorum Imperialium in Bonis Suis immobilibus videlicet, in Præfectura Provinciali, ſive *Landgiericht*, Burglengenfeldt cum Civitate, & Arce ibidem conſtitutis; Item Schwandorff Satrapia, cum civitate, & Arce eiusdem nominis cum univerſis, & ſingulis ad eas attinentibus Pagis, Villis, Curiis, Ædificiis, Molendinis, Hominibus, cenſibus, decimis, reditibus, gregibus, armentis, advocatiis, ſervitiis, Feudis Eccleſiaſticis, & Jure Patronatus, ſylvis, piſcinis, lacubus, fluminibus, aquis, venationibus, aucupiis, piſcationibus, & quibusvis aliis utilitatibus, ac omni eorum omnium libertate, ſuperioritate, Jurisdictione, mero, & mixto Dominio, Edictis, Interdictis, pœnis, mulctis, & omnibus aliis rebus, atque Commodis, nullis penitus exceptis, quæ hactenus ad ea ipſa Bona pertinuerunt, & pertinent vigore præſentium Pactorum omni meliori modo, via, ſtylo, & forma Juris obligat, & inſcribit, ita, ut ex cenſibus, fructibus, & proventibus dictorum bonorum Sereniſſimæ Suæ Coniugi certi reditus Summarum, tam nomine Dotis in Quietatione poſt numerationem eiusdem exprimendæ, quam Contradotis, tum etiam pro Dono Nuptiali infra ſpecificando, ad rationem quinque per Centum quotannis proveniant. Idem quoque facturum ſe Sereniſſimus Princeps PHILIPPUS GUILHELMUS ſpondet, ac promittit circa numerationem ſecundæ, & tertiæ ratæ Dotis ſupraſcriptæ, ac tam Dotis, quam Contradotis, & Doni Nuptialis correſpondentes Summas in Bonis ſeorſivis priori Ratæ duodecim millium Hungaricalium minime obnoxiis, ac undequaque mundis ab omni obligatione, oppignoratione, ſeu hypotheca, quocunque Nomine cenſenda, liberis, nec non in Univerſis, & ſingulis eorum attinentiis, Arcibus, Urbibus, Oppidis, Pagis, Villis, Curiis, Ædificiis, Molendinis, hominibus, cenſibus, & aliis omnibus iuxta omnes, & ſingulas clauſulas ſuperius ſpecificatas, & recenſitas, & cum fructibus, & proventibus ad rationem quinque per centum, ut ſupra computandis, & Sereniſſimæ Coniugi ſuæ quotannis ſoluto Matrimonio extradendis, exhibitis Nobis, & Sereniſſimis Fratribus noſtris, vel legitimis dictæ Sereniſſimæ Sororis noſtræ Tutoribus, circa prædictam numerationem ratarum, Copiis obligationum infraſcriptarum, ſe aſſecuraturum præſentibus cavet, & promittit, ſeque, & Succeſſores Suos obligat, & inſcribit. Quodſi vero proventus Doti, Contradoti correſponde-

ANNO 1544.

ANNO 1544. ſpondentes, & ſufficientes ex præmemoratis bonis, eorumque reditibus annuatim Sereniſſima Coniux percipere non poſſet id, quod deeſt, vel deerit, ex reliquis proventibus, reditibus Cameræ, & Ducatuum, tam Neoburgi, quam Juliacenſis, Montenſis, & medietatis Comitatus Ravenſpergæ ſupplebitur. Quos omnes, & ſingulos dictorum Cameræ, & Ducatuum, ac Ditionum Proventus eum in finem Sereniſſimæ Coniugi Suæ donec, & quousque ipſi, de ſupradictis Penſionibus, tum etiam eius Hæredibus, in caſu infra exprimendo, de ipſa Capitali Dotis, Contradotis, ac Doni Nuptialis ſorte abunde ſatisfactum fuerit, vigore præſentium ſpecialis, & generalis Hypothecæ nexu, & quam poteſt, validiſſime oppignorat, & inſcribit, ſalvo nihilominus penes Sereniſſimum PHILIPPUM GUILHELMUM tam Dotis quam Donationis propter Nuptias uſufructu, quoad vixerit, manente, ex quo Sereniſſimæ Coniugi Suæ, ac ipſius utriusque Sexus Aulæ pro Statu, & dignitate Regiæ proſapiæ, ac Sereniſſimi Principis PHILIPPI GUILHELMI, certi reditus in uſus, ac ſumptus quotidianos famulitii, ac iumentorum neceſſarios convertendi, aſſignabuntur. Quodſi quæ Pars, bonorum, & emolumentorum ſupranominatorum oppignorata, aut quovis alio modo Summis, ſeu Cenſibus gravata fuerit, eam Sereniſſimus Princeps PHILIPPUS GUILHELMUS ab omni onere, nexu, & hypotheca, in quantum ea ad proventus Sereniſſimæ Conſortis pertinebit, ſine ullo ſumptu, & damno Sereniſſimæ Coniugis Suæ redimere, emundare, & libera facere tenebitur, prout promittit, & ſe obligat. Illud præterea cavet, quod omnes Præfecti, Adminiſtratores, Procuratores, Quæſtores, & Officiarii ſupra memoratarum Arcium, Urbium, Bonorumque ad eas pertinentium, ut ſupra obligatorum, & obligandorum, poſtquam in poteſtatem, Dominium, & poſſeſſionem Sereniſſimi Principis PHILIPPI GUILHELMI Sereniſſimæ ANNÆ CATHARINÆ CONSTANTIÆ Uxori eius legitimæ, ac Dominæ Dotalitiæ ea ipſa Bona ſine ulla tergiverſatione, & difficultate tradituros, néc eandem Serenisſimam Sororem noſtram, aut quempiam eius nomine in adeunda eorundem bonorum pacifica, & libera poſſeſsione ullo modo præpedituros, Subditi quoque dictarum Arcium, Urbium, & eis annexorum Bonorum pro tempore, & caſu paulo ante ſpecificato, omnes, & ſinguli cuiusvis Ordinis, & Conditionis Eidem Serenisſimæ Conſorti Homagium, ſeu Juramentum præſtabunt, ſe poſt mortem Serenisſimi Principis PHILIPPI GUILHELMI, Sereniſſimæ eiusdem Coniugi in vivis remanenti, donec ipſi, & Succeſſoribus eius, tam de fructibus ſive penſione Contradotis, quam reſtitutione ipſiusmet Dotis, nec non ſolutione Doni Nuptialis in caſibus, & termino infra nominandis, plenarie ſatisfactum fuerit, ſubditos, fideles, ac obedientes fore, incommoda, & pericula Serenisſimæ Principis promonituros, & pro viribus ſuis averſuros, Commoda vero ſerio curaturos eſſe, non ſecus, quam ipſiusmet Serenisſimi Principis PHILIPPI GUILHELMI, cui hæreditario iure ad praedicta omnia obligati ſunt. Inſuper Sereniſſima Coniunx vigore praeſentis cautionis, quando vigore Pactorum praeſentium erit in poſſeſſione dictorum bonorum, inter cætera prædicta habebit poteſtatem conferendi omnia Sacerdotia, & Beneficia Eccleſiaſtica vacantia, in iis bonis ipſis, quæcunque ad ius Patronatus, & Collationem Sereniſſimi Principis PHILIPPI GVILHELMI, exnunc pertinent & pertinebunt, Feuda tam Nobilium, quam Ignobilium, ſervitiaque Nobilium in iisdem bonis, expeditiones quoque bellicæ, tum & exactiones publicæ Sereniſſimo Principi PHILIPPO GVILHELMO, tum & Hæredibus, Succeſſoribusque ſuis ſalvæ, & liberæ reſervabuntur, ſed ſine ullo impedimento Sereniſſimæ Conſortis, illorumque, qui ea nomine ipſis adminiſtrabunt. Ipſa etiam Sereniſſima Conſors ratione bonorum, & proventuum ſuorum a quibusvis exactionibus libera, & immunis erit. Tempore belli vel graviſſimæ alicuius neceſſitatis Sereniſſimo PHILIPPO GVILHELMO, Hæredibusque, ac Succeſſoribus ipſius ad obligatas Arces, Urbes, Munitiones, liber erit aditus, ita tamen, ut de ſuo in ipſis ſumptus faciant, ſeque ipſos, & contractam Militum manum ſuſtentent, absque ullo incommodo, & damno Sereniſſimæ Conſortis ſuæ. Quodſi aliquod fieri contigerit, aut aliquid ad eam pertinens quocunque modo ademptum labefactatum, ac peſſundatum fuerit, exindeque ex reditibus, & proventibus ſupra expreſſis diminutum, vel ipſa etiam commoda, & congrua habitatio præpedita, illud totum integre intra ſpatium ſex Menſium, vel poſtquam ipſa damnificata requiſiverit, a Sereniſſimi Principis PHILIPPI GVILHELMI Hæredibus & Succeſſoribus ſartietur, & compenſabitur. De hoc etiam ab utrinque convenit, quod Sereniſſimus Princeps PHILIPPUS GVILHELMUS Sereniſſimam Conſortem ſuam in iisdem bonis, ex cauſa tam Dotis, quam Contradotis, atque etiam ANNO 1544.

ANNO 1544. am Doni Nuptialis infra ſpecificandi, & aliarum Summarum infra ſpecificandarum iis obligatis, & obligandis, eorumque munitionibus, reditibus, et commodis quovis tempore, et caſu tueri, et defendere proinde, atque alias Ditiones ſuas absque ullo Sereniſſimæ Conſortis ſuae ſumptu, et damno tenebitur. Promittit præterea Sereniſſimus Princeps PHILIPPUS GUILHELMUS, quod eidem Sereniſſimae Coniugi ſuae poſtridie poſt conſummatas Nuptias Doni nuptialis nomine donabit, vel aſſignabit viginti millia florenorum Rhenenſium, unde ipſi ſimiles certi, et expediti reditus, videlicet ad rationem quinque per centum quotannis provenire poſſint, ac debeant, eamque ſummam Doti et Contradoti adiunget, et in ſupranominatis Bonis obligabit, et inſcribet, ac tam ſuper his, quam aliis generaliter omnibus Bonis immobilibus, nullis penitus exceptis, non tamen expreſſam hypothecam habentibus aſſecurabit, prout exnunc aſſecurat. Erit porro in arbitrio, et poteſtate Sereniſſimæ Principis Poloniæ, et Sveciæ ANNÆ CATHARINÆ CONSTANTIÆ in Matrimonio exiſtentis toto vitae ſuae tempore, ſive Liberos ex hoc Matrimonio habuerit, ſive non, illud ipſum Donum nuptiale uti propria Bona donare, cui voluerit, donatione cauſa mortis, vel Teſtamento, aut Codicillis, ſive univerſe, ſive particulariter. Quam Donationem pro rato, et grato, tam Sereniſſimus Princeps habebit, quam Hæredes, Succeſſoresque eius ratam habebunt. Licitum tamen eis erit id Donum nuptiale, quandocunque voluerint, ſine cuiusvis impedimento in toto, vel in parte redimere, ſin autem illa, ſive vivens, ſive moriens nihil de eo diſpoſuerit, ad Liberos ipſius, vel illis deficientibus ad Nos, Sereniſſimosque Fratres noſtros, eorumque Succeſſores devolvetur, ſalva Nobis, ac Sereniſſimis Fratribus noſtris, tum quoque noſtris ac ipſorum Succeſſoribus hypotheca expreſſa, ſupra memoratorum bonorum cum uſu fructu, vel eo quod intereſt, donec in omnibus ſatisfiat. Quodſi ex illis bonis aſſignatis reditus ratione Doni nuptialis recte quotannis provenire non poſſe vdebuntur, quidquid deerit ad rationem dictarum Summarum, ac Proventuum, Sereniſſimus Princeps PHILIPPUS GVILHELMUS, eiusque Hæredes, de expeditiſſimis reditibus ſupplebit, factaque Inſcriptione præſtabit. Si vero nec illa adhuc ad explendos annuos proventus ſuffecerit, aut ſi quo adverſo caſu ſine culpa ipſius Sereniſſimæ Principis, nominati Proventus diminuti fuerint, in aliis certis bonis ſuis Sereniſſimus Princeps PHILIPPUS GVILHELMUS, Hæredesque, ac Succeſſores eius, quidquid deſiderabitur, demonſtrare, & aſſecurare tenebuntur. Ita tamen, ut per omnia Sereniſſimæ Principis Dotis, Contradotis, Donique nuptialis nominibus cautum, & proviſum ſit. Illud etiam cavetur, ut ſi quæ debita Sereniſſimi Coniuges hi, ſive alteruter eorum, quoad ambo vivent, contraxerint, ea ab Hæredibus, & Succeſſoribus Sereniſſimi Principis PHILIPPI GVILHELMI absque ullo incommodo, & detrimento Sereniſſimæ Principis exſolvantur. Quodſi Sereniſſima Princeps in poſſeſſione eorundem bonorum exiſtens æris alieni quidpiam in rem ſuam contraxerit, ac poſt ſe reliquerit, id Hæredes ipſius ſine damno, & moleſtia Hæredum, & Succeſſorum Sereniſſimi Principis PHILIPPI GVILHELMI refundent. Conventum præterea eſt, quod Sereniſſimus Princeps PHILIPPUS GUILHELMUS Clenodia Sereniſſimæ Conſortis ſuæ valoris trecentorum millium Talerorum Imperialium, ſupellectilem argenteam valoris centum millium Talerorum Imperialium, ac reliquam Paraphernam ſive importatam, ſive durante Connubio, ac deinceps acquiſitam, iuxta inventarium eo nomine confectum, ac manibus noſtris ab utrinque ſubſcriptum integre ſit conſervaturus, nec quidpiam de ſupradictis omnibus ullo unquam tempore alienaturus, niſi urgens neceſſitas id poſtulaverit, & de expreſſa ſcientia, ac conſenſu Sereniſſimæ Conſortis permiſſum fuerit, ita tamen, ut quicquid alienandum vel oppignorandum erit, a fide dignis hominibus medio iuramento prius æſtimetur poſtea vero res ipſa, vel æquivalens, vel iuſtum rei alienatæ pretium Sereniſſimæ Coniugi, vel eius Hæredibus, & Succeſſoribus legitimis reſtituatur. Cæterum cum præter Dotem, Clenodia ſupellectilem argenteam, variae Summae pecuniariae una cum fructibus, & reditibus annuis ex iisdem provenientibus iure naturali Succeſſionis alio quovis legitimo iuris titulo ad Sereniſſimam Principem Sororem noſtram pertineant, utpote in Neapolitano Regno Summa octuaginta unius millium ſexcentorum ſexaginta ſex Ducatorum, in Bonis *Zywiec* Regni noſtri, Summa ſexaginta ſex millium Talerorum Imperialium in Bonis *Witingau* Regni Bohemiæ, a Sacra Cæſarea Maieſtate inſcripta ſumma ſexaginta ſex millium Talerorum Imperialium, & alia in eisdem bonis undecim millium Talerorum Imperialium, item in bonis Ducatus Brunſvicenſis Summa

ANNO 1544. octo millium aureorum Hungaricalium, ita conventum est, ut postquam praedictas Summas, seu aliquas earum in toto, vel in parte constante Matrimonio Sereniſſimus Princeps PHILIPPUS GVILHELMUS cum consensu Sereniſſimae Consortis suae levaverit, receperit, seu alio quovis modo de iisdem, seu earum quavis parte dispoſuerit, tantundem in bonis suis immobilibus æquivalentibus mundis, & liberis, ex quorum fructibus, & proventibus ratione praedictarum *S*ummarum quinque per centum, ut supra, annuatim proveniant, specialiter inscribere, & assecurare tenebitur. Praeterea cum omnes insimul ex æquo morti sumus obnoxii, convenit utrinque si Sereniſſimus Princeps PHILIPPUS GVILHELMUS, priusquam Sereniſſima Consors, ipse vita exceſſerit relictis ex ea liberis impuberibus, & minorennibus, ut illi Tutores constitutos habeant, Sereniſſima vero Princeps Consors sua legitima facta Vidua dimiſſis aliis bonis, ad obligata sibi & inscripta, ratione Dotis, Contradotis, Doni nuptialis, & alio quovis iuris titulo se conferet, iisque ad beneplacitum suum utetur, fruetur, omnem quoque suppellectilem cuiusvis generis, et materiae, item aurum, argentum, Clenodia, Margaritas, pecuniam, vestes, instrumenta, aliaque his similia, sive secum in Provinciam importata, sive sumptibus suis comparata, seu alio quovis iusto titulo quaesita, aut in nuptiis oblata, libere asportabit, iisque fruendi, et libere disponendi plenariam habebit facultatem. Cedent quoque Eidem Sereniſſimae Coniugi greges omnes, armenta, et alia quaevis animalia. Item cuncta supellex, et instrumentum omne rusticum, et domesticum, penu vini, fructuum, frugum, olerum, et omnium aliarum rerum ad alimenta hominum, iumentorum, et quorumvis animalium pertinentium, quaecunque in supra memoratis Arcibus, Civitatibus, Oppidis, Prædiis, Rusticis, et Urbanis, Domibus, Bonisq; tunc condita, vel etiam recondenda, extabunt, et reperientur, iuxta certum, legitimumque inventarium, pro tunc super iis omnibus rebus conficiendum. Fructus quoque in bonis dictis ad minimum unius integri anni Serenitati suae repraesentari debebunt, et si quid desiderabitur, Haeredes, et Succeſſores Sereniſſimi Principis PHILIPPI GVILHELMI seu eorum Tutores aliunde supplebunt. Tametsi autem liberi ii in potestate Tutorum suorum erunt, licebit tamen Ipsi Sereniſſimae Principi Viduae factae, Filios parvulos, Filias vero cuiuscunque ætatis, penes se educare, suppeditatis ex aliis bonis eorundem liberorum haereditariis, non tamen Sereniſſimae Principi aliquo Titulo iuris obligatis pro statu, et dignitate eorundem sumptibus et impensis. Et ut *S*ereniſſima Princeps Consors sua relicta Vidua tempore viduitatis suae, sive Proles fuerit, sive non, tanto magis congruam splendori suo sustentationem habere possit, idem *S*ereniſſimus Princeps promittit, et se obligat, quod Haeredes, et Succeſſores ipsius praeter annuum usum fructum, et reditus ex Dote, Contradote, et Dono nuptiali, aliisque supra recensitis quibusvis summis pecuniariis provenientibus, annuatim quatuor millia florenorum Rhenensium solvent, quae ultra praefatos census, et proventus in quatuor anni terminos distributim Serenitati *S*uæ repreſentabuntur, etiamsi extra Provinciam non suscepta ulla prole ipsi commorari placuerit. Quodsi ad secunda Vota transierit, nihilominus usum fructum obligatorum *S*ibi Bonorum habebit, sed in potestate erit Hæredum, & Succeſſorum *S*ereniſſimi Principis PHILIPPI GUILHELMI omnia ea bona (universe tamen, non particulatim) ab ipsa redimere, repoſita, & numerata *S*umma Dotis, & Doni Nuptialis, nec non salvis fructibus, & proventibus annuis ad extrema vitæ suæ tempora extradendis ex *S*umma Contradotis. Hæc autem redemptio intra unius spatium anni facta, in *S*criptis præmonitione fieri debebit. Hoc etiam convenit, ut quidquid *S*erenisſima Coniunx Princeps de Dote, Dono Nuptiali, Clenodiis, Argento, Paraphernа, *S*upellectili, aliisque facultatibus moriens Testamento, seu alia quavis Dispoſitione reliquerit, aut donaverit, omnium legitima portio Liberis primi Matrimonii cedet. Cavet præterea, & promittit *S*erenisſimus Princeps PHILIPPUS GUILHELMUS præsentibus hisce, ubi præpotens Deus *S*erenitatibus *S*uis ex hoc Matrimonio Prolem Masculam conceſſerit, Filius ex *S*erenisſima Principe susceptus, aut si plures fuerint, semper Natu Maior post Mortem *S*erenisſimi Principis in omnibus Principatibus, ac Dominatu Terrarum, & Ditionum *S*uarum, etiam in Hæreditatibus, quæ per *S*uccesſionem ad eandem Lineam devolventur immediate, non obstante eo, si Serenisſimus Princeps alium, vel alios ex alio Matrimonio Filios susceperit, succedat, cum suis Descendentibus. Insuper Filiæ, si quæ ex Matrimonio exstabunt, nec *S*erenisſimo Principi in Principatu succedent, de bonis paternis pro dignitate ipsarum sufficienter dota- ANNO 1544.

ANNO 1642. dotabuntur. Cæterum ſi nulli prorſus Liberi ex hoc Matrimonio ſuſcepti, vel poſt Mortem *Sereniſſimi* Principis PHILIPPI GUILHELMI relicti fuerint, eo modo, quo ſupra expreſſum eſt, *Sereniſſima* Princeps Vidua relicta poſſeſſionem bonorum, & proventuum quorumvis tam Dotis, Contradotis, ſeu Donationis propter Nuptias, quam Doni Nuptialis, Summarumque ſuperius ſpecificatarum Nominibus, & alio quovis legitimo titulo ſibi obligatorum, ſine cuiusvis impedimento etiam propria authoritate ſtatim adibit, eis libere, & pro arbitrio ſuo utetur, ac fruetur. Poſt obitum vero *Sereniſſimæ* Principis *Sororis* noſtræ Contrados quidem, ſeu Donatio propter Nuptias ad proximos, & legitimos Hæredes *Sereniſſimi* Principis PHILIPPI GUILHELMI redibit. Quod autem attinet Dotem, Donum Nuptiale, Summas ſupramemoratas, Clenodia, Argentum, & Paraphernam Supellectilem, quas (Contradote excepta) eadem *Sereniſſima* Princeps *Soror* noſtra durante Matrimonio, vel ante, iuſto aliquo titulo acquiſiverit, ſi ſuperſtites Liberos reliquerit, iis ea omnia cedere debebunt, ſi vero nati ſteriliter deceſſerint, aut nulli prorſus nati fuerint, ad Nos, & Sereniſſimos Fratres noſtros, & eorum Succeſſores, ea omnia Iure naturalis & legitimæ ſucceſſionis devoluta, Mandatariis noſtrirs bona fide, & ad amuſſim intra decurſum medii anni, a Sereniſſimo Principe, vel eius Hæredibus reſtituentur, & extradentur iuxta vera a Nobis confecta, & ab utrinque ſubſcripta Inventaria, niſi de iis Sereniſſima Princeps Soror noſtra in toto, vel in parte aliter diſpoſuerit, & ordinaverit. Illud etiam Sereniſſimus Princeps PHILIPPUS GVILHELMUS promittit, quod de Dote congrua Matronis, & Virginibus cum Sereniſſima Conſorte ſua extra Regnum profecturis, & manſuris de conſenſu Serenitatum ſuarum Matrimonium contrahere volentibus, habita ratione Perſonarum gratioſe providebit. Nos igitur VLADISLAUS IV. una cum Sereniſſimis Principibus Fratribus noſtris, ac Sereniſſima Sorore noſtra Domina ANNA CATHARINA CONSTANTIA noſtris ac omnium Hæredum, & Succeſſorum noſtrorum nominibus ſupraſcripta Pacta, & Conventa Matrimonialia, cum conditionibus in iisdem expreſſis, & qualibet illarum perpetuo firma, rata habere, & conſervata in verbo Regio promittimus, ac pollicemur. Nos quoque PHILIPPUS GVILHELMUS pro Nobis noſtrisque Hæredibus, & Succeſſoribus eadem omnia rata, grata perpetuo Nos habituros, tum quoque ANNO 1642. Sereniſſimum Principem ac Dominum VOLFANGUM GUILHELMUM Comitem Palatinum Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, Montium Ducem, & Parentem noſtrum ſpeciali Conſenſu, & Ratihabitione eadem omnia approbaturum, omni meliori modo, ac forma iuris cavemus, aſſecuramus, ac fide, honore, & verbo Ducali recipimus, ſpondemus, & ſancte promittimus. In cuius rei fidem Nos, & *Sereniſſimi* Principes Fratres noſtri præſentes manibus ſubſcripſimus, ac Sigillis munivimus. Sereniſſimus quoque PHILIPPUS GVILHELMUS Princeps Neoburgicus ſubſcripſit, & ſignavit, Dat. Varſaviae die quarta Menſis Aprilis Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo, Regnorum noſtrorum Poloniæ, & Sveciæ decimo anno. *Et erat ſubimpreſſum Sigillum, & ſubſcriptum ad Mandatum Sacræ Regiæ Maieſtatis proprium. Alexander Trzebinſki Referendarius Regni, Sereniſſimæ Principis Cancellarius mpp.* Hinc Nos quantum augmenti, & commodi univerſo orbi Chriſtiano, tum vero vel maxime, quantum utilitatis Domui noſtræ, ex novo hoc tum tanto Rege, Suæque Maieſtatis *Sereniſſima Domo* Regia neceſſitudinis vinculo accedere poſſit, mature perpendentes vigore praeſentium fatemur, & atteſtamur, Nos non modo Matrimonium hoc, & omnia ea, quæ circa illud ipſum in ſupra inſertis Pactis conventa, concluſa, & a cariſſimo Filio noſtro præſtanda ſunt, grata, accepta, & rata habere, verum etiam ſpondemus firmiter, ac ſub fide, & verbo noſtro Ducali pro Nobis, noſtrisque Hæredibus, & Succeſſoribus promittimus, & aſſecuramus Nos, omnia, & ſingula, qnæ in dictis Pactis a Dilecto Filio noſtro promiſſa ſunt, etiam eo (quem tamen Deus avertat) caſu, quo ipſum ante Nos vitam cum morte commutare contigerit, in omnibus punctis, & clauſulis, & articulis, fideliter, & inviolabiliter obſervaturos, & præſtituros, non minus, quam ſi Nos ipſi hiſce Tractatibus, Pactis, & Conventionibus, præſentes interfuiſſemus, eademque ab initio interventione, iuſſu, conſilio, & authoritate noſtra tractata, inita, & concluſa eſſent. In cuius rei fidem præſentes haſce literas manibus noſtris ſubſcripſimus, & *Sigillo* noſtro corroboravimus. Datæ in Reſidentia noſtra Euſeldorff die XXI. Menſis Junii Anno MDCXLII.

WOLFANGUS GVILHELMUS,
(L.S.) *Comes Palatinus.*

ANNO 1642. Quas quidem literas præinſertas, ratas, & gratas habentes, ad Acta præſentia ſuſcipi, iis inſeri, authenticumque earum Reſcriptum extradi mandavimus. Quibus in fidem præmiſſorum omnium meliorem, Sigillum Regni noſtri eſt ſubappreſſum. Actum & Datum Varſaviæ Feria Tertia poſt Feſtum *S.* Mathæi Apoſtoli, & Evangeliſtæ proxima. Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo, Regnorum noſtrorum Poloniæ decimo, Sveciæ vero undecimo Anno. *Haſce itaque ſupraſcriptas, omnes & ſingulas literas diverſis in locis modo præmiſſo coram Actis præſentibus tam recognitas, quam per oblatam ad acticandum porrectas, & iisdem inſertas, prout in iisdem continentur de verbo ad verbum deſcribi, & ſub ſigillo maiori Regni Cancellariæ extradi iuſſimus.*

*Relatio Reverendiſſimi in Chriſto Patris Petri Gembicki Epiſcopi Crac. Ducis Severien. Regni Poloniæ ſupremi Cancellarii.*

X.

1642. PHILIPPI *Ducis Neoburgi Inſcriptio viginti millium florenorum Rhenenſium Doni Nuptialis nomine Coniugi ſuæ facta. Ibidem fol. 131.*

VLADISLAUS IV. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Czernichoviæque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex. Significamus præſentibus Literis noſtris quorum intereſt Univerſis, & ſingulis. Quod coram Nobis, Actisque Regni Cancellariæ noſtræ Maioris perſonaliter comparens *Sereniſſimus* Princeps Dominus PHILIPPUS GUILHELMUS Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium Dux, Comes Valdentiæ, Sponhenii, Marcæ, Ravenſpergæ, & Morſiæ, Dominus in Ravenſteyn, ſanus mente, & corpore exiſtens, ac matura diliberatione intra ſe præhabita, infraſcripta ratione Doni Nuptialis *Sereniſſimæ* Dominæ ANNÆ CATHARINÆ CONSTANTIÆ Poloniæ, & *Sveciæ* Principi Coniugi ſuæ chariſſimæ, modo infra nominato aſſecurati, hiſce expreſſis recognovit verbis, quorum ea eſt ſeries quæ ſequitur. Quod nimirum poſtquam *Sereniſſimus*, Potentiſſimusque Princeps, & Dominus, Dominus VLADISLAUS IV. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ &c. Dominus, & Affinis noſter charisſimus, ſuo proprio, ac *Sereniſſimorum* Fratrum Poloniæ, & Sveciæ Principum tutorio Nomine *Sereniſſimam* Principem, ſcientem, Nobis ſupraſcripto GUILHELMO PHILIPPO vehementer poſtulanti, in Matrimonium promiſit, deſpondit, & collocavit, iuxta tenorem Pactorum, & Literarum *Sponſalium* deſuper confectarum, atque in illis inter cætera expreſſe, & præcipue continetur: Quomodo Nos poſtridie poſt conſummatas Nuptias Doni Nuptialis nomine eidem *Sereniſſimæ* Coniugi noſtræ chariſſimæ, viginti millia florenorum Rhenenſium donare, eandemque ſummam in quibus Bonis, & Poſſeſſionibus noſtris obligare, inſcribere, & demonſtrare debemus. Ideo ad implendum eiusmodi Pactum, & Conventum, cum Nuptiæ iuxta ſolennem Ritum Eccleſiæ Catholicæ integraliter ſunt celebratæ, & confirmatæ, Nos PHILIPPUS Dux Neoburgicus prædictæ chariſſimæ Uxori noſtræ *Sereniſſimæ* Dominæ ANNÆ CATHARINÆ CONSTANTIÆ Doni Nuptialis Nomine ſupraſcriptam ſummam viginti millium florenorum Rhenenſium, unde ipſi *Sereniſſimæ* Coniugi noſtræ ſimiles certi, & expediti reditus, videlicet ad rationem per quinque a centum, quotannis pervenire poſſint, ac debeant, damus, & aſſignamus, eamque ſummam viginti millium florenorum Rhenenſium Doti, Contradoti adiungimus, ac in omnibus Bonis ratione Dotis, & Contradotis hypothecalis obligamus, & inſcribimus, ac tam ſuper his, quam aliis generaliter omnibus Bonis noſtris immobilibus, nullis penitus exceptis, non tamen expreſſam hypothecam habentibus, aſſecuramus. Erit porro in arbitrio, & poteſtate *Sereniſſimæ* Coniugis noſtræ in Matrimonio exiſtentis, toto vitæ ſuæ tempore, ſive Liberos ex hoc Matrimonio habuerit, ſive non, illud ipſum Donum Nuptiale, uti propria Bona donare, cui voluerit, Donatione cauſa mortis, vel teſtamento, aut codicillis, ſive univerſe, ſive particulariter, quam Donationem pro rata, & grata, tam Nos habebimus, quam Haeredes, & *Succeſſores* noſtri ratam habebunt. Licitum tamen erit Nobis, & eisdem Haeredibus, ac *Succeſſoribus* noſtris id Donum Nuptiale, quandocunque voluerimus, & ipſi voluerint, ſine cuiusvis impedimento in toto, vel in parte redimere. *Sin* autem illa *Sereniſſima* Coniunx noſtra, ſive vivens, ſive moriens nihil de eo diſpoſuerit, ad Liberos ipſius *Sereniſſimae* Coniugis noſtrae, & illis deficientibus ad *Sereniſſimum*, & *Potentiſſimum Principem* Domi-

ANNO 1642.

ANNO 1642. minum, Dominum VLADISLAUM IV. *Poloniae*, & *Sveciae* Regem, ac *Serenisſimos Poloniae*, & *Sveciae Principes*, & *Serenisſimae* Coniugis noſtrae Fratres charisſimos, eorumque *Succeſſores* devolvetur, ſalva tamen ipſis *Sacrae* Regiae Maieſtatis, ac *Serenisſimis* Fratribus, ipſorumque *Succeſſoribus* hypotheca expreſſa ſupramemoratorum Bonorum, ac uſu fructu, vel eo quod intereſt, donec in omnibus ſatisfiat. Quod ſi ex illis Bonis aſſignatis, reditus ratione dicti Doni Nuptialis recte quotannis provenire non poſſe videbuntur, quidquid deerit ad rationem dictæ ſummae viginti millium florenorum Rhenenſium, & proventuum, Nos, Haeredesque noſtri de expeditisſimis reditibus ſupplebimus, Haeredesque noſtri ſupplere tenebuntur. *Si* vero nec ulla adhuc ad explendos annuos proventus ſuffecerit, aut ſi adverſo caſu ſine culpa ipſius *Serenisſimae* Coniugis noſtrae, nominati proventus diminuti fuerint, in aliis certis Bonis noſtris Nos cum Haeredibus noſtris, quidquid deſiderabitur, demonſtrare, & aſſecurare tenebimur, ita tamen, ut per omnia dictae *Serenisſimæ* Coniugi noſtrae de dicto Dono Nuptiali cautum, proviſumque ſit.

PHILIPPUS GHILHELMUS

*Comes Palatinus Rheni.*

Quam quidem Recognitionem perſonaliter factam, manuque propria *Serenisſimi Principis* Domini PHILIPPI GUILHELMI Comitis *Palatini* Rheni ſubſcriptam, ratam, & gratam habentes eandem ad Acta ſuſcipi, iis inſeri, authenticumque eius Reſcriptum extradi mandavimus. In cuius rei fidem Praeſentibus *Sigillum* Regni eſt appreſſum. Actum, & Datum Varſaviae feria ſexta poſt Feſtum Nativitatis *S.* Joannis Baptiſtae proxima Anno 1642.

XI.

*Eiusdem Promiſſio, quod Præfecti, & Officiales Civitatum, & Arcium Sereniſſimæ* ANNÆ CONSTANTIÆ CATHARINÆ, *Dotis, Contradotis, & Doni Nuptialis nomine obligatarum Juramentum fidelitatis eidem præſtabunt. Ibidem fol. 132.*

VLADISLAUS IV. *Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Czerniechoviæque, Nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt Univerſis, & ſingulis. Quod coram Nobis, Actisque Cancellariæ noſtræ Maioris perſonaliter comparens Sereniſſimus Princeps Dominus* PHILIPPUS GUILHELMUS *Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium Dux, Comes Valdentiæ, Sponhenii, Marcæ, Ravensbergæ, & Morſiæ, Dominus in Ravenſtein ſanus mente, & corpore exiſtens, ac matura deliberatione intra ſe præhabita, Aſſecurationem ratione Homagii per ſuos Barones, & ſubditos Sereniſſimæ Dominæ* ANNÆ CATHARINÆ CONSTANTIÆ *Poloniæ, & Sveciæ Principi Coniugi ſuæ chariſſimæ modo infraſcripto præſtandi his, quæ ſequuntur, verbis expreſſis recognovit.* Quod nimirum idem *Serenisſimus Princeps* ſatisfaciendo *Pactis*, & Conventionibus *Sponſalibus* Nobiſcum celebratis promittit, ac ſeſe obligat, quod omnes *Praefecti*, Adminiſtratores, Praetores, Quæſtores, & Officiarii *Præfecturæ* Provincialis, ſive *Landgericht, Burglengenfeldt Szwawedorf Satropiae*, tum Civitatum & Arcium ibidem conſtitutarum, & eidem nominis, ac ad illas attinentium, tum aliorum quorumvis Bonorum noſtrorum in *Pactis Sponſalibus* ſpecificatorum *Serenisſimae Principi* Dominae ANNÆ CATHARINÆ CONSTANTIÆ *Coniugi* noſtrae charisſimae Dotis, & *Contradotis*, Doni Nuptialis, & alio quovis nomine obligatorum, & hypothecatorum, & iuxta eadem *Pacta* Sponſalia obligandorum, poſtquam in poteſtatem Dominium, & poſſeſſionem ipſius Serenisſimi Principis Recognoſcentis poſt ceſſum, vel deceſſum *Parentis* eius Serenisſimi *Principis* VOLFGANGI GUILHELMI venerint, praeſentes, & pro tempore futuri Serenisſimae Dominae ANNÆ CATHARINAE CONSTANTIAE, *Poloniae*, & *Sveciae Principi* Sorori noſtrae, ac ipſius Serenisſimi *Principis* PHILIPPI GUILHELMI Coniugi charisſimae, ac Dominae Dotalitiali promittentur, & iurabunt, ſe poſt mortem dicti Serenisſimi *Principis* GUILHELMI, dictae Serenisſimae *Principi* Sorori noſtrae, ea ipſa Bona ſine ulla tergiverſatione, & difficultate tradituros, nec eandem *Serenisſimam* Sororem noſtram, aut quempiam eius nomine in adeunda eorundem Bonorum pacifica, & libera poſſeſſione ullo modo præpedituros. Subditi quoque dictarum Arcium, Vrbium, & eis annexorum Bonorum pro tempore, & caſu paulo ante ſpecificatorum omnes, & ſinguli cuiusvis ordinis, & conditionis eidem Sereniſſimæ *Sorori* noſtræ, & dicti *Sereniſſimi*

ANNO 1642. Principis recognoſcentis Conſorti Homagium, ſeu Juramentum præſtabunt, ſe poſt mortem præfati *Sereniſſimi* Principis PHILIPPI GVILHELMI *Sereniſſimæ* eius Coniugi in vivis remanenti, donec ipſi, & Succeſſoribus eius, tam de cenſibus, ſeu penſione Contradotis, quam reſtitutione ipſiusmet *Dotis*, nec non ſolutione Doni nuptialis in caſibus, & termino in eisdem Pactis ſponſalibus fuſius ſpecificato plenarie ſatisfactum fuerit, ſubditos fideles, ac obedientes fore, incommoda, & pericula *Sereniſſimæ* Principis præmonituros, & pro viribus ſuis averſuros, commoda vero ſerio curaturos eſſe, non ſecus quam ipſiusmet *Sereniſſimi* Principis PHILIPPI GVILHELMI, cui hæreditario iure ad præfata omnia obligati ſunt, iuxta, & ſecundum tenorem literarum ipſius *Sereniſſimi* Principis PHILIPPI GUILHELMI ſuper hoc ſpecialiter datarum. Quæ omnia ſupradicta, dictus *Sereniſſimus* Princeps PHILIPPUS GVILHELMUS pro ſe ſuisque Hæredibus, et *Succeſſoribus* omni meliori modo, ac forma iuris cavit, et aſſecuravit, ac fide, honore, ac verbo Ducali promiſit, et ſpopondit, prout cavet, promittit, et ſpondet præſenti obligatione mediante

PHILIPPUS GUILHELMUS
*Comes Palatinus Rheni.*

*Quam quidem Recognitionem perſonalem modo ſupra ſcripto factam, manuque propria Sereniſſimi Principis Domini* PHILIPPI GVILHELMI *Comitis Palatini Rheni ſubſcriptam, ratam, & gratam habentes, eandem ad Acta ſuſcipi, iis inſeri, authenticumque eius Reſcriptum extradi mandavimus.* In cuius rei fidem Præſentibus Sigillum Regni eſt appreſſum. Actum, et Datum Varſaviæ Anno, Die et Menſe quibus ſupra.

XII.

*Eiusdem Recognitio de accepta certa pecuniæ Summa ad rationem Dotis. Ibidem fol. 135.*

VLADISLAUS IV. *Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Czernichoviæque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius Rex. Significamus præſentibus Literis noſtris quorum intereſt Univerſis & ſingulis. Quod coram Nobis, Actisque Præſentibus Cancellariæ noſtræ Maioris perſonaliter comparens Sereniſſimus Princeps Dominus* PHILIPPUS GUILHELMUS *Comes Palatinus Rheni, Ba variæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium Dux, Comes Valdentiæ, Sponhemii Marcæ, Ravenburgæ, & Dominus, Dominus in Ravenſteyn ſanus mente, & corpore exiſtens, ac matura deliberatione intra ſe præhabita, ſponte & libere Quietationem de percepta certa Summa pecuniaria, idque ad rationem Dotis modo infraſcripto fecit, & hiſce, quæ ſequuntur, expreſſis recognovit verbis, quorum is eſt tenor.* ANNO 1642.

Quod quemadmodum inter Sereniſſimum, & Potentiſſimum Principem, & Dominum, Dominum VLADISLAUM IV. Dei Gratia *Regem* Poloniæ, Magnum Ducem Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, *Smolenſciæ*, Czernichoviæque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorum hæreditarium Regem, Dominum, & Affinem noſtrum chariſſimum Pactis ſponſalibus, & etiam ſpeciali promiſſo Maieſtatis eius convenerat, de Dote in parata pecunia ducentorum quadraginta trium millium trecentorum triginta trium Talerorum Imperialium Sereniſſimæ Dominae ANNÆ CATHARINÆ CONSTANTIÆ Uxoris noſtrae charisſimae Nomine, intra biennium, tribus penſionibus numeranda, & exolvenda, numerata, & ſoluta jam ſint Nobis pro prima penſione ab eodem Sereniſſimo, & Potentiſſimo Principe, Domino Domino, VLADISLAO Poloniae, & Sveciae *Rege*, Magno Duce Litvaniae, *Ruſſiae*, Pruſſiae &c. Domino, & Affini noſtro, duodecim millia aureorum Hungaricalium probi auri, & juſti ponderis ſummam viginti quatuor millium Talerorum Imperialium conſtituentium, tum quoque ad rationem Summae centum novem millium ſexcentorum ſexaginta ſex & medii Imperialium Talerorum, quae nomine eiusdem Dotis pro ſecunda penſione intra Octavas Sacri Paſchatis Anni proxime venturi milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi tertii, Nobis ſolvi debet, decem millia Talerorum Imperialium boni, & currentis valoris ſine ullo detrimento, & impedimento noſtro. Proinde Sacram Regiam Maieſtatem, Succeſſoresque Majeſtatis ejus, & omnes, ac ſingulos, quorum id intereſt, aut intererit, nullo unquam modo de ſupra memorata Summa duodecim millium aureorum Hungaricalium, & prima penſione impetere, moleſtare, aut inquietare, tum quoque dicta decem millia Talerorum, ut ſupra a Nobis ad rationem ſecundae penſionis recepta, ex Summa principali praefata Talerorum Imperialium centum novem millium, ſexcentorum ſexaginta ſex, & medii defalcare, demereque promittimus, ac de dictis duodecim mille Hungaricalibus,

&

Anno 1642. & decem mille Taleris Imperialibus quietamus, et liberamus, quietatosque, et liberos praeſtamus pro Nobis, Haeredibusque ac Succeſſoribus noſtris ſpondemus, hac noſtra perſonali Recognitione in praemisſis mediante.

Philippus Guilhelmus
*Comes Palatinus Rheni.*

*Quam quidem Quietationem modo præmiſſo factam, & coram Præſentibus actis benevole recognitam, manuque ſuæ Serenitatis propria ſubſcriptam, ratam, & gratam habentes, ad eadem Acta ſuſcipi, iis inſeri, atque inde Authenticum earum Reſcriptum extradi mandavimus. Quibus majorem in fidem Sigillum Regni eſt appenſum. Actum, & Datum Varſaviæ Feria ſexta poſt Feſtum S. Joannis Baptiſtæ proxima. Anno 1642.*

## XIII.

### *Cautio Eiusdem de Succeſſione Primogeniti. Ibidem fol. 133.*

Vladislaus IV. D.G. *Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Czernichoviæque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque haereditarius Rex. Significamus praeſentibus Literis noſtris, quorum intereſt, Univerſis, & Singulis. Quod coram Nobis, Actisque Praeſentibus Cancellariae noſtrae Majoris perſonaliter comparens Sereniſſimus Princeps Dominus* Philippus Guilhelmus *Comes Palatinus Rheni, Bavariae, Juliae, Cliviae, ac Montium Dux, Comes Valdentiae, Sponhemii, Marcae, Ravenſpergae, & Morſiae, Dominus in Ravenſtein, ſanus mente & corpore exiſtens, ac matura intra ſe deliberatione praehabita, ſponte, libere Aſſecurationem de Succeſſione in Principatibus Filii ſui Primogeniti, modo infraſcripto fecit, & hiſce, quæ ſequuntur, expreſſis recognovit verbis, quorum is eſt tenor.* Univerſis, & ſingulis quorum intereſt, aut intererit pro Nobis, Hæredibus, & Succeſſoribus noſtris fatemur, notumque facimus. Quod quemadmodum Pactis ſponſalibus inter Sereniſſimum, & Potentiſſimum Dominum, Dominum Vladislaum IV. Dei Gratia Regem Poloniæ, Magnum Ducem, Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ &c. nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarium Regem Dominum, & Affinem noſtrum chariſſimum ſuo, & Sereniſſimorum Fratrum ſuæ Maieſtatis Poloniæ, & Sveciæ Principum, ac Sereniſſimæ Dominæ Sororis ſuæ Annæ Catharinæ Constantiæ Coniugis noſtræ chariſſimæ, tutorio nomine ex una, & Nos ſupra ſcriptum Dominum Philippum Guilhelmum &c. ex altera partibus initis convenit, ut ſi prædicta noſtra Sereniſſima Coniunx Prolem maſculam a Nobis ſuſceperit (quod Deo volente ſperamus & optamus) quod ea Proles in omnibus Principatibus noſtris poſt mortem noſtram ſuccederet. Quapropter in eum eventum obligamus, inſcribimus, bonaque fide vigore harum noſtrarum Literarum pollicemur. Quod ſi Deus Optimus Maximus Prolem maſculam ex hoc Matrimonio Nobis cum Sereniſſima Domina Anna Catharina Constantia Coniuge noſtra chariſſima conceſſerit, hic idem Filius ſuſceptus, aut ſi plures fuerint, ſemper maximus, aut maior natu cum ſuis deſcendentibus, poſt mortem noſtram in omnibus Principatibus, ac Dominatu Terrarum, & Ditionum, etiam in hæreditatibus, quæ per ſucceſſionem, ad eandem Lineam devolventur, immediate ſuccedere debebit, non obſtante eo, ſi alium, vel alios ex alio Matrimonio Filios poſtea ſuſceperimus. Idque ſic viventes conſtituemus, & omni ratione perficiemus, ſine omni fraude, dolo, ac machinatione, quod noſtro noſtrorumque Hæredum, & Succeſſorum nomine per verbum veritatis, & ſub pœna in Contractibus matrimonialibus comprehenſa ſpondemus, & promittimus, hac ſua perſonali recognitione in præmiſſis mediante.

Philippus Guilhelmus
*Comes Palatinus Rheni.*

*Quam quidem Aſſecurationem modo præmiſſo factam, & coram Præſentibus Actis benevole recognitam, manuque ſuæ Serenitatis propria ſubſcriptam, ratam, & gratam habentes &c. Actum Varſaviæ feria ſexta poſt Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ proxima, Anno Domini 1642.*

## XIV.

### *Sereniſſima* Anna Catharina Constantia *abdicat ſe omni Jure Succeſſionis in Bona paterna, materna, & fraterna.* Dat. Varſaviæ feria ſexta poſt Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ Anno 1642. *Ibidem fol. 130.*

Vladislaus IV. *Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciae, Czernichoviaeque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hae-*

ANNO 1642. *reditarius Rex. Significamus praesentibus Literis quorum interest Universis, & Singulis. Quod coram Nobis, & Actis Regni Cancellariae nostrae Maioris personaliter comparens Sereniſſima Domina Poloniae, & Sveciae Princeps Domina* ANNA CATHARINA CONSTANTIA *Soror nostra chariſſima, ſana mente, & corpore exiſtens, non compulſa, non coacta, ſed libere, & benevole recognovit, idque cum aſſiſtentia, & praeſentaneo aſſenſu Sereniſſimi Principis Domini* PHILIPPI GUILHELMI *Comitis Palatini Rheni, Bavariae, Juliae, Cliviae, & Montium, Comitis Veldentiae, Sponhemii, Marcae, Ravensbergae, & Morſiae, Domini in Ravenſtein Coniugis ſui chariſſimi, uti Tutoris coniugalis pro ſe, Haeredibus, ac Succeſſoribus ſuis quibusvis ratione Ratihabitionis infraſciptorum cavit, notum, teſtatumque fecit.*

Quia ipſa poſteaquam Divina voluntate ita diſponente per Nos uti naturalem, teſtamentariumque Tutorem ſuum, noſtro, ac Sereniſſimorum Fratrum noſtrorum Poloniæ, & Sveciæ Principum Contutorum Nomine, prædicto Sereniſſimo Principi Domino GUILHELMO Comiti Palatino Rheni &c. accedente ſuo conſenſu, in Matrimonium collocata fuerit, Dotemque in parata pecunia ducentorum quadraginta millium Talerorum Imperialium ſeſe concernentium conſtitutam habuerit, lautamque, ac Regia Prole dignam ſupellectilem, & Paraphernam ex Bonis paternis, & maternis receperit; Idcirco ſatisfaciendo Pactis eo Nomine ſancitis eadem Sereniſſima Princeps ANNA CATHARINA CONSTANTIA cum Aſſiſtentia, & voluntate, ut præmiſſum eſt, Sereniſſimi Principis Domini PHILIPPI Coniugis ſui chariſſimi ad Acta præſentia perſonaliter comparentis, accepta pro præmiſſis ſatisfactione omni Hæreditati, & Succeſſioni paternorum, & maternorum, atque etiam fraternorum Bonorum immobilium, & mobilium in Regno Poloniæ exiſtentium, quæ vel iam obveniſſe ſibi debuit, vel adhuc aliquando obveniet (excepta duntaxat ſumma ſuper Bonis Zywiec ſeſe concernente) in favorem noſtri, Sereniſſimorumque Succeſſorum noſtrorum renuntiavit, prout per præſentes omni meliori modo, & forma, via, quibus melius de Jure, tutiusque, & validius fieri poteſt, & debet, renuntiat, eamque Succeſſionem, & Hæreditatem ſuam Nobis, Sereniſſimisque Succeſſoribus noſtris dat, donat, & reſignat inperpetuum, atque a ſe, Succeſſoribusque ſuis alienat. Ea nihilominus adiecta Conditione, nimirum quod ſi Nos (quod Deus avertat) Sereniſſimosque Fratres noſtros ſine ullis omnino Liberis, ex hac vita decedere contigerit, tum demum ſibi, & Proli ſuæ futuræ Jus ſuccedendi in Bonis omnibus poſt Nos, Sereniſſimosque Fratres noſtros chariſſimos derelictis reſervavit, & præſentibus reſervat. Aliis vero quibusvis caſibus omni paterna, materna, & fraterna Succeſſione, atque Hæreditate ſe, Hæredes, & Succeſſores ſuos in perpetuum ſcienter, delibe-rate, & expreſſe abdicavit, et abdicat. Renuntians omnibus beneficiis Juris, & facti in auxilium Sexus muliebris generaliter, vel ſpecialiter conſtitutis, & conſtituendis, atque a ſe, vel a quopiam alio impetratis, vel impetrandis, aut proprio motu indultis, & indulgendis nullo prorſus excepto, nec eo quidem, quo Leges Renuntiationem obventuræ Succeſſionis invalidam eſſe cenſent, nec non ignoratiæ, doli mali, vis, & metu ceſſionis inlegitimæ, & quibusvis aliis exceptionibus, quæ ab hominibus pro ſe, ac Hæredibus, & Succeſſoribus ſuis contra hanc Renuntiationem excogitari poſſint. Quod ſi pluribus, & infirmioribus etiam cautelis, hæc ipſa Renuntiatio fieri poſſet, vel deberet, eas omnes hic pro expreſſis vult haberi, & hic in continenti coram eisdem Actis perſonaliter comparens Sereniſſimus Princeps, & Dominus PHILIPPUS GUILHELMUS Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ &c. libere recognovit pro ſe, Hæredibus, & Succeſſoribus ſuis ſupraſcriptam Renuntiationem, & abdicationem a Sereniſſima ANNA CATHARINA CONSTANTIA Coniuge ſua chariſſima, cum aſſenſu, & voluntate ſua factam eſſe, promiſitque, & recepit, promittitque ſub verbo Ducali, & honore ſuo, ac vinculis in Pactis Sponſalibus expreſſis, pro ſe, Hæredibus, & Succeſſoribus ſuis eam ratam, firmamque perpetuo, & intemeratam fore, neque quidpiam aperte, vel clam a ſe, Hæredibus, & Succeſſoribus ſuis contra eam ullo modo, & via tentatum iri. Renuntiando itidem omnibus remediis, beneficiis, exceptionibus, quæcunque contra hanc ipſam præmiſſam Renuntiationem, & Abdicationem adiumento eſſe poſſent, hac ſua perſonali recognitione in præmiſſis omnibus mediante.

PHILIPPUS GUILHELMUS *Palatinus Rheni.*

ANNA CATHARINA CONSTANTIA *Princeps Poloniae, & Sveciae.*

*Quam quidem ſupraſcriptam Recognitionem modo praemiſſo factam, & praememoratorum Sereniſſimorum Coniugum manibus propriis ſubſcriptam, Nos ratam,*

ANNO 1642.

&

ANNO 1642. *& gratam habentes eandem ad Acta ſuſcipi, iis inſeri, authenticumque eius Reſcriptum extradi mandavimus. Quibus maiorem in fidem Sigillum Regni eſt appreſſum. Actum, & Datum Varſaviae feria ſexta poſt Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtae proxima Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo. Regnorum noſtrorum Poloniae decimo, Sveciae vero undecimo Anno.*

Relatio Reverendi in Chriſto Patris Domini Petri Gembicki Epiſcopi Premiſlienſis Nominati Crac. Abb. Tynecen. perpetui Adminiſtratoris. R. P. S. Cancellarii.

XV.

*Literæ* PHILIPPI GVILHELMI *Ducis Neoburgenſis, & ANNÆ CONSTANTIÆ Poloniæ, & Sveciæ Principis, quibus promittunt, ſe intra ſpatium quatuor Menſium Inventarium omnium Clenodiorum, tam eorum, quæ trecentis millibus Talerorum, quam ſupellectilis argenteæ, quæ centum millibus Talerorum æſtimata eſt, nec non aliorum Clenodiorum, & ſupellectilis in auro, & argento, dono ſibi oblatæ, Regi Poloniæ transmiſſuros.* Dat. 21. Jul. 1642. *Ibidem fol. 213.*

VLADISLAUS IV. *Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Czerniechoviæque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius Rex. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt, Univerſis & Singulis. Oblata eſſe ad Acta Regni Cancellariæ noſtrae Maioris Literas infraſcriptas, manibus Sereniſſimorum Domini* PHILIPPI GVILHELMI *Comitis Palatini Rheni &c. & Dominae* ANNÆ CATHARINÆ CONSTANTIÆ *Poloniae, & Sveciae Principis, Coniugum ſubſcriptas, & Sigillis firmatas, ſanas, ſalvas, & illaeſas, omnique ſuſpicionis nota carentes, ſupplicatumque Nobis eſt, ut eaſdem ad Acta ſuſcipi, iis inſeri, atque Authenticum earum Reſcriptum extradi mandare dignaremur. Quarum ea eſt ſeries, quae ſequitur.*

NOS PHILIPPUS GVILHELMUS Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium Dux, Comes Veldentiæ, Sponhemii, Ravensburgæ, & Morſiæ, Dominus in Ravenſtein &c. & ANNA CATHARINA CONSTANTIA Poloniæ, & Sveciæ Princeps, Coniuges, Verbo Ducali promittimus, Nos Inventarium omnium Clenodiorum, tam eorum, quæ trecentis millibus Talerorum Imperialium, nec non ſupellectilis argenteæ, quæ centum millibus Talerorum Imperialium æſtimata ſunt, quam aliorum quoque Clenodiorum, ac ſupellectilis in auro, & argento exiſtentis, in Nuptiis proxime præteritis Varſaviæ Die Nona Menſis Iunii celebratis, dono ſuæ Serenitati oblatorum, & præſentatorum, intra ſpatium quatuor Menſium Sereniſſimo Regi transmiſſuros. In cuius rei fidem hoc manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillo noſtro firmavimus. Datum in Czarno Dunaiec die vigeſima prima Iulii Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo. ANNO 1642.

PHILIPPUS GVILHELMUS
*Comes Palatinus Rheni.*

ANNA CATHARINA CONSTANTIA *Princeps Poloniae, & Sveciae.*

(L.S.)

*Quas quidem Literas, prout in Actis continentur, deſcribi, atque authentice extradi, mandavimus. In cuius rei fidem praeſentibus Sigillum Regni eſt appreſſum. Actum, & Datum Varſaviae Feria tertia poſt Feſtum S. Matthaei Apoſtoli & Evangeliſtae proxima, An. Domini MDCXLII.*

XVI.

*Pacta Dotalia inter Sereniſſimum Principem* JACOBUM JOANNIS III. *Poloniæ Regis Filium natu maiorem, & Dominam* HEDVIGEM ELISABETHAM PHILIPPI GUILHELMI *Electoris Palatini Rheni Filiam. Ex Archivo Regni.* Acta Inſcriptionum ab Anno 1689. *ad Annum 1696. Fol. 79.* 1691.

CUM Sereniſſimus, ac Potentiſſimus Princeps, ac Dominus JOANNES III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kiioviæ, Volıniæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czernichoviæque maturo conſilio perpenderit, non ſolum ſe ſibi, & ſuis, ſed toti mundo, præcipue vero Regnis a Deo ſibi concreditis vivere, Populorumque præcipue vicinorum amicitiæ, conſervationi, & libertati inter reliqua quam maxime convenire, ut per mutua Coniugia maior ſinceritatis,

ANNO 1691. tis, & reciprocæ assistentiæ nexus pro stabilienda eo fortius Pace, & securitate communi, modo, quo fieri potest, sanctissimo firmetur; Ideo Serenissimum Filium suum natu maiorem, Dominum Principem JACOBUM huius quidem propria sponte, & enixissima voluntate eo destinavit, ut inter illum, & Principis Serenissimi Domini PHILIPPI GUILHELMI, Comitis Palatini Rheni, S. R. I. Archi-Thesaurarii, & Electoris, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium Ducis &c. &c. Filiam quinto genitam, Serenissimam Dominam HEDVIGEM ELISABETHAM AMALIAM, Comitem Palatinam Rheni &c. Matrimonium iniretur, utpote ad saluberrimam Regiæ Poloniæ Maiestatis suprafatam intentionem, eo præcipue ex capite maxime proficuum, quod antiquissimus Domus Palatinæ ad Rhenum splendor toti Orbi adeo illucescat, ut Serenitatis Suæ radios tam per Consanguinitatis, quam Affinitatis necessitudinem in omnes fere totius Europæ, Imperatoris, Regum, Principumque Familias non diffundat modo, sed & illos tot quasi novis syderibus coruscare faciat, quot Proles ex affinitatibus cum hac Domo contractis conspiciuntur, vel certo sperantur in Regnis illis, quæ tanto Provinciarum luctu tamdiu antehac cum orbitate luctata sunt. Certe Serenissimus Dominus Elector veteris cum Inclyta Polonorum Natione confidentis amicitiæ non immemor, insuper quod ipse ex Regia Jagellonum Stirpe antiquissima per se Sanguinis necessitudine sibi coniuncta Coniugem habuerit Serenissimam Dominam ANNAM CATHARINAM CONSTANTIAM, tam salutari Suæ Maiestatis intentioni eo proniores præbuit aures, quo Sedes Apostolica, & Sacra Cæsarea Maiestas efficacissime interpositis suis Officiis id gratissimum sibi fore contenderunt. Verum posteaquam Sua Serenitas Electoralis infrascripta Matrimonii Capitula æquissima censuit, clementissimo propterea eiusdem Mandato in scripturam redacta, prius tamen quam ad perfectionem perduci potuere, iubente sic Divino Numine supremum pientissime obiit diem, ideo eiusdem Dominus Filius primogenitus, Serenissimus Dominus JOANNES GUILHELMUS, Comes Palatinus Rheni, S. R. I. Archi-Thesaurarius, & Elector, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium Dux &c. pro sua parte, & spe consilium Sapientissimi Sui Domini Parentis approbaturus, & quo non minus ex sua sponte suam in Regiam Poloniæ Domum pro publico bono affectum testatum faceret, cœptum hunc tam salutaribus ex causis Matrimonii Tractatum perfici voluit; Igitur quod felix, faustumque sit, & toti Reipublicæ Christianæ salubre, inter Regios, & Electorales Deputatos, ex parte quidem Serenissimi Domini Electoris Reverendissimum, & Illustrissimum Dominum Ferdinandum ab Yrsch, Dominum in Macen, Serenitatis Suæ Electoralis Consiliarium intimum, & supremum Aulæ Cancellarium, Cameræ Præsidem, & Feudorum Præpositum, *D*inastam in Reichertshofen, nec non Illustrissimum *D*ominum Andream Schellerer ab, & in Heidersdorf, Sacræ Cæsareae Maiestatis Consiliarium Imperialem Aulicum, nec non Serenitati Suæ Electorali a Consiliis intimis, in subsequentes Matrimonii Tractatus, & Conditiones conventum est. ANNO 1691.

I.

Itaque Serenissimus Dominus Elector JOANNES GUILHELMUS spondet in legitimam Uxorem Serenissimam Dominam Principem ELISABETHAM &c. Dominam Sororem suam dilectissimam, Serenissimo Principi Poloniæ Regio Domino JACOBO &c. Et vicissim Serenissimus Princeps Regius JACOBUS præcedente consensu Serenissimi, ac Potentissimi Regis Patris sui, promittit, se ducturum in Uxorem prædictam Dominam Principem ELISABETHAM prædicto Matrimonio consentientem, iuxta Ritus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Catholicæ, & curaturum, ut subsequenti, quemadmodum infra dicetur, Matrimonio rato, aut suis, aut Serenissimi ac Potentissimi Domini Parentis Regis sumtibus Neoburgo ad Danubium decenter ad suam Regiam Aulam in Poloniam deducatur.

II.

In Dotem, & titulo Dotis Serenissimæ Principi ELISABETHÆ, Serenissimus Dominus Elector promittit solvere Serenissimis Dominis Regi, & Filio, eorumve Hæredibus, & Successoribus florenorum Rhenensium centum millia in moneta currenti, florenum ad sexaginta Crucigeros computando. Prædicti autem, Serenissimus Rex, & Regius Filius in causa Dotis prædictæ restituendæ pariter illam promittunt restituere pecunia numerata, & dicto iam valore præfatæ Serenissimæ Dominæ Principi, aut eiusdem Hæredibus, & Successoribus, omni exceptione remota, sub obligatione Bonorum suorum, præsentium, & futurorum, suorum Hæredum, & Successorum, omni meliori modo, iuxta Ritus, & Leges Regni Poloniæ, imo & cum legitimo consensu Serenissimæ Regiæ Maiestatis observando.

II.

ANNO 1691.

III.

E contra Sereniſſimi Domini Domini, Rex, & Filius Regius promittunt Sereniſſimæ Dominæ Neo-ſponſæ centum millia florenorum in Contradotem, & totidem, id eſt, alia centum millia florenorum monetæ ſæpius iam ſcriptæ, nuptialis titulo Doni conſtituere, prout hiſce fide Regia conſtituunt ſub obligatione hypothecæ, & conſenſus reſpective Coniugalis, & materni iam antea ratione Dotis enumerata, ita ut Dos, Contrados, & Donum Nuptiale ter centum millium florenorum Rhenenſium, ut ſupra, importent. Quorum uſusfructus durante Matrimonio Serenisſimo *D*omino Principi Regio, proprietas autem pleno iure Coniugum ſuperſtiti, eiusque Hæredibus, & Succeſſoribus remaneat, ſeu fatum prius in Regio Principe, ſeu Serenisſima Sponſa prius contingat, (quod quidem *D*ivinum Numen diutisſime differre dignetur) idque ſive poſt mortem alterutrius Coniugum Liberi exiſtant ex hoc Matrimonio ſive non, qui tamen ſi *D*ei Gratia ex hoc Connubio exiſtent, iure merito directæ, & naturali illorum Succeſſoni ad prædictas Summas præſenti Contractu derogari non poteſt.

IV.

Serenisſimus, ac Potentisſimus Rex, ac eius *D*ominus Filius Regius durante Matrimonio providebunt Serenisſimæ *D*ominæ Principi, eiusdemque Aulico, & alias neceſſario Miniſterio a primo ad ultimum nullo excepto, de condigna & huiusmodi Regiis, & Electoralibus Filiis, & Filiabus decenti ſuſtentatione, quoad victum, amictum, ſalarium, aut quicquid horum neceſſarium erit, imo & Principibus tantæ *D*ignitatis, & Familiæ decorum. De reliquo autem durante Matrimonio ſine ullo alio onere, aut conditione Serenisſimæ Dominæ Principi ad liberrimam eiusdem diſpoſitionem absque ulla retentæ obligatione rationis, ex paratisſimis mediis ad initium cuiuscunq; Menſis, quingentos florenos Rhenenſes, qui conficiunt uno, & quolibet anno ſex millia florenorum Imperialium Rhenenſium, ſolvi curabunt.

V.

Si Cœli diſpoſitione contingat, ut Serenisſima Princeps (quod ipſa quidem, vel omnino non, vel ſeris ſaltem exoptet annis fieri) dilectisſimo ſuo Domino Sponſo ſupervixerit, ad vidualem eiusdem ſuſtentationem præter antea prædicta in funeſtum hunc caſum proprietarie ipſi competentia trecenta florenorum millia Dotis, Contradotis, & *D*oni Nuptialis, aſſignabuntur eidem a Serenisſimo Rege, eiusque Regio Principe, adhuc alia ducenta floren. millia una cum *D*ote, Contradote & *D*ono nuptiali in Capitali conficientia Summam florenor. quingentorum millium, monetæ Rhenenſis, quam ſtatim, ac Tabulæ iſtæ Nuptiales conventæ, & ſignatæ fuerint, in numerata pecunia adhuc ante Matrimonium ratum, et abductionem Serenisſimæ *D*ominæ Principis Neo-ſponſæ Serenisſimi, reſpective Rex, et Elector conſignarunt in Principatibus certis in Sileſia, iuxta *D*eclarationem Sacrae Cæſareae Maieſtatis quamprimum deſignandis, in quibus cenſus annuus hypothecalis quinque pro centum *S*ereniſſimis utrisque Neo-ſponſis tamdiu dabitur, et perſolvetur, usque dum *S*umma Capitalis communi contrahentium conſenſu non fuerit repetita, et exſoluta, cum ulteriori tamen utrinque acceptata conditione, ut haec ducenta florenorum millia, quae *S*erenisſimae *S*ponſae ultra Dotem, Contradotem, et Donum Nuptiale pro viduali ſuſtentatione adiicientur, non ut Dos, Contrados, et Donum Nuptiale proprietarie, ſed uſufructuarie tantum, et quidem non ultra eiusdem viduitatem, et vitam, ad eandem pertineant, immo ſi vel vivere, vel vidua eſſe deſinat, proprietarie, et plenisſimo iure ad *S*erenisſimi *S*ponſi Haeredes devolvatur, reſpectu cuius *S*ummae viginti millium deſignatae Viduitati, ad *S*ucceſſores, et Haeredes *S*erenisſimi Neo-ſponſi regreſſus *S*acra Caeſarea Maieſtas omnimodam ſpondebit ſecuritatem, ita, ut eadem *S*umma nemini alii, niſi legitimis *S*erenisſimi Neo-ſponſi *S*ucceſſoribus extradatur.

VI.

Porro cum annua Penſio mox in Articulo praecedenti enarratae *S*ummae 500000 florenorum ad condignam ex caſibus inſperatis Principibus, Palatinis, ex hac Domo Electorali conſvetam vidualem ſuſtentationem ſufficere non posſit, Serenisſimus Rex, et Regius eiusdem Dominus Filius ſinguli in ſolidum, cum conſenſu *S*erenisſimae Reginae legitime præſtando, eidem hiſce ſuperaddunt, in caſum, et durationem Viduitatis, et non aliter, ac ultra, alios adhuc vigeſies mille florenos Rhenenſes annui reditus, ſingulis annis iuſte, et omni exceptione remota, ſine ulla, aut litium, aut ſumptuum moleſtia, exſolvendos, ſub hypotheca tam generali, quam ſpeciali, omnium bonorum tam avitorum, quam noviter acquiſitorum, aut adhuc acquirendorum iuxta Ritus, et Leges Regni Poloniæ firmiter expedienda, ita ut nec Generalitas *S*pecialitati, nec Specialitas Generalitati quicquam deroget,

Anno 1691. roget, cum ulteriori hac declaratione, si Serenissimae Dominae Viduae in supra additis hisce vigesies mille annuis florenis persolvendis molestia, mora aut omnino impossibilitas modo quocunque futuris temporibus inficeretur, eidem tunc ex nunc, et nunc ex tunc libertas concedatur, vel hos annuos vigesies mille florenos iure exigendi, vel si malit, eorum loco dicta ducenta florenorum millia Articulo praecedenti usufructuarie tantum sibi ad tempus Viduitatis assignata, proprietarie sibi suisque Haeredibus retinendi, ita ut in casum non solvendorum eorum supradictorum in Polonia assignatorum 20000 florenorum, statim ac id se velle declaraverit, ipso iure ducentorum saepius praefatorum millium florenorum proprietas ad eandem, eiusque Haeredes recidat, amittat tamen etiam ipso Jure omnem ulteriorem Actionem ad illos vigesies mille florenos supra additos.

VII.

Et hæ quidem pro viduali sustentatione conventæ *Summæ* integræ maneant *Serenissimæ* Dominæ *Sponsæ* fatorum dispositione futuræ forsan Viduæ, etiamsi una, vel plures Proles extarent, ad quarum condignam, & decoram sustentationem licet ex *Summis* usui suo viduali servientibus praesenti Contractu necessario Serenissima Neo-sponsa non obligetur (cum educatio pro dignitate tanti *Sangvinis* & sustentatio primario ad Sortem patrimonialem spectet,) nihilominus materno in Prolem affectui, & pietati ea praecustoditione minime derogari debere. Quemadmodum etiam liberum erit eidem tempus Viduitatis in, vel extra Poloniam transigere, qua in re nulla eidem a quopiam molestia inferatur. *Si* vero praeligeret, Viduitatem suam in Polonia transigere, gratis ipsi concedenda erit condigna habitatio, decenti in omnibus, & per omnia supellectile instructa.

VIII.

Quamprimum Pacta dotalitia utrinque inscripta, & hisce Conditionibus supra enumeratis ex parte *Sacræ* Cæsareæ & Regiæ Poloniæ Maiestatis, & Serenissimi Domini Filii Regii Iacobi Neo-sponsi forma, qua iuxta Leges Poloniæ decet, efficaciter, & re ipsa satisfactum fuerit, clementissimo Regiæ Maiestatis beneplacito relinquitur, quando suos Legatos ad celebrandum iuxta Ritus Ecclesiæ Matrimonium ratum, & ipsam etiam Serenissimam Dominam Neo-sponsam in Regnum Poloniæ, suis tamen sumptibus, ut supra, abducendam ad *Serenitatis* suæ Electoralis Aulam Neoburgicam ablegare voluerit, quos ibidem sua *Serenitas* Electoralis excipi, tractari, & dimitti curabit pro innata sibi generositate, & decenti, qua in *Sereniſſimum* Regem fertur, reverentia. Anno 1691.

IX.

Antequam tamen ad huius Matrimonii Celebrationem, & actualem *Sereniſſimæ* Sponsæ ex Laribus fraternis abductionem perveniatur, eadem iuratam, et solennem Renuntiationem faciat, eamque in publicam scripturam redigi curet, quod aut Ipsa, aut eius Descendentes, Successores, aut Hæredes per se, vel per alios nullam unquam Hæreditatem, aut Successionem ex Domo Palatina, quamdiu unus Comes Palatinus Rheni, et Dux Bavariæ Masculus ex communi *Stipite* utriusque Domus per Lineam masculinam descendens, in vivis existit, et superest, in Bonis ad eandem pertinentibus, tam Feudalibus, quam Allodialibus, tam mobilibus, quam immobilibus, in, et extra Imperium ubicunque Terrarum sitis, acquisitis iam, aut acquirendis, perpetuis temporibus nullo Iuris, aut facti prætextu prætendere, sola sibi assignata Dote contenta, de reliquis autem omnibus extantibus masculis Agnatis ex utraque Domo Palatina, et Bavarica, semper exclusa esse velit, iuxta formam in *Sereniſſima* Domo Palatina observatam, et iuxta Pacta in Elocatione priorum suarum respective Augustinæ Imperatricis, et *Sereniſſimarum* Reginarum Hispaniæ, et Lusitaniae, nec non Principis Parmensis Sororum conventa.

X.

Pro observantia, et executione omnium, et singulorum, ut supra, Conventorum Sereniſſimi D. D. D. Contrahentes obligant sese, suos Haeredes, et Successores, et Bona omnia praesentia, et futura, etiam mobilia, omni meliori modo, tam Iure generalis, quam specialis Hypothecae, ita ut nec Generalitas Specialitati, nec Specialitas Generalitati detrahat.

XI.

Et ut Procuratores infra scripti specialem a *Sereniſſimis* suis Dominis Contrahentibus Ratihabitionem praesentium Pactorum quam proxime sese commutaturos promittunt, ita in horum fidem sese subscribunt, & subsignant &c.

XVII.

*Pacta Matrimonialia, & Dotalia inter* Maximilianum Emanuelem *Ducem Bavariæ Electorem*, & Joannem III. *Regem Poloniæ nomine Sereniſſimæ Principis* Theresiæ Cunegun- 1694.

ANNO 1694. NEGUNDÆ *Filiæ ſuæ inita. Actum in Arce Zołkievienſi die 19. Maii Anno 1694. Cum Ratificatione eorundem* EMMANUELIS *Electoris facta Bruxellis die 19. Junii. Ex Originali.*

NOS MAXIMILIANUS EMMANUEL, Dei Gratia utriusque Bavariæ, ac Palatinatus ſuperioris Dux, Comes Palatinus Rheni Sacri Romani Imperi Archidapifer, & Elector, Landgravius in Leichtemberg, Belgii Gubernator. Notum hiſce facimus omnibus ac ſingulis, quorum intereſt, ac atteſtamur, quod inter Sereniſſimi, & Potentiſſimi Principis Domini JOANNIS Tertii, Dei Gratia Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kioviæ, Voliniæ, Podoliæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czernichoviæque: Nec non Sereniſſimæ Principis Dominæ MARIÆ CASIMIRÆ de la Grange Reginæ Poloniæ Filiam Unicam Sereniſſimam Dominam THERESIAM CUNEGUNDAM CAROLINAM CASIMIRAM MARIAM Regiam Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ Principem ex una, atque Nosmet ipſos ex altera parte, ita divino Numine diſponente Matrimonium contractum, ac propterea circa Pacta Dotalia inter utriusque Partis Plenipotentiarios ad hoc ſpecialiter deputatos, ac inſtructos in certa Capitula, & Articulos Conventum fuit: Tenoris qui ſequitur:

*In Nomine Domini Amen.*

Ad perpetuam rei memoriam. Notum ſit, teſtatumque Univerſis, & ſingulis. Sereniſſimus, & Potentiſſimus Princeps ac Dominus JOANNES Tertius Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kioviæ, Voliniæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czernichoviaeq; cognita, & luculenter perſpecta Sereniſſimi Principis Domini MAXIMILIANI EMMANUELIS, Comitis Palatini Rheni, Romani Imperii Archidapiferi, & Electoris, Superioris, & Inferioris Bavariae Ducis, Gubernatoris Belgii, tum alias tum recenter per ſuum Plenipotentiarium infra nominandum optima intentione, quod ſcilicet ille, poſtquam ob Statuum, ac Subditorum preces, Conſangvineorumque, & Agnatorum ſuorum perſvaſiones praecipue ad ſtabiliendam magis Domus Electoralis Succesſionem poſt praematuram mortem, olim Sereniſſimae Principis MARIÆ ANTONIÆ, Hungariae, & Bohemiae Regiae Principis, Archiduciſſae Auſtriae, Duciſſae Burgundiae prioris Conſortis ſuae deſideratiſſimae, vota ſua coniugalia ſecundo repetere in animum induxiſſet, non alibi ea ſalutarius in emolumentum Rei Chriſtianae, perennemque Nominis Sui Gloriam componenda, locandaque conſtituit, quam in Sereniſſima Regia Poloniae Domo, non ob eam tantum rationem, quod perquam iucundum ſit *Suae Serenitati* veteres cum *Sereniſſima* Republica Poloniae, Domus ſuae, cum adhuc Imperatoriis gauderet Faſciis, renovare nexus, ſed quod etiam perquam glorioſum cenſeat cum eius Regis *Sangvine* copulari, qui a Regali Poloniae Piaſtorum ſtirpe in BOLESLAO Duce Bohemiae deſcendens per tot *Saeculorum* in Avis, Abavis Atavisque *Suis* glorioſiſſima merita, perque continuos in Chriſtianitate triumphos provectus, velut poſtliminio Regium repetens diadema, novasque palmares de barbaris tota vita ſua referens victorias, atque memorandis, quos hucusque *Summo* Dei Auxilio Chriſtianitas de iisdem Barbaris numerat, inductis late Triumphis, huc quoque adſtipulante Generis claritudine *Sereniſſimae* Principis Dominae MARIAE CASIMIRAE de la Grange, Reginae Poloniae ſplendores *Sangvinum*, Affinitatumque ſuarum a Regia Cognatione LUDOVICI VI. Regis Galliarum, perinde ac a Regibus Hungariae, Armeniae, Cypri, & Jeroſolimae, Ducibus Burgundiae, & *Sabaudiae*, Flandriaeque Comitibus, derivantis Coniugis *Suae* Amantiſſimae fixas, perennesque in *Sereniſſimis* generationibus divinas remonſtrat benedictiones: in earumque obtinendum benedicente Domino finem, Eadem *Serenitas* Bavariae Electoralis vota, & deſideria ſua ineundi rite Matrimonii cum *Sereniſſima* Regia Poloniae, & Magni Ducatus Litvaniae Principe Domina THERESIA CUNEGUNDA CAROLINA CASIMIRA MARIA, Filia *Sua* unica chariſſima, explicuerit, & Plenipotentiarium ſtatus Magnificum Marcum Chriſtophorum de Mayr ſpeciali Mandato inſtructum ablegare fecerit, idem vero ſuus *Plenipotentiarius* memoratam *Sereniſſimam Principem Poloniae*, & Magni Ducatus Litvaniae in veram, & legitimam Coniugem *Sereniſſimo Principi* Electori Bavariae petierit, proque determinando hoc negotio ex mutuo *Partium* conſenſu vicisſim Regios deſideravit *Plenipotentiarios*: tali videlicet Altememorata *Sacra* Regia Maieſtas *Poloniae* cognita ſuae *Serenitatis* Electoralis voluntate, ac propenſo, & enixo in Regiam ſuam Domum ſtudio, in primis ſponta-neo ſuo *Paterno* beneplacito, poſt acce-



ANNO 1694.

ANNO 1694. dente Materno Serenisſimae Reginae conſenſu, ac etiam cum praeſcitu, & libera voluntate Serenisſimae Principis Virginis Filiae Suae, grata habet vota, & deſideria Serenisſimi Electoris Bavariae, Matrimoniumque petitum iuxta ritum Sacrae Romanae Eccleſiae peragendum concedit, & permittit, ac Plenipotentiarios ſuos ad id ipſum concludendum deſignavit Reverendisſimum, Illuſtrisſimos, Excellentisſimos Magnificos Dominos Andream Chriſtophorum in Załuſkie, Bledow, & Kozietuly Załuſki Epiſcopum Plocenſem, Staniſlaum in Ducatu Oſtrogienſi Lachowce, & Jablonow Jablonowſki Caſtellanum Cracovienſem ſupremum Exercituum Regni Ducem, Felicem in Podhayce, Sedziſzow, & Poryck Potocki Palatinum Cracovienſem Copiarum Regni Campiducem, Marcum in Wareż, & Michrow Matczynſki, Palatinum, & Generalem Terrarum Ruſſiae, Bełzenſem, Rubieſzovienſem, & Braclavienſem Gubernatorem, Franciſcum in Nocielsk Weſſel, Palatinum & Generalem Terrarum Maſoviæ, Supremum Sacræ Maieſtatis Reginalis Mareſchalcum, Gubernatorem Rozanenſem, & Makovienſem, Martinum Borowski Caſtellanum Gedanenſem, Graudentinenſem Gubernatorem, Chriſtophorum in Oſala, Mihalcże, Habdank, Skarbek Caſtellanum Hallicienſem, Nicolaum a Wyzyce in Słuzewiec, & Zabiniec Wyzycki Secretarium Regni Supremum, Abbatem Czervenenſem, Præpoſitum Motovienſem, Staniſlaum Szczucin, & Razym Szczuka Referendarium Regni, Lublinenſem, & Varecenſem Gubernatorem. Igitur inter modo dictos Regios, & ſupra nominatum Electoralem, Plenipotentiarios, facta prius Mandatorum, ſeu Plenipotentiarum permutatione, quod felix lætumque ſit toti Reipublicæ Chriſtianæ, ad gloriam Omnipotentis Dei, pro decore, & commodo utriusque Sereniſſimæ Domus, pro bono, & immortalitate Sereniſſimæ Reipublicæ Poloniæ, firmandisque in eius uſum, quam pluribus amicitiis, tum eſt in ſubſequentes concluſi Tractatus Matrimonialis Conditiones, & Articulos.

I.

Sereniſſima Regia Maieſtas Poloniae Iuri Divino, ac naturali, amorique ſuo ſingulari erga Sereniſſimam Filiam unicam ſatisfaciendo vigore ſuae Paternae, ac legum Regni Authoritatis, Dotem de omnibus ſuis Bonis mobilibus, & immobilibus conſtituit, et aſſignat praeter mundum muliebrem, et ſupellectilem mobilem ſummam videlicet quingentorum millium Talerorum Imperialium in ſpecie, eamque praedictae ſuae Serenitati Electorali Bavariae poſt Conſummationem Matrimonii, actualemque cohabitationem realiter enumerandam, et tradendam declarat, relicta materna ſucceſſione poſt fata ſera, & longiſſima Sereniſſimae Reginae Matris, iuxta leges Patrias obſervanda, ſi interea ſuper ea particularis Conventio fieri non poſſit, acceptis tamen ad rationem eiuſdem rationis maternae gemmis, clenodiiſque, quae Inventario Authentico in utramque partem conſcripto ſpecificantur, vigore cuius conſtitutae, et levandae Dotis Sereniſſima Princeps Filia, ſtatim poſt celebratum, et benedictum Matrimonium, antequam de laribus ſuis egrediatur, ſolennem coram Actis Metrices Regni faciet abrenuntiationem iuxta morem, et ſtatuta Regni Poloniae, de omnibus generaliter habitis, et habendis Paternis, Avialibus, ac quibuſvis ſucceſſivis Bonis de linea Paterna Collaterali, et Avialiv venientibus, tam mobilibus, quam immobilibus, in rem, et favorem Sereniſſimae Domus ſuae, Sereniſſimus vero Elector eandem abrenuntiationem poſt conſummatum Matrimonium ſeorſivo ſcripto ſuo, ſeu Diplomate ratam habebit, et approbabit. ANNO 1694.

II.

Sereniſſimus Princeps Elector Bavariae ſummam hanc Dotalem quingentorum millium Talerorum Imperialium, tum et aliam in Contradotem ſimilem quingentorum millium Imperialium, in ſpecie ſummas utraſque iunctas, millionem unum Talerorum Imperialium in ſpecie Sereniſſimae Sponſae ſuae futurae, in Bonis ſuis liberis, et mundis ab omnibus, quocunque titulo oneribus, nominatim ſuper Arce, et Civitate Vaſſerburgenſi, tum Dynaſtiis, Crayburgi, et Neumark, nec non ſuper Comitatu Merigenſi inſcribit, eademque Iure Hypothecae omni meliori modo, ſtilo, forma, et ſecuritate, eidem Sereniſſimae Neoſponſae obligat, cum omnibus reditibus, vectigalibus, caeteriſque univerſis attinentiis, et pertinentiis, excepta Iuriſdictione alta, ſeu ſuperiore, et Provinciali. Quodſi praenominata bona ſummis praefatis, ac proventui ex illis annuo quinquaginta millium Imperialium Sereniſſimae futurae Sponſae pendendo non ſuffecerint, ex tunc alia omnia bona ſua, et reditus in univerſum omnes, eorumque adminiſtratores, et ſubditos in his comprehenſos ita obligat, ac vult eſſe obligatos, ut non tantum ipſi obediant, ſed omne ipſius commodum, prout erga Ipſum et Se-

ANNO 1694. Sereniſſimum Electorem, promovere teneantur. Quo vero efficacius ſufficientia, & proventus Bonorum ſciri valeat, Sereniſſimus Elector permittit Commiſſario Regio, ex beneplacito *R*egis mittendo eorundem Luſtrationem, ac Reviſionem, poſt quam, ſi fuerit demonſtrata inſufficientia, vel alia totaliter bona, vel his addita, æque per Commiſſarium luſtrata, realiterque probata efficere quinquaginta millia Talerorum Imperialium annui reditus, eodem Iure Hypothecæ obligabit, et ſignabit ſeorſivo ſuo *D*iplomate in forma Iuris plena.

III.

Circa eorundem quoque Bonorum Aſſecurationem Sereniſſimus Elector Donum nuptiale pro ſuo affectu Sponſae ſuae pollicetur, cuius exprimendam quantitatem Sacra Regia Maieſtas proprii arbitrii, ac Generoſitatis Sereniſſimi Electoris eſſe voluit, vult, ac eidem confidit.

IV.

Si ex Divinae voluntatis diſpoſitione Sereniſſima Sponſa praevixerit Sereniſſimum ſuum Coniugem, deveneritque ad luctuoſum ſtatum vidualem, quem divina bonitas longum avertat, eo caſu, ſive liberi adſint, ſive non, extradetur Viduae *S*umma in *D*otem aſſignata, et numerata quingentorum millium Talerorum Imperialium in ſpecie, una cum veſtibus, gemmis, pecuniis, argento, mundo muliebri, cæterisque mobilibus tam ſecum adductis, quam ſtante Matrimonio acquiſitis, ac comparatis. Nihilominus, quo ſtatui ipſius viduali competenter proviſum ſit, Serenisſima Vidua praeter uſum fructum annuum, videlicet praeter Summam viginti quinque millium Talerorum Imperialium in ſpecie a Summa Contradotis provenientem, ſibi ad vitae ſuae tempora, tam intra, quam extra Bavariam degenti ſervientem, aliam *S*ummam, nempe quinque millium Talerorum Imperialium in ſpecie, quam diu in ſtatu viduali permanſerit, ſive ſit futura, ſive non Proles, *S*ummas utrasque iunctas ad vitalitiam, ſive Contradotis nomine viginti quinque millium, vidualem vero quinque millium, efficientes triginta millium Talerorum Imperialium in ſpecie, ex Bonis ſibi hypothecatis, et inſcriptis, ſive hypothecandis, et inſcribendis (ut ſupra inſinuatum eſt) per ſuos Adminiſtratores praevio omnium, et ſingulorum inibidem Officialium Serenisſimae Principi Viduae fidelitatis Iuramento praeſtando, realiter percipiet, et levabit, in quo Haeredes, et Succeſſores ſuos Serenisſimus Elector obligat, ac vult eſſe obligatos ſemper, et taliter, ut caſu quo Bona praefata proventum annuum ſupradictum extradere non ſufficiant, ipſi ſint adſtricti, teneanturque continuo deficientes Summas complere, et providere. Pro eodem quoque ſtatu viduali Reſidentia aſſignatur in Civitate Waſſerburgenſi, ubi Haeredes, et Succeſſores Serenisſimi Electoris illum locum pro ſufficienti, ac commoda ſua, Aulaeque ſuae, ac Domeſticorum habitatione conſtrui, adornari, atque omnia neceſſaria de argento, vaſis, tapetibus, et omnis generis mobilibus provideri curabunt, eademque mobilia omnia proprietarie ad Viduam, eiusque Succeſſores poſtmodum ſpectare debebunt. Iam vero ſtante ſuo utinam quam longiſſimo ſtatu matrimoniali Serenisſimus Elector Sereniſſimae Principi *S*ponſae Suae de omni honeſta, inſigni, atque tanta Principe digna, tam perſonae ſuae, quam domeſticorum, ſervitorum, totiusque Aulæ ſuæ ſuſtentatione, aliarumque extra hanc neceſſitatum occurrentium ſufficienti, & decora proviſione omni meliori modo, & favore proſpiciet, ac providebit. ANNO 1694.

V.

Si vero voluntate ſuprema prius Serenisſimam Coniugem, quam Serenisſimum Maritum de hac vita (quod ſimiter Divina Bonitas longum avertere velit) decedere contigerit: eo caſu Liberi, qui de benedictione divina ſperantur, totius Sereniſſimæ Matris ſuæ ſubſtantiæ, in Poteſtate Parentis ad vitam relictæ hæredes erunt: Ubi vero nulla ſuperſtes erit proles, ſæpe fata Dos quingentorum millium Imperialium in uſu fructu, & poteſtate Sereniſſimi Electoris, quousque vixerit, permanebit, fatis vero illius ſero & longe ſuccedentibus eadem Dos, extincta Contradote, ad Succeſſores Sereniſſimae Principis Sponſae integre, & realiter cum omnibus gemmis, clenodiis mobilibus, de domo ſua acceptis, caeteraque aucta, ſive quaeſita per Sereniſſimam Sponſam mobili, vel immobili ſubſtantia redire debebit, ita, ut ſemper, & omni ſterilitatis caſu obſervetur Jus commune; Dos unde exiit, illuc redire debet.

VI.

Succedente vero (quod Deus omnipotens avertat) praematuro alterutrius Sponſorum fato ante conſummationem huius Matrimonii, praeſens contractus nullam Partem obligatam facit, omnique nexu pars alterutra exolvitur. Taliter itaque praeſentem Contractum Matrimonialem concluſum, & conſcriptum tam Sereniſſimus ac Potentiſſimus Rex Poloniae JOANNES III. cum ſuis Succeſſoribus, & Haeredibus, quam Sereniſſimus Elector Bavariae MAXIMILIANUS EMANUEL ſimiliter cum Suis Succeſſoribus, & Haeredi-

ANNO 1694. redibus obligant se, ac promittunt omni meliori modo, fide, ac stipulatione, in omnibus punctis, clausulis, conditionibus, articulis, nexibus, & ligamentis tam in toto, quam in parte firmiter, ac inviolabiliter manutenturos & conservaturos; ac insuper Serenissimus Elector obligat se daturum, quam primum praesens Contractus ad manus suas pervenerit, approbatorium eiusdem Contractus Diploma, tum & supra nominatam approbationem factae abrenuntiationis *Sereniſſimae Sponsae Suae*, consignaturumque utraque hæc scripta in manus ad id a *Sacra* Regia Maiestate deputatis. In cuius rei fidem, testimonium, ac robur duo in omnibus, & per omnia concordantia confecta sunt instrumenta, manibusque Plenipotentiariorum intro contentorum subscripta, & sigillis eorundem communita cuilibet partium contrahenti extradita. Actum in Civitate, et Arce Regia haereditaria Zołkievienſi in Russia die decima nona Mensis Maii Anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto.

*Andreas Christophorus Załuski Episcopus Plocensis.* *Marcus Bar. de Mayr.*
*Stanislaus Jo. in Ducatu Ostrogiensi Jablonowski Castellanus Cracoviensis, Exercituum Regni Polon. Dux Supremus.*
*Felicianus Potocki Palatinus Cracoviensis Campiductor Regni.*
*Marcus Matczynski Palatinus & Generalis Terrarum Russiæ.*
*Franciscus Wessel Palatinus Generalis Ducatus Masoviæ.*
*Martinus Borowski Castellanus Gedanensis.*
*Christophorus Skarbek Castellanus Halicienſis.*
*Nicolaus Wyzycki Supremus Regni Secretarius Abb. Cervens.*
*Staniſlaus Szczuka Referendarius Regni.*

Et quandoquidem praecedenti Paragrapho ultimo inter alia stipulatum fuit, quod dicta Pacta Dotalia, quam primum ad manus nostras pervenerint, a nobis approbari, et ratificari debeant, hinc est, quod partibus nostris satisfacturi, dicta Pacta Dotalia in omnibus suis articulis ac conditionibus, prout superius de verbo ad verbum inserta sunt, tam in toto quam in parte approbaverimus, ac rata habuerimus, prout vigore huius nostri Diplomatis, ea plenarie approbamus, ac rati habemus, Nos Hæredes, ac Successores nostros, ac quoscunque alios interesse habentes in verbo Principis obligantes, Nos pro Parte nostra non solum modo ea omnia sincere, fideliter, ac inviolabiliter observaturos, ac Consiliariis Electoralibus nostris, ut eadem fiant, nec uni, vel pluribus ex supradictis Capitulis ullam ob causam, rationem, seu praetextum ullo unquam tempore contraveniatur, mandaturos. In fidem, et testimonium hoc praesens ratificationis instrumentum propria manu nostra subsignavimus, nec non Sigillo nostro Electorali communiri fecimus. Actum Bruxellis decima nona Junii, Anno Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto. ANNO 1694.

M. EMANUEL *Elector.*

## XVIII.

MAXIMILIANI EMMANUELIS *Recognitio, quod Dotem integram quingentorum millium Talerorum sibi exolutam acceperit.* Actum Bruxellis die 1. Febr. Anno 1696. *Ex Originali.* 1696.

NOS MAXIMILIANUS EMMANUEL Dei Gratia utriusque Bavariæ, ac Superioris Palatinatus Dux, Comes Palatinus Rheni, Sacri Romani Imperii Archidapifer, & Elector, Landgravius in Leichtenberg, Gubernator Belgii. Notum facimus hisce, ac attestamur. Cum *Sereniſſimus*, ac *Potentiſſimus* Princeps Dominus JOANNES III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kiioviæ, Wolhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czernichoviæque &c. Post ratihabitum Matrimonium inter Sereniſſimam Principem Dominam, THERESIAM CUNEGUNDAM CAROLINAM CASIMIRAM MARIAM Regiæ suæ Maiestatis Filiam Unigenitam, & Nos MAXIMILIANUM EMMANUELEM Electorem per specialem Conventionem super Pactis Dotalibus Nobiscum initam, pro sorte paterna, quingenta millia Talerorum in specie Sereniſſimæ Sponsæ nostræ in Dotem constituerit, eaque prima post consummatum Matrimonium die Antverpiæ solvi curaturum sese obligaverit.

Quod in satisfactionem huius factæ promissionis imprimis disponente Illustrisſimo ac Reverendisſimo Domino Andrea de Załuski Episcopo Plocensi die 10. Januarii, Anni nuper elapsi millesimi sexcentesimi nonagesimi quinti ducenta quinquaginta quinque millia Talerorum Hispanicorum, seu Burgundicorum Cruce signatorum, interim prima Februarii per eandem dispositionem decem millia memora-

Anno 1696. moratorum Talerorum, ac denuo 16. Novembris dicti milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi quinti Anni, ad negotiationem Billiotii, & Sardii Collybiſtæ, ſeu vulgo Cambiſtæ Amſtelodamen. centum, & ſexaginta millia præfatorum Talerorum, ſingulæ vero ſummæ Nobis per Conſiliarium, & Theſaurarium noſtrum Joannem Paulum Bombarda ſolutæ, & Reſiduum Dotis per Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Dominum Nicolaum Staniſlaum in Swiencicki nominatum Epiſcopum Kiiovienſem, & Czernikovienſem, Abbatem Fremenſem, Decanum Poſnanienſem, in duobus terminis, nimirum trigeſima Octobris triginta millia, & trigeſima Januarii huius currentis Anni quadraginta quinque millia Talerorum Burgundicorum ad Theſaurum noſtrum tradita, perindeque integra ſumma quingentorum millium Talerorum realiter numerata, & omnimode ſatisfacta fuerit.

Quietantes deſuper Regiam ſuam Maieſtatem, aut eos, qui quietaſſe indigent, ſuper iuſta ſolutione ſæpe fatæ ſummæ quingentorum millium Talerorum in ſpecie, eamque ab omni ulteriori petitione, & prætenſione, quæ occaſione huius Dotis omni modo, & via evenire, Nobisque competere poſſet, abſolventes, & liberantes, quemadmodum vigore præſentis huius noſtræ Confeſſionis, & reſpective Quietationis abſolvimus, liberamus pro Nobis Hæredibus, & Succeſſoribus noſtris omni meliori Juris forma, qua illud unquam fieri deberet, ac poſſet, renuntiando exceptioni non numeratæ, Dotis, aut non habitæ, vel non receptæ plenæ, & integræ ſolutionis, omnique alii defenſioni, favorique Juris, ac Legum auxilio, quæ Nobis hac in occaſione, vel de præſenti, vel de futuro ſuffragari poſſent. Verbo Principis promittentes, Nos huic noſtræ Declarationi, & reſpective Quietationi perpetuo, & conſtanter inhæſuros, neque permiſſuros, ut per quemquam alium noſtri cauſa iisdem vel Jure, vel facto contraveniatur.

Quodſi etiam ulteriori, & maiori quietatione, quam in præſenti Inſtrumento continetur, opus eſſet, Nos eandem pari modo, ac ſi diſtinctis Verbis, ac cum omnibus, ac cuiuscunque conſvetudinis clauſulis inſerta fuiſſet, eidem annexam eſſe volumus. In quorum fidem Nos præſens Inſtrumentum propria manu ſignavimus, & conſveto noſtro Electorali Sigillo muniri iuſſimus. Actum Bruxellis prima Februari Anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſexto.

Emmanuel *Elector*

# MARCHIA BRANDEBURGENSIS.

Anno 1471.

## I.

*Literæ* Friderici *Imperatoris ad* Casimirum *Regem Poloniæ, quibus eum orat, ut* Friderico *Electori Brandeburgenſi, cui in contumaciam* Erickonis, *&* Vratislai *Ducum, Ducatus Pomeraniæ (Regibus, & Regno Poloniæ obnoxios) in Feudum contulit, favere velit, nec eum per ſubditos ſuos in dictis Dominiis turbari permittat.* Datum in Oppido Grecz die 9. Januarii Anno 1471. *Ex Archivo Regni Lib. 5. ſub Lit. E. Num. 6. fol. 2.*

Fridericus divina favente Clementia Rom. Imperator, ſemper Auguſtus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, ac Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, & Carniolæ Dux, Comesque Tyrolis, &c. Serenisſimo Principi Casimiro Poloniæ Regi, ac Litvaniæ Duci &c. Fratri, & Affini noſtro cariſſimo ſalutem, & fraterni amoris continuum incrementum.

Serenisſime Princeps Frater, & Affinis noſter cariſſime. Orta dudum inter Illuſtrem Fridericum Marchionem Brandeburgenſem, Principem, & Conſangvineum noſtrum cariſſimum ex una, & Erickonem, ac Vratislaum Duces in Vulgat, & Parth Stetinenſis, Pomeraniæ, Kaſzuborum, & Sclavorum Ducatibus, nec non Principatu Rugenſi, & eorum occaſione partibus ex altera materia quæſtionis, cauſaque huiusmodi coram Imperialis noſtræ Cameræ iudicio legitime introducta, eisdem Partibus terminum peremptorium competentem ad informandum Nos de ipſorum Juribus præfiximus. Quo quidem termino adveniente comparuit perſonaliter coram Nobis Illuſtris Albertus Marchio Brandeburgenſis S. R. Imperii Archicamerarius, Stetinenſis, Pomeraniæ, Kaſſuborum, & Sclavorum Dux, Princeps Elector, & Nepos noſter cariſſimus, cui præfatus Marchio Fridericus Germanus ſuus Marchiam Brandeburgenſem cum Officio, & dignitate annexa, nec non dictos Ducatus, & Principatum cum omnibus aliis Dominiis, Diſtrictibus, Terris, & Juribus ſuis ceſſit, & reſignavit, & ſibi præfatam Marchiam Brandeburgenſem,

ANNO 1471. ac dictos Ducatus, & Principatum cum aliis eorum Dominiis, *Di*ſtrictibus, Terris, & Juribus ſuis ex dicta reſignatione ad ſe pertinentibus, ac a Nobis, & *S*acro Romano Imperio in feudum dependentibus, in præfatorum ERICKONIS, & VRATISLAI Ducum ad hoc citatorum, & ultra debitum diutius expectatorum contumaciam, ad Jus ſibi competens cum omni Jure ad Nos, uti Romanorum Imp. devoluto, in Feudum conferri, & aſſignari, ſeque præſtito debitæ fidelitatis iuramento, ac ſervatis, ſervandis infeudari, & inveſtiri obtinuit de eisdem, & quia preces noſtras de ſolita veſtræ Fraternitatis manſvetudine confiſi, illi ſperamus admodum profuturas, quare eandem fraternitatem veſtram magnopere rogamus, & petimus, quatenus eidem noſtro Principi, & Electori, cui ob præſtita per eum, & *P*rogenitores eius Nobis, & *S*acro Romano Imperio obſequia admodum afficimur, in ſuis agendis, pro quibus eum forſan veſtram *S*erenitatem pro tempore impulſare contigerit, favoris impertire dignetur promotiones, nec pati eum velit aliquatenus per veſtræ *S*erenitatis ſubditos in dictis ſuis Dominiis, & Confinibus turbari, verum adeo cum noſtri contemplatione commendatum ſuſcipere, ut hanc noſtram commendationem ſibi apud veſtram *S*erenitatem uſui fuiſſe liquido ſentiat. Quae res Celſitudini noſtrae a veſtra *S*erenitate pergratisſima obtinget, reciprocis meritis proſequenda. Dat. in Oppido noſtro Grecz die nona Menſis Januarii Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo primo Regnorum noſtrorum Romani triceſimo primo, Imperii decimo nono, Hungariae vero duodecimo.

II.

1473. ALBERTUS *Marchio Brandenburgenſis, & Elector conſtituit cum Oratoribus* CASIMIRI *Regis Poloniæ locum, & tempus ad contrahendum Matrimonium inter* FRIDERICUM *Filium ſuum, &* SOPHIAM *Regis Poloniæ Filiam.* Datum in Caſtro Cadoltzburg 7. Decembris Anno 1473. *Ex Originali.*

ALBERTUS Dei Gratia Marchio Brandenburgenſis, Sacri Romani Imperii Archicamerarius, Princeps Elector, Stetinenſis, Pomeraniae, Caſſubiorum, ac Slavorum Dux, Burgravius Nürenbergenſis, & Rügiae Princeps. Significamus tenore Praeſentium Univerſis quibus expedit, harum notitiam habituris. Quod quemadmodum Nos Sereniſſimum Principem Dominum CASIMIRUM Regem Poloniae, Magnum Ducem Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Dominum, & Haeredem, Dominum & Fratrem Noſtrum chariſſimum per noſtros notabiles, & praeſertim Reverendum Patrem Dominum Fridericum Epiſcopum Lubucenſem, Cancellarium noſtrum, & alios Oratores, & Nuntios poſtulamus, & affectamus, ut Serenitas Sua Illuſtriſſimam Principem Virginem SOPHIAM natam Serenitatis Suae Illuſtri Principi Domino FRIDERICO Marchioni Brandenburgi &c. nato noſtro in Coniugem dare dignaretur, & id ipſum a Suae Serenitatis Oratoribus, & Conſiliariis, Generoſo, & Venerabili Paulo de Jaſyeneytz Capitaneo Belſenſi, Chelmenſi, & Curiae Regalis Marſalco, & *S*taniſlao de Kurozwanki Canonico Cracovienſi, Vladiſlavienſi, & Snpremo Regiae Maieſtatis Secretario ſpecialiter, perſonaliter, & noſtrae vocis compoſtulavimus oraculo. Qui utpote Oratores, Nuntii, & in hac re ſufficienti fulti Mandato Procuratores, prout hoc latius Mandatum noſtrum exprimit, & oſtendit, quod in praeſentia noſtra repraeſentaverunt, & Nobis dederunt, & reliquerunt nomine praefati Sereniſſimi Domini, ac Fratris noſtri Regis Poloniae Nobis dixerunt, & ſolemniter promiſerunt praefatam Illuſtriſſimam Principem Virginem SOPHIAM copulari debere praefato Principi FRIDERICO Marchioni, Nato noſtro pro tempore condictando, pro die & Dominica *Lætare* proxime futura in oppido Regni Poloniae dicto *Miedzyrzecz*, in quo loco, & pro eodem tempore de die, & tempore Nuptus, & Copulationis, Dotisque, & Dotalitii, ac etiam de Inſcriptionibus, Unionibus, Confœderationibus &c. inter Regnum, Terras, & Dominia praefati Domini Regis Poloniae, Ducatusque, & Dominia Marchionatus, cæterorumq; Principatuum noſtrorum, et de aliis omnibus, quae circa talia dicenda, tractanda, et concludenda eſſe debent, et ſunt conſveta, concludere debent, et determinare, inſcribereque, et conſummare. Quamquidem promiſſionem per eosdem Oratores, et Procuratores praefatos, ut praemittitur factam, in omnibus ſuis punctis, et clauſulis Nos acceptavimus, ac gratam, atque ratam habuimus, et acceptamus, gratam, atque ratam habemus per praeſentes, et viciſſim ipſis utpote Oratoribus, ac Procuratoribus Sereniſſimi Domini, et Fratris noſtri Regis Poloniae, nomi-

ANNO 1473.

ANNO 1473. nomine Serenitatis ſuae Regiae diximus, promiſimus, praeſentibusque dicimus, et ſolenniter promittimus, praefatum Illuſtrem Principem Natum noſtrum Dominum FRIDERICUM Marchionem Brandeburgenſem copulari debere praefatae Illuſtriſſimae Principi Virgini SOPHIÆ, Natae Sereniſſimi Domini Regis praedicti, pro tempore condictando, pro die et Dominica *Lætare* proxime futura, in Oppido *Miedzyrzecz*, in quo loco, et pro eodem tempore de die, et tempore, Nuptiis, et Copulationis, Dotisque, et Dotalitii, ac etiam de Inſcriptionibus, Unionibus, et Confœderationibus etc. inter Regnum, Dominia, et Terras Sereniſſimi Domini Regis Poloniae, Ducatusque, et Dominia Marchionatus, caeterorumque Principatuum noſtrorum, et de aliis omnibus, quae circa talia dicenda, tractanda, et concludenda eſſe debent, et ſunt conſveta, concludere debent, et determinare, inſcribereque, et conſummare. Quam quidem promiſſionem per Nos, ut praemittitur, factam, in omnibus ſuis punctis, et clauſulis praedicti Oratores, et Procuratores nomine Regis acceptaverunt, et gratam, atque ratam habuerunt. In cuius rei teſtimonium, et evidentiam Sigillum noſtrum praeſentibus fecimus ſubappendi. Datum in Caſtro noſtro Cadoltzburg, ſeptima Menſis Decembris, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo tertio.

III.

1474. *Mandatum* CASIMIRI *Regis Poloniæ ad faciendum Contractum Matrimonii inter Filiam ſuam* SOPHIAM, *&* FRIDERICUM ALBERTI *Marchionis, & Electoris Brandeburgenſis Filium.* Dat. in Radom Sabbatho ante Circumciſionem Domini. Anno 1474. *Ex Archivo Regni Lib. ſub Lit. E. No. 6. Fol. 192.*

CASIMIRUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiaeque Dominus, et Haeres. etc. Significamus tenore praeſentium quibus expedit Univerſis. Quod cum Illuſtriſſimi Principes Domini ALBERTUS Sacri Romani Imperii Archicamerarius, et Elector, Marchioque Brandenburgenſis, Stetinenſis etc. Burgrabius Norimbergenſis, Princepsq: Rugiae, et FRIDERICUS natus ſuus, Fratres noſtri chariſſimi gerant in deſideriis, et affectu, ſingularis amicitiae, et affinitatis conglutinationem Nobiſcum inire, et ingredi, ex Contractu Matrimonii inter Illuſtriſſimam Natam noſtram SOPHIAM cariſſimam ſecundogenitam, et praefatum Dominum FRIDERICUM eiusdem Domini Marchionis Natum, Nos conſiderato dictorum Principum tali affectu, Nobiſcum in ſtrictiori, quam caeteri, amicitiae, et affinitatis vinculo convivere volentium, quamque nullo Pacto repudiandam, et ſpernendam eſſe cenſuimus, matura intra Nos deliberatione praehabita, et ſano Praelatorum, et Baronum noſtrorum ad id accedente conſilio Reverendum in Chriſto Patrem Andream Epiſcopum Poſnanienſem, et Magnificos Staniſlaum Palatinum Caliſienſem, Joannem Poſnanienſem, et Dobrogoſt de Oſtrorog Gneſnenſem, Caſtellanos, Conſiliarios noſtros ſincere dilectos, quorum Nobis cognita eſt legalitas, et in rebus agendis peritia, omnibus melioribus modo, via, iure, ſtilo, forma, cauſa, et Ordine, quibus melius, et efficacius potuimus, et valuimus, poſſumusque, et valemus, de certa noſtra ſcientia in Oratores noſtros, negotiorumque noſtrorum geſtores, factores, expeditores, nuntiosque ſpeciales, et generales, cum pleno, amplo, libero, et ſufficienti Mandato nominavimus, deputavimns, inſtituimus, et praefecimus, nominamusque, deputamus, inſtituimus, ad conveniendum pro die S. Georgii proximo in Oppido *Pnievy* cum Nuntiis, et Oratoribus praedictorum Dominorum Principum ALBERTI Marchionis Brandeburgenſis etc. et Nati ſui FRIDERICI, cum eisdemque de Matrimonio inter Principes praedictos SOPHIAM Natam noſtram, et FRIDERICUM, nec non de Dote, et Dotalitio, Matrimonium huiusmodi concernentia tractandi, illud quoque, et illa concludendi, et firmandi, ſolidandi, et reformandi, literasque neceſſarias ſuper concluſis, firmatis, et ſolidatis, petendi, aliaque omnia, et ſingula faciendi, dicendi, agendi, et terminandi, quæ in præmiſſis, et eorum quomodolibet videbuntur fore neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna, etiamſi talia forent, quae Mandatum ſpecialius requirerent, quam praeſentibus ſit expreſſum. Promittentes Nos CASIMIRUS Rex praefatus omnia, et ſingula, quae dicti Oratores noſtri nomine noſtro circa concluſionem Matrimonii praefati, Dotisque et *D*otalitii huiusmodi Reformationem, ac caetera omnia, et ſingula praemiſſa concluſerint, fecerint, ordinaverint, et firmaverint, rata, grata, firma, et inviolabilia tenere, et obſervare. *Da*tum in Radom, Sabbatho ante Circum-

ANNO 1474.

ANNO 1475. cisionem *D*omini. Anno eiusdem millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto.

## IV.

*Pacta Matrimonialia & Dotalia inter* FRIDERICUM *Marchionem Brandeburgensem* ALBERTI *Electoris Brandeburgensis Filium, &* SOPHIAM CASIMIRI *Regis Poloniæ Filiam.* Actum & Datum Posnaniæ Dominica proxima ante Festum S. Hedvigis. Anno 1475. *Ex Originali. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. 5. num. 6. fol 207.*

CASIMIRUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæque Dominus, & Hæres. ALBERTUS eadem gratia Marchio Brandeburgensis Sacri Romani Imperii Archicamerarius, Princeps, & Elector, Stetinensis, Pomeraniæ, Sclavorum, & Cassuborum Dux, Burgrabius Nurembergensis, ac Rugiæ, Princeps. Significamus tenore Præsentium quibus expedit universis. Quomodo volentes pro laude Omnipotentis Dei, amicitiæ, amorisque vinculum inter Nos, Anteceſſoresque nostros diutius tentum, & servatum amplius firmiusque conservare, & roborare, Matrimonium inter Illustrissimam Principem, & Virginem SOPHIAM nostri Regis præfati Filiam, & Illustrissimum Principem Dominum FRIDERICUM Marchionem Brandeburgensem, Stetinensem, Pomeraniæ, & *S*clavorum, Cassuborum Ducem, Burgrabium Norimbergensem, ac Rugiæ Principem, nostri ALBERTI Marchionis Filium &c. sub Articulis inferius descriptis concluſimus. Inprimis quod videlicet Serenissima Princeps, & Virgo SOPHIA nostri Regis Filia, & Præclarissimus Princeps Dominus FRIDERICUS Marchio, nostri ALBERTI Marchionis Filius, mutuo, & pariter Matrimonium in forma, & facie Ecclesiæ contrahent, & Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo nono pro Dominica Festi Purificationis Sanctæ Mariæ Virginis proxima sequente, sæpe dicta Princeps, & Virgo SOPHIA nostri *R*egis Filia, in vestitu, & elenodiis *R*egalibus iuxta statum ipsius ornata, præfato *D*omino FRIDERICO nostri ALBERTI Marchionis Filio ibi personaliter in Posnania præsenti, in Castro nostro Posnanensi præsentetur, ac eodem die iuxta *R*itum Ecclesiæ per *S*olennitates nuptiales, & thori coniunctionem ipsum Matrimonium, prout decet Principes, expensis nostris Regiis ibidem consummetur. Item quod Nos Rex præfatus prædicto Illustrissimo Marchioni FRIDERICO nostri ALBERTI Marchionis Filio triginta duo millia florenorum Hungaricalium boni auri & ponderis, ratione Dotis, cum præfata Filia nostra pro annis, & temporibus infrascriptis dare, exolvere, ac reponere tenebimur, & debemus, ac in verbo nostro Regio addicimus, & promittimus harum vigore Literarum. Ita tamen, quod solutio præfatorum florenorum quinque annis proximis, & immediate se sequentibus post copulæ, & Nuptiarum per ipsos Filiam, & Filium nostros consummatarum, absque prorogatione, & impedimento per Nos Regem, aut, quod Deus avertat, si medio moreremur, per nostros Hæredes, qui extunc in vita essent, fieri debet, & nominatim quolibet anno sex millia florenorum Hungaricalium, pro quinto vero anno, & ultima rata octo millia usque ad impletionem, & solutionem prænominatæ Summæ triginta duorum millium dare in Castro Miedzyrzecz, pro Festo Nativitatis Christi, nostris expensis, damnis, ac periculis præsentare Nuntiis Domini FRIDERICI præfati, quibus etiam Nos *R*ex præfatus debemus, tenebimurque dare *S*alvum Conductum usque ad Regni nostri Poloniæ metas, & Marchionatus Confinia, ipsique Nuntii præfati tenebuntur Quittantias sub Sigillo Domini præfati FRIDERICI Marchionis dare, ipsis nostris Regiis Nuntiis, de, & super summis per ipsos receptis. Pro ultima vero rata, pro qua per Nos Regem octo millia solvi debent, tenebimur Nos ALBERTUS, & FRIDERICUS Marchiones præfati unam Quittantiam Solutionis omnium summarum, videlicet triginta duorum millium florenorum Dotis continentem, ibidem in Miedzyrzecz in manibus nostri Regis Nuntiorum, qui ipsam ultimæ ratæ solutionem facient, dare, & reponere sub nostris Sigillis. Nos quoque ALBERTUS Marchio præfatus, in recompensam Dotis præfato Principi *D*omino FRIDERICO Marchioni Brandeburgensi Filio nostro, tot Terras, Dominia, Castra, Civitates, Oppida, Villas, & possessiones, quorum nomina volumus hic habere pro expressis, de quibus triginta millia floren. Hungaricalium annui census singulis Annis valeant provenire, cum omnibus, & singulis eorum Omagiis, Omagialibus, Feudis, Feudalibus, Vasallis, Servitiis, Terrigenis,

ANNO 1475.

ANNO 1475. nis, Nobilibus, & Incolis, nec non Juribus, & Jurisdictionibus, proprietatibus, subiectionibus, Dominiis, meris, & mixtis, cum censibus, teloneis, daciis, proventibus, obventionibus, attinentiis, & pertinentiis universis in sortem suam, & Hæreditatem per ipsum perpetuo hæreditarie, & absque quovis impedimento pacifice, et quiete regendas, tenendas, servandas, possidendas, & obtinendas debemus, tenemurque demonstrare, dare, inscribere, & assignare. Item in recompensam Dotis præfatorum triginta duorum millium florenorum Nos ALBERTUS, & FRIDERICUS Marchiones præfati dotamus, & donamus, alia triginta duo millia florenorum Hungaricalium boni auri, veri, & iusti ponderis ratione Dotalitii. Quam quidem Dotem, & Dotalitium videlicet sexaginta quatuor millium florenorum Hungaricalium præfatæ Sereniſſimæ Virgini SOPHIÆ, nostri Regis Filiæ in, & super Territoriis, Dominiis, Castris, Civitatibus, Oppidis, videlices Beyrut, Creusen, Berneck, Sivernitz, & Wungeses, ac Villis, possessionibusque ad eadem castra, et civitates, & oppida spectantibus, ac eorum pertinentiis, proprietatibus omnibus, & singulis, teloneis, daciis, granariis, nemoribus, iudiciis, & cum omnibus reditibus, censibus, usibus, pænis, Omagialibus, feudis, piscariis, foreſtis, sylvis, venationibus, aquis, Jurepatronatus, & collationibus dignitatum, tam Sæcularium, quam Spiritualium, Beneficiorumque Eccleſiasticorum cum cura, vel sine cura, & aliis attinentiis universis, nullis exceptis ostendimus, consignamus, deputamus, & appropriamus, harum vigore literarum, sic tamen quod semper a quindecim florenis Hungaricalibus Dotis, & Dotalitii præfatorum, Nuptiarum Donatione, quæ *Morgengab* vulgariter nuncupatur, supra, & infra descriptis, & describendis unum florenum Hungaricalem in censibus annuis singulis annis habeat, & habere possit. In quantum autem Castra, Civitates, & alia suprascripta minus in annuis censibus haberent, quam de sexaginta quatuor millibus florenor. Hungarical. & Summa ratione Nuptiarum vulgariter *Morgengab* præfata, adhuc per Nos ALBERTUM, & FRIDERICUM Marchiones, aliis Literis nostris inscribenda, iuxta taxam præfatam provenire possent, extunc Nos ALBERTUS, & FRIDERICUS præfati debemus, tenemur, & obligamur, alia Bona nostra, & possessiones, de quibus summa taxæ præfatæ exigi, prout præmissum est, possit, plene consummare, integre, & perfecte ostendere, dare, & assignare, inscribereque præfatæ Sereniſſimæ Principi Virgini SOPHIÆ nostri Regis Filiæ, & Nos CASIMIRUS Rex præfatus poterimus, & valebimus ad præfata Castra, Civitates, & Oppida, Terras, possessiones, & Dominia, ac Bona Oratores, & Nuntios nostros dirigere, & transmittere, prout Nobis placuerit, & visum fuerit, expedire. Deinde quod omnes Capitanei, Burgrabii, Officiales, & subditi dictorum Castrorum, Terrarum, Civitatum, Oppidorum, & Dominiorum, sicut præfertur, Sereniſſimæ Principi præfatæ Virgini SOPHIÆ nostri Regis natæ, pro victalitio, seu Dotalitio deputatorum, & deputandorum, assignatorum, & assignandorum, inscriptorum, & inscribendorum, qui nunc sunt, aut in futurum succedent, debent Sereniſſimæ Principi Virgini SOPHIÆ, aut suis Procuratoribus totiens, quotiens fuerit neceſſarium, & opportunum, Omagia præstare, & fidelitatis Juramenta, ipsam, aut ipsos Succeſſores in præfatis Dote, & Dotalitio, ac Donatione propter Nuptias, ac victalitio cum ad eam, vel eos legitima Succeſſione devoluta fuerint, manutenere, & defendere contra omnes, & singulos, qui eam, aut eos in his impedire niterentur. Item si nostri ALBERTI Marchionis Filius FRIDERICUS ante nostri Regis Filiam prætactam, postquam simul matrimonialiter condormierint, moreretur, extunc debet praefati nostri Regis Filia praenominata, Castra, Civitates, et *Do*minia cum praetactis eorum attinentiis, et tenutis, suppletione residuorum censuum recipere, possidere, ac uti, frui, absque tamen alienatione, tanto tempore, quo in vita est, et cum etiam moreretur, quod *D*eus avertat, debent nostri Regis Filiae, et nostri ALBERTI Marchionis Filii *D*os, *D*otalitium, et *D*onatio propter Nuptias apud ipsorum amborum liberos, ex corporibus eorum venientes, et quos ex Gratia *D*ei acquirerent, permanere. Si vero nostri Regis Filia FRIDERICUM Marchionem praemoreretur, et FRIDERICUS Marchio ipsam superviveret, et non haberent Liberos, ex corporibus eorum venientes, extunc debent illa triginta duo millia florenorum Hungaricalium, nostri Regis Filiæ Dos redire ad Nos CASIMIRUM Regem, aut Succeſſores nostros in Regno nostro Poloniæ, solutioque præfatorum duorum, & triginta millium florenorum in tot annis esse debet, in quot solutio Dotis facta est, videlicet in quinque annis, incipiendo mox, et statim post mortem ipsius Principis Virginis SOPHIÆ Filiæ nostri Regis CASIMIRI a Festo Nativitatis Christi proxime futuro,

ANNO 1475. ro, per quinque annos continue ſe ſequentes, quolibet anno per ſex millia florenorum Hungaricalium, ultimoque anno octo millia in loco, ubi eſt Dos ſoluta, & recepta eſt, usque ad præfatam triginta duorum millium florenorum ſummæ ſolutionem. Et ſi noſtri Regis Filia Marchionem FRIDERICUM noſtri ALBERTI Marchionis Filium ſuperviveret, ſive cum Liberis, aut absque Liberis, ex eorum corporibus venientibus, & quod noſtri Regis Filia ad ſecundas Nuptias convolaret, alium Conthoralem ſuperduceret, habent Hæredes FRIDERICI Marchionis quolibet anno ad unamquamq; diem Purificationis Sanctæ Mariæ Virginis, aut quatuordecim diebus ante, vel poſt, quocunque anno vellent, bonum Jus, facultatem, & poteſtatem eadem Caſtra, Civitates, & Dominia a noſtri Regis Filia prænominata pro prædicta ſumma ſexaginta quatuor millium florenorum Hungaricalium, Donationibusque Nuptiarum fienda, redimere, & liberare ſimiliter, & ſemel in toto, & non in parte, & quocunque anno ita redemtionem, vel liberationem facere vellent, quod eorum Literis pro Feſto Sancti Michaelis, aut octo diebus ante, vel poſt eis ſignificent, & per patentes ſuas Literas denuntient, & poſtea ad proximum diem Purificationis Sanctæ Mariæ Virginis, aut quatuordecim diebus ante, vel poſt, in præſcripta forma ab ea liberare. Cui exemptioni, & liberationi ipſa Regis noſtri Filia adverſari non debet, ita tamen quod extunc illa ſumma triginta duorum millium florenorum Hungaricalium, qui ſunt Dotalitium, & qui eſſe debent Donatio propter Nuptias, alias *Morgengab*, in Marchionatu Brandeburgenſi, aut Burgrabiatu Norimbergenſi, ſuper Caſtris, Dominiis, & Civitatibus, cenſibus, poſſeſſionibus, & Bonis, de ſcitu, & voluntate Hæredum FRIDERICI Marchionis, aut Succeſſorum eius ponantur, & ſi Emptio Bonorum pro præfatis ſummis, ſic ad præfatam Domum Marchionum Brandeburgenſium ſpectantem, in Marchionatu Brandeburgenſi, aut Burgrabiatu Norimbergenſi fieri non poterit, extunc ſummarum præfatarum repoſitio ſit de eorum ſcitu, et voluntate ad fideles manus, donec, ut ſupra fertur, exemptio, aut ſupraposſitio facta fuerit, aut donec praefata noſtri Regis Filia Haeredes Marchionis FRIDERICI ſufficienter contentos reddiderit, idonea praeſtita Cautione. Ita ut praetacti Hæredes Marchionis FRIDERICI, praenominatas Summas *D*otalitii, et *D*onationis propter Nuptias, alias *Morgengab* quaerere ſciant, aut conſequi poſt mortem noſtri Regis Filiae praenominatae poſſint, qua cautione facta, et certificatione poterit praefatis Summis *D*otalitii, et *D*onationis propter Nuptias pro ſuo uti, et converti beneplacito. Et ſi noſtri Regis Filia ſuperviveret FRIDERICUM Marchionem praefatum, quod in *D*ivina ſtat voluntate, ultra omnia, et ſingula praedicta noſtri Regis Filia debet conſequi omnia paraphernalia, veſtimenta, et alia, quae pro eius ſpectant corpore, clenodia etiam, et omnia vaſa, et utenſilia menſae, aurea, vel argentea dictae noſtri Regis Filiae, per Nos Regem Patrem, et FRIDERICUM Maritum eius ſibi data, aut alias quocunque modo donata, per quascunque perſonas, aut per ſe ipſam pro ſuo uſu, et honeſtate conquiſita, et comparata, etiam omnia lectiſternia, et lecti, in quibus ipſa cum FRIDERICO Conthorali ſuo dormire conſvevit, ac alias ad ipſius Principis, et Sereniſſimae *D*ucis SOPHIÆ Cameram, et Curiam ſpectantia, quae ad amborum uſum pertinuerint, et in his, et ſupra, pro ea deſignatis, et deſcriptis, debet eſſe contenta, et ab aliis diviſa, et ſeparata, nec aliquod Jus, ad alia quaecunque obtinere. Sin autem Marchio FRIDERICUS noſtri Regis Filiæ clenodiae, vaſa aurea, vel argentea, veſtes, vel alias res, paraphernalia, quae a Nobis Rege, aut Sereniſſima Principe *D*omina ELISABETH Regina Poloniae Coniuge noſtra chariſſima, aut alias quocunque modo ei venerint, pro uſu ſuo non niſi gravi incumbente neceſſitate, habere, aut diſtrahere vellet, illa prius, antequam de manibus eius recipiantur, taxari per taxatores utriusque partis debent, et ei iuxta decentiam per Haeredes noſtri Marchionis ALBERTI, aut FRIDERICI Marchionis, ſolvi debent. Quorum clenodiorum, et rerum ſuperius deſcriptarum praefati noſtri Regis Filiae, ſicut praemiſſum eſt, datarum, acquiſitarum, aut donatarum reſtitutio, aut ſolutio, ſi, quod abſit, praemoreretur, Prole non relicta, Nobis Regi, aut Succeſſoribus noſtris in Regno Poloniae eſſe debet, mox, et ſtatim poſt mortem, quod abſit, praefatae noſtri Regis Filiae in uno anni quartali, in Caſtro noſtro *Miedzyrzecz* in manibus factorum noſtrorum plenarie, et ex toto. Id etiam quod noſtri Regis Filiae Marchio FRIDERICUS praefatus tanquam Conthorali ſuae, cum ei condormiverit, iuxta ſuam voluntatem, & honeſtatem pro Donatione, ratione Nuptiarum, alias *Morgengab* donaverit, & aſſignaverit, eadem ſumma debet ei cum ſupranominatis ſummis, Dote, & Dotalitio, ſeu victalitio

ANNO 1475.

Anno 1475. tio consignari, & inscribi, & quantum ei pro summa illa iuxta praenominatae summae taxam in annuis reditibus deberet provenire, illud etiam consequi, cum ille evenerit, mortis videlicet Friderici praefati Marchionis eventus, una cum Dote, & Dotalitio seu victalitio debet, & annuos ab eadem Donatione alias *Morgengab* tollere, & accipere census, qui praefatae nostri Regis Filiae per Nos Albertum, & Fridericum, Marchiones praefatos, nostris patentibus Literis, & apud Nos Regem Poloniae, aut Successores nostros, in Regno nostro praefato mox Nuptiis consummatis, in Posnania reponendis assignari, & inscribi, ut, & istae *D*otis, & *D*otalitii Literae inscriptae sunt, & roboratae. Circa vero redemtionem de manibus eius, si casu praemisso contingeret, id etiam de *D*onatione ratione Nuptiarum, alias *Morgengab*, intelligi debet, sicut de summis Dotis, & Dotalitii suprascriptum est. Tandem si casu unus ipsorum Coniugum praefatorum ante celebrationem Nuptiarum, & consummationem Matrimonii ab hac luce migraret, quod Deus avertat, extunc omnia, & singula praemissa nullius debent esse roboris, vel momenti, & una Pars alteri vigore praefatorum Articulorum, & Tractatuum in nullo debet esse obligata. In cuius rei evidens testimonium sunt Literae duae in aequali forma factae, & nostro uniuscuiusque Sigillo appenso sigillatae.

Et Nos Fridericus Dei Gratia Marchio Brandenburgensis, Stettinensis, Pomeraniae, Slavorum, & Cassuborum Dux, Burgrabius Norimbergensis, ac Rugiae Princeps, Praesentium tenore recognoscimus, & fatemur. Quod omnia suprascripta per Sereniss. Principem, & Dominum, Dominum Casimirum DEI Gratia Regem Poloniae, Magnum Ducem Litvaniae, Russiae, Prussiaeque Dominum, & Haeredem, Dominum, & Patrem nostrum charissimum, ac Illustrissimum Principem Dominum Albertum eadem Gratia Marchionem Brandenburgensem Sacri Romani Imperii Archicamerarium Principem, & Electorem &c. Genitorem nostrum charissimum, de nostro scitu, & bona voluntate facta, & concluса, promittimus omnia, & singula praemissa, & praesertim Contractum Sponsalium Nos concernentem rata, & firma habere, fidemque pro servatione facere, nec quoquomodo per se revocare, aut iubere, ut contra fiat, omnia tenere, observare absque dolo. In cuius rei testimonium Sigillum nostrum una cum praefatorum Dominorum Casimiri Regis Poloniae, Magni Ducis Litvaniae, Russiae, Prussiaeque &c. et Alberti Marchionis his appendimus Literis. Quae data est per manus Venerabilis Stanissai de Kurozwanki Cracovienſis, Vladislavienſis, Belzenſis Ecclesiarum Canonici, & Regiae Maiestatis supremi Secretarii. Actum, & datum Posnaniae Dominica proxima ante Festum Sanctae Hedvigis. Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto. Ac per manus Reverendi Patris Domini Friderici Episcopi Lubecenſis, nunc praedicti, & in praemissa re cum aliis nostrorum Marchionum Oratoribus principalioris Oratoris, Sigillis nostris Alberti, & Friderici Marchionum praesens Litera est firmata, & sigillata. Anno 1475.

## V.

### *Dotis, & Dotalitii Illustrissimae* Sophiae *in certis Bonis Collocatio.* Dat. in Cadoltzburgk d. 11. Novembr. An. 1475. *Ex Originali. Sigill. 2. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. 5. num. 6. fol. 221.*

Nos Albertus Dei Gratia Marchio Brandeburgensis *S*acri *R*omani Imperii Archicamerarius, Princeps, & Elector, *S*tetinensis, Pomeraniae, *S*clavorum, & Cassuborum Dux, Burgrabius Norimbergensis, ac *R*ugiae Princeps. *R*ecognoscimus tenore Praesentium, quibus expedit, universis, tam praesentibus, quam futuris. Quia disponente Altissimo Illustrissimum Principem Dominum Fridericum eadem Gratia Marchionem Brandeburgensem, Stetinensem, Pomeraniae, *S*clavorum, & Cassuborum *D*ucem, Burgrabium Norimburgensem, ac *R*ugiae Principem, Natum nostrum charissimum, Sereniss. Principis Domini Casimiri eadem Gratia *R*egis Poloniae, M. D. Litvaniae, *R*ussiae, Prussiaeq; Domini, & Haeredis &c. Domini & Fratris nostri charissimi, Illustrissimae Filiae, Principi, & Virgini Sophiae matrimonialiter desponsavimus de scitu, & bona voluntate praefati Filii nostri Marchionis Friderici. Quibus praefatus Dominus *R*ex triginta duo millia florenorum Hungaricalium, puri auri, & boni ponderis, ratione Dotis constituit, & inscripsit, iuxta tenorem Literarum Matrimonialium Posnaniae desuper confectarum, & emanatarum, quarum data est die Dominico ante Festum *S*anctae Hedvigis proximo, de Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto. In quorum triginta duorum millium flore-

Anno florenorum recompenſam, alia triginta
1475. duo millia. floren. Hungaric. ratione Dotis, & Dotalitii, ac Summas ratione largitatis ſponſalitiae, vulgariter *Morgengabe*, quam ex more in ſignum coniugalis amoris, poſt primum Thalami ingreſſum Principes Almaniae Coniugibus ſuis donare conſveverunt, dictae Filiae noſtrae Principi, & Virgini *Sophiæ*, Domini *Regis* praefati Filiae, in, & ſuper Caſtris, Civitatibus, *Diſtrictibus*, Oppidis, videlicet ſuper Caſtro, & Civitate *Beyruth*, Caſtro, & Civitate *Crewſzen*, Caſtro, & Oppido *Berneck*, Caſtro, & Oppido *Szwernitz*, & *Wungeſecz*, ac Villis, Poſſeſſionibusque ad ipſa Caſtra pertinentibus. In omnibusque cenſibus, collectis, quae in vulgari vocantur *Stheure*, uſibus, homagiis, feudis, molendinis, piſcariis, foreſtis, ſylvis, aquis, praediis, venationibus, devolutionibus, & Jure Patronatus, collationibusque dignitatum, tam ſpiritualium, quam ſaecularium, Beneficiorum Eccleſiaſticorum cum cura, vel ſine cura, & generaliter cum ſingulis obventionibus ad eosdem Diſtrictus pertinentibus, nunc exiſtentibus, aut in futurum venientibus, aſſignavimus, & inſcripſimus iuxta tenorem Literarum ſubſcriptarum matrimonialium, ita, & taliter, quod ſemper ratione quorumlibet quindecim florenorum de *S*umma praefata ſexaginta quatuor millium florenorum, hoc eſt triginta duorum millium Dotis, & aliorum triginta duorum millium Donationis, & Dotalitii, nec non de Summa ſponſalitiae largitatis, alias *Morgengabe*, adhuc inſcribendis, unus florenus Hungaricalis, aut valor eius de cenſibus, & reditibus Bonorum ſupraſcriptorum Filiae noſtrae chariſſimae Principi, & Virgini Sophiæ, praefati Domini *Regis* Filiae obvenire debet, & aſſignari. Qui introitus ſi ſe ad tantas ſummas de Caſtris, & Bonis praefatis extendere non poſſent, ex tunc debemus Nos, ac praefatus Filius noſter Dominus Fridericus Marchio reſiduitatem in aliis Caſtris, Civitatibus, Dominiis, & Bonis, & eorum cenſibus ſupplere, & eidem Domini *Regis* Filiae inſcribere, & aſſignare. Ita tamen quod non minus de annuo introitu habeat, quam de quibuslibet quindecim florenis Dotis, *D*otalitii, et *D*onationis ex ſponſalitia largitate, unum florenum Hungaricalem, per Filiam *D*omini *R*egis praefatam, Conthoralem Filii noſtri *D*omini Marchionis Friderici, in eventum, et caſum mortis praefati *D*omini Friderici tenendum, habendum, et uti fruendum, pacifice, et quiete poſſidendum, et pro ſuo beneplacito convertendum, uſque ad tempora vitae ſuae, iuxta tenorem praetactarum Literarum Matrimonialium prius emanatarum. In cuius rei teſtimonium *S*igillum noſtrum huic Literae appendimus. Anno 1475.

Et Nos Fridericus *D*ei Gratia Marchio Brandeburgenſis, Stetinenſis, Pomeraniæ, Sclavorum, & Caſſuborum Dux, Burgrabius Norimbergenſis, ac Rugiæ Princeps, recognoſcimus, & profitemur tenore Præſentium, quod omnia prætacta tam de ſponſalibus, & Matrimonio, quam de Dote, & Dotalitio, tum & aliis per Illuſtriſſimum Principem Dominum Albertum Dei Gratia Marchionem Brandeburgenſem &c. Dominum, & Genitorem noſtrum chariſſimum de noſtro ſcitu, & voluntate concluſa, & acta ſunt, promittimusque omnia, & ſingula ſupratacta Nos concernentia, rata, firma habere, fideliterque, ac inviolabiliter obſervare, & proſecutionem eorum facere absque dolo. In cuius rei evidens teſtimonium Sigillum noſtrum una cum Sigillo praefati Domini, ac Genitoris noſtri huic Literæ appendimus. Quæ data eſt in Cadoltzburgk die Sabbatho ipſo Feſto Sancti Martini. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto.

## VI.

*Conſtitutiones ad conſervandam bonam vicinitatem inter Regnum Poloniæ, & Marchionatum Brandeburgenſem per Commiſſarios ab utraque parte delegatos ſancitæ.* Dat. Ex Colonia 19. Aprilis Anno 1514. *Ex Archivo Regni Cracovien. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. 18. Num. 19. fol. 104. Item Lib. 73. Num. 74. fol. 238.* 1514.

Joachim Dei Gratia Marchio Brandeburgenſis, S. R. Imperii Archicamerarius, Princeps, Elector Stetinenſis, Pomeraniæ, Sclavorum, Caſſuborum Dux, Burgrabius Nurenbergenſis, ac Rugiæ Princeps. Significamus tenore præſentium quibus expedit Univerſis. Quia cum Sereniſſimo Principe Domino Sigismundo Rege Poloniæ, Magno Duce Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Domino, & Hærede, Fratre, & Affine noſtro chariſſimo, amorem, benevolentiam, atque tranquillam vicinitatem, ſubditisque alterutrius tutam negotiationem conſervare volentes, deputavimus Conſiliarios noſtros infraſcriptos, pleno Mandato fulcitos, ut cum Conſiliariis præfati Sereniſſimi Domini Regis Poloniæ,

ANNO 1514. loniæ, etiam inferius nominatis, in, & pro festo S. Hedvigis proxime præterito in Bledzow convenirent, consiliaque opportuna ad conservandam quietem mutuo celebrarent, iniuriasque alterutrim illatas audirent, cognoscerent, & iustitiæ mediis terminarent, & componerent, noxios vero necessario puniendos pro excessibus punirent, & propter futuram quietem fovendam, & conservandam Articulos mutuo consilio, & pariformi intelligentia opportunos, & aptos de consensu utriusque nostrum approbandos, & observandos ederent, & statuerent. Quo autem exitu conventus præfatus, per præfatos utriusque nostrum Consiliarios absolutus, & terminatus sit, & existat, sequentes Articuli demonstrant. Consiliarii Sacræ Regiæ Maiestatis Serenissimi Principis, & Domini, Domini SIGISMUNDI Dei Gratia Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, &c. Domini, & Hæredis, videlicet Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus, Dominus JOANNES Episcopus, Nicolaus de Lubrancz Palatinus, Lucas de Gorka Castellanus Posnanienſis, & Capitaneus Maioris Poloniæ Generalis, & Illustrissimi Principis Domini, & Domini JOACHIMI Dei Gratia Marchionis Brandeburgensis Sacri Romani Imperii Archicamerarii, Principisque Electoris, Stetinensis, Pomeraniæ, Sclavorum, Cassuborumque Ducis, Burgrabii Nurembergensis, ac Rugiæ Principis, videlicet THEODORICUS Dei Gratia Episcopus Lubucensis, Vernerus de Schollenburg, Casper Kichzicz Miles auratus, Sebastianus Stublinger Doctor, & Cancellarius, nec non Commissarii cum plenitudine Potestatis, & authoritatis ad Conventum in confinibus Dominiorum incliti Regni Poloniæ, & Marchionatus, pro Festo Divæ Hedvigis per Maiestatem Regiam, & Illustrissimum Principem, & Electorem institutum, & in Villa Falkiennwald inter Monasterium Bledzow, & Oppidum Regni, atque Kiemswalde Oppidum Marchionatus sita, tentum, & habitum electi Deputati, & designati pro fraterno amore, amicitiaque conservanda inter Maiestatem Poloniæ, & Illustrissimum Dominum Marchionem, & pro bono Pacis subditorum, & Dominiorum tam Serenissimi Regis Poloniæ, quam Illustrissimi Domini Marchionis, vigore Mandatorum a Maiestate Poloniæ, & Illustrissimo Domino Marchione utrinque ad hunc Actum datorum, & a præfatis Dominis Consiliariis, & Commissariis productorum, & exhibitorum, matura deliberatione, unanimique voto ad perpetuam Pacem inter Dominia Regni, & Marchionatus componendam, tenendamque, ut grassandi licentia, & malefaciendi via omnibus subditis utriusque Dominii præcludatur, proque exhibitione promptioris, & facilioris iustitiæ, ad futuros casus, & eventus, quoscunque, et qualescunque evenire in posterum contingeret, et non ad præteritos, sub his Articulis, clausulis, punctis, et Constitutionibus ex utraque parte firmandis, et roborandis convenerunt, et decreverunt. Inprimis quod subditi utriusque Dominii tam Regni, quam Marchionatus pro singulis actionibus, causis, iniuriis quibuscunque recurrent, et recurrere debent ad Principes Dominiorum, videlicet Serenissimum Principem Dominum Regem Poloniæ, et Illustrissimum Principem Dominum Marchionem Brandeburgensem, et Electorem Sacri Imperii, vel ad Præfectos Maiestatis Regiæ, vel Illustrissimi Domini Marchionis, in quorum Territoriis iniuriantes, vel ipsi rei degunt, et apud eos administrationem iustitiæ petere. Item ne Partes graventur superfluis itineribus, et expensis, utque facilior unicuique iustitia reddatur, constituerunt præfati Domini Consiliarii, et Commissarii, quod Principes utriusque Dominii, Serenissimus Princeps, et Dominus, Dom. Rex Poloniæ, et Illustrissimus Princeps Dominus Marchio Brandeburgensis, et Elector Imperii, constituere, et deputare debent Judices ex utriusque Dominiis binos, et binos de Dominio Regni duos, et de Dominio Marchionis duos, unum Spiritualem, alterum Sæcularem, qui omnes iniurias futuras, actiones, et causas discernent, et iudicabunt inter Regni subditos ex una, et subditos Marchionatus partibus ex altera. Judices præfati non iudicabunt, nec iudicare debent subditos Serenissimi Principis, Regis Poloniæ, et subditos Illustrissimi Domini Marchionis, hinc inde Jure Regni, neque Jure Imperii, vel *D*omini Marchionis, sed æquitate rationis simpliciter, et de plano, et quid quid per Judices decernetur, hoc firmum, et ratum esse debet, nec appellari a *D*ecreto, et Sententia talium Judicum poterit. Quilibet Princeps, in cuius *D*ominio residet ille, contra quem Sententia lata est, Sententiam debitæ executioni demandabit, vel demandari faciet, vel eorum Præfecti Generales, vel Speciales infra tempus Judicii proximi. Item Judices deputati non alio tempore iudicare debebunt, quam bis in Anno, semel die Lunæ, post *D*ominicam Misericordiæ *D*omini, in *Miedzyrzeźe* Oppido, in Dominiis Serenissimi Regis Poloniæ, secundo pro die Lunæ post Festum S. Francisci in *D*ominio Illustrissimi Marchionis

Anno 1514. chionis in Oppido Druſſen, quod Poloni Oſſmia appellant. Et ſi uno die non poterint propter multitudinem cauſarum Judicium finire, quod aliis diebus ſequentibus illud terminandi, et continuandi habebunt facultatem. Præfati Judices, cum ad Officium iudicandi electi fuerint, et deputati, iurare debent, quod iudicabunt non ſecundum favorem, amicitiam, & affectum, ſed ſecundum meram æquitatem, & iuſtitiam; prout illis æquius, & iuſtius videbitur, nec munera, vel promiſſiones a Partibus recipere, & præfata Juramenta præſtabunt hincinde, Judices Regiæ Maieſtatis Poloniæ manibus Judicum Domini Marchionis, & Judices Illuſtriſſimi Domini Marchionis, in manibus Judicum Regni. Præterea utrique Judices habebunt ſuos Notarios iuratos diſcretos, qui Acta Judicii fideliter conſcribent, & ſe in qualibet parte folii ſubſcribent. Decreverunt etiam præfati Domini Conſiliarii, & Commiſſarii, quod Sacra Regia Maieſtas Poloniæ debet deputare Judicibus differentiarum in Limitibus Regni conſtituendis, Sigillum ſingulare, & Illuſtriſſimus Dominus Marchio Judicibus de Marchia aliud, quo utentur ipſi Judices in ſigillando ad dandas Literas Significatoriales, Remiſſoriales, Adiudicatorias, & alias quascunque, quæ fuerint partibus pro conſecutione iuſtitiæ neceſſariæ, & quibus ſigillabuntur cauſæ, quæ remittentur ad ipſos Principes, vel eorum præfectos Generales pro ſententia ferenda, dum ipſi Judices, vel maior Pars in unam ſententiam convenire non poſſent. Item ſi Partibus incumberet probatio, & teſtes, vel iura pro illo iudicio, in quo lis conteſtata eſt, habere non poſſent, ad proximum iudicium producendi eamdem, vel eosdem, dari debet dilatio. Item Teſtes inducti deponent medio Juramento, quos ſoli Judices examinabunt, & circa examen eorum ſolennitatem Canonum, & Jurium obſervare, & ad interrogatoria examinare, ſi Pars adverſa, vel Procurator eius hoc expoſcet, debebunt. Item Judices ex maioritate ſuffragiorum Sententiam, & Decreta ferent, non obſtante eo, quod quartus diſſentiat, nec ſeparatim ſuper ſententiis ferendis colloqui, & conſulere, ſed in commune. Quod ſi diſparitas erit ſuffragiorum ita, quod Judices utriusque Dominii ſint differentes, videlicet bini, & uni erunt unius ſententiæ, & alii bini alterius ſententiæ, propoſitio, & depoſitio Teſtium, aliaque merita cauſæ debent conſcribi, conſcripta claudi ad inſtar Rotuli, & Sigillis iudiciariis Judicum utrorumque pro eo officio conceſſis conſignari, & mitti. Actor pro ſententia ferenda ad Dominum rei, vel ad ſuum Vices-gerentem Generalem, & Princeps, ſeu Vices-gerens ſuus Generalis, a præſentatione Literarum Remiſſorialium, & Rotuli, quas ipſi Judices, de quorum Territorio reus eſt, deferent, & præſentabunt, ſententiam ſcribere debet infra duos Menſes, et Judicibus ſui Territorii conſignatam Sigillo, deferendam ad Judicii proxime celebrandi tradere, quam Judices non aperient, niſi omnes inſimul, et præſentibus Partibus conſtituent, et pronuntiabunt. Præterea Judices præfati habebunt librum iudiciarium, in quo omnia Acta iudiciorum acticabunt, et Notarios binos, Judices Marchionatus, alium, qui in Druſſen Oppido, quod Oſſmia lingva vernacula Poloni apellant, Acta iudiciorum celebratorum annotabunt, et propter falſitatem vitandam, uterque eorum ſe ſingulis chartis ſubſcribet, in qualibet parte folii, quod poſt ſingula Judicia celebrata in loco, ubi celebratum eſt iudicium, conſervabitur, et non obſtante ſubſcriptione Notariorum, conſignari debet Sigillis pro Judicibus datis, et deputatis, et per Judices, in quorum Territorio depoſitus eſt, ad locum celebrandi iudicii deferri. Si malefactor, vel iniurians, ſive ex officio Iudicis, ſive ad inſtantiam Partis dedit pœnas patrati ſceleris, quod ſcilicet ultimo ſupplicio affectus eſſet, nihilominus in bonis ſuis, in quantum ſe extendunt, damna Parti illata, dum a Parte repetentur, exolvi debent, prout proprio Juramento damna paſſus firmaverit. Et ſi quis peierare compertus fuerit, ipſo facto infamis ſit, et pœna quadrupli puniatur, et ad reſtitutionem eiusdem quadrupli compellatur, et media Pars quadrupli pro Principe, et reliqua pro Judicibus omnibus dividatur. Et ut ſubditis utriusque Dominii occaſio iniurias faciendi, vel patrandi aliqua ſcelera adimeretur, ſtatuerunt præfati Domini Conſiliarii, et Commiſſarii utriusque Dominii tam Regni quam Marchionatus, quod ſi aliquis ſtatim poſt alienationem bonorum ſuorum, vel paulo poſt ad iniurias faciendas, et damna alicuius Dominii converteretur, tenebuntur ipſi Principes, vel eorum Præfecti ex Officio ad requiſitionem alterius Principis, vel Præfectorum, aut Partis querulantis Emptores, et Poſſeſſores Bonorum ad ſe vocare, et ab eis Juramentum repetere, quod non fuerint conſcii circa emptionem, vel in ipſo contractu de factis malefactoris, nec ſub conditione occulta, et doloſa, puta in ſpem reſtitutionis faciendæ, eadem ſibi reſi-

Anno 1514.

ANNO 1514. resignari, vel reformare ordinaverit. Quodsi emptor iurare recusaverit, extunc compellendus est ad reparationem damnorum, in quantum se illa bona extendunt. Animadvertere etiam debent Principes utriusque Dominii, & Præfecti eorum, ut circa resignationes Bonorum, Hæreditatum, & Possessionum superintendant causas alienationum, ex quibus causis fiant, perquirendo, ne in fraudem, dolum, vel iacturam, & periculum alicuius committantur. Quod si aliqua suspicio de ea oriatur, ipsa resignatio non admittatur, nisi Cautionem fideiussoriam faciat de indemnitate, quæ per eum committi posset, ne secus talibus suspectis ipsa resignatio admittatur. Præterea si contingeret aliquos immemores sui honoris, & salutis, in Dominiis Maiestatis Poloniæ, & Illustrissimi Domini Marchionis, subditis alicuius Dominii furta, homicidia, incendia, & alia damna committere, & in aliquod Dominiorum se transferre, vel fugere, tenebuntur subditi illius Dominii, qui sunt illi itineri vicini, & per quorum Dominia, & Possessiones ipsi malefactores proficiscuntur, ad requisitionem eius, qui passus est damnum, vel eius Procuratoris, vel amici, vel quicunque hoc nomine eius petat, malefactorem pro posse suo insequi, vel auxilia præstare ad eum insequendum. Et quia captivitates, & depactiones inter Regni subditos & Marchionatus sæpius fieri solebant, nec securus erat viarum transitus, nec quisque tutus erat in domibus suis, statuerunt præfati Domini Consiliarii, & Commissarii, ne de cætero fiant, nec quisquam aliqua sponsione fidei obligaretur. Quodsi quemquam subditorum, ex subditis tam Sereniss. Principis Regis Poloniæ, quam Illustrissimi Domini Marchionis captivare, tam in domo, quam in itinere, & tales captivos conservare, vel aliqua sponsione fidei obligare, aut depactare contingeret, quod Bona sua Principi, sub cuius Dominio residet, confiscarentur, ex quibus Parti læsæ satisfactio per Principem fieri debebit, in quantum Bona se extendunt. Statuerunt etiam præfati Domini Consiliarii, & Commissarii, quod præfati Judices, & omnes subditi hinc inde ad præfata Judicia in confinibus præfatorum Dominiorum celebranda, venientes & quorum interest, habere debent *Sal*vum Conductum, quem ibidem præfati Domini Consiliarii, & Commissarii ex Parte S. R. Maiestatis Poloniæ, & ex Parte Illustrissimi Domini Marchionis vigore Mandatorum suorum Principum, prout exnunc, ita extunc, & prout extunc, ita exnunc dant, concedunt, & largiuntur Judicibus, Notariis, & omnibus subditis, & venientibus ad præfata Iudicia, tam nomine Maiestatis Poloniæ, quam Illustrissimi Domini Marchionis, promittentes eundem in omnibus inviolabiliter observare, & sub eo securitatem tam in Persona, quam in rebus de omni indemnitate habere. Statuerunt insuper præfati Domini Consiliarii, & Commissarii, quod nullæ diffidationes abhinc, & per amplius inter subditos præfatorum *Do*miniorum fieri debent, neque a subditis tam Domini Marchionis Sacræ Maiestati Regiæ, quam a Regiæ Maiestatis Poloniæ subditis Illustrissimo *Domino* Marchioni. Si quis vero contrarium facere ausus fuerit, Bona sua ipso facto sint confiscata, tam diu, quam diu Principis gratiam, cui diffidationem fecit, invenerit, vel personæ diffidanti satisfecerit. Et nihilominus si Nobilis est, sponsione fidei per Principem, in cuius Territorio diffidans est, obligetur, si ignobilis, in carcerem, vel in cautionem fideiussoriam coniiciatur ad Principis, vel personæ, cui diffidavit, voluntatem Filii Patrisfamilias, si iugum paternum excutientes, ad rapinas, furta, diffidationes, captivitates, depactationes se converterint, Principes eorum in Bona ad eos devoluta Jus successionis habebunt, nec in illud restitui debent, nisi beneficio Principis, de consensu illius, in quem deliquerint. Et quia frustra esset Iudicia instituere, si Partes non comparerent; ne talia igitur claudicent Iudicia, præfati *Domini* Consiliarii, & Commissarii statuerunt, quod Actor, si reum trahere velit in iudicium præfatorum Judicum, Principi, vel Præfecto suo generali, vel speciali causam suam exponet, & petet reo præfigi terminum pro Iudiciis proxime celebrandis, de qua praefixione Princeps, vel Praefectus apud Iudices faciet fidem, qui si non comparuerint, neque per se, neque per alium, notabitur eius contumacia in Actis, si pars instabit, & nihilominus continuabitur sibi alius terminus ad proxima Iudicia, & Iudices intra tempus Iudiciorum Partem de astantia termini, & accusatione contumaciae, & de termino proximo peremptorio, per Notarium suum Regni, Regnicolas, Marchionitas vero per Notarium Iudicum *Domini* Marchionis avisabunt, & terminum peremptorium ei praefigent, quo non comparente Iudices sententiam ferent. Nullus Princeps, nec *Sacra* Regia Maiestas Poloniae, nec Illustrissimus Princeps Dominus Marchio, & Elector Imperii, hostes Dominiorum, sive Raitharos, sive alios quoscunque, tam Principum, quam *Dominiorum*, & subdito-

ANNO 1514.

ANNO 1514. ditorum iuvare, & conſervare in Terris ſuis debet, nec per Terras mittere, nec illis auxilia, & conſilia præſtare, ſed pro viribus tranſitum eorum defendere, reprimere, & cohibere. Vt autem ea omnia, quæ modo præmiſſo per Conſiliarios noſtros præfatos, ſimul, ac præfati Sereniſſimi Domini Regis Poloniæ Affinis noſtri chariſſimi pro conſervanda benevolentia, & quiete, mutuo conſilio, & voluntate conſtituta, decretaque, & in Articulos præmiſſos redacta ſunt, rata, & firma ſint, eadem Nos de conſenſu noſtrorum Conſiliariorum ex parte noſtri Marchionatus ita obſervanda, ſicuti præmiſſum eſt, approbamus, eadem ſervare, & ſervari a noſtris ſubditis, dummodo & ab alia Parte ſerventur volentes, prout ſervabimus, & ſervari effectualiter faciemus. Harum, quibus Sigillum noſtrum eſt ſubappenſum, teſtimonio Literarum. Datæ ex Colonia Caſtro noſtro, decima nona die Menſis Aprilis Anno Domini milleſimo quingenteſimo decimo quarto.

## VII.

1521. SIGISMUNDUS I. *Rex Poloniæ rogatione* CAROLI V. *Imp. differt bellum, quo* JOACHIMUM *Marchionem Brandeburgenſem aggredi voluerat, arbitriumque cauſæ cum eo præfato Imperatori defert.* Dat. Cracoviæ die 6. Maii Anno 1521. *Ex Archivo Regni. Lib. 26. Num. 27. fol. 186.*

Sereniſſime, et Excellentiſſime Princeps, et Domine Frater, et Conſangvinee noſter chariſſime, ac honorandiſſime. Accepimus Literas Veſtræ Maieſtatis, quibus ſcribit intellexiſſe ſe ſubortum eſſe nonnihil ſimultatis inter Nos, et Illuſtrem Dominum JOACHIMUM Marchionem Brandeburgenſem, eo, quod ille Gentes adverſus Nos per Terram ſuam tranſire permiſerit, veritamque Maieſtatem veſtram, ne res ad arma, et perturbationem Rei Chriſtianæ veniret, cuius quietem, et bonum ſtatum curæ, et cordi haberet, egiſſeque cum illo, ut hanc diſſenſionis cauſam Maieſtati veſtræ cognoſcendam permitteret, et cum ille id facere conſentiat, poſtulat a Nobis Maieſtas veſtra, ut Nos pariter non gravaremur ſibi eiusdem differentiæ cognitionem deferre, promittens Nobis ſe erga Nos in eadem cognitione ita geſturam, ut fraterno amori, et Coniunctioni noſtræ conveniret. Sereniſſima Cæſarea, & Catholica Maieſtas: explicari non poſſunt verbis tot damna, et iniuriæ, quæ a multo tempore illatæ ſunt ſubditis noſtris ex Terra ipſius Domini Marchionis JOACHIMI, & præſertim per eos, qui illic receptaculum habentes premebant, & afficiebant Nobiles, & alios ſubditos noſtros, eosque pecunia taxabant, ſpoliabant, detinentes etiam nonnullos in carceribus usque ad necem, & alia multa id genus, quorum cauſa cum illum ſæpe admonuiſſemus, facere placuit Conventum in Finibus Conſiliariorum utriusque noſtrum, qui de iniuriis, & damnis ipſis cognoſcerent, ubi rebus aliquantum ſopitis, facta ſunt demum inter Nos, & illum Pacta, & Inſcriptiones arctæ Pacis, inter quas, & hoc potiſſimum expreſſum eſt, quod neuter noſtrum adverſus alterum Gentes quaſcunque hoſtiles fovere, & permittere per Ditionem ſuam deberet, poſt quas quidem Inſcriptiones factas, non modo non ceſſarunt ſolita damna, iniuriæ, exuſtiones, ſpolia ſubditorum noſtrorum, ſed etiam ut manifeſtiſſime conſtat, Gentes adverſum Nos eius præcipue opera, conſilio, favore in Terra illius congregatæ Nobis inopinantibus illinc fines Regni noſtri, & Pruſſiæ fuerunt ingreſſæ, inter quas etiam multi ex ſubditis illius extiterunt, quorum cum nemo Nobis hoſtilitatem, præter Capitaneum, iam illis circa fines noſtros exiſtentibus, denuntiavit, & quidquid patrare potuerunt in ipſis finibus tam Regni, quam Pruſſiæ, priusquam eſſent per noſtros exturbati, in viciniis receptum habuerunt ad Terram ipſius Domini Marchionis, & poſtremo pedem referentes illuc ſe contulerunt. Quare Excellentiſſime Frater noſter, cum alias iniurias lenius tuliſſemus vitantes bellum, & calamitatem Populi Chriſtiani, ægre quidem tulerunt ſubditi noſtri, Nosque aſſidue querelis impetebant, verum poſt commiſſum hoc illius tam infeſtum, indignumque contra vicinitatem, contra Pacta, & Inſcriptiones noſtras, nulla iuſta cauſa factum prorſus a Nobis exigebant Univerſi Ordines Regni noſtri, ut illi vicem referremus, & præſertim cum id ſenſiſſet Imperator Scytarum, egiſſetque tum apud Nos per inſignes Oratores ſuos, ut Gentes illius tranſire per Regnum noſtrum ad Dominia vicina Nobis infeſta permitteremus, Nobisque in ea deliberatione exiſtentibus, ſupervenerunt illæ Literæ Veſtræ Maieſtatis, quibus anxii quidem fuimus, quid potiſſimum exequeremur. Hinc dolor iuſtiſſimus Nos exagitabat, pro tanta, tamque indigna iniuria Nobis illata ab his, qui poſt terga, & arma noſtra tuti degentes, Nos meritiſſime iuvare deberent,

ANNO 1521.

ANNO 1521. rent, illinc rursus demolliebat, permovebatque Nos summus amor, & observantia nostra erga Vestram Maiestatem, horrorque calamitatis Populi Christiani, quam hi duntaxat norunt, qui cum infidelibus rem habent. Prævaluit tandem ratio, & respectus Maiestatis vestræ, cui omnibus in rebus non possumus non gratificari, prævaluit & pietas in Rem Christianam, pro qua alioquin immensos labores, & sumptus assidue fecimus, & plurimum sangvinis profundimus, ita, ut contenti simus Nos aliquandiu continere, & ad Maiestatem Vestram rem, ut postulat, deferre. Sperantes, quod in ea pariter se ita exhibere dignabitur, ut est expectatio, & confidentia nostra de illa, rogamusque omni studio Maiestatem Vestram, ut perpensa tam insigni iniuria Nobis ab ipso Domino Marchione JOACHIMO illata, eum ad satisfaciendum Nobis auctoritate sua adigere, Nobisque cum illo iustitiam celerem ministrare dignetur, pro virtute Maiestatis vestræ, & vinculo, ac amore nostro mutuo. Interim illum commonefaciat, ut se, & suos contineat, ne subditis nostris damna, ex illus Terra inferantur. Nam ea res ferri a Nobis non posset, quin Maiestas vestra Nos excusatos haberet. Commendamus Nos ex corde eidem Maiestati Vestræ, uti Fratri nostro amantissimo, quam felicissime valere, & præstare desideramus. Cracoviæ die 6. Maii Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo primo Regni vero nostri decimo quinto.

## VIII.

1530. SIGISMUNDUS I. *Rex Poloniæ pollicetur se persoluturum Marchionibus Brandeburgicis Dotem Matris eorum.* Datum Cracoviæ Feria secunda post Dominicam *Judica.* Anno 1530. *Ex Originali. Extat in Archivo Cancell. Regni. Lib. sub Litera H. H. fol. 266.*

SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, totiusque Prussiæ, ac Masoviæ &c. Dominus & Hæres. Significamus tenore præsentium quibus expedit Universis, ac pro Nobis Hæredibus, & Successoribus nostris recognoscimus. Quia cum venisset ad Nos in Civitatem nostram Cracoviensem Illustris Princeps Dominus GEORGIUS Marchio Brandeburgensis, in Prussia, Stetinensis, Pomeraniæ, Cassuborum, Sclavorum, & in Silesia Ratiborienſis, & Carnovienſis &c. Dux, Rugiæ Princeps, & Burgrabius Nurembergenſis, Nepos noster ex Sorore charissimus, & inter alia Nobis declarasset Dotem Illustrissimæ olim Principis Dominæ SOPHIÆ Matris suæ & Sororis Nostræ charissimæ, quam felicis memoriæ Serenissimus Princeps Dominus CASIMIRUS Rex Parens noster charissimus Illustrissimo Principi Domino FRIDERICO Marchioni Brandeburgensi Patri suo designaverat, nondum esse persolutam, & rogasset Nos suo, & Fratrum suorum, Nepotisq; sui Filii, Illustris olim Principis CASIMIRI Marchionis Brandeburgensis &c. nomine, ut ipsam Dotem illis exolveremus; Nos accepta hac relatione, & documento, & cognoscentes dictorum Illustrium Principum Dominorum Marchionum Brandeburgensium Nepotum nostrorum singularem erga Nos amorem, & observantiam, volentesque Illos Nobis & Regno nostro beneficentia nostra devincire, & propterea & ipsi Illustres Domini Marchiones, in Prussia, & in Silesia Duces &c. in gratiam nostram, octo millia florenorum Aureorum e Summa capitali triginta duorum millium aureorum Hungaricalium boni, & iusti ponderis dotalis debiti remiserunt, & condonaverunt, quod sane grato benivoloque animo accepimus. Singularem igitur benivolentiam nostram, qua illos complectimur, aliis testatam facere volentes, ipsis ratione totius prædictæ dotis Summam viginti quatuor millium florenorum Hungaricalium, in Auro bonæ monetæ, & iusti ponderis Nos, Hæredes, & Successores nostros exsoluturos submisimus, & præsentibus Literis nostris submittimus, ac obligamus. Promittentes in verbo nostro Regio pro Nobis, omnibus Hæredibus, & Successoribus nostris, quod ad Festum Conversionis Sancti Pauli Anni futuri millesimi quingentesimi trigesimi primi, quinque millia florenorum Hungaricalium in auro, & deinceps quinque Annis pro eodem festo Conversionis sancti Pauli, per tria millia florenorum Hungaricalium in auro, & sexto anno ultimo quatuor millia florenorum iusti ponderis, bonæ monetæ, usque ad exsolutionem totius Summæ præfatæ viginti quatuor millium florenorum Hungaricalium in auro numerari Illustritatibus earum, aut Nuntio cum plena facultate ab eis misso in Prætorio Civitatis nostræ Posnanienſis faciemus, absque omni ipsorum Dominorum Marchionum, & Hæredum impensis, et incommodis. Ipsi vero Domini Marchiones Brandeburgenſes Recognitionem solutionis sibi quotannis factæ dare sub Si-

ANNO 1530.

Anno 1530. gillo ſuo, et ad primam ratam ſolutionis literas Dotales reponere, et reſtituere, poſt totalemque ſolutionem praedictae Summae viginti quatuor millium florenorum Hungaricalium in auro, in ultimo termino praeſentes Literas noſtras Nobis, aut Succeſſoribus noſtris reddere, ac reſtituere tenebuntur. In cuius rei teſtimonium Sigillum noſtrum praeſentibus eſt appenſum. Datum Cracoviae feria ſecunda poſt Dominicam *Judica* proxima. Anno Domini milleſimo quingenteſimo triceſimo, Regni autem noſtri Anno vigeſimo quarto.

SIGISMUNDUS *Rex. mpp.*

IX.

1531. *Quietatio de Literis Dotalibus Illuſtrium Marchionum Brandeburgenſium S. R. Maieſtati reſtitutis, & Solutio Dotis vigore Contractus.* Actum Cracoviæ feria quarta proxima ante Feſtum S. Agnetis, Anno 1531. *Ex Archivo Regni Lib 32. Num. 33. fol. 452.*

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Rusſiæ, totius Prusſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, &c. Dominus, & Hæres. Quia quemadmodum ex vi Contractus per Nos cum Illuſtri Principe Domino Georgio Marchione Brandeburgenſi &c. Nepotibusque ſuis, & Fratre, Anno ſuperiore facti, occaſione ſolutionis Dotis Illuſtri olim Principi Dominæ Sophiæ Matri ſuæ, Sorori vero noſtræ charisſimæ nondum diſſolutæ per Parentem noſtrum felicis memoriæ Serenisſimum Principem Dominum Casimirum Regem Poloniæ, Illuſtri Principi Domino Friderico Marchioni Brandeburgenſi deſignatæ, quinque millia florenorum Hungaricalium puri auri, & iuſti ponderis pro Feſto Converſionis S. Pauli Anni præſentis, videlicet milleſimi quingenteſimi triceſimi primi, ſolvere Nos ſubmiſimus, & obligavimus, & prædictus Dominus Georgius Marchio cum Fratribus ſuis Literas Originales, Dotales per dictum olim Parentem noſtrum Domino olim Friderico Marchioni datas originaliter reſtituere, circa ſolutionem primæ ratæ debebat: cum igitur prædictas Literas Dotales prænominatus Dominus Marchio cum ſuis Nepotibus per Nobilem Virum in manus Magnifici Severini Bonner de Balicze in Ogrodzieniec, & in Kamieniec Hæredis, Capitanei Biecenſis, Burgrabiique, & Zupparii, ac Magni Procuratoris Cracovienſis Nobis ſincere Dilecti, a Nobis ad hæc poteſtatem habentis, in in effectu reſtituit, Nosque de prædictis quinque millibus florenorum auri, puri, & iuſti ponderis quietat; Nos etiam ipſum Dominum Georgium Marchionem Brandeburgenſem, & Nepotes eius de Literis prædictis Dotalibus Sororis noſtræ quietamus præſentibus. In cuius rei teſtimonium &c. Actum, & Datum Cracoviæ feria quarta proxima ante Feſtum S. Agnetis Anno Domini milleſimo quingenteſimo triceſimo primo Regni vero noſtri XXIV. Anno 1531.

SIGISMUNDUS *Rex.*

X.

Pauli III. *Papæ Bulla Diſpenſationis ſuper conſangvinitate inter* Joachimum *Marchionem Brandeburgenſem, &* Hedvigem Sigismundi I. *Regis Poloniæ Filiam.* Dat. Romæ 10. Junii An. 1535. *Ex Originali.* 1535.

Paulus Epiſcopus Servus Servorum Dei dilecto Filio Nobili Viro Joachimo Juniori Marchioni Brandeburgenſi, & dilectæ in Chriſto Filiae, Nobili *D*omicellæ Hedvigi de Polonia, Brandeburgenſis, & Cracovienſis, Civitatum, ſeu Dioc. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem Romani Pontificis præcellens auctoritas conceſſa ſibi deſuper utitur poteſtate, prout Perſonarum, negotiorum, & temporum qualitate penſata id in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Oblata ſiquidem Nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod Tu Fili Joachime Junior Marchio, qui dilecti Filii Nobilis Viri Joachimi Marchionis Brandeburgenſis, Electoris Imperii Romani, Filius, et Tu in Chriſto Filia Hedvigis, quæ charisſimi in Chriſto Filii Viri Sigismundi Poloniæ Regis Filia eſtis, pro conſervandis inter Vos, veſtrosque Conſangvineos, et Affines, præſertim ex ſangvine Regio deſcendentes, nec non ſubditos, et Vaſallos, Pacis, et amicitiæ Fœderibus, ac ex certis aliis rationabilibus cauſis, deſideratis invicem matrimonialiter copulari, ſed quia ſecundo affinitatis gradu ex eo proveniente, quod quondam Magdalena Tui Joachime, dum viveret, prima uxor, ipſius Sigismundi Regis ex Sorore Neptis Tibi Hedvigi ſecundo Conſangvinitatis gradu coniuncta erat, Vos invicem attinetis, deſiderium verum in hac parte adimplere non poteſtis, *D*iſpenſatione

ANNO 1535. tione Apoſtolica ſuper hoc non obtenta. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Vobis ſuper hoc de opportunæ *Diſ*penſationis gratia providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui inter alia ſingulos Chriſti fideles, præſertim Principes, Pacis, et tranquillitatis unitatem, et amænitatem vigere ſinceris deſideramus affectibus, ad ſtatum veſtrum debitum reſpectum habentes, ex præmiſſis, & certis aliis Nobis expoſitis cauſis, huiusmodi ſupplicationibus inclinati, Vobiſcum, dummodo Tu HEDVIGIS propter hoc rapta non fueris, ut huiusmodi Affinitatis impedimento, ac quibusvis Apoſtolicis, nec non in Provincialibus, & Sinodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis nequaquam obſtantibus Matrimonium inter Vos contrahere, illudque in facie Sanctæ Matris Eccleſiæ ſolenniſare, ac in eo, poſtquam contractum fuerit, remanere, libere, & licite valeatis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium de ſpecialis dono gratiæ diſpenſamus, prolem ex huiusmodi Matrimonio ſuſcipiendam legitimam nuntiando. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ diſpenſationis, & nuntiationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo trigeſimo quinto. Quarto Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno primo.

## XI.

*Pacta Matrimonialia inter* SIGISMUNDUM I. *Regem Poloniæ nomine Filiæ ſuæ* HEDWIGIS, *& JOACHIMUM Juniorem Marchionem Brandeburgenſem inita. Vilnæ d. 21. Martii Anno 1535. Ex Originali.*

SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, totiusque Pruſſiae, ac Maſoviae &c. Dominus, & Haeres, & GEORGIUS Dei Gratia Epiſcopus Lubucenſis, & Ratzpurgenſis, Gunterus Comes, et Dominus in Schroarburgk, Ioannes Gans, Dominus in Potliſt, Fabianus Sungk Praepoſitus Berlinenſis, Legati cum plena auctoritate, et ſufficientibus Mandatis Illuſtriſſimorum Principum, et Dominorum, Domini IOACHIMI Senioris Marchionis Brandeburgenſis, Sacri Romani Imperii Archicamerarii, Principis, et Electoris, Stetinenſis, Pomeraniae, Slavorum, et Caſſuborum Ducis, Burgrabii Nurenbergenſis, et Rugiae Principis, et Domini IOACHIMI Iunioris Marchionis Brandeburgenſis etc. Significamus tenore Praeſentium, quibus expedit, univerſis. Quod cupientes neceſſitudinem inter Nos, dictum SIGISMUNDUM, Maioresque noſtros Reges Poloniae, et Illuſtriſſimum Dominum Marchionem Brandeburgenſem, pridem initam, longoque uſu, et mutuis officiis auctam, atque confirmatam, ſtabilem eſſe, et perpetuam, novo Affinitatis vinculo eam roborandam, et devinciendam duximus. ANNO 1535.

Nam Nos SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, totiusque Pruſſiae, ac Maſoviae etc. Dominus, et Haeres Illuſtriſſimo Principi Domino IOACHIMO Iuniori Marchioni Brandeburgenſi, per memoratos Nuntios ſuos ambienti Illuſtriſſimam Principem, et Virginem HEDVIGIM Filiam noſtram primogenitam, eandemque chariſſimam deſpondemus, ſecundum ea Pacta, atque Conventa, quae ſequuntur, noſtro Regis, et dictorum Nuntiorum cum plena Auctoritate, et ſufficientibus Mandatis utriusque Illuſtriſſimi Domini IOACHIMI Marchionis Patris, et Filii nomine miſſorum, conſenſu, et voluntate transacta, ut Illuſtriſſima Princeps, et Virgo HEDVIGIS noſtra Regia Filia, et Illuſtriſſimus Princeps Dominus IOACHIMUS Minor Marchio praeſentes inter ſe Matrimonium contrahant ſecundum morem, et Sanctiones Eccleſiae Catholicae, idque Cracoviae Anno Domini 1535. die et tempore aliis Literis noſtris Regiis deſignando, quo Illuſtriſſimi Domini Marchiones praedicti, aut ſaltem alteruter eorum, nempe Iunior de magnis quibusdam, et arduis negotiis Nobiscum tractaturus veniret, laute, et magnifice, uti et Nobis, et illo dignum eſt, cum univerſo comitatu ſuo a Nobis accipiendus, atque tractandus, atque ibi tum Nos dictam Filiam noſtram chariſſimam cultu, et ornatu corporis ſplendido, et ut Regiam Filiam decet, ornatam in Matrimonium, et ad Coniugalis Tori ſocietatem trademus, Dominus vero IOACHIMUS Iunior Marchio, eam peractis Nuptiis, uti Coniugem ſuam legitimam accipiet, et ad Ditiones ſuas ſecum abducet. Item Nos SIGISMUNDUS Rex eidem Illuſtriſſimo Domino JOACHIMO Marchioni Iuniori Genero, & Filio noſtro triginta duo millia aureorum Hungaricalium boni, et iuſti ponderis

ANNO 1535. deris dotis nomine dare debebimus, et verbo noſtro Regio per praeſentes Literas noſtras Regias promittimus, ſed ita, ut ſedecim millia aureorum confeſtim peractis Nuptiis Cracoviæ numeremus. Reliquorum vero ſedecim millium dimidium, hoc eſt octo millia aureorum peracto anno integro a celebratione nuptiarum Poſnaniæ numerari & perſolvi faciemus, aut ſi, (quod Deus avertat,) Nos fatis concederemus, Succeſſores & Hæredes noſtri perſolvi facient Nuntiis eiusdem Domini Marchionis JOACHIMI, qui ad eam pecuniam accipiendam mittentur. Ipſi vero Nuntii debebunt iis, a quibus Nomine noſtro dictam pecuniam accipient, quietantias dare ſub Sigillo dicti Domini JOACHIMI Junioris Marchionis. Pro ſecunda quidem rata ſuper ea Summa, quam acceperint. Pro ultima vero ſuper univerſa dote triginta duorum millium aureorum. Nos vero dicti Legati ſecundum eam authoritatem, quam in hoc negotio plenam, & nullis limitibus circumſcriptam ab utroque Domino Marchione, Patre, & Filio habemus, in compenſationem modo deſcriptæ Dotis promittimus, & ſpondemus Dominum JOACHIMUM Seniorem Marchionem Domino JOACHIMO Marchioni Filio ſuo tantum Ditionum, Dominiorum, Arcium, Civitatum, Oppidorum, Villarum, & Poſſeſſionum, quarum nomina hic pro expreſſis habere volumus, de quibus annui proventus, atque reditus, usque ad triginta millia aureorum Hungaricalium perveniant, cum univerſis & ſingulis omagiis, omagialibus, feudis, feudatalibus, vaſallis, ſervitiis, Nobilibus, & colonis, ad hæc juribus, iurisdictionibus, proprietatibus, uſufructu, ſubiectionibus, dominiis tam meris, quam mixtis, cum cenſibus, teloneis, vectigalibus, atque adeo omnigenis provenitibus, & attinentibus, in ſortem, & hæreditatem ipſius legitimam & perpetuam pacate, tranquille, & absque ullo impedimento obtinendam, & regendam, atque uti fruendam aſſignaturum, & inſcripturum eſſe. Item in compenſationem dictæ Dotis triginta duorum millium aureorum Nos prænominati Nuntii nomine utriusque Domini Marchionis Patris, & Filii donamus alia triginta duo millia aureorum Hungaricalium boni, et iuſti ponderis ratione Dotalitii, quam Dotem, una cum Dotalitio, nimirum ſexaginta quatuor millia aureorum Hungaricalium boni, et iuſti ponderis prænominatæ Illuſtriſſimæ Virgini Dominæ HEDVIGI Regiæ Filiæ indicamus, inſcribimus, aſſignamus, et addicimus ſuper toto comitatu Ruppinenſi, cum omnibus ipſius dominiis, arcibus, civitatibus, oppidis, ab omni alia Obligatione, et Inſcriptione liberis. Arces vero iſtæ ſunt antiqua Ruppin, Goltbeh, Neuſtad, civitates nova, et vetus Ruppin, Grandſoya, Vuſterhauſen, Neuſtethlein, Wittbergk, Goltbegk cum omnibus villis, praediis, et omnifariis poſſeſſionibus, proprietatibus, atque uſufructibus, teloniis, vectigalibus, domibus frumentariis, nemoribus, vineis, iudiciis, atque univerſis cenſibus, & reditibus, uſibus, pœnis, homagiis, feudis, piſcationibus, foris, & foralibus, ſilvis, venationibus, aquis, iurispatronatibus, et collationibus Officiorum, Dignitatum, & Beneficiorum, tam ſæcularium, quam ſpiritualium, atque Eccleſiaſticorum, curatorum vel cura vacantium, et breviter cum omnibus rebus, citra ullam exceptionem ad easdem arces, civitates, et oppida quocunque modo pertinentibus, harum Literarum vigore. Sed ea tamen lege ut quotannis a ſingulis quindecim aureis Hungaricis Dotis et Dotalitii et Donationis propter Nuptias, quæ germanice *Morgengabe* appellantur, faciendæ, unum aureum Hungaricum in annuis cenſibus habere poſſit. Quod ſi iſtæ poſſeſſiones utpote Arces, Civitates, etc. quae nunc recenſitae ſunt, minus haberent annuorum cenſuum, quam a ſexaginta quatuor millibus aureorum Hungaricorum, et a Summa Donationis propter Nuptias a dictis Dominis Marchionibus, Partre, et Filio facienda, et inſcribenda iuxta expreſſam æſtimationem provenire poſſet, debebunt dicti Domini Marchiones Pater, et Filius alia bona et poſſeſſiones, de quibus dictae æſtimationis ſumma ad amuſſim et perfecte, atque plene provenire poſſit dictae Illuſtriſſimae Dominae HEDVIGI Regiae Filiae dare, aſſignare, addicere, atque inſcribere. Quod ſi contingat, ut in huiusmodi bonis proventus annui debitam Summam inſcriptionis Dotis et Dotalitii, ac Donationis propter Nuptias excreſcent, non debebunt Haeredes Domini Marchionis illam excreſcentem ſummam pro ſe repetere, ſed praefatae Illuſtriſſimae HEDVIGI relinquere percipiendam. Et Nos SIGISMUNDUS Rex poterimus arbitratu noſtro ad enumeratas, et inſcriptas arces, civitates, oppida, poſſeſſiones, dominia, atque bona, nuntios, et oratores noſtros, quoties Nobis videbitur, mittere, et ablegare. Deinde omnes Praefecti, Burgrabii, et Officiales, atque ſubditi dictorum dominiorum, arcium, civitatum, et oppidorum, atque pa-

ANNO 1535. pagorum eidem Illustrissimae Principi Dominae HEDVIGI Regiae Filiae Dotis, Dotalitii, & Donationis propter Nuptias faciendae nomine assignatorum, et inscriptorum, assignandorumque, et inscribendorum tam ii, qui nunc vivunt, quam eorum posteri debent eidem Illustrissimae Principi Dominae HEDVIGI, aut eius Officialibus et Procuratoribus homagia, et iusiurandum fidelitatis dare, quotiescunq; operæ pretium fuerit, ipsamque aut Successores ipsius legitimos in saepe recensita Dote, Dotalitio, et Donatione propter Nuptias, adversus quoslibet, qui eam, aut Haeredes eius in iis impedire conarentur, tueri, et defendere. Item si Dominus JOACHIMUS Marchio Iunior post coniugalem coniunctionem, atque consvetudinem, prius quam dicta Domina HEDVIGIS Regia Filia moreretur, debebit eadem Domina HEDVIGIS, dictas arces, civitates, et possessiones universas, cum ipsorum attinentiis, quoad vivet, possidere, ac uti, frui, absque ulla alienatione. Quod si illa etiam deinceps vitam cum morte commutaret, universae istae possessiones toties iam repetitæ, in quibus Dos cum Dotalitio & Donatione propter nuptias, inscripta est, vel inscribetur, posthac veris, & legitimis liberis ipsorum amborum, nempe Domini JOACHIMI Junioris Marchionis, & Dominæ HEDVIGIS nostræ Regiæ Filiæ integræ permanere debebunt. Sin autem dicta Domina HEDVIGIS Regia nostra Filia Domino Marchione Juniore JOACHIMO Coniuge suo relicto superstite, absque liberis communibus decederet, Dos illa triginta duorum millium aureorum Hungaricalium, ad Nos SIGISMUNDUM Regem, aut Successores nostros Reges Poloniæ redire debebit, cuius solutio eodem modo, iisdem locis, eodemque temporis decursu, atque iisdem ratis, quibus Dos persoluta est, nempe intra biennium illico post mortem ipsius Dominæ HEDVIGIS Regiæ nostræ Filiæ fieri debebit. Quodsi Illustrissima Domina HEDVIGIS Regia nostra Filia Domino JOACHIMO Juniori Marchioni superstes esset, sive cum liberis, sive absque liberis communibus, & legitimis, & secundas adiret nuptias, aliique viro nuberet, integrum erit Haeredibus dicti Domini IOACHIMI Marchionis Iunioris quovis anno ad ferias Purgationis Beatæ Mariæ Virginis, vel duabus septimanis ultra, citrave, easdem Arces, Civitates cum universis possessionibus a dicta Regia nostra Filia sexaginta quatuor millibus aureorum Hungaricalium, & summa Donationis propter Nuptias inscripta vel inscribenda, redimere, atque eliberare, sed tamen semel in universum, ac non particulatim. Quocunque vero anno ea bona volent redimere, debebunt id ipsi ante ad festum Sancti Michaelis, vel octo dies ultra, citrave Literis suis patentibus significare, atque denuntiare, deinceps vero ad proximas ferias Purificationis Sanctæ Mariæ, sicuti præscriptum est, redimere. Cui redemtioni ipsa HEDVIGIS Regia nostra Filia non adversabitur. Verum ea lege ut illa summa triginta duum millium aureorum Hungaricalium dotalitii nomine, & altera summa Donationis propter Nuptias, quam Germani *Morgengabe* vocant, in Marchia Brandeburgensi, vel in aliis Provinciis, Hæredibus Domini IOACHIMI Marchionis subiectis, super Arcibus, Bonis, Possessionibus, atque censibus, voluntate atque permissu Hæredum, vel Successorum ipsius Domini IOACHIMI Marchionis Iunioris ponatur. Quod si ea emptio bonorum pro enumeratis summis ad Dominum Marchionem Brandeburgensem attinentibus in Marchia Brandeburgensi, aut Ditionibus eorundem Hæredum commode fieri non posset, tunc hæ summæ illorum scientia atque voluntate ad fideles manus deponentur, donec dicta emptio vel positio facta fuerit, aut ipsa HEDVIGIS Regia nostra Filia Hæredibus, & Successoribus Domini IOACHIMI Iunioris Marchionis satis abunde caverit, ut iidem Hæredes, & Successores Domini IOACHIMI Iunioris Marchionis easdem summas Dotalitii, & Donationis propter Nuptias, post mortem ipsius Regiæ Filiæ nostræ citra negotium consequi possint. Quam Cautionem cum dicti Hæredes, & Successores Domini IOACHIMI acceptaverint; liberum erit eidem HEDVIGI Regiæ nostræ Filiæ Dotis summis, Dotalitii, & Donationis propter Nuptias, proarbitrio suo uti, & convertere: Porro autem si dicta HEDVIGIS Regia nostra Filia Domino IOACHIMO Iuniori Marchioni Coniugi suo superstes erit, debebit recipere, & consequi omnia paraphernalia, vestes, vasa, clenodia, & universam mensæ suæ supellectilem, sive auream, sive argenteam, quam vel a Nobis Rege Patre, vel a Domino IOACHIMO Marito suo, vel aliunde quocunque modo seu donatam, seu suis impendiis comparatam habuerit. Item omnia lectisternia, in quibus cum dicto Domino IOACHIMO Marito suo cubare solita est. Praeterea omnem corporis sui cultum, omnia, quæcumque ad Cameram, & Curiam eius spectant, quæque ad amborum usum pertinuerunt, atque his contenta esse debebit,

ANNO 1535.

ANNO 1535. bit, ad alia nullum Ius habitura. Cæterum, si Dominus IOACHIMUS Iunior Marchioni clenodia, vasa aurea, vel argentea, vestes, aut aliam quamcunque supellectilem eiusdem Regiæ nostræ Filiæ, quam vel a Nobis Rege, vel a quocunque alio habet, vel ipsa sibi comparavit, distrahere vellet, quod tamen nonnisi gravi urgente necessitate fieri debet, æstimabuntur hæ res ab Arbitris utriusque Partis, ut iustum, & æquum erit, antequam de manibus eius accipiantur, & posthac per Hæredes ipsius Domini IOACHIMI Marchionis Iunioris iuxta præmissam æstimationem solventur. Quod si dicta Regia Filia absque prole decederet, debebunt hæ res acceptæ Nobis Regi, aut Successoribus nostris Regibus Poloniæ mox post mortem eiusdem Regiæ Filiæ nostræ, in decursu trium Mensium persolvi, & Posnaniæ apud Factores nóstros, per Nos, aut Successores nostros ad hoc deputatos plenarie deponi. Item Munus propter Nuptias, quod Dominus IOACHIMUS Iunior Marchio dictæ Regiæ Filiæ nostræ Uxori suæ post Coniugalem Coniunctionem, donaverit, & assignaverit, debebit ei pariter cum enumeratis Summis Dotis, & dotalitii assignari, & inscribi, ita ut inde annuos reditus iuxta superiorem æstimationem illa habeat, tam vivente dicto Marito suo, quam mortuo. Ipse vero Dominus IOACHIMUS Iunior, Marchio de ea *Do*natione propter Nuptias facienda, pariter cum *Do*mino IOACHIMO Patre suo patentibus Literis, cavere debebit, & eas Literas apud Nos Regem Poloniæ, aut Successores nostros Cracoviæ mox post consummatas Nuptias reponere. Quod vero attinet ad redemptionem bonorum, quæ Regiæ nostræ Filiæ assignata, & inscripta sunt, idem intelligi debebit de donatione hac propter Nuptias, quod de summis *Do*tis, & Dotalitii, supra scriptum est. Quoniam vero dicta HEDVIGIS Regia nostra Filia Avunculum habet Serenissimum *Do*minum IOANNEM Regem Hungariæ, si is sine prole, & suis Hæredibus decederet, atque eius bona legitime, & Iure hæreditario ad eandem *Do*minam HEDVIGIM neptem ipsius ex Sorore, devolventur, Nos SIGISMUNDUS Rex promittimus Nos opera, & Consilio nostro *Do*minum IOACHIMUM Iuniorem Marchionem Generum, & Filium nostrum charissimum, & Coniugem ipsius Filiam nostram Regiam, & eorum Successores ab ambobus progenitos, in consequendis iis bonis adiuturos esse, sed nihil tamen derogando prioribus Inscriptionibus. Porro, si ut est hominum genus fragile, & variis casibus obnoxium, alteruter horum Coniugum ante celebratas, & consummatas Nuptias, ex hac vita (quod *Deus* avertat) migraret, omnia hæc Pacta, & Conventa, irrita, & nullius momenti esse debebunt, neque alterutra Pars alteri horum Pactorum, atque harum Transactionum nomine, quicquam erit obnoxia. In cuius rei evidens testimonium scriptæ sunt Literæ similes eodem exemplo, & nostris Regis SIGISMUNDI, & ante recensitorum Legatorum utriusque Illustrissimi *Do*mini IOACHIMI Marchionis, Patris, & Filii Sigillis uniuscuiusque obsignatæ. Quare Nos GEORGIUS *De*i Gratia Episcopus Lubucensis, & Ratzburgensis, Gontherus Comes, & *Do*minus in Schuardburgk, Ioannes Gans *Do*minus in Potlist, Fabianus Sung præpositus Berlinensis, cum plena auctoritate, & sufficientibus Mandatis Legati Illustrissimorum Principum, & Dominorum, *Do*mini JOACHIMI Senioris, et *Do*mini JOACHIMI Junioris Marchionum Brandeburgensium etc. recognoscimus, et profitemur tenore præsentium, Nos haec omnia, uti scripta sunt, cum Sereniſſimo Principe et *Do*mino, *Do*mino SIGISMUNDO *De*i Gratia Rege Poloniae etc. Domino nostro clementissimo transegisse, promittimusque verbis utriusque *Do*mini Marchionis, *Do*minorum nostrorum, omnia haec et singula rata, et grata habitum, et observatum iri absque malo dolo. In cuius rei testimonium, uti supra scriptum est, Sigilla nostra una cum Sigillo annulari Serenissimi Regis Poloniae etc. his literis appendimus, praesentibus Illustrissimo Principe *Do*mino ALBERTO DEI Gratia Marchione Brandeburgense, Duce Prussiae etc. Reverendissimo in Christo Patre Domino Joanne Choienski Episcopo Praemislienſi, et Magnifico *Do*mino Petro de Opaleniza Castellano Landensi, et Magistro Curiae Sereniſſimi Regis SIGISMUNDI Junioris, per quos haec Pacta atque Conventa tractata, et transacta sunt. Actum et datum XXI. die Martii, Anno Domini MDXXXV.

ANNO 1535.

## XII.

*Quietatio* JOACHIMI *Junioris Marchionis Brandeburgensis de triginta duobus millibus aureorum a* SIGISMUNDO *Rege Poloniæ Dotis nomine solutorum.* Datum in Civitate Regia Cracovienſi die 9. Septembr. Anno 1535. *Ex Originali. Extat in Archivo*

ANNO 1535. *Arch. Cancell. Regni Lib. Legationum ſub Lit. K. Fol. 238.*

JOACHIMUS DEI Gratia Marchio Brandeburgenſis, Sacri Romani Imperii Archicamerarius Princeps Elector, Stetinenſis, Pomeraniae, Caſſuborum, et Sclavorum etc. Dux, Burgrabius Nurembergenſis, et Rugiae Princeps. Etſi ita convenerat inter Sereniſſimum Principem, et Dominum, Dominum SIGISMUNDUM Dei Gratia Regem Poloniae, Magnum *D*ucem Litvaniae, Ruſſiae, totius Pruſſiae, Maſoviaeque etc. *D*ominum, et Haeredem, *D*ominum Socerum, et Parentem noſtrum chariſſimum, obſervandiſſimumque, et Nos, ut Dotis nomine triginta duo aureorum Hungaricorum millia, boni auri, et iuſti ponderis certis quibusdam temporibus Nobis numerarentur, quemadmodum in Literis Contractus fuſius eſt explicatum, tamen cum ipſi Cracoviam veniſſemus, ut ibi ex Pacto Matrimonium contraheremus, Sereniſſimus Rex, Socer, et Parens noſter obſervandiſſimus, maturius etiam, atque deberet, Nobis praeſtitit, et quam ſe conſtitutis temporibus pecuniam Dotis nomine Nobis daturum ſpoponderat, eam Cracoviae Nobis repraeſentavit, atque univerſam Dotem triginta duo millia aureorum Hungaricalium, Nobis etiam tum Cracoviae exiſtentibus numerari fecit: quin etiam, quae eſt paterna quaedam illius erga Nos benevolentia, ea omnia quaecunque Illuſtriſſimae Filiae illius, Uxori noſtrae chariſſimae, aut *D*otis, aut ornamentorum, aut paraphernalium, totiusque ſupellectilis nomine, a praefato Sereniſſimo Rege SIGISMUNDO debebantur, liberaliter Nobis dari, & aſſignari curavit, ut non ſolum ſatisfeciſſe ſpei noſtrae, et expectationi de ſe, verum etiam ſuperaſſe eam videatur. Id quod Nos pro mutua noſtra erga illius Maieſtatem obſervantia libenter fatemur, atque adeo profitemur, et prae Nobis ferimus, atque his Literis noſtris manu noſtra ſubſcriptis, Maieſtatem eius quietamus, cavemusque neminem amplius noſtro nomine, et Uxoris noſtrae chariſſimae, neque Dotis, neque ornamentorum, paraphernalium, vel totius ſupellectilis nomine, aut loco quidquam petituros. Atque ut huic noſtrae cautioni tanto plus fidei habeatur, non ſolum manu noſtra ſubſcribendam, ſed, & ſigno noſtro eam eſſe duximus confirmandam, atque id Syngraphe huic noſtræ curavimus appendendum. Datum in Civitate Regia Cracovienſi poſtridie Nativitatis Mariæ Virginis, quae fuit dies nona Septembris. Anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo quinto. ANNO 1535.

JOACHIMUS *Kurfürſt.*

XIII.

*Literæ eiusdem, quibus ſummam ſexaginta quatuor millium aureorum Dotis, & Contradotis Illuſtriſſimæ* HEDVIGIS *Coniugis ſuæ, in Comitatu Rippinenſi collocat.* Dat. Cracoviæ die 9. Septemb. Anno 1535. *Ex Originali.*

NOs JOCACHIMUS Dei Gratia Marchio Brandeburgenſis, Sacri Romani Imperii Archicamerarius, ac Princeps Elector, Stetinenſis, Pomeraniæ, Caſſuborum, Vandalorumque Dux, Burgravius Norimbergenſis, ae Rugiæ Princeps. Recognoſcimus, & notum facimus præſentibus noſtris patentibus Literis pro Nobis, noſtris Hæredibus, & Succeſſoribus, coram univerſis, & ſingulis has Literas viſuris, lecturis, aut legi audituris. Quandoquidem cum Sereniſſimo, ac Illuſtriſſimo Principe, ac Domino, Domino SIGISMUNDO eadem Gratia Rege Poloniæ, M. Duce Litvaniæ, Ruſſiæ, totius Pruſſiæ, Maſoviæ, *S*amogitiæ *D*omino, & Hærede, Socero, & Patre noſtro obſervandiſſimo affinitatem contraximus, & Illuſtriſſimam Dominam HEDVIGIM præfati *S*ereniſſimi Regis Filiam Nobis deſponſatam, & legitime copulatam in Matrimonium duximus, & eius R. Maieſt. Dotem triginta duorum millium floren. Hungaric. in auro puri auri, & iuſti ponderis nominavit, & ſolvere promiſit, ſicut in Literis Connubialibus per noſtros Oratores, & Legatos deſuper confectis, & ſigillatis expreſſius, & fuſius continetur in *D*otis huiusmodi compenſationem, obligavimus Nos, viciſſim præfatæ noſtræ ſuaviſſimæ, ac dilectiſſimæ Coniugi ſexaginta quatuor millia ſimilium aureorum Hungaricalium, boni auri, & iuſti ponderis, Donationem propter Nuptias, corporis proviſionem, vulgo *Leibgedinge* conſtituturos, ac de tanta ſumma cautionem ſufficientem facturos, promiſimus, ita, ut uſum fructum, ſive annuos reditus de quibuslibet quindecim aureis Hungaricalibus unum aureum Hungaricum boni auri, & iuſti ponderis quotannis annui reditus loco, ſublevare, ac percipere poſſit, ſicut in Contractu Matrimoniali, & Literis deſuper confectis clariſſime exprimitur. Quapropter pro compenſatione ſupradictæ Dotis triginta duorum millium aureorum Hun-

ANNO 1535. Hungaricalium, boni auri, & iusti ponderis, Nobis constitutæ, Illustrissimæ Dominæ HEDVIGI Coniugi nostræ charissimæ indicamus, inscribimus, assignamus, & addicimus sexaginta quatuor millia aureorum Hungaricalium, boni auri, & iusti ponderis super toto Comitatu Ruppinensi, cum omnibus ipsius Dominiis, Arcibus, Civitatibus, Oppidis, ab omni alia Obligatione, & Inscriptione liberis. Arces vero ipsæ sunt: antiqua Ruppin, Goltbeh, Neustadt, Civitates nova, & antiqua *R*uppin, Grandsoia, Wusterhausen, Neustethleyn Wittbergk, Goltbergh cum omnibus villis, prædiis, & omnis generis possessionibus proprietatibus, atque usu fructibus, teloneis, vectigalibus, domibus, frumentariis, nemoribus, vineis, iudiciis, atque universis censibus, & reditibus, usibus, mulctis, sive pœnis, omagiis, feudis, piscationibus foris, & foralibus, sylvis, venationibus, aquis, Juris patronatibus, & Collationibus Officiorum, Dignitatum, & Beneficiorum, tam sæcularium, quam spiritualium, atque Ecclesiasticorum Curatorum, vel cura vacantium, & breviter cum omnibus rebus citra ullam exceptionem quocunque nomine vocentur, & quæcunque nunc sunt, & in futurum humana industria fieri possunt, ad easdem Arces, Civitates, & Oppida, quocunque modo pertinentibus, harum Literarum vigore, sed ea tamen lege, ut quotannis a singulis quindecim aureis Hungaricis, Dotis, & Dotalitii, & Donationis propter Nuptias, quæ germanice *Morgengabe* appellantur, faciendæ, unum aureum Hungaricum in annuis censibus habere possit. Quod si præfatæ Possessiones, utpote Arces, Civitates, & cætera minus haberent annuorum censuum, quam a sexaginta quatuor millibus aureorum Hungaricalium boni auri, & iusti ponderis, & a Summa Donationis propter Nuptias iuxta expressam æstimationem provenire posset, debebimus alia Bona, & Possessiones, de quibus dictæ æstimationis Summa ad amussim, & perfecte, atque plene provenire possit, dictæ Illustrissimæ *D*ominæ HEDVIGI Coniugi nostræ dare, assignare, adiicere, atque inscribere pro usu sui corporis, & vitæ, post mortem nostram, quoad ipsa vixerit, fruendi, & utendi, quod effectualiter facimus, & inscribimus vigore præsentium Literarum, inscripturi & alia Bona nostra, si præmissa ad æquandam præfatam Summam Dotis, *D*otalitii, & *D*onationis propter Nuptias non sufficerent in annuis proventibus, & id ipsum in Prignitzia Territorio Nobili Comitatui Ruppienensi vicino, aut alio quopiam loco idoneo, & commodo, & talia quidem Bona, quæ libera sunt, & nulli alteri inscripta sunt, aut obligata, quo possit dilecta Coniunx nostra HEDVIGIS proventus præfatæ Summæ sufficienter ex illis consequi. Quodsi contingat, ut in huiusmodi Bonis proventus annui debitam Summam Inscriptionis, Dotis, Dotalitii, & Donationis propter Nuptias excrescant, non debebunt Hæredes nostri illam excrescentem Summam pro se repetere, sed præfatæ nostræ Coniugi HEDVIGI relinquere percipiendam, & liberum fore permittimus Sereniſſimo Regi SIGISMUNDO Socero, & Patri nostro observandissimo pro arbitratu suo ad enumeratas, & inscriptas arces, civitates, oppida, possessiones, dominia, atque bona, Nuntios, atque Oratores suos, quoties suæ Serenitati videbitur, mittere, & legare. Curabimus etiam Nobiles, & alios incolas præfatarum arcium, urbium, & villarum, Comitatus Ruppinensis, etc. charissimæ Uxori nostræ HEDVIGI iureiurando fidelitatis, & omagii obligari, & astringi, in casum, & eventum mortalitatis nostræ valituro, ita, quod tunc suæ Dilectioni obligati sint, & in fidelitate subditi. Præterea quandoquidem sæpe nominatae iucundissimae Coniugi nostrae adhuc decem millia florenorum Rhenensium in Summa etiam Donationis propter Nuptias constituimus, ac publice polliciti sumus, cavebimus in certis nostris Bonis, nulli alii oppignoratis, aut obligatis suae Dilectioni usum fructum annuum, etiam tempore vitae nostrae de praefatis decem millibus florenorum Rhenensium inscribi, ita, ut ea pro sua honesta commoditate libere uti valeat, & post mortem nostram una cum supra memoratis aliis Donationibus propter Nuptias suae Dilectioni deputatis pro vitæ suæ usu æque utatur, et fruatur absque aliqua cuiusvis nostra Haeredum, aut *S*uccessorum nostrorum contradictione, atque haec quidem omnia, et singula praemissa pollicemur Nos JOACHIMUS Marchio Brandeburgensis, Electorve fide, Inclito, et consveto Principe digna, firmiter, inviolabiliterque observaturos, et observari curaturos omni simulatione romota. Quin, et ea omnia, quae nostro nomine Oratores nostri cum plena quidvis statuendi potestate a Nobis missi, cum praedicto *S*erenissimo Rege, *S*ocero, et Parente nostro observandisimo Vilnae egerunt, omnia eorum Pacta, et Conventa approbamus, et rata habemus, nostrumque illis assensum praebemus, atque itidem bona fide Nos observaturos pollicemur.

ANNO 1535.

In

ANNO 1535. In quorum omnium fidem, et evidentius teſtimonium praeſentes has Literas manu noſtra ſubſcriptas *S*igillo noſtro conſignamus. *D*atum in Civitate Regia Cracoviae poſtridie Nativitatis Mariae Virginis, quae fuit dies nona *S*eptembris. An. *D*omini milleſimo quingenteſimo trigeſimo quinto.

JOACHIMUS *Kurfurſt.*

## XIV.

1536. *Idem recognitionem acceptæ Dotis, & Obligationem eiusdem Dotis, & Donationis propter Nuptias in Comitatu Rippinenſi factam renovat, & inſuper Præfecturam Buczovienſem addit, præſente Regis Oratore.* Dat. Franckforduæ cis Oderam die 24. Octobris Anno 1536. *Ex Originali.*

NOS IOACHIM *D*ei Gratia Marchio Brandeburgenſis, Sacri Romani Imperii Archicamerarius, Princepsque Elector, Stetinenſis, Pomeraniæ, Caſſuborum, Schlavorumque *D*ux, Burgravius Norenbergenſis, ac Rugiæ Princeps, Præſentibus noſtris patentibus Literis ſignificamus, ac notum facimus, pro Nobis, noſtris Haeredibus, & Succeſſoribus, coram omnibus, & ſingulis, has noſtras Litteras viſuris, lecturis, aut legi audituris. Quandoquidem cum Sereniſſimo ac Illuſtriſſimo Principe, ac *D*omino, *D*omino SIGISMUNDO eadem Gratia Rege Poloniae, Magno *D*uce Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, & Samogitiae *D*omino, & Haerede, Socero, ac Patre noſtro obſervandiſſimo, affinitatem contraximus, dum Illuſtriſſimam *D*ominam HEDVIGIM praefati Regis filiam Nobis legitime deſponſatam, & copulatam in cubili ac thoro matrimoniali aſſociavimus, eiusque Regia *M*aieſtas *D*otem triginta duum millium florenorum Hungaricalium in auro puro, & iuſti ponderis nominavit, ac Nobis ſolvere promiſit, ſicuti in Literis connubialibus per noſtros Oratores & Legatos deſuper confectis, & ſigillatis expreſſius, & fuſius continetur. Recognoſcimus, & praeſentibus Literis coram omnibus teſtatum volumus, & profitemur, ſupradictum Sereniſſimum Regem *D*ominum Socerum, ac Patrem noſtrum obſervandiſſimum, praefatam ſummam triginta duum millium florenorum Hungaricalium puri auri, & iuſti ponderis Nobis Cracoviae integraliter numeraſſe, tradidiſſe, ac ſolviſſe. Quapropter omni iuri, obligationi, aut impetitioni ſuper huiusmodi ſumma *D*otis pro Nobis, noſtris Haeredibus, & Succeſſoribus renuntiamus, ſupradictum Sereniſſimum Regem, eiusque Haeredes, & Succeſſores, in perpetuum quietum ac quietos, liberosque fore eſſe debere, manereque aſſerimus, deſignamus, & dicimus. In compenſationem vero praefatae perceptae *D*otis, ſicut Nos facturos promiſimus, & obligavimus. Viciſſim donamus dilectiſſimae Coniugi noſtrae HEDVIGI, ſexaginta quatuor millia ſimilium aureorum Hungaricalium boni, & iuſti ponderis propter Nuptias, corporis proviſionem vulgo *Leibgeding*, & de hoc cautionem facimus vigore praeſentium in Civitatibus, Arcibus, Oppidis, & aliis Bonis, & Proventibus Comitatus Ruppinenſis, & Praefecturae Boczovienſis, ab omni alia obligatione, & inſcriptione liberis infra expreſſe nominandis, ita ut uſufructum, ſive annuos reditus, de quibuslibet quindecim aureis Hungaricalibus, unum aureum Hungaricum boni auri, & iuſti ponderis annuo ſublevare, & percipere poſſit, ſicuti in Contractu Matrimoniali, & Literis deſuper confectis clariſſime exprimitur. Arces vero in Comitatu Ruppinenſi ſunt nominatim, antiqua Ruppin, Goltbeck, Neuſtadt, Civitates autem nova, & antiqua Ruppin, Granſoia, Wuſterhauſen, Neuſtetlein, Wiltberge, Goltbeck, quæ omnia, & ſingula Illuſtriſſimæ Dominæ HEDVIGI Conthorali Nobis chariſſimæ, indicamus, inſcribimus, aſſignamus, & addicimus, cum omnibus villis, prædiis, & quibuslibet poſſeſſionibus, proprietatibus, & uſufructibus, teloniis, vectigalibus, domibus, frumentariis, nemoribus, vineis, iudiciis, atque univerſis cenſibus, & reditibus, uſibus, pœnis, homagiis, feudis, aquis, piſcationibus, foris, & foralibus, ſylvis, & venationibus, ſervitiis Nobilium ſive ignobilium ſubditorum, tam Spiritualium quam Saecularium, quibus, & qualiter Anteceſſores noſtri, & Nos huiusmodi ſervitiis uſi ſumus, Juriſpatronatibus, & Collationibus Officiorum, Dignitatum, & Beneficiorum tam Sæcularium quam Spiritualium, & Eccleſiaſticorum, Curatorum vel cura vacantium. Et breviter cum omnibus rebus, citra ullam exceptionem, quocunque nomine vocentur, & quæcunque nunc ſunt, & in futurum humana induſtria fieri poſſunt, ad easdem Arces, Civitates, et Oppida quocunque modo pertinentibus harum Literarum vigore de præmiſſorum omnium proventibus, cenſibus, & uſufructibus, ſicut exacta, & diligenti omnium, & ſingulorum, ſtabilium, creſcentium, & decreſcentium Bonorum perluſtratione, ta-

ANNO 1536.

ANNO 1536. xa, & æstimatione aliquot Nobilium fide dignorum, videlicet Mathiæ de Oppen in Ruppin, Joanne Haken in Botrzow, & Heyne Doberitz in Driezen Capitaneorum, & Nicolai Thum Quæstoris nostri ærarii ex parte nostra. Et Nobilis strenuique Domini Achatii Czema Equitis Aurati, Castellani Gedanensis, & Capitanei Stumensis Oratoris, & Legati ex parte Regiæ Maiestatis Poloniæ, Domini Soceri, & Patris nostri obsservandissimi ad hoc specialiter Commissarii, & Legati, exploratum, inventum, & compertum est, habere potest, & poterit Illustrissima nostra Coniunx HEDVIGIS ex Comitatu Ruppinensi in summa annuo sex millia florenorum viginti septem florenos, decem, & septem grossos Marchiticos, triginta duos grossos Marchiticos pro uno floreno computando. Ex Præfectura vero Arcis, & Oppidi Botzouw, & eorundem attinentiis, mille trecentos, & viginti quinque florenos. Et ita pro sexaginta quatuor millibus aureorum Hungaricalium puri auri, & iusti ponderis charissimæ Coniugi nostræ HEDVIGI pro compensa a Nobis perceptæ Dotis debitorum, in Summa Summarum donamus, cedimus, & inscribimus per præsentes nostras Literas septem millia florenorum Rhenensium, trecentos quinquaginta duos florenos Rhenenses, triginta duos grossos pro uno floreno computando, & viginti tres grossos Marchiticos. Præter omnia, & singula, quæ nondum æstimata, nec in præfatam summam redacta Svavissimæ Coniugi nostræ ex amicissimo, et pio affectu ultro, et liberaliter adiiciemus, et ipsam in eorum possessionem introduci curabimus. Quod si supradicta Summa summarum minor esset, quam a sexaginta quatuor millibus aureorum Hungaricalium de quindecim aureis Hungaricis, unum aureum computando, annuo Jure provenire deberet, debemus, et volumus Nos aut nostri Haeredes, sive Successores saepe dictae nostrae Coniugi certa alia Bona assignare, donare, et inscribere, ex quorum proventu, quod legitimae summae deest, assequi poterit, pro usu sui corporis, et sustentatione vitae iuxta decentiam sui status, ita ut quoad ipsa vixerit, Jus habeat, et habere debet, post mortem nostram utendi, et fruendi praefatis omnibus, et singulis, prout suae dilectioni videbitnr commodum, et expediens. Si vero contingat, ut proventus annui in supra memoratis Bonis debitam summam Inscriptionis Dotis, Dotalitii, et Donationis propter Nuptias excrescant, non debebunt Haeredes aut Successores nostri huiusmodi excrescentem Summam pro se repetere, sed praefatae nostrae Coniugi HEDVIGI relinquere percipiendam, utendam, et fruendam, pro commoditate sua, sicuti Moris, et Juris est, utendi, et fruendi huiusmodi Bonis ad vitam deputatis, et designatis. Caeterum omnia, et singula Pacta, et Conventa, quae in Inscriptionibus Dotis & Dotalitii expressa sint, firmiter obsservari velimus, ideoque pro nostra Persona volumus, aliisque nostris Hæredibus, Successoribus, Marchionibus Brandeburgensibus, Electoribus, Capitaneis, & aliis quorumcunque officiorum Præfectis, & fidelibus nostris pro nunc, aut in futurum existentibus, præcipimus, & demandamus, ut si charissimam nostram Coniugem, Nobis superstite, vitam cum morte commutare divino arbitrio contingeret, quæ omnes & universæ istæ possessiones in prædictis Literis Dotis, & Dotalitii expresse posthac veris, & legitimis Liberis ex ambobus Nobis prognatis integre permanere, ipsisque præ omnibus aliis in eorum usufructum redigi debebunt. Quod si vero Coniunx nostra amantissima, Nobis vita perfuncto, sive cum Liberis, sive absque Liberis legitimis nostris communibus superstes permanens, secundas Nuptias adire velit, tum rursus omnibus nostris Hæredibus legitimis integrum esse debet, quovis anno ad ferias Purgationis Divæ Mariæ Virginis, vel duabus septimanis ultra, citrave easdem Arces, Civitates, cum universis possessionibus a prædicta nostra Coniuge charissima cum sexaginta quatuor millibus aureorum Hungaricalium, & Summa Donationis propter Nuptias redimere, idque semel in universum & non particulatim, verum quocunque anno ea Bona Hæredes nostri redimere velint, id ipsi debent ante ad Festum Sancti Michaelis, vel octo dies ultra citrave Literis suis patentibus Coniugi nostræ significare, atque denuntiare. Deinde vero ad proximas ferias Purgationis Sanctæ Mariæ, sicuti præscriptum est, redimere, cui redemptioni præfata Coniunx nostra non adversabitur. Si item Coniunx nostra, Nobis defuncto, superstes maneret, debebit omnia paraphernalia, vestes, vasa, clenodia, & universam mensæ suæ supellectilem auream, sive argenteam, quam vel a Domino Parente Rege, SIGISMUNDO Socero, & Partre nostro obsservandissimo, aut a Nobis Marito suo, vel aliunde quocunque modo donatam, seu suis impendiis comparatam habet. Item omnia Lectisternia, in quibus Nobiscum Marito suo una cubare solita fuerit, praeterea omnem corporis

ANNO 1536.

ANNO 1536. corporis ſui cultum, una cum tecto, Plauſtris & Equis, ac reliquis attinentiis, ſimulque omnibus, quæ ad Cameram, & Curiam eius ſpectant, atque adeo ad noſtrum utriusque uſum pertinuerunt, obtinere. Etiam hoc ſubiit memoriæ his Literis demandandum, ut ſi præfatæ Coniugis noſtræ clenodia, vaſa aurea, vel argentea, aliamve ſupellectilem, quam a prænominato Domino Parente ſuo *Rege*, vel alio quocunque obtinuiſſet, vendere, & diſtrahere vellemus (quod tamen non niſi grande urgente neceſſitate fieri debeat) hae res ab utriusque noſtrum Arbitris, ut iuſtum, & aequum fuerit, antequam de manibus, aut conclavi Coniugis noſtrae percipiantur, aeſtimari, & poſthac per Haeredes noſtros legitimos, aut Succeſſores iuxta taxam, & aeſtimationem factam perſolvi debeant. Interim vero quae dictae res acceptae, & diſtractae Coniugi noſtrae absque prole e vivis decedente perſolutae non eſſent, debebunt Domino Parenti ſuo, Regi aut eius Succeſſoribus Poloniae *Regibus* poſt mortem praedictae Coniugis noſtrae trium menſium decurſu perſolvi. Porro quandoquidem ſaepe memoratae Coniugi noſtrae ſuaviſſimae praeter ſupradicta decem millia florenorum, nec non *Donationis* propter Nuptias nuncupatis vulgo *Morgengab* conſtituimus, & polliciti ſumus, idcirco donamus, aſſignamus, & inſcribimus eidem Coniugi noſtrae quingentos florenos Rhenenſes annuo ex certiſſimis primariis, potioribusque proventibus, reditibus, & cenſibus in Brignicia Provincia noſtra praecelebri, ante omnes alias perſolutiones, & Inſcriptiones ſublevandas, quibus Coniunx noſtra chariſſima etiam tempore vitae noſtrae, pro ſua voluntate, & commoditate libere uti, & frui poterit, quod vigore Praeſentium ei liberum eſſe & fore permittimus, ſimulque poſt mortem noſtram eadem ſuae Dilectioni utenda, & fruenda pro vitae & ſtatus ſui conſervatione remanere debent. Poſtremo cum non immerito utriusque fides & charitas coniugalis in dies incrementum ſumat, divinoque munere habenas ſuae ſinceritatis relaxet, igitur ex motu noſtro proprio, inque ſingularis, & ſincerae dilectionis, qua erga Coniugem noſtram affecti ſumus, ſtabile argumentum, ſuper haec omnia praeſcripta, pacta, conventa, donata, quae vel praeſtare volebamus, debebamus, ſeu ante inſcripſeramus, ſtatuimus, & decrevimus, Praeſentiumque vigore decernimus, donamus, & aſſignamus alios quingentos florenos Rhenenſes Marchici pagamenti Coniugi noſtrae dulciſſimae, pro privato proprio arbitrio, & quotidiano uſu, & ſumptu ad tempus vitae ſuae utendos & fruendos. Ea tamen certa lege & conditione, ut eiusmodi denuo ſuperadſcripti, exque ſingulari motu, & affectu donati, et conceſſi quingenti floreni *Rhenenſes* Coniugi noſtae praememoratae non ante, quam poſt mortem noſtram una cum prioribus inſcriptis quingentis florenis annuo ad decurſum vitae ſuae dari, & per Quæſtorem noſtrum in Brignitia enumerari debeant. Ut tandem poſt mortem noſtram hac lege ſuæ charitati annuatim mille floreni Rhenenſes in proprium, et privatum uſum vitæ, & ſtatus ſui cedere, & perſolvi nullis neque Hæredibus, neque Succeſſoribus noſtris contradicentibus, aut renitentibus deberent. Quamobrem ſtatuimus, & volumus hiſce noſtris Literis Quæſtorem aut Teolonarium noſtrum in Brignitia pro nunc, aut in futurum pro qualibet temporis exigentia, & quando neceſſum viſum fuerit, ſingulari iuramento adſtringi, & obligari, ut talis Quæſtor ſeu Teolenarius ex certiſſimis, & potioribus proventibus, cenſibus, & reditibus in Brignitia ante omnium aliorum, vel debitam perſolutionem, vel inſcriptionem Coniugi noſtræ amantiſſimæ præcipue, & præ omnibus præſcripta enumerari, & expendi debeant. Quatenus autem Sereniſſimus Rex Poloniæ, Dominus Socer, & Pater noſter Obſervandiſſimus, & Chariſſima noſtra Coniunx de omnibus præmiſſis aſſequendis, certiſſima eſſe poſſit, curavimus, & demandavimus Capitaneis, Nobilibus, Civibus, Agricolis, & aliis Incolis Comitatus Ruppinenſis, & Præfecturæ Botzenſis, ut chariſſimæ noſtræ Coniugi HEDVIGI Juramentum obedientiæ fidelitatis, homagii, & ſubiectionis præſtarent, in caſu, & eventu mortalitatis noſtræ effectualiter ex nunc, ut extunc, & e converſo valiturum, ita ut ſuæ Dilectioni obligati ſubditi fideles, & audientes ſint, & maneant, quo ad ipſa in vita ſuperſtes permanſerit. Huiusmodi fidelitatis iuramentum Nobiles, Cives, & Incolæ præfati Comitatus Ruppinenſis, & Præfecturæ Botzenſis, chariſſimæ noſtræ Coniugi in perſona ſupradicti Strenui Domini Achatii Czema Equitis aurati, Regii Legati, & Commiſſarii ad hoc ſpecialiter miſſi, & ſupradictorum noſtrorum Capitaneorum, & Conſiliariorum præſentia conceptis verbis, & ſtipulatis manibus præſtiterunt realiter, & cum effectu. Quod factum Nos gratum, & ratum habemus, approbamus, & confirmamus. Volumus etiam ut Succeſſores nunc exiſtentium Capitaneorum Coniugi noſtræ, quotieſcunque opus fuerit

Anno 1536. rit, huiusmodi Juramentum etiam præstare debeant, & teneantur. Nos itaque Joachimus Marchio Brandeburgensis Princeps Elector vigore harum Literarum, nostrarum testamur, atque pollicemur; præmissa omnia, & singula, quæ vel Vilnæ per Oratores, & Legatos nostros, tum etiam quæ per Nos Ipsos Cracoviæ circa initum Coniugium, acta, gesta, promissa, pacta, & stipulata, novissimeque per Literas dotis, & dotalitii, donationis, & redonationis de verbo ad verbum, & articulatim conscripta, & expressa sunt, pro nunc ut extunc, & e converso, pro Nobis, Hæredibus, & Successoribus nostris firma fore, rata consistere, & permanere, eaque in universum fideliter absque fuco, aliaque vafra industria illæsa, & integra observaturos, observarique curaturos. In quorum omnium præscriptorum evidentiorem fidem, & observantiam has Literas manu nostra propria obfirmari, & Sigillo nostro maiori subappenso communiri iussimus. Datum Franckforduæ cis Oderam Vigesima quarta die Mensis Octobris Anno a Natali Die Christi supra millesimum quingentesimum trigesimo sexto.

Joachim *Kurfürst.*

## XV.

1541. *Instructio Commissariis ad regundos Fines inter Regnum, & Marchionatum Brandeburgensem delegatis data.* Vilnæ 12. Febr. Anno 1541. *Ex Archivo Regni Lib. Legationum sub Lit. G. fol. 147.*

Commissarii nostri, quum ad regundos fines erunt profecti, conquirent undique Diplomata, quæcunque habere poterint, in quibus Limites sint descripti. Nos in Thesauro nostro quæri etiam iussimus, si quæ essent eius generis Literæ, quæ si repertæ fuerint, in manus eorum per Nos mittentur.

Legent præterea diligenter Legationem, quam habuit Aulicus noster Generosus Nicolaus Hipschicz ad Illustrem Dominum Marchionem, & Responsum illius. Inde enim, quid faciendum eis sit, colligent; nam Nos ut maxime velimus aliquam instructionem dare, tamen cum situm loci istius perspectum non habeamus, neque unquam isthic fuerimus, rectius posse consilium dare videmus eos, qui isthic habitant, qui statum rerum omnium tenent, Bonorum Tenutarii in finibus constituti.

Non dubitamus autem, quin eiusmodi Anno 1541. Diplomata habeat alicubi Magnificus Andreas de Gorka Castellanus Posnanienſis, & Capitaneus Maioris Poloniæ Generalis. Posteaquam in rem præsentem ventum erit, quærent ex eis, qui fuerint ætate provectiores, de Finibus, & cum eorum relatione, tum Scriptis nostris, si quæ habebunt, innitentur, atque omni cura providebunt, ne quid occupent vicini diutius, ii qui sunt Ditionis Illustris Domini Joannis Marchionis, quod ad Regnum nostrum pertineat. Quandoquidem, & Nos nihil Nobis volumus alienum usurpare.

Quod si viderint eos, qui missi erunt ab Illustrissimo Domino Marchione, Terræ nostræ appetentiores, & ultra Limites Provinciæ suæ progredi velle, nequaquam id patientur, omnia nihilominus facient, ut ne rebus infectis discedant. Ita tamen, ut ab omni simultate caveant, sed ad Nos se relaturos de eis, quæ acta ibi erunt, dicant, deque die conveniant, quo iterum ad terminandos fines conveniant, a suo quisque Principe informatione accepta.

Ac mallemus Nos quidem confici isthic negotium citra alterutrius Partis iniuriam, sed si id fieri non poterit, & quod nollemus, inchoatis rebus discessum erit, in proximis Regni Comitiis Literas inspiciemus, si quæ offendi poterint, & quemadmodum scriptum in illis fuerit de Consilio Regni nostri Senatorum, procedi deinceps in causa hac iubebimus. Modo ut Commissarii nostri cum Commissariis Illustris Domini Marchionis, si quæ erit in regundis finibus difficultas, viam, & rationem inveniant, qua tolli ea possit, & omnes istæ controversiæ complanari, ac pacatis, & constitutis inter se rebus, ad suos quique Principes redeant.

Quod attinet ad Nos, quibus de rebus citra utriusque Partis iniuriam inter Commissarios convenerit, libenter ad eas assensum nostrum præbebimus. Idem facturum Illustrem Dominum Marchionem Nobis persvademus.

Volumus præterea, ut iidem Commissarii nostri de iniuriis ultro citroque illatis cognoscant, & aut per Concordiam de eis transigant, aut quacunque possunt honesta ratione componant.

## XVI.

*Mandatum* Sigismundi *Regis in eodem negotio.* Dat. Vilnæ 12. Febr. Anno 1541.

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, & Samogitiæ, &c. Dominus,

ANNO 1541. minus, & Hæres. Universis, & singulis, quorum interest, planum, testatumque facimus: Quod cum personarent aures nostræ crebris hominum nostrorum querimoniis de Finium iniuriis, quod qui sunt in Marchia Terris nostris viciniores, ii progredi ultra Fines, & tam ea, quæ nostra, quam quæ nostrorum hominum sunt, usurpare sibi auderent, qua ex re magnae essent ortae controversiae, misimus Oratorem nostrum ad Illustrissimum Dominum JOANNEM Marchionem, ut ea, quæ bonae vicinitati essent contraria, prohibere conaretur, cuius Illustritas ita cum Oratore nostro convenit, ut uterque nostrum suos mitteret ad regundos fines Judices Commissarios. Nos itaque iuxta Pacta, quae inter Illustrem Dominum Marchionem, & Oratorem nostrum intercesserunt, mittimus in praesentia Commissarios nostros, Reverendum in Christo Patrem Dominum Sebastianum Episcopum, & Magnificos Joannem Latalski Palatinum, & Junivladislavienſem Capitaneum, Andream Comitem de Gorka Castellanum, & Capitaneum Maioris Poloniæ Generalem, Posnanienses, atque eis plenam, & omnimodam facultatem terminandorum Finium, deque iniuriis cognoscendi Præsentibus concedimus, quaecunque per eos acta, facta, transacta fuerint, ea rata, grataque habituri. In cuius rei testimonium Sigillum nostrum Præsentibus est appensum. Datum Vilnæ 12. Februarii Anno Domini MDXLI. Regni nostri Anno XXXV.

SIGISMUNDUS *Rex.*

# RESPUBLICA VENETA.

## I.

1493. *Legatio nomine Reipublicæ Venetæ per Marcum Dandalum Doctorem, & Equitem, Oratorem, coram* ALBERTO *Rege habita. Posnaniæ. Ex Arch. Regni Cracov. Extat in Archivo Cancell. Regni. Lib. Legationum Lit. C. fol. 42.*

Eramus apud VLADISLAUM Regem Excellentissimum, Optimum Fratrem Tuum Sereniſſime Rex, congratulari Venetæ Reipublicæ nomine, quod Pannoniarum Regnum fuerit consequutus, atque id muneris cum iam peregissemus, functique fere Legationis officio, in Patriam propediem redituri fuissemus, Illustrissimus Princeps Venetus, atque Senatus Nobis per Litteras demandavit, ut Tuam quoque Maiestatem adiremus, declaraturi illius nomine, molestissimum illi fuisse, quod antea intellexerat, tecum subinde condoleremus CASIMIRUM glorioſissimum Parentem tuum obiisse, nihil praeterea iucundius, aut optabilius eidem contingere potuisse, quam quod nuper magna cum lætitia cognorat, qua ex re Excellentiæ Tuæ maiorem in modum gratulamur felici hac tua in paternum hoc amplissimum Regnum successione, cum verissimæ amicitiæ, ingenuoque amori, quo Respublica Veneta clarissimam Poloniæ Domum, suo veteri animi instituto semper est prosequuta, id maxime conveniat iisdem rebus merere iisdem lætari. Hoc vero huiuscemodi declarandæ voluntatis munus nobis censuit Senatus demandandum, quo celerius, & opportune magis, quoad fieri liceret, Civitatis Venetæ desiderium cognosceret Maiestas Tua nostro ad te accessu, utpote qui veniendi ad Te in expedito, utque medio (ut aiunt) itinere, eramus, atque una, ac eadem Legatione, apud eosdem præsertim Illustrissimos Reges, ac Principes eosdem insuper amoris, & singularis benivolentiæ studio, quo ambos ingenuo animi affectu prosequitur Venetus Senatus, par, ac idem cum mœroris, tum publicæ conceptæ lætitiæ officium, utrique vestrum publico nomine impenderemus. Ac primum quidem mirari non decet, si obitus clarissimi illius Viri, optimi Parentis Tui gravis admodum, atque molestus fuerit Excellentissimo Principi nostro, atque Senatui, quum Venetæ amplitudinis non minus fuerit studiosus, quam ipse a Veneta Republica summo semper amore, & benevolentia singulari studiosissime amplexus. Deus Optimus, Maximus omnium laudum Decus, & excellentium quarumcunque virtutum singulare veluti Ornamentum, in lucem protulisse, protexisse, auxisse videbatur. Hocque dixisse me, quod iure optimo dici potest, erit contenta Maiestas Tua Excellentissimum Parentem Tuum, sive domi, sivi foris, sivi pace, sive bello, potuisse in omni laudis, atque virtutum genere cum Antiquitate certare. Quem a nobis ereptum Tecum quoque hactenus vehementi dolore afficimur. Cumque amantissimum Principem amiserit Civitas Veneta, tum vel maxime, quod rarissimis suis virtutibus nedum diutissime vixisse, sed perpetuari quoque hac in vita videbatur debuisse, nisi & metiri nos deceret, atque meminisse, hac lege sic exposcente communis parentis lapsu, natos nos omnes, ut aliquando mori oporteat. Cui tamen irreparabili iacturæ quam saluberrimo remedio Divina Pro-

ANNO 1493.

ANNO 1493. videntia ſuccurrerit, quamve Deus idem Omnipotens humano generi conſuluerit, qui non videt, cæcus, qui videt, nec laudat, ingratus, qui laudanti reluctatur, inſanus quis non cenſebitur. Qui per Prophetam pollicetur oculis non videri, nec auribus percipi, nec intellectu intelligi poſſe, quæ præparaverit Dominus diligentibus ſe. Refrigerii ſancti ſedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem, ſicut optimo Parenti Tuo ex bene actæ vitæ rectitudine contigiſſe ambigere non debemus, qui & alterum quoque præcipuum clementiſſimi Dei munus eſt aſſequutus, quod præſtantiſſimum Te Filium, non Regem modo, quam etiam virtutum omnium, atque ſplendoris, & Paternæ denique Gloriae Succeſſorem reliquerit, Te tametſi praeponere illi non dubitarem, neque id illius iniuria, quippe quod malint ſemper Parentes a Filiis ſuperari, quam eos virtutibus praecellere, cedatque haud parum Paternae virtuti, & gloriae natorum haec victoria, cum in Te praeſtantiſſimarum quarumque virtutum ſumma, & fulgur veluti quoddam eluceat, adeo, ut nil ſane optare Te debere exiſtimem, quod optimo, atque Exellentiſſimo Regi conveniat. Nam ea in Te omnia mero Dei Omnipotentis munere conſpici poſſunt, quae feliciſſimum quemquam Principem reddunt, atque perfectum. Quodſi a genere exordiar, nemo Te Regum, aut orbis Principum nobilior merito iudicabitur, ſive paternum, ſive maternum genus recenſeam. Quis enim VLADISLAO Illuſtriſſimo Rege Avo Tuo Excellentior, qui quantum gloriae, atque ſplendoris Chriſti fidei pepererit, quantumque item de ipſa Religione Chriſtiana promeruerit, inde elici poteſt, & debet, quod centena fere hominum millia ad veritatis noſtrae cognitionem, & fidem, praeſertim eo auctore, & duce converſa fuerunt, atque ut in dies magis, ac magis clarius, lucidiusque in hominum mentibus, quae in tenebris ante iacuerant, idem veritatis ipſius lumen redderetur, celeberrimum illud Cracovienſe Gymnaſium ex omni orbe terrarum, collectis undique praeſtantioribus Theologis, ac ſummis Philoſophis, magna cum gloria, & amplitudine exellentiſſimi ſui nominis, conſtituit, atque fundavit, in quo adeo ſemper claruere, clarentque liberalium diſciplinarum ſcientiae, & divini praeſertim eloquii diſciplinae, ut omnibus aliis totius orbis Palaeſtris, atque ſtudiorum concertationibus nequaquam debeat inferius exiſtimari, quo quid glorioſius, aut excellentius efficere quemque aut ipſe aut quivis alius potuerit, non video. Quis VLADISLAO Patruo Rege invictiſſimo fortior, atque præſtantior, qui pro Chriſtiana Religione fortiſſime dimicans inter confertiſſimos vexilli Dominici hoſtes occubuit, ratus nequaquam potuiſſe de Orthodoxa fide Catholica excellentius promereri, quam ut ſe ſe, velut victimam offerret in holocauſtum Redemptori noſtro, ut cæteris & fidei, & gloriæ, & æternæ beatitudinis iter oſtenderet. Huic Marcum illum Attilium Regulum comparare nemo audeat, aut quemvis alium ex his fortiſſimis viris, de quorum fortitudine, fide, conſtantia, plura legimus, qui tametſi de ſe plurima egregia probitatis teſtimonia præbuiſſe comprobentur, cum tamen hi pro temporali gloria id omne præſtiterint, hic vero pro æternae beatitudinis ſpe tantum gloriæ, atque ſplendoris fuerit glorioſiſſime conſequutus, tanto præſtantior iis, clariorque iudicandus, quanto æternam conſequi feliciſſimam beatitudinem longe excellentius, & glorioſius eſſe nemo ignorat, quam ttanſitura iſta commoda amplecti. Quis CASIMIRO Parente clarior, aut excellentior? Quis excellentiſſimo VLADISLAO optimo Fratre Tuo illuſtrior? Quis præterea SIGISMUNDO Imperatore, ac Rege, Illuſtriſſimo Proavo materno Tuo glorioſior? qui præter ceteras immortales, ac prope divinas virtutes, quas longum eſſet carptim recenſere, nihil unquam cenſuit appetendum, quod non appeteret, nihil petiit, quod non aggrederetur, nihil aggreſſus eſt, quod non fuerit ſtrenuisſime conſequutus. Omitto ALBERTUM Imperatorem, ac Regem eminentiſſimum Avum maternum Tuum, quo nemo clementior, qui ſi longiora vitæ ſpatia in Imperio conſequi potuiſſet, cum illi paulo plus, quam per annum præfuerit, non defuiſſet profecto expectationi, ac deſiderio, quod univerſus orbis de eo viro conceperat, exoptaverat, expectaverat. Prætereo LADISLAUM Avunculum Tuum Regem clarisſimum, qui immatura morte duo de vigeſimo ætatis anno præreptus, non potuit, quæ altisſimo animo conceperat, aliquando peperiſſe. Tu vero cum & corporis, & animi virtutibus ita plurimum præcellas, ut conjectari pene oporteat ſuperiores omnes hos Imperatores, ac Reges defunctos nedum te æquaturum, ſed eorum venia id dixerim, longe ſuperaturum, æquo animo feras, ſi pauca perſtrinxero, plura tametſi dici poſſent, ſi tempus, aut locus, aut ipſa Oratio, paterentur. Nam ſi nobilem hanc corporis proceritatem, ſi faciem vere Regiam, ſi aſpectum Principe dignum,

ANNO 1493.

ANNO 1493. dignum, ſi oculos hos ſublimes, & in alterutrum ſive ad ſinceritatem, ſive ad clementiam mirabiliter tendentes, ſi præterea præſtantisſimum corporis robur, ſi ſenſatarum omnium virium integritatem, præſtantiamque metimur, quid, niſi decorum, & mirabili collocatum harmonia intueri, admirari, laudare licet, ut vere ad regendum Imperium, & ad eos, quos ſumma cum gloria excellentis Nominis Tui hactenus pertuliſti, perfersque labores fortisſime ferendos, miro ſummi Dei conſilio procreatus appareas, in quo neque animi virtutes inferiorem ſibi palmam vendicavere, ut utræque hæ tam pari niſu contendiſſe viderentur, ut neque corporis bona animi virtutibus ſubeſſe, neque animus corpori non præeſſe pateretur. Quodſi ſapientum ſententia hi felices Reges ſunt iudicandi, qui iuſte imperant, tardius vindicant, facile ignoſcunt, qui eandem vindictam pro neceſſitate regendi, tuendique Imperii, non pro ſaturandis inimicitiarum odiis exerunt, qui veniam non ad impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem correctionis indulgent, qui, quod aliquando aſpere cogitatur decernere, lenitate, & beneficiorum largitate compenſant. Qui præſertim ſuam poteſtatem ad Dei Omnipotentis cultum maxime dilatandum ſibi traditam exiſtimant, nil ſane horum eſt, quod in Te debeat deſiderari. Tu enim iuſtitiam adeo proſequeris, ita amplecteris, ita profiteris, ut nil, niſi quod fieri conveniat, unquam decerneres. Si in Te manſvetudinem recenſeam, atque clementiam, quis Te clementior, qui ſubditorum plectens errata, non tam peccati magnitudinem, quam iſtam Tuam manſvetudinem, clementiam quoque metiris, ratus Regis ingenium maxime Regium in Te cenſeri, ubi non tam crudeliter, acerbeque Tibi ſubditos coërceas, quam eos conſilio, ſapientia quoque ita ſuperes, ut de ipſorum vita, atqne ſalute diligentior, conſultiorque, quam ipſimet, eſſe videaris. Si Religionem, & in Deum pietatem in Te conſiderem, qua admirabili, præcipuaque præter cæteras virtutes a teneris annis præſtas plurimum, id neque ſecus, lucidiſſimum veluti ſidus in Te elucere intuebimur, ut non immerito hoc de Te aſſerere poſſimus, quod dederit Te Deus in lucem Gentium, ut ſis illis ſalus usque ad extremum terræ. Quid inquam ſuperioribus annis zelo præſertim Chriſtianæ fidei Sauromatos ipſos Regnum hoc tuum tunc Paternum ingreſſos, ac devaſtantes, inferioribus longe viribus ſuperaſti, deleviſti. Quos cum paulo poſt, undique collectis ſubſidiariis, ſumma vi, & ingentibus copiis paſſim debacchantes, ac omnia devaſtantes, in gentiſſimamq; utriuſque ſexus multitudinem in captivitatem miſerabiliter abigentes, furentes veluti belluæ, cum nec igni nec ferro, nec ætati parcerent, atque omnia circumquaque depopularentur, Tu pientiſſime prius expanſis manibus, in cœlum attollens oculos uberi lachrimarum fonte refertiſſimos (quod, qui aderant, & viderant, retulere) precatus Deum Optimum Maximum, ne populum ſibi peculiarem ſua benigniſſima miſericordia deſtitueret, parva militum manu & imparibus longe copiis aggreſſus, ita oppreſſiſti, profligaſti, proſtraviſti, atque ad incitas denique deduxiſti, ut illos nedum ad implorandam abs te veniam coegeris, ſed omnes ad unum internecioni tradideris, ac diſſipaveris. Qua ex re quantum gloriæ fidei Chriſtianæ, quantum item ſplendoris ampliſſimo nomini Tuo pepereris, nemo eſt, qui neſciat. Haud inferior Juda illo Machabæorum fortiſſimo, qui parva manu, & inferioribus longe viribus ingentiſſimas illius magni Antiochi Copias toties delevit, in manu Domini potenti valde, atque terribili ſuper omnem terram. Si continentiam, temperantiam, munificentiam, comitatem, cæteraque huiuscemodi recenſeam, neque id ingenii vis, atque facultas, neque loci huius amplitudo, atque Maieſtas pati videntur. Id dixiſſe contenti erimus. Te non minus natum virtutibus, ut illis ſis ſplendor, quam hæ Tibi, ut iisdem reſplendeas, atque clareſcas. Jam illud ſilentio præterire nequaquam iudicaverim, quod ſummo decori Tibi vendicaveris, ut ſingulari quoque doctrina eluceas, atque id a pleriſque ſæpius audieram, ſumma Tua laude, & gloria Te ſummo ſtudio, atque intelligentia præſtare. O Laudem vere Regiam, & tali, & tanto Principe dignam! Si enim Julium Cæſarem ſummis laudibus effert antiquitas, pluresve alios veteres Imperatores, ac Principes, quod præter publica, Imperatoriaque negotia animum etiam ſcientiarum ſtudiis adhibuerunt, quanto magis inde laudari poſſis, & debeas, quis ignorat? qui cum in hæc tempora incidiſti, quibus, fato noſtro id dixerim, Literarum Gymnaſia, & doctrinarum ſtudia ita negliguntur, parvi penduntur, contemnuntur, ut perparva fere ſint, in magno etiam, aſſiduoque otio conſtituti, degentes, ac prorſus immerſi, qui liberalium diſciplinarum ſtudia proſequantur, eo præſtantior iis, clariorque iudicandus, quo hi illis claruere temporibus, quibus adeo

ANNO 1493. quæcunque rigebant ſcientiæ, atque doctrinæ, ut homines illos cum omnium liberalium artium cognitione, atque peritia fere tunc naſci, in lucemque prodiiſſe, poſſit exiſtimari. Quos ideo felicioribus natos aſtris cenſerem, ſi Chriſtianam duntaxat veritatem ipſam cognoviſſent, atque doctrinam. Quare cum tot, ac tantis præſtes virtutibus glorioſiſſime Rex, ut vere Regium decus, & lumen Te merito appellarim, cum præterea te amiciſſimum, ſtudioſumque Veneti Nominis exiſtimet univerſa Noſtra Reſpublica, non minus, quam Clariſſimi olim Maiores Tui ſemper extitere, quis iure mirabitur, ſi ex iſta Tua ſucceſſione in ampliſſimum hoc Regnum, maximam lætitiam, ac ſingularem animi hilaritatem conceperit Venetus Senatus, cuius nomine tantum inde Tibi etiam atque etiam plurimum gratulamur, quantum ſumma benevolentia, ingenuaque fides, & mutuus amor, qui inter Illuſtriſſimam Poloniæ Domum, & Venetum Imperium ſemper viguit, vigetque, ac plurimum vigebit inter Maieſtatem Tuam, & Nos, Deo bene iuvante, ſibi iure optimo expoſcere poteſt, & debet. Tibi igitur, ut quod publici mandati, ac deſiderii reliquum eſt, abſolvamus, AUGUSTINI BARBADICI Excellentiſſimi Principis noſtri, atque Senatus nomine offerimus, quicquid aut terra, aut mari Ditioni Venetæ ſubiicitur, id pro dignitate, gloria amplitudinis Tuæ promittere Tibi ſemper poteris, ac polliceri, comperietque periculum, ſi faciet Maieſtas Tua Senatum Venetum, ac univerſam denique Rempublicam noſtram, uberrimos quoscumque benivolentiſſimi ſui erga Te animi affectus oſtenſuram. Acta Calendis Aprilis. MCCCCXCIII.

II.

1502. *Legatio Nomine Sereniſſimi Ducis Venetiarum* LEONARDI LAURENDANI, *& totius illius Reipublicæ ad* ALEXANDRUM *Regem Poloniæ miſſa, qua eum ad ſocietatem belli contra Turcas invitat. Ex Archivo Regni. Liber Legationum Lit. A. fol. 5. Item Lit. C. fol. 130.*

Utinam talis mihi dicendi facultas Sereniſſime, ac Invictiſſime Rex, tantaq; verborum copia ſuppeditaret, ut Reipublicæ Venetæ Mandata exequi valeam, cuius nomine Maieſtatem Tuam inprimis, & ſaluto, & ſalvum ſoſpitemque eſſe ſummopere gratulor, quæ ſe ſe Tibi commendat, offert, dedicat, totamque tradit. Hæc inquam Reſpublica, quamprimum intellexit Maieſtatem Tuam fuiſſe ad ſummum Regni huius faſtigium (maximo omnium applauſu) electam, iamque Sacro Diademate ornatam, ingenti gaudio, ſummaque lætitia affecta e veſtigio, ut par erat ad Serenitatem Tuam Oratorem elegit, meque mittere viſum eſt, ut de ſancta iſta, approbatiſſimaque Tua in Regem promotione, totius Urbis noſtræ conceptum gaudium, conceptam lætitiam aperirem, explicaremque, & Tibi publico nomine ſummopere gratularer. Quod Mandatum prima fronte, haud arduum quippe viſum eſt, at quantum mihi ponderis in præſentiarum, quantumque curæ exiſtat, & explicandi, & obeundi, non facile extra cernitur, ſed aperte intus ſentitur. Non minus æſtuo hac in re, minusque titubo, quam in cæteris, nec gravitate maioribus, nec momento ſuperioribus: quum enim mecum volvo, qua fronte, quo vultu, qua animi propenſione id mihi Senatus noſter perficiendum, maturandumque mandarit, vix mihi videor illius affectus, illius gratiſſimæ voluntatis, ſummæque obſervantiæ in Te ſimulacra, & ut ita dixerim, veſtigia, hoc noſtro ſermone exprimere poſſe: tanto ſtudio erga Maieſtatem Tuam eſt, tanta affectione, veneratione-que proſequitur, ut neque publice, neque privatim perſtringi poſſit. Refero in hoc illius vultus, illius frontem cum toto pectore quantum poſſum, & pectus cum toto animo. Nec poſſum ego vel hoc pectus candidius aperire, vel hanc frontem ſerenius explicare, utinamque ſic ut intus afficiuntur, verbis exprimerentur. Nec profecto abs re, tanta Te Respublica noſtra proſequitur obſervantia, tantumque de ſublimatione Tua concepit gaudium; ea namque ſunt excelſæ Domus Tuæ, Tuorumque omnium erga Nos benemerita, ea officia, ut de omnibus felicitatibus, deque illius ſucceſſibus, merito gratulemur, quæ ſingula annumerarem, ni coram modeſtia Tua vetaret, verererque benigniſſimis Tuis auribus, in me audiendo abuti. Verum hoc non ſileam. Quis enim Te hac erat Electione dignior, quis aptior, quum iuſtitia Ariſtidem, prudentia Lucium Craſſum, religione Nummam ſuperes, magnanimitate vero, corporisque robore illumipſum, cuius nomen geris, Magnum Alexandrum. Talem igitur Deus Optimus Maximus in Poloniæ Regem eligi voluit, talem ſublimari iuſſit, ut ſua Chriſti Religio a ſpurciſſimis vexata infidelibus ſuffragetur, ut Petri fluctuanti naviculæ, imo maxi- ANNO 1502.

ANNO 1502. maximis percuſſæ procellis ſuccurratur. Noſti Invictiſſime Regum, quæ hodie pertractantur, quam cuncta in tumultu ſint, quæ bella, quis hoſtis, quam barbarus, quam ferus, & quod periculum Nobis, id eſt Chriſtianis omnibus, ni provideatur, immineat. Nam bellum incendio ſimillimum eſt, pari incremento ſurgit, pari celeritate diſcurrit, nec quisquam tam longe eſt remotus, qui ſine trepidatione eſſe debeat. Et ut altius exordiar: quis enim ignorat Turcorum Imperatores viliſſimo genere, ex inhoſpitalis Caucaſi Montis ergaſtulis oriundos, a latronum omnium perditiſſimo originem traxiſſe, primoque clandeſtinis latrociniis, mox apertis incurſionibus multa Chriſtianorum loca deprædaſſe, complurima occupaſſe. Qui dum laxius a noſtris negliguntur, contemnunturque, adeo convaluere, tantumque rebus ſuis fines obſcuriſſimi incrementum attulerunt, ut parvo temporis curriculo faſtigium, quod videmus, attulerunt. Nam ultra Helleſpontum quot Provincias occuparunt, Aſiam minorem, Ciliciam, Phrigiam, Galaciam, Pamphiliam, Cappadociam, Paphlagoniam, Cariamque, Inſulas vero Eoliam, Joniam, Euboeam, Smirnan, aliasque obſcuriores complurimas circa Helleſpontum, verſus occidentem, Dardaniam, Traciam, Achaiam, Peloponeſum, Macedoniam, Epirum, Illiriæ partem, Sileo Nobiliſſimum Orientis Imperii, mirandumque illud emporium Conſtantinopolim, multa pertranſeo, ſileo vetera, venio ad recentiora, & quæ indies fieri cernuntur, dicam proh indignum facinus, quæ his temporibus Nos ipſi vidimus, & quorum pars magna immo maxima fuimus, hinc inter alia liquide patebit quanta infidelibus ſit fides adhibenda, nam perfidus ille Turcus, dum Nos aliis implicitos rebus, & quidem arduiſſimis, occupatosque animadverterit, nactus temporis opportunitatem, rupto ſpureiſſimo Fœdere, quod paulo arcte Nobiſcum percuſſerat, Pacem fregit, Nos continuo invaſit, continuoque quaſi de repente in Etholia Neupactum occupavit. In Peloponeſo Medonum nullo genere crudelitatis omiſſo expugnavit, Coronum ſubinde cæpit, poſtremo in Epiro famoſiſſimum illud Dirachium ſubegit; Quid memorem continuas, ſæviſſimasque incurſiones? Dalmaciam, Liburniam, forum Julium depopulavit, igni, ferroque omnia devaſtavit, quod ſi Chriſti fideles longo iſto letargo tandem non expergiſcantur, non excitentur, actum eſt de Republica Chriſtiana, iamque de fide conclamatum, quis non videt. Deſcenderem quippe Invictiſſime Rex, deſcenderem ad nefandiſſimas crudelitates, ad ſpurciſſimas contumelias, & ad inaudita perpetrata ſcelera, virgines raptas, Matronas ſtupratas, Sanctimoniales inceſtatas, adoleſcentes immaniter trucidatos, liberos, puberesque e Matrum gremio ad cruorem, & cædem abſtractos, miſeros ſenes equorum calcibus dilaceratos, ſacratiſſima templa ſpoliata, in contemptum polluta, & alia mille annumerarem, ut magis ſcilicet, magisque Maieſtatem Tuam ad bellum capeſcendum, & ad perſequendos fidei noſtræ hoſtes concitarem, inflammaremque, verum cum fere omnes Chriſtianiſſimi Principes ſic Deo annuente tot crudelitatibus, tantoque religioni noſtræ imminenti periculo occurrere ſtatuerint, ſperandum eſt, nec eſſe Maieſtatem Tuam Sacræ huic expeditioni defuturam, in qua iam Chriſtianiſſimi Galliæ Regis, Hiſpaniarum, Portugaliæque, conflatis Claſſibus, ut de Republica noſtra ſileam, coruſcantia cernuntur arma, iam boantes litui audiuntur, clangorque tubarum, iam perfidiſſimi Turci littora depopulantur, iam eſt Mitilena Inſularum non obſcura viriliter expugnata, unde nec ambigendum ſumma, qua polles, iuſtitia, ſapientia, religione, & (ut dixi) invicta quadam animi corporisque fortitudine, quin ſis belli huius neceſſitatem, ingruentiamque, & cogniturus, & amplexurus, ad quod Chriſtiani Te vocant, omnis Potentatus, Summus adhortatur Pontifex, Te frater invitat Sereniſſimus Hungarorum Rex, ſvadent rationes, ſupplex rogat, & inſtat Reſpublica Veneta, & cogit Chriſtiana Religio, iubet, & imperat, qui Te in Poloniæ Regem eligi voluit Deus Optimus Maximus, Tu igitur Invictiſſime Regum ne moreris, nec victoriam differas, vexilla profer, nam nulli dubium, quin ſuperſtes victor, triumphatorque futurus ſis. Quod Te, nomenque Tuum immortalitate donabit. Nobis poſterisque tranquilitatem, Pacemque perpetuam. ANNO 1502.

III.

*Legato Veneto nomine S. R. Maieſtatis datum Reſponſum. Ibidem.*

Ad ea, quae Tu Vir Magnifice, & illius clariſſimae Venetae Reipublicae inſignis Orator graviter, copioſe, atque ornate dixiſti, Sereniſſimus Dominus noſter Dominus ALEXANDER Rex noſter gratioſiſſimus tale iubet dari reſponſum: gratam fore, & eſſe ſalutationem nomine Principis, & totius Senatorii Ordinis Venetiarum Suae Maieſtati praeſentatam.

ANNO 1502. Æque item non minus gratam & publice, & privatim Electionis, Coronationis, & insignis Suae Maiestatis sublimationis congratulatoriam affectionem, summe vero gratissimam amicitiae, atque officiorum, & benemeritorum huius Inclytae familiae Domus Regum Poloniae, commemorationem. Quae si fuere erga clarissimam Venetiarum Rempublicam unquam Maiorum suorum benemerita, prodiere certe, ex officiosissima amicitiae colendae benevolentia, semper eandem ab se, & coli, & summo studio observari, curae habere Serenissima Regia Maiestas cupit, & pollicetur, & testimonium verae, atque indubitatae amicitiae prae se ferendo, indolemus, inquit, vicem tam nefandae cladis acceptae, vulnerisque inflicti Reipublicae illi, quae semper sanctissimis institutis, aliis imitandum exemplar floruit. Et ut verum liceat fateri Rerum Christianarum veluti tutissimum antemurale semper existit. Quod igitur immanissimi Turci communis hostis Christi Nominis perfidia, ut Etholicum illud Neupactum, Peloponensem, Medorum, Coronum, & Epiri famatissimum Dirrachium e Ditione Venetae Reipublicæ recenti hoc tempore, sit interceptum, atque tot, & tanta crudelitatis varia genera perpetrata, Fœdera violata, multæ Provinciæ clarissimæ, plurimæ Insulæ Nobilissimæ, in Terra, & Mari Christianis ereptæ sint, ut quædam ætas nostra fieri vidit, quædam a Maioribus narrari cum dolore accepit, quemadmodum etiam Magnifice Insignis Orator amplissimo genere dicendi ipse luculentissime disseruisti. Hæc omnia reputamus ad Universæ Christianæ Reipublicae dedecus, ignominiam communem, & proh! indignum facinus pessundatam Religionem, cuius, veluti reliquis Christianissimis Regibus, & Principibus, ita, & Nobis profecto est, & debet esse praecipuum studium, ingens cura, ac summum eius defendendae desiderium, semperque fuit huic nostrae Familiae usurpatum, & veluti peculiare Bellum Turcense, quod Religionis amore Maiores nostri frequentius gessere. In quo gerendo VLADISLAUS noster Patruus, Hungariae, & Poloniae Rex, fortissime toties prospere rebus gestis dimicando, ad extremum adversitate fortunae perculsus, vitam profudit, & sangvinem. Qui si post tam multa commissa praelia, quod reliquum restabat, munus Belli absolvisset, Turcorum rabies, ruinae tum proxima, praecipitata foret. Haec luce meridiana clariora fuere, Vir ille immortali potitus glori, aeterna versatur in laude, quae apud Posteros quotidie magis enitescet. Parens noster semper memoriae venerandae KAZIMIRUS Rex multis praeclarissimis expeditionibus toties Exercitum suum pro sustentatione Christianæ Reipublicæ manutenuit, quem JOANNES ALBERTUS noster Germanus Rex, noviſſime demortuus persvasus rationibus Clarissimi Oratoris Marci Dandali, tum Reipublicæ Venetæ nomina sua flagitantis Præsidia, grandi Exercitu congesto, & recuperanda Album Castrum, & Licostomum (loca Christianis perquam nociva) ire contendit, demum a quibus iuvari sperabat, deceptus est, qui uniti, & adunati viribus Turcorum, multa rerum, & Exercitus discrimina sibi intulere, magna pars Exercitus amissa, non tamen multa periit, æque magna Turcarum virium procubuit. Marte cruento hactenus continuatum Bellum contra Turcos a nostris, & nostræ huius Reipublicæ Proceribus aliquantulum nunc verius intermissum, quam posthabitum est, verum ex quo in præsentiarum ipsi oppugnamur ferocissime ab omni parte, hinc ab Massageta perfidissimo, illinc ab Scitarum innumerabili multitudine, rebus, & victoria sperata ex hoste hoc potiti, Reipublicæ Christianæ in favorem, ad inferendum Bellum Turco huic, tam sancte, tamque consentanee ab tantis Regibus, & Principibus susceptæ Expeditioni, & Nos non deerimus. Et quo id maxime fieri poterit, nullo unquam tempore sumus defuturi. ANNO 1502.

*Tractatus Fœderis Offensivi, & Defensivi perpetui inter* LEOPOLDUM *Imp.* JOANNEM III. *Regem, Regnumque Poloniæ, & Magnum Ducatum Litvaniæ, ac Rempublicam Venetam contra Turcam concluſi.* Actum in Arce Lincensi die 5. Mensis Martii Anno 1684. *Ex Originali. Vid. tit. Austria fol. 342. N. CXIV.* 1684.

*Ducis Venetiarum Fœderis eiusdem Ratificatio.* Dat. 31. Martii Anno 1684. *Ex Originali. Ibidem fol. 346.*

*Ducis Venetiarum Declarationis duorum Articulorum in ſupraſcriptio Fœdere contentorum per* LEOPOLDUM *Imp. factæ Ratificatio.* Dat. 12. Augusti Anno 1684. *Ex Originali. Ibidem fol. 348.*

SAXO-

ANNO 1496.

# SAXONIA.

## I.

*Pacta Matrimonialia inter* JOANNEM ALBERTUM *Regem Poloniæ, nomine* BARBARÆ *Sororis ſuæ, &* ALBERTUM *Ducem Saxoniæ, nomine* GEORGII *Ducis ſui Filii inita, cum aſſignatione Dotis triginta duorum millium aureorum.* Dat. Cracoviæ die II. Aug. Anno 1496. *Ex Originali.*

JOANNES ALBERTUS DEI Gratia Rex Poloniæ, Supremus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Dominus, & Hæres &c. Significamus tenore præſentium, quibus expedit univerſis, præſentibus, & futuris præſentium notitiam habituris. Quomodo volentes pro Dei Omnipotentis laude, amicitiam, amorisque vinculum inter Nos, & Familiam noſtram, Illuſtriſſimosque Principes Dominos, ALBERTUM eadem Gratia, & GEORGIUM Filium ſuum, Duces Saxoniæ, Landgravios Duringiæ, & Marchiones Miſſnæ, eorumque Familiam antiquitus tentum, habitum, & ſervatum innovare, ampliare, & ſtrictius obſervandum firmare, & roborare, Matrimonium inter præfatum Dominum GEORGIUM, & Illuſtriſſimam Principem Virginem BARBARAM Sororem noſtram cariſſimam, ſub Articulis inferius deſcriptis tractandum, habendum, conſummandum, & obſervandum, per medium, & ad inſtantiam, diligentesque petitiones Magnifici Henrici de Schlemimtz, præfatorum Dominorum ALBERTI, & GEORGII Ducum Nuntii, & Oratoris ad Nos cum plenis utriusque ipſorum Mandatis, quæ in manibus noſtris reliquit, miſſi concluſimus, & firmavimus, atque præfatam Illuſtriſſimam Principem noſtram Sororem, eidem ipſi Illuſtriſſimo Domino GEORGIO deſponſandam annuimus, taliter, quod ipſam pro Feſto Sanctæ Catharinæ Virginis proxime futuro in Sprotaviam noſtris Regalibus impenſis, in apparatu Regio, iuxta ſtatum ipſius ornatam conducere, atque tandem eidem ipſi Domino GEORGIO deferendam deputare tenebimur, & debemus, cum eaque ſibi triginta duo millia florenorum Hungaricalium boni auri ratione Dotis, pro ratis, & temporibus infraſcriptis dare, & exolvere promittimus, ac pollicemur harum vigore Literarum, ita, quod pro Feſto Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ poſt conſummationem Matrimonii ſupraſcripti, tunc proxime venturo, videlicet de anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo ſexdecim millia florenorum præfatorum, ad rationem Summæ ſupradictæ præfatis Dominis ALBERTO, & GEORGIO Ducibus, & eorum Succeſſoribus, aut ipſorum Nuntiis ad hoc cum pleno Mandato miſſis, in Civitate noſtra Glogovienſi dabimus, reponemus, & ſolvemus effectualiter, aliaque ſexdecem millia florenorum Summæ eiusdem in tribus aliis annis ſe continue, & immediate ſequentibus, videlicet de anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo octavo quinque millia, de anno vero milleſimo quadringenteſimo nonageſimo nono, alia quinque millia, atque tandem pro anno ultimo videlicet milleſimo quingenteſimo, reſidua ſex millia florenorum Summæ ſupraſcriptæ eisdem ipſis Dominis Ducibus, & eorum Succeſſoribus, in civitate noſtra præfata, pro termino ſupraſcripto, alias Feſto Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ dare, reponere, & ſolvere tenebimur, & debebimus, Succeſſores noſtros ad omnia præmiſſa obligantes. Ita tamen quod præfati Domini Duces, & eorum Succeſſores, Nos, Succeſſoresque noſtros de qualibet rata ſolutionis Summæ præſcriptæ ſingulariter, atque tandem circa ultimam ratam de Summa totali plenarie, & integre quietare tenebuntur, Literas Quietationum ſuarum, in manus Nuntiorum & Oratorum noſtrorum, a quibusvis ſolutionem perceperint, realiter, & effective daturi. In cuius quidem Dotis recompenſam iidem ipſi Illuſtriſſimi Duces Domini ALBERTUS, & GEORGIUS, circa conſummationem Matrimonii præfatæ Illuſtriſſimæ Sorori noſtræ, alia triginta duo millia florenorum Hungaricalium ratione Dotalitii in civitate, & caſtro Freyburg in Duringia ſito, cum toto ipſorum territorio, alias diſtrictu, atque oppidis, & villis, poſſeſſionibusque ad ipſa ſpectantibus, nec non omnibus, & ſingulis proprietatibus, prædiis, cenſibus, teloniis, datiis, granariis, vineis, iudiciis, reditibus, uſibus, pœnis, omagialibus, feudis, foreſtis, ſilvis, venationibus, aquis, piſcinis, piſcariis, fluviis, fluminibus, molendinis, jurepatronatus, collationibus dignitatum tam ſpiritualium, quam ſæcularium, beneficiorum eccleſiaſticorum cum cura, vel ſine cura, aliisque attinentiis, & pertinentiis univerſis ad præfatam civitatem, caſtrum quomodolibet ſpectantibus, nullis exceptis, inſcribere, & reformare, nec non Literas deſuper neceſſarias, & ſufficientes circa conſummationem Matrimonii, prout

ANNO 1496. præmiſſum eſt, in manus Nuntiorum, & Oratorum noſtrorum ad hoc deputatorum dare, & reponere tenebuntur, & debebunt, ita tamen quod Literæ ipſæ non habeant robur, donec prima rata ſolveretur, hoc ſingulariter expreſſo, quod præfata Illuſtriſſima Princeps BARBARA vigore præmiſſae Reformationis in præfatis civitate & caſtro Freyburg tria millia, & ducentos florenos Hungaricales in cenſibus annuis plenarie, & integre habeat, & habere poſſit. In quantum vero caſtrum, & civitas praefata in ſuis cenſibus praedictis pro Summa eadem trium millium, & ducentorum florenorum Hungaricalium ipſi Principi BARBARÆ annuatim ſolvendorum non ſufficeret, extunc in aliis terris, teloneis, & cenſibus ſuis praefati Illuſtriſſimi Domini Duces ipſi Principi BARBARÆ iſtud ſupplere, reintegrare, & deputare debent, & tenentur, ita quod eadem ipſa Princeps BARBARA praefata tria millia, & ducentos florenos Hungaricales de cenſibus annuis integre annis ſingulis perciperet, haberet, & levaret effective ultra caſtri praefati proviſionem, quam ipſi Domini Duces ex aliis proventibus & cenſibus ſuis more conſveto debebunt facere, & deputare. Debebunt etiam præfati Illuſtriſſimi Domini Duces circa receptionem Summae ſexdecim millium praedictorum ratae primae, caſtri, & civitatis prædictae poſſeſſionem realem, & effectualem praefatae Illuſtriſſimae Principi Virgini BARBARÆ, iuxta Reformationem ſuperius expreſſam dare, & conſignare, nec non Capitaneos, Burgrabios caſtri, & civitatis praefatae, aliosque omnes, & ſingulos Praelatos, Comites, Barones, Officiales, Milites, Civitatenſes, aliosque ſubditos, & vaſallos ad caſtrum, & civitatem praedictam pertinentes, & ſpectantes, qui nunc ſunt, aut eis in futurum ſuccedent, praefatae Illuſtriſſimae Principi BARBARÆ, & eius Ditioni, atque Imperio ſubiicere & committere ad Omagiorum & fidelitatis iuramentorum praeſtitionem, atque toties, quoties opportunum, & neceſſarium fuerit, innovationem ſtringere, & cogere, ita quod eadem ipſa Princeps BARBARA poſt mortem Mariti ſui prædicti, ipſos ſemper ſub ſuo Dominio, Imperio, Ditione, & obedientia, una cum præfatis Caſtro, & Civitate haberet, teneret, & poſſideret usque ad tempora vitæ ſuæ extrema, ſub præfatorum Dominorum Ducum, & ipſorum Hæredum tutela, & defenſione. Caſu vero, quod abſit, quod præfatus Dominus Dux GEORGIUS Matrimonio cum præfata Principe BARBARA effectualiter conſummato, de hac luce decederet, non expectato tempore ſolutionis Summæ ſexdecem millium florenorum Hungaricalium primæ ratæ, extunc ſupradictus Illuſtriſſimus Dominus Dux ALBERTUS, aut ſui Hæredes ipſam Principem BARBARAM cum Curia ſua, cum omnibus rebus, & neceſſariis Statum ſuum concernentibus pro neceſſitate honeſtiſſime, ſicui decet tantam Principem, providere, & tractare debebunt usque ad tempus ſolutionis Summæ præfatæ, tandemque ſolutione ipſa percepta, poſſeſſionem Caſtri, & Civitatis præfatorum eidem ipſi Principi BARBARÆ, ita ſicut ſupra expreſſum eſt realiter, & cum effectu pariter, & ſubditis, Vaſallisque omnibus ſupra deſcriptis, eorumque obedientia, & ſubiectione, Juramentorum corporalium præſtitutione, & obligatione dare, deputare, & conſignare tenebuntur. Hoc etiam expreſſo, quod ipſa Princeps BARBARA ſic Vidua relicta, debet conſequi, pacificeque obtinere omnia paraphernalia, veſtimenta, & alia, quæ pro eius ſpectant corpore, clenodia etiam, & omnia vaſa, & utenſibilia menſæ, aurea, & argentea ſibi per Nos, & per Sereniſſimam Principem Dominam ELISABETH Dei Gratia Poloniæ &c. Reginam, Genitricem utriusque noſtrum cariſſimam, & præfatum Illuſtriſſimum Dominum Ducem GEORGIUM Maritum ſuum data, aut alias quocunque modo donata, per quaſcunque perſonas, aut per ſe ipſam pro ſuo uſu, & honeſtate conquiſita, & comparata. Etiam omnes apparatus lecti, & alias res ad ipſius Principis BARBARÆ Curiam, & Cameram ſpectantes. Poſtquam vero eadem ipſa Princeps BARBARA ad ſecundas Nuptias convolare vellet, aliumque Conthoralem ſuperduceret, exindeque præfatus Dominus Dux ALBERTUS, aut ſui Hæredes ipſam de Reformatione ſupradicta eximere vellent, extunc pro illis triginta duobus millibus florenis Hungaricalibus, ſibi ſexaginta quatuor millia florenorum eorundem, in effectum exemptionis eiusdem dare, & effectualiter ſolvere tenentur, & debent. Iſto tamen reſpectu, quod illud, quod de præfata Summa Dotis triginta duorum millium florenorum Hungaricalium, per Nos non fuerit ſolutum, de eisdem ſexaginta quatuor millibus florenorum eorundem debebit defalcari. Caſu etiam, quod abſit, ſi præfata Princeps BARBARA moreretur prole ex præfato Domino GEORGIO Duce non ſuſcepta, aut prole ipſa, ſi quæ fuerit ex eorum corporibus progenita, mortua, extunc præfata Summa triginta duorum millium flore-

ANNO 1496.

ANNO 1496. florenorum Hungaricalium pro Dote ipsi Principi BARBARÆ per Nos assignatorum modo supradicto, resque, & omnes apparatus in auro, argento, & margaretis, quæ ipsa Princeps BARBARA a Nobis, & Sereniſſima Principe Domina ELISABETH Poloniæ Regina Genitrice utriusque noſtrum cariſſima, habuerit, aut ſibi ipſamet comparaverit, vel quæ a præfato Domino Duce GEORGIO, aut quibuscunque Perſonis ſibi donata fuerint, prout ſupra deſcriptum eſt, quæ ad Nos, & noſtros Succeſſores legitimos in Regno noſtro Poloniæ reverti, & redire debent, per præfatos Dominos ALBERTUM, & GEORGIUM Duces, eorumque Succeſſores Nobis, & Succeſſoribus noſtris in Regno noſtro præfato, iuxta morem inter Reges, & Principes Catholicos in talibus obſervari ſolitum integre, & irreciſe poſt mortem Principis BARBARÆ debebunt, et tenebuntur ſolvi, et reſtitui. Item ſi præfatus Dominus Dux GEORGIUS præfatos apparatus, et elenodia aurea, vel argenta, veſtesque, et alias res præfatæ Principis BARBARÆ, quæ ad ipſum non pertinent, non niſi gravi incumbente neceſſitate habere, aut alias convertere vellet, illa, priusquam de manibus eiusdem reciperentur, per partis utriusque taxatores taxari, et ei iuxta decentiam per Hæredes ſupradictorum Dominorum *D*ucum ALBERTI, et GEORGII ſolvi debebunt, ita, quod ipſa interim, quo vixerit, et Nos, aut noſtri Succeſſores poſt mortem eius plenariam de eorum reſtitutione habeamus certitudinem. Tandem, et poſtremo ſi caſu ab hac luce unus ipſorum Coniugum ante celebrationem Nuptiarum, et Conſummationem Matrimonii migraverit, quod Deus avertat, extunc omnia, et ſingula præmiſſa nullius eſſe debent roboris, et momenti, et una Pars alteri vigore præſcriptorum Articulorum, et Contractuum in nullo debet eſſe obligata. Quæ omnia, et ſingula ſupraſcripta per Nos, ſic ut praefertur facta, ordinata, et concluſa in omnibus punctis, Conditionibus, Articulis, et clauſulis firmiter tenere, obſervare, et adimplere in verbo noſtro Regio promittimus, et pollicemur tenore praeſentium mediante, Harum quibus Sigillum noſtrum eſt ſubappenſum Teſtimonio Literarum. Actum Cracoviae Feria quinta in craſtino Feſti Sancti Laurentii Martyris. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſexto Regni vero noſtri Anno quarto.

*Dominus Rex per ſe.*

II. ANNO 1496.

*Literæ* ALBERTI *Ducis Saxoniæ, quibus Civitatem Freyburg cum ſuo Territorio Sereniſſimæ Principi* BARBARAE, *Dotis, Contradotis, & Donationis propter Nuptias nomine obligat.* Datum in Leipſigk d. 28. Novembr. An. 1496. *Ex Originali. Sigil. 2.*

ALBERTUS Dei Gratia Dux Saxoniæ, Landgravius Duringiæ, ac Marchio Miſnæ. Notum facimus tenore Præſentium univerſis, & ſingulis has noſtras Literas viſuris, lecturis, vel audituris. Quod Nos ob laudem Omnipotentis Dei, Religionis Chriſti hanc reverentiam, & veteris benevolentiæ ſingulare incrementum, inter Sereniſſimum, Perpotentemque Dominum JOANNEM ALBERTUM Poloniæ Regem, Supremum Ducem Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque *D*ominum, & Hæredem, ſuæque Serenitatis Familiam Nos, & noſtram Familiam a multis retroactis annis, uſque in hoc præſens tempus laudabiliter obſervatæ, novum vinculum amicitiæ contraximus, & per Oratores noſtros id efficere ſtuduimus, ut Illuſtriſſima Princeps Domina BARBARA ex Regali Polonorum Stirpe orta, prædicti Sereniſſimi Domini *R*egis *S*oror, Filia noſtra chariſſima, Illuſtri Principi Domino GEORGIO Saxoniæ Duci, Landgravio *D*uringiæ, ac Marchioni Miſnæ Filio noſtro chariſſimo tradita eſſet nuptui, tali tamen Pacto, ut iam dictus Sereniſſimus Dominus Rex, ſuæque Serenitatis Succeſſores, ratione Dotis iam dictæ Illuſtriſſimæ *D*ominæ BARBARÆ, Nobis, noſtrisque Hæredibus triginta duo millia florenorum Hungaricalium ad certos terminos irremiſſe ſolvere, & dare tenentur, prout in Literis deſuper conceptis Regio Sigillo munitis, & Nobis traditis latius continetur. Nos igitur præfatus ALBERTUS Saxoniæ Dux, Landgravius Duringiæ, Marchio Miſnæ cupientes Tractatibus huiusmodi per Oratores noſtros inter præfatam Regiam Serenitatem, & Nos ſuper tali Matrimonio habitis, & conceptis ſatisfacere, & poſt conſummationem Matrimonii prædictæ Illuſtriſſimæ Dominæ BARBARAE &c. in recompenſam Dotis, videlicet triginta duorum millium florenorum Hungaricalium, de Dotalitio providere, Caſtrum, & Civitatem Freiburg in Landgraviatu *D*uringienſi ſitum, cum toto ipſorum Territorio, alias *D*iſtrictu, atque Oppidis, & Villis, Poſ-

ANNO 1496. seſſionibus ad ipſa ſpectantibus, nec non omnibus et ſingulis proprietatibus, prædiis, cenſibus, teloneis, datiis, granariis, vineis, iudiciis, reditibus, uſibus, pœnis, omagialibus,feudis,ferretis,ſylvis,venationibus,aquis,piſcinis, piſcariis, fluviis,fluminibus, molendinis, iurepatronatus, collationibus dignitatum, tam ſpiritualium, quam ſæcularium, Beneficiorum Eccleſiaſticorum cum cura, vel ſine cura, aliisque attinentiis, & pertinentiis univerſis ad præfata Civitatem, & Caſtrum quomodolibet ſpectantibus, nullis exceptis, præfatæ Illuſtriſſimæ *D*ominæ BARBARAE Filiæ noſtræ chariſſimæ pro *D*otalitio vigore praeſentium Literarum pro Nobis, noſtrisque Haeredibus inſcribimus, & reformamus. Ita ut praefata Illuſtriſſima *D*omina BARBARA vigore praemiſſo Inſcriptionis, & Reformationis in praefatis Civitate, & Caſtro Freyburg tria millia, & ducentos florenos Hungaricales, & mille florenos Rhenenſes pro ſumma decem millium florenorum Rhenenſium, quam ſibi praedictus *D*ominus GEORGIUS Saxoniae *D*ux, Filius noſter chariſſimus in *D*onationem propter Nuptias dedit, & applicavit in annuis cenſibus,&proventibus plenarie,& integre habeat, poſſit, & debeat ſublevare. In caſu vero,quoCaſtrum,& Civitas præfata in ſuis cenſibus pro Summis illis trium millium, et ducentorum florenorum Hungaricalium, et millium florenorum Rhenenſium ſupradictorum, ipſi Illuſtriſſimae Principi Dominae BARBARÆ annuatim ſolvendorum non ſufficerent, extunc Nos, noſtrique Haeredes obligati eſſe volumus, ut totum id, quod reſtat, ex fiſco noſtro Ducali per Quaeſtores, aut Theſaurarios noſtros pro tempore exiſtentes, quibus per praeſentes Literas authoritatem damus, ac diſtricte committimus, Illuſtriſſimae Dominae BARBARÆ ſuppleatur, et reintegretur. Caſu vero quo circa praemiſſa aliqua difficultas fieret, extunc in aliis Terris, Bonis, Teloneis, et cenſibus noſtris ipſi Illuſtriſſimae Principi Dominae BARBARÆ ſupplere, reintegrare, et deputare debebimus, et tenebimur Nos, et Haeredes noſtri. Ita quod eadem ipſa Illuſtriſſima Domina BARBARA praefata tria millia, et ducentos florenos Hungaricales, et mille florenos Rhenenſes de cenſibus annuis, et proventibus integre annis ſingulis percipere habeat, et effective ſublevare, ultra Caſtri praefati proviſionem, quam Nos, et Haeredes noſtri ex aliis proventibus, et cenſibus noſtris more conſveto debebimus facere, et deputare. Volumus etiam, et tenemur circa receptionem Summae ſexdecem millium floren. Hungarical. praedictorum primae ratae, Caſtri, et Civitatis praedictae poſſeſſionem realem, et effectualem praefatae Illuſtriſſimae Principi BARBARÆ iuxta Reformationem ſuperius expreſſam, dare, et conſignare, nec non Capitaneos, Burgrabios Caſtri, et Civitatis praefatae, aliosque omnes, et ſingulos Prælatos, Comites, Barones, Officiales, Milites, Civitatenſes, aliosque ſubditos, & vaſallos ad Caſtrum, & Civitatem prædictam pertinentes, & ſpectantes, qui nunc ſunt, aut eis in futurum ſuccedent, præfatæ Illuſtiſſimæ Principi Dominæ BARBARÆ, & eius Ditioni, atque Imperio ſubiicere, & committere, ad Omagiorumque, & fidelitatis Juramentorum præſtationem, atque toties, quoties opportunum, & neceſſarium fuerit, innovationem ſtringere, & cogere. Ita quod eadem ipſa Illuſtriſſima Princeps Domina BARBARA poſt mortem prædicti Domini Ducis GEORGII Mariti ſui, ipſos ſemper ſub ſuo Dominio, Imperio, Ditione, & obedientia una cum præfato Caſtro, & Civitate, atque annuis cenſibus, & proventibus ſupradictis habere, tenere debet, & poſſidere, usque ad tempora vitæ ſuæ extrema, ſub noſtra, & Hæredum noſtrorum tutela, & defenſione, quibus tunc uti debet, & poteſt, una cum ſupradictis annuis cenſibus,prout in huiusmodiDotalitiis de Jure, & conſvetudine ſolitum eſt obſervari. Caſu vero, quod abſit, quod præfatus Dominus Dux GEORGIUS de hac luce decederet non expectato tempore ſolutionis Summæ ſexdecem millium florenorum Hungaricalium primæ ratæ, extunc Nos, & Hæredes noſtri ipſam Illuſtriſſimam Principem Dominam BARBARAM in Curia noſtra in omnibus rebus neceſſariis ſtatum ſuum concernentibus, pro neceſſitate honeſtiſſime, ſicut decet tantam Principem, providere, & tractare debebimus, et debebunt usque ad tempus ſolutionis Summæ præfatæ. Tandemque ſolutione ipſa percepta, poſſeſſionem Caſtri, et Civitatis præfatæ eidem Illuſtriſſimæ Principi Dominæ BARBARÆ ſicut ſupra expreſſum, realiter, et cum effectu pariter, et ſubditis, vaſallisque omnibus ſupraſcriptis, eorumque obedientia, et ſubiectione, Juramentorum corporalium præſtatione, et obligatione dare, deputare, et conſignare tenebimur, et tenebuntur. Eo etiam expreſſo, quod ipſa Illuſtriſſima Princeps Domina BARBARA, ſiicut Vidua Relicta, debeat conſequi, pacificeque obtinere, et ſervare omnia paraphernalia, veſtimenta, et alia, quæ pro eius ſpectant corpore, Clenodia etiam, et omnia vaſa, et utenſilia menſæ aurea, et argen-

ANNO 1496.

ANNO 1496. argentea, ſibi per Sereniſſimum Dominum ſupradictum Fratrem eius, et per Sereniſſimam Principem Dominam ELISABETH Dei Gratia Poloniæ Reginam etc. Matrem eius, et præfatum Illuſtrem Principem Ducem GEORGIUM Maritum ſuum data, aut alias quocunque modo donata per quaſcunque perſonas, aut per ſe ipſam pro ſuo uſu, et honeſtate conquiſita, et comparata, etiam omnes apparatus lecti, ac alias res ad ipſius Illuſtriſſimæ Principis Dominæ BARBARÆ Curiam, et Cameram ſpectantes. In caſu vero, quod abſit, ſi Illuſtris Princeps Dominus GEORGIUS Saxoniæ Dux etc. de hac luce decederet, ipſaque Illuſtriſſima Domina BARBARA ad ſecundas Nuptias convolaret, et Nos, noſtrique Hæredes præterea ſæpedictam Illuſtriſſimam Principem Dominam BARBARAM etc. Reformatione, et Dotalitio ſupradictis eximere vellemus, quod Nobis, et noſtris Hæredibus arbitrio noſtro, modo præmiſſo ſalvum eſſe debet, extunc pro illis triginta duobus millibus florenorum Hungaricalium Dotis, ſibi ſexaginta quatuor millia florenorum Hungaricalium, una cum decem millibus florenorum Rhenenſium, quos ſibi Dominus Dux GEORGIUS pro Donatione proter Nuptias dedit, et applicavit, in effectu exemptionis eiusdem dare, et effectualiter ſolvere debebimus, et tenebimur, debebuntque, et tenebuntur; iſto tamen reſpectu, quod illud, quod de præfata Summa Dotis triginta duorum millium florenorum Hungaricalium, per ſupradictum Dominum, Sereniſſimum Dominum Regem, aut Serenitatis ſuae Succeſſores non fuerit ſolutum, de eisdem ſexaginta quatuor millibus florenis Hungarical. Dotis, et decem millibus florenis Rhenenſibus Donationis propter Nuptias, Nobis, et Haeredibus noſtris ſalvum ſit, et liceat defalcare. Caſu etiam, quod abſit, ſi praefata Illuſtriſſima Princeps Domina BARBARA moreretur, Prole ex praefato Duce GEORGIO non ſuſcepta, aut Prole ipſa, ſi quae fuerit ex eorum corporibus progenita, mortua, extunc praefata ſumma triginta duorum millium florenorum Hungaricalium pro Dote ipſi Illuſtriſſimae Principi Dominae BARBARÆ modo ſupradicto aſſignata, resque, et omnes apparatus in auro, argento, et margaritis, quae ipſa Illuſtriſſima Princeps Domina BARBARA a Sereniſſimo Rege Domino JOANNE ALBERTO etc. et Sereniſſima Principe Domina ELISABETHA Regina Poloniae etc. Fratre, et Matre, ſupradictis habuerit, aut ſibi ipſamet comparaverit, vel quae a praefato Domino Duce GEORGIO, aut quibuſcunque perſonis ſibi donata fuerint, prout ſupra deſcriptum eſt, quae ad praefatum Sereniſſimum Dominum Regem, et ſuae Serenitatis Succeſſores legitimos in Regno Poloniae reverti, et redire debent, per Nos, noſtrosque Haeredes, et Terrarum noſtrarum Succeſſores, praefato Sereniſſimo Domino Regi, ſuaeque Serenitatis Succeſſoribus in Regno praefato, iuxta morem inter Reges, et Principes Catholicos in talibus obſervari ſolitum, integre, et irreciſe poſt mortem praefatae Illuſtriſſimae Dominae BARBARÆ debent ſolvi, et reſtitui. Item ſi praefatus Dominus Dux GEORGIUS praefatos apparatus, et Clenodia aurea, vel argentea, veſtesque, vel alias res praefatae Illuſtriſſimae Dominae BARBARÆ, quae ad ipſum non pertinent, gravi incumbente neceſſitate habere, aut alias convertere vellet, illa, priusquam de manibus eiusdem recipiantur, per partis utriusque taxatores taxari, et ei iuxta decentiam per Nos praedictum Dominum Ducem GEORGIUM, et Haeredes noſtros ſolvi debent, ad quod Nos, et Haeredes noſtros praeſentibus Literis aſtringimus. Ita etiam quod ipſa Illuſtriſſima Domina BARBARA vivente, ac poſt mortem eius de huiusmodi reſtitutione ipſum Sereniſſimum Dominum Regem, aut eius Succeſſores plenarie certificare debebimus, aut Haeredes, et Succeſſores noſtri debebunt. Ea tamen Conditione, ut ante ſuſceptionem ſexdecem millium florenorum Hungaricalium Dotis primae ratae, in Literis expreſſis, praeſentes noſtrae Literae, neque Nos, neque Haeredes noſtros ad aliquod praemiſſorum habeant, aut valeant obligare, praeterquam ut praemiſſum eſt, et ad eum caſum duntaxat, ſi praefatus Dominus Dux GEORGIUS, quod abſit, de hac luce decederet, non expectato tempore ſolutionis ſummae ſexdecem millium florenorum Hungaricalium primae ratae, nihilominus Nos, et Haeredes noſtri ipſam Illuſtriſſimam Principem Dominam BARBARAM in Curia noſtra, in omnibus rebus, et neceſſariis Statum ſuum concernentibus pro neceſſitate honeſtiſſime, ſicut decet tantam Principem, providere, et tractare debebimus, et debebunt, usque ad tempus ſolutionis ſummae praefatae. Quae omnia, et ſingula in illis Literis cum omnibus ſuis clauſulis, Punctis, et Conditionibus contenta Nos, et Haeredes noſtros ſub Ducali noſtra Dignitate inviolabiliter obſervare promittimus. In cuius rei fidem has noſtras Literas pro Nobis, pro noſtrisque Haeredibus Sigilli noſtri appenſione iuſſimus, et

ANNO 1496.

ANNO 1496. fecimus communiri. Et Nos GEORGIUS eadem Gratia Dux Saxoniae, Landgravius Duringiae, et Marchio Miſniae praefati Illuſtriſſimi Principis Domini ALBERTI Ducis Saxoniae etc. Filius praedictus, omnia ſupraſcripta rata, et grata habentes in omnibus Clauſulis, et Punctis ſuis tenere, et obſervare inviolabiliter, tam per Nos, quam noſtros Succeſſores ſub Ducali noſtra Dignitate promittimus, et obligamus. In cuius rei fidem manum noſtram Praeſentibus appoſuimus, Sigillumque noſtrum Ducale ad Sigillum praefati noſtri Genitoris Praeſentibus appendi iuſſimus. Datum Leipzik die Lunae vigeſima octava Menſis Novembris An. Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſexto.

III.

1550. MAURITII *Ducis Saxoniæ, &* JOACHIMI *Marchionis Brandeburgenſis Electorum Legatio ad* SIGISMUNDUM *Regem Poloniæ, qua ab Eo poſtulant, ut de reſtituendo libertati Landgravio Haſſiæ cum Cæſare agat. Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. O. Fol. 121.*

Petunt, ut Regia Maieſtas adiuvet ipſos apud Caeſaream Maieſtatem in liberando Landgravio Haſſiae, qui ipſorum pollicitatione ſeductus Caeſari ſe dedidit, fretus iis Pactis, quae illi cum Epiſcopo Atribatenſi conſtituerant, & praeter Pacta conventa in cuſtodia hactenus retinetur, quamvis ea Pacta, quoad potuit, ipſe impleverit, & ſi quid deſideratur adhuc, implere paratus ſit. Quodſi exactionem, cautionis ab eo Caeſarea Maieſtas requirat, non recuſant eam pariter cum Landgravio dare.

Eſt autem ipſis curae haec res partim propter Landgravium, partim etiam propter ſeipſos, fidemque, & exiſtimationem ſuam, atque etiam periculum, propterea, quod bona fide promiſerunt Landgravio, ſi quid ei adverſi propter deditionem illam, praeter ea, quæ in Pactis diſerte expreſſa ſunt, accidiſſet, id ipſum ſe ſe ultro paſſuros eſſe, ad requiſitionem liberorum ipſius Landgravii, qui nunc depoſcunt illos in talem cuſtodiam, in quali eſt Pater eorum.

His igitur de cauſis petunt ſupradicti Principes, ut Regia Maieſtas & Landgravio, & ipſis ſubveniat, mittatque Legationem ad Cæſaream Maieſtatem ad agendum diligenter de liberatione eiusdem Landgravii, eaque Legatio ut ad diem S. Michaelis præſto ſit in Tenneverda, ſi Cæſar eſt auguſtæ, ſi vero receſſit in interiorem Germaniam, Francfordiæ ad Mænum eadem die ſe ſe ſiſtat, & cum Conſiliariis, atque amicis eorundem Principum intelligentiam habeat, ac deinde ipſis præſentibus cum Cæſarea Maieſtate agat, & ab ea reſponſum petat. Quod ſi fuerit benignum cum ipſis pariter gratias agat, ſin autem negabit, aut differet rem Cæſar, ut ea ipſa Legatio Regia conſilium ineat cum Conſiliariis, & Amicis eorundem Principum, qua via inſiſtendum ſit ad liberandum, Landgravium. Quod ſi recuſabit Regia Maieſtas Legationem hac de re mittere ad Cæſarem, petunt Principes, ut Literas diligenter ſcriptas mittat. ANNO 1550.

IV.

*Sacræ Regiæ Maieſtatis Poloniæ, ad præfatam Legationem Reſponſum. Ibidem.*

Indolebat Maieſtas Regia calamitati Illuſtris Domini PHILIPPI Landgravii, cum illius ipſius cauſa, tum quod eam ad Illuſtriſſimos Dominos iſtos Principes, Electores pertinere intellexit. Habet enim in memoria Maieſtas eius neceſſitudines, quæ ſibi multæ, magnæque cum plerisque Principibus Germaniæ, cum duobus vero iſtis, vel præcipue intercedunt, neque detrectaret quidquam Maieſtas eius, quo malis iſtis, & incommodis opem afferret, ſi quid modo recte ſalvo officio, & utiliter a ſe fieri poſſe exiſtimaret. Non parceret quidem certe laboribus, neque ſumptibus, ſed cum diligenter ſecum reputat, non ſolum arctiſſima propinquitatis, & affinitatis vincula, verum etiam ſanctiſſima Fœdera, quibus iam inde a Maioribus ſuis cum Cæſarea, & Regia Romanorum Maieſtatibus conſociata eſt, & quod ea Fœdera nuper adeo per Oratorem ſuum ſolemni cæremonia, & Chriſtiani Principis fide, non modo pro ſe, verum etiam pro Regno ſuo, a quo nunc abeſt, firmavit, non putat ſibi fas eſſe contra ſententiam tam coniunctorum ſibi Principum quidquam ſuſcipere, contra eorum autem ſententiam fore, ſi cum ipſis de ſupra memorato Illuſtri Domino Landgravio ſive per Oratores, ſive per literas agere inſtitueret, non levi aliqua coniectura, verum evidentiſſimo argumento Maieſtas eius colligit ex eo, quod non ignorat hoc ipſum de iſto ipſo Domino Landgravio pariter, & de Illuſtri Domino JOANNE FRIDE-

ANNO 1550. FRIDERICO Duce Saxoniæ capto a Divo Parente ſuo, ante quatuor annos Magnifico olim Staniſlao Laſki Palatino Siradienſi, Oratori ad Cæſaream Maieſtatem in Mandatis datum fuiſſe, & quomodo tunc id acceptum fuerit, ne illud quidem neſcit, quale Reſponſum Principes Electores, ac cæteri Ordines Germaniæ iſta ipſa de re tunc a Cæſarea Maieſtate acceperint. Quapropter ſperat Maieſtas ſua Regia datum ſibi iri veniam ab Illuſtriſſimis iſtis Principibus Electoribus, quod ipſorum poſtulatis, ac deſideriis recte ſatisfacere non poſſit. In Parentum enim loco habet Cæſaream & Regiam Romanorum Maieſtates, cavetque ſedulo, ne vel minimam offenſiunculæ cuiusquam occaſionem ipſis praebeat. Caeterum ab ipſis Illuſtriſſimis Principibus Electoribus non incommode cum Caeſarea Maieſtate agi poſſe Regia Maieſtas arbitratur, cum non tantum Conſangvinei Principis, verum etiam ipſorummet propria res agatur, modo placide, & obſequenter id fiat, in quo etſi perſvaſum habet eius Maieſtas non defuturum ipſis eſſe conſilium, non putavit tamen ſibi praetereundum eſſe pro mutua ſua coniunctione, & amicitia cum ipſis Illuſtriſſimis Ducibus, quin ipſis ſententiam ſuam vel uno verbo indicaret.

Si mittendae erunt hae Literae ad Cæſarem, infraſcripta adſcribenda erunt poſt illam clauſulam: *occaſionem ipſis præbeat;* caetera vero omitti poterunt, aut paulo aliter adſcribi.

Tamen ut Illuſtriſſimi Principes, Electores intelligant non poſthaberi ab eius Maieſtate res, & ſalutem ſuam, ſcribet Maieſtas eius iſta de re ad Caeſaream Maieſtatem, quoad recte, ac citra offenſionem id ſe facere poſſe exiſtimabit, easque Literas per ſuum Veredarium ad Maieſtatem illius mittet, quidquid autem reſponſi inde acceperit, de eo cum Illuſtriſſimis Principibus, Electoribus, communicabit.

# GALLIA

## I.

1500. *Fœdus inter* LUDOVICUM XII. *Regem Galliæ, &* JOANNEM ALBERTUM *Regem Poloniæ, nec non* VLADISLAUM *Regem Hungariæ, & Bohemiæ concluſum, quo vetuſta Fœdera inter Maiores ſuos inita renovant, atque Unionem, & Confœderationem perpetuam contra Turcas, & alios quoscunque hoſtes, præſentes & futuros inter ſe condicunt. &c.* Dat. die 14. Jul. 1500. *Ex Authentico, quod extat in Tabulario Illuſtriſſimi Domini Comitis Joſephi Załuſki Referendarii Regni.* ANNO 1500.

*In Nomine Domini Amen.*

Anno Natalis eiusdem milleſimo quingenteſimo, Indictione tertia, die vero quarta decima Menſis Julii. In omnibus naturae legibus, divinisque praeceptis ea inprimis excellunt, quae ad humanam ſocietatem, & benevolentiam pertinent. Nam quidquid boni, & felicitatis mortalibus datum eſt, inde proficiſcitur. Cum autem omnes ad amicitiam, & charitatem mutuam, divina etiam iuſſione invitemur, tum praecipue Imperia, & Regna coniunctione, ac Societate non modo ſtabiliri, ſed etiam augeri, & mirabiliter coaleſcere, atque concordia parvas res creſcere, diſcordia vero magnas dilabi, quotidiana experientia compertum eſt. Quod perſpicientes, Chriſtianiſſimus, & Sereniſſimus Princeps, *Do*minus LUDOVICUS huius nominis Duodecimus, *De*i Gratia Francorum Rex, atque Sereniſſimi, & Excellentiſſimi Principes, & Fratres Germani, *Do*mini, *Do*mini VLADISLAUS Hungariae, & Bohemiae &c. necnon JOANNES ALBERTUS Poloniae, &c. eadem Gratia Reges, pro eximia, & ſingulari ſapientia, qua omnes praediti ſunt, quamvis multo locorum intervallo eorum Imperia diſtent, tamen cum mutua benevolentia, & amore ſeſe devinxerint, operae pretium putaverunt, ut non modo veterem amicitiam, vetuſtaque Fœdera, quae olim inter eorum Maiores, & Prædeceſſores Excellentiſſimos Francorum, Hungariae, Bohemiae, atque Poloniae Reges, clarae memoriae, cum ſumma charitate percuſſa fuerunt, renovarent, verum etiam arctiore Fœdere, & Pactionibus ſe invicem devincirent, quo eorum Principatus, tametſi ſoli potentiſſimi exiſtant, hac coniunctione firmiores, & malevolis formidoloſiores efficiantur. Itaque tenore praeſentis publici Inſtrumenti pateat cunctis evidenter, et ſit notum, quod praefati Sereniſſimi, et Excellentiſſimi, atque Potentiſſimi Principes, et *R*eges, ad laudem, et gloriam Omnipotentis *De*i, *D*omini noſtri JESU Chriſti, defenſionem Fidei ſuae ſanctae, et exaltationem, atque amplificationem totius Chriſtianae Religionis, nec non honorem, et commodum, atque corroborationem, et ſtabilimentum Statuum, Principatuum, et *D*ominiorum earundem

ANNO 1500. praefatarum Maieſtatum. Praefatus ſiquidem Chriſtianiſſimus Francorum Rex per Magnificos Viros Valerianum de Sanctis, *D*ominum de Marigniaco, Conſiliarium, et Cambellanum ſuum, nec non Balivum Silvanectenſem, et Magiſtrum Matthaeum Toſtanum, in ſuo magno Conſilio Conſiliarium, et Procuratorem Generalem, Oratores, Procuratores, et Nuntios ſuos ſpeciales, debita, plenariaque poteſtate ſuffultos, prout per eiusdem Chriſtianiſſimi Regis Literas patentes plene conſtitit, & quarum de verbo ad verbum tenor inferius eſt inſertus, ab una, et praedictus *S*erenisſimus, ac Potentisſimus Hungariae, et Bohemiae Rex perſonaliter conſtitutus, tam pro ſe, et nomine proprio, quam pro, et nomine dicti Serenisſimi Regis Poloniae, eius Fratris Germani, pro quo promiſit, et cavit de rato, ab altera partibus fecerunt, iniverunt, et contraxerunt, prout faciunt, ineunt, et contrahunt, per Praeſentes, pro ſe, ac Succeſſoribus, Vaſallis, Subditis, Regnis Patriis, et uniuerſis *D*ominiis ſuis, bonam, meram, et puram, ac inviolabilem intelligentiam, ligam, unionem, et confœderationem perpetuam, ac omni aevo duraturam, prout in ſequentibus Capitulis, et Articulis continetur.

Haec ſunt Capitula inviolabilis amicitiae, benevolentiae, intelligentiae, et ligae, ac Unionis, et Confœderationis initae, contractae, et confirmatae inter Serenisſimum, ac Potentisſimum Principem, et *D*ominum, Dominum LUDOVICUM, Dei Gratia Chriſtianiſſimum Francorum Regem, huius nominis Duodecimum, pro ſe, ac Succeſſoribus, nec non Vaſallis, Subditis, Regnis Patriis, Terris, et Dominiis ſuis quibuscunque ab una, Serenisſimos, ac Excellentisſimos Principes, & Dominos VLADISLAUM Hungariae, Bohemiaeque, et JOANNEM ALBERTUM Poloniae etc. eadem Gratia Reges, Fratres Germanos, pro ſe, *S*ucceſſoribus, Vaſallis, Subditis, Regnis Patriis, Terris, et Dominiis ſuis quibuscunque ab altera partibus.

Inprimis capitulatum, actum, conventumque extitit hinc inde, & promiſſum, quod dictus Sereniſſimus, Potentiſſimus, & Chriſtianiſſimus Princeps, & Dominus, Dominus LUDOVICUS Dei Gratia Rex Francorum ab una, nec non Serenisſimi, & Excellentisſimi Principes, & Domini VLADISLAUS, Hungariæ, Bohemiæque, &c. ac JOANNES ALBERTUS Poloniae, &c. Reges, ab altera partibus, faciunt, firmant, ineunt, & contrahunt pro ſe, ac Succeſſoribus, vaſallis, ſubditis, regnis patriis, terris, & univerſis Dominiis ſuis, bonam, meram, & puram intelligentiam, ligam, Unionem, & Confœderationem perpetuam, ac omni ævo duraturam, contra Turcas, & alios quoscunque hoſtes praeſentes, & futuros ipſarum Maieſtatum, ad conſervationem, & defenſionem Regnorum, Statuum, & Dominiorum ſuorum, quos, quaeve in praeſentiarum habent, & poſſident, ac impoſterum posſidebunt, & tenebunt eædem partes. ANNO 1500.

Item quod nulla earundem partium tractabit, vel procurabit aliquid, quod poſſit cedere in damnum, præiudicium, aut aliquod incommodum, vel iacturam Status, & Dominii alterius partis, vel ad impedimentum defenſionis Religionis Chriſtianæ contra Turcas, ſive alios quoſcunque Fidei hoſtes; nec talia procurantibus, & tractantibus favebit, aut conſentiet, ſed fraterne, & bona fide absque ulla fraude, & dolo, unaquæque Pars pro viribus vitabit omnia, & ſingula, quæ putabit eſſe alteri parti, vaſallis, ſubditis, Regnis, & Dominiis ſuis, & publicæ fidei defenſioni damnoſa, adverſa, & periculoſa. Et ſi quid de talibus audiverit, vel ſciverit, tenebitur unam, & aliam Partem illico aviſare, ſicuti inter bonos Amicos, Fratres, Confœderatos, Colligatos, & Catholicos Principes fieri decet.

Item quod quælibet Partium bonum mutuum procurabit, promovebit, & defendet, quantumcunq; cum honeſtate poterit, & illarum quælibet ad alterius Partis requiſitionem mittere debebit Oratores ſuos, in favorem Partis requirentis, quocunque opus fuerit, & toties, quoties expediet.

Item quod quælibet ipſarum Partium in quibuscunque intelligentiis, ligis, & Confœderationibus per easdem cum quovis Principe, aut communitate in poſterum contrahendis, tenebitur ſpecifice, & nominatim alias Partes comprehendere, & Bonum, ac commodum alterius non ſecus quam proprium, toto poſſe ſuo procurare.

Item, quod ubi in diebus ſuis aliqua arduiſſima negotia emergerent, quorum eventus poſſet alteri earundem partium utilitatem, aut præiudicium afferre, tunc tenebuntur per Oratores ſuos, aut alios, ſuper caſu emergenti convenire, & fideliter deliberare, honeſtate ſervata, ac proſequi, quidquid communi conſenſu viderint eisdem partibus expedire.

Item, quod vaſalli, & ſubditi dictarum Partium, tam ſcilicet Eccleſiaſtici, & Sæculares, quam Nobiles, & Ignobiles, cuiusvis ſtatus, & conditionis exiſtant in Regnis, Terris, & Dominiis, ac Ditionibus

ANNO 1500. nibus earundem Partium, viciſſim poſſint, & valeant libere, tute, ſecure, & ſine omni impedimento, ire, tranſire, converſari, commorari, & negotiari, cum rebus, mercimoniis, ſarcinulis, iocalibus, pecuniis, & omnibus bonis ſuis, ſine ulla ſalvi, & ſecuri Tranſitus aſſecuratione, ſolutis tamen iuxta Regnorum conſvetudinem ſolvendis.

Item, quod ſi aliqua pars de conſilio, & conſenſu unius, vel alterius Partis ſuſciperet poſthac aliquod iuſtum bellum, tenebitur Pars conſulta, & conſentiens præſtare auxilium Parti, quæ dictum bellum ſic ſuſciperet, & tunc cum eiuscemodi conſilium, & conſenſus adhibebitur, Partes ipſæ convenient de quantitate, & qualitate prædicti auxilii, & etiam quanto tempore in eo bello perſiſtendum erit.

Item conventum extitit, & concluſum, quod ex quo Sanctiſſimus Dominus noſter ALEXANDER Pontifex Maximus, de conſilio Sacri Senatus Reverendiſſimorum Dominorum Cardinalium, miſeratus calamitatem Reipublicæ Chriſtianæ generalem Expeditionem contra Turcas, truculentiſſimos hoſtes fidei, & Religionis Chriſtianæ, per univerſam Chriſtianitatem procurat, & ſollicitat, & præfati Sereniſſimi Reges Hungariæ, & Poloniæ, præcipue ad exhortationem, & perſvaſionem Sanctitatis ſuæ, & dicti Chriſtianiſſimi Regis Franciæ iam de facto abrenuntiatis Treugis, & conditionibus Pacis, quas cum ipſis Turcis habebant, arma adverſus eos pro defenſione eiusdem fidei Chriſtianæ, capere ſtatuerunt, ſeque ſimul cum univerſis ſubditis, & Regnicolis ſuis ad hoc ſanctum, piumque opus accingunt, præparant, & diſponunt. Ob hoc præfatus Dominus Francorum Rex, tanquam Princeps Chriſtianiſſimus, & Catholicus, atque Fidei Chriſtianæ Zelator eximius, pollicetur, & promittit, quod, quando tempus, & res erunt diſpoſitæ ad illam Expeditionem, pro devotione ſua ipſam expeditionem iuvabit taliter, quod dicti Principes Confœderati, & univerſa Chriſtianitas merito debebunt contentari. Qualiter tamen, & quali, quantoque ſubſidio ſua Chriſtianiſſima Maieſtas ſuccurrere, & hanc ſanctam Expeditionem iuvare pro rata, & magnanimitate ſua volet, libero Maieſtatis ſuæ arbitrio, & voluntati relinquitur. Et etiam apud præfatum Sanctiſſimum Dominum noſtrum Summum Pontificem, & reliquos Principes, ac Potentatus Chriſtianos eandem Expeditionem ſollicitabit, & promovebit. Et ut eisdem Sereniſſimis Regibus, Hungariæ, & Poloniæ, Confœderatis ſcilicet ſuis, tanquam ſcuto, & antemurali Chriſtianitatis ad proſequendum, continuandumque eiusmodi bellum contra Turcos pariter ſuccurrant, & opem ferant, tam propter communem utilitatem eiusdem Fidei, & Religionis Chriſtianæ, quam contemplatione iſtius amicitiæ, & Confœderationis, bona, & ſincera fide, omni ſtudio, & diligentia, tam per Oratores, quam per Literas cohortari, ſvadere, & admonere tenebitur. ANNO 1500.

Item, quod quando præfatus Dominus Rex Francorum mittet Copias armatorum in Turcos, dicti Domini Hungariæ, et Poloniæ Reges pollicentur aperire viam, & tranſitum patefacere Copiis eiuſcemodi per Terras ſuas, Patrias, & Dominia; & præterea facere rationabiliter provideri ipſis Copiis armatorum de victualibus pro pretio competenti.

Item, quod quælibet trium iſtarum Maieſtatum tenebit, reputabit, & recognoſcet amicum alterius, amicum ſimiliter ſuum, & quod inimicus, ſeu hoſtis unius partis non debeat acceptari, ſeu ſuſcipi hoſpitio ad habitandum in Terris, & Dominiis alterius partis, nec ei favor ullus quovis modo adhiberi, ſed tenebuntur ipſæ Regiæ Maieſtates ſe ipſas invicem pro poſſe, & viribus tutari, & defendere contra, & adverſus omnes quoſcunque, qui Regna, Terras, & Dominia earundem, vel alterius illarum invadere volent, nemine prorſus excepto, præter Summum Pontificem, & ſanctam Romanam Eccleſiam, atque ſacrum univerſum Romanum Imperium debite, & rite congregatum, quos, & quod partes ipſæ excipiunt, & reſervant. Reſervatur etiam, & excipitur in ſpecie pro parte Chriſtianiſſimi Francorum Regis Illuſtriſſimum Dominium Venetorum, iam diu cum ſua Maieſtate Confœderatum, quod etiam in hoc Fœdere, ſi voluerit, comprehendetur. Pro parte autem Sereniſſimorum Dominorum Regum Hungariæ, & Poloniæ, præcipue vero eiusdem Domini Regis Hungariæ, & Bohemiæ, reſervantur, & excipiuntur, imprimis Sereniſſimus Princeps, Dominus MAXIMILIANUS, Rex Romanorum, Conſanguineus ambarum ſuarum Maieſtatum, cui ſe idem Dominus Rex Hungariæ, ad perpetuam Amicitiam, & Fraternitatem vigore certæ Inſcriptionis ſuper Pace perpetua, & concordia utrinque inter ipſas Maieſtates confectæ iam diu obligavit. Excipitur etiam, & reſervatur, atque in præſenti Confœderatione penes Maieſtates eorundem Sereniſſimorum Regum Hungariæ, & Poloniæ comprehenditur Illuſtriſſimus Princeps Dominus ALEXANDER, Ma-

ANNO 1500. Annognus Dux Litvaniæ, Frater Germanus earundem ambarum Maieſtatum. Excipiuntur prætetea Illuſtriſſimi Principes Domini Electores Imperii, ex quo Maieſtas prænominati Domini Regis Hungariæ, & Bohemiæ ratione dicti Regni ſui Bohemiæ, & Coronæ ejusdem Regni, ſubeſt imperio, & unus eſt ex eisdem Dominis Electoribus, imo inter illos Superarbiter, & Pincerna Imperii exiſtit; ſed & alii omnes Principes, tam Eccleſiaſtici, quam Sæculares, Sacro Imperio ſubiecti, ſignanter vero Conſanguinei, & Affines, atque iam dudum confœderati Maieſtatum ſuarum, qui nominatim exprimentur medio Oratorum, quos iſtæ ambæ Maieſtates ad Chriſtianiſſimam Maieſtatem ſunt miſſuræ. Quos omnes, & ſingulos, ſic denominatos, & per dictos Oratores denominandos, dicti Sereniſſimi Domini Reges Hungariæ, & Poloniæ ſecum in præſenti Confœderatione volunt comprehendi. Ea tamen lege, & conditione, quod ipſi, vel eorum Succeſſores, ſimul, vel ſeorſum adverſus Chriſtianiſſimum Francorum, & Sereniſſimos Hungariæ, vel Poloniæ Reges, &c. aut eorum Succeſſores ſimiliter, ſimul, vel diviſim, aut contra ſubditos, Regna, Terras, & Dominia eorundem, nihil ſiniſtrum, nihilque hoſtile deinceps moliantur, & attentent, nihilque tale directe, vel indirecte, palam, vel occulte quovis quæſito colore agant, per quod præfata ſancta Expeditio contra Turcas quovis pacto impediri queat. Quod ſi ſecus per eos, vel eorum alterum fieret, & facti evidentia conſtaret, omnes iſtæ Maieſtates hinc inde requiſitæ, tenebuntur illi, vel illis, tanquam communis boni, & huius confœderationis & amicitiæ perturbatoribus bellum indicere, & dictarum Maieſtatum Partem læſam, ac impeditam, ſubditosq;, Regna, & Dominia ſua contra prædictos reſervatos, vel eorum alterum, & alios quoſcunq;, qui talia contra prædictas partes molirentur, & attentarent, pro poſſe, et viribus ſuis tutari, et defendere, atque omni via, et modo ſe invicem iuvare, niſi forte tunc temporis, cum illi reſervati, aut alii talia conarentur, dictæ Maieſtates eſſent in bello contra Turcos, vel alios hoſtes fidei, vel pro defenſione Regnorum, et Dominiorum ſuorum actualiter impeditæ, taliter, et adeo quod eſſet eis impoſſibile aperto bello ſibi invicem ſuccurrere, et auxiliari. Quo in caſu nihilominus prædictæ Maieſtates tenebuntur hortari Amicos, et Confœderatos ſuos, et proprios Oratores, ut a talibus deſiſtant, et alios deſiſtere faciant, et omnibus aliis modis, quibus poterunt dicti Reges, tanquam boni, et veri amici, et Confœderati, conabuntur talia molientes a cœptis divertere, et impedire, quo minus alteri prædictarum Maieſtatum, ſuis Regnis, Dominiis, et Subditis, damnum inferatur. ANNO 1500.

Item, ſi contingeret aliquam Maieſtatum ſic Confœderatarum, quacunque ratione, et cauſa contra præſcriptos, reſervatos, et exceptos Principes, vel eorum alterum, aut alios quoſcunque, ſine alterius Partis requiſitione, et conſenſu bellum indicere, et movere, aliter, quam ad tuitionem, et defenſionem Regnorum, Dominiorum, et Subditorum ſuorum, ut ſupra dictum eſt; in hoc caſu, Pars altera ſuccurrere non tenebitur alteri. Verum tamen, ſi dicti reſervati, vel eorum alter, aut alius, quicunque is fuerit, a modo deinceps contra alteram Maieſtatum prænominatarum, vel ſubditos, Regna, Terras, aut *D*ominia ſua, bellum moverent, et armis invaderent, vel eorum aliquis moveret, invaderet, tenebuntur Partes aliæ, prius medio Oratorum ſuorum, et per bona, honeſtaque media tentare, ſi illum, vel illos, a cœptis divertere poterunt, & nihilominus interim dictæ aliæ Partes ad arma ſe præparabunt. Quod ſi dicti Oratores, ſic præmiſſi illum, vel illos a cœptis divertere nequiverint, tenebuntur poſtea eædem Partes, ut præmiſſum eſt, illis, vel illi ſimiliter bellum indicere, & eum vel eos, ubi commodius videbitur armis aggredi, & invadere, Confœderatoque ſuccurrere, ac illum pro poſſe, ac viribus ſuis tutari, & defendere, niſi tunc temporis illæ aliæ partes eſſent actualiter in bello contra hoſtes Fidei, vel pro defenſione Regnorum, & Dominiorum ſuorum, ut præmiſſum eſt, impeditæ.

Item, ſi contingeret, quod dictæ Maieſtates indicerent bellum contra prædictos reſervatos, vel eorum alterum, aut alios quoscunque ex cauſis, quibus ſupra, nulla illarum Maieſtatum abſque alterius ſcitu, & conſenſu, Pacem, aut Concordiam inire cum ipſis valeat, aut acceptare.

Item, quod dictæ Maieſtates, vigore prædictarum reſervationum in præcedentibus Articulis, & præſenti Tractatu factarum, non intelligunt cum ipſis Reſervatis ſuis maiorem Confœderationem, & Ligam, quam antea ex præcedentibus Confœderationibus habebant, inire, nec ſe ipſis reſervatis magis obligare. Quinimo, ſi aliqui illorum, quibus per præſentes Articulos, & Tractatus in hac Liga, & Confœderatione reſervatus eſt locus, hanc Ligam, & Confœderationem velint ingredi, aut aliqui alii, cuiuscunque

ſtatus,

ANNO 1500. ſtatus, & conditionis exiſtant, illud debebunt infra annum dictis Maieſtatibus ſignificare, & tunc, cum ingredientur, per easdem Maieſtates cum ipſis tractabitur de modis, & conditionibus, cum quibus ipſos valent admittere, & prout bono totius Chriſtianitatis, & Statuum omnium Partium videbunt magis expedire.

Item, quod omnes iſtæ tres Maieſtates, videlicet Chriſtianiſſimus Francorum Rex, ac Hungariae, et Poloniae Reges, hoc Fœdus, Ligam, Amicitiam, & conditiones dictis ſuis reſervatis quamprimum per Oratores, & Nuntios ſuos ſignificare tenebuntur, ne iuſtam ignorantiæ cauſam praetendere poſſint.

Item concluſum, et conventum eſt, quod per praeſentem Confœderationem, et Ligam Partium Juribus in aliquo non debeat derogari, neque derogatum aliquo Pacto intelligatur.

Item, quod dicti Sereniſſimi Hungariae, et Poloniae Reges, pro Ratificatione, et maiori confirmatione praeſentium Articulorum, Tractatus, Confœderationis, et Ligae, tenebuntur mittere quamprimum Oratores ſuos ad praefatum Chriſtianiſſimum Francorum Regem cum plena poteſtate, ipſis Articulis addendi, vel diminuendi, ipſos mutandi, confirmandi, vel infirmandi, latius, et plenius interpretatione, ſtrictiora etiam Fœdera faciendi, prout dictae Chriſtianiſſimae Maieſtati, et ipſis Oratoribus pro bono, et ſecuritate totius Chriſtianitatis, et Statuum dictarum Partium magis videbitur expedire.

Item, et quoniam in excluſione praeſentis Confœderationis, Ligae, et Articulorum ſupra ſcriptorum, Magnificus Dominus Petrus de Wiſnicze Caſtellanus Sandomirienſis, et Regni Poloniae Mareſcallus, Orator, et Procurator Sereniſſimi Regis Poloniae, non fecit conſtare de Mandato, et Procuratione ſatis ſpeciali, et ſufficienti ad ineundum, contrahendum, et paſſandum pro eo dictum Fœdus, Ligam, et Articulos ſupra ſcriptos; propterea, ne praetextu illius hoc tam bonum, pium, et ſanctum propoſitum differretur, Sereniſſima Maieſtas dicti Regis Hungariae, de voluntate dicti Sereniſſimi Regis Poloniae, Fratris ſui Germani, Literis, et Nuntiis certior facta promiſit, et cavit pro dicto Sereniſſimo Domino Rege Poloniae, Fratre ſuo Germano, quod ipſe omnia ſupra ſcripta, rata, grata, et firma habebit, et obſervabit, et per primos Oratores, et Procuratores ſuos, quos ad ſaepe dictam Chriſtianiſſimam Maieſtatem miſſurus eſt, prout ſuperius ſcriptum eſt, per Literas, et Mandatum ſpeciale, et ſufficiens hoc Fœdus, Ligam, et Articulos praedictos ratificavit. Nec interim, et donec haec omnia pro parte dicti Sereniſſimi Regis Poloniae, abſoluta fuerint, praefata Chriſtianiſſimi Regis Francorum Maieſtas in aliquo, virtute dictae Confœderationis, ſibi obligabitur, omnibus praedictis inter praefatos Chriſtianiſſimum Francorum, et Sereniſſimum Hungariae, et Bohemiae Reges, quantum ad ipſos in ſuo robore permanentibus. Tenor vero Mandati praedictorum Oratorum, et Procuratorum praefati Chriſtianiſſimi Regis Francorum talis eſt:

ANNO 1500.

LUDOVICUS Dei Gratia Francorum, Siciliæ, & Jeruſalem Rex, Dux Mediolani, univerſis præſentes Literas inſpecturis, & audituris, ſalutem. Notum facimus per præſentes, quod nos de Perſonis dilectorum, & fidelium Conſiliariorum noſtrorum, Valeriani de ſanctis, Domini de Marigniaco, Conſiliarii, & Cambellani noſtri, ac Ballivi Sylvanectenſis, & Magiſtri Matthæi Toſtani, in magno noſtro conſilio Conſiliarii, & Procuratoris noſtri Generalis, ad plenum confidentes, matura deliberatione ſuper hoc præhabita, melioribus modo, & forma, quibus potuimus, & debuimus, fecimus, conſtituimus, & ordinavimus, facimusque, conſtituimus, & ordinamus prænommatos noſtros Conſiliarios, Procuratores, Oratores, ac Nuntios noſtros ſpeciales, negotiorumque infraſcriptorum Geſtores, dantes, prout dictis Procuratoribus, & Oratoribus noſtris ſpecialiter, & expreſſe, tenore præſentium damus plenariam poteſtatem, & ſpeciale Mandatum faciendi, & ineundi Fœdus, Ligam, atque amicitiam perpetuam cum Sereniſſimis Principibus, ac Fratribus noſtris cariſſimis, Hungariae, ac Poloniae Regibus coniunctim, vel cum prædicto Fratre noſtro Rege Hungariae diviſim, iuramentaque pro nobis, & loco noſtri faciendi, et præſtandi, aliaque omnia in, et pro praemiſſis neceſſaria, ſeu opportuna, et quae Nos facere poſſemus, ſi perſonaliter intereſſemus, etiamſi talia ſint, quae Mandatum exigant ſpecialius, quam praeſentibus ſic expreſſum. Promittendo, prout promittimus bona fide, et in verbo Regio, ſubque Bonorum noſtrorum hypotheca, et obligatione, cum omni iuris, et facti renuntiatione, pariter et cautela, Nos habere, ac perpetuo habituros ratum, gratum, firmum, et ſtabile, quidquid per dictos Procuratores, ſeu Oratores noſtros actum, geſtumve fuerit in praemiſſis, aut quomodolibet procuratum. In cuius rei teſtimonium

ANNO 1500. Signo, et Sigillo noſtro præſentes iuſſimus communiri. Datum in Caſtro noſtro Locharum, die vigeſima nona Menſis Januarii, anno Domini 1499. Regni vero noſtri ſecundo.

Quae omnia, et ſingula praeſcripta praedicti Sereniſſimus Hungariae, et Bohemiae Rex, et Oratores, et Procuratores praefati Chriſtianiſſimi Francorum Regis nominibus, quibus ſupra ſolemni ſtipulatione promiſerunt, et iuraverunt, et per praeſentes promittunt, et iurant, ſibi viciſſim ſingula ſingulis congrue referendo, et mihi Notario infra ſcripto, ut publicae Perſonae ſtipulanti, et eiuscemodi promiſſionem, et iuramentum recipienti, bona fide, ſine omni dolo, et fraude, firma, rata, et grata perpetuo habere, et tenere, ac inviolabiliter obſervare, et adimplere ſub hypotheca, et obligatione omnium, et ſingulorum bonorum, mobilium, et immobilium, praeſentium, et futurorum dictarum Partium, mandantes, rogantes, et volentes de praemiſſis omnibus, et ſingulis per me Notarium infra ſcriptum unum, vel plura fieri inſtrumenta eiusdem tenoris. Acta ſunt haec, et facta, indictione, die, et menſe, quibus ſupra, hora tertiarum, vel quaſi, in Arce Regia Budenſi, Pontificatus praefati Sanctiſſimi Domini noſtri, Domini ALEXANDRI VI. Papae, anno octavo. Praeſentibus Illuſtriſſimo Principe Domino SIGISMUNDO, Duce, etc. praefati Sereniſſimi Domini Regis Hungariae Fratre Germano, nec non Reverendiſſimo, Reverendisque Patribus, ac Magnificis, et Egregiis Viris, Thoma, Archiepiſcopo Strigonienſi, Primate Regni Hungariae, ac Apoſtolicae Sedis Legato nato, dictique Sereniſſimi Domini Regis Hungariae ſummo Secretario, et Cancellario, Georgio, electo, et confirmato Weſprimienſi, Regio Secretario, Nicolao, ſimiliter Electo Sirmienſi, Gabriele Poſnenſi, Gregorio Comite de Frangipanibus, Praepoſito Albenſium Eccleſiarum, item Petro Kmitha de Wiſnicze, praedicti Domini Regis Poloniae Oratore, et eiusdem Regni Mareſchallo, Joſa de Som, Comite Themiſienſi, etc. Sigismundo Turzo, Lectore, et Canonico dictae Eccleſiae Strigonienſis, praefati Sereniſſimi Regis Hungariae Secretario, Nicolao de Wülkanow, Canonico Plocenſi, dicti Sereniſſimi Regis Poloniae ſimiliter Secretario, Michaele de Polocz, et Michaele de Hangacz, Georgio Zerechen de Mezthzegnüew, Paulo de Dombo, Michaele de Zob, Ambroſio Wüdfiii de Mohora, et Georgio de Kalenda, eiusdem Regis Hungariae Conſiliariis, et pluribus aliis teſtibus idoneis vocatis, et rogatis. In maiorem autem fidem, et ſuperabundantem cautelam, roburque, et firmitatem omnium praemiſſorum, praefatus Sereniſſimus Dominus Rex Hungariae, manu ſua propria ſe ſubſcripſit, et Sigillum ſuum duplex, et authenticum, præſentibus appendi fecit. Prædicti etiam Oratores præfati Chriſtianiſſimi Regis Francorum ſeſe manibus propriis ſubſcripſerunt, & ſimiliter eorundem Sigilla appendi fecerunt. ANNO 1500.

VLADISLAUS *Rex manu propria ſubſcripſit.*

Ego Valerianus de Sanctis ſupraſcriptus præfati Chriſtianiſſimi Regis Orator, & Procurator, omnia, & ſingula præmiſſa ſic acta, & concluſa eſſe fateor, & recognoſco. Et idcireo in fidem, & teſtimonium eorum me manu propria ſubſcripſi, & Sigillum meum proprium feci ſubappendi.

V. de Sanctis.

Et ego Mathæus Toſtanus ſupraſcriptus ſimiliter Chriſtianisſimi Regis Orator, & Procurator, omnia, & ſingula præmiſſa ſic acta, & concluſa eſſe fateor, & recognoſco. Et idcirco in fidem, & teſtimonium eorum, me manu propria ſubſcripſi, & Sigillum meum proprium feci ſubappendi.

M. Tuſtain.

Et ego Benedictus, natus quondam Mathæi Süget de Alsbzegedi, Quinque Eccleſienſis Diæceſis, Sacra Apoſtolica auctoritate Notarius, & Tabellio publicus, quia præmiſſis omnibus, & ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, fierent, & agerentur, una cum prænominatis Teſtibus interfui, eaque omnia, & ſingula ſic fieri vidi, & audivi, ideo præſens publicum Inſtrumentum manu alterius fideliter ſcriptum exinde confeci, in hanc publicam formam redegi, ac manu propria ſubſcripſi, ſignumque meum ſolitum appoſui, in fidem, & teſtimonium præmiſſorum, iuſſus, & rogatus.

II.

*Oratio a* JOANNE *Monlucio Epiſcopo, & Comite Valentiæ* CAROLI IX. *Galliarum Regis ad Status, & Ordines Reipublicæ Polonæ Magni cum plena poteſtate Legati, pro* HENRICO *Andium Borboniorum, & Alvernorum* 1573.

ANNO 1573.

*rum Duce in Campo Electionis habita. Ex Arch. Illuſt. Domini* JOSEPHI *Comitis Załuſki Referendarii Regni.*

Si quanta Terrarum intereſt inter nos Gallos, Veſtramq; Gentem Poloni, tanta foret amicitiæ ſeparatio, nunquam Rex Chriſtianiſſimus, & Vobis dolentibus poſt obitum SIGISMUNDI AUGUSTI Regis veſtri condoleret, & in tam arduo negotio veſtro, cum unum quæritatis, qui omnibus recte imperet, paria veſtra vota huic Reipublicæ obtuliſſet. Verum cum de veſtra Gente ſemper Rex noſter cogitaret, quod ea ſola e tantis Provinciis, ſingulari Dei beneficio relicta ſit, quæ ad ſuſtinendos pariter & retundendos ferociſſimarum Gentium impetus, ad reliquias Chriſtiani Orbis conſervandas, velut Arx quædam & munitiſſimum propugnaculum haberetur, atque ideo omnes Chriſtianos Principes Vobis amicos eſſe debere, prudentiſſime iudicaret; & quia ſic iudicavit, nulli unquam primas in eo concedere voluit. Nec alia de cauſa ad Vos miſſi ſumus Oratores, quam ut veterem amicitiam, quæ Gallis interceſſit, Vobiſcum, colligaret Chriſtianiſſimus Rex; aut ſi ita Vobis videretur, novo quodam vinculo eam ſibi iungere, ac ſtabilire poſſet: Hoc quoque ſcire Vos cupit, ut ſi quid Interregni huius tempore, aut periculi, aut incommodi Vobis impenderit, aut ad illud effugiendum amicorum opera Vobis eſſe opus iudicaveritis, quidquid opum, viriumve per ſe, aut per amicos habet, quidquid Gallici nominis valere poteſt auctoritas, ea veſtra eſſe omnia intelligatis. Poſtremo, ſi in ea deliberatione, quam de Rege habituri eſtis, exterorum Principum, (Nobis ita ſtatuentibus) mentionem fieri contingat, Fratrem Chriſtianiſſimum HENRICUM Andium, Borboniorum, & Alvernorum Ducem, inter purpuræ competitores, ut admittatis, vehementer rogat. Hæc ſunt Legationis noſtræ Capita, in quibus ego exorandis, non dolo, non inſidiis, aut ſecretis Internuntiis, non fictis verbis ad tempus tantum accommodatis, non ambitioſis precibus, non ſparſis famoſis libellis contra competitores alios, non inanibus promiſſis, quæ præſtitu admodum ſunt difficilia, aut omnino impoſſibilia. Sed Gallus homo cum ſim, & ideo ſimplex, & candidus, vere, ſincere, & candide Vobiſcum agere inſtitui. Et quemadmodum prudentes Patresfamilias, dum de facultatibus illius, cui Filia nuptui eſt danda, agitur, primum de animi, & corporis dotibus, poſtremo de bonis fortunæ, accurate inquirere ſolent, ita ego primum de Illuſtriſſimi Ducis Origine, Nobilitate, ætate, moribus, de ingenii dexteritate, atque in rebus gerendis exercitatione, & in re militari peritia, deinde quæ Vos ab eo, ad res veſtras conſtituendas, commoda ſperare poſſitis, quam paucis potero, complectar. Multa ego in rebus Veſtris præcipua, ſumma cum admiratione obſervare ſoleo, quibus quidem effectum eſſe exiſtimo, quod Vos fere ſoli, Regis eligendi facultatem, & cætera libertatis ornamenta ad hanc usq; diem conſtanter retinuiſtis; cæteræ autem Gentes, aut ſaltem aliquæ, quæ, & ipſæ liberæ, & ſui quoque iuris fuerant, libertatibus ſuis nunc exutæ, humi proſtratæ iacent, & tanquam cadavera extinctæ libertatis, a prætereuntibus non ſine ſtupore ſpectari ſolent. Illud primum eſt, quod Comitia veſtra numeroſiſſima, ad quæ tanta Nobilium multitudo confluere ſolet, a peſte illa, ideſt, *a largitionibus, & corruptela, quæ Romana Comitia infecerant*, fuere ſemper, ac ſunt alieniſſima, atque inde magnam veſtro Nomini, integritatis, ac erga Patriam fidei gloriam comparaſtis. Altero loco concordia, & animorum veſtrorum ſocietas conſtitui debet, quæ res veſtras ad id, quod optabatur, feliciſſime perduxit. At illud ſummum, quod ego mirari ſoleo. Cum Maiorum veſtrorum ſuffragiis Reges illi electi fuere, qui cum potentiſſimis Regni hoſtibus bella diutiſſime geſſerunt, qui irrumpentem in Poloniam Barbarorum colluviem armis ſuis repreſſerunt, & Provincias ademptas Regno veſtro adiunxerunt, Germanos præterea, Hungaros, Bohemos, Tartaros, Moſcovitas, (populos certe ferociſſimos,) toties fugatos, atque caſtris exutos, ad proprias ſedes redire coëgerunt, hoc vero aliud quid eſt, aut dici debet, quam veſtra in Regibus eligendis felicitas? & eandem veſtro Officio nunc adfuturam precamur ex animo. Id autem eſt, quod in tanta competitorum ubertate, quem Principem ſumere debeatis, vix ſine labore, & animi moleſtia ſtatuere poteritis. Dum enim ad purpuram contenditur, quique probos ſe venditant, aut rectos, pari ambitu ſua, quæ cum virtute coniuncta in conſpectu populi ſiſti, ac minima vitia tegi deſiderant, ut in ea falſa multorum probitate, plerumque optimo Regnum dari videatur, cum datum fuerit, ſecus accidat; Gentis tamen claritas, generis ſplendor, non immatura annis ætas, morum non ficta probitas, in Republica adminiſtranda exercitatio, & rei militaris uſus atque felicitas, in eo ſemper quæritabantur, ad quem

ANNO 1573. quem Principatus deferri deberet. Hæc qualiter se habeant in Duce Andium, videte. Is e Valesiorum magna susceptus Domo, quæ a sexcentis annis, continua Regum successione, Galliam sub Sceptris habuit, & nunc feliciter tenet, quæ non apud vicinas Gentes tantum laureas sibi parare voluit, sed extra Europam velut domo egressa, Affricam, Ægyptum, Palæstinam, Syriam victoriis oberrando, Orbis triumphos egit. Cum vero de Valesiis me loquentem auditis, eos natione Gallos esse, aut iam scitis, aut facile coniecturamini. Cui Genti nullæ unquam Vobiscum intercessere inimicitiæ, nullæ simultates, aut controversiæ, tum quia propter magnam morum similitudinem, magna inter Nos Gallos, & Vos Polonos fuit animorum coniunctio; tum quia a Vobis longius dissiti, remotius a causis iniuriarum abfuimus. Accidit vero, ut quorum collimitanea Imperia, certi termini, eorum & amicitias separent. Magnum credite mihi momentum est, ad bene habendam Rempublicam, ex amica Gente, (datur enim sæpe populi in alium populum natale odium) Reges sumere, qui ut amici Vos regant, non ut hostes: proclive autem est eos semper fore amicos credere, qui nusquam antea fuere inimici, qui vero dissimulata suæ Gentis odia, & vindictam ad Principatum ferunt, ii Tarquiniorum Filii sunt futuri. Nec satis quidem fatear in amica Gente Principes quærere, ni qui quæritur, prudens sit, aut rectus, æque enim ut hostis Rempublicam evertit, qui eius Leges, & libertatem destructum it, ac ille qui prudenter tueri ignorat, quæ ad universorum salutem. Nec mihi quoque sufficit dicere, HENRICUM Andium Ducem, natione Vobis amica, Gallum esse, ni edoceam, qualis ipse sit; & faciam sane. Non improbo consilium vestrum Poloni, qui in eligendis Principibus vestris ætatis potiorem rationem habetis; scitis quam periculosum accidat Reipublicæ, eum Regem habere, qui, & rectore ipse eget, & cum consulitur, obfluxam ætatem, nec humanis casibus diutius probatam, proba seligere ignorat. HENRICUS autem annos tres, & viginti natus, Sceptrorum capax est. Ni tam bona ætas Regno sufficit, illud sufficiet, cum iudicio prætergressus est ætatem. Non ego figmenta ducam ob oculos, non de hoc Principe bona loquar, ut cum illis calumniatoribus contendam, qui lingua, & calamo venali bonum Principem nuper infectati sunt; sinam mordaces linguas, & calamos libere loqui, & in laude HENRICI reputabo; desideratur ad maiorem perfectionem virtutis, adversarium habere, ut æque virtus sit calumniatores modeste tulisse, ac alia recte fecisse. Loquar ergo ideo, ne quæ in alto conspici digna, ea in obscuro ignorantiæ lateant. Dux Andium in Reipublicæ administratione a pueritia educatus, Consilio Fratris augustiori semper interfuit, in quo de Pace, de bello, de Fœderibus, de Peditatu, de Equitatu, stipendiis militum, de arcibus muniendis, & aliis publicis negotiis agitur. In his prima iuventa HENRICI versata est, Regni totius postea, sic iudicante Rege Fratre, abhinc quinquenium, curam suscepit, adhibitis tamen prudentioribus Consiliariis, quos sibi dari voluit, ne aut superbus videretur, aut pervicax, qui consilium sibi dari nollet; aut insolens, si per se omnia ageret; tum ille didicit momenta temporum Reipublicæ notare, animos vulgi noscere, delictis pœnas statuere, Virtuti iusta dare præmia. Verum a Vobis, velut a Martia Gente, expectari video, ut de prudentia rei militaris loquar; nam vestra res semper armis stetit, & potissimam Regum virtutem ducitis scientiam bellandi. Scitote quæso, eum Vos habituros Principem, si forte habere vultis, qui adolescentiam totam in Castris egit, qui ad famem, sitim, vigilias, algores, imbres, calores, ad iniurias Cœli tolerandas callum obduxit; eum dico esse, qui præstantissimorum Ducum, quos secum habuit, consiliis, & consvetudine, ex usu præterea, & exercitatione, didicit Castra metari, vallum ducere, Urbes obsidere, capere, & retinere, signa cum hoste conferre, repentinos impetus intrepide retundere, vincere, & victoria uti. Quod optabam, iam assecutus sum, Principem Vobis indicavi, qui Regias Dotes complexus est. Linguae tamen vestrae ignorantiam, velut certum impedimentum, non nulli obiiciunt: credite mihi Gallicam Gentem, ut moribus vestris coaequalem, sic linguae perquam capacem. Utiq; scitis Gallum fuisse, qui triennium apud Vos versatus, Sermonem Polonum grammaticis legibus primus subdidit. Sufficient huic bono Principi, non anni, sed menses, quantum ad Subditorum querelas intelligendas, & negotia publica tractanda opus habebit. Expedita alicuius linguae notitia Episcopis, Concionatoribus, Oratoribus, Causidicis, maximum necessaria est, verum Principibus non adeo; capite hi, non lingua, populos regunt. Sed est hoc tamen in Principe aliquid impedimenti. Utique Reges vestri non soli, sed vestro consilio adiuti, in Senatu de rebus statuunt; Vos autem Latine, Italice, imo etiam Gallice loqui consvestis; quibus

ANNO 1573.

ANNO 1573. quibus linguis Dux HENRICUS tantisper Vobiscum utetur, dum linguae Polonae usum assequatur.

Vt iam de commodis loquar, illud primum, & maximum occurrit, nihil vestram Rempublicam accepturam incommodi, HENRICO Rege. Hoc certe aliquid est? Imo vero permagni momenti esse Vos ipsi iudicabitis. Fieri enim possit, ut aliquis Princeps, prudens alias, & bonus, periclitari tamen vestrum Regnum sinat, præsertim is, cui cum Principibus potentissimis inimicitiæ, & de finibus antiquæ controversiæ intercedunt. Talis certe si Rex vester crearetur, vires vestras ad sua, & quæ sunt suorum, tuenda converteret, ille certe, qui amici vestri antea fuerant, hostes ut essent infensissimi, efficeret; ille Vos, qui in Pace & otio sub alio Rege vivere potuissetis, in molestias, & pericula coniiceret. Verum huic Principi, de quo loquor, nullæ extant cum aliquo Principe inimicitiæ, nullæ de Provinciarum finibus, veluti Imperator Romanorum respectu Hungariæ cum Turca in quæstione est, controversiæ; ut quidquid, aut hoc Regnum habet potentiæ, aut ipsius Duci inest virium, totum stare debeat pro commodis, & incolumitate vestra. Minimum præterea sperare Vos utilia velim, Poloni, ab eo Principe, cui, quia vicinus Vobis, & potens, quia suarum Terrarum vires ad Vos tuendos facilius e vicinia educere posset, purpuram ideo offeratis vestram. Speciosa hæc sunt magis, quam utilia, & sperari possunt, non obtineri. Scilicet eæ vires pro Vobis, non contra Vos futurae, ut defendant libertatem, non ut opprimant? Cuique dominanti natale est velle absolutum fieri, Vos autem liberi sub Principibus esse cupitis; & quia vestrismet viribus confici non potestis, commodissima foret Principi ad Vos opprimendos, hæreditaria in proximo potentia; sic qui liberos Vos acciperet sub regimen, servis imperaret victor. Magis certe persvasum esto, prudentes, fortes, iustos Principes, quam potentes quærere; utique tot Sæculis, nullis Fœderibus freti, aut vicinorum subsidiis adiuti, domesticis viribus hostium potentiam infregistis, ex parva Republica maximam effeciſtis. Dux quidem Andium, & sua potentia magnus est, e Regis Fratris amicitia potens, verum quia hæc a Vobis dissita, tot terræ, montes, tot fluvii interiacent, ideoque, si illud suspicamini, minimum sunt nocitura. Neque taliter tamen mea verba notate, ut minimum præsidii ab illis Terris sperare possitis, quas dico longius a Vobis dissitas, imo vero maximum. Quantum credi- ANNO
tis Vobis commodi affuturum, cum 1573.
omnes annui proventus in hoc Regnum importabuntur, nec aliter Vobis eventurum est, quam si novas aurifodinas benignior tellus Vobis aperiret? Hinc ille, privato sat dives ære, Regni huius proventus, quos Regiæ Mensæ vocatis, militi scribendo asservabit. De dignitatibus autem, & Præfecturis, tum aliis præmiis, quæ prudens Respublica benemeritis Civibus paravit, quieto, & securo animo Vos esse oportet. Habet HENRICUS octo Provincias hæreditario iure acquisitas, ubi Episcopatus sunt IX. Abbatiæ circiter CC. Prioratus circa mille. Item Præfecturæ, Magistratus quam plurimi, hæc ille præmia suæ Gentis hominibus abunde distribuet, vestra Vobis asservabit, cum & mos Patriae, & Leges non aliter velint. Dictat enim Lex vestra: *Ne ulli honores Reipublicæ, & præmia ad extraneos deferantur, præterquam ad eos, qui e Polonis orti Nobilibus.*

Classem præterea validam suis sumptibus instruet, quæ viribus ad hæc vestrorum Cosacorum freta, dominium sinus Baltici facile tuebitur.

Item Cracovienſem Academiam proventu, & Doctoribus reficiet, ut pars iuventutis vestræ, artium studiis, pars altera omnium armorum genere instruatur: quo in loco, aut in Gallia, si ita Vobis videbitur, centum e vestra iuventute Nobiles suis sumptibus erudiendos curabit. Insuper, si ad bellum propulsandum peditatu opus habebitis, Sclopetariorum quatuor millia e Vasconum Gente, ad Vos per naves transmittet, & suis sumptibus toto bello sustentabit. Quanti vero æstimabitur Regni Galliæ perpetuum, & inviolabile Vobiscum Fœdus, Gallici præterea populi societatem, unde mercatores Gallicas merces, quibus carere non potestis, ad Vos deferent; vestri item, reciprocro Commercio, ea, quibus maxime abundatis, summo utriusque Gentis commodo in Galliam exportabunt.

De Privilegiis & immunitatibus vestris, ut loquar, non est meum, vestra hæc sunt, non nostra; quale Regnum & Rempublicam Electo tradideritis, talem recturus, & habiturus est. Hæc quæ a me dicta sunt, longiore sermone opus haberent, verum ut brevius agam, si Ducis Andium Vobis grata fuerit Persona, aut per Literas, aut per Delegatos vestros, cum eo accuratius agemus; interim, si de fide nostra, de quo agimus, dubitatur, Nos Legatorum persona de-

ANNO 1573. posita, in Arce custodiri non abnuimus. Itaque Tu magne Senatus, Vosque liberi Equites, quod faustum felixque sit Reipublicæ vestræ, HENRICUS Andium, Borboniorum, & Alvernorum Dux, a Rege Christianissimo Vobis offertur per Nos Legatos. Hunc ad Rempublicam administrandam institutum, & paratum, tanquam Vobis natum, in Filium assumite. Non ille certe est uti alii, qui solo Oratorum aspectu Regnum obtinere sperant, sed uti omnia sua Vobis offert, sic, si in Regem eligatur, consilia sua omnia ad regendam hanc Rempublicam adhibebit, ne Vos facti unquam pœniteat.

III.

*Diploma Electionis* HENRICI *Regis. Ex Archivo Regni Lib. 85. No. 86. Fol. 2.*

Sereniſſimus Princeps ac Dominus Dominus HENRICUS Dei Gratia Dux Andium, Borboniorum & Alvernorum &c. Concordibus ſuffragiis omnium Statuum ſpiritualium, & ſæcularium Regni Poloniæ, &c. Magni Ducatus Litvaniæ ſolenniter Decreto pronuntiato in Regem Poloniæ modo infraſcripto eligitur, & declaratur.

Jácobus Uchamſki Dei Gratia Sanctæ Eccleſiæ Metropolitanæ Gneſnenſis Archiepiſcopus, Legatus Natus, & Regni Poloniæ Primas, ac Primus Princeps, Franciſcus Kraſinſki Cracovienſis, Staniſlaus Karnkowſki Uladiſlavienſis, & Pomeraniæ, Adam Konarſki Poſnanienſis, Petrus Myſzkowſki Plocenſis, Albertus Starozrzebſki Culmenſis, Dioniſius Seczygniowſki Camenecenſis, eadem gratia Epiſcopi, Sebaſtianus de Mielecz Caſtellanus Cracovienſis, & Capitaneus Brzeſtenſis, Joannes Firley de Dambrowica Palatinus, & Capitaneus Generalis Cracovienſis, Regni Poloniæ Supremus Mareſchalcus, Rohatinenſis Capitaneus, Nicolaus Radziwill Dux in Dubniki & Bierze Vilnenſis, Magni Ducatus Litvaniæ Cancellarius, Lidenſis, Mozirenſis, Boriſzovienſisque Capitaneus, Petrus a Zborow Sandomirienſis, Camionacenſisque Capitaneus, Gaſparus Zebrzydowſki de Więczbork Caliſſienſis, Stephanus de Coributow, & in Zbaraz Trocenſis, Albertus de Laſko Siradienſis, Palatini: Euſtachius Wołowicz Trocenſis Caſtellanus, Magni Ducatus Litvaniæ Vice-Cancellarius, Brzeſtenſis, Cobrinenſisque Capitaneus, Joannes Sierakowſki de Boguſławice Palatinus Lancicienſis, Przedecenſisque Capitaneus, Joannes Chodkiewicz Comes in Szkłow, & Byhow, Capitaneus Generalis Terrarum Samogitiæ, Magnique Ducatus Litvaniæ Supremus Mareſchalcus, Livoniæ Adminiſtrator, ac Exercituum Præfectus, Covnenſis, Plotelenſis, Thelſzovienſisque Tenutarius, Conſtantinus Konſtantynowicz Dux de Oſtrog, Kijovienſis, Vlodimirienſisque Capitaneus, Joannes Krotowſki de Barcin Junivladiſlavienſis, Georgius Jazłowiecki de Buczac Ruſſiæ, ac Exercituum Regni Campeſtris Præfectus, Lubaczovienſis, Czervonogrodenſis, ac Szniatinenſis Capitaneus, Rochus Korycki Volhyniæ, Lucenſisque Capitaneus, Nicolaus de Mielecz Podoliæ, Grodecenſis, Novæque Civitatis Korczyn, Nicolaus Maciejowſki Lublinenſis, Scepuſienſisque Capitaneus, Staniſlaus Dowoyno Połocenſis, Paulus Sapieha Novogrodenſis, Arnolphus Uczamſki Plocenſis, Wiſzogradienſisque Capitaneus, Staniſlaus Pac Witepſcenſis, Staniſlaus Lawſki de Strzegocin Palatinus, & Vicegerens Maſoviæ, Nicolaus Kiſzka de Ozieczanowicz Podlachiæ, Drohicienſisque Capitaneus, Anzelmus Goſtomſki Ravenſis, Georgius Tyſzkiewicz Brzeſtianenſis, Wolcovienſisque Capitaneus, Joannes a Dziglin Culmenſis, Bratianenſisque Capitaneus, Georgius Oſcik Mſciſlavienſis, Bracławienſisque Capitaneus, Fabianus Czema Marienburgenſis, Starogardienſis, Grandentinenſisque Capitaneus, Andreas Wiſniowiecki Bracławienſis, Achacius Czema Pomeraniæ, Gnevenſisque Capitaneus, Gabriel Hronoſtay Minſcenſis, Camenecenſisque Capitaneus, Palatini: Petrus a Czarnkow Poſnanienſis, Babimoſtenſis Capitaneus, Hieronymus Oſſolinſki Sandomirienſis, Krzeczovienſisque Capitaneus, Joannes Konowski Caliſſienſis, Joannes Comes a Tenczyn Woynicienſis, Lublinenſis, Parczovienſisque Capitaneus, Joannes de Thomicze Gneſnenſis, Andreas Dembowſki Siradienſis, Lancicienſis Capitaneus, Jacobus Laſſocki Lancicienſis, Nicolaus Talwoſz Samogitiæ, Duneburgenſisque Capitaneus, Paulus Sapieha Kiiovienſis, Lubiecenſisque Capitaneus, Petrus Smerzynski Junivladiſlavienſis, Staniſlaus Herborth de Fulſztyn Leopolienſis, Drohobicenſis, Samborienſisque Capitaneus, Michael Myſzka Volhyniæ, Hieronymus de Sieniawa Camenecenſis, Halicienſis, Colomienſisque Capitaneus, Dominicus Pac Smolinenſis, Staniſlaus Słupecki Lublinenſis, Georgius Siemowicz *Polocenſis*, Cecerienſis, *Propocenenſis*, Leptenſisque Capitaneus, Andreas Comes in Tanczyn

ANNO 1573. eczyn Bełzenſis, Paulus Pac Witepscenſis, Borſimenſisque Capitaneus, Adamus Koſinſki Podlachiæ, Joannes Hayko Brzeſtianenſis, Trabenſis, Comuſtenſis, Grodecenſisque Capitaneus, Joannes Dulſki Culmenſis, Rogoznenſis, Braniſcenſisque Capitaneus, Joannes Szołomierzycki Caſtellanus, & Capitaneus Mſcisławienſis, Adamus Walewſki, Elbingenſis, Baſilius Zagorowſki Bracławienſis, Joannes Koſtka de Stangenberg Gedanenſis, & Terrarum Pruſſiæ Theſaurarius, Pucenſis, Derſzovienſisque Capitaneus, Joannes Hlebowicz Minſcenſis, Nicolaus Czikowſki, Sandecenſis, Sanocenſisque Capitaneus, Andreas Comes in Gorka Miedrzyrzycenſis, Gneſnenſisque Capitaneus, Nicolaus Firley de Dambrowica Viſlicienſis, Staniſlaus Szafraniec de Pieſkowa Skuła Biecenſis, Albertus a Czarnkow Rogoznenſis Coſtenſisque Capitaneus, Joannes Tarło de Szozekarzowice Radomienſis, Pilnenſisque Capitaneus, Nicolaus Ligęza de Bobrek Zawichoſtenſis, Biecenſis, Zydaczovienſisque Capitaneus, Staniſlaus Wyſocki de Bodziſław Landenſis, Jacobus Rokoſſowſki Strzemenſis, Oſtrzeſzovienſis Capitaneus, Joannes Sienienſki de Sienno Zarnovienſis, Chriſtophorus Lanckoronſki Mołogoſtenſis, Joannes Chrzyſtoporſki de Chrzyſtoporzyce Wielunenſis, Andreas Wapowſki Premiſlienſis, Joannes Herborth de Fulſztyn Sanocenſis, Premiſlienſisque Capitaneus, Nicolaus Lyſakowſki Chełmenſis, Paulus Działynſki Dobrzynenſis, Nieſzovienſisque Capitaneus, Petrus Chodzieſki de Potulice Przemecenſis, Staniſlaus Tarnowſki Czeczovienſis, Nicodemus Lenkinſki Naklenſis, Joannes Koſcielecki Biechovienſis, Bidgoſtienſis Capitaneus, Staniſlaus de Koſcielec Bidgoſtienſis, Paulus Szczawinſki Brzezinenſis, Sochazovienſis Capitaneus, Gregorius a Krytkow Kruſvicienſis, Nicolaus Łącki Camenecenſis, Joannes Gomolinſki Spicimirienſis, Simon Szubſki Inovlodenſis, Staniſlaus Sierakowſki de Bohuſławice Kowalienſis, Staniſlaus Goſtomſki Sochaczovienſis, Ravenſisque Capitaneus. Felix Parys Varſovienſis, Czernenſisque Capitaneus, Joannes Szamowſki Goſtinenſis, Andreas Iłowſki Wiſnenſis, Staniſlaus Kryſki Raciąznenſis, Albertus Kraſinſki Sieprczenſis, Chriſtinus Łoś Wiſzogradienſis, Felix Zelſki Rypinenſis Joannes Koſtka Zakroczymenſis, Staniſlaus Boguſki Ciechanovienſis. Joannes Wodinſki Livenſis, Sandivogius Drohiczanſki Lubaczovienſis, Raphael Slatkowſki Conarienſis Caſtellanus, Valentinus Dembinſki de Dembiany Cancellarius Regni, Hieronimus Buրzenſki de Burzenin, Theſaurarius Regni, Zupparius Cracovienſis, Brzeznicenſis Capitaneus, Nicolaus Naruſzowicz Magni Ducatus Litvaniæ Theſaurarius, Marcovienſis, Miadelenſis, Uſpolienſis, Pinenſisque Capitaneus, Andreas Opalinſki Curiæ Regni Mareſchalcus, Cæteriquę Nobiles, Civitates, totaque Communitas Regni Poloniæ, & M. Ducatus Lit. & aliarum Terrarum eisdem adiunctarum. ANNO 1573.

*In Nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis.*

Ad univerſorum, & ſingulorum, quorum intereſt, intereritque in futurum, notitiam deducimus, ita placuiſſe Divinae Maieſtati cuncta pro arbitrio ſuo inter mortales gubernanti, ut ſublato non multum antehac e medio noſtri Sereniſſimo Principe Domino SIGISMUNDO AUGUSTO Dei Gratia Rege Poloniæ &c. Domino noſtro pientiſſimo, Reipublicæ iſtius Regni Rectore Vigilantiſſimo, conturbatis Nobis non modice in hoc tanto luctus, & orbitatis publicæ caſu nova ſubinde lætitia, ab eadem Domina Clementia animis noſtris infulſit, dato iam ac deſignato Nobis in locum demortui, alio Principe, qui vicem illius ſubiens, ac omnia penſa muneris Regii recte, & Ordine abſolvens, celeriter poſtmodum, uti ex gratia Divina confidimus, deſiderium prioris leniat, ſpes noſtras de rebus communibus ob illius mortem, utcunque labefactatas erigat, atque omnium bonorum proventu impleat. Ad cuius quidem Regis Electionem, cum de more, & Lege iſtius Patriæ per Nos Senatores non ita pridem Varſaviæ congregatos de unanimi conſenſu, atque voluntate noſtra indictus eſſet hic Conventus Generalis omnibus Statibus, & Ordinibus Regni, ad Feriam Secundam poſt Dominicam Miſericordiæ Domini nuncupatam, quæ erat Sexta dies Aprilis Menſis proxime præcedentis, ſub eadem Varſavia apud Pagum Camień nuncupatum. Cumque ad eum ipſum Conventum vocati fuiſſent per Edicta noſtra publica, omnes Principes, Proceres, Prælati Spirituales, atque Sæculares, Barones, Nobiles, Milites, & Communitates Terrarum, atque Civitatum univerſarum, qui de Jure atque conſvetudine antiqua ad Electionem novi Regis pertinebant. Conveniente tandem ex uno quoque Ordine plurima, ac prope modum infinita multitudine Nobiliſſimorum, ac præſtantiſſimorum hominum, inſtituto, atque antehac debito rerum agendarum modo, & forma, ſubductis etiam ad calculum rectæ rationis, atque maturi Conſilii Reipublicæ rationibus omnibus, conſtitutis inſuper nonnullis Legibus, ſeu Articulis,

Anno 1573. lis, quæ ad illius ordinationem pertinebant, & omnibus aliis, quæ negotium tanti momenti poſcebant, rite peractis, atque abſolutis, vocatorum non comparentium abſentia in aliquo, ut in tali actu fieri conſvevit, minime obſtante. Tandem Nobis Jacobo Uchanſki Dei Gratia veluti Archiepiſcopo Gneſnenſi, & Regni Primate, & Conſilii Ordinem, & Electionis Proceſſum proponentibus, per Nos univerſos Prælatos *Spirituales*, & *Senatores* Barones, & Conſiliarios noſtros, & abſentium nomine ad Electionis Decretum in Dei nomine proceſſum erat, loco, & die ſupraſcriptis. Quo ſcilicet invocato, primitus per publicum miſſæ *Sacrificium Sancti Spiritus* auxilio, ac Ceremoniis aliis, tum Conſiliis, Tractatibus, Deliberationibus, atque Concluſionibus de more, atque Jure fieri ſolitis præmiſſis. Nos qui ſupra Prælati, & Barones ac Ordines univerſi, ad quos iſtud de Jure Electionis ex antiqua conſvetudine eiusdem Regni pertinet, exquiſitis primo omnium Regnicolarum per unas Turmas, ſeu Palatinatus, diſtinctim diſtinctorum *Sententiis*, eisque poſtmodum diligenter in Senatu & Conſilio publico excuſſis, atque examinatis, Decretum tandem Electionis de noſtro futuro Rege diximus, pronuntiavimus. & promulgavimus, ſic:

Quia colluſtrantes omnes fere Chriſtiani Orbis partes, quem potiſſimum ex illis ad faſtigium Regiæ Dignitatis in Republica noſtra, cum honore, & utilitate illius, atque omnium noſtrorum collocaremus, maxime cum etiam a multis Principibus Chriſtianis Munus iſtud Regium a Nobis expoſcentibus, honorificentiſſimæ Legationes, cum ampliſſimis Reipublicæ noſtræ, utiliſſimisque conditionibus ad Nos venerint. Quas Nos diligentiſſime examinantes, & commoda potiora pro Republica noſtra ex illis deligentes omnium illorum (ſervato tamen unicuique ſuo honore, atque reverentia) aptiſſimum, & utiliſſimum cenſuimus Sereniſſimum Principem, ac Dominum, Dominum Henricum Dei Gratia Andium, Borboniorum, et Alvernorum Ducem, Chriſtianiſſimi Regis Galliarum Caroli nunc Imperantis Fratrem, & Regium item natum ex Domo, & Familia Valeſiorum multis Sæculis in Gallia feliciter Imperantium, deſcendentem, ſummis naturæ, & fortunæ, quin potius divinis dotibus ornatum, iam ſatis etiam pro ætate ſua de Republica Chriſtiana bene meritum, maxime quod ipſemet Sereniſſimus Galliarum Rex pro ipſo Illuſtriſſimo Fratre ſuo per Oratores ſuos interveniens, magna commoda, & firmiſſima præſidia ex opulentiſſimo Regno ſuo Gallico, Nobis, & Reipublicæ noſtræ obtulerit, & ipſe quoque Sereniſſimus Andium Dux, omnes opes ſuas in Regnum noſtrum illaturum ſe promiſerit. Quem eundem Principem Dominum Henricum ſupranominatum, nullo ex affectu carnali, aut perſonali, neque proprii, ſeu privati cuiuscunque commodi, verum ſolius Reipublicæ noſtræ utilitatis cauſa, ob ſplendorem ſummæ virtutis, certamque ab ea expectationem magni in Republica noſtra omnium bonorum incrementi, ex unanimi, atque per omnia ſibi conſentienti omnium noſtrum Sententia, votis, vocibus, & voluntatibus paribus in Regem Poloniæ, Magnum Ducem Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæque, Kiioviæ, Volhyniæ, Podlachiæ, Livoniæ, &c. Dominum noſtrum clementiſſimum, ſic, ut ius Nobis liberæ Electionis competebat, & competere conſvevit, elegimus, & decrevimus, eligimusque, & decernimus præſentibus. Quam Electionem, præſensque Decretum noſtrum, cum univerſis Nobilibus, & Terrarum, ac Civitatum Communitatibus, noſtro, & eorum, atq; abſentium nomine approbandum, ratificandum, tenendum, laudandum, confirmandum, & emologandum duximus, approbamusque, ratificamus, tenemus, laudamus, confirmamus, & emologamus, tenore præſentium mediante. Promittentes ſibi bona fide, & fideliter pollicentes, tam fidem, reverentiam, obedientiam, devotionem & obſequia iuſta, debita, & honeſta, ſemper, & iugiter ſervare, exhibere, & facere, quemadmodum commemorato Sereniſſimo piæ memoriæ Regi noſtro Sigismundo Augusto, & aliis ſuis Anteceſſoribus Regibus noſtris exhibuimus, ſervavimus, & fecimus. Quem etiam Sereniſſimum Regem noſtrum Electum, ut primum DEO favente ad Nos in Regnum venerit, tanquam verum Regem noſtrum & Dominum Sacra Corona, qua Reges Poloniæ conſveverunt coronari, inſignire promittimus. Ita tamen ſi prius ante omnia Literas, Jura, Libertates, Immunitates omnium Statuum, tam Eccleſiaſticorum, quam Sæcularium, quas ab illis Regibus, & Principibus, Ducibus, ac Dominis Regni Poloniæ, atque Magni Ducatus Litvaniæ, & aliarum Provinciarum ad Regnum pertinentium habuimus, & habemus, ſive etiam nunc circa Electionem Sereniſſimi Regis noſtri pro Jure libertatis noſtræ, & Statu Reipublicæ melius conſervandum nobis ſancivimus, obſervabit, cuſtodiet, Juramentoque corporali, tum Literis, & Privile-

Anno 1573.

ANNO 1573. vilegiis authenticis, confirmabit, ratificabit, muniet, & approbabit, et ea quæ ipsemet Sereniſſimus Princeps HENRICUS Noſter Electus, una cum Sereniſſimo Fratre ſuo Galliarum Rege in conditionibus per Oratores obtulit, facto impleverit. Quicunque vero huic præfatæ Sereniſſimi Regis noſtri Electioni, & in Regnum aſſumptioni contravenire, & intra Regnum aliquos motus vel bella procurare, aut Societates, & Colligationes in perturbationem tranquillitatis publicæ inire, & facere voluerit, contra talem & tales omnes ſimul promittimus ſub fide, & honore ſine dolo, & fraude inſurgere, & in eorum deſtructionem nos movere, cuiuscunque ſtatus, conditionis, vel praeeminentiæ fuerint, ſive ſpirituales, ſive ſaeculares. Quod quidem Decretum Electionis in virtute Dei Omnipotentis exequi, & ad optatum effectum deduci cupientes, de certa ſcientia communique Conſilio noſtro, ac omnibus melioribus modo, iure, ſtylo, & forma Dominos infraſcriptos ex parte Senatus, Reverendiſſimos Magnificos Dominos, Adamum Konarſki de Kobylino Epiſcopum Poſnanienſem, Albertum Laſki de Laſko Palatinum Sieradienſem, Joannem Baptiſtam Comitem a Tenczyn Woynicienſem, Lublinenſemq; Capitaneum, Joannem de Thomice Gneznenſem, Andream Comitem de Gorka Miedryrzycenſem, Gneznenſemque Capitaneum, Joannem Herbort de Fulſztyn Sanocenſem, Premiſlienſemque Capitaneum, Staniſlaum Kryſki de Raciąz Kiovienſem Caſtellanos. Nicolaum Chriſtophorum Radziwiłł Ducem in Ołyka & Nieſwieſz Comitem in Gzydłowiec, Mareſchallum Curiae Magni Ducatus Litvaniae. Ex parte vero Equeſtris ordinis Generoſos Dominos Joannem Zamoyſki Bełzenſem, Zameczenſemque, Nicolaum de Dambrowica Caſimirienſem, Joannem de Zborow Odalanovienſem, Capitaneos, Alexandrum Ducem, Nicolaum de Thomice Fratres noſtros ad eundem Sereniſſimum Dominum noſtrum Dominum HENRICUM Dei Gratia Regem Poloniae, & Magnum Litvaniae &c. Ducem Electum ad infraſcripta Geſtores, Rectores, & Nuntios deputavimus, & deputamus, dantes eis plenariam poteſtatem Electionis noſtrae Decretum intimandum, notificandum, & ad indubitatam notitiam Suae Serenitati deducendum, aliaque omnia & ſingula, quae circa Electionem per Nos hic definita, et ordinata ſunt, cum ipſius Serenitate tranſigenda, & concludenda, aliaque omnia, quae negotium ipſum requirit, quaeque ipſis a nobis in Literis Inſtructionis perſcripta ſunt, ſtatuendum & firmandum, aliquorum etiamſi non adfuerint, ad praemiſſa exequenda abſentia minime obſtante. In cuius rei fidem ſupraſcriptorum Conſiliariorum Regni ac infraſcriptorum Dignitariorum, Officialium, & Nobilium Sigilla ſunt appenſa. Actum & Datum in Conventu Generali Electionis Noſtri Regis ſub Varſavia in Campo ad Villam Kamien indicto, Die Sabbathi in Vigilia Sanctiſſimae Trinitatis, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio. Praeſentibus Reverendis Generoſis atque Nobilibus Viris Dominis Staniſlao Oſſowſki Scholaſtico Sandomirienſi, Gneſnenſique Canonico, Staniſlao Sandivogio a Czarnkow Commendore Poſnanienſi, Płocenſi, Drahimenſique Capitaneo, Referendariis Curiae Regni, Staniſlao Falęcki Abbate Suleiovienſi Jacobo Woronicki Gieranenſi, Lovicienſi Praepoſito, Luca Podoſki Gnesnenſi Praepoſito, Eraſmo Dembienſki Decano, Petro Przerembſki Praepoſito, Martino Jzdzbienſki de Ruſiec Scholaſtico, Cracovienſibus, Joanne Zaborowſki Sandomirienſi, Joanne Koczanowſki Poſnanienſi, Joanne Borukowſki Lancicienſi, Adamo Piliczowſki Varſavienſi, Andrea Blinowſki Lublinenſi, Praepoſitis, Staniſlao Kraſińſki, Stiborio Krzykowſki, Laurentio Goſzczycki, Petro Koſtka, Jacobo Vdrzycki, Hieronymo Garwaſki, Canonicis Cracovienſibus, Secretariisque Regiis, Alberto Sandivogio a Czarnkow Maioris Poloniae Generali, Pisdrenſique, Staniſlao Comite a Gorka Colnenſi, Alexandro Chodkiewicz Grodenſi, Joanne a Zborow Odolanovienſi, Andrea de Dambrowica Sandomirienſi, Nicolao Firley de Dambrowica Caſimirienſi Capitaneis, Andrea de Zborow Gladifero Regni, Joanne Zamoyſki Bełzenſi, Zameclſenſique, Bartholomæo Zelinſki de Zelionka Stęzycenſi, Capitaneis, Secretariisque Regiis, Staniſlao Dembiewſki Chęcinenſi, Balthaſaro Lutomirſki Siradienſi, Lezayſcenſique, Joanne Eylecki Hrodlenſi, Raphaele Leſzſczynſki Radzieiovienſi, Floriano Ciechanovienſi, Andrea Rozanenſi Noſzkowſcy, Chriſtophoro Laſocki Goſtynenſi, Staniſlao Radziminſki Livenſi, Camenecenſique, Nicolao Herborth de Fulſztyn Leopolienſi, Nicolao W.lſki de Podhaicze Krzepicenſi, Petro Granowſki Raiznenſi, Luca Gornicki Tykocinenſi, Capitaneis, Chriſtophoro ac Samuele Zborowſkie, Jannuſſio Latalſki, Joannne Demetrio Solikowſki de Solki, Andrea Jakobowſki, Andrea Trzecieſki, Franciſco Maſtowſki, Staniſlao

ANNO 1573.

ANNO 1573. niſlao Kuczynſki, Tribuno Ravenſi, Jacobo Ponętowſki Pincerna Łovicienſi, Secretariis Regiis, Andrea Gołuchowſki Tribuno Sandomirienſi, Paulo Oſſowſki Sandomirienſi, Thoma Dembowſki Łancicienſi, Judicibus Terreſtribus, Staniſlao Jezowſki Varſavienſi, Nicolao Koſſobucki Plocenſi, Nicolao Wierzbicki de Boguſławice Łomzenſi, Terreſtribus Notariis, Joanne & Staniſlao, Parys, Alberto Solikowſki de Sołki, Chriſtophoro Warſzewicki, Felice Rembielinſki, Chriſtophoro Borzykowſki, Franciſco Lipſki, Staniſlao Gloſkowſki, Joanne & Nicolao Zardecki de Boguſławice, nec non Spiritualibus & Famatis Eraſmo Eidgler, Sigismundo Gutteler, Cracovienſibus, Joanne Kiiowſki Proconſule, Gaſparo Goſki Philoſophiae & Medicinae Doctore Advocato Poſnanienſi, tum etiam Sandomirienſi, Conſulibus, & Nuntiis Civitatum noſtrarum.

IV.

*Confirmatio Pactorum Conventorum per Sereniſſimum* HENRICUM *Electum Regem.* Datum Lutetiæ Pariſiorum die 10. Sept. Anno. 1573. *Ibid. fol. 17.*

HENRICUS Dei Gratia Electus Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, &c. nec non Dux Borboniorum, Andium, Alvernorum &c. Comes Marchiæ, Foreſti, Quercii, Rovergii, Montiforti. Significamus hiſce Literis noſtris, quorum intereſt univerſis, & ſingulis, quod poſt mortem olim *Sereniſſimi* Principis Domini SIGISMUNDI AUGUSTI, Regis Poloniæ, & Magni Ducis Litvaniæ, *Sereniſſimus* Princeps Dominus CAROLUS, Dei Gratia Francorum Rex Chriſtianiſſimus, atque Frater noſter, Nosque una cum Maieſtate ipſius, miſeramus ad *Status*, & Ordines Regni Poloniæ, Reverendiſſimos, & Magnificum, Viros, Joannem Montlucium, Epiſcopum Valentiae, Conſiliarium in *Secretiori* Conſilio Franciae; Ægidium Noallium, Abbatem Inſulae, Libellorum ſupplicum in Regno Franciae Magiſtrum; & Guidonem *Sangelaſium* Lanſacum, Camerarium Chriſtianiſſimi Regis Fratris noſtri, & Ordinis eiusdem Equitem, & *Seneſcallum* Aginenſem, Oratores, & Commiſſarios utriusque noſtrum, ut de Nobis in locum praefati Domini SIGISMUNDI AUGUSTI, Regis, & Magni Ducis Litvaniae &c. ſufficiendis, atque in Regem aſſumendis agerent, divinique Numinis inſtinctu in Comitiis Electionis Regis ſub Varſavia habitis, Ordines Regni Poloniae, & Magni Ducatus Litvaniae, Nos Regem creaſſe, conditionibus, & articulis inter eosdem Ordines, ac Oratores noſtros ibidem concluſis intervenientibus, quorum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis. ANNO 1573.

*Articuli Pactorum conventorum inter Illuſtriſſimum Senatum, & Ampliſſimos Status & Ordines Inclyti Regni Poloniæ, ac M. D. Litvaniæ, ab una, & Reverendiſſimum, ac Magnificum Dominum Joannem Monlucium, Epiſcopum, & Comitem Valentiæ, Ægidium de Noailles, Abbatem Inſulæ, & Guidonem Sangelaſium Dominum a Lanſac, Equitem Ordinis S. Michaelis, Sereniſſimorum Principum Dominorum* CAROLI *Dei Gratia Regis Galliarum Chriſtianiſſimi, Fratrisque ſui* HENRICI, *Andium, Borboniorum, & Alvernorum Ducis, nunc vero Electi Poloniæ Regis, ad eosdem Status & Ordines Regni miſſos Oratores parte ab altera.*

Quandoquidem ita placuit *Deo*, qui ſolus hominum corda movet, & diſponit, ut de unanimi ſententia, atque libero aſſenſu omnium Statuum, atque Ordinum Inclyti huius Poloniæ Regni, Magnique *Ducatus* Litvaniæ, ac cæterarum Provinciarum ad ipſum Regnum pertinentium, memoratus Illuſtriſſimus Princeps *Dominus* HENRICUS, Andium, Borboniorum, & Alvernorum Dux, eſſet in Poloniæ Regem, atque eundem Magnum Ducem Litvaniæ, ac cæterarum Regni Provinciarum Principem, & Dominum libere electus, & publice declaratus, adeſſent autem ipſius Illuſtriſſimi Principis, & Fratris ſui Chriſtianiſſimi Galliarum Regis Nuntii ſupra nominati, cum plena ac ſufficienti poteſtate ab eisdem Principibus ſuis huc ad Status, & Ordines in Optionem Regni miſſi, cum quibus pro ſalute, & incolumitate huius *Regni*, ac totius Reipublicæ Chriſtianæ, certa Pacta ſeu Conditiones, ipſis Sereniſſimis Principibus per dictos Oratores eas ſponte offerentibus, cæteris autem a Statibus Regni expeditis, ſunt utrinque inita, & ſancita, in hunc, qui ſequitur modum.

Primo Fœdus perpetuum inter Galliæ, & Poloniæ Regna, atque eorum Provincias omnes, homineſque in eis degentes, conſtare debet, procurantibus, & promoventibus illud ſupranominatis Sereniſſimis Principibus Galliarum, & Poloniæ Regibus. Verum quoniam de tanto negotio, quatenus ex re utriusque Provinciæ fieret, nihil nunc abſque Principibus ipſis tranſigi poteſt, cum multa hic ponenda eſſent, quæ magna deliberatione indigerent. Ideo Tractatu ipſo de Fœdere ſanciendo, in aliud tempus reiecto,

Orato-

ANNO 1573. Oratores supra descripti, ex concessa sibi ab ipsis Principibus suis facultate, hæc omnia in præsentia Regno huic Polonico, & eius Statibus clare & aperte, nomine Sereniſſimi Regis Galliarum detulerunt: ut si aliquando quispiam hostium, & quævis alia Gens inimica hoc Regnum, sive eius Provincias non levibus excursionibus, sed iusto exercitu adoriri vellet, Regem Christianissimum curaturum esse, amice agere cum illis hostibus, ut a bello abstineant inferendo. Quod si obtinere nequiverit, Peditatu Regnum hoc iuvabit, si ita Status Regni optaverint, qui ad fines Regni transmittatur, ac si pro Peditatu Vasconico Equitatum Germanum Status Regni optaverint, id ipsum etiam Rex Christianissimus præstabit: aut si ita Statibus ex re magis videbitur, pecuniis eos iuvabit, quemadmodum etiam vicissim Galli, si Polonico Equitatu egeant, illo a Polonis adiuvabuntur, stipendiis ab illis acceptis.

Item. Offerunt, ac spondent iidem Oratores Statibus & Ordinibus Regni, nomine Christianissimi Regis, in usum belli contra Moschorum Principem quatuor millia Vasconum peditum electissimorum, quibus etiam stipendia in sex menses Christiani ſimus Rex persolvere debebit. Quod si post sex menses eorum opera sit necessaria, ad sex alios menses in illud tempus *Regem* Christianissimum Fratri charissimo stipendia, quæ requiruntur, non denegaturum existimat. Et tamen quidquid sit ad ea persolvenda, reditibus Polonicis Sereniſſimum *Regem* Poloniæ electum non esse usurum. Interim tamen de ratione istius belli contra Moschum suscipiendi, in cuius usum Vascones isti adhibendi sunt, deque ratione victus, & alimoniæ in illis *Regionibus*, quo adduci debent, Status *Regni* Sereniſſimum suum *Regem* electum tempestive præmonere debent, ut cum illis etiam quid certi, pro ratione annonæ, de stipendiis constitui possit.

Item promittunt Oratores prædicti nomine ipsius *Regis* Sereniſſimi Electi, quamprimum, *Deo* volente, ad *Regnum* suum venerit, Classem necessariam & sufficientem ad tuendos Portus, & Dominium maris, Ditionis *Regni*, et Provinciarum adiacentium, quatenus se porrigit omnis ille tractus Polonicæ Ditionis, suo sumptu alere, quam etiam ita instituet, ut res et necessitas svadebit, et Status Regni censebunt. Cuius classis magnum usum fore animadvertunt, ad impediendam Narvicam navigationem, sive etiam illum portum *Regno* acquirendum.

Item pollicentur nomine ipsius Sereniſ- ANNO simi *Regis* Electi, curaturum eum pri- 1573. mo quoque tempore Emporium aliquod nobile in portu aliquo Gallico mercatoribus, et mercimoniis *Polonicis* instituere, similiter et commerciorum mutuum usum ordinare, adhibitis ad eam rem peritis rei mercatoriæ atque nauticæ, absque quorum consilio huiusmodi navigationes recte institui non possunt. Jam autem nunc offerunt ipsi Oratores, nomine Sereniſſimi *Regis* Galliarum, liberam potestatem commeandi, et quævis commercia faciendi nostris hominibus, in Galliam, et Alexandriam, et Terras novas, eo iure, atque libertate, qua Galli utuntur.

Item promittunt, et spondent iidem Oratores, nomine Sereniſſimi *Regis* Electi, singulis annis, quoad vivet, et *Rex Poloniæ* erit, ex reditibus suarum *Provinciarum*, quas in *Regno* Galliæ habet, quadringenta quinquaginta millia florenos pecuniæ, se huc in *Regnum* illaturum, et in usus Reipublicæ impensurum, pro arbitrio suo.

Item consulendo honori, atque existimationi huius Regni, cum intellexerint, illud esse gravi ære alieno oppressum, pollicentur dicti Oratores eiusdem Sereniſſ. Regis nomine, nomina, seu debita Reipublicæ, cum assensu *Senatus*, per defunctum olim piæ memoriæ Regem facta, aut etiam a morte illius usque ad adventum ipsius *Sereniſſimi* Regis Electi, Reipublicæ causa contracta, quorum ipsimet *Senatores*. & Status Regni rationes suæ Maiestati indicabunt, ac in scriptis proferent; quod sua Maiestas pecuniis suis persolvet dimidiam partem, cum primum huc ad Regnum appulerit. Reliquum autem intra decursum annorum duorum proxime sequentium, hoc autem nomine, sine quibusvis aliis, quaecunque in commodum, ac beneficium istius Reipublicae faciet, et praestabit, nihil sibi esse cautum, atque repositum volet a Republica Regni huius, sed gratis et libenter illi resignabit omnia, quaecunque illi, aut cuivis alteri donaverit.

Item spondent iidem Otatores memorati Sereniſſimum Regem Electum, Academiam Cracovienſem ad meliorem frugem rei literariæ reducturum, evocatis, et deductis eo undecunque doctiſſimis Viris, in qualibet professione, et Facultate literaria, excellentiſſimis Professoribus, quos ibidem in Academia Cracovienſi stipendiis suis alet, ac retinebit perpetuo.

Item promittunt, et spondent supradicti Oratores, eundem Sereniſſimum Regem Electum, ad minus centum ex Nobilium familia filios in eadem Cracovienſi,

ANNO 1573. sive etiam Parisiensi Academia, ad tempus profectus illorum in re literaria, suo sumptu alere. Quod si autem Status Regni maluerint, dimidiam eorum partem in literis, & aliam in armis, sive etiam in Aulis Principum externorum exercere, id in eorum arbitrio esse futurum.

Item recipiunt, et spondent iidem Oratores, nomine supradicti Serenissimi Regis Electi, eum huc secum ad inhabitandum nullos peregrinos homines adducturum, præter paucos, quorum opera in ministerio domestico utetur, quos tamen postea brevi remittet, persolutis illis stipendiis de suo: nullas etiam possessiones, aut dignitates, vel officia illis concedet, sed tantum indigenis Polonis, iuxta Statutum Regni.

Deinde vero, quae supra memorati Oratores in Oratione sua ad Status Regni initio istius Conventus habita, & typis per eosdem evulgata, comprehenderunt, ac Statibus Regni obtulerunt, spondent, ac recipiunt pro Dominis suis Serenissimis *P*rincipibus, facturos esse ipsos *P*rincipes omnia illa, & fideliter impleturos, quæ memorati eorum Oratores promiserunt.

Item recipiunt, & spondent iidem Oratores, nomine dicti Serenissimi Regis Electi, eum omnia Jura, Privilegia, Libertates, Immunitates, Prærogativas unicuiq; Statui, & homini ex Incolis Regni, Magnique Ducatus Litvaniæ, & omnium *P*rovinciarum illi adiunctarum, sive generaliter omnibus, sive specialiter singulis, per Serenissimos Reges, & alios *P*rincipes et Antecessores, iuste et legitime concessas, vel quovis alio nomine quaesitas, ac diuturno usu approbatas, sive etiam nunc circa Electionem Regis sui, ex unanimi, et concordi omnium Ordinum consensu sancitas, integre et inviolabiliter servaturum, atque etiam Juramento corporali, iuxta sibi traditam formam, ante Inaugurationem, sive Coronationem sui confirmaturum, et Literis ad id necessariis muniturum. Quae etiam suprascripta omnia, et inde caetera consequentia, in robur certissimae, atque perpetuae firmitatis, supra dicti Oratores, nomine et loco suarum Maiestatum, iurarunt in debita forma. Et in evidentius testimonium, ac robur firmissimum omnium suprascriptorum Sigilla, utriusque Partis, tam Statuum Regni, quam ipsorum Oratorum, hisce Literis sunt adhibita, cum subscriptione eorundem manuum. Actum et datum sub Varsavia, in Campo Villae Kamień, in Comitiis magnis Electionis Novi Regis, die 16. Maii Anno Domini MDLXXIII. ANNO 1573.

Quibus praeinsertis Conditionibus, & Articulis stare, ac eosdem adimplere volentes, postquam recitatos coram Nobis sigillatim expendimus, & consideravimus, eos ratos, & gratos habentes, approbavimus, & confirmavimus, approbamusque, & confirmamus hisce Litteris nostris, & ita de unoquoque illorum cavemus, ut Haeredes successoresque nostros non minus quam Nos obligent; promittentes bona fide, existmationisque nostrae periculo, & pignore omnium nostrorum bonorum mobilium, & immobilium, praesentium, & futuorum, quaecunque ad nostros Haeredes, & Successores pervenient, ac sub Juramento a Nobis in manibus Oratorum dicti Regni Poloniae praestito, Nos, Fratremque nostrum ac Haeredes nostros, omnes Conditiones, & Articulos praedictos inviolabiliter observaturos, & adimpleturos, sine exceptione, nec unquam iis directe vel indirecte contraventuros, & ratos Regni Galliae Parlamentis, Officiis, & caeteris, quorum interest, effecturos, & praestituros. Praeterea vero, quod ad priorem Articulum attinet, ita cum Christianissimo Rege Fratre nostro declaramus, quod cum absque Ordinibus universis Regni Poloniae Fœdus cum Regno Galliae caeteris de rebus, quae in Articulis supra scriptis non sunt expressae, quibus quidem utrique Regno opus esse possit, concludi nequeant, Christianissimus Rex Frater noster Oratoribus suis, quos mittet in Poloniam, ad Coronationem nostram, plenam facultatem coniunctim, ac cuilibet illorum in solidum dabit, Fœderis huius cum Ordinibus Regni Poloniae, & Magni Ducatus Litvaniæ sanciendi, adiectis conditionibus, & Articulis pro utilitate Galliae, & Poloniæ Regnorum, prout inter eosdem Ordines Regni Poloniae ac Magni Ducatus Litvaniae, ac Oratores Christianissimi Regis Fratris nostri conveniet, amplificandi, ratis tamen manentibus conditionibus in Articulis supra scriptis expressis, etiamsi contigerit nihil amplius a Christianissimi Regis Oratoribus cum Ordinibus Regni Poloniae, & Magni Ducatus Litvaniae in Comitiis Coronationis nostrae sanciri, & concludi.

Ac item eiusdem Articuli partem, qua Christianissimus Rex obligatur, ut si aliquando quipiam hostium Regnum Poloniae, & Magnum Ducatum Litvaniae, Dominiaque iis adiuncta, iusto exercitu adoriri vellet, nisi admoniti amice a Christianissimo Rege ab incepto desistant, Regnum Poloniae & Magnum Ducatum Litvaniæ

ANNO 1573. vaniae peditatu Vasconico, vel Equitatu Germanico, vel pecuniis, prout Ordinibus dictis videretur, iuvet: ita cum dicto Rege interpretamur, ut omnes, quicunque Regnum illud invaderent, nullis exceptis, praetextu cuiusvis prioris, vel posterioris necessitudinis, & pactionis, hostes Polonorum nominare Nos profiteamur, adversusque eos, nisi admoniti amici a Christianissimo Rege ab incepto desistant, auxilium eis Christianissimum Regem Fratrem nostrum laturum, ut suprascriptum est, pollicemur.

Item. Quoad Articulum de quatuor millibus Vasconum, Statibus, ac Ordinibus Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ, in usum belli adversus Moschorum Principem a Rege Christianissimo Fratre nostro promissis, ita ut iisdem in sex menses stipendia persolvat, pertinet, pollicemur Fratrem nostrum, cum Status Regni Nobis significabunt, ut hæc quatuor millia Vasconum transmittantur, illa quam primum transmissurum cum effectu, ita ut iis non Status Regni Poloniæ, sed Christianissimus Rex Frater noster transitum præstet, atque a die, quo fines Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ attigerint, in sex menses stipendia persolvet. Et cum Oratores Christianissimi Fratris nostri, ac nostri, in Comitiis Electionis spem Statibus Poloniæ fecerint, si Vasconum opera post sex menses fuerit necessaria, Fratrem nostrum stipendia iisdem Vasconibus in sex alios menses in gratiam nostram soluturum, prædictus Christianissimus Rex Frater noster, pro suo erga Nos amore, ita ut spem fecerunt Oratores dicti, in alios sex menses quatuor millibus Vasconum peditum, si illorum opera Regno Poloniæ fuerit necessaria, stipendia se daturum, & numeraturum promisit.

Articulum item de classe ita declaramus, quod Nos extruemus, armabimus, & alemus classem sumptibus nostris Gallicis, quæ sufficiat ad Dominium Maris littorum Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ, Dominiorumque eis adiunctorum, pro utilitate eiusdem Regni, secundum Jura, Privilegia, ac Leges Regni tuendum, & ad tollendas navigationes, quæ Regno Poloniæ, & Magno Ducatui Litvaniæ, & Portubus eorundem damnum, & incommodum afferrent.

Quod vero iidem Oratores in Comitiis Electionis nostræ receperint, Nos curaturos esse, ut primo quoque tempore in Portu aliquo Gallico Mercatoribus, & mercimoniis Polonicis Emporium aliquod nobile instituatur, dabit Frater noster Christianissimus Rex, datque plenam facultatem Oratoribus, quos ad Comitia Coronationis nostræ mittet, coniunctim ac cuilibet illorum in solidum, de hoc Emporio cum Ordinibus ac Statibus Regni constituendi, libertate commeandi, & quævis commercia faciendi, Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ, Dominiorumque eis annexorum hominibus in Galliam, Alexandriam, & terras novas, eo Jure, eaque libertate, qua Galli utuntur, ab Oratoribus Christianissimi Fratris nostri, & nostris, in Comitiis Electionis nostræ, nomine Fratris nostri iam promissa, & ab eo confirmata, salva manente. Item, cum singulis annis, quoad vivemus, & in Polonia regnabimus, ex Pactione cum Ordinibus, ab Oratoribus Christianissimi Fratris nostri, ac nostris, in Comitiis Electionis facta, inferri debeant ex Gallia in Regnum Poloniæ quadringenta quinquaginta millia florenorum; pollicemur cum Christianissimo Fratre nostro, quod ea pecuniæ Summa singulis annis inferetur in Regnum Poloniæ, sine ulla excusatione, aut cuiusvis impedimenti prætextu; ita ut ultimo anni mense, incipiendo annum a die Coronationis nostræ, eam Summam illatam in Regnum Poloniæ Ordinibus demonstremus. Cæterum hac de re, & reliquis rebus, quæcumque ad executionem istius Articuli pertinere possint, ad colloquium nostrum cum Ordinibus Regni, in Comitiis Coronationis nostræ agetur, quemadmodum a Nobis cum Oratoribus ad Nos ab Ordinibus missis, a quibus ad definienda omnia, quæ ad executionem huius Articuli spectarent, diligenter rogati sumus, conclusum est. Eam vero pecuniam quotannis illatam, ut supra scriptum est, in usus Reipublicæ arbitrio nostro impendemus; pecuniam vero, qua, ubi primum ad Regnum Poloniæ appulerimus, dimidiam partem debitorum a Regno Poloniæ persolvamus, Nos asportaturos Nobiscum, & temporibus in Comitiis Electionis pactis & assignatis, omnia debita Regni, quæ in Oratione Oratorum Christianissimi Fratris nostri, & nostrorum, initio Conventus Electionis habita nominantur, & a Nobis, ac Senatu Regni, cuius hac de re relationi, utrum iusta sint, nec ne, stabimus, indicabuntur, Nos exoluturos pollicemur.

Quæ vero de Schola Cracovienſi, & centum filiis a Nobis educandis, nostro nomine Ordinibus & Statibus Regni Poloniæ promissa sunt, ea Nos ratione, ac modo, qui a Nobis cum Ordinibus in Comitiis Coronationis nostrae constituetur, adimpleturos, & ad extrema vitæ nostræ tempora præstituros pollicemur.

ANNO 1573. Quos quidem posteriores Articulos, seu eorum declarationes, ac conditiones, ac omnia, & singula in iis expressa, haud secus quam superiores, eademque fide, ac obligatione, qua supra Christianissimum Fratrem nostrum, ac Nos, Hæredesque utriusque nostrum, coniunctim & separatim inviolabiliter adimpleturos, & Galliæ Parlamentis, Officiis, & cæteris, quorum interest, ratos reddituros ac effecturos, quibusvis excusationibus, & exceptionibus iuris, vel facti semotis, pollicemur, ac spondemus, superioribus tamen Articulis nihil derogando. Promittimus insuper, quod postquam (Deo favente) in Regnum Poloniæ venerimus, & coronati fuerimus, eosdem Articulos, eorumque declarationes, sub Sigillo Regni Poloniæ, si id a Nobis Ordines Regni requirant, illis trademus. In cuius rei testimonium, has litteras manu propria subscripsimus, & Sigillo, quo utimur in Gallia, obsignari iussimus.

Datum Lutetiæ Parisiorum, in Ecclesia Cathedrali Divæ Mariæ, die decima mensis Septembris, anno Domini 1573.

HENRICUS *Electus Rex Poloniæ.*

*Per Regem Electum* Brulart.

## V.

*Confirmatio, & Declaratio eorundem Pactorum per Serenissimum Regem Galliæ.* Datum Lutetiæ Parisiorum d. 10. Septembr. Anno 1573. *Indidem.*

CAROLUS DEI Gratia Francorum Rex. Significamus hisce Literis nostris quorum interest universis & singulis. Quod post mortem Divi SIGISMUNDI AUGUSTI Poloniæ Regis & Magni Ducis Litvaniæ &c. Miseramus ad Status, & Ordines Regni Poloniæ & Magni Ducatus Litvaniæ fideles ac Nobiles dilectos, Joannem Monlucium Episcopum Valentiæ Consiliarium in Secretiori nostro Consilio, Ægidium Noaillium Abbatem Insulæ, Libellorum Supplicium in Regia nostra Magistrum, & Gvidonem Sangelasium Lanssacum Camerarium, Equitem Ordinis nostri, & Senescallum Aggenensem, Oratores & Commissarios nostros, & Sereniſſimi Principis Fratris nostri Chariſſimi HENRICI Andium, Borboniorum, Alvernorum Ducis, Comitis Marchiæ &c. nunc vero Poloniæ Electi Regis, & Magni Ducis Litvaniæ &c. Vt de eodem Fratre nostro in locum præfati Domini SIGISMUNDI AUGUSTI Regis & Magni Litvaniæ Ducis, sufficiendo, atque Rege creando agerent, Divinique Numins instinctu in Comitiis Electionis Regis, sub Varsavia habitis, Ordines Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ prædictum Fratrem nostrum Regem crearunt, conditionibus & articulis inter eosdem Ordines, & Oratores nostros ibidem conclusis intervenientibus. Quorum quidem Tenor de verbo ad verbum sequitur, & est eiusmodi. Articuli Pactorum Conventorum inter &c. ANNO 1573.

*Inseruntur Articuli.*

Quibus præinsertis Conditionibus & Articulis stare, ac eosdem adimplere volentes, postquam recitatos coram Nobis sigillatim expendimus, & consideravimus, eos ratos, & gratos habentes approbavimus, & confirmavimus, approbamusque, & confirmamus hisce Literis nostris, & ita de unoquoque illorum cavemus, ut Hæredes, Successoresque nostros non minus quam Nos obligent. Promittentes pro Nobis, & pro Sereniſſimo Fratre nostro, spondentes bona fide, existimationisque nostræ periculo, & pignore omnium nostrorum Bonorum mobilium, & immobilium, præsentium & futurorum, quæcunque ad nostros Hæredes, & Successores pervenient, ac sub Juramento a Nobis in manibus Oratorum dicti Regni Poloniæ præstito, Nos, Fratremque Nostrum, ac Hæredes nostros, omnes conditiones & articulos prædictos inviolabiliter observaturos, & adimpleturos sine exceptione, neque unquam iis directe, vel indirecte contraventuros, & ratos Regni Galliæ Parlamentis, Officiis &c. cæterisque quorum interest, Nos, Hæredes, & Successores nostros effecturos, & præstituros. Præterea vero, quod ad priorem Articulum attinet, ita eum declaramus: Quod cum absque Ordinibus universis Regni Poloniæ Fœdus, cæteris de rebus, quæ in Articulis suprascriptis non sunt expressæ, quibus quidem utrique Regno opus esse possit, concludi nequeat, Oratoribus nostris, quos mittemus ad Coronationem Sereniſſimi Poloniæ Regis Electi Fratris nostri chariſſimi dabimus plenam Facultatem, damusque iam hisce Litteris nostris coniunctim, ac cuilibet illorum in solidum, Fœderis huius cum Ordinibus Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ, adiectis conditionibus & Articulis pro utilitate nostri, & Poloniæ Regnorum, prout inter eosdem Ordines Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ, ac Oratores nostros conveniet, amplificandi, ratis tamen manentibus conditionibus de hoc Fœdere, in Articulis suprascriptis

ANNO 1573. ſcriptis expreſſis, etiamſi contigerit, nihil amplius a noſtris Oratoribus Ordinibus Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ in Comitiis Coronationis prædicti Fratris noſtri ſanciri, & concludi. Ac item eam eiusdem Articuli partem, qua obligamur, ut ſi aliquando quiſpiam hoſtium Regnum Poloniæ, & Magnum Ducatum Litvaniæ, Dominiaque iis adiuncta iuſto Exercitu adoriri vellet, niſi admoniti a Nobis amice, ab incepto deſiſtent, Regnum Poloniæ, & Magnum Ducatum Litvaniæ Peditatu Vaſconico, vel Equitatu Germanico, vel pecuniis, prout Ordinibus dictis videretur, iuvemus. Ita interpretamur, ut omnes, quicunque Regnum illud invaderent, nullis exceptis, prætextu cuiusvis prioris aut poſterioris neceſſitudinis, aut pactionis, hoſtes Poloniæ nominare Nos profiteamur, adverſusque eos, niſi quam primum a Nobis moniti amice ſine ulla cunctatione ab incepto deſiſtant, auxilium illis Nos daturos, ut ſupraſcriptum eſt, pollicemur.

Item quod ad Articulum de quatuor millibus Vaſconum, Statibus, & Ordinibus Regni in uſum belli contra Moſchorum Principem a Nobis promiſſis, ita ut iisdem in ſex menſes Stipendia perſolvamus, ſpectat, profitemur Nos obſtrictos eſſe, cum Status Regni ſignificabunt Nobis, ut hæc quatuor millia Vaſconum tranſmittamus, illa quamprimum tranſmittere cum effectu, ita ut iis non Status Regni Poloniæ, ſed Nos liberum tranſitum præbere teneamur, atque a die, quo fines Ditionum Regni Poloniæ, vel M. Ducatus Litvaniæ attigerint, in ſex menſes ſtipendia perſolvamus. Et cum Oratores noſtri, ac Sereniſſimi Fratris noſtri in Comitiis Electionis ſpem Statibus Poloniæ fecerint, ſi Vaſconum opera poſt ſex menſes Regno Poloniæ ſit neceſſaria, in alios ſex menſes Nos ſtipendia iisdem Vaſconibus in gratiam Fratris noſtri chariſſimi ſoluturos, ut de noſtro erga Fratrem noſtrum amore Ordinibus, & Statibus Regni Poloniæ, ac in illos quoq; noſtra propenſione, & favore conſtare poſſit, ita ut ſpem fecerunt Oratores dicti, in alios ſex menſes quatuor millibus Vaſconum peditum, ſi illorum opera Regno fuerit neceſſaria, ſtipendia Nos, & Succeſſores noſtros numeraturos, & daturos pollicemur.

Articulum item de claſſe ita declaramus, quod Frater noſter Sereniſſimus Poloniæ Rex Electus, M. Dux Litvaniæ &c. extruet, armabit, & alet Claſſem ſumptibus ſuis Gallicis, quae ſufficiat ad Dominium Maris Litorum Regni, & Magni Ducatus Litvaniae, ac Dominiorum iis adiunctorum pro utilitate Regni Poloniae, ſecundum Jura, Privilegia, ac Leges eiusdem Regni tuendum, & ad tollendas navigationes, quae *R*egno Poloniae, ac Magno Ducatui Litvaniae, & Portubus eorundem damnum, & incommodum afferrent. Quod vero iidem Oratores in Comitiis Electionis receperint *S*ereniſſimum Fratrem noſtrum curaturum, ut primo quoque tempore Emporium aliquod Nobile in portu aliquo Gallico mercatoribus, & mercimoniis Polonicis inſtituatur, dabimus, damusque iam plenam facultatem Oratoribus ſupraſcriptis, quos in Poloniam ad Comitia Coronationis Fratris noſtri Sereniſſimi Poloniae *R*egis Electi mittemus, coniunctim, & cuilibet in ſolidum de hoc Emporio cum Ordinibus, & Statibus *R*egni conſtituendi, libertatem commeandi, & quaevis alia commercia faciendi *R*egni Poloniae, & Magni Ducatus Litvaniae, Dominiorumque iis adiunctorum hominibus in Gallias, Alexandriam, & Terras Novas, eo Jure, eaque libertate, qua Galli utuntur, ab Oratoribus noſtris, & *S*ereniſſimi Fratris noſtri in Comitiis Electionis *S*tatibus, & Ordinibus *R*egni Poloniae nomine noſtro promiſſa, & a Nobis confirmata ſalva manente.

Item cum ſingulis annis, quo ad *S*ereniſſimus praedictus Frater noſter vivet, & in Polonia regnabit, ex Pactione ab Oratoribus noſtris in *C*omitiis Electionis Fratris noſtri inferri debeant ex Gallia in *R*egnum Poloniae quadringenta, & quinquaginta millia Florenorum, chariſſimo Fratri noſtro primum, deinde omnibus *R*egni Poloniae ac Magni Ducatus Litvaniae Ordinibus ſancte pollicemur, & ſpondemus, futurum omnino, ut ea pecuniae *S*umma ſingulis annis vere, & re ipſa, ac integre in Poloniam importetur, obligantes etiam hac in parte Bona noſtra quaevis mobilia, & immobilia, ſi quid ad eam *S*ummam defuerit. Imo hoc amplius promittimus, ac recipimus, neque Nos, neque *S*ucceſſores noſtros unquam paſſuros eſſe, ut illius veteris, aut novae *C*onſtitutionis Gallicae colore quaeſito, aut alicuius Inſtituti, & Conſvetudinis provincialis, caſuſve cuiuſvis praetextu, pecuniae illius tranſvectio impediatur, aut Bonorum eorum, quae nunc in Gallia idem *S*ereniſſimus Frater noſter quovis Jure ſuo poſſidet, ulla unquam fiat tam ipſi, quam ipſius Haeredibus diminutio, aut in dubium revocatio, per Nos, Haeredes, & *S*ucceſſores noſtros, & alios quoſvis. Eam vero pecuniam quotannis illatam, ut ſupraſcriptum eſt, Frater noſter in uſus *R*eipublicæ arbitrio ſuo impendet. Pecuniam vero, qua ut

ANNO 1573. ad *Regnum Poloniae* appulerit, dimidiam partem debitorum a *Regno Poloniae* perſolvat, Fratrem noſtrum iam ſecum apportaturum, & temporibus in *Comitiis* Electionis pactis, & aſſignatis omnia debita *Regni*, quæ in Oratione Oratorum noſtrorum, ac Sereniſſimi Fratris initio *Conventus* Electionis habita nominantur, & a *Senatu* Regni, cuius de hac re relationi, utrum iuſta ſint, nec ne, ſtandum erit, iudicabuntur, exſoluturum Fratrem noſtrum pollicemur, & ſpondemus.

Quae vero de *Schola Cracovienſi*, & centum Filiis Nobilium educandis *Sereniſſimi* Fratris noſtri nomine, Ordinibus, & Statibus *Poloniae* promiſſa ſunt, ea Fratrem noſtrum ratione ac modo, qui a *Sereniſſimo* Fratre noſtro cum Ordinibus in *Comitiis Coronationis* conſtituetur, adimpleturum primo quoque tempore, & quoad vivet, præſtiturum pollicemur.

Quos quidem poſteriores Articulos, ſeu eorum Declarationes, ac *Conditiones*, ac omnia, & ſingula in iis contenta, & expreſſa, haud ſecus, quam ſuperiores, eademque fide, ac obligatione, qua ſupra, Nos, ac *Sereniſſimum* Fratrem noſtrum, Hæredesque, ac Succeſſores noſtros inviolabiliter obſervaturos, exequuturos, præſtituros, & adimpleturos, & Regni Galliæ Parlamentis, Officiis, & omnibus, quorum intereſt, ratos reddituros, & effecturos quibuſvis excuſationibus, & exceptionibus Juris, vel facti ſemotis pollicemur, & ſpondemus. *Superioribus* tamen Articulis nihil derogando. Itaque mandamus, & præcipimus omnibus noſtris Parlamentis ut has noſtras Literas legendas, publicandas, & in Acta ipſorum referendas curent. In cuius rei fidem, & teſtimonium has dictas Literas manu propria ſubſcripſimus, & ſigillo noſtro obſignari voluimus. Datum Lutetiæ Pariſiorum in Eccleſia Cathedrali Beatæ Mariæ Virginis Die decima Menſis *Septembris* Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio. Regni autem noſtri tredecimo.

CAROLUS.

*per Regem*

## VI.

### *Juramentum Sereniſſimi* CAROLI *Galliarum Regis. Indidem.*

CAROLUS Dei Gratia Francorum Rex &c. Significamus hiſce Literis noſtris, quorum intereſt univerſis & ſingulis. Quia miſſis Oratoribus ab Ordinibus Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ, qui Fratrem noſtrum chariſſimum Andium Ducem ad Regnum ipſorum regendum, & adminiſtrandum Decreto Electionis liberæ Statuum, ac Ordinum, quo eum in Regem ſuum aſſumpſerunt, invitarent, in magna hominum frequentia Pariſiis in templo Divæ Mariæ, Die decima Menſis Septembris anni præſentis, verbis conceptis ad Sancta Dei Evangelia tale iuramentum Ordinibus eiusdem Regni & Magni Ducatus Litvaniæ præſtitimus. ANNO 1573.

*Ego* CAROLUS *Dei Gratia Francorum Rex &c. iuro, ſpondeo & promitto Deo Omnipotenti ad hæc Sancta* JESU CHRISTI *Evangelia. Quod omnia Pacta, Conventa, & Conditiones, ſeu Capitula cum Ordinibus Regni Poloniæ & Magni Ducatus Litvaniæ &c. per Joannem Monlucium Epiſcopum, & Comitem Valentiæ, Ægidium de Noailles Abbatem Inſulæ, & Gvidonem de Lanzag meos & Sereniſſimi Fratris mei* HENRICI *Andium Ducis &c. iam Electi Regis Poloniæ & Magni Ducis Litvaniæ Oratores, & Commiſſarios circa Electionem, & Declarationem dicti* HENRICI *Fratris mei in Regem Poloniæ & Magnum Ducem Litvaniæ &c. ſancita, & conſtituta, ac etiam in Oratione, quæ initio Conventus dictæ Electionis, a dictis Oratoribus, & Commiſſariis habita, oblata ſunt, quæcunque in Literis Confirmationis noſtræ dictorum Pactorum, Conventorum, & Promiſſarum continentur, prout ea a Nobis in iisdem Literis declarantur, pro rata mea parte adimplebo, obſervabo realiter, & cum effectu, exceptionibus, & excuſationibus quibusvis ſemotis. Ita me Deus adiuvet.* De quo Juramento a Nobis præſtito, ut omnibus & ſingulis, quorum intereſt, conſtaret Literas haſce manu noſtra ſubſcripſimus, Sigillumque noſtrum eis appendi iuſſimus. Datum Lutetiæ Pariſiorum in Eccleſia Cathedrali Divæ Mariæ. Die decima Menſis Septembris, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio Regni noſtri tredecimo.

CAROLUS.

*per Regem.*

## VII.

### *Denuntiatio Electi Regis* HENRICI. Dat. Pariſiis in Curia Parlamenti d. 13. Septembr. 1573.

NOS Adamus Konarſki de Kobilno, Dei Gratia Epiſcopus Poſnanienſis, Albertus a Laſko, Palatinus Siradienſis, Joannes a Tomicze, Gneſnenſis, Andreas Comes a Gorka, Miedziricenſis, Capitaneus

ANNO 1573. pitaneus Gnesnensis & Wislicensis, Joannes Herborth de Fulstin, Sanocensis, & Capitaneus Præmisliensis, Castellani, Nicolaus Christophorus Radziwiłł, Dux in Olika & Nieswiesz, Curiæ Magni Ducatus Litvaniæ Marescalcus, Joannes de Zamoiski, Belzensis & Zamecensis, Nicolaus Firley a Dombrowica, Casimiriensis, Joannes a Zborow, Odolanoviensis, Capitanei, Nicolaus de Tomicze, Alexander Pronski, Palatinides Kioviensis, ex Comitiis Electionis novi Regis, post mortem Sereniſſimi olim Principis Domini SIGISMUNDI AUGUSTI ab Ordinibus, & Statibus Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ, ad Christianissimum Galliarum Regem Dominum CAROLUM IX. & Sereniſſimum Principem Dominum HENRICUM Fratrem eius, Andium, Borboniorum, Alvernorum &c. Ducem, Legati, Significamus hisce Literis, quorum interest universis, & singulis. Quod de voluntate omnium Ordinum, & Statuum Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ, a quibus ad id sufficiente cum Mandato missi sumus, Sereniſſimum Principem, & Dominum HENRICUM, divi HENRICI II. Christianissimi Galliarum Regis Filium, & Domini CAROLI IX. itidem Christianissimi Regis nunc regnantis Fratrem, Andium, Borboniorum, Alvernorum &c. Ducem, postquam Articulos ad stabilimentum & incrementum Reipublicæ nostræ in Comitiis Electionis sancitos, ac item Pacta & Conventa in iisdem Comitiis Electionis, Oratorum prædicti Christianissimi Regis, suorumque cum Ordinibus, & Statibus Regni Poloniæ & Magni Ducatus Litvaniæ facta, tam ipse, quam Christianissimus Frater eius, quoad Maiestatem eius concernerent, approbavit, & confirmavit, Juramentumque solemne de iis omnibus servandis tridno ante præstitit, Parisiis, die 13. Mensis Septembris, in Curia Parlamenti, in præsentia Sereniſſimi Principis & Domini, Domini CAROLI IX. Dei Gratia Francorum Regis Christianissimi, & Principum, Prælatorum, Procerum, Nobilium infra scriptorum, & aliorum summa frequentia Poloniæ Regni, ac Magni Ducatus Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kioviæ, Volhyniæ, Podlachiæ, Livoniæque &c. Regem Electum declaravimus, Decretum Electionis sub titulis ac Sigillis Prælatorum, Baronum, Dignitariorum, Officialium, ac Nobilium, universum Corpus Regni, ac Magni Ducatus repræsentantium, ipsius Serenitati tradimus, titulum Regis Poloniæ, & Magni Ducis, ipsi detulimus, & regimen eiusdem Regni & Magni Ducatus, & Dominiorum illis annexorum subiecimus, eumdemque, ut ad Regnum regendum, & administrandum veniret, invitavimus, ac solemnem Coronationem in loco solito omnium Ordinum nomine promisimus. Prædictus vero Sereniſſimus Rex Electus ea omnia, quæ hic suscepit, & approbavit, ac item omnia Jura, ac Libertates & Consvetudines Regni, Literis suis sub Sigillo Regni Poloniæ, ac Juramento circa Coronationem firmabit, ac firmiter & inviolabiliter tenebit, observabit, adimplebit, & exequetur, tenerique, observari, adimpleri & exequi faciet. In cuius rei fidem Sigilla nostra præsentibus Literis appensa sunt, cum subscriptionibus manuum nostrarum. ANNO 1573.

Actum & datum Parisiis, in Curia Parlamenti, die 13. Mensis Septembris, anno Domini 1573. præsentibus Sereniſſimo Principe Domino HENRICO Dei Gratia Rege Navarræ, & Duce Vindocinensi, Illustriss. & Reverendiss. Carolo a Borbonio, Carolo a Lotharingia, Ludovico a Guisia, Hippolito Estensi, S. R. E. Cardinalibus, Reverendissimo & Magnificis, Antonio Maria Salviato, Nuntio Apostolico, D. Diego de Zuniga, Sereniſſimi Hispaniarum Regis Catholici, Sigismundo de Caballis, Reipublicæ Venetæ, Oratoribus, Illustrissimis, Illustribus & Magnificis, Henrico a Borbonio, Principe Condensi, Ludovico a Borbonio, Principe Montpensenii, Henrico a Lotharingia, Duce Guisiæ, Renato de Birague, Cancellario Regni Franciæ, Joanne de Morvilliers, Episcopo Aurelianensi, Joanne Monlucio, Episcopo & Comite Valentiæ, Sebastiano de l'Aubespine, Episcopo Lemovicensi, Paulo de Foix, Renato Villeclaro primo Camerario & Gubernatore Andegavensi, Philippo Huralto, Cancellario Andegavensi, Ægidio de Noailles, Abbate Insulæ, in Regno Galliæ Principibus, Prælatis, Proceribus, Officialibus, &c. nec non Illustrissimis, Reverendissimis, & Generosissimis Georgio Radziwiłł, Duce in Olika de Nieswiesz, Staniſlo Ciolek de Zelochow, Jocobo Ponentowski, Pincerna Lancicienſi, Internuntiis Ordinum Regni Poloniæ, Hieronymo Choinski, Decano Posnanienſi, Petro Wolski, Gnesnensi Canonico, Secretariis Regiis, Luca de Dzialin, Kovalienſi Capitaneo, Nicolao Volski de Podhaicze, Capitaneo Krzepicensi, Nicolao Jazlorozieckí de Buincza, Palatinide Russiæ, Petro de Tomicze, Andrea & Petro de Czarnkow, Jacobo & Paulo Orzechoroski, Sbigneo, & Hieronymo de Ossolinski, Felice Dzialinski, Francisco

ANNO 1573. Maſſoruſki, Secretario Regiæ Maieſtatis, Martino Leſniowolſki de Bohori, Chriſtophoro & Joanne Koſtka, Joanne & Andrea de Kleczkow, Joanne Grodziecki, Joanne Droiowſki, Andrea Suiboda de Szamotuli, Joanne de Buincza, Staniſlao Zaremba de Kalinowſki.

*Signé, Adam Konarſki de Kobilino, Epiſcopus Poſnanienſis, de Clenodio Habdanck.*
*Albertus a Laſko, Siradienſis, de Clenodio Corab. manu propr.*
*Joannes de Tomicze, de Clenodio Lodzia, Caſtell. Miedziricenſis Capit. Valc. & Gneſn. manu propria.*
*Joannes Herburth Caſtell. Sanocenſ. Capit. Præmiſlienſis.*
*Nicolaus Chriſtophorus Radziwiłł.*
*Joannes Zamoiſki de Clenodio Jelita, Belzenſis, Zamecenſ. Capit.*
*Nicolaus Firley de Dambrowica, de Clenodio Lewarth, Palatinus Cracovienſ. Capit. Caſimirienſ. manu ſua.*
*Joannes Zborowſki, de Clenodio Jaſtrzembiec, Capit. Livoniæ, Capit. Oddalanovienſ.*
*Nicolaus de Tomicze de Clenodio Lodzia, manu propria.*
*Alexander Pronſki, manu prop.*

VIII.

*Inſtructio Legationis a Sereniſſimo Principe Domino, Domino* HENRICO *Dei Gratia Electo Rege Poloniæ, & Magno Duce Litvaniæ &c. &c. ad Status, & Ordines Regni Poloniæ, & M. Ducatus Litvaniæ, data Generoſo Joanni a Zborow Capitaneo Odolanovienſi &c.* Pariſiis d. 23. Septembris, Anno MDLXXIII. *Ex Archivo Regni Lib. 85. No. 86. Fol. 11.*

Orator noſter, poſtquam Status, ac Ordines nomine noſtro ſalutaverit, & favorem & gratiam noſtram illis obtulerit, redditis fidei Literis referet hoc tantum ſtudium Ordinum Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ, Quod Nos potiſſimum inter cæteros Regem crearint, gratiſſimum nobis eſſe, atque pollicebitur Nos operam daturos, ut huic illorum ſtudio erga Nos noſtris erga Rempublicam meritis reſpondeamus, & tantæ de Nobis illorum expectationi ſatisfaciamus.

Hunc finem, ad quem omne ſtudium, omnes cogitationes & actiones noſtras in Regno regendo & adminiſtrando dirigere, cum Nobis propoſuerimus, tum vero in iis, quæ ab Oratoribus Chriſtianiſſimi Regis Fratris noſtri, ac noſtris cum Ordinibus in Comitiis Electionis noſtræ pacta ac conventa, ac etiam iis, quæ ab Ordinibus ipſis utilitatis publicæ cauſa conſtituta ſunt, & Nobis nomine omnium ab Oratoribus oblata confirmandis, & explendis, quo animo erga Regnum Poloniæ, & Magnum Ducatum Litvaniæ ſimus, Nos declarare voluiſſe exponet, & Literas Confirmationum tam Fratris noſtri, quam noſtras illis reddet. Si quid vero præterea Ordines a nobis commodi publici cauſa deſiderabunt, quod id, quam primum in Regnum venerimus, perficiemus, nomine noſtro promittet. ANNO 1573.

Vt vero ad Regnum quam primum venire poſſimus, quemadmodum Oratoribus illorum admoniti ſumus, Nos omnem diligentiam adhibere referet. Verum cum tempus hucuſque propter tardiorem Oratorum, quibus varia in itinere impedimenta obiecta fuerant, adventum, extractum ſit, & difficultatem itineris, propter ſequentes menſibus hiſce pluvias moraturam Nos iudicemus, non niſi ad XV. Decembris diem adventum noſtrum ad fines Regni illis pro certo Nos polliceri poſſe. Cum autem Conventus Francofordienſis Nobis iter hinc verſus Poſnaniam per Imperii Ditiones demonſtrarit, Nos eo recta profecturos.

Hæc cum ita ſint, & iam dies Coronationis noſtræ in Comitiis Electionis dicta inſtet, poſtulabit ab iis, ut Coronationem noſtram ad quindecimam Januarii differant. Quam diem ex ratione noſtri itineris commodiſſimam fore arbitremur. Et de qua deſignanda ad ipſos Ordines Nos retuliſſe per Literas Regibus & Principibus confœderatis cum Regno Poloniæ, quorum Legationes velimus intereſſe Coronationi noſtræ, ut, hac occaſione, quemadmodum Nobis Oratores conſuluerunt commode, & cum dignitate noſtra, ac Regni Tractatus de renovandis Fœderibus inchoari poſſint, ſignificaverimus. Si quæ tamen gravis cauſa impedierit, quo minus dici haec dies Coronationis noſtrae poſſit, poſtulabit, ut Nos de ea, quae ab ipſis dicetur, certiores quam primum reddant, ut Nos quoque de illa Regibus, & Principibus confœderatis, ad quos ſcripſimus, ſignificare mature poſſimus.

Quod vero ad defenſionem Regni, et Magni Ducatus ſpectat, pollicebitur Nos

hac

ANNO 1575. hac in parte ut in caeteris promiſſis Oratorum Fratris noſtri, et noſtrorum ſatisfacturos, & quæ interim pro defenſione Regni neceſſario exponentur, perſoluturos. Poſtremo operam dabit, ut reſponſum de Coronationis die quamprimum ad Nos perferatur.

HENRICUS *Electus Rex.*

*Literæ Fidei Electi Regis* HENRICI.

HENRICUS Dei Gratia Electus Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, &c. nec non Dux Andium, Borboniorum, & Alvernorum &c. Reverendiſſimis, Reverendis, Magnificis, Generoſis Dominis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Palatinis, Caſtellanis, Officialibus, ac Univerſæ Nobilitati Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ ſincere, & Fidelibus Nobis dilectis. Reverendiſſimi, Reverendi, Magnifici, Generoſi Nobiles ſincere, & Fideles Nobis dilecti. Remittimus ad Sinceritates, & Fidelitates Veſtras Generoſum Joannem a Zborow Capitaneum Odolanovienſem a Sinceritatibus, & Fidelitatibus Veſtris ad Nos miſſum, cui quædam ad noſtrum erga Ordines, ac Rempublicam Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ ſtudium declarandum, tum etiam ad alia quædam negotia ſpectantia iuxta Inſtructionem a Nobis illi datam commiſimus. Quamobrem poſtulamus a Sinceritatibus, & Fidelitatibus Veſtris, ut ei fidem in omnibus, quæ cum Sinceritatibus, & Fidelitatibus Veſtris nomine noſtro aget, adhibeant. Bene valere Sinceritates, & Fidelitates Veſtras cupimus. Pariſiis die XXIII. Menſis Sept. Anno MDLXXIII.

HENRICUS *Electus Rex.*

IX.

1645. *Pacta Matrimonialia inter* VLADISLAUM IV. *Regem Poloniæ, &* LUDOVICAM MARIAM GONZAGAM, LUDOVICI XIV. *Regis Galliæ Filiam adoptivam inita.* Datum in Fontaine Bleau d. 26. Septembris 1645. *Ex Archivo Regni Lib. 155. n. 156. fol. 603.*

AU NOM DE DIEU LE CREATEUR: A tous preſens & à venir, ſalut. Le feu Roi Louis le Juſte, d'heureuſe memoire, aiant toûjours conſervé une parfaite Amitié avec le Sereniſſime Roi, & la Republique de Pologne, & le Roi de Pologne aiant pour la continuer avec le Roi preſentement regnant, & la Reine Regente Sa Mere, fait connoitre le deſir, qu'il avoit de ſe marier avec la Sereniſſime Princeſſe LOUISE MARIE GONZAGUE de Cleves, Princeſſe de Mantoue, de Montferrat &c. non ſeulement en conſideration de Sa Naiſſance, & de ſes grandes & rares qualitez; mais à cauſe de la proche parenté, qui la joint à leurs Majeſtez, eſtant iſſuë des branches Royales de Bourbon, d'Alençon, & de Bourgogne, & aiant eſté ainſi elevée, auprés de la Reine, qui l'aime comme ſi c'etoit ſa propre Fille: leurs Maieſtez ont eû beaucoup de plaiſir de correſpondre à de ſi bonnes intentions, & de contribuer en tout ce qu'ils pourront pour l'avantage de la dite Princeſſe, & le contentement du dit Roi de Pologne, s'aſſurant que cette union augmentera de plus en plus la bonne amitié, & intelligence, qui eſt entre les deux Roiaumes, pour le bien & utilité commune. A cet effet furent preſens le trés Haut, trés Excellent, & trés Puiſſant Prince LOUIS, par la Grace de Dieu Roi de France, & de Navarre; & trés Haute, trés Excellente, & trés Puiſſante Princeſſe ANNE, par la méme Grace de Dieu Reine de France, & de Navarre, ſa Mere & Regente: & du conſentement, & de l'autorité de leurs Maieſtez, la Sereniſſime & Illuſtriſſime Princeſſe Madame LOUISE MARIE GONZAGUE de Cleves, Princeſſe de Mantoue, de Montferrat &c. Fille de deffunts Sereniſſimes *Prince*, & *Princeſſe*, CHARLES I. Duc de Mantoue, de Montferrat, de Nevers, de Mayenne, & de Retel, Pair de France, & CATHERINE de Lorraine ſon Epouſe, ſes Pere & Mere, d'une part; & Illuſtriſſime et *Puiſſant* Seigneur de Meſſin Gerard, Comte Denhoff *Palatin* de Pomeranie, Treſorier de Pruſſe, et Ambaſſadeur Extraordinaire du trés Haut, trés *Puiſſant*, et trés Excellent *Prince* VLADISLAS, par la Grace de Dieu Roi de *Pologne*, et de Suede, et Grand Duc de Lithuanie etc. fondé de Pouvoirs ſuffiſans pour l'effet des preſentes, d'autre part. Entre leſquels, et en preſence de trés Haute et trés *Puiſſante* Princeſſe, Mademoiſelle MARIE d'Orleans, Fille du trés Haut, et trés *Puiſſant Prince* Monſieur, Duc d'Orleans, Fils de France, et Oncle du Roi, de trés Haute, et trés Puiſſante *Princeſſe* CHARLOTTE MARGUERITE de Monmorency, Epouſe du trés Haut, et trés *Puiſſant Prince* Monſieur HENRY de Bourbon, *Prince* de Condé, premier *Prince* du Sang, et premier *Pair* de France; des Eminentiſſimes Cardi-

ANNO 1645. naux Bichi, et Mazarini, et de pluſieurs autres *P*rinces, Ducs, et *P*airs, Officiers de la Couronne, et autres Grands *P*erſonnages du Conſeil de ſa Majeſté, les Articles, Conventions, et Contract de Mariage du ſusdit Roi de *P*ologne, avec la ſusdite Dame *P*rinceſſe de Mantoue, ont eſté arreſtez, et accordez en la manniere ſuivante, c'eſt à ſçavoir.

I.

Que Sa Majeſté donnant en Mariage au *R*oi de *P*ologne la ſusdite *D*ame *P*rinceſſe, comme ſi elle eſtoit ſa Fille, il a êſté accordé, que le preſent Contract ſeroit fait en François, comme on a accoutumé de faire pour les Filles de la Maiſon *R*oialle, et comme on le pratique aux *R*eines d'Eſpagne, et d'Angleterre.

II.

Sa Majeſté a declaré, & declare, que la Dot de la ſusdite *P*rinceſſe, eſt de ſept cent mille Ecus, qui montent a deux millions cent mil Livres monnoie de France, comme il eſt dit ci aprés.

III.

De la quelle Somme il y a d'une part ſix cens mille Livres, que *S*a Majeſté a donné, et donne à la ſusdite *P*rinceſſe en faveur du dit Mariage, par l'affection, que Sa *M*ajeſté lui porte, eſtant ſa proche parente, et née des *P*rinceſſes du Sang *R*oial, et d'autre *P*art un million et demi de Livres, auquel Sa Majeſté a evalué et liquidé du conſentement de la dite *P*rinceſſe, tous ſes Droits a elle appartenants, pour quelque cauſe, & titre qu'elle pretende dans la ſucceſſion de Monſieur le Duc de Mantoue ſon *P*ere, de quelque qualité, et en quelques lieux, que ſoient les biens de la dite Succeſſion, laquelle ſomme d'un million et demi de Livres reſtera franche et libre de dettes et de charges au profit de la dite *P*rinceſſe.

IV.

*S*ur la dite Somme de deux millions cent mil Livres, Sa Majeſté a promis, & s'eſt obligée de paier de ſes deniers, le jour precedent celui du dit Mariage, la ſomme de trois cens mil Livres, & une autre ſemblable ſomme de trois cens mil Livres á la fin de l'année prochaine 1646. les deux dites ſommes faiſant enſemble celle de ſix cens mil Livres, du Don que Sa Majeſté fait à la Princeſſe en faveur du Mariage, & de la premiere ſomme de trois cens mil Livres, ſera donnée Quittance, tant au nom du *R*oi de *P*ologne, futur Epoux de la dite Princeſſe, par les Ambaſſadeurs du dit Roi de Pologne, envoiez pour celebrer ce Mariage, qu'au nom de la dite Princeſſe, & pour l'autre pareille ſomme de trois cens mil Livres, le Roi de Pologne, & la dite Princeſſe, ou autres, qui auront Commiſſion & leur pouvoir pour recevoir le païement, en donneront quittance conjointement; & à l'effet de tout ce qui a eſté dit ci-deſſus, la dite Princeſſe eſt demeurée autoriſée en vertu de la preſente. ANNO 1645.

V.

Le jour meme, qui precedera celui de la celebration du Mariage, la dite Princeſſe a promis, & promet d'apporter en deniers comptans la ſomme de neuf cens mil Livres, en deduction de la ſomme de deux millions cent mil Livres, ſur les Droits de la dite Princeſſe, laquelle ſomme de neuf cens mil Livres, proviendra de la rente, & tranſport, que la dite Princeſſe fait de ſes ſusdits Droits pour la ſomme de neuf cens mil Livres, aux Sieurs Cantarini, & Cerantoni, Marchands Banquiers & Bourgeois de Paris, par Contract fait aujourd'hui devant la Guay & Saint Vaſt, Notaires au Chaſtelet de Paris, & on rendera des biens de la dite Succeſſion pour le paiement de la dite ſomme de neuf cens mil Livres; de la quelle & des intereſts à commencer du jour de la datte des preſentes, les dits Sieurs Cantarini, & Cerantoni ſeront paiez ſur les deniers provenans de la rente des dits biens, & cela par preference à tous autres Creanciers, attendu l'importance de l'affaire, pour laquelle la dite ſomme eſt paiée, & que les biens de la dite Succeſſion ſont notoirement beaucoup plus, que ſuffiſans pour le paiement des debtes.

VI.

A l'egard des ſix cens mil Livres reſtans, Sa Majeſté a promis & s'eſt obligée, promet et s'oblige de faire remettre à la dite Princeſſe à la fin de l'année preſente 1645. des biens de la dite Succeſſion du dit feu Seigneur Duc de Mantoue, qui ſont en France de la nature; qu'ils ſont juſqu'à la valeur de la dite ſomme de ſix cens mil Livres, conformement à l'eſtimation, qui ſera faite des dits biens par Gens experts, ou bien la ſomme de ſix cens mil Livres en argent, au choix du Sereniſſime Duc de Mantoue, au paiement de laquelle tous les biens de la dite Succeſſion, aprés le paiement de la dite ſomme de neuf cens mil Livres ſeront hipotequez, et la dite conſignation ſera faite, aprés que *S*a Majeſté aura terminé les differents, concernant la dite Succeſſion, entre le Sereniſſime CHARLES II. Duc de Mantoue, et de Montferrat, et la dite Princeſſe, et les autres qui pourront y avoir intereſt, et arrivant que dans le dit temps à la fin de la preſente année 1645. ces differents ne ſoient point terminez,

ANNO 1645. nez, ou que dans le même temps on n'ait point consigné à la Princesse la somme de six cens mil Livres en biens de la dite Succession ou en argent, Sa Majesté a promis, et s'est obligée, promet et s'oblige de faire paier à la dite Princesse les interests de la dite somme de six cens mil Livres, à raison du denier vingt, sur tous les biens de la dite Succession, à commencer au premier jour de Janvier prochain, jusqu' à l'entier paiement de la dite Somme, en biens, ou en argent, comme il a été dit, et les biens, qui seront donnez à la dite Princesse pour la somme de six cens mil Livres, en cas qu' elle ne soit pas payée en argent, ou la même somme, si le payement n'est pas fait en argent, appartiendront à la dite Princesse en proprieté incommutable et irrevocable, francs et libres de toutes debtes, et hypotecques, et charges de la dite Succession, pour jouir, et disposer des dits biens tant en ce qui regarde le fonds, que les fruits, ou de la dite somme en argent, comme de son propre bien, et heritage, ainsi qu'il lui plaira, pour lequel effet tous les titres, papiers, et enseignemens concernans les dits biens, lui seront donnez et consignez: et à cette même fin la dite Princesse est, et reste pleinement, et pour toûjours autorisée par ces presentes, et pour en avancer et faciliter le recouvrement, la dite Princesse a dés a-present soumis et soumet le different au jugement de Sa Majesté, et a passé aujourd'hui procuration devant les dits Notaires, pour recevoir la prononciation ou la signification du dit jugement, ou pour passer telle Transaction, que Sa Majesté ordonnera, touchant le susdit different, sans neanmoins innover, ni prejudicier à ce qui est contenu ci dessus, et sans qu'il y soit besoin d'aucune Ratification.

VII.

De la susdite Dot, le Roi de Pologne pourra disposer comme il lui semblera le plus à propos, des six cens mil livres du Don du Roi, laquelle Somme restera au Roi de Pologne sans retour, en cas que la dite Princesse vint à mourir la premiere sans enfans; et en cas que le Roi meure le premier, soit qu'il y ait des enfans de ce Mariage, ou non, la dite Princesse retirera et reprendra les dits six cens mil livres, sur les biens qui se trouveront appartenir au Roi de Pologne, et sur lesquels on pourra repeter et reprendre la dite Somme.

VIII.

Quant à la Somme de neuf cens mil livres, qui doit estre payée en deduction des droits de la dite Princesse, la disposition en appartiendra à la Princesse, par ses propres mains, & elle est, & reste pour cet effet autorisée, comme il a esté dit par ces presentes. ANNO 1645.

IX.

Et arrivant que le Roi de *P*ologne du consentement de la dite Princesse, ou autrement dispose de la dite Somme de neuf cens mil livres, ou de l'argent provenant de la vente ou autre alienation qui pourroit estre faite par la dite Princesse des biens qui lui auront esté mis entre les mains pour la somme de six cens mil livres, faisant l'entier payement de la dite Somme d'un million, & demi de livres; ou de la somme des six cens mil livres, si le paiement en a esté fait á la dite Princesse en argent, ou si les dites Sommes de neuf cens mil livres dúne part, & de six cens mil livres de l'autre, ont esté emploiées pour les affaires du Roi de Pologne, les dites Sommes, suivant que le Roi de Pologne en aura disposé, ou qu'il en aura emploié pour ses affaires, seront renduës, & restituées à la Princesse aprés la dissolution du dit Mariage, sur les biens du Roi de Pologne, comme il a este dit, ou si elle estoit morte, sans en avoir disposé selon les loix, & Coûtumes á ses enfans, ou en cas qu'elle fust morte sans enfans, à ses heritiers du Costé, & ligne du dit feu Seigneur Duc de Mantoüe son pere.

X.

Le Roi de Pologne sera tenu de constituer, conformement à l'usage de ses Estats, & en lieu de cette Dot, une Contredot, ou Donation à cause du dit Mariage, à la dite Princesse, comme il est convenable à une Reine de Pologne, la quelle Contredot le Roi de Pologne fera assigner, & asseurer dans la prochaine Diette du Roiaume selon la Coûtume, en biens commodes, & Domaines suffisans, en Villes, Villages, Forteresses, & Terres du Roiaume de Pologne, & grand Duché de Lithuanie, avec de demeures convenables á la dignité d'une Reine. Et le dit Roi de Pologne aura soin que tous les Capitaines, Gouverneurs & Citoyens presens, & à venir dans les dits Domaines, Villes, Villages, Châteaux, Terres & Biens assignez & compris dans la dite Contredot prestent le Serment de fidelité, & rendent entiere obeïssance à la Princesse, s'obligeans en cas que le Roi de Pologne mourut le premier, de conserver á la dite Princesse les Domaines, Villages, Villes, & Biens qui lui auront esté assignez pour sa dite Contredot, avec tous les fruits, revenus, & émolumens qui en proviennent, d'obeïr fidelement, & constamment en tout, & par tout à la dite Princesse, conformement aux loix du dit Roiaume

Anno 1645. de Pologne, en la même maniere, qu'ils ont de coûtume, & qu'ils ſont obligez envers les Sereniſſimes Rois de Pologne, & ſans preiudice, & diminution de la dite Contredot, les habitans & ſujets des lieux appartenans à la Princeſſe, païeront les tribus, & les Charges publiques, comme les autres habitans du Roiaume de Pologne, & les Chaſtelains & Capitaines rendront leurs iugemens, & ſentences Roiales dans les Chaſteaux, compris dans cette Contredot, conformement aux Coutumes du Roiaume de Pologne.

XI.

Il ſera au pouvoir du Sereniſſime Roi de *P*ologne, de faire à la dite *P*rinceſſe, aprés l'accompliſſement du Mariage, quelque Don Nuptial qui ſoit digne d'une Reine, pour lui temoigner d'autant plus l'eſtime, quil fait de ſa vertu, & de ſon merite, & l'amitié qu'il lui porte. La dite Contredot, & le dit Don Nuptial retourneront au Roi de *P*ologne en cas que la Reine meure ſans Enfans, comme encore en ce cas tous les biens meubles, & immeubles, qui ſe trouveront lui appartenir en *P*ologne, & dont elle n'aura pas diſpoſé, ou par teſtament, ou autrement, demeureront au Roi, & au Roiaume de *P*ologne, à condition qu'on ſatisfera aux Clauſes du preſent Contract de Mariage.

XII.

Tous, & un chacun les droits appartenans à la dite Princeſſe, par le moien de naiſſance, et demeure dans le Roiaume, tant pour poſſeder que pour acquerir des biens par Succeſſion, et par toutes les eſpeces de diſpoſition entre vifs, ou'a cauſe de Mort, et autres voies de droits, que pour diſpoſer de ſes biens preſens, et à venir, tant entre vifs, qu'à cauſe de Mort, auquel effet elle eſt, & reſte pleinement autoriſée par les preſentes, et pour transmettre le dits biens à ſes Heritiers legitimes par Succeſſion, ab inteſtat: et generalement tous le droits appartenans aux François originaires, Regnicoles et Sujets de Sa Maieſté, ſans aucune exception, ni reſerve, reſteront á la dite Princeſſe, comme avant ſa ſortie de France, et comme ſi elle eſtoit actuellement domiciliée dans le Roiaume. Et ſemblablement tous ces mêmes droits appartiendront aux enfans, qui naiſtront dudit Mariage, et à tous leurs deſcendans en legitime Mariage à perpetuité, bien qu'ils ne ſoient pas nez en France, et ſans eſtre obligez d'y établir leur demeure, ou d'eſtre Regnicoles, dont ils ſont, et reſtent diſpenſez par ces preſentes, et en vertu d'icelles, et il ne ſera point beſoin qu'ils en obtiennent d'autre declaration. Anno 1645.

XIII.

Et de plus en vertu du preſent Contract de Mariage, ſans qu'il ſoit beſoin d'autres Lettres, tous les François originaire de l'un et de l'autre ſexe, qui ſuivront preſentement la dite Princeſſe en Pologne pour y reſter à ſon ſervice, et qui ſeront ſur la liſte, qui ſera faite et ſignée de la dite Princeſſe, & attachée à la Minutte des preſentes, Comme auſſi tous les autres Francois originaires, qui ſe transporteront en Pologne, auprés de la dite Princeſſe à l'avenir, qui reſteront a ſon ſervice, et y ſeront emploiez comme domeſtiques de Sa Maiſon, en quelque charge, ou office que ce ſoit, et ſerviront actuellement, dont ils apporteront une atteſtation, ſignée de la Princeſſe, pareillement les maris des femmes emploiées au ſervice de la Princeſſe, bien que les Maris n'y ſoient point emploiez, et que les femmes des Officiers de la Princeſſe, encore que les ſusdites femmes ne ſoient point en office, et ſemblablement les enfans legitimes des dits Maris, et femmes nez en France avant l'entrée de leurs parens au ſervice de la dite Princeſſe, ou qui naiſtront hors du Roiaume, pendant que leurs parens ſeront dans le dit ſervice, ſeront maintenus, et conſervez en vertu du preſent contract de Mariage, en tous leurs droits de la maniere ci-deſſus declarée par la dite Princeſſe, et c'eſt ſi long temps que les dits maris ou femmes reſteront au dit ſervice, bien qu'eux ou leurs enfans ne fuſſent pas Regnicoles, et aprés qu'ils ſeront ſortis de ſervice, en établiſſant dans l'année et jour leur Domicile en France ou aillieurs ſous l'obéiſſance de Sa Maieſté.

XIV.

La Moitié de tous les fruits et revenus des biens de la dite Succeſſion en France, tant ceux qui ſont deja mûrs, que ceux qui meuriront iusqu'à la fin de la preſente année, de quelque qualité, et en quelque lieu qu'ils ſoient ſituez, reſtera à la dite Princeſſe franche, et libre de toutes debtes, et charges de la dite Succeſſion, pour en diſpoſer comme il lui plaira, à l'effet, de quoi elle eſt autoriſée comme ci-deſſus par ces preſentes: & Sa Majeſté donnera ſes ordres pour faire ceſſer les troubles, et empêchemens, que les Creanciers de la dite Succeſſion, ou autres qui ont des pretentions ſur les mêmes biens, pourroient apporter à la dite Princeſſe dans la perce-

ANNO 1646. perception de dite moitié des fruits, et revenus.

XV.

Pour l'effet de ce que deſſus, on derogе expréſſemeut, et on renonce à toutes les Loix, Coûtumes, Uz, Ordonnances, et autres choſes qui pourroient eſtre contraires aux clauſes, et conditions des preſentes, qui ſeront ratifiées par le Roi de Pologne incontinent aprés l'arrivée de la dite Princeſſe, et les lettres de Ratification ſeront conſignées entre les mains de l'Ambaſſadeur de Sa Maieſté, pour etre apportées, et jointes à la Minute des preſentes, et y demeurer attachées.

XVI.

Le preſent Contract de Mariage, avec la Ratification d'iceluy, ſera regiſtré dans les Cours de Parlement, & Chambre des Comptes de Paris, à la diligence du Procureur General de Sa Maieſté, & on expedira á cet effet toutes les Lettres & Commiſſions, qui pourroient eſtre neceſſaires, moiennant tout ce dont on eſt convenu ci deſſus, l'illuſtriſſime Seigneur Opalinſki, Palatin de Poſnanie, en vertu du Mandement ſpecial, que le Roi de Pologne lui a donné, épouſera le pluſtoſt qu'il ſe pourra, la dite Princeſſe au nom du Roi de Pologne, par parole de preſent, en face de la Sainte Egliſe.

XVII.

Tous lesquels Articles, Pactes, & Conventions, Clauſes & Conditions ſuſdites, leurs Majeſtez trés Chretiennes, la dite Princeſſe de Mantoüe, & le dit Seigneur Ambaſſadeur Extraordinaire, au nom & comme Procureur de la ſuſdite Majeſté Polonoiſe, en vertu de ſon pouvoir, ou procuration, ſe ſont obligez, & obligent d'obſerver ſous l'hypotecque de tous, & un chacun leurs biens preſens, & à venir.

Fait, & paſſé en preſence de deux Conſeillers de Sa Majeſté en ſes Conſeils, & Secretaire d'Eſtat de ſes Commandemens & Finances, qui ont ſigné dans le Chaſteau de Fontainebleau le 26. Septembre 1645.

*Guenegaud Lomenie.*

X.

*Reformatio Sereniſſimæ* LUDOVICÆ MARIÆ GONZAGÆ *Reginæ Poloniæ.* Dat. Varſaviæ d. 5. Decembris Anni 1646. *Ex Archivo Regni Lib. 155. N. 156. fol. 603.*

VLADISLAUS IV. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Czernichoviæque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius Rex. Significamus præſentibus Literis noſtris, quorum intereſt, univerſis & ſingulis. ANNO 1646.

Imperiorum conſtans, atque diuturna felicitas, neque Maieſtate dominantis poteſtatis, neque magnitudine ſubditi Populi, nec amplitudine poſt victoriarum laureas triumphantis gloriæ ſtabiliri in ea poteſt firmitate, ut viciſſitudini mortalium expoſita, & arbitrio præcipitis, variantiſque obiecta Fortunæ, de ſalute, & incolumitate ſua non periclitetur. Inſtabili ſane loco, & minus firmis nixa fundamentis, ſtat fortuna Regnantium, ac niſi validis roboretur Præſidiis mole laborabit ſua. Tunc maxime incerta ſecuritatis propriæ, cum ſe firmam in adverſis, cum ſecuram in ſecundis æſtimabit. Jam vero interea, quæ Principum tuentur, & conſervant felicitatem nihil profecto æque firmat Sceptra, nihil ſuſtentat magis fundamenta Regnorum, quam exoptati prærogativa Connubii, ac proſperitas, qua ſtabilita Imperantis ſolii Maieſtas, & contra omnes incurſus iratæ Fortunæ conſiſtit armata, & ad reſarcienda imbecillæ mortalitatis damna novis ſubnixa incrementis continenter propagatur. Hæc enim certiſſima vero Imperiorum ſalus, validiſſimum hoc fundamentum, in avita, & Regnatrice Stirpe non degeneres Hæredes, quorum virtute, indole, animo circumvallatum ſolium, circumſepta Parentum latera, omnium calamitatum, ac periculorum facile retundunt impetus, quos improviſi caſus ſecundis Regnantium rebus multoties minitantur. Dehinc in utraque Fortuna, prima ſolatia, & ornamenta præcipua, robora, & Præſidia occupavit, in Regia Regiis virtutibus dotata coniunx, quæ non Thori ſolum, & Sceptri ſocia, ſed adverſarum iuxta ac ſecundarum rerum conſors divertit ſociato periculo vires malignæ Fortunæ, ne in unius tantum Capitis, ac Sceptri ruinam, omni ſua incumbat potentia. Proinde erepta Nobis violento fatorum arbitrio chariſſima prima Coniuge noſtra, ne omnia in Nos poſt acceptum tantum vulnus, Fortunæ licerent, ſecundo Connubio ſtabilire ſolium noſtrum decrevimus, atque circumlatis per omnia Chriſtianorum Principum Regna mentis oculis, Sereniſſimam LUDOVICAM MARIAM GONZAGAM Ducem Mantuæ, & Montis Ferrati, Niverniæ, & Rheteliæ Principem, dignam throno, ac thoro noſtro Regio iudicavimus, aſſentiente cuncto Sena-

Annotu, iudicio noſtro applaudente, tam auſpicatis votis, tam felici Electioni Reſpublica univerſa. Et profecto non potuit diadema Regnorum noſtrorum nobiliori exornari gemma, quam eius Principis coniugio, quæ ingentium dignitate virtutum, & omnium venuſtate gratiarum, cum omnibus Europæ Heroinis facile de Principatu contendere poteſt. Nata ea in domo, quæ late per univerſum Chriſtianum Orbem radios ſuos, ac ſplendores circumtulit, Nobiliſſimisque Italiæ Populis placido Dominio, Jura, ac Leges dicendo, Hæreditarias Aquilas ſuas, Aquilis iunxit Imperii, Glorioſæ Romanæ Maieſtatis Sceptra cum Auguſta Auſtriaca Domo una manu moderando. Et decuit ſane, ut ea Domus ad Imperium Occidentis, manum Hæredum ſuorum aliquando admoveret, in quam Orientis Sceptra cum legitima Hæreditate, Divina tranſtulit Providentia. Nam capta, & oppreſſa Otthomanica tyrannide, Græcia Auguſta Palæologorum Domus, Orientis Imperio, Poſſeſſione tot Regnorum, rerum geſtarum gloria toto Orbe celeberrima Sereniſſimæ Gonzagarum Familiæ ultimam Hæredem ſuam, inſeruit, & una cum ipſa auctum Nomen ſuum, ſpes, & claritudinem generis eidem tranſmiſit, hanc præ cæteris Domum, quaſi unicum, & tutiſſimum Reliquiis ſuis partum, poſt fatalem a barbarie illa tempeſtatem deligendo. Hac itaque Fortuna Orientis, Occidentisque decorata Sceptris, ad complementum perfectæ Magnitudinis ſuæ, Septemtrionis diademata utriusque Imperii faſcibus adiecit, & in ſocietatem, tam Imperialium, quam Domeſticarum Aquilarum adſcita Regnatricis Poloniæ candida Aquila, bonis avibus fortunato omine, ad aquilinare progreſſa eſt Solium, Bellicoſiſſimarum Gentium Sarmatici, Gotthicique Regni Coronas, ad coronandas tantæ ſuæ Hæredis virtutes divinitus auſpicato ſortita. Auxit ſingulari acceſſione virtutum, & propriæ incrementis gloriæ Hæreditaria Auguſtæ Domus ſuæ ornamenta, Sereniſſima Ludovica Maria, in quorum admirationem cunctam Europam, venerationem, Galliam univerſam impenſe commovit. Potentiſſimam vero Francorum Regum Domum, ingentium commendatione virtutum, in amorem ſui, primo poſt propria, ac domeſtica pignora affectuoſiſſime traxit, publici favoris aura, ita Regiæ univerſæ amori applaudente, ut eam ſangvine antea cognatam, nunc adoptione, & affectu paterno Regum ſuorum Filiam, florentiſſimum hoc Regnum, magno omnium ſtudio, atque voluntate nuncupet, & agnoſcat. Agnoſcit optimam, & ampliſſima Incliti Regni Poloniæ Corona, Parentem veneratur expectatam, diu ipſo ſecundis proludente Cælo votis Reginam, & in maiorem filialis obſervantiæ, ac æternam mancipatæ voluntatis teſtificationem, ſingulari noſtro ſolatio, concordi omnium futuræ felicitatis augurio in Publico Regni conſeſſu, ſuam de Reformatione ſuæ Serenitati inſtituenda interpoſuit authoritatem. Quatenus ſcilicet ſecundum nuptialium nexum Pactorum, per Legatos a Nobis ad Chriſtianiſſimum Galliæ Regem miſſos confectorum, tam æternis Legum Publicarum Monumentis, quam peculiari noſtro, ut moris, & conſvetudinis eſt, Diplomate, centum millium florenorum Polonicalium Dotis ad Nos illatæ intuitu, æquabilem Contradotis, ſeu propter nuptias Donationis Summam eidem Sereniſſimæ, ac chariſſimæ Coniugi noſtræ ſuper Capitaneatibus, Tenutis, earumque Civitatibus, Oppidis, Pagis, Arcibus, Terris, Dominiis Regni Poloniæ, ac M. D. Litvaniæ inſcriberemus, caveremus, & conſtitueremus. Neque Nos velut ſupremus a Rege Regum Domina ac rerum Moderatrice Providentia Tutor deſignatus coniugalis, teſtificatione amoris optimæ Coniugi deeſſe debuimus. Proinde publico conſenſui, ac Ordinum authoritati, qui non ſolum fortunas, verum vitam ipſam, qua carius eſt nihil cuipiam, Domui noſtræ, & decoribus Regiis devovere innixi, in expreſſa ſuperius ducentorum florenorum Polonicalium ſumma, centum videlicet millibus Dotis, & ſimili Contradotis certa loca, Civitates, Oppida, Arces, Bielſcum nimirum cum Præfecturis ſylvarum, aliisque omnibus attinentiis, & pertinentiis eo antiquitus ſpectantibus, Raygrodum, Graudentum, Tucholam, Swiecie, Łomzam, Lubomlum, Uſcie cum Pila, Kapinoſum, Razumium, Młodzieſzyn in Regno Poloniæ conſiſtentes, in Magno Ducatu vero Litvaniæ Jurborcum cum Nowa Wola, & Præfecturis ſylvarum, Upitam cum Tenutis, ac omnibus Prædiis, Pagis, Bobroyſk, & Sokołkam cum Præfecturis ſylvarum, Prædiis, aliisque omnibus attinentiis, & pertinentiis, Jure in omnibus hiſce bonis Eccleſiarum Patronatus, Salvis tamen Juribus modernorum Poſſeſſorum, ac Penſionariorum, cum ſcitu, conſilio, aſſenſu omnium Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ Ordinum, in Comitiis Regni Generalibus Varſavienſibus, eidem Sereniſſimæ, ac chariſſimæ Coniugi noſtræ inſcribimus, obligamus, ac nomine Hypothecæ in poſſeſſionem pacatam mittimus, univerſis itaque dictorum Dominiorum, Civitatum, Oppi-

Anno 1646.

ANNO 1646. Oppidorum, Caſtrorum, Terrarum, *Pa*gorum, Capitaneatuum, Tenutarum inſcriptarum Rectoribus, Conſulibus, Civibus, Advocatis, Scultetis, ſubditis mandamus, ut Sereniſſimæ, ac chariſſimæ Coniugi noſtræ debitam fidei, & obedientiæ obſervantiam præſentent, ſpondeant, promittant. *P*orro ſi Supremo Numine diſpenſante, prius Nos, quam Sereniſſimam Coniugem noſtram e vita diſcedere contigerit, nulli alteri, quam ſuæ Serenitati prædictæ Civitates, Oppida, Caſtra, Arces, *P*agi, Terræ, cum omnibus emolumentis, fructibus, proventibus, attinentiisque, & pertinentiis cedent, & ipſi Rectores, Conſules, Cives, Advocati, Scultteti ſubditi ſuæ Serenitati ad obedientiam, iuxta mentem Legum Regni in omnibus præſtandam tenebuntur, eruntque adſtricti, Contributiones nihilominus in Conventibus Regni *P*ublicis conſtitutas, vel conſtituendas, una cum cæteris Regni incolis pendent, & pro conſvetudine podwodas ſive equis, ſive pecunia non denegabunt. Cum vero infimæ etiam ſortis homines, circa actus coniugiorum ſolennes novis nuptialia dona Nuptis, quo propenſum in thori ſocias teſtentur affectum, offerant, multo æquius, ut Nos quoque Sereniſſimæ, ac chariſſimæ Coniugi noſtræ Heroinæ, ſvaviſſimo virtutum concentu, & ſingulari erga Nos obſervantia ſpectatæ munus nuptiale aſſignaremus, prout quidem præſentibus aſſignamus, ac donamus duo millia florenorum aureorum Hungaricalium auri puri ex annuis Zupparum Wielicenſium reditibus quotannis levanda, percipienda, ac in uſus beneplacitos convertenda, Summas autem Dotis, ac Contradotis nomine ſuperius expreſſas Sereniſſimæ, ac chariſſimæ Coniugi noſtræ ea Conditione inſcripſimus, & obligavimus, inſcribimusque, ac obligamus, ut ſi Serenitas ſua prius, quam Nos fatis conceſſerit, tam Dos, & donatio propter Nuptias, quam munus nuptiale ad nullum alium, præterquam Nos, & Regnum noſtrum redeat, ac devolvatur, nullusque Succeſſorum, vel Hæredum repetendæ Dotis facultatem amplius habebit. Si vero e converſo acerba prius Nobis, vel *P*roli ex ea ſuſceptæ (quod Deus avertat) obtigerint fata, vel etiam alia *P*role ſuperſtite, tum memorata Sereniſſima Coniunx noſtra, Terras omnes, Diſtrictus, Dominia, Civitates, Oppida in Dotem, & Contradotem, una cum Munere Nuptiali inſcripta, ac obligata, cum pleno, ac integro redituum, cenſuum, fructuum, Jurium Patronatuum, Eccleſiarum, commodorum, emolumentorum, utilitatum, attinentiarumque, ac pertinentium cæterorum Dominiorum, præſentis vigore hypothecæ in iurisdictionem, poſſeſſionem, ac poteſtatem ſuam accipiet, iisdemque pro arbitrio ad extrema vitæ ſuæ vidualis tempora gaudebit, ac uti fruetur ita tamen, ut quarta proventuum Pars ſecundum præſcriptum legis ex iisdem Bonis Ravam quotannis inferatur, & in Capitaneatibus, Tenutis, Caſtris, Præfecturæ non niſi Indigenis, ac Perſonis Equeſtris Ordinis Regni, Ducatuum Litvaniæ, cæterorumque Dominiorum illis annexorum, prout quæque Præfectura in aliqua conſiſtit Provincia, demandentur. Et prælata de Statu ſuæ Serenitatis viduali, intelliguntur. Quod vero attinet ſecunda, ſi ad ea migrare placuerit, Matrimonii vota, tum ducenta millia florenorum Polonicalium Dotis, ac propter Nuptias donationis nomine Sereniſſimi Succeſſores noſtri, Suæ Serenitati perſolvere tenebuntur. Hoc Pacto, ut partes ſummæ duas Regnum Poloniæ, tertiam Magnus Ducatus Litvaniæ contribuat, ac numeret. Qua utraque per Serenitatem ſuam realiter, & in effectu prævia ſufficienti de reſtitutione Contradotis cautione, levata, protinus ſubiecta Juri reformatorio bona ad diſpoſitionem Sereniſſimorum Succeſſorum noſtrorum redibunt. Poſt ultimam autem Suæ Serenitatis facti neceſſitatem ſive vidualem, ſive coniugalem tenuerit ſtatum, memorata centum millia floren. Polonicalium Contradotis Summa eo, quo egreſſa, ad Poloniæ Regnum & M. Litv. Ducatum revertetur. Dotis vero ſuæ nempe centum millium floren. Polon. & eorum, quæ ex munere nuptiali, ac proventibus ſuis collegerit liberam diſpoſitionem habebit, ita ut utrumque tam ſuperſtes, quam in agone, cui libuerit, absque ullo cuiusvis impedimento dare, donare, ad pias cauſas legare, ac in alios quovis, prout placuerit, uſus licite, ac valide convertere poſſit. Quodſi condendi Teſtamenti, vel repentina fatorum neceſſitas, vel inopinati gravitas morbi Suæ Serenitati facultatem eripuerit, tum Dotis, & eorum, quæ diſpoſitione caruerint, ad relictam Prolem, ea vero non extante, proximiores Suæ Serenitatis Maſculos, in defectu eorum fæminas ſucceſſio pertinebit. Sereniſſimi porro Succeſſores noſtri, ſive Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Litvaniæ Ordines, eam Dotem, ſive eius, quæ non diſpoſuerit portionem, Sereniſſimæ Coniugis noſtræ Succeſſoribus absque quavis contradictione numerabunt, ac reſtituent. Cuius duas Partes Regnum Poloniæ, ac annexa eidem Dominia, tertiam Magnus Ducatus Litvaniæ exſolvet, ac

ANNO 1646.

ANNO 1646. præstabit. Ea adiecta Conditione, ut si intestato Sereniſſima Coniunx noſtra deceſſerit, Hæredes, si diſpoſuerit, Perſonæ, vel Perſona, cui, vel quibus Sereniſſima Coniunx noſtra ſuperſtes, vel moribunda ſuprema voluntate aſſignaverit, illæ vel illa certos quotannis proventus, nempe ſummam quinque millium florenorum Polonicalium ex ſupra dictis reformatorio Suæ Serenitatis iuri ſubiectis Bonis, tam diu proportione quilibet ſua absque ulla difficultate levabit, & percipiet, donec omnimoda tam dotis, quam ſuperius inſinuatorum ſolutio præſtita fuerit. Neque tantum Capitaneatibus, ac Tenutis, Dotis, donationis propter Nuptias, atque muneris nuptialis nomine in hypothecam traditis, verum & aliis univerſis iuribus, prærogativis, libertatibus, quibus retroactis ſæculorum gradibus Sereniſſimæ Polonorum Reginæ, ſecundum præſcriptum legum publicarum, fruebantur, & gaudebant, Sereniſſima quoque ac Chariſſima Coniunx noſtra, uti fruetur, ac gaudebit. Generalitas porro ſpecificatorum ſpecialitati, neque e contra derogare quidquam debet. Quinimo ſingula Diplomate præſenti conſignata, utpote Nobis ac univerſis Regni, ac Magni Ducatus Litvaniæ Ordinibus, rata, & grata, expleri, præſtari, ac debitæ executioni demandari volumus. Optima inſuper fide ac verbo Regio ſpondemus, promittimus, cavemus pro Nobis & Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris Regibus Poloniæ, ſub cautione, obligationeque, pactis matrimonialibus, ſeu inſtrumento Tractatus expreſſa, maturo univerſi Senatus adhibito conſilio, ac conſenſu, publica omnium Ordinum in Comitiis Regni Generalibus auctoritate accedente, omnia hiſce comprehenſa plene, integre ac inviolabiliter Nos præſtare, tenere, ac obſervare debere, idem & Sereniſſimi Succeſſores noſtri Reges Poloniæ præſtabunt, tenebunt, obſervabunt. In quorum omnium & ſingulorum fidem, firmum ac evidens Teſtimonium præſentes manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillis Regni, ac Magni Ducatus Litvaniæ obſignari mandavimus. Datum Varſaviæ, die quinta Menſis Decembris Anno Domini MDCXLVI. Regnorum noſtrorum Poloniæ XIV. Sveciæ vero XV. Anno. Præſentibus, Reverendiſſimis Reverendis, Magnificis, Generoſis, Venerabilibus, & Nobilibus Mathia Lubienſki Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato nato, Regni noſtri Primate, primoque Principe, Nicolao Kroſnowſki Archiepiſcopo Leopolienſi, Adminiſtratore Abbatiæ Czervenenſi, Alberto Nicolao de Olekow Gniewoſz Vladiſlavienſi, & Pomeraniæ, Andrea de Szołdry, Szołdrſki, Poſnanienſi, Andrea Gębicki Luceorienſi, Georgio Tyſzkiewicz Samogitiæ, Andrea de L'eſzno Leſzczynſki Nominato Culmenſi, & Pomeraniæ, Regni Poloniæ Vicecancellario. Staniſlao Pſtrokonſki Chełmenſi, Staniſlao Zarębа Kiiovienſi, Partzewſki Smolenſcenſi, Epiſcopis. Simone Szczawinſki Breſtenſi, Lancicienſi, Gołubenſi Capitaneo. Staniſlao de Potok Potocki Podoliæ, Halicienſi, Kolomienſi Capitaneo. Staniſlao Warſzicki Generali Terrarum Maſoviæ, Staniſlao Niemiera Podlachiæ, Andrea Grudzinſki Ravenſi, Jacobo Weyher Marieburgenſi, Biſotienſi Capitaneo, Gerardo Denhoff Pomeraniæ, Marieburgenſi, Koſcierżynenſi Capitaneo, Palatinis, Bykowſki Siradienſi, Nicolao Radziejowſki Lenczycienſi, Joanne Caſimiro Kraſinſki Plocenſi, Procopio Leſnowolſki Podlachiæ, Kos Elbingenſi, Staniſlao Kobierżycki Gedanenſi, Mathia Pękoſławſki Radomienſi, Dunin Zarnovienſi, Feliciano Grochoſki Præmiſlienſi, Bogucki Sanocenſi, Zbigneo Gorayſki Chełmenſi, Retro Charbicki Brzezinenſi, Zaściſzewſki Sochacovienſi, Stanislao, Laskowſki Varſavienſi, Przedwoiowſki Viſnenſi. Petro Zabicki Luceorienſi, Caſtellanis. Luca de Bnin Opalińſki Marſchalco Regni Supremo, Lezayſcenſi, Rubieſzovienſi Capitaneo, Georgio Duce in Oſtolin Comite de Tenczyn Sacr. Rom. Imp. Principe, Supremo Regni Lubomlenſi, Adzeleſi, Rycenſi, Capitaneo, Stanislao Alberto Radzivił Duce in Nieśwież & Ołyka S. R. Imperii Principe Supremo Magni Ducatus Litvaniæ Cancellario, Merecenſi, Tucholienſi, Pinſcenſi, Capitaneo, Leone Sapieha Vicecancellario Magni Ducatus Litvaniæ, Słonimenſi Capitaneo. Nicolao a Zurow Daniłowicz Supremo Regni Theſaurario, Samborienſi, Præmislienſi, Ratnenſi, Dolinenſi, Capitaneo. Gedeone Michaele Tryżna, Theſaurario Magni Ducatus Litvaniæ, Suraſſenſi, Capitaneo, Adamo Kazanowſki Marſchalco Curiæ Regni Bielscenſi, Selecenſi, Neoforienſi, Boryſſovienſi, Kozienicſi, Varecenſi Capitaneo, Antonio Tyſzkiewicz Marſchalco Curiæ Magni Ducatus Litvaniæ, Joanne Gębicki Secretario Regni Maiore, & Sereniſſimæ Conſortis noſtræ Cancellario, Martino Starczewſki, Alexandro Zaleſki, Referendariis Regni, Franciſco Jaykowſki, Referendario Magni Ducatus Litvaniæ, Staniſlao Nicolao Stankiewicz Nuntiorum Terreſtrium in Comitiis Marſchalco, Januſſio Radziwiłł Duce in Birze & Dubinki S. R. Imperii Prin-

ANNO 1646.

ANNO 1646. Principe Magni Ducatus Litvaniæ Exercituum *Campestri* Duce. Nicolao Comite ab Ostrorog Pocillatore Regni, Buscensi, Rohatinensi, Tykocinensi, Capitaneo. Christophoro Gębicki Inciſore Regni. Stanislao Zadorski *Pincerna Regni*. Alexandro in Koniecpole, Koniecpolski Vexillifero Regni, Perasławiensi, Korsunensi Capitaneo, Michaele Alexandro *Comite* in Wisznic Lubomirski stabuli Regni Præfecto Sandomiriensi, Zatoriensi, Capitaneo. Christophoro Pac Stabuli Magni Ducatus Litvaniæ *Præfecto*, Boguslao de Leszno Leszczyński, Maioris Poloniæ Generali, Georgio *Comite* in Wisznic Lubomirski Generali Cracoviensi, *Chmielnicensi*, Dobczynensi Capitaneo, Hieronymo in *Radzieiowice* Radzieiowski Inciſore Sereniſſimæ Conſortis noſtræ, Łomzensi, Kamionacensi Capitaneo, Sigismundo Comite a Denhoff Capitaneo Sokaliensi, Stanislao Skarżewski Maioris Cancellariæ Regente, Thoma de Rupniow Wieyski Secretario noſtro & aliis quam pluribus Officialibus, Aulicis, & Nuntiis, ex omnibus Terris, & Palatinatibus Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ ad præſentia Comitia congregatis.

VLADISLAUS *Rex.*

Stanislaus Skarżewski
*Regens Cancel. Regni.*

# DUCATUS BRUNSVICENSIS.

## I.

1555. *Tractatus Matrimonialis inter* SIGISMUNDUM AUGUSTUM *Regem Poloniæ, nomine tutorio* SOPHIÆ *Sororis ſuæ, & inter Mandatarios, & Oratores* HENRICI Junioris *Ducis Brunsvicenſis habitus, & concluſus.* Actum & Datum Vilnæ 30. Novembris. 1555. *Ex Originali Sigill. 2. Extat in Archivo Cancell. Regni Lib. Legationum Lit. P. Fol. 380. Item Lit. O. Fol. 278.*

*In Nomine Domini Amen.*

Cum nihil Deo ſit gratius, nihil humanæ naturæ convenientius, quam iuſta, & honeſta hominum inter ipſos ſocietas, & benevolentia. Proinde Nos SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, nec non Terrarum Cracoviæ, Sendomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiaviæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Culmenſis, Elbingenſis, Pomeraniæque &c. Dominus, & Hæres, noſtro proprio, ac Illuſtriſſimarum Sororum noſtrarum tutorio nomine, & Nos JOACHIMUS eadem Gratia Dux Münſterbergenſis, & Oleſznicenſis, Comes Glocenſis, Stephanus Fabri, ac Lucas Bachſezdt Mandatarii, & Oratores Illuſtriſſimi Domini HENRICI Junioris eadem Gratia Ducis Brunſvicenſis, & Luneburgenſis cum ſufficienti mandato, & pleniſſima facultate ad infraſcripta negotia tractanda, & peragenda miſſi. Notum facimus tenore præſentium omnibus, quorum intereſt, aut intererit in poſterum. Quod Nos cupientes inter Nos SIGISMUNDUM AUGUSTUM Regem, Domumque noſtram Regiam, & ſupra memoratum Dominum HENRICUM Ducem Brunſvicenſem firmum, & ſempiternum Fœdus, atque amicitiam ſincere, & legitima affinitate, atque neceſſitudine ſtabilire, bene deliberatis animis, & conſiliis, tales inter Nos Tractatus inivimus, & concluſimus, nempe quod Nos SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex accedente conſenſu Sereniſſimae Principis Dominae BONÆ Dei Gratia Reginae Poloniae, Magnae Ducis Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiaeque &c. Dominae Matris noſtrae chariſſimae, eidem Domino HENRICO Duci per Nos Oratores, & Mandatarios ſupraſcriptos id ipſum poſtulanti, Illuſtriſſimam Virginem Dominam SOPHIAM germanam & chariſſimam Sororem noſtram Regiam ſcientem, & aſſentientem in Matrimonium collocare promiſimus, ac deſpondimus, his quae ſequuntur pactis, & conditionibus: nimirum quod nos Mandatarii, & Oratores ſupraſcripti Procuratorio Nomine ſupramemorati Domini HENRICI Ducis Brunſvicenſis cum ea ipſa Illuſtriſſima Virgine Regia Domina SOPHIA Sponſalia per verba de praeſenti contrahemus, vel unus noſtrum, cui magis competere videbitur, caeteris aſſentientibus contrahet. Deinde vero Nos SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex eam ipſam Illuſtriſſimam Sororem noſtram decenti comitatu, atque pompa, ornatuque, & ſupellectili regali, adiuncto eius Inventario, ad diem (*Spatium relictum in Originali.*) Wſchovam ſive Frauſtadiam, & ad fines Regni noſtri transmittemus, ubi eam Illuſtriſſimi Ducis HENRICI ad hoc miſſi Oratores excipere, & inde cum noſtris pariter Conſiliariis, & Mandatariis, ad hoc deſtinatis ad Illuſtriſſimum Sponſum tuto, & honorifice deducere debebunt, atque ibi, tunc ipſi inter ſe Sponſus cum Spon-

ANNO 1555.

ANNO 1555. ſa ſolenni ritu Eccleſiae Cathol. Pacta Sponſalia renovabunt, & approbabunt. Promittimus autem Nos SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex pro Nobis, & Succeſſoribus noſtris Regibus Poloniae, eidem ſorori noſtræ chariſſimae Dotis nomine triginta duo millia aureorum Hungaricorum in auro, eaque Illuſtriſſimo Sponſo eius, Affini noſtro chariſſimo HENRICO Duci in *Wolfenbütel* intra ſpatium duorum annorum hoc modo attribui, & annumerari curabimus: Nempe ad diem Nuptiarum decem millia aureorum, deinde emenſo anno, ad diem viceſimam Menſis Maii citra, vel ultra totidem, inde autem rurſus altero anno circumvoluto itidem ad diem viceſimam eiusdem Menſis Maii reliqua duodecem millia, circa primam autem, & ſecundam penſionem, ipſe Dux HENRICUS Nobis ſufficientem Quietationem de Summa numerata, circa ultimam vero, de univerſa Dote exoluta transmittere debebit, ſecundum conventas inter Nos eo nomine Formulas. Poſtera vero die ſtatim poſt conſummatas Nuptias, ipſa Domina SOPHIA Soror noſtra Regia, una cum ſupra memorato Sponſo, ſive Marito ſuo, abdicare ſe debebit coram Conſiliariis noſtris, qui tunc ibi praeſto erunt, omni haereditate, & Succeſſione paterna, materna, & fraterna quorumvis bonorum immobilium, & mobilium cum hac tamen exemptione, quodſi forte Nos SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex nullis relictis liberis ex hac luce exceſſerimus, eo caſu ipſa Domina SOPHIA Soror noſtra una cum liberis ex ipſa naſcituris reſervatum habebit Jus ſuccedendi pro rata portione ſua in bonis maternis propriis, mobilibus quidem, ubicunque ea obligationibus adſtricta extabunt (Dote tamen atque Donatione eiusdem Sereniſſimae Dominae Reginae Matris noſtrae Regiae exceptis) in immobilibus autem bonis in Italia tantum. Eam autem Abdicationem Literis ita, ut inter Nos convenit, conſcriptam, ac utriusque Signo conſignatam, manuque utriusque Coniugis ſubſcriptam, Ipſe Dux HENRICUS iisdem Conſiliariis noſtris tradet, & ad Nos transmittet. In compenſationem autem huiusce Dotis, Dux HENRICUS eidem Uxori ſuae Dominae SOPHIÆ alia 32000 aureorum Hungaricorum Donationis propter Nuptias ſive Contradotis nomine aſſignabit, & attribuet ita, ut a ſingulis quindecem aureis, eius ipſius Summae utriusque unus aureus, hoc eſt ab ambabus Summis 64000 aureorum coniunctis, quatuor millia ducenti ſexaginta ſex aurei ſimiles, vel quantum ii valent, in uſitata moneta ipſi Dominae SOPHIÆ quotannis certo, & ſine ulla difficultate provenire poſſint, ſed tamen ipſe Dux HENRICUS utraque ea Summa Dotis, atque Donationis propter Nuptias utetur, fruetur, quoad vixerit, Coniugi autem ſuae ſupra dictae Dominae SOPHIÆ, & famulitio ipſius utriusque ſexus, atque etiam iumentis per omne id tempus res omnes ad victum, & paſtum, cultumque corporum neceſſarias pro ſtatu, ac dignitate ipſius, & ſua, benigne ſuppeditabit. Ante omnia vero ſtatim poſt conſummatas Nuptias idem Dux HENRICUS ſuo, & Hæredum, Succeſſorumque ſuorum nomine ſupradictam Summam Dotis, atque Donationis propter Nuptias una cum cenſibus, & emolumentis, quæ inde, ut modo cautum eſt, provenire debent, Uxori ſuæ ſupra memoratæ Dominæ SOPHIÆ obligabit, aſſecurabit, ac demonſtrabit, in iis bonis ſuis, nimirum in Arcibus *Jerxem*, & Schoningen, eique Arci ſubiecta Urbe eiusdem nominis, cum univerſis, & ſingulis ad eas attinentibus, pagis, villis, curiis, ædificiis, molendinis, hominibus, cenſibus, decimis, reditibus, gregibus, armentis, advocatiis, ſervitiis, Feudis Eccleſiaſticis, ſylvis, piſcinis, lacubus, aquis, venationibus, aucupiis, piſcationibus, & quibusvis aliis utilitatibus, & omni eorum omnium libertate, ſuperioritate, iurisdictione, mero, & mixto Dominio, edictis, interdictis, pœnis, mulctis, & omnibus aliis rebus, atq; commodis, nullis penitus exceptis, quæ hactenus ad ea ipſa bona pertinuerunt, & pertinent, ita, ut de proventibus, & reditibus earundem Arcium, & Urbis, & annexorum eis bonorum, certis, & anniverſariis, ad rationem ſingulorum quindecem aureorum Dotis, atque Donationis propter Nuptias ſupradictas, unus aureus quotannis certo, & ſine ulla difficultate, atque diminutione ipſi proveniat, exceptis venationibus, aucupiis, ſervitiis ſubditorum, arvis, mulctis, donariis, & aliis quibusvis in certis, & fortuitis emolumentis, quæ ad rationem ſupradictorum Proventuum explendam, annumerari non debebunt, nihilominus tamen ad uſum, & uſum fructum eorum ipſorum bonorum pertinebunt. Quodſi qua pars, ſive emolumenta ſupramemoratorum bonorum oppignorata, vel alioqui gravata fuerit, vel fuerint, nihil id ad Dominam SOPHIAM noſtram SIGISMUNDI AUGUSTI Regis Sororem attinebit, ſed Maritus eius Dux HENRICUS, Hæredeſve, & Succeſſores ipſius Ducis eam, vel ea ipſi Dominæ SOPHIÆ ſine ullo ſumptu, ac damno eius redimere, & libera præſtare debebunt. ANNO 1555.

ANNO 1555. bunt. Consensit etiam, & promisit Dux HENRICUS per Nos Mandatarios suos, quod omnes Praefecti, Administratores, Procuratores, Quæstores, & Officiarii supramemoratarum Arcium Urbis, bonorumque ad eas attinentium præsentes, & pro tempore futuri promittent, & iurabunt se post mortem ipsius Ducis HENRICI Dominæ SOPHIÆ, uti Uxori eius legitimæ, ac Dominæ Dotalitiæ ea ipsa bona sine ulla tergiversatione, & difficultate tradituros, quandocunque illa eorum Possessionem secundum præscriptum Dotalis, & Contradotalis Inscriptionis adire, & in potestatem ea suam redigere per se ipsa, vel per aliquem alium volet, ac debebit. Itemq; omnes, & singuli dictarum Arcium, & Urbis, & annexorum eius bonorum subditi cuiusvis Ordinis, atq; conditionis illico post peractas Nuptias, & quoties opus fuerit, eidem Dominæ SOPHIÆ omagium, & Juramentum præstabunt, se post mortem HENRICI Ducis ipsi, uti Dominæ Dotalitiæ, perpetuo subiectos, fideles, ac dicto audientes fore, incommoda, ac pericula Illustrissimæ Dominæ eius præmonituros, & pro viribus suis aversuros, commoda vero sedulo curaturos esse, non secus, quam ipsiusmet Ducis HENRICI (cui Hæreditario Jure obligati sunt) secundum Formulam inter Nos conventam. Ad hæc habebit potestatem eadem Domina SOPHIA Soror nostra Regia, quando erit in possessione bonorum supradictorum, conferendi omnia Sacerdotia, & beneficia Ecclesiastica vacantia in iis ipsis bonis, nec non præbendi assensum ad permutationes eorum, quatenus ea ad collationem HENRICI Ducis pertinuerunt. Cæterum sæcularia Feuda Nobilium, & ignobilium, servitiaque ipsorum Nobilium in iisdem bonis, itemq; Expeditiones bellicæ, & Exactiones publicæ HENRICO Duci, Hæredibusque, & Successoribus ipsius salvæ, & liberæ reservantur, sine ullo impedimento sæpedictæ Sororis nostræ Regiæ, & cuiusvis alterius. Ipsa tamen Domina SOPHIA de Proventibus, & bonis suis propriis libera, & immunis ab quibusvis exactionibus esse debebit. Reservatur illud, quod tempore belli, & necessitatis, debent patere ipsi Duci HENRICO, Hæredibusque, & Successoribus eius Ducibus Brunsvicensibus aditus, & fores supradictarum Arcium Urbis, & aliarum munitionum ad eas attinentium, sic tamen ut ii de suo sumptus ibi faciant, seque sustentent, sine ullo incommodo, ac damno eiusdem Dominæ SOPHIÆ. Si quod vero damnum aut incommodum ipsi Dominæ SOPHIÆ ex huiusmodi pactefactione munitionum, & expeditione cuiusque modi in iisdem bonis ipsius, incendio, vel alio quovis modo datum, & conciliatum fuerit, aut si ipsi dictae Arces, aut Urbs, sive quid aliud ad eas pertinens quocunque modo ademptum, aut alioqui labefactum, & pessundatum fuerit, ita, ut ea reditus, & proventus suos, quemadmodum supra expressi, & commemorati sunt, integros inde adipisci, aut commode in iis habitare nequeat, debebunt ipsi eiusmodi incommoda, & detrimenta aliis aeque bonis, & fructuosis Arcibus, Urbibus, possessionibus, atque bonis ab HENRICO Duce, Haeredibus, & Successoribus eius sarciri, & compensari intra spatium sex mensium, posteaquam id ipsa requisiverit. Convenit etiam inter Nos utrinque, quod supradictus HENRICUS Dux Bunsvicensis, Haeredesque, & Successores eius Duces Brunsvicenses ipsam Dominam SOPHIAM in iisdem bonis ex causa Dotis, ac Donationis propter Nuptias, atque etiam Doni nuptialis inferius constituendi, ipsi obligatis, sive obligandis, demonstratis, sive demonstrandis, eorumq; munitionibus, reditibus, atq; commodis, quovis tempore, & casu contra quemvis tueri, ac defendere debebunt, perinde atque alios subditos, Ditionesque suas absque ipsius Dominae SOPHIÆ semptu, ac damno. Caeterum ipsa Domina SOPHIA non debebit ullo unquam tempore eas Arces, & Urbem, neq; ullam prorsus munitionem supradictis nominibus ad se pertinentem cuiquam alii patefacere, aut in cuiusquam potentioris potestatem, ac defensionem tradere, neque ulla Pacta, seu Fœdera earum munitionum, atque bonorum causa, cum quopiam inire sine scientia, & permissu Ducis HENRICI, Haeredumve, & Successorum eius, cum eo praesertim, in quem ipse Dux, sive Haeredes, & Successores eius potestatem habere non possent, praeterquam si quam ea vim (quod absit) aut iniuriam ab ipsis Haeredibus, ac Successoribus Ducis HENRICI pateretur, hoc enim eventu propinquorum necessariorum, & amicorum suorum cuiuscunque status, atque dignitatis protectioni se se, bonaque illa sua committere ea possit ab eiusmodi vi, & iniuria vindicanda. Debebit item Ea omnes illorum ipsorum bonorum subditos Ecclesiasticos & sæculares in Juribus, Privilegiis, immunitatibus, & receptis moribus ipsorum conservare, quemadmodum Dux HENRICUS conservavit, & conservat, neque ulla re eos prægravabit, ac ne bona quidem ipsa Feudis, vel alio quovis modo gravabit, conservabit etiam sarta tecta

ANNO 1555. ædificiorum in terris, & poſtibus in ſuo vigore, ad nova vero ædificia extruenda obligata non erit. Promittimus præterea Nos Mandatarii ſupra memorati, quod Illuſtriſſimus Dux HENRICUS eidem Dominæ SOPHIÆ Uxori ſuæ poſtridie poſt conſummatas Nuptias decem millia aureorum Hungaricorum in auro donabit, & aſſignabit Doni Nuptialis, quæ Morgengabe vocatur nomine, unde ipſi ſexcenti ſexaginta ſex aurei ſimiles, vel quantum ii valent in uſitata moneta, certi, & expediti reditus quotannis provenire poſſint, ac debeant, eamque ſummam cum reditu ſuo ad ſupramemoratam ſummam 64000. Dotis, atque Donationis propter Nuptias adiunget, cumque ea pariter in ſupradictis Arcibus, & Urbe *Ferxeim* & *Schoningen*, & annexis bonis, eorumque reditibus certis, & anniverſariis ultra 4266. aureorum proventum excreſcentibus obligabit, & ſecundum conventam ea de re Formulam inſcribet, ac demoſtrabit. Erit autem in arbitrio, & poteſtate Dominæ SOPHIAE per omne tempus vitæ ipſius, ſive habuerit liberos ex hoc Matrimonio, ſive non, illud ipſum donum Nuptiale, uti propria bona Donatione inter vivos, vel cauſa mortis donare, cui voluerit, & in quos voluerit, uſus convertere, ac diſponere de eo, quocunque modo voluerit, ſive univerſe, ſive particulatim, etiam Teſtamento, & Codicillo: cuicunque autem id ea donaverit, ſive legaverit, vel utcunque de eo diſpoſuerit, id ita ratum habere, & præſtare Dux HENRICUS, Hæredeſque & Succeſſores eius debebunt. Habebunt ii tamen facultatem donum id Nuptiale Dominæ SOPHIAE ſic obligatum decem millibus aureorum, quandocunque voluerint redimendi, ſine ullo cuiuſquam obſtaculo. Sin autem illa neque vivens, neque moriens quicquam de eo ipſo dono Nuptiali in parte, vel in toto diſpoſuerit, ad liberos eius, vel ſi ii nulli extabunt, ad Nos SIGISMUNDUM AUGUSTUM, Succeſſoreſque noſtros Reges Poloniæ optimo Jure devolvi debit, ſalva Nobis, ipſiſque Succeſſoribus noſtris hypotheca eorum ipſorum bonorum, cum uſu fructu, vel eo quod intereſt, ſi id factum non erit. Quodſi ex illis bonis ſupramemoratis reditus quatuor millium ducentorum ſexaginta ſex aureorum ratione Dotis, atque Donationis propter Nuptias, & ſexcentorum ſexaginta ſex aureorum ratione Doni Nuptialis recte quotannis provenire non poſſe videbuntur, quidquid deerit ad rationem prædictarum ſummarum & proventuum, id omne Dux HENRICUS de expeditiſſimis ſalinarum Libenhalenſium reditibus ſupplere, certaque Inſcriptione in omne tempus præſtare debebit. Si vero ne Salinae quidem illæ ad explendos eos proventus anniverſarios ſuffecerint, aut ſi quo adverſo caſu ſine culpa ipſius Dominæ SOPHIAE earum Salinarum, atque etiam ſupraſcriptorum bonorum proventus imminuti fuerint, in aliis certis bonis ſuis Dux HENRICUS, Hæredeſve, & Succeſſores eius, id, quidquid deerit, demonſtrare, & aſſecurare debebunt, ita, ut eidem Dominæ SOPHIAE Dotis, Donationis propter Nuptias, Donique Nuptialis nominibus, quemadmodum ſupramemoratum eſt, ſatis cautum, ac proviſum ſit in omne tempus. Licebit autem Nobis SIGISMUNDO AUGUSTO Regi illa ipſa bona, eorumque proventus, & utilitates, quotieſcunque voluerimus, per Procuratores noſtros inſpicere, & perluſtrare. Dux vero HENRICUS certum, & luculentum Inventarium eorum Nobis transmittere ſtatim poſt Nuptias debebit. Illud quoque convenit, quod ſiqua debita Coniuges hi, ſive alteruter eorum, donec ambo vivent, contraxerint, vel contraxerit, ab Hæredibus Ducis HENRICI ea ſolvi debebunt, ſine ullo incommodo, ac detrimento Dominæ SOPHIAE ſupradictæ. Sin autem ipſa Domina SOPHIA, cum fuerit in Poſſeſſione, & uſu fructu bonorum ſupradictorum, æris alieni quippiam fecerit, ac poſt ſe reliquerit, Hæredes ipſius id ſolvent, ſine ullo incommodo, & moleſtia Hæredum HENRICI Ducis. Non debebit autem Dux HENRICUS decuiuſq; modi ſupellectili Illuſtriſſimæ Uxoris ſuæ ſæpememoratæ, ſive importata, ſive poſtea acquiſita ullo unquam tempore quicquam alienare, diminuere, aut oppignorare, niſi ſiqua urgens neceſſitas id poſtularit, tunc de conſenſu eiuſdem Uxoris ſuæ facere id poterit, ſic tamen ut id, quid quid alienandum, vel oppignorandum erit, a fide dignis hominibus iureiurando intermedio prius æſtimetur, poſtea vero, vel ipſæ res, vel iuſtum earum pretium ipſi Dominæ SOPHIAE, vel poſt ipſius obitum legitimis Hæredibus, aut Succeſſoribus eius, ut infra explicabitur, ab HENRICO *Duce* Hæredibuſve, & Succeſſoribus eius reſtituatur. Præterea cum omnes ex æquo morti ſimus obnoxii, convenit utrinque inter Nos, ſi Dux HENRICUS, priuſquam Uxor ipſius Domina SOPHIA vita exceſſerit, ſuſceptis, & relictis ex ea liberis impuberibus, & minorennibus, ut ii Tutores, quemadmodum par eſt, & ſecundum receptum morem Domus Brunſvicenſis, habeant, Domina vero SOPHIA Uxor eius relicta, etiamſi nondum tota Dos numerata eſſet, ſine

ANNO 1555.

ANNO 1555. sine mora ad obligata, & inscripta sibi, ut supra cautum est, bona se conferat, eisque utatur, fruatur, & inde sese cum Familia sua sustentet, sine impedimento cuiusquam, hac tamen conditione adiecta, ut si tota Dos intra constitutum biennium exoluta non erit, post illud ipsum biennium pro portione non solutæ pecuniæ, etiam de reditibus, & usufructu eius detrahatur tantisper, dum residuum quoque exolvatur. Auferet autem secum cunctam supellectilem cuiusque generis, & materiae, quaecunque Ipsi, gyneceoque ipsius vivente Marito in usu fuit. Item aurum, argentum, clenodia, pecuniam, vestes, iumenta, & omnem aliam supellectilem importatam, & comparatam, a Marito datam, & suppeditatam, sive a quovis alio donatam, seu quocunque alio iusto titulo quaesitam, quantacunque, & qualiscunque ea fuerit, libere secum asportabit, liberamque his omnibus utendi, fruendi, & arbitratu suo de eis disponendi facultatem habebit in vita, & in morte. Cedent ipsi etiam greges omnes, & armenta, & alia quaevis animalia, itemque cuncta supellex, & Instrumentum omne rusticum, ac domesticum, penuque vini, fructuum, frugum, olerum, & omnium aliarum rerum ad vitam hominum, iumentorum, & quorumvis animalium sustentandam pertinentium, quaecunque in supramemoratis Arcibus, Oppidis, praediis, rusticis, urbanisque domibus, atque bonis, tunc recondita, vel etiam tum recondenda extabunt, & reperientur, dum modo ad HENRICUM Ducem ea pertinuerint, iuxta certum, & luculentum Inventarium tunc temporis super his omnibus, & singulis rebus conficiendum.

Debebit autem ea in iisdem bonis suis ad minimum unius integri anni fructus reconditos reperire. Quod si quid ex iis desiderabitur, id Haeredes HENRICI Ducis, seu Tutores eorum sine mora aliunde supplere oportebit, atque hoc modo ea segregata erit a liberis suis, verum tamen licebit ei Filios parvulos, Filias vero quavis aetate apud se educare, non suis tamen, sed ipsorum liberorum sumptibus, pro dignitate ipsorum ei suppeditandis.

Quodsi forte supramemorata Domina SOPHIA post obitum HENRICI Ducis alii nubere, vel Ducatu Brunsvicensi excedere voluerit, habebit ea nihilominus, quoad vixerit usum fructum eorundem bonorum, sed utroque hoc casu in potestate erit Haeredum, & Successorum HENRICI Ducis omnia ea bona (universe tamen, ac non particulatim) ab ipsa redimere, reposita, & numerata simul Summa Dotis, atque Donationis propter Nuptias. Poterit autem eiusmodi Redemptio quovis anno fieri, sed non nisi ad Festum Purificationis Sanctae Matris Dei Mariae, atque ita quidem, ut prius ipsa Domina SOPHIA ad Festum Sancti Michaelis Archangeli de ea Redemptione Scripto praemoneatur. Ipsa tamen non habebit facultatem tollendi eam pecuniam, nisi sufficientem Cautionem dederit, quod post eius obitum donatio quidem propter Nuptias Ducis HENRICI Liberis, & Haeredibus intra sex Menses in *Wolffenbüttel*, Dos vero Nobis SIGISMUNDO AUGUSTO, Successoribusve nostris Regibus Poloniae (si forte nullos prorsus ipsa Domina SOPHIA liberos reliquerit) Posnaniae intra sex Menses restituetur, & renumerabitur, idemque de Dono Nuptiali intelligendum, quatenus ipsa de eo ante mortem suam non disposuerit. Sive autem ipsa Domina SOPHIA manserit in iis bonis, donec vivet, sive iis excesserit, & sive nupserit denuo, sive non, debebunt ea sine gravamine, ac diminutione conservari ita, ut post mortem ipsius integra sine ullo impedimento ad legitimos Haeredes HENRICI Ducis revertantur. Quovis autem casu, tormenta bellica, arma, & quaecunque ad defensionem Munitionum pertinent, itemque supellex, & Instrumentum, ac penu omne, eodem modo, quantitate, & numero, quibus ipsi Dominae SOPHIÆ iuxta supramemorati Inventarii tenorem tradita fuerint, in illis ipsis Arcibus, Urbe, et bonis relinqui debebunt. Hoc etiam convenit, ut quid quid dicta Illustrissima Domina SOPHIA de Dote, Dono nuptiali, parapherna supellectili, aliisve cuiuscunque modi facultatibus moriens reliquerit, omnium eorum legitima portio liberis ipsius superstitibus ex *Duce* HENRICO quaesitis cedere debebit, etiamsi ea ex alio Matrimonio alios liberos relinquat. Convenit item, et separata Obligatione, atque Inscriptione *Ducis* HENRICI cautum est, ac bona fide promissum, quod si *Deus* Optimus Maximus prolem masculam, ut speramus, et optamus, ex hoc Matrimonio ipsi concesserit, Filius e *Domina* SOPHIA susceptus, aut si plures fuerint, semper maximus, aut maior natu post mortem ipsius in omnibus Principatibus, ac *Dominatu* Terrarum, et hominum immediate succedet, non obstante eo, quod ipse *Dux* HENRICUS e priore Matrimonio Filium *Ducem* JULIUM susceperit, vel alium forte post, ex alio Matrimonio susciperet. Idque ipse *Dux* HENRICUS vivens constituere, ordinare, et perficere omni ratione

Anno 1555. debebit. In defectu autem masculorum liberorum ex hoc Matrimonio, reservatur etiam aliis iustis Haeredibus, et Succesſoribus *D*ucis Henrici ſupramemorati, quod ii poſt mortem Dominæ Sophiæ bona illa, in quibus Dos, ac Donatio propter Nuptias obligata, & inſcripta erunt, de manibus Hæredum eiusdem Dominæ Sophiæ triginta duobus millibus Hungaricis aureis redimere poterunt, ſimul & ſemel quocunque anno voluerint, ſic tamen ut illis ea Redemptio ſex Menſium ſpatio prius denuntietur, nec niſi ad Feſtum Purificationis Sanctæ Mariæ fiat. Debebunt inſuper Filiæ, ſi quæ ex hoc Matrimonio extabunt, nec Patri in Principatu ſuccedent, de bonis paternis pro dignitate Ducali dotari. Cæterum ſi nulli prorſus liberi ex hoc Matrimonio ſuſcepti, vel poſt mortem Ducis Henrici relicti fuerint, eodem modo, quo ſupra expreſſum eſt, Domina Sophia ſtatim poſt mortem eiusdem Mariti ſui adibit poſſeſſionem Arcium, Urbis, bonorumque, & proventuum quorumvis dotis, Donationis propter Nuptias, ac Doni Nuptialis nominibus ſibi obligatorum, ac demonſtratorum, eaque, ſicut dictum eſt, inſtructa omnibus rebus, non inania accipere, & quoad vixerit, libere iis, & arbitratu ſuo uti, frui debebit, ſine cuiusquam impedimento.

Debebit etiam ei cedere tertia pars veſtium, & clenodiorum ipſius Henrici Ducis. Poſt obitum vero ipſius Dominæ Sophiæ Contrados quidem ſive Donatio propter Nuptias ad proximos, & legitimos Hæredes Henrici Ducis revertetur, & recidet. Quod autem attinet ad dotem, paraphernam ſupellectilem, & quaslibet facultates, & bona, ſive poſſeſſiones, quas eadem Domina Sophia iuſto titulo acquiſiverit, ſi quidem ea ex alio Matrimonio liberos ſuperſtites reliquerit, iis illa omnia, quaecunque relicta, neque ulla modo ab ipſa vivente alienatione erunt, cedere debebunt. Sin autem nullos omnino reliquerit liberos, Nobis Sigismundo Augusto Regi, vel Succeſſoribus noſtris Regibus Poloniae ea reſtitui, Poſnaniamque deferri, & Procuratoribus noſtris vel Succeſſorum noſtrorum ad amuſſim bona fide, & ſecundum iuſta, & vera Inventaria aſſignari, intra annum poſt mortem eius proximum, una cum priore penſione reſtituendae Dotis ab Haeredibus, & Succeſſoribus legitimis Henrici Ducis debebunt, quatenus tamen ea ad ſecundas Nuptias non convolarit, atque e Ditione Brunſvicenſi ea non exportarit, hoc enim caſu Nos, vel Succeſſores noſtros Reges Poloniae, non ab Haeredibus, & Succeſſoribus Henrici Ducis, ſed aliunde ea omnia praeter Dotem, Donumque Nuptiale, de quo utroque reſtituendo, uti ſupra ſcriptum eſt, caveri debet, repetere oportebit. Sin autem intra praeſcriptum ſpatium temporis ab Haeredibus, & Succeſſoribus Henrici *D*ucis ea non redderentur, et ſolverentur, licebit Nobis, vel Succeſſoribus noſtris absque ullo obſtaculo ipſorum Haeredum, & Succeſſorum Henrici *D*ucis hypothecam bonorum iis omnibus, ut ſupra dictum eſt, obligatorum, cum omni uſu fructu, & eo quod intereſt, retinere tantisper, donec ea omnia ſicut iam cautum eſt, reddantur, aut ſolvantur. Itidem autem ſi *D*ux Henricus ſupramemoratae Vxori ſuae *D*ominae Sophiæ ſuperſtes fuerit, nullis exiſtentibus, & ſuperſtitibus ex hoc Matrimonio liberis, cedet ipſi tertia pars veſtium, & clenodiorum omnium ab ipſa relictarum. Reliquas autem duas partes ipſe *D*ux Henricus vel Succeſſores, & Hæredes eius intra annum, ut ſupra dictum eſt, a morte ipſius, Poſnaniae Nobis, vel Succeſſoribus noſtris Regibus Poloniæ curare, et repræſentare debebit. Dotem vero itidem Poſnaniae intra biennium duabus penſionibus reſtituet, dimidiam quidem eius intra vertentem annum, reliquam vero intra alterum ſubſequentem, a morte eiusdem Uxoris ſuæ. *S*alva itidem Nobis, & *S*ucceſſoribus noſtris Regibus Poloniæ hypotheca bonorum cum uſu fructu, ſeu intereſſe, ſi hæc intra præſcripta tempora non præſtiterit. Cæterum obligationes, & Literae *D*otis, *D*onationis propter Nuptias, *D*oni Nuptialis, & aliae, de quibus invicem tradendis convenit, poſtridie conſummatarum Nuptiarum, utrinque *D*uci Henrico, & Coniugi eius, ſeu Mandatariis noſtris Regiis, qui *S*ponſam ad *S*ponſum deducturi ſunt, tradi debebunt. *S*i quo autem caſu (quod abſit) vel *D*ucem Henricum, vel *D*ominam Sophiam *S*ororem noſtram Regiam ante conſummatas Nuptias vita excedere contigerit, hæc omnia Pacta conventa, irrita, & nullius momenti eſſe debebunt. Quæ omnia, & ſingula ſuperius conventa, & conſcripta Nos Sigismundus Augustus Rex chariſſimae Sororis noſtrae *D*ominae Sophiæ tutorio, & noſtro proprio, ac utriusque noſtrum Hæredum, & *S*ucceſſorum nomine. Nos vero *Joachimus D*ux, *S*tephanus Fabri, & Lucas Bachschezdth pro ſaepememorato *D*omino Henrico Brunſvicenſi, & Lüneburgenſi *D*uce, Hæredibusque, & *S*ucceſſoribus eius vigore ple-

Anno 1555.

ANNO 1555. pleni, & ſufficientis Mandati ad id Nobis ab eodem *Duce* conceſſi (quod quidem Regiae Maieſtati ſupradictae ob id tradidimus) recipimus, ſpondemus, & ſancte promittimus utrique parti ab altera ſemper, ac perpetuo rata, firma, & intemerata conſervatum, præſtitum, & implectum iri bona fide, & ſine ulla exceptione, tergiverſatione, defenſionibusque, & ſubſidiis iuris canonici, & civilis, & cuiusvis diſpenſationis, abſolutionis, libertatis, & privilegii, ſub verbo, & honore noſtris Regio, ac *Ducali*, & ſub pœna centum millium aureorum Hungaricorum, quam Pars non fatisfaciens ſatisfacienti, quoties contravenerit, omnino luere, & ſolvere debebit. Ad eorum autem omnium veram notitiam, certamque fidem Nos *Si*GISMUNDUS AUGUSTUS Rex pro Nobis ipſis, & Illuſtriſſima *Domina* SOPHIA *Sorore* noſtra, Nos vero *Dux Joachimus Stephanus* Fabri, & Lucas Bachſchezdth uti Mandatarii Illuſtriſſimi Domini HENRICI *Ducis* pro Illuſtritate eius binas Literas eodem exemplo confici curavimus, iisque manibus noſtris ſubſcripſimus, & Regium noſtrum, ac *Ducis* HENRICI *Ducale Signum* appendimus, & Nobis invicem eas tradidimus. Actum & *Datum* Vilnae *Sabbatho* ipſo die ſancti Andreæ Apoſt. Anno *Domini* MDLV. Regni vero noſtri Anno XXVI. Praeſentibus Illuſtri & Magnifico Nicolao Radivilio in Olika, & Nieſwieſz *Duce* Palatino Vilnenſi, Magni *Ducatus* noſtri Litvaniae *Supremo* Marſchalco, & Cancellario, ac Brzeſtenſi, Schawlenſi, Boriſſovienſique Capitaneo, nec non Reverendis, Magnificis, Generoſis, & Venerabilibus Joanne de Przeramb Regni noſtri Procancellario, ac Gneſnenſi, & Cracovienſi Præpoſito. (*Spatium relictum in Originali.*) Luceorienſi, Joanne a Domaniow Samogitiæ nominatis Epiſcopis, Joanne Linthomirſki Ravenſi Curiae noſtrae Theſaurario, Burgrabio Cracovienſi, ac Lancicienſi, Radomienſique Capitaneo, Gabriele Tarło Radomienſi, Sereniſſimæ Dominæ Coniugis noſtræ Curiæ Magiſtro Chelmenſi Capitaneo, Fabiano Czema Gedanenſi, & Thucholienſi, Stargardienſique Capitaneo, Joanne Sirakowſki, Srzemenſi, & Curiae noſtrae Referendario, Caſtellanis, Nicolao Trzebuchowſki Archicamerario noſtro, Burgrabio Cracovienſi, & Brzeſtenſi, Lelovienſique Capitaneo, Staniſlao Myſzkowſki de Myrow Tribuno Cracovienſi, Regni noſtri Structore, & Mariemburgenſi Capitaneo, Philippo Padniewſki Præpoſito Lancicienſi, Archidiacono Cracovienſi, Alberto Kryſki de Drobnin Succamerario Plocenſi, & Capitaneo Dobrzinenſi, Martino Cromero Juris utriusque Doctore, Cuſtode Viſlicenſi, & Canonico Cracovienſi, Joanne Szkaſſewsſki Juris utriusque Doctore, & Plocenſi Canonico, Staniſlao Karukowſki Juris utriusque Doctore, & Canonico Vielunenſi, Secretariis noſtris, & aliis fide dignis circa præmiſſa exiſtentibus. Datum per manus præfati Reverendi Joannis Przerempſki Regni noſtri Procancellarii, & Gneſnenſis, Cracovienſisque Præpoſiti ſincere nobis dilecti. ANNO 1555.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS.
*Rex manupp.*

*Literæ Fidei* HENRICI *Junioris Ducis Brunſvicenſis.* Dat. in Wulffenbuttel 21. Septemb. An. 1555. *Ex Originali. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. Legationum Lit. P. fol. 453.*

Sereniſſime, ac Potentiſſime Rex, ac Domine Amiciſſime. Poſt noſtram debiti honoris, obſequii, ac benevolentiæ oblationem. Minime Regiam Maieſtatem veſtram oblivioni tradidiſſe ſperamus, quid Illuſtriſſimus Dominus Dux JOACHIMUS Munſterbergenſis, & Oleſznicenſis, Comes Glacenſis, amicus noſter chariſſimus apud Regiam Maieſtatem veſtram, eiusdemque Sereniſſimam Matrem Reginam pro Matrimonio, ſeu Coniugio inter Nos, & unam ex Sereniſſimis Maieſtatis veſtræ Sororibus contrahendo, & celebrando tam in ſcriptis, quam per Nuntium ſollicitaverit, quidque ſuæ Illuſtriſſimæ Dominationi a veſtra Regia Maieſtate, eiusque chariſſima Matre Regina ſuper hoc reſponſum fuerit. Nunc quia ex illis omnibus reſponſionibus nihil aliud colligi poteſt, quam quod ambæ veſtræ Regiæ Maieſtates firmiter decreverint, et ſtatuerint, unam ex ſuæ Regiæ Maieſt. Filiabus, & Sororibus Nobis dare Nuptui, atque Nos e contra prius Maieſtatibus veſtris in hoc declaratam mentem noſtram in hodiernum non mutavimus, ſed potius in eadem ſententia conſtanter perſeverantes, unam ex Sororibus veſtræ Maieſtatis in Coniugem deſideramus. Ideo ſupradictum Ducem Munſterbergenſem una cum Conſiliariis noſtris, Nobis fidelibus, & dilectis Viris Stephano Fabri, & Luca Bachſchezdt hiſce noſtris Credentiarum Literis cum ſufficienti Inſtructione, & Mandato ad Regiam veſtram Maieſtatem, eiusque Maieſtatis Sereniſſimam Matrem Reginam Poloniæ ablegavimus in noſtra Perſona, noſtro-

Anno 1555. ſtroque nomine ſuper prædicto Matrimonio tractandum, & concludendum, aliaque omnia faciendum, & agendum, quæ circa hoc negotium videbuntur neceſſaria, aut rite, ac debito modo fieri ſolent, ac debent, prout illa omnia Veſtra Regia Maieſtas ex prænominatorum Legatorum, aut Nuntiorum noſtrorum relatione fuſius, & apertius intelliget; obnixe, & quam familiariſſime rogantes, quod Veſtra Maieſtas eos coniunctim, vel diviſim benigniter, ac gratioſiſſime audire, illisque in omnibus, & ſingulis, quæ noſtri gratia propoſituri, & aſſerturi fuerint, non minorem, quam propriæ noſtræ Perſonæ fidem adhibere, ſeque ex ſingulari innata ſua gratia, ac benevolentia tam facilem præbere, huicque petitioni noſtræ usque adeo annuere dignetur, ut noſtri optati voti poſſimus ſine ulla difficultate fieri compotes. Id ex ſingulari animi noſtri promptitudine pro noſtra virili, & poſſibilitate recompenſandum ſtudebimus. Hisque Regiam veſtram Maieſtatem Deo Optimo Maximo ſummopere recommendamus. Ex Arce noſtræ ſolitæ reſidentiæ Wulffenbuttel, vigeſima prima Menſis Septembr. Anno *D*omini MDLV.

*Veſtræ Regiæ Maieſtatis.*

Obſequentiſſimus

HENRICUS *Junior*
*Dei Gratia Dux Brunſvicenſis, & Luneburgenſis mpp.*

*Mandatum* Sigismundi Augusti *Poloniæ Regis in eodem negotio. Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. P. fol. 431.*

Sigismundus Augustus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus *D*ux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, &c. *D*ominus, & Hæres. Teſtatum facimus Univerſis, & ſingulis, quorum intereſt, aut intererit, quod dedimus, damusque vigore harum Literarum noſtrarum Reverendo in Chriſto Patri *D*omino Andreæ Noſkowſki Epiſcopo Plocenſi, & Generoſo Joanni Luthomirſki Caſtellano Ravenſi, Curiæ noſtræ Theſaurario, & Radomienſi, Lancicienſique Capitaneo, Conſiliariis Regni noſtri, & Mandatariis noſtris omnibus, ſimul, et cuilibet eorum ſeparatim ad infraſcripta luculentum Mandatum, & plenam, ſufficientemque Facultatem cum Illuſtriſſimo *D*omino Joachimo *D*uce Munſterbergenſi &c. & cæteris Oratoribus Illuſtris *D*omini Henrici Junioris *D*ucis Brunſvicenſis, & Luneburgenſis concludendi noſtro nomine Pacta Sponſalia, & Matrimonium inter eundem Illuſtriſſimum *D*ominum Henricum *D*ucem, & Illuſtriſſimam *D*ominam Sophiam Sororem noſtram Regiam. Inſuper alia omnia id idem negotium ſpectantia tractandi, & peragendi quovis modo, et ratione perinde, ac Nos ipſi præſentes adeſſemus, eaque omnia concluderemus, tractaremus, atque perageremus. Promittentes bona fide Nos ratum, firmumque habituros, quid quid ii hoc nomine egerint, conſtituerint, & concluſerint. In cuius rei fidem manu noſtra præſentibus ſubſcripſimus, et Sigillum noſtrum apprimi mandavimus. *D*at. etc. Anno 1555.

II.

*Oratores* Henrici *Junioris Ducis Brunſvicenſis promittunt præfatum Ducem, quamprimum Sponſa ad eum deducta fuerit, Matrimonium ſecundum formam Eccleſiæ Romanæ innovaturum, & confirmaturum.* Dat. Varſaviæ die 23. Menſis Januar. An. 1556. *Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. O. fol. 309.* 1556.

Nos Joachimus *D*EI Gratia Epiſcopus Brandeburgenſis, et Munſterbergenſis *D*ux, nec non Stephanus Fabri, et Lucas Bachſchezdth Legati Nuntii, et Oratores Illuſtriſſimi Principis *D*omini Henrici Junioris, *D*ei Gratia *D*ucis Brunſvicenſis, et Luneburgenſis. Significamus præſentibus Literis, quorum intereſt Univerſis. Quod etſi ad conciliandam perpetuam amicitiam inter Sereniſſimum Principem, et *D*ominum, *D*ominum Sigismundum Augustum *D*ei Gratia Poloniæ Regem, Magnum *D*ucem Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, etc. *D*ominum, et Hæredem, ac Illuſtriſſimum Principem *D*ominum Henricum Junioremm Brunſvicenſem, ac Luneburgenſem *D*ucem, Illuſtriſſimam Virginem Sophiam Sororem Maieſtatis eius Regiæ in uxorem deſpondiſſemus, ac vigore ſufficientis Inſtructionis, Poteſtatisque ab Illuſtriſſimo *D*omino *D*uce Brunſvicenſi Nobis factæ Matrimonium per verba de præſenti nomine Illuſtritatis eius cum prædicta Illuſtriſſima Virgine Sophia contraxiſſemus, et inſuper Contractu Matrimoniali ſufficienter proſpectum ſit, quod prædictus Illuſtriſſimus *D*ominus *D*ux Henricus Junior Matrimonium per Nos Contractum ſtatim ut ad ipſum deducta

ANNO 1556. ducta fuerit ipsa Illustrissima Virgo, innovaturus, et confirmaturus esset, in maiorem tamen cautelam spondemus sub fide, et honore nostro, ac vigore Instructionis sub Sigillo, et subscriptione manus prædicti Illustrissimi *D*omini *D*ucis Nobis datæ, ac potestatis in ea, et in Litteris Fidei concessæ, prædictum Illustrissimum *D*ominum *D*ucem obligamus, et obstringimus, quod ut primum ipsa Illustrissima Virgo SOPHIA ad ipsum Illustrissimum *D*ominum *D*ucem deducta secundum Pacta Matrimonialia fuerit, statim Matrimonium per Nos ita, ut supra scriptum est, contractum in Persona sua propria cum prædicta Illustrissima Virgine SOPHIA secundum formam, et consvetudinem Ecclesiæ Romanæ innovaturus, et confirmaturus est, absque omni detractione, et difficultate. In cuius rei fidem præsentibus Literis manibus nostris subscripsimus, ac Sigillum prædicti Illustrissimi *D*ucis Brunsvicensis, et Luneburgensis Nobis ad eam rem ab Illustritate eius concreditum appendimus. *D*atum Varsoviæ vigesima tertia die Mensis Januar. Anno *D*omini millesimo quingentesimo, quinquagesimo sexto.

III.

*Literæ* SIGISMUNDI AUGUSTI *Regis, quibus tempus solvendæ Dotis præstituit.* Dat. Varsaviæ 23. Januar. An. 1556. *Ex Originali.*

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei Gratia Rex *P*oloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, *R*ussiæ, totius Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ &c. Dominus, & Hæres. Omnibus quorum interest, & intererit, notum facimus pro Nobis, & Successoribus nostris *R*egibus Poloniæ, quod quemadmodum in *P*actis sponsalibus inter Nos, & Illustrissimum Dominum HENRICUM Juniorem Ducem Brunsvicensem, & Luneburgensem de Illustrissima *P*uella Regia, *D*omina SOPHIA *S*orore nostra charissima, Illustritati eius in Matrimonium collocanda initis, inter Nos, & Illustritatis eius Mandatarios, & Oratores convenit, ut Illustritati eius triginta duo millia aureorum Hungaricorum, pro ea ipsa Sorore nostra Illustrissima Dotis nomine, intra biennium post consummatas Nuptias, tribus pensionibus numeraremus, & exolveremus, ita nunc bona fide, & verbo nostro Regio promittimus, & recipimus Nos, vel Successores nostros Reges Poloniæ eam ipsam Dotem 32000. aureorum probi auri, & iusti ponderis eidem Illustri Domino HENRICO Juniori Duci Brunsvicensi, Affini nostro charissimo in Arce Illustritatis ipsius Wulfenbuthel intra biennium sine ullo Illustritatis eius detrimento, ac impedimento curaturos, & per Mandatarios nostros annumeraturos esse, hoc modo, & his pensionibus, nempe cum primum Sponsa ad Sponsum deducta fuerit, decem millia aureorum, deinde uno anno emenso ad diem vicesimam Mensis Maii, totidem millia, altero autem Anno circumvoluto, itidem ad diem vigesimam eiusdem Mensis Anno Domini 1558. reliqua duodecem millia aureorum ea tamen Lege, ut ipse Dux HENRICUS circa primam, & secundam pensionem de summa a se percepta, circa tertiam vero de universa Dote sibi exoluta, & Quietationem iis exemplis, de quibus inter Nos convenit, conscriptam, & manu sua subscriptam, signoque suo signatam vicissim Nobis, seu Successoribus nostris *R*egibus Poloniæ tradi, itemque circa tertiam pensionem, & hanc obligationem nostram Nobis, seu Successoribus nostris Regibus Poloniæ reddi curet. Quod si ea ipsa numeratio Dotis supramemoratis temporibus, & pensionibus, præter assensum eiusdem Illustris *D*omini Ducis a Nobis, vel Successoribus nostris non fieret, debebimus, vel debebunt Successores nostri Illustritati eius omne damnum, & impendium eo nomine susceptum, una cum solutione summæ capitalis sine longiori dilatione, & exceptione præstare sub pæna *P*actis sponsalibus expressa. In cuius rei fidem & testimonium manu nostra *P*ræsentibus subscripsimus, & Sigillum nostrum appendi iussimus. Datum Warschoviæ vigesima tertia die Mensis Januarii Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto. Regni vero nostri Anno vigesimo sexto.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS.
*Rex mp.*

ANNO 1556.

IV.

SOPHIA *Dux Brunsvicensis abdicat se omni Jure Successionis in Bona paterna, materna, & fraterna.* Datum in Arce Wolffenbüttel 25. Februarii Anno 1556. *Ex Originali. Sigill. 2.*

SOPHIA Dei Gratia nata Reginula Poloniæ, Magna Dux Litvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae &c. Dux Brunsvicensis & Luneburgensis, testatum facimus, pro Nobis, Hæredibusque, & Successoribus nostris. Quod cum Serenissimus Princeps, & Dominus Dominus SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei Gratia

ANNO 1556. tia Rex Poloniæ, &c. Dominus, & Frater, ac Tutor noſter Chariſſimus, Illuſtriſſimo Domino HENRICO Juniori &c. Nos accedente aſſenſu noſtro in Matrimonium collocaverit, Dotemque triginta duorum millium aureorum Hungaricorum probi auri & iuſti ponderis eidem Illuſtriſſimo Domino HENRICO Duci, *D*omino & Coniugi noſtro chariſſimo noſtro nomine conſtituerit, ac lautam dignamque Regia Puella ſupellectilem & paraphernam nobis attribuerit, abunde nobis paternorum, & maternorum Bonorum nomine ſatisfecit. Proinde cum aſſenſu, & authoritate eiusdem Illuſtriſſimi Coniugis noſtri omni hæreditati & ſucceſſioni paternorum & maternorum, atque etiam fraternorum Bonorum immobilium, & mobilium, quae vel iam obveniſſe nobis debuit, vel adhuc obventura fuit, in favorem ſupramemorati Sereniſſimi Regis SIGISMUNDI AUGUSTI *D*omini ac Fratris noſtri Chariſſimi, eiusque Maieſtatis Succeſſorum Regum Poloniae renuntiavimus, & harum Literarum vigore renuntiamus, omni meliori modo, forma, & via, quibus id ſecundum Jus canonicum, & civile, & ſecundum conſvetudines Gentium fieri poteſt, ac debet: ita ut neque Nos, neque quisquam Haeredum, & Succeſſorum noſtrorum, nec alius quis omnino noſtro, eorumve nomine unquam ullam eiusmodi haereditatem, atque ſucceſſionem iure, vel praeter ius, aut alio quovis modo petere ſeu repetere queat, & debeat. Excepto uno caſu maternorum bonorum, nimirum ſi Sereniſſimum *D*ominum, & Fratrem noſtrum chariſſimum *D*ominum SIGISMUNDUM AUGUSTUM Regem ſupramemoratum, ſine ullis omnino liberis (quod abſit) mori contigerit. Hoc enim ſolo caſu Bonorum maternorum propriorum, immobilium quidem Italicorum duntaxat, mobilium vero, ſive ſummarum, ubivis locorum, in quibuslibet bonis obligatarum, quae poſt mortem Sereniſſimae Principis & *D*ominae *D*ominae BONÆ &c. Matris noſtrae chariſſimae extiterint, *D*ote, ac *D*onatione propter nuptias exceptis, Haereditas, & Succeſſio ad Nos, Haeredesque, & *S*ucceſſores noſtros pro rata portione pertinebit. Aliis vero quibusvis caſibus, omni paterna, fraterna, & materna haereditate, atque ſucceſione, Nos, Haeredesque, & *S*ucceſſores noſtros in perpetuum ſcienter, deliberate, & expreſſe abdicamus: renuntiantes omnibus beneficiis iuris, & facti, reſtitutionis, abſolutionis, diſpenſationis, Pontificum, Imperatorum, Regum, & Legislatorum quorumvis in auxilium ſexus muliebris, generaliter, ſeu particulariter conſtitutis, & conſtituendis, a nobis vel quoquam alio impetratis, vel impetrandis, vel proprio motu indultis, & indulgendis, nullo prorſus excepto ne eo quidem, quo leges renuntiationem obventurae *S*ucceſſionis invalidam eſſe cenſent, nec non ignorantiae, doli mali, vis, & metus, læſionis in legitima, & quibusvis aliis exceptionibus, quae ab homine pro Nobis, Haeredibusque, & *S*ucceſſoribus noſtris contra hanc renuntiationem excogitari poſſunt. Quod ſi pluribus & firmioribus etiam cautelis, haec ipſa renuntiatio fieri poſſet, vel deberet, eas omnes pro expreſſis hic habere volumus. In quorum omnium fidem has praeſentes Literas noſtra propria manu ſubſcripſimus, *S*igillique noſtri appenſione corroboravimus. Datae in Wolffenbuttel, vigeſima quinta die Menſis Februarii, anno *D*omini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto. ANNO 1556.

SOPHIA *nata Reginula Poloniæ, Dux Brunſvicenſis. ſignificat.*

Et Nos HENRICUS Junior Dei Gratia *D*ux Brunſvicenſis, & Luneburgenſis teſtatum facimus pro Nobis ipſis, Haeredibus, & *S*ucceſſoribus noſtris, ſupraſcriptam renuntiationem, & abdicationem, ab Illuſtriſſima, & chariſſima Coniuge noſtra cum aſſenſu, & authoritate noſtra factam eſſe. Promittimusque, & recipimus ſub *D*ucali verbo, et honore noſtro, et pœna Pactis ſponſalibus expreſſa, pro Nobis, Haeredibusque, et *S*ucceſſoribus noſtris, eam ratam, firmamque perpetuo, et intemeratam fore, neque quippiam aperte, vel clam a Nobis, Haeredibusve, et Succeſſoribus noſtris contra eam ullo modo, et via tentatum iri. Renuntiantes itidem omnibus remediis, beneficiis, et exceptionibus, quæcunque contra hanc ipſam renuntiationem et abdicationem, adiumento eſſe poſſent In quorum omnium fidem et robur perpetuum nos quoque una cum Illuſtriſſima Uxore noſtra ſupradicta manum, et *S*ignum noſtra hiſce Literis appoſuimus. *D*atae in Arce noſtra Wolffenbuttel vigeſima quinta die Menſis Februarii, anno *D*omini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto.

HENRICUS.

V.

*Civitatum Jerxeim, & Schoningen cum ſuis Territoriis Sereniſſimæ* SOPHIÆ *Duci Brunſvicenſi Dotis, & Donationis propter Nuptias*

ANNO 1556.

*ptias nomine Obligatio, & Inſcriptio. Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. P. fol. 398.*

NOs Dei Gratia HENRICUS Junior Dux Brunſvicenſis, & Luneburgenſis pro Nobis, ac Hæredibus, & Succeſſoribus noſtris tenore Præſentium notum facimus omnibus, quorum intereſt, aut in futurum intererit. Poſtquam Sereniſſimus, Potentiſſimuſque Princeps, ac Dominus, Dominus SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex Poloniæ, Dominus, & Affinis noſter chariſſimus, ſuo proprio, ac Illuſtriſſimarum Sororum ſuarum tutorio nomine, unam ex illis ipſis Sacræ ſuæ Regiæ Maieſtatis dilectiſſimis Sororibus, nempe Illuſtriſſimam Virginem Dominam SOPHIAM ſcientem, & aſſentientem, accedente quoque expreſſo conſenſu Sereniſſimæ Principis Dominæ, Dominæ BONÆ Dei Gratia Reginæ Poloniæ, Matris ſuæ chariſſimæ, Nobis ſupramemorato HENRICO Duci Brunſvicenſi id ipſum per Oratores, & Mandatarios noſtros, ſcilicet Principem JOACHIMUM Ducem Monſterbergenſem, Stephanum Fabri, & Lucam Bachſchezdt ad hoc negotium tractandum, & peragendum cum ſufficienti Mandato, & pleniſſima facultate miſſos, vehementer poſtulanti in Matrimonium promiſit, deſpondit, & collocavit iuxta tenorem Pactorum, & Literarum Sponſalium Vilnæ XXX. die Menſis Decembris confectarum, & datarum, atque in illis inter cætera expreſſe, & præcipue continetur, quomodo, & in quibus Bonis, vel poſſeſſionibus, Nos eidem Illuſtriſſimæ Uxori noſtræ Dotem, & Contradotem, ſive Donationem propter Nuptias, quæ faciunt in una Summa ſexaginta quatuor millia aureorum Hungaricorum probi auri, & iuſti ponderis, & præterea quatuor millia ducentos ſexaginta ſex aureos eiusdem valoris, & ponderis certorum, & ordinariorum proventuum, ac redituum, ex iam ſpecificata Summa Capitali, annatim percipiendorum aſſignare, obligare, inſcribere, & demonſtrare debeamus. Ideo ad implendum eiusmodi Pactum, & Conventum, cum Nuptiæ iuxta ſolennem Ritum Eccleſiæ Catholicæ integraliter ſunt celebratæ, & conſummatæ, Nos HENRICUS Dux Brunſvicenſis prædictæ chariſſimæ Uxori noſtræ Dominæ SOPHIÆ ſupra deſignatam Summam capitalem Dotis, & Contradotis, ſive Donationis propter Nuptias, nempe ſexaginta quatuor millia aureorum Hungaricorum probi auri, & iuſti ponderis, nec non quatuor millia Ducatos ſexaginta ſex aureos ſimiles certorum redituum, & proventuum, exinde annuatim percipiendorum aſſignavimus, obligavimus, inſcripſimus, & demonſtravimus, ac vigore Præſentium meliori forma Juris, & conſvetudinis cuiuſvis loci aſſignamus, obligamus, inſcribimus, & demonſtramus in his noſtis Bonis, nimirum in Arcibus Jerxeim, & Schoningen, eique Arci ſubiecta Urbe eiusdem nominis cum univerſis, & ſingulis ad eas attinentibus Pagis, villis, curiis, ædificiis, molendinis, hominibus, cenſibus, decimis, reditibus, gregibus, armentis, advocatiis, ſervitiis, Feudis Eccleſiaſticis, ſylvis, piſcinis, lacubus, aquis, venationibus, aucupiis, piſcationibus, & quibusvis aliis utilitatibus, & omni eorum omnium libertate, ſuperioritate, Jurisdictione, mero, & mixto Dominio, edictis, interdictis, pœnis, mulctis, & omnibus aliis rebus, atque commodis, nullis penitus exceptis, quæ hactenus ad ea ipſa Bona pertinuerunt, & pertinent, ita ut de proventibus, ac reditibus earundem *Arcium*, & Urbis, & annexorum eis Bonorum, certis, & anniverſariis, ad rationem ſingulorum quindecem aureorum Dotis, atque Donationis propter Nuptias ſupradictorum, unus aureus quotannis certo, & ſine ulla difficultate, atque diminutione vigore certi, & luculenti, noſtroque Sigillo obſignati Inventarii Sereniſſimo Regi Domino, & Affini noſtro Clementiſſimo, & Chariſſima tranſmiſſi, ipſi proveniat, exceptis venationibus, aucupiis, ſervitiis ſubditorum, pœnis, mulctis, donariis, atque aliis quibusvis incertis, & fortuitis emolumentis, quæ ad rationem ſupradictorum proventuum explendam annumerari non debebunt, nihilominus tamen ad uſum, & uſumfructum eorum ipſorum Bonorum pertinebunt. ANNO 1556.

Quod ſi quæ Pars, ſive emolumenta ſupramemoratorum Bonorum oppignorata, vel alioqui gravata fuerit, vel fuerint, nihil id ad Dominam SOPHIAM Uxorem noſtram chariſſimam attinebit, imo Nos, Hæredeſve, & Succeſſores noſtri eam, vel ea ipſi Uxori noſtræ ſine ullo ſumptu ac damno eius redimere, & libera præſtare debebimus.

Conſentimus etiam, ac promittimus, quod omnes Præfecti, Adminiſtratores, Quæſtores, Officiarii, & Magiſtratus ſupramemoratarum Arcium, Urbis, Bonorumque ad eas attinentium præſentes, & pro tempore futuri promittent, & iurabunt, ſe poſt mortem noſtram Dominæ SOPHIÆ uti Uxori noſtræ legitimæ, ac Dominæ Dotalitiæ ea ipſa Bona ſine ulla tergiverſatione, & difficultate tradituros, quandocunque illa eorum poſſeſſionem adire, & in poteſtatem ſuam redige-

Annore per se ipsam, vel per aliquem alium
1556. volet, ac debebit.

Ad hæc etiam curabimus, ut omnes, & singuli nostri dictarum Arcium, & Urbis, ac annexorum eis Bonorum subditi cuiusvis Ordinis, atque Conditionis, iam statim, & quoties opus fuerit, eidem Uxori nostræ Dominæ Sophiæ Homagium, & Juramentum præstent, se post mortem nostram, ipsi uti Dominæ Dotalitiæ perpetuo subiectos fideles, ac dicto audientes fore, incommoda, & pericula eius præmonituros, & pro viribus suis aversuros, commoda vero sedulo curaturos esse, non secus quam nostrimet, cui Hæreditario Jure obligati sunt, secundum tenorem Literarum super hoc datarum.

Præterea relinquimus quoque sæpedictæ Uxori nostræ charissimæ potestatem, quando erit in possessione supradictorum Bonorum, conferendi omnia Sacerdotia, & Beneficia Ecclesiastica vacantia in iis ipsis Bonis, nec non præbendi assensum ad permutationes eorum, quatenus ea ad Collationem nostram pertinuerunt. Sæcularia vero Feuda Nobilium, & ignobilium, servitiaque Nobilium in iisdem Bonis, itemque expeditiones bellicas, & exactiones publicas Nobis, Hæredibusque, & Successoribus nostris salvas, & liberas reservamus sine ullo impedimento Uxoris nostræ charissimæ, & cuiusvis alterius. Ipsa tamen nostra Coniux de proventibus, & Bonis suis propriis libera, & immunis a quibusvis exactionibus esse debebit.

Reservatur Nobis quoque expresse, quod tempore belli, & necessitatis pateant Nobis, Hæredibusque, & Successoribus nostris Ducibus Brunsvicensibus aditus, & fores supradictarum Arcium, Vrbis, & aliarum munitionum ad eas attinentium, sic tamen ut Nos, ac Hæredes, & Successores nostri proprium nostrum sumptum ibi faciamus, sine ullo incommodo, ac damno eiusdem Vxoris nostræ dilectissimæ. Si vero ipsi aliquod damnum, aut incommodum ex huiusmodi patefactione munitionum, & expeditione cuiusque modi in iisdem Bonis, ipsorum incendio, vel alio quovis modo datum, & conciliatum fuerit, aut si ipsi dictæ Arces, & Vrbs, sive quid aliud ad eas pertinens, quocunque modo ademptum, aut alioqui labefactum, & pessundatum fuerit, ita ut ea reditus, & proventus suos, quemadmodum supra expressi, & commemorati sunt, integros inde adipisci, aut commode in iis Bonis habitare nequeat, debebunt ipsi eiusmodi incommoda, & detrimenta, aliis æque Bonis, & fructuosis Arcibus, Urbibus, possessionibus, atque Bonis a Nobis, Hæ- Anno
redibusve, & Successoribus nostris sarci- 1556.
ri, compensari intra spatium sex mensium, posteaquam id ipsa requisiverit; Nosque, Hæredesve, & Successores nostri debebimus ipsam Dominam Sophiam Coniugem nostram charissimam in iisdem Bonis ex causa Dotis, ac Donationis propter Nuptias, atq; etiam Doni nuptialis in matrimonialibus, & aliis desuper datis Literis constituti, ipsi obligatis, sive obligandis, demonstratis, seu demonstrandis, eorumque munitionibus, reditibus, atque commodis quovis tempore, & casu contra quemvis tueri, & defendere, perinde, atque alios subditos, Ditionesve nostras, absque ipsius Uxoris nostræ sumptu, ac damno. Ipsa vero non debebit ullo unquam tempore eas Arces, & Urbem, ueque ullam prorsus Munitionem supradictis Nominibus ad se pertinentem, cuiquam alii patefacere, aut in cuiusquam potentioris potestatem, ac defensionem tradere, neque ulla *Pacta*, seu Fædera earum Munitionum, atque Bonorum causa, cum quopiam inire sine scientia, & permissu nostro, Hæredumve, & Successorum nostrorum, cum eo præsertim, in quem Nos sive Hæredes et Successores nostri potestatem habere non possemus, præterquam si ea vim, vel iniuriam aliquam (quod tamen absit) a nostris Haeredibus, et Successoribus pateretur, hoc enim eventu propinquorum necessariorum, et amicorum suorum cuiuscunque Status, atque dignitatis protectioni sese, Bonaque illa sua committere potest, ab eiusmodi vi, et iniuria vindicanda.

Debebit item ea, omnes illorum ipsorum Bonorum Subditos Ecclesiasticos, et saeculares in Juribus, et *Privilegiis*, Immunitatibus, et receptis moribus ipsorum conservare, quemadmodnm Nos conservavimus, et conservamus, neque ulla re eos praegravare, ac ne Bona quidem ipsa Feudis, vel alio quovis modo gravabit. Conservabit etiam sarta, tecta aedificiorum in tectis, et postibus in suo vigore, ad nova vero aedificia extruenda obligata non erit. *Praeterea* si ex illis ipsius saepius allegatis Bonis, supramemorati reditus quatuor millium ducentorum sexaginta sex aureorum ratione Dotis, atque Donationis propter Nuptias recte quotannis provenire non posse videbuntur, quidquid deerit ad rationem praedictarum summarum, et proventuum, id omne Nos de expeditissimis Salinarum Libenhallensium reditibus supplere, certaque Inscriptione in omne tempus praestare debebimus. Si

vero

ANNO 1556. vero ne Salinae quidem illae ad explendos eos proventus anniversarios suffecerint, aut si qui adverso casu, sine culpa ipsius nostrae chariſſimae Coniugis earum Salinarum, atque etiam supraſcriptorum Bonorum proventus imminuti fuerint, Nos, Hæredesve, et Succeſſores nostri id quidquid deerit in aliis nostris certis Bonis demonstrare, et assecurare debebimus, ita ut eidem Dominae SOPHIAE Uxori nostrae, Dotis, *D*onationisque propter Nuptias, quemadmodum supramemoratum est satis cautum, ac provisum sit in omne tempus.

Licebit autem etiam Sereniſſimo Regi SIGISMUNDO AUGUSUTO *D*omino, et Affini nostro chariſſimo illa ipsa Bona, eorumque proventus, et utilitates quotiescunque voluerit per *P*rocuratores suos inspicere, et perlustrare, ac ad id quoque adhibere hoc Inventarium, quod suae Regiae Maiestati nostro Sigillo obsignatum transmisimus.

Porro si qua debita Nos, et dilectiſſima nostra Coniunx, sive alteruter nostrum, donec ambo vivimus, contraxerimus, vel contraxerit, a nostris *D*ucis HENRICI Haeredibus, ea solvi debebunt, sine ullo incommodo, ac detrimento eiusdem Uxoris nostrae chariſſimae. Sin autem ipsa nostra Coniunx, cum fuerit in possessione, et usu fructu Bonorum supradictorum æris alieni quippiam fecerit, ac post se reliquerit, Haeredes ipsius id solvent, sine ullo nostrorum Haeredum incommodo, et molestia. Nos vero *D*ux HENRICUS non debebimus de cuiusque modi supellectili supramemoratae Illuſtriſſimae Uxoris nostrae, sive importata, sive postea acquisita ullo unquam tempore quidquam alienare, diminuere, aut oppignorare, nisi si qua urgens necessitas id postulaverit tunc de consensu eiusdem Uxoris nostrae id facere poterimus, sic tamen ut id quidquid alienandum, vel oppignorandum erit, a fide dignis hominibus Jureiurando intermedio prius aestimetur. *P*ostea vero, vel ipsae res, vel iustum earum pretium ipsi *D*ominae SOPHIAE *C*oniugi nostrae chariſſimae, vel post ipsius obitum Succeſſoribus suis, ut infra explicabitur, Nos HENRICUS Dux, Hæredesve, & Succeſſores nostri restituere debebimus.

Praeterea cum omnes ex æquo morti sumus obnoxii, volumus (prout etiam utrinque conventum est) si Nos prius, quam nostra Uxor chariſſima Domina SOPHIA vita exceſſerimus, susceptis & relictis ex ea Liberis impuberibus, & minorennibus, ut ii Tutoribus quemadmodum par est, & receptus mos apud Domum Brunsvicensem servatur, provideantur. Ipsa vero nostra Uxor relicta, etiamsi nondum tota Dos numerata esset, sine mora ad obligata, & inscripta sibi, ut supra cautum est, Bona se conferat, eisque utatur, fruatur & inde sese cum Familia sua sustentet, sine impedimento cuiuscunque, hac tamen Conditione, ut si tota Dos intra constitutum biennium exoluta non erit, post illud ipsum biennium pro portione non solutae pecuniae, etiam de reditibus, & usu fructu eius detrahatur tantisper, dum residuum quoque exolvatur. ANNO 1556.

Auferat autem secum cunctam supellectilem cuiusque generis, & materiae quaecunque ipsi, gyneceoque ipsius Nobis viventibus in usu fuit, itemque aurum, argentum, clenodia, pecuniam, vestes, iumenta, et omnem aliam supellectilem importatam, et comparatam a Nobis datam, et suppeditatam, sive a quovis alio donatam, seu quocunque alio iusto titulo quaesitam, quantacunque, et qualiscunque ea fuerit, libere secum asportabit, liberamque his omnibus utendi, fruendi, et arbitratu suo de iis disponendi facultatem habebit in vita, et in morte.

Cedent ipsi etiam greges omnes, & armenta, & alia quaevis animalia, itemque cuncta supellex, & Instrumentum omne rusticum, & domesticum, penuque vini, fructuum, frugum, olerum, & omnium aliarum rerum ad vitam hominum, iumentorum, & quorumvis animalium sustentandam pertinentium, quaecunque in supramemoratis Arcibus, Oppidis, Praediis, rusticis, & urbanis, domibus, atque Bonis tunc recondita, vel etiam tum recondenda extabunt, & reperientur iuxta certum, & luculentum Inventarium, tunc temporis super his omnibus, & singulis rebus conficiendum. Debebit autem ea in iisdem Bonis sibi inscriptis, & obligatis ad minimum unius integri anni fructus reconditos reperire. Quodsi quid ex iis desiderabitur, id Haeredes nostri, seu Tutores eorum sine mora aliunde supplere tenebuntur, atque hoc modo segregata erit a Liberis suis, nisi, quod ei licere volumus, Filios parvulos, Filias vero quavis aetate apud se educare, non suis tamen, sed ipsorum Liberorum sumptibus, pro dignitate ipsorum ei suppeditandis. Ad haec si forte saepedicta Domina SOPHIA Vxor nostra chariſſima post obitum nostrum alii nubere, vel Ducatu nostro excedere voluerit, habebit ea nihilominus, quoad vixerit usum fructum eorundem Bonorum. Sed utroque hoc casu in potestate Haere-

ANNO 1556. dum, & Succeſſorum noſtrorum eſſe volumus omnia ea Bona (univerſe tamen, & non particulatim) ab ipſa redimere poſſe, repoſita, & numerata ſimul ſumma Dotis, atque Donationis propter Nuptias. Poterit autem eiusmodi Redemptio quovis anno fieri, ſed non niſi ad Feſtum Purificationis Sanctæ Matris Dei Mariæ, atque ita quidem, ut prius ipſa Domina SOPHIA Vxor noſtra chariſſima ad Feſtum S. Michaelis Archangeli de ea Redemptione ſcripto præmoneatur, ipſa tamen non habebit facultatem tollendi eam pecuniam, niſi ſufficientem cautionem dederit, quod poſt obitum eius, Donatio quidem propter Nuptias, noſtris Ducis HENRICI Liberis, & Hæredibus intra ſex Menſes in Wolffenbuttel, Dos vero Sereniſſimo Regi SIGISMUNDO AUGUSTO, Succeſſoribusve eius Regibus Poloniæ, ſi nullos ipſa Domina SOPHIA Liberos reliquerit, Poſnaniæ, intra ſex Menſes reſtituetur, & renumerabitur, ſive autem ipſa manſerit in iis Bonis, donec vivet, ſive iis exceſſerit, & ſive nupſerit denuo, ſive non, debebunt ea ſine gravamine, & diminutione conſervari, ita ut poſt mortem ipſius integra, ſine ullo impedimento ad Hæredes noſtros legitimos revertantur. Quovis autem caſu tormenta bellica, arma, & quæcunque ad defenſionem munitionum pertinent, itemque ſupellex, & inſtrumentum, ac penu omne eodem modo, quantitate, et numero, quibus ipſi Dominæ SOPHIÆ Vxori noſtræ chariſſimae iuxta ſupramemorati Inventarii tenorem tradita fuerunt, in illis ipſis Arcibus, Vrbe, et Bonis relinqui debebunt. Quidquid etiam de Dote, Dono nuptiali, parapherna ſupellectili, aliisve cuiusque modi facultatibus moriens reliquerit, omnium eorum legitima portio, Liberis ipſius ſuperſtitibus ex Nobis Duce HENRICO quæſitis, cedere debebit, etiamſi ea ex alio Matrimonio alios Liberos relinquat.

Reſervamus autem in defectu maſculorum Liberorum ex hoc noſtro Matrimonio aliis noſtris Hæredibus, & Succeſſoribus, quod ii poſt mortem Coniugis noſtræ Dominæ SOPHIÆ Bona illa, in quibus Dos, ac Donatio propter Nuptias obligata, & inſcripta ſunt, de manibus Hæredum ſuorum triginta duobus millibus Hungaricis aureis redimere poterunt, ſimul, & ſemel, quocunque anno voluerint, ſic tamen, ut illis ea redemptio ſex Menſium ſpatio prius denuntietur, nec niſi ad Feſtum Purificationis Sanctæ Mariæ fiat.

Debebunt inſuper Filiæ noſtræ, ſi quæ cum Coniuge noſtra chariſſima Domina SOPHIA quæſitæ fuerint, et Nobis in Principatu non ſuccedent, de Bonis noſtris pro Dignitate Ducali dotari. Cæterum ſi nulli prorſus Liberi ex hoc noſtro Matrimonio ſuſcepti, vel poſt mortem noſtram relicti fuerint, eodem modo, quo ſupra expreſſum eſt, Vxor noſtra chariſſima Domina SOPHIA ſtatim poſt mortem noſtram adibit poſſeſſionem Arcium, Vrbis, Bonorumque, et Proventuum quorumvis Dotis, Donationis propter Nuptias, ac Doni nuptialis nominibus ſibi obligatorum, ac demonſtratorum, eaque, ſicut dictum eſt, inſtructa omnibus rebus non inania accipere, et quoad vixerit, libere iis, et arbitratu ſuo uti frui debebit, ſine cuiusquam impedimento. ANNO 1556.

Debebit etiam cedere tertia pars veſtium, et elenodiorum noſtrorum. Poſt obitum vero ipſius Contrados quidem, ſive Donatio propter Nuptias ad proximos, et legimos Hæredes noſtros revertetur, et recidet. Quod autem attinet ad Dotem, paraphernam ſupellectilem, et quaslibet facultates, et Bona, ſive poſſeſſiones, quas eadem Vxor noſtra cariſſima iuſto titulo acquiſiverit, ſiquidem ea ex alio Matrimonio Liberos ſuperſtites reliquerit, iis illa omnia, quæcunque relicta, neque ullo modo ab ipſa vivente alienata erunt, cedere debebunt. Si autem nullos omnino reliquerit Liberos, Sereniſſimo Regi SIGISMUNDO AUGUSTO, vel Succeſſoribus eius Regibus Poloniæ ea reſtitui, atque Procuratoribus eius, vel Succeſſorum ipſius ad amuſſim bona fide, et ſecundum iuſta, et vera Inventaria, aſſignari Poſnaniæ intra octo Menſes poſt mortem eius proximos ab Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris legitimis debebunt, quatenus tamen ea ad ſecundas Nuptias non convolarit, atque e Ditione Brunſvicenſi ea non exportarit. Hoc enim caſu Sereniſſimus Rex SIGISMUNDUS AUGUSTUS, vel Succeſſores eius Reges Poloniæ, non ab Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris, ſed aliunde ea omnia præter Dotem, Donumque nuptiale, de quo utroque reſtituendo, uti ſupraſcriptum eſt, caveri debet, repetere oportebit. Sin autem intra præſcriptum ſpatium temporis ab Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris ea non redderentur, et ſolverentur, licebit ſupradicto Regi vel Succeſſoribus eius absq; ullo obſtaculo Haeredum, et Succeſſorum noſtrorum hypothecam Bonorum iis nominibus, ut ſupradictum eſt, obligatorum, cum omni uſu fructu, et eo, quod intereſt, retinere tantiſper, donec ea omnia, ſicut iam cautum eſt, reddantur. Itidem autem ſi Nos

Dux

Anno 1556. Dux Henricus ſupramemoratus Vxori noſtræ Dominæ Sophiæ ſuperſtes fuerimus nullis exiſtentibus, et ſuperſtitibus ex hoc noſtro Matrimonio Liberis, cedet Nobis tertia pars veſtium, et clenodiorum omnium ab ipſa relictorum. Reliquas autem duas partes, Nos, vel Haeredes, et Succeſſores noſtri intra ſex Menſes a morte ipſius, Sereniſſimo Regi Sigismundo Augusto, vel Succeſſoribus eius Regibus Poloniae reddere debebimus. Dotem vero intra biennium duabus penſionibus Poſnaniae reſtituamus, dimidiam quidem eius intra vertentem annum, reliquam vero intra alterum ſubſequentem a morte eiusdem Uxoris noſtrae chariſſimae.

Salva itidem Regi Sigismundo Augusto, vel Succeſſoribus eius Regibus Poloniae hypotheca Bonorum cum uſu fructu, ſeu interreſſe, ſi haec intra praeſcripta tempora non praeſtiterimus. Quodque ea omnia, et ſingula in his Literis contenta, a Nobis, noſtrisque Haeredibus, et Succeſſoribus ſine omni fraude firmiter irrenovabiliterque ſervari, praeſtari, et exequi debebunt, id Nos noſtro, illorumque omnium nomine mediante bona fide per verbum veritatis ſpondemus, et promittimus, expreſſe renuntiantes omnibus, et ſingulis tam Canonicis, quam Civilibus Juribus, Conſtitutionibus, Privilegiis, Beneficiis, Abſolutionibus, Diſpenſationibus, ac aliis quibuſcunque exceptionibus, quae Nos, Haeredes, et Succeſſores noſtros, quovis modo contra hanc noſtram obligationem relevare poſſent, remotis omnibus dolo, ſiniſtra machinatione, et tergiverſatione iam nunc excogitatis, vel excogitandis, ſub paena Pactis ſponſalibus expreſſa. In quorum omnium fidem, et teſtimonium etc.

## VI.

### *Reformationis Reverſales Lib. Legationum Lit. P. fol. 425.*

Sigismundus Augustus DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. Notum facimus omnibus, & ſingulis, Tenore harum Literarum noſtrarum. Quod cum Illuſtriſſimus Dominus Henricus Junior Dux Brunſvicenſis, & Luneburgenſis Affinis noſter chariſſimus, Illuſtriſſimam Dominam Sophiam &c. Sororem noſtram chariſſimam Nobis deſpondentibus, & elocantibus, Uxorem duxiſſet, obligavit, inſcripſit, reformavit, & aſſecuravit Illuſtriſſimæ Dominae eius Dotem, atque Donationem propter Nuptias ſive Contradotem, una cum ſuis certis reditibus, & proventibus, eamque Obligationem, Inſcriptionem, Reformationem, & Aſſecurationem ipſi tradidit. Anno 1556. his, quæ ſequuntur, verbis conſcriptam.

*Nos* Henricus *&c.*

Quam quidem Obligationem, & Reformationem, Nos pro Nobis, & ſupramemorata Illuſtriſſima Sorore noſtra, eiusque Hæredibus ratam habentes, & approbantes, ſub verbo, & honore noſtro Regio, & pœna Pactis Sponſalibus expreſſa promittimus, & recipimus in omnibus punctis, & clauſulis; quatenus ad Nos, eandemque Illuſtriſſimam Sororem noſtram, & Haeredes eius pertinebit, firmiter, & inviolabiliter conſervaturos, & impleturos, eique fidem habituros, neque contra eam quidquam unquam per Nos ipſos, ſeu per alium quemvis tentaturos eſſe. In cuius Rei fidem &c.

Et Nos Sophia Dei Gratia nata Reginula &c. Ad maiorem eius rei firmitatem Sigillum noſtrum hiſce Literis appendimus, ac per id Nos, Haeredesque, & Succeſſores noſtros obligamus, & adſtringimus, ſupraſcriptas Literas in omnibus Punctis, & Clauſulis, quatenus ad Nos pertinent, firmiter, & inviolabiliter conſervaturas, & conſervaturos eſſe. Dat. &c.

## VII.

### *Doni Nuptialis decem millium aureorum Inſcriptio. Lib. Legationum Lit. P. fol. 411.*

Nos Dei Gratia Henricus Junior Dux Brunſvicenſis, & Luneburgenſis pro Nobis ac Haeredibus, & Succeſſoribus noſtris notum facimus Tenore Praeſentium, omnibus quorum intereſt, aut intereſſe poterit. Quandoquidem in Pactis, & Literis Sponſalibus inter Nos, & Sereniſſimam Uxorem noſtram Dominam Sophiam natam Reginulam Poloniae, confectis, & conſcriptis inter caetera comprehenſum eſt, quod Nos Suae Serenitati poſtridie poſt conſummatas Nuptias Doni Nuptialis nomine, quod *Morgengab* dicitur, decem millia Aureorum Hungaricorum probi auri, & iuſti ponderis, attribuere, aſſignare, obligare, & inſcribere debeamus, ita ut a ſingulis quindecim aureis, qui faciunt in una Summa ſexentos ſexaginta ſex aureos, certorum, ac ordinariorum proventuum, ac redituum ſine ulla difficultate quotannis provenire queat, prout haec omnia in dictis Matrimonialibus Literis ulterius deducuntur, et continentur. Quod Nos propterea praememoratae chariſſimae Uxori noſtrae, iam ſpecificatam Summam Ca-

Anno 1556. pitalem, ſcilicet Donum nuptiale, atque proventus, ac reditus exinde annuatim percipiendos attribuimus, aſſignavimus, obligavimus, et inſcripſimus, atque vigore Praeſentium in meliori forma Juris, et conſvetudinis aut morum cuiuſcunque loci attribuimus, aſſignamus, obligamus, et inſcribimus, nimirum in arcibus, et urbe Jerxeim ac Schoningen, et annexis Bonis, eorumque reditibus certis, et anniverſariis ultra 4266. aureorum proventuum Dotis, et Donationis propter Nuptias nominibus ipſi obligatorum, et inſcriptorum excreſcentibus. Quod ſi vero ex illis ipſis bonis, et reditibus excreſcentibus, ſupramemorati reditus ſexcentorum ſexaginta ſex aureorum, ratione *Doni* nuptialis recte quotannis provenire non poſſe videbuntur, quidquid deerit ad rationem praedictae Summae, et proventuum, id omne Nos de expeditiſſimis ſalinarum Libenhallenſium reditibus ſupplere, certaque Inſcriptione in omne tempus praeſtare debebimus. Si vero ne Salinae quidem illae ad explendos eos proventus anniverſarios ſuffecerint, aut ſi quo adverſo caſu, ſine culpa ipſius Dominae Sophiæ Uxoris noſtrae chariſſimae earum Salinarum, atque etiam ſupraſcriptorum Bonorum proventus imminuti fuerint; Nos in aliis certis Bonis noſtris id, quidquid deerit, demonſtrare, et aſſecurare debebimus, Haeredesve, et Succeſſores noſtri debebunt. Ita ut eidem Uxori noſtrae chariſſimae Doni Nuptialis nomine, quemadmodum ſupramemoratum eſt, ſatis cautum, et proviſum ſit in omne tempus. Licebit autem etiam Sereniſſimo Regi Poloniae Sigismundo Augusto, Domino, et Affini noſtro chariſſimo, illa ipſa Bona, eorumque proventus, et utilitates, quotieſcunque voluerit, per Procuratores ſuos inſpicere, & perluſtrare, ac ad id quoque adhibere hoc Inventarium, quod ſuae Regiae Maieſtati noſtro Sigillo obſignatum tranſmiſimus. Erit autem in arbitrio, & poteſtate Dominae Sophiæ per hoc omne tempus vitae ipſius, ſive habuerit ex hoc Matrimonio Nobiſcum Liberos, ſive non, illud ipſum Donum Nuptiale, uti propria Bona Donatione inter vivos, vel cauſa mortis donare cui voluerit, & in quos voluerit uſus convertere, ac diſponere de eo, quoeunque modo voluerit, ſive univerſe, ſive particulatim etiam Teſtamento, & Codicillo. Cuicunque autem id ea donaverit, ſive legaverit, vel utcunque de eo diſpoſuerit, id ita ratum habere, & praeſtare Nos Dux Henricus, Haeredesque, & Succeſſores noſtri debebimus. Habebimus tamen Nos, & Haeredes, Succeſſoresque noſtri liberam facultatem Donum id Nuptiale Uxori noſtrae chariſſimae Dominae Sophiæ ſic obligatum, decem millibus aureorum, ut ſupra memoratum eſt, quandocunque voluerimus, redimendi, ſine ullo cuiusquam obſtaculo. Sin autem illa neque vivens, neque moriens quidquam de eo ipſo *Dono* nuptiali in parte, vel in toto diſpoſuerit, ad Liberos eius, vel ſi ii nulli extabunt, ad Sereniſſimum Regem Sigismundum Augustum, aliosque Legitimos eius Haeredes id optimo Jure devolvi, Nobisque, vel ipſis exolvi, & annumerari debebit. Salva tamen ipſi Regi, aliisque Legitimis Haeredibus ſuis hipotheca eorum ipſorum Bonorum cum uſu fructu, vel eo quod intereſt, quam diu id factum non fuerit. Quodque ea omnia, & ſingula in his Literis contenta, a Nobis, noſtrisque Haeredibus, & Succeſſoribus ſine omni fraude firmiter irrevocabiliterque ſervari, praeſtari, & exequi debebunt, id Nos noſtro, illorumque omnium nomine, mediante bona fide per verbum veritatis ſpondemus, ac promittimus, ſub pæna Pactis ſponſalibus expreſſa. Expreſſe renuntiantes omnibus, & ſingulis tam Canonici, quam Civilis Juris Conſtitutionibus, Privilegiis, & Beneficiis, Abſolutionibus, Diſpenſationibus, Conſvetudinibus, ac aliis quibuſcunque Juris, & facti exceptionibus, quae Nos, Haeredes, & Succeſſores noſtros quovis modo, contra hanc noſtram Obligationem relevare poſſent. Remotis omnibus dolo, ſiniſtra Machinatione, & tergiverſatione, iam nunc excogitatis vel excogitandis. In quorum omnium fidem &c.

Anno 1556.

## VIII.

Henricus *Junior Dux Brunſvicenſis pollicetur ſuo, & Succeſſorum ſuorum nomine, defenſionem Bonorum* Sophiæ *Coniugi ſuae in Dotem, & Contradotem obligatorum.* Dat. in Wulfenbuttel 25. Februari Anno 1556. *Ex Originali.*

Nos Dei Gratia Henricus Iunior Dux Brunſvicenſis & Luneburgenſis noſtro proprio, noſtrorumque Haeredum, & Succeſſorum nomine coram omnibus et ſingulis per praeſentes Literas fatemur, notumque facimus. Poſt quam in Contractu Matrimoniali inter Nos ex una, & Sereniſſimam Dominam Sophiam natam Reginam Poloniæ Coniugem noſtram chariſſimam ex altera *P*artibus promiſimus, & recepimus, iam modo dictam noſtram

ANNO 1556. ſtram Coniugem cum omnibus ſuis Bonis ratione *D*otalitii ſibi obligatis, quovis tempore perinde, atque alios noſtros Subditos, ac Ditiones noſtras defendere velle, ac debere iuxta prædictorum Sponſalium Pactorum tenorem. Ideo pro ſatisfactione eiuſmodi Obligationis, nec non ex ſingulari quodam amore, & affectione erga eandem Sereniſſimam Uxorem noſtram, vigore harum noſtrarum Literarum, eam ipſam noſtram Coniugem cum omnibus ſuis bonis, ſive ex cauſa Dotis, aut Donationis propter Nuptias, atque Doni Nuptialis ipſi obligatis, ſive obligandis, demonſtratis, vel demonſtrandis, eorumque munitionibus, reditibus, atque commodis, quovis tempore & caſu in noſtrum, noſtrarumque Hæredum legitimam Defenſionem, & Protectionem ſuſcepimus, volumuſque eam ipſam cum omnibus prædictis bonis, & ſubditis perinde atque alios noſtros ſubditos, Ditioneſque noſtras contra quemvis tueri, ac defendere ſine ipſius Dominæ SOPHIÆ damno ac ſumptu. Quæ omnia ſub noſtra bona principali fide ſic promittimus, & ſtipulamur pro Nobis ipſis, Hæredibuſque, & Succeſſoribus noſtris. In eorum autem omnium & ſingulorum evidens Teſtimonium, certamque fidem præſentes Literas confici curavimus, eaſque manu propria ſubſcripſimus, Sigillique noſtri appenſione corroborari fecimus. Datæ in Arce noſtra Wulfenbuttel die 25. Februarii Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto.

HENRICUS.

## IX.

*Recognitio Præfectorum, & Officialium Civitatum Jerxeim, & Schoningen de Juramento fidelitatis* SOPHIÆ *Duci præſtito vigore Mandati* HENRICI *Ducis.* Dat. Wulfenbutel. 25. Februarii An. 1556. *Ex Originali. Sigil. 4.*

NOs DEI Gratia HENRICUS Junior Dux Brunſvicenſis, & Luneburgenſis. Omnibus & Singulis noſtris Præfectis, Adminiſtratoribus, Procuratoribus, Quæſtoribus, & Officiariis ambarum noſtrarum Arcium Ierxeim & Schoningen, nec non Civitatis noſtræ Schoningen notum facimus. Quandoquidem in Contractu Matrimoniali, inter Nos, & Sereniſſimam Uxorem noſtram SOPHIAM natam Reginam *P*oloniæ condito, conventum, & conſtitutum eſt, quod vos omnes, ſimulque ſubditi prædictarum noſtrarum Arcium & Civitatis, quas ſuæ Serenitati ad Dotalitium inſcripſimus, Homagium, eidem & Iuramentum fidelitatis præſtare debetis. Quapropter vobis omnibus, & ſingulis noſtris ſupradictis *P*ræfectis, Adminiſtratoribus, Procuratoribus, Quæſtoribus, Officiariis, Civibus, & ſubditis ſupramemoratarum Arcium ſerio mandamus, & iniungimus, ut vos omnes, cuiuſcunque conditionis vel Ordinis ſitis, illico, & quamprimum a vobis poſtulatum, aut opus fuerit, ſuæ Serenitati Homagium, & Iuramentum præſtetis in hunc ſcilicet modum. Quod poſt noſtram HENRICI Ducis mortem, Serenitati eius, uti Dominæ Dotalitiæ perpetuo ſubiecti, fideles, ac dicto audientes eritis, perinde ac Nobis Ipſis, (Cui Hæreditario Jure ſubiecti eſtis) Incommoda ac pericula eius Serenitatis præmonebitis, & pro viribus veſtris avertetis. Commoda vero ſedulo curabitis, non ſecus quam noſtra propria, ac ſicuti probos, honeſtos, & obedientes ſubditos decet, ac a vobis uſque in hodiernum diem factum, & præſtitum eſt. Quodſi acciderit, ut præfata noſtra Coniunx poſt obitum noſtrum ſuperſtes ſit, obligataque, & præſcripta bona ſecundum præſcriptum dotalis & contradotalis Inſcriptionis adire, & ea in poteſtatem ſuam per ſe ipſam, vel per aliquem alium redigere velit, quod ea omnia ſuæ Serenitati, tanquam legitimæ Dotalitiæ Dominæ ſine ulla tergiverſatione & difficultate a vobis tradentur, & reſignabuntur, ob quam etiam cauſam Nos HENRICUS Dux Brunſvicenſis & Luneburgenſis, facta, et Nobis præſtita Iuramenta, ſive Homagia abrogando, caſſamus, et tollimus, voſque ad ſæpe fatam noſtram *C*hariſſimam Coniugem, tanquam propriam et genuinam Dominam remittimus, exceptis tamen, et reſervatis expeditionibus bellicis, foribus *P*atentibus, et exactionibus publicis, quæ omnia nobis Duci HENRICO, noſtrisque Hæredibus, et Succeſſoribus ſine ullo impedimento ſæpedictæ Uxoris noſtrae, et cuiuſvis alterius debent manere, et eſſe ſalvae. Volumus autem, et Praeſentium vigore iniungimus, ut et alii pro tempore futuri earundem Arcium et Urbis, annexorumq; bonorum Praefecti, Adminiſtratores, Procuratores, Quaeſtores, Magiſtri, Civium Conſules, et alii quivis Officiarii ac Magiſtratus, quoties opus fuerit, ſimile iusiurandum Serenitati eius praeſtent. In quorum fidem et evidens Teſtimonium Nos HENRICUS Dux Brunſvicenſis, et Luneburgenſis has noſtras Literas propria noſtra ſubſcri-

Anno 1556. ſubſcripſimus manu, eaſque appenſione Sigilli noſtri corroboravimus. Datae in Arce noſtra Wolfenbuttel vigeſima quinta die Februarii anno *D*omino milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto,

HENRICUS.

Nos autem Præfecti, Adminiſtratores, Procuratores, Quæſtores, et Officiarii prædictarum arcium et civitatis, omniumq; aliorum bonorum ad *D*otalitium pertinentium, coniunctim, et ſingulatim hiſce fatemur Literis, non ſolum ad ſupra ſcripta, verum etiam ad alia Literis dotalitiis, et Contractu matrimoniali inſerta, nos aſtrictos, et obligatos eſſe, Homagiaque et iuramenta eidem Sereniſſimæ *D*ominæ noſtræ Sophiæ ſecundum præſcriptam Formulam nos præſtitiſſe, ac bona fide pollicemur eidem *D*ominæ noſtræ, nos poſt mortem Illuſtriſſimi Principis noſtri *D*omini Henrici *D*ucis Brunſvicenſis eam ipſam Sereniſſimam *D*ominam noſtram Sophiam ad poſſeſſionem realem eorundem Bonorum libere admiſſuros, et quantum in nobis erit, introducturos, & in ea conſervaturos eſſe, omniaque absque omni exceptione, machinatione, dolo, et fraude firmiter ſervaturos et præſtituros, ad quæ illuſtriſſimus *D*ux *D*ominus noſter gratioſus ſe inſcripſit, et nos obligavit. In fidem et teſtimonium eorum omnium nos Georgius a Lippa et Harthowicus Scherfingk prædictarum arcium Præfecti, noſtris propriis Sigillis, manuque propria, et Nos prædictæ Civitates Senatores, et Conſules cum Secreto eiusdem Civitatis præſentes Literas ſigillavimus, ſubſcripſimus, et corroboravimus. *D*atæ in Wolffenbuttel vigeſima quinta die Februarii anno *D*omini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto.

X.

*Cautio* Henrici *Ducis Brunſvicenſis de Succeſſione in Ducatum Brunſvicenſem Prolis Maſculæ, ſi quam ex Matrimonio cum* Sophia *ſuſceperit, non obſtante, quod e priore Matrimonio* Julium *Filium ſuſceperit.* Datum in Wolffenbuttel 25. Februarii, Anno 1556. *Ex Originali.*

Nos Henricus Junior DEI Gratia Dux Brunſvicenſis, et Luneburgenſis omnibus quorum intereſt, aut interit pro Nobis, Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris fatemur, notum facimus. Quod cum Pactis ſponſalibus inter Sereniſſimum, Potentiſſimumque Principem, ac Dominum Dominum Sigismundum Augustum Regem Poloniæ, *D*ominum, et Affinem noſtrum chariſſimum, ſuo ipſius, et Illuſtriſſimæ Sororis ſuæ *D*ominæ Sophiæ Coniugis noſtræ chariſſimæ tutorio nomine ex una, et Nos ſupradictum *D*ucem Henricum ex altera partibus initis convenerit, ut ſi prædicta *D*omina noſtra Coniunx Prolem maſculam a Nobis ſuſceperit, quod ea Proles in omnibus Principatibus noſtris poſt mortem noſtram ſuccederet. Quapropter in eum eventum obligamus, inſcribimus, bonaque fide vigore harum noſtrarum Literarum pollicemur, quod ſi *D*eus Optimus Maximus Prolem maſculam (ut ſperamus, et optamus) ex hoc Matrimonio Nobis cum *D*omina Sophia Coniuge noſtra chariſſima conceſſerit, hic idem Filius ſuſceptus, aut ſi plures fuerint, ſemper maximus, aut maior natu poſt mortem noſtram in omnibus Principatibus, ac *D*ominatu terrarum, et hominum immediate ſuccedere debebit, non obſtante eo, quod e priore Matrimonio Filum nomine Julium ſuſcepimus, vel alium forte, ex alio Matrimonio poſtea ſuſciperemus. Idque ſic viventes conſtituemus, et omni ratione perficiemus ſine omni fraude, dolo, ac machinatione, quod noſtro, noſtrorumque Hæredum, et Succeſſorum nomine per verbum veritatis, et ſub pœna in Contractibus Matrimonialibus comprehenſa ſic ſpondemus, et promittimus. In eorum omnium fidem has noſtras Literas propria noſtra ſubſcripſimus manu, easque appenſione Sigilli noſtri corroboravimus. *D*atæ in Arce noſtra Wolffenbuttel vigeſima quinta Menſis Februarii Anno *D*omini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto. Anno 1556.

XI.

Sigismundi Augusti *Regis Promiſſio, quod decedente ſine Liberis Illuſtriſſima* Sophia *Sorore ſua, poſt reſtitutam ſibi Dotem triginta duorum millium aureorum Hungaricalium Civitatibus Jerxeim, & Schoningen, nec non Salinis Libenhalenſibus ſit ceſſurus. Lib. Legationum Lit. P. fol 426.*

Sigismundus Augustus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. Notum facimus omnibus quorum

ANNO rum intereſt, aut intererit. Quod cum Pactis 1556. ſponſalibus inter Nos, nomine tutorio Illuſtriſſ. Dominæ SOPHIÆ Sororis noſtræ chariſſimæ, & Illuſtriſſimum Dominum HENRICUM Juniorum Ducem Brunſvicenſem, & Luneburgenſem Affinem noſtrum chariſſimum initis diſerte convenerit, ut ſi illa ipſa Soror noſtra Regia nullis relictis Liberis, & ſuis Hæredibus, quod abſit, hac vita decederet, Dos triginta duum millium aureorum Hungaricalium ad Nos, aut poſt obitum noſtrum ad Succeſſores noſtros Reges Poloniæ revolveretur, eoque nomine Nos hypothecam bonorum Dotis atque donationis propter Nuptias cauſa ipſi Dominæ SOPHIÆ obligatorum, & reformatorum, eorumque uſumfructum, & Proventus 4266. aureorum Hungar. retineremus, vel Succeſſores noſtri retinerent, donec ſupra memorata Summa 32000. aureorum, proventusque retenti Nobis vel illis exolverentur. Cumque ſupra memoratus Dominus HENRICUS Dux Brunſvicenſis eam ipſam Dotem una cum compenſatione eius, ſive Donatione propter Nuptias in arcibus *Jerxeim, & Schoningen*, eique Arci ſubiecta urbe, & ad eas Arces, atque urbem attinentibus bonis, atque, ſi ea bona non ſufficerent, etiam in ſalinis Libenhallenſibus eidem Sorori noſtræ Illuſtriſſimæ obligaverit, inſcripſerit, & reformaverit, & in aliis item bonis, & proventibus, ſi ne hi quidem utrique modo expreſſi, ſatis erunt, obligare, inſcribere, & reformare promiſerit, quod ex ipſis Nuptialibus, itemque Reformatoriis, & earum Reverſalibus Literis ſatis conſtat; Propterea Nos pro Nobis, & Succeſſoribus noſtris Regibus Poloniæ promiſimus, & vigore harum Literarum noſtrarum promittimus eo caſu, ſi poſt mortem eiusdem Sororis noſtræ, nullos Liberos relinquentis illas ipſas Arces, Urbem, & cætera bona reformata 32000. aureorum nomine obtinuerimus, vel Succeſſores noſtri obtinebunt, quod eas, & ea libere, bona fide, & ſine ulla mora, difficultate, & renitentia Hæredibus, & Succeſſoribus ſupradicti Ducis HENRICI affinis noſtri chariſſimi reſtituemus, vel Succeſſores noſtri reſtituent, cum Nobis, vel illis 32000. aureorum renumerata, proventusque ex iisdem bonis debiti, ac retenti perſoluti fuerint. Salva tamen nihilominus Nobis, & Succeſſoribus noſtris hypotheca, & uſu fructu Doni Nuptialis in iisdem bonis eidem Sorori noſtræ obligata, & obligato, ſi idipſum donum, quemadmodum aliis Literis cautum eſt, prius redemptum, aut ab ipſa Sorore noſtra alienatum, & exhauſtum non fuerit. In quorum omnium &c.

Et Nos ſupra memorata SOPHIA &c. ad maius horum omnium robur, ſigillum noſtrum hisce Literis etiam appendimus, cuius vigore promitimus pro Nobis ipsis, Hæredibusque, et Succeſſoribus noſtris hæc omnia, quatenus ad Nos attinent, rata firma fore. Dat. &c. ANNO 1556.

## XII.

### *Eiusdem de Redemptione Doni nuptialis in iisdem Civitatibus inſcripti ſimiles Literæ. Lib. Legationum Lit. P. fol. 428.*

SIGISMUNDUS AUGUSTUS DEI Gratia Rex Poloniæ &c. Teſtatum facimus omnibus harum Literarum tenore pro nobis, Hæredibusq;, & Succeſſoribus noſtris, atque etiam pro Illuſtriſſima Domina SOPHIA &c. Sorore noſtra chariſſima, quod cum Illuſtriſſimus Princeps Dominus HENRICUS Junior Dux Brunſvicenſis, & Luneburgenſis Affinis noſter chariſſimus contracto cum eadem Illuſtriſſima Sorore noſtra Matrimonio, decem millia aureorum Hungaricorum Illuſtritati eius Doni nuptialis nomine, quod *Morgengabe* vocant, cum conſtituto inde certo proventu annuo ſexcentorum ſexaginta ſex aureorum ſimilium in Arce *Jerxeim*, & in Arce *Schoningen* cum Vrbe ſubiecta, & ad eas Arces, & Urbem pertinentibus Bonis, ad hæc autem ſi proventus eorum bonorum ultra proventus de Dote, ac Donatione propter Nuptias conſtitutos, excreſcentes ad id non ſufficerent, in ſalinis ſuis Libenhallenſibus, earumque expeditiſſimis quibusque reditibus inſcripſiſſet, obligaſſet, ac demonſtraſſet. Ac ſi quo caſu illa ipſa bona, et ſalinarum reditus iis omnibus Summis et proventibus conficiendis pares non eſſent, in aliis inſuper bonis id, quidquid deeſſet, ſe ſuppleturum, vel Hæredes, et Succeſſores ſuos ſuppleturos eſſe, promiſiſſet, et caviſſet, reſervavit ſibi, Hæredibusque, ac Succeſſoribus ſuis Jus redimendi, ac de iisdem bonis, et reditibus tollendi illud ipſum Donum nuptiale, Summa decem millium aureorum, debitorumque, ac retentorum inde proventuum, numerata, et exoluta, id quod ex ipſa inſcriptione eiusdem Doni nuptialis apparet, quæ talis eſt ad verbum.

*Nos Dei Gratia* HENRICUS *&c.*

Nos igitur noſtro proprio et ſupramemoratæ Sororis noſtræ Illuſtriſſimæ, Hæredumque, et Succeſſorum noſtrorum, et Illuſtritatis eius nominibus promiſimus, et recepimus ſub honore, et verbo noſtro Regio, et pœna Pactis ſponſali-

ANNO 1556. salibus expressa, harumque Literarum vigore promittimus, et recipimus, si usu venerit, vivente eadem Sorore nostra, vel defuncta, ut redemptio eius ipsius doni nuptialis secundum tenorem suprascriptæ literariæ Obligationis eius requiratur, Nos, ipsamque Sororem nostram, et utriusque nostrum Hæredes, et Successores ei locum daturos, neque impedimenti quidquam allaturos, quin & Literas obligationis eiusdem Doni Nuptialis reddituros esse, accepta dicta Summa decem millium aureorum, & Proventuum inde debitorum ac retentorum. Salva nihilominus & in suo vigore manente obligatione Dotis atque donationis propter Nuptias cum suis proventibus, in cuius rei fidem &c.

Et Nos supramemorata SOPHIA &c. ad maius robur eius rei, nostrum quoque Sigillum hisce literis appendimus, eiusque vigore Nos, & Hæredes, Successoresque nostros obligamus. Hæc, quatenus ad Nos pertinent, rata firma & intemerata fore. Datum &c.

XIII.

1558. *Recognito* HENRICI *Junioris Ducis Brunsvicensis, quod Dotem integram triginta duorum millium aureorum Hungaricorum a* SIGISMUNDO AUGUSTO *Rege acceperit.* Dat. in Wolffenbuttel die 13. Maii Anno 1558. *Ex Originali.*

HENRICUS Dei gratia Dux Brunsvicensis, & Luneburgensis. Significamus tenore Præsentium, omnibus, quorum interest, & intererit. Quod sicut inter Serenissimum Principem, & Dominum, Dominum SIGISMUNDUM AUGUSTUM Regem Poloniæ, Magnum Ducem Litvaniæ, Russiæ, totius Prussiæ, Masoviæ &c. Dominum & Hæredem Affinem nostrum, Pactis sponsalibus, & etiam speciali promisso Maiestatis eius convenerat de Dote 32000. aureorum Hungaricorum Illustrissimæ Principis Dominæ SOPHIÆ Regum Poloniæ, Magnorumque Ducum Litvaniæ &c. Stirpe ortæ, Uxoris nostræ charissimæ Nomine, intra Biennium tribus Pensionibus nobis numeranda, & exolvenda, numerata, & soluta iam sunt Nobis per manus Generosi Viri Domini Achatii de Ezemen Maiestatis eius Mandatarii ad hoc destinati, pro tertia, & ultima pensione reliqua duodecem millia aureorum Hungaricorum probi auri, & iusti Ponderis, sine ullo detrimento, & impendio nostro. Proinde Maiestatem eius, Successoresque Maiestatis eius Reges Poloniae, omnesque, & singulos, quorum id interest, aut intererit unquam ullo modo de supramemorata residua Summa 12000. Aureorum, & per consequens de Dote tota eiusdem Illustrissimae Dominae SOPHIÆ Uxoris nostrae charissimae, Nobis integre, & sine ulla diminutione, quemadmodum convenerat, numerata, & exoluta, quietam, & liberam, quietosque, & liberos praestamus pro Nobis, Haeredibusque, & Successoribus nostris. Remisimusque supramemoratae Regiae Maiestati Obligationem suam, de hac ipsa Dote numeranda Nobis sub Signo, & manu Maiestatis eius datam, quam etiam propterea cassam, & nullius momenti inposterum facimus hisce Literis nostris. In quorum omnium fidem, & robur perpetuum iisdem praesentibus Literis nostris manum nostram apposuimus, & Signum nostrum appendimus, quae datae sunt in Arce nostra Wulffenbuttel decima tertia die mensis Maii Anno ab Incarnatione Domini, & Salvatoris nostri JESU CHRISTI millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo. ANNO 1558.

HENRICUS.

XIV.

*Instructio Sacræ Regis Maiestatis nomine, Oratori ad* JULIUM *Ducem Brunsvicensem, & Luneburgensem delegato data, ne* SOPHIÆ, HENRICI *Ducis Brunsvicensis Parentis sui Viduæ, ratione Dotalitii ab eodem in certis bonis inscripti, negotium faceſſat.* Dat. Knissini d. 7. Octob. Anno 1569. *Ex Archivo Regni Lib. Legationum. Lit. V. Fol. 369.* 1569.

PROficiscens ad Illustrem Dominum JULIUM Ducem Brunsvicensem, & Luneburgensem Orator noster dabit operam, ut ex itinere ad Illustrem Principem Dominum JOACHIMUM Sacri Romani Imperii Electorem &c. Affinem nostrum charissimum deflectat. Ad quem ubi pervenerit, salutem illi nostram verbis, ac omnium rerum prosperrimos quosque successus precatus, sui adventus causam explicabit, ac dicet. Intellexisse Nos ex Literis, atque Nuntiis Illustris Dominae SOPHIÆ Ducis Brunsvicensis, & Luneburgensis, ac Poloniæ Infantis, Sororis nostræ charissimæ, Illustrem Principem Dominum JULIUM Ducem Brunsvicensem, ac Luneburgensem pravis quorundam

ANNO 1569. dam consiliis adductum Illustritati illius ratione Dotalitii, quod sibi Illustris quondam HENRICUS Dux Brunsvicensis, & Luneburgensis suæ Illustritatis Maritus in certis Bonis reformavit, & inscripsit, non parum negotii, atque molestiæ facessere. Eam autem rem Nobis maiorem omnium opinione dolorem attulisse, cum quod Illustrem Principem Sororem nostram charissimam singulari, ac vere fraterno amore prosequimur, illiusque incommodum nostrum ipsiusmet incommodum existimamus, tum quod acerbiores eæ accidunt iniuriæ, quæ ab iis inferuntur, a quibus propulsari etiam debuerunt. Ea est enim Illustri *Domino Duci* Brunsvicensi cum Illustri *Domina Duce* necessitudo, eaque suae Illustritatis in Illustrem *Dominum Ducem* beneficia, ut ab eo in hoc statu, præsertim viduali, & infirmo, iuvari potius, quam oppugnari, ac loco Parentis coli, & observari debuerit.

Quamobrem cum ea res acerba Nobis, & nimium molesta videretur, & tamen rem ad pacem, & concordiam deduci optaremus, designatum se a Nobis Orator dicet cum plena facultate ad eas controversias componendas, & sedandas, pacemque, ac concordiam inter Illustritates illarum constituendam. Etsi vero non exigua in spe simus Illustrem *Dominum* JULIUM *Ducem* Brunsvicensem potiorem, et affinitatis nostræ, et officii, quam quarumvis persvasionum rationem ducturum, tamen existimare Nos, auctoritate Illustris *Domini* Electoris Affinis nostri charissimi plurimum ad eam rem ponderis, atque momenti allaturam.

Quamobrem orabit Illustritatem illius verbis nostris Orator, ut pro ea affinitate, quæ Nobis, et Illustri *Domino Duci* Brunsvicensi intercedit, proque mutua coniunctione nostra, auctoritatem in eo suam interponat, ut cum Illustri Domino Duce Brunsvicensi agat, ne is se rerum suarum iudicem, atque arbitrum constituat, sed omnes eas controversias aliis iudicandas, ac decidendas permittat, Illustri vero Dominæ Duci Brunsvicensi debitum potius amorem, ac benevolentiam, præterquam eo nomine quicquam negotii, atque molestiæ exhibeat. Quibus dictis, nostrum vicissim studium, amorem, benevolentiamque eius Illustritati quam officiosissime deferet. Ubi vero ad Illustrem Dominum JULIUM Ducem Brunsvicensem Orator noster pervenerit, post solitam salutationem, & nostræ benevolentiæ delationem, dicet. Intellexisse Nos Illustritatem eius Illustri Dominæ Duci Brunsvicensi, & Luneburgensi Sororri nostræ charissimæ, ratione Dotalitii ab Illustri quondam HENRICO Duce Brunsvicensi, & Luneburgensi, Illustritatis eius Parente, & Illustris Dominæ Ducis Brunsvicensis Coniuge, eidem in certis bonis reformati, & inscripti, negotium facessere. Neque vero Nos omnino hoc ita esse Nobis persvadere, cum ob eam Affinitatem, & necessitudinem, quæ Nobis, & Illustri Dominæ Duci cum eius Illustritate intercedit, tum etiam ob eum amorem, ac benevolentiam, quam Illustris Domina Dux Soror nostra erga Illustritatem eius multis quidem rebus declaravit, sed tum maxime testata est, cum eius Illustritas in grave Illustris olim Parentis sui odium, & indignationem deveniset. Nihil enim tunc vel laboris, vel diligentiæ, vel assiduitatis prætermisit, ut eius Illustritatem Illustri Parenti suo reconciliaret, & in pristinæ gratiæ, & benevolentiæ locum reponeret, neque prius conquievit, quam re ad optatum exitum deducta, et perfecta. ANNO 1569.

Quæ cum ita se habeant, adduci Nos non posse, ut credamus Illustrem Dominum Ducem immemorem affinitatis, & coniunctionis nostræ, oblitum huius amoris, & benevolentiæ, talem se erga Illustrem Principem Sororem nostram charissimam exhibere, qualem minime conveniret, sed tamen ut commodius omnes controversiæ, si quæ sibi cum Illustri Domina Duce intercedunt, componi, ac sedari, ac certa, & perpetua inter utrasque Illustritates amicitia constitui, & stabiliri posset, missum se esse a nobis dicet Orator noster, plena cum facultate eas omnes controversias componendi, ac finiendi, idque ipsum literis Plenipotentiæ nostræ comprobabit.

Hortabitur autem Illustrem Dominum Ducem Brunsvicensem, ne is se ad eam pacificationem, & compositionem difficilem præbeat, sed ut in eo negotio, & affinitatis mutuæ nostræ & benevolentiæ Illustris Dominæ Ducis, erga illum, & sui officii rationem præcipuam habeat, ac suæ famæ, honori, ac existimationi consulat.

Cætera vero dexteritati, prudentiæ, fideique Oratoris nostri committenda esse duximus, qui pro ratione locorum, ac temporum, proque negotii natura, & necessitate, ac ipsius Illustris Dominæ Ducis voluntate, in iis controversiis componendis, ac sedandis universa, & singula geret, atque administrabit.

ANNO 1577.

## XV.

STEPHANI *Poloniæ Regis ad* RUDOLPHUM *Imp. Literæ, ut in cauſa Succeſſionis Bonorum poſt obitum* SOPHIÆ *Ducis iuxta Pacta ad ſe devolutorum Electores Saxoniæ, & Brandeburgenſem, ac* GEORGIUM FRIDERICUM *Marchionem ab Ansbach Judices conſtituat.* Dat. Mariemburgi die 8. Decembr. An. 1577. *Ex Archivo Regni Lib. Legationum ſub Lit. W. fol. 267.*

Sereniſſimo, & Excellentiſſimo Principi *D*omino RUDOLPHO, *D*ivina favente clementia Electo Romanorum Imperatori, ſemper Auguſto &c. Affini noſtro chariſſimo, & honorandiſſimo. STEPHANUS *D*ei Gratia Rex Poloniæ, Magnus *D*ux Litvaniæ &c. ſalutem, & omnis felicitatis continuum incrementum. Sereniſſime, & Excellentiſſime Princeps, *D*omine, Affinis chariſſime, & honorandiſſime. Exceſſit e vita annis ſuperioribus Illuſtriſſima Princeps *D*omina SOPHIA *D*uciſſa Brunſvicenſis ſoror germana Sereniſſimæ Coniugis noſtræ. Exceſſit autem tum, cum viveret Cæſarea Maieſtas *D*ivæ memoriæ Parens Maieſtatis veſtræ, & quidem exceſſit ſic, ut omnis hæreditas Illuſtritatis eius, quæ iure ipſo ad Sereniſſimam Coniugem noſtram, & Svecorum Reginas Sorores pertinebat, ab Illuſtri *D*omino *Erico Duce Brunſvicenſi*, *D*ueiſſæ ipſius mortuæ privigno, occuparetur. A quo quidem cum hæreditas illa per Sereniſſimam Coniugem noſtram peteretur, nihilque æqui ab eo obtineretur, Sereniſſima ipſa Coniunx noſtra, quæ tunc in Statu virginali fuit, ad Cæſareæ ipſius Maieſtatis, Parentis Maieſtatis Veſtræ præſidium, atque opem recurrerat, ut Maieſtatis eius authoritate, atque gratia, ad id, quod ſuum eſſet, poſſet pervenire. Ac dederat quidem Maieſtas ipſius ad *D*ucem Literas diligenter ſcriptas, ut quæ Sereniſſimæ Coniugi noſtræ deberentur, ea Serenitas eius cum *D*ucis ipſius venia primo quoque tempore conſequeretur, verum ad hoc quidem tempus neque obtinuit quicquam ex hæreditate illa, neque adeo ſcire poteſt, quidnam ad ipſas *D*ivi Parentis Maieſtatis veſtræ Literas a *D*uce illo reſponderetur. Rem igitur æquiſſimam, & exemplo *D*ivi Parentis ſui accommodatiſſimam Maieſtas veſtra fecerit, ſi Illuſtrem *D*ominum *D*ucem Brunſvicenſem per Literas ſuas diligenter admonuerit ad tradendam eam hæreditatem iis, quibus debetur, Reginis Sororibus, atque adeo Sereniſſimæ Coniugi noſtræ, quod niſi Illuſtritas eius fecerit, poſtulamus a Maieſtate Veſtra, ut iam tunc Commiſſarios ſuos ad eam rem cognoſcendam, & diiudicaudam deſignet Illuſtriſſimos *P*rincipes, & Dominos *Saxoniæ, & Brandeburgenſem* Electores, ac Illuſtrem *P*rincipem Dominum GEORGIUM FRIDERICUM *Marchionem ab Ansbach*, Nosq; ipſos de ea re faciat per Literas ſuas certiores. Nam cum ipſum quoque Sereniſſimum Svecorum Regem perſequi eam hæreditatem velle intelligamus, ex ea quidem parte, quæ Sereniſſimæ Coniugi Serenitatis eius debetur, tum vero Nos etiam ipſi in eo ſumus, ut non facile quicquam omiſſuri ſumus, quod ad recuperandam eam partem hæreditatis pertineat, quam Sereniſſimæ Coniugi ipſi Noſtræ deberi omni iure conſtat. Bene, diuque valere Maieſtatem Veſtram cupimus. Dat. Mariemburgi die 8. Decembris Anno *D*omini 1577. Regni vero noſtri Anno ſecundo

STEPHANVS *Rex mp.*

ANNO 1577.

## XVI.

*Procuratorium* STEPHANI *Regis Poloniæ.* Datum Grodnæ 21. Septembris Anno 1584. *Ex Archivo Regni.*

1584.

STEPHANUS Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniae, &c. ac Tranſilvaniae Princeps. Significamus praeſentibus Literis noſtris, quorum intereſt univerſis, & ſingulis, Nos conſtituiſſe Mandatarios, & Plenipotentes noſtros, videlicet Nobiles Martinum Skrzetuſki Secretarium noſtrum, & Vicecapitaneum Medzirecenſem, & Martinum Glogorſki Servitorem noſtrum, illisque commiſiſſe, ac dediſſe, prout hiſce praeſentibus committimus, atque damus poteſtatem, & facultatem ſe coram doctis, ac eruditis Juridicae facultatis Doctoribus in Academia Francofordienſi ad Oderam conſtitutis, & ubilibet ſiſtendi, & nomine noſtro libellos, ſcripturas, munimenta quævis ad cauſam, et Actionem noſtram neceſſaria offerendi, et alias pro neceſſitate capiendi, repetendi, tollendi, et ad ſe recipiendi, & ad noſtram Maieſtatem, vel ubi mandaverimus, deferendi, ſi opus eſt, proteſtandi, et alia licita, et Juriconſentanea alias iuxta receſſum commiſſorialem Francofordi factum, agendi, dicendi, faciendi, in forma ſufficientis mandati. In quorum fidem

ANNO 1584. fidem Sigillum noſtrum apprimi mandavimus. Datum Grodnae die 21. Menſis Septembris Anno Domini MDLXXXIV. Regni vero noſtri Anno nono.

STEPHANUS *Rex.*

## XVII.

*Procuratorium* JULII *Ducis Brunſvicenſium, & Luneburgenſium.* Dat. Henricopoli 24. Julii 1584. *Ex Archiv. Regni.*

NOs JULIUS Dei Gratia Dux Brunſvicenſis, et Luneburgenſis. Tenore praeſentium notum facimus omnibus quorum intereſt, aut intereſſe quacunque ratione poteſt, quod de certa Scientia noſtra in cauſa, quae con- et reconveniendo, inter Sereniſſimum, et Potentiſſimum Principem Dominum STEPHANUM Regem Poloniae, Magnum Ducem Litvaniae, Tranſilvaniae Principem etc. Affinem noſtrum dilectiſſimum ex una, et Nos ex altera parte coram Sacrae Caeſareae Romanae Maieſtatis Commiſſariis Illuſtriſſimis Principibus, Domino AUGUSTO Duce Saxoniae Sacri Somani Imperii Archimareſchalco etc. et Domino JOANNE GEORGIO Marchione Brandeburgenſi Sacri Romani Imperii Archicamerario, Principibus, Electoribus, Cognatis, et Affinibus noſtris amantiſſimis, Nobilem, diſcretos, honeſtos, et doctos viros Ottonem ab Hoim in Sbeck, Camerae noſtrae Conſiliarium, et Maximilianum Straſium Juris utriusque Doctorem, Procuratores, et Mandatarios noſtros coniunctim, et diviſim, et cum clauſula, quod ſi non omnes. Item ut omnes, vel alter eorum, et etiamnum hiſce praeſentibus Literis noſtris conſtituimus, omni meliori modo, Jure, ac ratione, qua id de Jure fieri poteſt, et debet ita, et ob eum modum, ut noſtro nomine coram amplisſimis, et doctisſimis Viris Dominis Doctoribus facultatis Juridicae Illuſtris Academiae Francofurdianæ ad Oderam ambo, vel unus eorum tantum compareant, a Magnifico Regio Oratore plenum, & ſufficiens Mandatum poſtulent, vel requirant, eiusque exemplar ad Acta reponi curent, aut ſi minus legitimum, & inſufficiens eſſe adinvenerint, contra illud excipiant, ab Actis reiici, atque ut aliud exhibeat, per Decretum ei imponi petant, noſtras proteſtationes, exceptiones, eventualem litis conteſtationem, ſingulares reſponſiones, defenſionales, & reconventionales exhibeant, & a Magnifico Regio Mandatario ad noſtras reconventiones, ſive mutuas petitiones & litis conteſtationem, ſingulares reſponſiones poſtulent, Juramenta dandorum, reſpondendorum calumniæ, & alia, quæcunque nullo excepto, etiamſi litis deciſivum ſit, & ſpeciale Mandatum requirant, ſi opus erit, Regio Mandatario deferant, eaque Nobis a Sereniſſimo, & Potentiſſimo Poloniæ Rege delata, aut per Judicis Decretum impoſita ſuſcipiant, præſtent, & in noſtram animam iurent, quæcunque a Regio Oratore adverſum Nos iudicialiter producentur, accipiant, contra ea excipiant, replicent, duplicent, triplicent, Teſtes producant, eosque debito Juramento conſtringi faciant, & ſi a Magnifico Regio Oratore Teſtes producantur, contra perſonas eorum excipiant, aut ſi eos admitti oporteat, ipſos (ſalvis & reſervatis tamen Nobis noſtris exceptionibus omnibus) iurare videant, interrogatoria, ſi opus fuerit, exhibeant, Literas, et quæcunque alia inſtrumenta, infra, & poſt terminum probatorium in quacunque parte iudicii in medium afferant, Sigilla, & manum recognoſci petant, itemque ipſi, ſi ab eis petatur, faciant publicationem, atteſtationem requirant, contra atteſtationes Regias excipiant, probationes noſtras forment, & quæcunque contra Nos adferuntur, diligentiſſime refutare ſtudeant, diſcuſſis ſufficienter omnibus in cauſa concludant, ſententiam publicari petant, audiant, acceptent, copiam, & exactoriales petant, aut ſi contraria fuerit, ab ea appellent, vel loco appellationis Reiterationem, ſive reviſionem Actorum, & ſententiæ poſtulent, & denique omnia alia, quæ occurunt, quæque Nos ipſi, ſi præſentes eſſemus, facere, & expedire quacunque ratione deberemus, & poſſemus, faciant, & expediant. Damus etiam noſtris Mandatariis plenam, & integram poteſtatem ambobus ſimul, aut alteri eorum ſoli coniunctim, vel diviſim alium, vel alios, aut plures Mandatarios ſubſtituendi, ſuum, vel eorum Mandatum, quotiescunque ſibi, vel ipſis libuerit, revocandi, & ad ſe recipiendi. ANNO 1584.

Et quæcunque noſtri Mandatarii ambo, vel unus eorum coniunctim, & diviſim, eorumque, ſive ipſius ſubſtitutus, vel ſubſtituti ad formam ſupraſcriptam noſtro nomine, egerint, fecerint, omnia illa rata, firma, & certa erunt, atque a Nobis rata, firma, & certa habebuntur, ſub fide noſtra Principali, & Obligatione Bonorum noſtrorum præſentium, & futurorum, ſi quo noſtris Mandatariis, vel eorum ſubſtituto, vel ſubſtitutis ulteriore, pleniore, & ampliore Mandato, ſive ſpeciali ſive generali nunc, aut inpoſterum opus fuerit, id omne hiſce Literis, ac ſi

Anno 1584. de verbo ad verbum, eumque omnibus clauſulis neceſſariis illis inſertum eſſet, ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc ex certa ſcientia illis damus, noſtramque plenam poteſtatem tribuimus, excluſo omni dolo, & fraude. In quorum omnium fidem Nos propria noſtra Manu ſubſcripſimus, & Sigillum noſtrum apponi fecimus. Actum, & datum Henricopoli ad Aulam noſtram die 24. Julii Anno 1584.

## XVIII.

1585. *Status cauſæ per Legatum, ac Mandatarium Regis Poloniæ coram Electoribus Saxoniæ, & Brandeburgenſi, a Cæſarea Maieſtate deputatis Commiſſariis exhibitus.* Francofordiæ ad Oderam d. 16. Maii Anno 1585. Anni Juliani. *Ex Archivo Regni.*

Coram Illuſtriſſimis *P*rincipibus, & Dominis, Dominis *S*acri Romani Imperii Electoribus Saxoniæ, & Brandeburgenſi, tanquam Cæſareæ Maieſtatis in cauſa Sereniſſimi Regis Poloniæ cum Illuſtri *D*omino Julio Duci Brunſvicenſi, & Luneburgenſi, ſpecialiter datis, & deputatis, ſive coram ipſarum Celſitudinum vigore eiusdem Commiſſionis ſubdelegatis Commiſſariis Francofordiæ ad Oderam Jurisdictionem Commiſſarialem obeuntibus, Legatus, & Mandatarius, eo nomine Sereniſſimi Principis, & *D*omini, *D*omini Stephani Dei Gratia Regis Poloniæ, & Magni *D*ucis Litvaniæ &c. inhærendo *D*ecreto *D*ominorum Commiſſariorum in cauſa Succeſſionis poſt Illuſtrem *D*ominam Sophiam *D*uciſſam Brunſvicenſem, die vigeſima octava Novembris anno proxime præterito Magdeburgi facto, dicit, & allegat, & libellando producit modo, & forma ſimplici ex æquo, & bono ſe, & Principalem ſuum non adſtringendo ad Juris aliquas ſolennitates in cauſis Principum minus obſervari ſolitas, ſalva etiam Sereniſſimi Regis ſui *D*ignitate, & *S*uperioritate, conditionem rei conventi ad iuſtitiam conſequendam hic ſequentis, reſervando nihilominus ſibi omnia Juris beneficia pro aſſecutione iuſtitiæ neceſſaria, & alia, quæ ſibi ad cauſam præſentem opportuna videbuntur. Et ſi quid in ſolemnitatibus Juris omiſſum, aut peccatum fuerit, id damno, & fraudi cauſæ Sereniſſimi Regis ſui fieri non vult, de quibus omnibus proteſtatur.

I. Anno 1585.

In primis dicit, & allegat, & probare omnia, ſi opus eſt, intendit Illuſtrem *D*ominam Sophiam Natam Poloniæ Duciſſam Brunſvicenſem fuiſſe Uxorem legitimam Illuſtris quondam Domini Henrici Ducis Brunſvicenſis, & Luneburgenſis datam eidem in matrimonium per Sereniſſimum *S*igismundum *A*ugustum Regem Poloniæ &c. præcedentibus Pactis matrimonialibus utrinque mutuo aſſenſu & fide roboratis, ac pænis de obſervandis in ea contentis, vallatis.

II.

Item. Quod cum præfata Illuſtriſſima Domina Sophia Nata Poloniæ, *D*uciſſa Bruſvicenſe ſorore ſua chariſſima, idem Sereniſſimus Rex Poloniae Sigismundus Augustus, dedit dotem eidem Illuſtri Domino Henrico *D*uci Brunſvicenſi triginta duo millia ducatorum Hungaricorum in auro puro, quam præfatus Dux accepit, & in effectu levavit.

III.

Item. Quod ultra ſupramemoratam dotem data eſt, eidem Duciſſae nomine paraphernae lauta ſupellex in auro, argento facto, gemmis, clenodiis, auleis, tapetis, veſtibus, ornamentis, et alia Regia ſupellectili taxando leviter, valoris centum quinquaginta millium Talerorum, quae omnia ſecum aſportavit, & in Ducatum Brunſvicenſem ad maritum ſuum intulit.

IV.

Item. Quod ultra haec omnia eidem Duciſſae, per eundem Sereniſſimum Regem Poloniae dotalis muneris nomine data ſunt quinquaginta millia *D*ucatorum Neapolitanorum, quae reducta, ad Taleros communes faciunt quadraginta duo millia Talerorum.

V.

Item. Quod idem Sereniſſimus Rex Legatum Tranſylvanicum miſit eidem ſorori ſuae valoris viginti millium Talerorum.

VI.

Item Quod de omnibus ad praefatum matrimonium ſpectantibus, de ſtatu, & conditionibus viventium, & morientium Coniugum, Contractus, et Pacta interceſſerunt, inter Sereniſſimum Sigismundum Augustum *R*egem Poloniae ſuo, ſororiſque nominibus, et Illuſtrem *D*ominum Henricum Ducem Brunſvicenſem, quorum Pactorum obſervatio, utrinque mutuo conſenſu, fide, ac honore firmata eſt, et paenis intro contentis vallata, per Succeſſores etiam tenenda, et ſervanda.

VII.

Item. Quod vigore Pactorum Matrimoni-

ANNO 1585. monialium Illustris *Dominus Dux* HENRICUS Maritus, reformationem fecit *Dotis*, et Contradotis Uxori suae *Sophiae Ducissae* Brunsvicensi, in bonis *Ducalibus*, et Arcibus Ierxeim, et *Schoningen*, alias prout in Pactis continetur.

VIII.

Item quod ultra Reformationem *Dotis*, et Contradotis, donavit eidem Uxori suae decem millia ducatorum doni Nuptialis pro libitu suo disponenda, et in defectu dispositionis post eius mortem ad *Sigismundum Augustum Regem*, vel *Successores* eius Reges Poloniae devolvenda.

IX.

Item quod eidem Uxori suae idem Dux HENRICUS post suam mortem donavit quartam partem vestium, & elenodiorum omniorum.

X.

Item quod praefata omnia, quae Illustris Domina SOPHIA Ducissa Brunsvicensis intulit ad Maritum, quae vel a quoquam donata accepit, vel ipsa, sua industria acquisivit, quantacunque, & qualiacunque ea fuerint, si sterilis, & intestata (quod utique factum est) decessisset, omnia ista ad Serenissimum SIGISMUNDUM AUGUSTUM, vel eius Successores Reges Poloniae, iuxta Pacta redire, ac restitui debuerunt. XI.

Item quod omnium bonorum, post sterilem, & intestatam Illustrem Dominam SOPHIAM Ducissam Brunsvicensem derelictorum, sit solus, & nemo alius, iuxta Pacta verus unicus, & legitimus Successor Serenissimus Rex Poloniae.

XII.

Item quod stantibus istis Pactis, & per omnia tempora vitae coniugum servatis, mortua est Illustris Domina SOPHIA Ducissa Brunsvicensis, & sic post eius mortem nihil horum fecit, quae secundum Pacta facere debuit, & ita Pactis derogavit Illustris Dominus JULIUS Dux Brunsvicensi tanquam legitimus Successor, a Patre suo ad servanda Pacta obligatus.

XIII.

Item quod ea specifice declarantur, & explicantur, quae contra Pacta Illustris Dominus JULIUS Dux Brunsvicensis fecit: nam Dotem prius specificatam triginta millium aureorum non restituit, quinquaginta millia Ducatorum Neapolitanorum; decem millia in auro doni Nuptialis, Paraphernam, & supellectilem superius nominatam, & taxatam, Legatum Transylvanicum, tertiam partem elenodiorum, & vestium mariti sui. Triginta millia Talerorum apud Civitatem Lipsiensem, viginti millia apud Magdeburgensem, vigenti item millia apud Cameram Marchionatus Brandeburgensis, viginti millia Talerorum post mortem eius in parata pecunia relictorum, haec specificata, & alia adhuc etiam specificanda, non restituit Illustris Dominus JULIUS Serenissimo Regi Poloniae, quae tamen restituere debuit iuxta Pacta, & Posnaniae Procuratoribus Maiestatis Regiae repraesentare, & bona fide secundum vera, & iusta Inventaria assignare intra octo menses. ANNO 1585.

XIV.

Item quod ultra haec, quae specificata sunt, nec tamen restituta, Illustris Dominus JULIUS Dux hypothecata etiam bona in Dote, et aliis, videlicet Arces Jerxeim, & Schoningen una cum Civitate, & aliis attinentibus statim post mortem occupavit; non persolutis, quae supra memorata sunt, cum tamen praefatae Arces, & Civitas in possessione pacifica Serenissimi Regis Poloniae esse debuerunt, donec fuissent persoluta superius nominata debita. Et isto casu possessio bonorum praefatorum tradi debet Serenissimo Regi Poloniae, cum spoliatus ante omnia in possessionem restituendus sit, quam etiam Arcium, & hypothecatorum bonorum possessionem paratus est vigore Pactorum Serenissimus Rex accipere, non obstantibus quibusvis illicitis, & pactis contrariis obstaculis, de quo protestatur. Et nihilominus repetuntur annui proventus ex hypothecatis bonis per novem annos occupatis illegitime recepti, singulis annis Ducati quatuor millia ducenti sexaginta sex, faciunt per novem annos citra vel ultra quadraginta millia Talerorum.

XV.

Item repetitur interesse acceptum per novem annos a Civitatibus Lipsiensi, Magdeburgensi, & Camera Brandeburgensi, a septuaginta millibus Talerorum per Illustrem Dominam SOPHIAM eisdem Civitatibus mutuo datorum, una cum principalibus summis, & Chirographis Civitatum super easdem summas datis, quorum est illegitimus occupator Illustris Dominus JULIUS Dux Brunsvicensis.

XVI.

Item quod Pacta Matrimonialia inter Serenissimum clim Principem SIGISMUNDUM AUGUSTUM Regem Poloniae, & Illustrem Dominum HENRICUM Ducem Brunsvicensem, Successoresque ipsius servari integre debuerunt, omniaque in eis contenta impleri bona fide, sine ulla exceptione, tergiversatione, defensionibusque, & subsidiis Juris Canonici, & Civilis, & cuiusvis dispensationis, absolutionis, libertatis ac Privilegii, sub verbo, &

Anno 1585. honore Ducali, & ſub præna centum millium Hungaricalium aureorum. Et ideo ſi quas forte exceptiones, aut iuris remedia, & præſidia contra hæc Pacta Illuſtris Dominus Julius Dux Brunſvicenſis inferat, aut inferre præſumat, quod iſta omnia ſalva Pactorum integritate, ſunt, & eſſe debent vacua, irrita, inania, eo quod omnibus Juris beneficiis, & prærogativis, ipſe ſe abiudicarit, iisque renuntiarit, ita quod fruſtra, & contra ſe hæc omnia dicturus, facturuſve ſit, ſi quid modo dicere, aut facere velit.

XVII.

Item quod Sereniſſimo Regi Poloniæ ad ſolvendas pænas in Pactis deſcriptas cenſeri debet obligatus, & quod iſtæ pænæ Sereniſſimi Regis nomine iuſte repetuntur: Ex quo enim multoties, & legitime per Legationes, per Literas, poſtulationes, compoſitiones, exhortationes, & Juris ſtrepitum, de reſtituendis ſuperius nominatis rebus eſt poſtulatus, monitus, & requiſitus, nihil tamen fecit, aut reſtituit, quod tamen absque ulla exceptione ſponte etiam ſua, iuxta Pacta facere debuit, tunc ad quinquies centena millia Ducatorum aureorum Sereniſſimo Regi Poloniæ perſolvenda cenſetur eſſe obligatus, Jure, & merito iuſta Illuſtriſſimorum Dominorum Cæſareæ Maieſtatis Commiſſariorum, aut ipſarum Celſitudinum Subdelegatorum ſententia mediante. Quæ ſententia ſuper his omnibus ſupra nominatis, decernendis, ſolvendis, reſtituendis ſolenniter poſtulatur.

XVIII.

Et hæc proponendo, libellando, producendo in cauſa præſenti, & ſuperius nominata, dicit, allegat, & in forma libelli producit Sereniſſimi Regis Poloniæ Legatus, & Mandatarius. Quam quidem allegationem, propoſitionem, libellationem poſtulat admitti, & recipi, alias iuxta Juris formam ſimpliciter etiam, & de plano, ad ſuperflua non ſe adſtringendo, ſalvo etiam Jure addendi, & minuendi, declarandi, de quibus proteſtatur.

*Laurentius Goſliczki de Magna Goſlicze Sereniſſimi Poloniæ Regis Legatus, & Mandatarius mpp.*

XIX.

*Mandatum* Stephani *Regis in eodem Negotio.* Dat. Nepolomicii die 14. Junii Anno 1585. *Ex Originali.*

Stephanus DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, &c. Princeps Transſilvaniæ. Anno 1585.

Significamus præſentibus Literis noſtris quorum intereſt univerſis, & ſingulis, quia Nos ablegavimus in Germaniam Legatum & Commiſſarium noſtrum Venerabilem Laurentium Goſliczki de magna Goſlicze Præpoſitum Cracovienſem, ex primis Conſilii noſtri Secretarium, ipſique plenariam poteſtatem, & facultatem dedimus, prout hiſce præſentibus damus, & irrevocabiliter donamus, cauſam & actionem noſtram, quæ Nobis cum Illuſtri Domino Julio Duce Brunſvicenſi, & Luneburgenſi intercedit, occaſione certorum bonorum poſt Illuſtrem Dominam Sophiam Natam Poloniæ, & Duciſſam Brunſvicenſem, ad Nos iuxta Pacta, & quomodolibet devolutorum, coram Illuſtriſſimis Principibus, & Sacri Romani Imperii Electoribus Saxoniæ, & Brandeburgenſi, tanquam Cæſareæ Maieſtatis Commiſſariis, aut eorum ſubdelegatis, ſive etiam alio quovis Magiſtratu ordinario, & extraordinario Francofordiæ ad Oderam, & ubilibet alias conſtitutis, & conſtituendis, agendi, tractandi, terminandi, iuris via & modo, ſive etiam amicabili compoſitione, aut alia quavis ratione, prout illi melius, & in rem noſtram utilius videbitur, Decretum etiam ſuper his, & interlocutorias quasvis audiendi, & quod opportunum videbitur, ad ea dicendi, faciendi, proponendi, damus illi præterea facultatem, & poteſtatem plenariam, bona præfata omnia, & ſingula, ad Nos quomodolibet devoluta, ab Illuſtri Domino Julio Duce Brunſvicenſi, ſive ab aliis quibusvis perſonis repetere, capere, levare, & de acceptis, ac levatis quietare, ac ſufficienter liberare, & in præfato negotio omnia licite facere, agere, concludere, in forma pleniſſimi Mandati, ita ut generalitas ſpecialitati non deroget, nec e contra. Promittentes verbo noſtro Regio, quidquid per ipſum præfatum Laurentium Goſliczki Legatum, & Commiſſarium noſtrum factum, geſtum, concluſum fuerit, id Nos ratum, & gratum habituros eſſe, non minus, ac ſi præſentes eſſemus, (etiamſi talia forent, quæ Mandatum exigerent magis ſpeciale, quam præſentibus eſt expreſſum) aut ipſi id faceremus, & facere poſſemus. In quorum fidem præſentes manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigilli noſtri appenſione munivimus. Datum Nepolomicii, die XIV. Junii An. Dom. MDLXXXV. Regni noſtri anno decimo.

XX.

ANNO 1592.

XX.

*Literæ* ANNÆ *Reginæ Poloniæ, quibus ſortem hæreditatis poſt obitum* SOPHIÆ *Ducis Brunſvicenſis Sororis Suæ ſe concernentem,* SIGISMUNDO *Poloniæ, & Sveciæ Regi donat.* Datum Varſaviæ, die 7. Julii. Anno 1592. *Ex Archivo Regni Lib. 107. Num. 108. fol. 277.*

*Sigismundus* III. *Rex Poloniæ &c. Significamus &c. Oblatas eſſe ad Acta Cancellariæ noſtræ Literas infraſcriptas Sereniſſimæ ANNÆ Dei Gratia Reginæ Poloniæ &c. Materteræ noſtræ chariſſimæ Sigillo & manus ſubſcriptione Sacræ Reginalis Maieſtatis communitas, ſanas, ſalvas, & illæſas, omnique nota ſuſpicionis carentes. Quas in Acta Cancellariæ noſtræ inſcribi, & ingroſſari mandavimus. Earum vero is verborum tenor ſequitur.*

ANNA DEI Gratia Regina Poloniæ, Magna Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, &c. Domina. Significamus univerſis, quoniam iuxta diſpoſitionem Pactorum Dotalium inter Sereniſſimum olim Principem & Dominum Dominum SIGISMUNDUM AUGUSTUM Regem Poloniæ, auguſtiſſimæ memoriæ Fratrem noſtrum chariſſimum, & Illuſtrem Principem Dominam SOPHIAM Duciſſam Brunſvicenſem, & Luneburgenſem piæ recordationis Sororem noſtram amantiſſimam, concernentem, hæreditas eiusdem SOPHIÆ ad Sereniſſimum Principem & Dominum Dominum SIGISMUNDUM III. nunc feliciter regnantem Regem Poloniæ &c. &c. Nepotem noſtrum chariſſimum devoluta eſt. Ea vero in hæreditate Germanæ Sororis noſtræ prædictæ cum pro iure noſtro certa ſors ad Nos quoque pertineat ex præfata Domina SOPHIA Sorore noſtra amantiſſima. Hoc itaque Jus noſtrum præmemorato Sereniſſimo Regi SIGISMUNDO vigore huius noſtri Diplomatis ex certa voluntate, & propria noſtra ſcientia, & conſenſione adeo translatum & conceſſum eſſe volumus, ut Maieſtas Sua Regia illud non minus quam ſuum proprium iure Pactorum, & actionibus, iuribusque aliis competens, adverſus Illuſtrem Dominum JULIUM HENRICUM Ducem modernum Brunſvicenſem in iudicio & extra iudicium nomine ſuo & authoritate ſua proſequatur, vendicet, atque evincat. Et hac tandem iuris noſtri translatione, cum vendicatio hæc noſtra cum Maieſtate Sacra Regia nobis par & æqualis ſit, adhibebimus & Nos huic negotio in commune huius a nobis translati iuris, conſilium noſtrum, & mandatum. Poſtquam vero vendicatio hæc per Dominos Commiſſarios Cæſareos vel æquiori arbitrio tranſigetur, vel iuris via etiam determinabitur, ac Sacræ Regiæ Maieſtati ex prætacto iure Pactorum adiudicabitur, quam primum ipſe Dux Brunſvicienſis hac ex vendicatione Sacræ Maieſtati Regiæ, & nobis pro ea, quæ ad nos hac in hæreditate ſpectat, parte in executione rei, vel compoſitæ, vel iudicatæ modo debito ſatisfecerit, Nos quoque una cum Sacra Maieſtate Regia ipſum Ducem Brunſvicenſem quietum, & libarum pronuntiabimus. Caſu autem ſi poſſeſſiones Bonorum propter hanc hæreditatem in Ducatu Brunſvicenſi hypothecatorum Sacræ Regiæ Maieſtati aſſignabuntur, & iuri pactorum tradentur, nobis non minus, quam Maieſtati Sacræ Regiæ in omni uſu, & uſufructu, atque in omnibus & ſingulis proventibus, & acceſſionibus earundem poſſeſſionum quibusvis, debita ſors tantiſper cedere debebit, quoadusque Sacra Maieſtas Regia poſſeſſiones has detinebit. In cuius rei fidem hoc noſtrum Diploma Sigillo noſtro confirmari iuſſimus, illudque manu noſtra propria ſubſcripſimus. Datum Cracoviæ die VII. Julii Anno Domini MDXCII. ANNO 1592.

ANNA *Regina Poloniæ &c.*

*Nos igitur* SIGISMUNDUS *Rex præinſertas Literas in Acta Cancellariæ noſtræ inſcribi mandavimus, volentes ut robur debitæ firmitatis obtineant. In cuius rei fidem &c. Datum Varſaviæ die 27. Julii Anno Domini MDXCII. Regni noſtri quarto.*

XXI.

*Mandatum eiuſdem pro parte* SIGISMUNDI III. *Regis in eodem negotio.* Dat. Cracoviæ 7. Jul. 1592. *Ex Archivo Regni.*

ANNA Dei Gratia Regina Poloniæ, Magna Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ &c. Domina. Significamus Univerſis. Cum noſtram hæreditatis ſortem, Nobis ex obitu Illuſtriſſimæ Principis & Dominæ, Dominæ SOPHIÆ Duciſſæ Brunſvicenſis, & Luneburgenſis, Sororis noſtræ amantiſſimæ piæ recordationis pertinentem, in Sereniſſimum Principem Dominum SIGISMUNDUM III. nunc feliciter regnantem

ANNO 1592. Regem *Poloniæ*, & Magnum Ducem Litvaniæ &c. Nepotem noſtrum chariſſimum, ea ratione, ut *Di*ploma noſtrum deſuper Maieſtati *Sacræ* Regiæ exhibitum ſonat, tranſtulerimus, atque ab Illuſtriſſimo Principe Domino JULIO HENRICO Duce Brunſvicenſi, & Luneburgeſi, eam, vel æquiori arbitrio, vel Juris via exigendi commiſerimus. Ideo igitur in commune Conſilium negotii huius expediendi, in noſtros veros, & legitimos Mandatarios, & Procuratores conſtituendos duximus, prout vigore Præſentium conſtituimus Generoſum Joannem Skrzetuſki, & Martinum Glogorſki noſtros, eiſdem demandantes, ut noſtro nomine ea omnia, & ſingula, tam apud Sacram Maieſtatem Cæſaream, quam apud alios Imperatores, Principes, huic rei ab ipſa Maieſtate Cæſarea deſignandos Commiſſarios, agant, tractent, & expediant, quae eis ſingulari Mandato a Sacra Maieſtate Regia generaliter, & ſpecifice praeſcripta, & commiſſa ſunt. Maximopere cum Nos hoc omne, quod Sacrae Maieſtatis Regiae Mandatum praefatum continet, ratum, gratum, & firmum habemus, ac in poſterum habiturae ſumus. In cuius rei fidem haſce manu noſtra ſubſcripſimus, Sigilloque noſtro communiri mandavimus. *Da*tum Cracoviae die ſeptima Julii Anno Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo.

ANNA *Regina Poloniæ mp.*

## XXII.

### *Poſtulatio Sereniſſimi Poloniæ, & Sveciæ Regis. Ex Archivo Regni.*

*Sacra Cæſarea Maieſtas.*

Ea eſt Pactorum Conventorum inter quondam Sereniſſimum Regem Poloniae SIGISMUNDUM AUGUSTUM &c. & Illuſtriſſimum Principem Dominum HENRICUM Juniorem Ducem Brunſvicenſem, & Luneburgenſem ratio, quod in *Do*nationem inter vivos mutuam, & reciprocam, ac eum in modum conceptam cedant, ſi Illuſtriſſima Domina SOPHIA Coniunx praefati Domini Ducis HENRICI abſque Liberis e vivis decederet, ut omnia ea, quae illi data eſſent in Dotem, & *Do*num Nuptiale, quaeve alio aliunde Jure haereditatis ſucceſſorio, vel alia ratione acquiſiviſſet, ad ipſum Sereniſſimum SIGISMUNDUM AUGUSTUM Regem, Fratrem Germanum Dominae SOPHIAE, aut ad Maieſtatis Regiae Succeſſores, Reges Poloniae devolverentur. ANNO 1592.

Singulariter eſt hoc Pactis proviſum, ut decedente Domina SOPHIA ſine Liberis, omnis ipſius haereditas relicta intra ſpatium unius anni, Poſnaniam in Urbem Maioris Poloniae deveheretur, atque ibi Mandatariis Regiis, ex certis, et fide dignis Inventariis, plene, et integre reſtitueretur. Id vero ſi non eſſet praeſtitum, ut omnia Bona Pactis hypotecata, vel Sereniſſimo SIGISMUNDO AUGUSTO, vel ipſius Succeſſoribus Regibus Poloniae, abſque ullo obſtaculo Domini Ducis HENRICI poſſidere, ac eo uſque tenere, et eorum uſum, atque uſum fructum in tantum habere liceret, donec id totum, quod hæreditatis præmemoratæ nomine deberetur, fuiſſet ex integro in Poloniam remiſſum, & Regi Poloniæ reſtitutum.

Eſt vero hæc diſpoſitio *Pa*ctorum adeo firmata, ut etiam promiſſione Principis HENRICI ſolenni, quæ de iure, & conſvetudine Sacri Romani Imperii Juramenti robur obtinet, & pæna centum millium ducatorum Hungaricorum, quodſi Conventio hæc non præſtaretur, vallata ſit.

Eſt tandem & Pactis renuntiatum omnibus, & ſingulis Juribus, Privilegiis, & Beneficiis, quibus aliquo modo Hæredes Ducis HENRICI ab hac Obligatione relevari poſſent, adeo ut in aperto ſit, eos plane ad omne id præſtandum teneri, ex quo illi una cum Patre eorum obligantur, tranſivit enim in eos ex vi Pactorum promiſſio Parentis iurata, cuius facto illi contravenire ullo modo non poſſunt.

Porro rebus hunc in modum diſpoſitis, & conſtitutis, conſecuta eſt poſtea mors unius, atque alterius, nempe Sereniſſimi SIGISMUNDI AUGUSTI Regis prius, deinde ipſius Dominæ SOPHIÆ, quorum uterque nullis omnino relictis Liberis vita functus eſt.

Ceſſit igitur Conditio *Pa*ctis adiecta ſucceſſoria in eum eventum, ut cum nulli Liberi Dominæ SOPHIÆ extiterint, quod Hæreditas hæc iuxta diſpoſitionem Pactorum ad Sereniſſimum, nunc fideliter regnantem Regem Poloniæ Principem & Dominum Dominum *Sigismundum* III. Nepotem *Sereniſſ. Sigismundi* AUGUSTI ex Sorore præfata Domina SOPHIA devoluta ſit. Et hac ſane ex cauſa etiam, quod Dominus SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex, & *So*ror ipſius Domina SOPHIA e vivis ſine Liberis deceſſerunt, quamvis Sereniſſimus STEPHANUS Rex apud Illuſtriſſimum Dominum Ducem JULIUM Filium, & Hæ-

ANNO 1592. Hæredem Ducis HENRICI ſerio hac de hæreditate Sereniſſ. Dominæ ANNÆ Reginæ Poloniæ reſtituenda inſtitiſſet, nihil tamen aliud a ſua Celſitudine quam inania verba, ac litigia prolixa, minusque huic negotio apta, & diſpoſitiones prædictorum *P*actorum tam lucidorum impedientes, & remorantes retulit. Eſt & a Sacra Maieſtate Cæſarea de reſtitutione huius hæreditatis admonitus Dux JULIUS, ſunt quoque hanc ob rem coram Dominis Commiſſariis Sacræ Maieſtatis Veſtræ Cæſareæ cum ſua Celſitudine habiti proceſſus, ſed tamen hæc omnia fruſtra, & ſine ullo effectu ceſſerunt.

Eſt deinde admonitus etiam a Sereniſſimo Rege SIGISMUNDO, & Sereniſſima ANNA Regina per Literas, & Internuntium ſingularem non tam pridem modernus *D*ux Brunſvicenſis Illuſtriſſimus Princeps, Dominus JULIUS HENRICUS, ut *P*actis praetactis, quod Obligatio quoque haec in eum, ut Haeredem tranſiverit, ſtaret, & ſatisfaceret, ſed ſua Celſitudo admonitionem hanc Regiam ſolo ſilentio praeteriit.

Res itaque hæc cum in eo conſiſtat, quod *S*ereniſſimus Rex *S*IGISMUNDUS a praefato Domino Duce Brunſvicenſi moderno, non minus, quam a ſuo Celſiſſimo *P*arente haereditatem hanc benevole, et ſpontanee conſequi nequeat, non poteſt igitur *S*acra Maieſtas Regia amplius ſibi, iurique ſucceſſorio amplius deeſſe.

Et ideo cum haereditas haec *S*ereniſſimae Maieſtati *R*egiae praeter ius, & aequum a Domino Duce praefato ultro detineatur, eſtque per expreſſum hunc in detentionis caſum, Bonorum Dominae *S*OPHIÆ obligatorum, Arcis videlicet Jerxeim, & *S*choningen hypoteca, & poſſeſsio *S*ereniſsimae Maieſtati Regiae, & huius iuris *S*ucceſſori, *P*actis conſtituta, atque uſus, & uſus fructus eorundem Bonorum reſervatus, qua ſane Conſtitutione, & Reſervatione poſſeſsionis traditio facta, ut in Maieſtatem Regiam a *S*ereniſsimo *S*IGISMUNDO AUGUSTO porrecta, & derivata eſt, iuſte igitur Sacra Maieſtas *R*egia poſſeſsionem praefatorum Bonorum hypotecatorum, quam Dominus Dux contra *P*acta detinet, ſibi vendicat. Expeditiſsimi autem Juris cum ſit, quod Promiſsio Principis *P*actis, ſeu *C*ontractibus appoſita, Juramenti vim, & robur habeat, ob eamque cauſam *P*acta haec, ex quibus hoc ſequitur, paratam Executionem continent, maxime vero cum omnibus Juribus, quibus Hæredes, & *S*ucceſſores Ducis HENRICI ab Obligatione his ex *P*actis proveniente relevari poſſent, renuntiatum ſit. Ideo igitur Sacrae Maieſtatis Veſtrae Cæſareae Authoritas, nomine Sereniſſimae Maieſtatis Regiae hic requiritur. ANNO 1592.

Poſtulatur itaque *S*ereniſſima Maieſtas Veſtra Cæſarea iuxta *P*acta praeſcriptam Reſtitutionem poſſeſſionis in eisdem Bonis hypotecatis, nec non Executionem realem, & effectualem, vel ipſamet Maieſtas Veſtra Caeſarea Domino Duce in Curiam Advocato decernere, aut ſi ex cauſa aliqua legitima id forte non poſſet fieri, Illuſtribus Principibus Imperii, nempe Domino Electori Brandeburgenſi, Domino Adminiſtratori Electoratus Saxoniae, Domino Landgravio Haſſiae commitere dignetur.

Si vero, Illuſtriſſimus Dux Brunſvicenſis hanc poſſeſſionis reſtitutionem, atque exequutionem *P*actorum debitam recuſaverit, dignetur Sacra Maieſtas Veſtra Caeſarea praememoratis Dominis Commiſſariis, id negotii commendare, ut excepto partium proceſſu ſummario, cum iis tantum hoc in poſſeſsionis, & exequutionis caſu, ex diſpoſitione *P*actorum evidentisſima, plane, & ſimpliciter, ſola rei veritate inſpecta inſtituendus veniat, rem omnem una cum partibus ad Judicium Sacrae Maieſtatis Veſtrae Caeſareae remittant, neque provocationem, ſi ea ex re aliquando inciderit ad Maieſtatem Veſtram Cæſaream, recuſent.

SIGISMUNDUS *Rex mpp.*

## XXIII.

*Sacræ Maieſtatis Cæſareæ Reſolutio ad poſtulationem Sereniſſimi* SIGISMUNDI *Poloniæ & Sveciæ Regis, ratione fori in Curia, aut Commiſſionis in Imperio contra Dominum Ducem Brunſvicenſem.* Dat. 12. December 1592. *Ex Archivo Regni. Sequitur Punctum de Comiſſione Cæſarea.* Dat. 24. Mart. Anno 1593. 1592.

Sacra Maieſtas Cæſarea poſtulationem Sereniſſimi Regis Poloniæ ſuo in Conſilio clementiſſime, & accurate perpendere dignata eſt. Continet autem Poſtulatio hæc duo capita. Primum eſt, ut Dux Brunſvicenſis ea in cauſa, quæ Sereniſſimo Regi cum illo eſt, ad Curiam Sacræ Maieſtatis Cæſareæ citaretur, atque iuribus partium perſpectis, & cognitis, ut iudicio Sacrae Cæſareae Maieſtatis negotium hoc dirimeretur, & determinaretur. Aliud eſt ſi Sacrae Maieſtati Cæſareae ex re etiam eſſe videretur, per Reſcriptum, ſeu Commiſſionem eandem

ANNO 1593. cauſam delegare, ut hac in delegatione ea ſit diſpoſitio, quatenus illud ipſum negotium, ab initio ex arbitrio amicabili componi inter Partes valeat. Si vero huic compoſitioni non eſſet locus, ut tandem viam, & proceſſum iuris ingrediantur Partes. Cauſa vero concluſa, ut pro ſententia ferenda, Acta omnia a delegatis Commiſſariis Sacrae Maieſtati Cæſareae remitterentur. Vltimo ut Saxo, Brandeburgenſis, & Haſſiae Landgravius nominentur Commiſſarii.

Quantum itaque ad unum, & aliud caput attinet, Sacra Maieſtas Cæſarea facile percipit, Sereniſſimum Regem ius hoc ſuum haereditarium, merito a Domino Duce Brunſvicenſi exigere. Praeſtabit itaque Sacra Maieſtas Cæſarea omne illud libenter, quidquid hoc in iuſtitiae paſſu de iure praeſtandum veniat.

Eſt autem Sacrae Maieſtatis Cæſareae ſententia haec, ſi id Sereniſſimo Regi placuerit, quod velit per Literas ipſum Ducem Brunſvicenſem admonere ſerio, ut tam ſolennium Pactorum, quae ſtrictiſſimos nexus, ac evidentiſſimas *D*ucales Promiſſiones, & Obligationes irrevocabiles continent, adeoque nominis, & honoris ſui, decorisque *D*omus vetutiſſimae Brunſvicenſis iuſtam, & debitam rationem habere, ac absque ullis contentionibus, in re tam liquida minus neceſſariis, hiſce Pactis, & Sereniſſimo Regi benevole ſatisfacere velit. Huic igitur admonitioni, ſi non ſteterit *D*ux Brunſvicenſis, tandem erit in arbitrio Sereniſſimi Regis, vel in Curia, vel coram Commiſſariis Sacrae Maieſtatis Cæſareae in Imperio actionem hanc adverſus *D*ucem proſequi.

Addit praeterea *D*ominus Vicecancellarius Imperatoris, id quoque *S*acram Maieſtatem Cæſaream conſideraſſe.

Primo quod ad Admonitionem praedictam, eſſe verendum, ne hac ex cauſa *D*ux Brunſvicenſis praetextu deliberationis, num illi monitis Sacrae Maieſtatis Cæſareae parendum ſit, rem ſtudio, & data opera in longiorem moram diſtrahat, & nihilo magis ultimo (quod & Parens eius antea fecit) ad iudicium ordinarium iuxta Conſtitutiones Imperii provocet.

Secundo ſi haec actio in Curia contra eum attentabitur, ne ille forum Curiale, quo ad primam Inſtantiam vigore Conventionum, quae inter Principes, & *D*uces Imperii habentur, declinaret.

Quanquam haec declinatoria exceptio fere hoc Argumento eligi poſſit (inquit *D*ominus Vicecancellarius) Conventiones praetactas tantum ad ipſos Principes, & *D*uces Imperii ſpectare, ac Sereniſſimum Regem Poloniae, & alios Principes Extraneos non ligare. Qui quidem caſus Caeſarea deciſione eget. ANNO 1593.

Tertio ſi cauſa haec per viam Commiſſionis tractanda, & ventilanda erit, etſi Sereniſſimus Rex medium hoc ratum habuerit, & acceptaverit, ordinabit Sacra Maieſtas Caeſarea, ut Commiſſio meliori in forma hac in re edatur, atque negotium hoc *D*ominis Commiſſariis, Saxonici videlicet Electoratus, Adminiſtratori Brandeburgenſi, poſtea Electori, & Landgravio Haſſiae, ita delegetur, ut illud primo amicabili compoſitione tranſigere ſtudeant, ubi vero ei locus non eſſet, ut partes ad compromittendum in certum modum procedendi, atque ad actionem hanc breviori compendio, ac tantum duobus productis proſequendam inducant. Concluſa vero canſa, ut acta omnia pro ſententia ferenda definitiva, vel ipſi Sacrae Maieſtati Caeſareae, vel ad Cameram Spirenſem, quemadmodum eſſet compromiſſum, remittant.

Et haec eſt *S*acrae Maieſtatis Cæſareae ad ea, quae *S*ereniſſimi Regis nomine exhibita ſunt poſtulata, pro nunc ſufficiens Reſolutio, quam *S*ereniſſimo Regi perſcribere, & *S*acrae Maieſtati Regiae Reſponſum poſtea *S*acra Maieſtas Caeſarea referre poterit.

Relata ſunt haec ab Illuſtriſſimo, & Magnifico *D*omino Jacobo Curtio *S*acrae Maieſtatis Cæſareae intimo Conſiliario, & *S*acri Romani Imperii Vicecancellario, Pragae minoris partis duodecima Decembris Anno Domini ſupra milleſimum quingenteſimum nonageſimo ſecundo.

Ad hanc Reſolutionem Dominus Joannes Zamoyſki, Internuntius *S*acrae Maieſtatis Regiae apud *S*acram Maieſtatem Caeſaream Commiſſionem ſollicitavit in genere. Data autem eſt Informatio Domino Vicecancellario Imperii hanc ob rem talis, ut Articulus ſuperior de Commiſſione habet, hoc addito, ut Domini Commiſſarii ſua etiam ſuffragia cum Actis concluſis *S*acrae Maieſtati remittant. Actum vigeſima quarta Martii Anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo tertio.

## XXIV.

*Mandatum Sereniſſimae Reginae Poloniae in eodem negotio.* Dat. Cracoviae die 1. Septembr. 1595. *Ex Archivo Regni.* ANNÆ 1595.

ANNA Dei Gratia Regina Poloniæ, Magna Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſo-

ANNO 1595. Maſoviæ, &c. Domina Significamus præſentibus Literis noſtris omnibus, & ſingulis quorum intereſt. Cum Hæreditatis Sortem obitu Illuſtriſſimæ Principis Dominæ SOPHIÆ Ducis Brunſvicenſis, & Luneburgenſis Sororis noſtræ deſideratiſſimae ad Nos pertinentem tranſtulerimus in Sereniſſimum Principem, & Dominum SIGISMUNDUM III. Regem Poloniae Nepotem noſtrum chariſſimum, ea ratione, qua Diploma noſtrum Serenitati ipſius exhibitum, deſcriptum habet. Ideo in commune Conſilium negotii huius expediendi conſtituendum eſſe duximus verum, & legitimum Mandatarium, & Procuratorem noſtrum, prout vigore Praeſentium conſtituimus Generoſum Martinum Glogorſki, eidem demandando, ut noſtro nomine omnia, & ſingula, tam apud Sacram Maieſtatem Caeſaream, quam apud Imperii Principes huic rei a Maieſtate Caeſarea deſignatos Commiſſarios agat, tractet, & conſultet, & expediat, quae hac in parte ſingulari Mandato, a Sacra Maieſtate Regia generaliter, & ſpecifice praeſcripta ſunt, & commiſſa, quod Nos Mandatum ratum, gratum, & firmum habemus, ac in poſterum habiturae ſumus, in quo pro Sereniſſima Infante Sveciae cavemus, pro rata ipſius parte, perinde, ut noſtrae partes tutoriae a Nobis poſtulare videantur. Fidei cauſa Praeſentes ſubſcripſimus, & iuſſimus obſignari. Datum Cracoviae prima Septembris Anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo quinto.

ANNA *Krolowa Polſka.*

## XXV.

1596. *Decretum Sacrae Cæſareæ Maieſtatis.* Dat. Pragæ 29. Januar. Anno 1596. *Ex Archivo Regni.*

Sacra Maieſtas Caeſarea Dominus noſter clementiſſimus decrevit, ut Sereniſſimi, & Potentiſſimi Principis Domini, Domini SIGISMUNDI huius nominis III. Regis Poloniae, & Sveciae in negotio, & vendicatione coram Sacra Maieſtate Caeſarea contra Ducem HENRICUM JULIUM Brunſvicenſem pendenti conſtituto Mandatario, & Plenipotenti Martino Glogorſki, ratione requiſitae, & petitae deſcriptionis ex non tam pridem remiſſa relatione Commiſſariorum Caeſareorum ſignificetur, quod non ſit conſvetum in Aula Sacrae Maieſtatis Caeſareae Relationes Commiſſariorum communicare, et extradere. Idque, quod etiam fieri non poſſit propter multas graves, et relevantes ipſique negotio principali praeiudiciales cauſas. Si vero praememoratus Regius Mandatarius ex Actis cum eadem relatione remiſſis copias requiſiverit, impertientur illi ex Cancellaria Imperatoris Aulica, ſi quoque ipſe Mandatarius in commiſſis habet nomine Sereniſſimae Maieſtatis Regiae plura proponere, hoc facere poterit, ſuper quibus cognitione praevia id, quod Jus, et aequitas expoſtulaverit, illi ſine mora praeſtabitur. Signatum Pragae ſub Sacrae Maieſtatis Caeſareae Secreto Sigillo die vigeſima nona Menſis Januarii 1596. ANNO 1596.

## XXVI.

*Literæ* SIGISMUNDI III. *Poloniæ, & Sveciæ Regis ad* RUDOLPHUM II. *Imperatorem in eodem nogotio. Ex Archivo Regni.*

Maieſtatis veſtrae Caeſareae ſtudium non defuiſſe, ut ea cauſa, quae Nobis cum Illuſtriſſimo HENRICO JULIO Duce Brunſvicenſe intercedit, tandem iuſtis, et aequioribus mediis finiretur, abunde cognovimus, cum ex ipſo Diplomate Commiſſionis, ad normam aequi, bonique conſcriptae, tum vero eo etiam nomine, quod Maieſtas veſtra Caeſarea per Literas accurate ſatis Illuſtriſſimis Dominis Commiſſariis comiſerit, ut Maieſtatis Veſtrae Caeſareae ſumma authoritate, et ſua amica perſvaſione Illuſtriſſimum HENRICUM JULIUM Ducem curent inducere, rationem maiorem ut habere velit veteris noſtræ coniunctionis, quam eius commodi, quod ex legitima Haereditate, apertisſimoque Jure ad Nos pertineat. Hoc igitur Maieſtati veſtrae Caeſareae mutui amoris officium, cum Nobis gratisſimum ſit, noſtrum quoque pariter ſtudium ad tuendam eius dignitatem, et commoda Maieſtati veſtrae Caeſareae deferemus. Etſi autem nihil plane praetermiſſum ſit ab Illuſtrisſimis Dominis Commiſſariis, quod ad evincendum Illuſtrisſimi HENRICI JULII aequis rationibus animum pertinere videretur, nihilominus tamen ab Illuſtritate ſua reſponſum datum eſt, in quo ſummae authoritatis, Maieſtatis veſtrae Caeſareae non ſatis conveniens, noſtrae autem dignitatis minor, quam par fuit, ratio habita eſt, illudq; ſolum ab Illuſtritate ſua quaeſitum, ut veteri inſtituto, totum negotium in immenſum procraſtinationibus extrahatur. Qua illius in Nos inhumanitate permoti, etſi facile animadvertamus, non minorem iam Nobis pro Haereditate hac, quam pro noſtra

ANNO 1569. ſtra, totiusque Regni dignitate curam ſuſcipiendam eſſe, ne tamen a ſuperiori noſtra declaratione recedamus, lubenti animo totam hanc cauſam cognitioni ex aequo, et bono Dominorum Commiſſariorum iuxta praeſcriptum Maieſtatis veſtrae Caeſareae permittendam eſſe arbitramur. Unum tamen adhuc ſupereſt, quod in eadem Commiſſione contra inſtitutum Illuſtriſſimi HENRICI JULII extrahendae cauſae deſiderari videtur, & quod ab iis, quibus cura expediendae Commiſſionis a Nobis demandata fuit, non animadverſum erat, ut videlicet in eodem Diplomate expreſſe facta fuiſſet mentio Pactorum conventorum, & proinde proceſſus iuxta ea inſtituendi, utpote quibus ratio reſtituendae eius hæreditatis adeo circumſcripta eſt, ut ab ea ne latum quidem unguem diſcedere utrique Parti, cum ſufficientiſſimis particularibus Legibus, tum vero ipſa univerſa authoritate Juris Civilis (quod inter Principes Pacta Conventa manuteneri, & obſervari praecipit) ab omni parte cautum habeatur. Quamobrem a Maieſtate veſtra Caeſarea amice petimus, ut totum proceſſum eius Commiſſionis ad praeſcriptum Pactorum reſtringi ab iis, quibus id muneris incumbit, mandet, atque ita totam rem a Dominis Commiſſariis agi committat, ut in excludendis omnibus minus æquis exceptionibus, quibus ſponte Illuſtriſſimus olim Dux HENRICUS Avus Illuſtritatis ſuæ, Succeſſorumque ſuorum nomine renuntiavit, talis proceſſus inter Nos, & Illuſtritatem ſuam inſtituatur, in, quo & noſtri, totiusque Regni dignitatis maxima ratio habita eſſe videatur, & Hæreditas noſtra ſine cenſura privati Juris, cui externi Principes ſubici non debent, arbitrio Dominorum Commiſſariorum Maieſtatis veſtræ Cæſareæ adiudicetur. Factura Maieſtas veſtra Cæſarea rem cum iuſtitia, æquitateque ſua dignam, tum vero etiam, quod tam noſtram, quam Ordinum, & Statuum Regni animos erga Maieſtatem veſtram Cæſaream, univerſumque Imperium atque adeo ipſam veterem neceſſitudinem pluribus nominibus confirmatura eſt. Quod ſupereſt, Maieſtatem veſtram feliciter valere cupimus. Datum Cracoviæ &c.

XXVII.

1600. *Reſponſum Ducis Brunſvicenſis Sacræ Cæſ. Maieſt.* Dat. d. 20. Apr. An. 1600. *Ex Archivo Regni.*

*Sereniſſime Clementiſſime Domine.*

Sacra Maieſtas veſtra Caeſarea Literas de data Pilſnae, die decima ſeptima Menſis proxime praeteriti Martii, quibus Sacra Maieſtas veſtra Cæſarea differentias inter Regnum Poloniæ, & me, ac viceverſa inter me, & Regnum Poloniæ de hæreditariis vendicationibus utriusque partis commemorat, ego ſubiectiſſima, & debita cum reverentia accepi, earumque tenorem legendo intellexi, & reſponſionis ſubiectiſſimæ ergo *Sacræ* Maieſtati veſtræ Cæſareæ celare non debeo, me bene recordari, quæ non tantum vivente olim Illuſtri Principe Domino JULIO Duce Brunſvicenſi, & Luneburgenſi Parente meo, & Compatre Chriſtianæ memoriæ, ſed etiam poſtea in meo regimine his in differentiis evenerunt. Quales quoque a Sereniſſima Maieſtate Veſtra Cæſarea Commiſſionis in Electores *Saxoniæ*, & Brandeburgenſem conſtitutæ, quive termini diverſi propterea aſſignati, & quæ in eis Anno 1583. & 1584. translata ſunt. ANNO 1600.

Cum vero ex Literis *Sacræ* Maieſtatis Veſtræ Cæſareae percipio Commiſſarios harum tranſlationum informationes remiſiſſe, ſic ergo non dubito Sacram Maieſtatem veſtram Cæſaream his ex informationibus ſufficienter cognoviſſe præmemoratum meum amantiſſimum Dominum Parentem, & Compatrem Ducem JULIUM, Ducem Brunſvicenſem terminos Commiſſionum Magdeburgi, & Francofordi magnis cum impenſis, non ſolum per ſuos præcipuos, & diſcretos Conſiliarios viſitaſſe, ſed etiam ad compoſitionis media ſe ita comparaſſe, & omnino largiter obtuliſſe, ut id ei nulli opprobrio, ſed magis laudi, & honori apud etiam Sacræ Maieſtatis Veſtræ Cæſareæ Commiſſarios fuerit.

Poſtquam autem Regiæ Dignitatis in Polonia Mandatarii, & Legati ea, quæ fuerunt oblata, æquiſſima media acceptari recuſarint, & Jure ab eis requiſitam Cautionem de reconveniendo, quæ tamen a ſubdelegatis Commiſſariis approbata, & laudata fuit, præſtare non potuerint, vel noluerint, hac igitur ratione illa amicabilis Compoſitio Magdeburgi, & Francofordi tractata non conſtitit, unde tum apparet non meum Dominum Parentem, ſed adverſam partem potius obſtitiſſe, quod hæc compoſitio amicabilis non præceſſerit.

Et quamvis moderni Regiminis Rex Poloniæ, atque Staniſlaus, & Adamus Patrueles Czarnkowſki deinceps, & ſubſequentibus annis apud Sacram Maieſtatem Veſtram Cæſaream pro adminiſtratione iuſtitiæ, & pro renovatione prioris Commiſſionis inſtare potuerint.

Eſt quidem quod Illuſtriſſimus Princeps Domi-

ANNO 1600. Dominus JOANNES GEORGIUS Marchio, & Elector Brandeburgenſis cum Domino FRIDERICO VILHELMO Duce Saxoniæ, Adminiſtratore, Anno 1595. hac in cauſa Francofordum ad Oderam me vocare præſumpſerunt, tamen Dominus Dux Saxoniæ, cum ex me percepiſſet priorem Commiſſionem per obitum unius Commiſſarii Electoris Saxoniæ AUGUSTI expiraſſe, neque me ſciviſſe ſuam Dilectionem in locum ipſius iterum conſtitutam, vel ei Commiſſionem hanc delegatam eſſe, ab hac putativa citatione, atque omnino ab ipſo negotio receſſit, & abſtinuit. Deinde cum ſolus Dominus Elector Brandeburgenſis nihilominus me monuit, & petiit, ut prædicto in termino Francofordi aſſignato adeſſem, contigit, quod eo ipſo tempore mei præcipui Conſiliarii, qui in vivis exiſtente Domino Patre meo huic negotio aſſiſtebant, & quibus illud optime perſpectum, & cognitum erat, pro die Deputationis Spiræ, ſicque Reipublicæ cauſa abſentes fuerunt, & ſatis in tempore ſuam Dilectionem ego certiorem feci, mihi non eſſe integrum proprie extincta Commiſſione coram ſua Dilectione comparere.

Et in memoriam ei reduxi negotium hoc a ſua, & Saxoniæ Dilectione ſubdelegatis Commiſſariis (poſtquam amicabilis compoſitio præter præhabitos labores, & mei Domini Parentis largas oblationes locum non obtinuerit) ad Judicii ſtatum iam perveniſſe, idque ſingularibus Compromiſſis firmatum eſſe. Petii inſuper terminum Commiſſionis Francofordi putative aſſignatum abrogari, ſed his non obſtantibus, quia Polonici Legati, & Mandatarii nihilominus Francofordi comparere voluerunt, hac in parte habuerunt liberam, & bonam voluntatem, quod illi ſibimet ipſi, non mihi, qui tempeſtive terminum ſcripto renuntiavi, imputare debent.

Porro quoniam ego ratione extinctæ Commisſionis hoc in paſſu Jure meo uſus ſum, non ſpero igitur id Regiam dignitatem in Polonia eo interpretaturam, me hoc in eius exacerbationem, & Maieſtatis Veſtræ Cæſareæ indignationem feciſſe. Non ignorat enim Maieſtas Veſtra Cæſarea, me ut obedientem Principem Imperatori omnem ſubiectionem, obedientiamque præſtare ſemper ſtuduiſſe. Et Regiae Dignitati in Polonia, ut meo ſingulari dilecto Domino Avunculo, & Amico omnia poſſibilia officia, & amicitiam demonſtrare promptiſſimum eſſe, neque id admittere velle, ut minima ſane moleſtia afficeretur. Quod vero ego Juri ad me ſpectanti intentus ſum, hoc Maieſtas Veſtra Cæſarea, & Dignitas Regia in Polonia, vel alter quiſpiam ſiniſtram in exiſtimationem non vocabit. Ut autem Sacra Maieſtas Veſtra Cæſarea hac in re meum in pacem propenſum animum ipſo facto proſpectum habeat, ego hoc arbitrio eius admitto, ſi conſultum fore exiſtimat, num iterum Commiſſio ad amicabilem compoſitionem, præter quod de ea diverſis vicibus antea actum, ſed ideo nihil firmatum eſt, ſiquidem ratione Reconventionis Jure requiſita Cautio non ſit præſtita, conſtitui debeat, aut non. Quam quidem ſi Maieſtas Veſtra Cæſarea denuo conſtituendam eſſe cenſet, hac ratione eam ſuum ſortiri effectum non recuſabo, dum ſufficienti in tempore terminus eius, & locus mihi denuntiatus fuerit, ubi vero non ſucceſſerit hæc amicabilis Compoſitio, ut proceſſus, qui vigore prioris Commiſſionis a Commiſſariis mihi conceſſus, & a Polonis ipſis per oblationem libelli inductus, atque a me exhibitis exceptionibus cum annexa eventuali litis conteſtatione peremptorialibus, & reconventione acceptatus eſt, cum omnibus aliis tam Spiritualis, quam Civilis Juris communis, & ſcripti remediis, atque Ordinationibus, et Conſtitutionibus Sacri Romani Imperii mea itidem coram Subdelegatis Commiſſariis Francofordi facta proteſtatione, et reſervatione, tanquam immediato Principi Imperatoris inprimis maneat ſalvus. De quo expreſſe proteſtor. Nam in Commiſſionem conſentire Sacra Maieſtas Veſtra Caeſarea a me non poſtulabit, vel etiam mihi illud imponet, ſiquidem hoc priori Commiſſioni Anno 1583. Viennae expeditae omnino eſſet adverſum.

ANNO 1600.

Quantum ad Patrueles Czarnkovios attinet, quibus proxime Maieſtas Veſtra Cæſarea ſpeciales promotoriales conceſsit, me erga Dominum Electorem Brandeburgenſem declaravi, quod non renuam committere, ut ad partem hic in mea Aula, ſi me acceſſerint, aut ſi hoc illis non videtur eſſe integrum, coram Maieſtate Veſtra Caeſarea Commiſſariis de ea, quam praetendunt, vendicatione cum eis ineatur tractatio, & ea in declaratione adhuc perſiſto. Et quoniam ex his omnibus Maieſtas Veſtra Caeſarea clare perſpicit, id neque per me, neque per Dominum Patrem meum, ſed per ſolam adverſam partem ſtetiſſe, quod de hoc diſsidio, neque amicabili modo conventum, neque Jure cognitum ſit. Hinc igitur veſtra Caeſarea Maieſtas facile iudicare poteſt, qua ratione potuerit Regia Dignitas Poloniae, per ipſius Legatum media Executionis, ac ſi in puncto pro-

Anno 1600. tractae iuſtitiae, & contumaciae a Maieſtate Veſtra Caeſarea requirere, ſiquidem cauſa haec adhuc in dilatoriis haereat, rebuſque ſic conſtitutis Executionis remedium nondum locum habeat, neque Regiae Dignitati iuſtitia denegata, ſed magis libera eſt, ſuntque *Sacrae Regiae* Dignitatis Mandatarii in mora, quod dudum inchoatus proceſſus ab eis non continuatur, & promoveatur, neque ad meas exhibitas peremptoriales Exceptiones, & Reconventiones actionum reſpective reſpondeatur, et lis conteſtetur.

Peto itaque *Sacram* Maieſtatem Veſtram Caeſaream ego ſubiectiſsime, velit, et dignetur Regiae Dignitatis in Polonia Mandatariis iniunctum eſſe, ut ab his incompetentibus poſtulationibus abſtineant, et negotium hoc, aut ad Compoſitionem benevolam promovere, aut in Judicio ulterius continuare magis ſtudeant, mihique tam apud Maieſtatem Veſtram Caeſaream, quam apud Electores, et Ordines Imperii illicitis declamationibus (quemadmodum apud Mechelburgenſem, et communes Ordines inferioris *Saxoniae* in univerſalibus Congregationibus in *Civitate* Brunſvicenſi factum eſt) non amplius imponant, ſed potius eo, quod aequum, et iuſtum eſt, ſeſe contentent, pro ipſa aequitate hoc fiet, quod erga *Sacram* Maieſtatem Veſtram Caeſaream omni mea facultate, et praeter meum etiam debitum, quovis tempore ſubiectiſsime et obedientiſsime ego demereri teneor, ac promptiſsimus ſum. Datum in mea Arce Wolfenbuttel vigeſima April. Anno 1600.

*Sacrae* Maieſtatis Veſtrae Caeſareae *Subiectiſsimus*, et Obedientiſsimus *Princeps*.

HENRICUS IULIUS.

*Poſtulatus Epiſcopus Halberſtadienſis, Dux Brunſvicenſis, & Luneburgenſis.*

## CONNOTATIO SUMMARUM.

*Ex Regiſtro Originali per Magnificum Franciſcum Ruſocki Caſtellanum Ciechanovienſem,* Sigismundi Augusti *Regis Commiſſarium, nec non per Commiſſarios Ducis Brunſvicenſis ſubſcripti, ac ex aliis Documentis, quæ extant in Archivo Theſauri Regni conſcripta.* Anno 1600.

| | |
|---|---|
| I. Dotis Ducatorum 32000 qui faciunt Taler. - - - - | 48000 |
| II. Ex Summa Neapolitana Taler. 52000 faciunt Taler. - | 100000 |
| III. Paraphernalia ex Tranſylvania advecta Taler. - - | 80000 |
| IV. Donum Nuptiale Ducatorum 10000 pro illo tempore reductum in Taler. facit - - | 16000 |
| V. Intereſſe a 70000 Civitatibus conceſſorum facit Taler. - | 45000 |
| Proventus ex hypothecatis Bonis, ſingulis Annis Taler. 4266 faciunt pro novem Annis Taler. | 38394 |

## TAXATIO PARAPHERNALIORUM.

| | |
|---|---|
| I. Advecta ex Polonia Taler. Moneta germanica - | 7403. 31. |
| II. Ex Tranſylvania - | 3881. 1. 4. |
| III. A Marito donata - | 6571. 32. |
| IV. Propria induſtria acquiſita, & ex Donatione - | 7940. 12. |
| V. Aurum, & Argentum | 7303. 14. 4. |
| VI. Veſtes, & aliæ res - | 10735 |

## DUCATUS MEKLENBURGENSIS.

*Renovatio Amicitiæ, & Confœderationis inter* Sigismundum I. *Regem, Regnumque Poloniæ ab una, & Henricum Megapolenſem, ac Georgium, & Barninum Stetinenſium, Pomeraniæ &c. Duces ab altera Parte per Commiſſarios utrinque delegatos facta.* Actum, & Datum in Civitate Gedanenſi Feria quarta poſt Dominicam Lætare Anno 1524. *Ex Archivo Regni. Lib. Legationum Lit. N.R. Fol. 25.* Vide Partem II. Tit. Pomerania ad Annum 1524. 1524.

*Fœdus* Sigismundi I. *Regis cum Henrico Megapolenſi, & Georgio, & Barnino Pomeraniæ &c. Ducibus initum.* Actum & Datum in Oppido Piotrkow in Conventu Generali die S. Priſcæ Anno 1525. *Ex Archivo Regni. Lib. 27. Num. 28. Fol. 213. Item Lib 28. Num. 29. Fol. 97. Item* 1525.

Lib.

ANNO 1556. *Lik. ſub Lit. N.R. Fol. 354.* Vide ibidem ad Annum 1525.

JOANNIS ALBERTI *Ducis Meklenburgenſis Renovatio, & Confirmatio Pactorum inter* SIGISMUNDUM I. *Regem Poloniæ, & HENRICUM Ducem Meklenburgenſem Anno 1525. die 9. Decembr. initorum.* Dat. Varſaviæ die 22. Januarii Anno. 1556. *Ex Originali.*

In Nomine Domini Amen.

*Ad perpetuam Rei Memoriam.*

NOS JOANNES ALBERTUS DEI Gratia Dux Meklenburgenſis, Princeps Vandalorum, Comes Sverinenſis, Roſtochiæ, & Stargardiæ Terrarum Dominus. Significamus præſentibus Literis quorum intereſt univerſis & ſingulis, præſentibus & futuris. Quod quemadmodum Maiores noſtri Sereniſſimos Reges Poloniæ &c. affinitatibus & ſangvinis vinculis coniunctos habuerunt, ita Illuſtriſſimus Princeps Dominus HENRICUS Dux Meklenburgenſis &c. *piæ memoriæ*, Patruus noſter chariſſimus Sereniſſimum Principem Divum SIGISMUNDUM Regem Poloniæ, & Magnum Ducem Litvaniæ &c. Pactis, & Fœderibus ſibi, Dominiisque ſuis coniunxit, cuius exemplum, ut in rebus omnibus, ita in amicitiis conciliandis, & retinendis imitati, de communi Conſiliariorum noſtrorum conſenſu ea Pacta & Fœdera cum Sereniſſimo Principe, & Domino Domino SIGISMUNDO AUGUSTO Rege Poloniæ, & Magno Duce Litvaniæ & Domino, ac Conſangvineo noſtro chariſſimo, iam Varſaviæ renovavimus, quorum tenor eſt iſte:

In Nomine Domini Amen.

*Ad perpetuam Rei Memoriam.*

Omnes humanæ actiones, quæ hac lege fiunt, ut nunquam ab hominum memoria diſcedant, ſed perpetua ſerie decurrentes, ſempiternæ permaneant, nulla ratione melius ſtabiliri, & firmari poſſunt, quam ſi Literarum monimentis memoriæ proditæ, ab interitu vindicentur. Atque ideo Nos HENRICUS Dei Gratia Dux Megapolenſis, Sclavoniæ Inferioris Princeps, Comes Sverinenſis, Roſtock, ac Stargardiæ Terrarum Dominus, præſentium Literarum teſtimonio apud omnes homines, qui nunc ſunt, & futuri ſunt, teſtatum eſſe volumus, & profitemur. Quod inter alia Principatus & Dominiorum noſtrorum negotia, quæ recenſendo, & memoria repetendo in animo revolvimus, &, cum Conſiliariis noſtris deliberando, & conſultando inſtituimus, & decrevimus ad fulciendas res noſtras, & Dominiorum noſtrorum, ut in pace, & tranquillitate, quoad fieri poteſt, gubernatæ permaneant, & retineantur, id etium non minus conſentaneum, & utile, quam neceſſarium viſum eſt faciendum, ut cum Sereniſſimo Principe, & Domino Domino SIGISMUNDO Poloniæ Rege, Terrarumque Cracovienſium, Sandomirienſium, Siradienſium, Landzicienſium, Cuiaviæ, Magno Duce Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Culmenſis, Elbingenſis, & Pomeraniæ Domino & Hærede, Domino & Cognato noſtro chariſſimo Fœdus, & *Societatem*, ac amicitiam retineamus, quam noſtros Maiores etiam cum Maioribus eiusdem tenuiſſe, & ſervaſſe Literæ ultro, citroque deſuper confectæ, atque in ſcriniis repertæ teſtantur. Quibus permoti paulo ſuperiore tempore *Spectabilem* & Egregium Dominum Nicolaum Marſchalcum, utriusque Juris Doctorem, Oratorem, & Conſiliarium noſtrum ad tractandum & componendum de modo, & ordine eiusee Amicitiæ, & *Societatis* deſignatum miſimus. Quorum ſtudio, & opera, poſteaquam cum Oratoribus, & Conſiliariis eiusdem Domini Regis Reverendiſſimo, & Reverendis in Chriſto Patribus Dominis Joanne Eccleſiæ Gneſnenſis Archiepiſcopo Legato nato, & Primate, Mathia Cuiavienſi & Pomeraniæ, Joanne Culmenſi, Epiſcopis, Magnificisque, & Generoſo Staniſlao de Koſczelecz Palatino Caliſienſi, Marienburgenſi, Bidgoſtenſi, & Stumenſi, Capitaneo, Georgio de Bayzen Palatino Marienburgenſi, & Gnewenſi Capitaneo, & Achatio Czema Succamerario Pomeraniæ, & Capitaneo Sluchovenſi convenerunt, eo res deducta eſt, ut compoſitis rebus, & deſcriptis omnibus articulis in hoc Fœdere, & Societate inter præfatum Sereniſſimum Dominum Regem, & Nos pactis, & ad Nos partium ſigillis obſignatis perlatis, ipſos de Conſilio, & aſſenſu Conſiliariorum noſtrorum ſtatus utriusque approbatos ad memoriam ſempiternam confirmaremus, eo tenore, qui ſequitur. Inprimis autem Nos, & Succeſſores noſtri cum ſupra dicto Sereniſſimo Domino Rege, eiusque in prædicto Regno, & Dominiis Succeſſoribus eſſe volumus harum ſerie Literarum in amicitia perpetua coniuncti, & Confœderati, eique, ac eisdem Succeſſoribus ſuis conſilio, favore, & auxilio opportuno pro poſſe noſtro adverſus quemlibet hoſtem Regno, & Dominiis

ANNO 1556. eiusdem propinquius adiacentem assistemus in omni eventu, & præsertim si Dominus Magister Prussiæ cum Ordine suo, aut eius Successores, Hæredes, complices, fautores, auxiliatores, & adhærentes, Regna, vel Terras Serenissimæ suæ Celsitudinis impeteret, aut alia quacunque via hostiliter invadere, seu molestare simul, vel divisim, vellet, atque in effectu molestaverit, aut invaserit. Similiter ipse quoq; præfatus Dominus Rex, eiusq; Successores esse debent Nobiscum, & cum nostris Successoribus Ducibus Megapolensibus &c. in Amicitia perpetua coniuncti, & Confœderati, Nobisque, nostrisque Successoribus, & Hæredibus, Consilio, auxilio, & favore pro posse adversus quemlibet hostem, Ducatui, Terris, & Dominiis nostris, propinquius adiacentem in omni eventu assistet, & præsertim si Illustris Dominus JOACHIMUS Marchio Brandenburgensis, Elector Romani Imperii, vel eius Successores, Hæredes, complices, fautores, auxiliatores, & adhærentes Regna, vel Terras Serenissimæ suæ Celsitudinis, Nos, Hæredesque nostros, vel Ducatum, Terras, & Dominia nostra impeteret, aut alia quacunque via hostiliter invadere, seu molestare, singulariter, vel coniunctim vellet, atque in effectu molestaverit, aut invaserit. Contra Paganos autem, Hæreticos, & Scismaticos in remotioribus agentes Nos, Hæredes, Successoresque nostri pro virtutis nostræ arbitrio, & beneplacito, præfato Domino Regi assistemus, & opitulabimur. Quemadmodum, & ipse quoque Serenissimus Rex, eiusque Successores, vicissim Nobis, & nostris Successoribus, contra eosdem infideles Hæreticos, & Scismaticos in remotioribus agentes pro virtutis suæ arbitrio, & beneplacito, assistet, & auxilia feret. Ea autem auxilia, & reliqua assistentiæ officia Nos eidem Domino Regi expensis nostris præstabimus, & Successores nostri præstabunt. Cum vero Exercitus noster, vel Successorum nostrorum, quem in auxilium præfato Domino Regi mittemus, ad illius fines pervenerit, illum mox ipse Dominus Rex, & eius Successores per suum Conductorem excipient, qui eidem exercitui in eius profectione de quieto, & securo transitu, deque habendo commeatu, iusto eiusdem Exercitus pretio, ac ære eius proprio comparando, consulet, & providebit, eique assistet. Quodsi in bello, ad quod Gentes nostras in auxilium præfato Domino Regi mittere Nos, aut Successores nostros, contigerit, aliquis de exercitu nostro, vel eorundem Successorum nostrorum, sive præliando, vel aliis modis extra prælium ipsi Domino Regi militando captus, vel detentus, aut alias in obligationem receptus, seu sponsione fidei obstrictus fuerit, illiper eundem Dominum Regem, vel eius Successores, consuletur, & suffragabitur, & propterea etiam in manu, vel potestate eiusdem Domini Regis, omnes, & singuli captivi ex hostibus quacunq; ratione capti esse debebunt. Insuper Deo Optimo Maximo expugnationem aliquarum Arcium, Castrorum, Civitatum, & quorumvis aliorum locorum concedente in eo bello, ad quod præsidium per Nos, vel Successores nostros dicto Domino Regi fuerit missum, ea omnia, & singula in eo ipso bello expugnata, si prius ad ipsum Dominum Regem, vel eius Prædecessores pertinuerunt, ei erunt relinquenda. Si vero nec ad illum, nec ad Nos, aut Prædecessores nostros spectabant, nihilominus ipsi Domino Regi, & eorum Successoribus cedent, & cedere debebunt. Et quia Confœderatorum interest mutuam rerum, & actionum suarum curam habere, non indicemus bellum Nos, & Successores nostri ex vi, & ordinatione horum Fœderum cuicunque hosti nostro Ducatus, et Dominiorum nostrorum, inscio, et inconsulto præfato Domino Rege, aut eius Successoribus. Fortasse enim communicato cum illis consilio, via, et modi invenientur, per quos iniuria Nobis, Ducatuique, et Dominiis nostris illata resarciri, et pro illa debita satisfactio, citra vim armorum impendi poterit. Nisi forte Nos inopinate, seu ex improviso invaderemur, Successoresque nostri, aut Ducatus, et Dominia nostra invaderentur. Non permittemus etiam Nos, et Successores nostri pro virium nostrarum facultate transire, et redire Gentes, sive nostras, sive alienas adversus præfatum Dominum Regem, aut eius Successores, per loca Ducatus, et Dominiornm nostrorum hostili molimine transire conantes, neque illas quoquo modo occulte, vel manifeste adiuvabimus, ut hosti ad usum, ipsi vero Domino Regi, aut eius Successoribus ad damnum pervenirent. Et quoniam iacula prævisa minus feriunt, conatusque hostium præsciti, & cogniti non ita graves, & noxii, ut subiti, & inopinati esse solent, pollicemur pro Nobis, & nostris Successoribus, quod quotiescunque præsenserimus aliquas insidias parari ipsi Domino Regi, vel eius Regno, & Dominiis, opponemus Nos pro posse nostro, ut eas ipsas insidias avertamus industria, vel viribus nostris. Et nihilominus eundem Dominum Regem, quam primum poterimus, præmonebimus, ut rebus suis in tempore provideat, suaeque

ANNO 1556.

Anno 1556. que, Regni, & *D*ominiorum ſuorum indemnitati proſpiciat. Liberum autem eſſe debebit ipſi *D*omino Regi & eius Succeſſoribus, ultra debitum Confœderationis ſubſidium, totiens, quotiens voluerint, Gentes in *D*ucatu, & *D*ominiis noſtris ære ipſius proprio ad eius neceſsitatem conducere, cum ſcientia tamen præſcripta, & ordinatione noſtra, & *S*ucceſſorum noſtrorum. Item providebimus, et providere curabimus in confinibus *D*ucatus, et *D*ominiorum noſtrorum, ne fiant latrocinia, cædes, ſpolia, invaſiones, excurſiones, et captivitates inter noſtros, et dicti *D*omini Regis ſubditos. Pro commiſſis autem damnis, iniuriis, & exceſſibus Judices noſtros, Commiſſarios, omni triennio ad Oppidum Regiæ Celſitudinis Cholmitze ad diem Sancti Galli, a Feſto ipſius Sancti Galli proxime præterito inchoando, & ſic conſequenter, pro eodem die de triennio in triennium deſignabimus, & mittemus. Ipſi etiam Donus Rex præfatus, eiusque Succeſſores, ſuos Judices, Commiſſarios illuc in Cholmitze de triennio in triennium, ut præmiſſum eſt, pro tempore ſupra expreſſo deſignabit, et mittet, qui ſimul cum noſtris convenientes, oppreſſis, iniuriatis, damnificatis omnibus ſubditis noſtris cum plena poteſtate, tam in criminalibus, quam in civilibus cauſis juſtitiam indilatam miniſtrabunt. Ut autem ſubditi dicti Domini Regis, quibus per ſubditos noſtros facta fuerit iniuria, & damnum, expeditius iuſtitiam debitam conſequantur, mittent querelas ſuas contra ipſos ſubditos noſtros, ad Magnificum Palatinum Pomeraniæ modernum, & pro tempore exiſtentem, qui illas ad *P*ræfectum Stolpenſem mittere curabit, ita, ut prius uno quartali anni, quam præfatus Conventus agetur, huiusmodi querelæ ad manus ipſius Præfecti Stolpenſis perveniant. Similiter etiam ſubditi noſtri querelas ſuas contra ſubditos ipſius Regis ad eundem Præfectum Stolpenſem mittent, vel deferent, qui illas ad Palatinum Pomeraniæ pro tempore exiſtentem uno quartali anni, antequam ipſa Conventio Choymicenſis inchoabitur, perferri curabit. Qui quidem Præfectus Stolpenſis ſubditos noſtros, tam actores, quam reos, ad locum, & diem Conventionis prædictæ coram noſtris, & ipſius Domini Regis Judicibus Commiſſariis iudicialiter comparere iubebit, qui ſi fuerint rei, & comparere noluerint, vel temere neglexerint, nihilominus ipſi communes Commiſſarii parti querenti iuſtitiam de illis miniſtrabunt, ſecundum quod ius, & æquitas dictaverint, & ſimiliter de Actoribus non comparentibus facient. Idem obſervandum erit, ſi quis de terris noſtris cum alterutris ſubditis in dicto Choymicenſi Conventu actiones ſuas iure proſequi voluerit. Is enim querelas ſuas in manus Capitanei Maioris Poloniæ Generalis, qui fuerit pro tempore, tempeſtive mittere curabit, & in omnibus ſupraſcripta formula ab utraque parte obſervanda erit. Item providebimus, & providere curabimus, ut in manutenendis limitibus, noſtra, & dicti Domini *R*egis Dominia concernentibus æquitas obſervetur. Et quod nemo ſubditorum noſtrorum aliquem ſubditum eiusdem Domini Regis de poſſeſſione vetuſta, & uſu aliquorum Bonorum, vel aliquarum pertinentiarum in Dominiis ipſius Domini Regis exiſtentium eiiciat, niſi auctoritate illorum adhibita. Volentes autem Nos ex ea Coniunctione, & Affinitate, quæ cum prædicto Domino Rege Nobis intercedit, commoditatibus non ſolum ſuæ Regiæ Celſitudinis, verum etiam ſubditorum eiusdem proſpicere, conceſſimus, & harum Literarum ſeria concedimus, Succeſſoresque noſtri concedent, & permittent, vigore Ordinationis, Statuti, & Fœderum cum eodem Domino Rege initorum, eam facultatem ipſius ſubditis, ut poſſint in Ducatum, & Dominia noſtra, terra, & mari venire, & cum ſubditis noſtris mercari, ac negotiationes exercere libere, & ſecure ſine quovis impedimento, quandocunque, & quotiescunque illis expediens, & conveniens viſum fuerit, ſalvis tamen Juribus Dominiorum noſtrorum, prout in illis hactenus fuit obſervatum. Et quia pro Colonis profugis inter ſubditos utriusque Dominii differentia, & controverſia ſolet plerumque ſuboriri, conſtitutum eſt, ut ab hoc Confœderationis tempore, quicunque profugus fuerit, infra quinque annos, a ſuo Domino iure repetitus, eidem repetenti, in quantum ius ſibi ad ipſum competierit, ſine omni renitentia reſtituatur. Sed lapſo quinquennio, a tempore ſcientiæ computando, quam ſcientiam ſubditum ſuum repetens, ſub corporali Juramento probare debebit poſſeſſor huiusmodi profugi, præſcriptione quinquennali repellet ab actione repetentem, niſi repetens Juramento ſuo probaverit, ſe non permiſiſſe a tempore ſcientiæ ſuæ tranſire præſcriptionem quinque annorum. Reliquum eſt, quod transgreſſoribus, & aliis quibuscunque quocunque facinore, exceſſu, ſive comminationibus, atque inimicitiarum denuntiationibus, aut alia quavis ſuſpicione notatis, Salvum Conductum non dabimus, nec dari faciemus, niſi cautione prius ab eis, aut ali- Anno 1556.

Ex Bibliotheca Universitatis Vilnensis

ANNO 1556. quo eorum recepta, de ſtando, & parendo Juri in eo loco, in quo in ipſis Dominiis ipſius Domini Regis deliquerunt, ubi ipſe Dominus Rex, & eius Succeſſores, eisdem transgreſſoribus, & aliis quibuscunque notatis, ac ſuſpectis ad eos, vel ad eorum loca, & Dominia venturis de novo Salvo Conductu providebit. Et ſi tales juri, vel rei iudicatæ parere, & ſatisfacere noluerint, pro proſcriptis apud Nos, & Succeſſores, ſubditosque noſtros haberi, cenſeri, & reputari debebunt, neque amplius in Ducatu, Dominiis, ac Terris noſtris fovere poterint, ad illosque capiendos, & debita animadverſione puniendos auxilium, & conſilium ubilibet in Ducatu, Dominiis, & Terris noſtris præſtabimus, & præſtari faciemus, noſtrique Hæredes, & Succeſſores præſtabunt, & præſtari facient. Quos quidem Fæderis, Coniunctionis, & Amicitiæ modos, conditiones, & articulos ſupraſcriptos ſic, uti præmiſſum eſt, concluſos, & confectos, & pro communi bono, ac tranquillo, & quieto ſtatu Ducatus, ſubditorumque noſtrorum, & etiam Regni, ac ſubditorum ipſius Domini Regis prædicti ſtabilitos, Nos HENRICUS Dux, & Princeps præfatus pollicemur verbo noſtro Ducali, de conſilio, & aſſenſu Conſiliariorum noſtrorum, in omnibus punctis firmiter tenere, implere, & inviolabiliter obſervare, Hæredeſque, & Succeſſores noſtri obſervabunt perpetue, & in ævum. In cuius rei fidem, & teſtimonium, præſentibus ſigillum noſtrum appendi fecimus. Actum, & Datum Stetnii die Sanctæ Apolloniæ Virginis, Anno Domini: milleſimo, quingenteſimo, vigeſimo quinto.

Quam quidem amicitiam, Coniunctionem, & Fædera Nos JOANNES ALBERTUS Dei Gratia Dux Meckelburgenſis &c. prædictus ex aſſenſu, & ſententia Conſiliariorum noſtrorum in omnibus eorum punctis, clauſulis, & articulis innovamus, approbamus, & ratificamus, eaque Nos ſancte, firmiter, & inviolabiliter obſervaturos eſſe, quatenus ad Nos, Ducatus, Dominiaque noſtra pertinet, verbo noſtro Ducali promittimus. In cuius rei fidem, & teſtimonium præſentibus manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillum noſtrum appendi iuſſimus. Datum Varſoviæ vigeſima ſecunda die Menſis Januarii Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto Præſentibus Conſiliariis, & Aulicis noſtris, Georgio a Thannenberg Præfecto noſtro in Domitz, Joanne de Lucar Juris utriuſque Licentiato, & Cancellario, Joachimo Rohr Marſchalco, Andrea Mylio Artium Magiſtro, Chriſtophoro Pentzen, Bartholomeo Lutzow, Melchiore de Luhe, & multis aliis fide dignis. ANNO 1556.

JOANNES *mpp.*

*Literæ Conceſſionis adminiſtrandi Archiepiſcopatum Rigenſem* JOANNI ALBERTO *Duci Megapolenſi per Sacram Regiam Maieſtatem Poloniæ datæ.* Vide Codicis Diplomatici Tom. V. ad Annum 1564. 1564.

*Literæ Recognitionis debiti centum millium florenorum Rhenenſium* JOANNI ALBERTO *Duci Megapolenſi per* ALBERTUM *Seniorem Ducem in Pruſſia factæ. Actum Regiomonti 18. April. &c.* Vide Tom. IV. ad Annum 1566. 1566.

*Literæ Inſcriptionis Ducis Megapolenſis, quibus pollicetur ſe nullo unquam tempore Duci, & Ducatui Pruſſiæ in præſtando auxilio defuturum eſſe* Dat. Konigsbergi 8. Maii Ibidem. 1566.

*Conditiones Illuſtri Chriſtophoro Duci Megapolenſi ante liberationem eius a S. R. M. propoſitæ.* Vide Tom. V. ad Annum 1569. 1569.

*Reſponſum eiusdem Ducis, quo Conditiones ſibi ante ſuam liberationem a S. R. M. propoſitas gratas habet* Ibidem. 1569.

*Verba concepta, quibus Dux Megapolenſis in deprecanda culpa, & admiſſorum venia a Regia Maieſtate petenda uſus eſt.* Ibidem. 1569.

*Reſponſum Sacræ Regiæ Maieſtatis ad eadem Ducis Megapolenſis verba in publica audientia.* Die 18. Februar. Datum Ibidem. 1569.

*Reſponſum S. R. Maieſtatis datum Interruntiis Illuſtris Domini* JOANNIS ALBERTI *Ducis Megapolenſis in negotio Adminiſtrationis Archiepiſcopatus Rigenſis.* Lublini die 14. Auguſti. Ibidem. 1569.

HISPA-

ANNO 1558.

## HISPANIA.

*Literæ* SIGISMUNDI AUGUSTI *Regis ad* PHILIPPUM II. *Hiſpaniæ Regem. Indigne fert Literas, Munimenta, & omnia Bona mobilia, quæ ſibi poſt obitum Reginæ* BONÆ *Matris ſuæ integra ſervari debuerant, per Officiales præfati Regis* PHILIPPI *ablata, & Neapolim deportata eſſe, & quod Teſtamentum Reginæ* BONÆ, *quo Ducatum Barenſem eidem Regi* PHILIPPO *donaſſe prætenditur, falſum omnino, ſuppoſitumque ſit, & tum demum a quodam falſario Papagoda dicto confectum, cum Regina* BONA *moribunda ſui poteſtatem amiſiſſet.* Dat. Vilnæ d. 17. Aprilis Anno 1558. Vide Tom. II. Part II. Num. XXV. ad An. 1558.

1558. *Mandatum eiusdem Oratori ſuo ad* PHILIPPUM II. *Regem Hiſpaniæ in eodem negotio datum.* Vilnæ 18. Aprilis Anno 1558. Ibidem Num. XXVI.

1598. PHILIPPI *Hiſpaniarum Regis Transactionis Bendzinenſis Ratihabitio, & Approbatio.* Dat. Divi Laurentii die 8. Julii An. 1598. Vide Tit. Auſtria Fol. 286. Num. XCIII.

1643. *Mandatum* PHILIPPI IV. *Regis Hiſpaniarum, ratione crediti Sereniſſimi Regis Poloniæ in Regno Neapolitano conſtituti.* Dat. Barcinonæ 6. Julii. Anno 1643. Vide Tom. II. Partem II. Num. XXXV.

1695. *Mandatum* CAROLI II. *Regis Hiſpaniarum ad Proregem Neapolitanum in negotiis Reipublicæ Polonæ, ratione Summarum Neapolitanarum.* Vide Ibidem Num. XLIII.

## HOLLANDIA.

1577. STEPHANI *Regis Poloniæ Literæ Vniverſales, ad arreſtanda Bona Gedanenſium abivis extra Regnum exiſtentia, propter ſpoliatas per eos Hollandorum Naves.* Datum in Caſtris ad Głowan 21. Julii 1577. Vide Tom. VIII. Partem I. ANNO 1577.

*Literæ Eiusdem ad Principem Aurauſionenſem in eodem negotio.* Ibidem. 1577.

I.

*Literæ ab Ordinibus Fœderati Belgii ad Sacram Regiam Maieſtatem per Legatum de Witt datæ.* Hagæ Comitis, d. 18. April. 1670. *Ex Arch. Regni Lib. 182. Num. 183. Fol. 96.* 1670.

Vt primum Nobis non ſaltem per vulgares rumores innotuit, ſed, & deinceps per Regiæ Maieſtatis Veſtræ Literas denuntiatum fuit, eundem communi Regni Primatum Suffragio ac poſtmodum totius populi unanimi applauſu ad Thronum Regium, & ad Auguſta Sceptra evectum, ac denique ſolenni ritu coronatum fuiſſe, confeſtim decrevimus iſthuc ſpecificam adornare Legationem, per quam teſtatum faceremus hanc Electionem, & Succeſſionem in Regium ſolium Nobis acceptatiſſimam eſſe, prout Maieſtati Veſtræ Superioribus noſtris Literis uberius explicuimus. Et conſiderantes ad utriusque Regni ac Status incrementum plurimum conferre, ut ſub auſpicio ſuſcepti Regni, atque Imperii Veſtri, vicinitatis Jura recolantur, tamque firma amicitia ſtruatur, qualem neceſſitudo utriusque ſtatus ex commodo, & ſalute unius, & alterius Gentis requirit. Proinde ad hunc Actum elegimus, atque expedivimus Legatum noſtrum extraordinarium Prænobilem Magnificum, & Ampliſſimum Virum Dominum Joannem de Witt Senatorem Urbis Dordrechtanæ Ordinarium Deputatum ad Conventum Dominorum Ordinum Hollandiæ, Weſtfriſiæque, & eiusdem Provinciæ nomine in Conſeſſu noſtro Deputatum, cum mandato, ut coram Regia Maieſtate Veſtra nonnulla haud parvi momenti proponeret, perageretque, amice rogantes ut Regia Maieſtas Veſtra eundem Legatum noſtrum gratioſe ſuſcipere, benevole, quoties ratio, & neceſſitas poſtulaverit, audire, plenamque illi fidem in omnibus quæ noſtro nomine expoſiturus eſt, uti Nobis ipſis præbere, atque ſuo tempore, expectato, & ſalutari reſponſo dimittere velit. Quod

ANNO 1670. quidem Nobis gratiſſimum erit, viciſſimque nihil intermittemus, quod ad roborandam mutuam amicitiam, ac Fœdera facere poſſit. Quod ſupereſt, Sereniſſime ac Potentiſſime Rex, Deum Optimum Maximum, ut Maieſtatem Veſtram ſoſpitem conſervet; & diu proſpere, ac feliciter regnare velit, rogamus. Datæ Hagæ Comitis die 18. Aprilis 1670. Regiæ Maieſtati Veſtræ ad quævis officia paratiſſimi *Ordines Generales Fœderati Belgii.*

*H. Schotanus Muyſech a Starringa.*

*Ad Mandatum eorum.*

*Puncta Tractatus Fœderis mutui Commercii, & intercurſus inter Sereniſſimum Regem, & Rempublicam Poloniæ ab una, & Celſipotentes Fœderati Belgii Ordines ab altera parte ineundi, Sacræ Regiæ Maieſtati, & Dominis Senatoribus per Legatum de Witt propoſita. Ibidem fol. 97.*

Tractatus Fœderis mutui Commercii, & Intercurſus inter Sereniſſimum Regem, & Rempublicam Poloniæ ab una, & Celſipotentes Fœderati Belgii Proceres ab altera Parte.

I.

Quod inter Sereniſſimum Regem & Rempublicam Poloniæ ab una, & Celſipotentes Fœderati Belgii Ordines ab altera parte, una cum Provinciis ac Civitatibus utriusque Regni, & Status annexis, nec non inter ſubditos, & Incolas illorum, cuiuſcunque Ordinis ac conditionis fuerint, ſine ulla vel locorum, vel Perſonarum diſtinctione, & nunc, & in perpetuum eſſe, ac durare debeat, ſincera, firma, ac perfecta amicitia, mutuaque animorum coniunctio, prout inter utrumque Regnum, & Status mediante præſenti Tractatu, ad promovendum mutuum utriusque commodum, ſecuritatem, pacem, liberumque commerciorum, & navigationis exercitium, ac intercurſum adverſus omnes, ac ſingulos, qui unum, vel alterum contra Jus Gentium circa ſecuritatem, pacem, libertatem, liberumque Jurium, commerciorum, ac navigationis uſum turbare, ac bello laceſſere vellent, ſincera firma, & perfecta initur, et ſtabilitur amicitia, et Confœderatio.

II.

Eum in finem ſi quis cuiuſcunque in Chriſtiano Orbe dignitatis fuerit Regiam Maieſtatem, ac Rempublicam Poloniæ, vel illi annexas Provincias, Civitates, ſubditosque, circa ſecuritatem, pacem, libertates, et Jura, liberumque Commerciorum, ac navigationis uſum, tempore quocunque contra fas, et Jus Gentium, turbare, infeſtare, aut damnificare præſumeret, alte memorata Regia Maieſtas, eiusque in Regno Succeſſores, Reſpublicaque Poloniæ, Celſos ac Potentes Fœderatos Belgii Ordines, de ſupradictis moleſtiis, iniuriis, periculis, damnisque certiores reddent, ſicuti vice verſa. Si quis cuiuſcunque etiam in Chriſtiano Orbe conditionis, ac æſtimationis fuerit, Celſos ac Potentes Fœderati Belgii Ordines, aut illorum Ditiones, ac Provincias Fœderatas, Civitates, Subditoſve illorum circa ſecuritatem, pacem, libertates, et Jura, liberumque Commerciorum ac navigationis intercurſum, contra Jus Gentium turbare, infeſtare, aut damnificare præſumeret, tenebuntur Celſi, ac Potentes Fœderati Belgii Ordines prædictarum moleſtiarum, iniuriarum, damnorumque notitiam ad alte memoratam Regiam Maieſtatem, Eiuſve in Regno Succeſſores, tum temporis exiſtentes, Rempublicamque Poloniae deferre; atque hoc peracto uterque Confœderatorum coniunctim, vel etiam ſeparatim, ille, ad quem praefata aviſatio facta fuerit, pro re nata per Literas, aut Miniſtros, quos habuerint, aut poſtea accepturi ſint, omnem operam impendere, quo omnino ille, quicunque illarum moleſtiarum, iniuriarum, aut damnorum author fuerit, mediis pacificis eo adigatur, ut omnia in integrum reſtituat, atque hoc ipſo omnibus aſſenſionibus, difficultatibus, rebus adverſis, quæ in unius, aut alterius Confœderatorum detrimentum vergere poſſent, mature obviam eatur. Quod ſi vero labor iſte Succeſſu ſuo careret, tunc pro conditione rerum ac temporis uterque Confœderatorum ex communi placito arctiora inibunt Conſilia, quibus communes iniurias, quantum opus fuerit, cohiberi, damnaque exinde illata ſufficienter reſarciri poſſint. ANNO 1670.

III.

Licitum erit prænominatorum Fœderatorum ſubditis, ac incolis utriusque partis, Regnum, Provincias, Civitates, Oppida, & Villas muris cinctas, aut non cinctas, propugnaculis munitas, aut non munitas, nec non Portus, Stationes navium, ac Diſtrictus quoscunque in Europa omni tempore libere, ac ſecure intrare, in iisdem, quamdiu voluerint, commorari, converſari, fixasque ſedes habere, & domos, tam ad habitandum, quam ad depoſitionem, & aſſervationem commodas extruere, in eas, quascunque illis libuerit, merces comportare, illasque aſſerva-

ANNO 1670. ſervare, libere & absque ulla moleſtia vendere, aut cum aliis quibuslibet mercibus, & quovis alio permutare, fruenturque omnes in omnibus, ac ubivis locorum ſub Ditione utriusque Confœderatorum in Europa exiſtentium, iisdem omnino Juribus, Privilegiis, ac Libertatibus, quibus ſinguli ac proprii utriusque ſubditi, ac incolæ in ſuis Regionibus ac Patria gaudent. Liberum etiam erit utriusque memoratorum Confœderatorum ſubditis, incolisque in utriusque Provincias, Ditiones, Vrbes, Stationes navium, Portus, Fluviosque non tantum cum navibus, tam ſuis, quam conductis una cum mercibus accedere, anchoras iacere, ac ibidem manere, easdemque exonerare, iterumque illas mercimoniis quibuscunque, nullis exceptis, nec non aliis rebus neceſſariis onerare, easque vel emere, aut per alios, quos voluerint, ubivis & toties, quoties illis placuerit, emi curare. Sed etiam ex ante dictis Regno, Provinciis, Civitatibus, Oppidis, Villis, Portubus, Diſtrictibusque, libere & absque ulla moleſtia, ac impedimento toties, quoties, & quorſum illis libuerit, ſive cum ſuis propriis inſtructis, ſeu ab aliis conductis, mercibusque ſuis oneratis navibus, ſive terreſtri itinere, plauſtris, vehiculis, equis, mercimoniis, armaturis, ſarcinatis bonis, ac rebus quibuscunque, ire, & recedere, quemadmodum propriis in patriis, ac omnia eis facere licet, & ſicuti proprii ſubditi locorum & patriarum illarum facere poſſint, ſpecialiter vero ab illis non maiores gabellæ, ac telonia maritima, qualia ſunt liberale, & datia, additamentum, alias Pfundtzoll, & Zulage, nec non pro ſpeciali doliis ac laſta exigentur, aut etiam maioribus oneribus, quam quæ ſubditis & incolis cuiusque propriis imponi ſolent, aut poſſunt, gravabuntur.

IV.

Quoties vero contingeret, ut naves aliquae, quaecunque fuerint, ſive unius vel alterius partium praedictarum per tempeſtatem maris, vel ob metum hoſtilem, vel aliam cauſam in portum aliquem unius, vel alterius partis applicare, aut intrare compellerentur; Illae ex praedictis locis libere recedere poterunt, neque quiſpiam illas exonerare, aut merces in alias naves tranſportare, aut divendere, multo minus autem, ſi quando non exonerantur, teloneum ullum pro Statione, aut iactis anchoris, vel aliud quidpiam, quo nomine venire queat, ſolvere obſtrictus erit, ſed tantummodo Salvi Paſſus nautici Literas, ac certificationes, nullis praeterea inquiſitionibus ac viſitationibus obnoxius, exhibere tenebitur. ANNO 1670.

V.

Conventum eſt quoque, quod Mercatores, Magiſtri navium, Naucleri, ac reliqui marinarii unius, vel alterius Confœderatorum Subditi, vel illorum naves, ac merces, bonaque alia cuiuscunque generis, et cuius ex Confœderatis ex Mandato, vel generali, aut particulari ob cauſam ſeu hoſtilem, aut aliam quamcunque, in primis ſi ſub praetextu aliquo unus vel alter iisdem ad Conſervationem Regni, ac Provinciarum, Dominiorumque ſuorum uti vellet, neque etiam per Nobile Judicum Officium, occaſione aeris alieni obligationum, et Contractuum, nec areſtari, et detineri, ſed in eiusmodi rebus, omnia ſecundum Ordinarium Juris Proceſſum expediri debeant.

VI.

Si vero accideret, naves aliquas ſeu armatas ſeu mercatorias, unius, vel alterius Confœderatorum, vel eorum Subditorum ob maris tempeſtatem, vel alium caſum quemcunque prope, vel in portubus, aut littoribus maris, et Diſtrictibus alterius partis periclitari, ac perire, illae cum omnibus appertinentiis, aut quod ex naufragio de illis remanſerit, cum omnibus bonis ac mercibus, quibus onuſtae fuerunt, et vel ſervatae, aut modis quibuſcunque recuperatae ſunt, non Fiſco addici, ſed intra annum, et diem tunc proxime ſequentem per proprietarios, ceſſionarios, aut Procuratores illorum omnia exigi, et non tantum naves cum Bonis recuperatis, ſed etiam quod ex venditione illorum ob metum corruptionis, aut aliam evidentem neceſſitatem acquiſitum fuerit, ſine ullo ſtrepitu Juris aut dilatione reſtitui debebunt, ſolvendo tamen illis, quorum opera, et diligentia naves, et Bona ipſa recuperata, expenſas, quas ratio, et aequitas poſtulabit. Si autem inter utriusque partis Subditos ſuper eiusmodi rebus, et Bonis aliqua orietur controverſia, tunc Judices illorum locorum eandem ſummario Proceſſu decidere tenebuntur, nec litigantes ad formalitates ullas Juris trahere illis integrum erit.

VII.

Ut vero Commercia, et intercurſus navigationum tanto melius ac tutius exercere poſſint, conventum eſt, ne quiſpiam Fœderatarum Partium, vel ipſe in portus ac Littora ſua Piratas ullos recipiat, aut a Subditis ſuis recipi ac tolerari permittat; ſed uterque tam ipſos Piratas, quam qui eosdem hoſpitio acceperint, et accipiunt, modis omnibus perſequi, comprehenſosque iuſto in reliquos exemplo ſevere

ANNO 1670. punire tenebitur, naves autem interceptae, una cum Bonis, et mercibus, ſiquae ſuperſint, et invenientur, licet fortasſis iam venditae fuiſſent, proprietariis ceſſionariis, aut Mandatariis reſtituentur.

VIII.

Conventum eſt porro, quod alte memorata Regia Maieſtas, aut illius Succeſſores in Regno Poloniae tum-temporis exiſtentes, Celſi-Potentum Fœderati Belgii Procerum, dictarumque Unitarum Provinciarum Subditos, et Incolas, ſi quando in Regno Poloniae, eiusque Provinciis, ac Civitatibus, quarum protectione gaudent, eis vita defungi contingeret, circa haereditates areſtis, aliisque vexationibus, quibus illi ac reliqui peregrini antea obnoxii fuerant, onerari amplius, & turbari non permittent, prout etiam ex altera parte in prædictis Unitis Provinciis adverſus altememoratae Regiae Maieſtatis, ac Reipublicae Poloniae Subditos, Incolasque circa Hæreditates eiusmodi Jura, & exactiones uſurpari, & exerceri non debebunt.

IX.

Et cum Celſi-Potentum Fœderati Belgii Procerum nomine cum Civitate Dantiſci tractatum, & concluſum, aut potius Civitatis memoratae nomine certa tractatio, aut ſtipulatio fuerit extradita, quae eius, prout adiuncta Scheda teſtatur, eſt tenoris.

*Fiat inſertio.*

Sacra Regia Maieſtas pro ſe, & Succeſſoribus ſuis ſpondet ea omnia approbaturam, & ratificaturam, prout ea præſentus Tractatus vigore cum omnibus, & ſingulis clauſulis, & contentis approbat, & ratificat, illaque ſe bene, & fideliter in ſuo robore conſervaturam, conſervarique curaturam promittit.

X.

Altememorati Confœderati porro declarant, quod cum aliis Regibus, Rebus publicis, Principibus, Statibus, ac Civitatibus nullos Tractatus, ac Fœdera, quae huic bonae amicitiae, Confœderationi, confidentiae, nec non mutui commercii, & intercurſus Tractatui contradicere, ac nocere poſſunt, inibunt, vel inire velint.

XI.

Præmemoratus Tractatus ad requiſitionem Celſi-Potentum Fœderati Belgii Procerum ſpecialiter, una Civitatis Dantiſci nomine ab eiusdem Plenipotentiariis ſubſcribetur, & poſtea ab utraque parte Confœderatorum in optima, & meliori forma ratificabitur, Actaque Ratificationis in legitima forma a Subſcriptione præſentium, intra trium menſium ſpatium extradentur.

III. ANNO 1670.

*Tractatus Hollandorum cum Gedanenſibus Anno 1656. d 12. Julii. initus, per Legatum Hollandicum, Joannem de Witt porrectus.* Anno 1670. *Ex Archivo Regni, Lib. 182. Num. 183. Fol. 101.*

Univerſis, & ſingulis has viſuris, aut lecturis ſalutem. Quandoquidem Celſi, & Potentes Domini Ordines Fœderati Belgii hoc rerum temporumque ſtatu, continuis, ac ſeriis officiis Miniſtrorum Coronae Poloniae, & Civitatis Gedanenſis permoti, non pauca Senatus Conſulta fecerunt, nonnulla etiam executioni iam mandarunt, promovendis commodis Sereniſſimi, & Potentiſſimi Regis, & Reipublicae Polonae, ac ſpeciatim conſervandae, & protegendae Civitati Gedanenſi in hiſce rerum ſuarum anguſtiis, etiam viciſſim ab altera parte Dominorum Ordinum bono, ac commodo inter Generoſum, & Nobilem Virum Dominum Nicolaum de Bije Reſidentem Regis, & Reipublicae Polonae ab una, & Generoſos Nobiles, & Ampliſſimos Viros Dominos Vilhelmum a Lintelo Toparcham in Eza, & Borchgrave, Joannem de Witt Conſiliarium & Penſionarium Hollandiae & Veſtfriſiae, Horatium Knyff, & Joannem Schulenborch Senatorem Civitatis Grogae omnes in Conſeſſu Celſorum & Præpotentium Dominorum Ordinum Confœderati Belgii, Provinciarum Geldriae, Hollandiae, Friſiae, & Groningae, atque Omlandiae nomine Legatos Ordinarios tanquam Procuratores eorundem Ordinum Confœderati Belgii ab altera parte, promiſſum, conventumque eſt, uti prædictus Dominus Reſidens de Bije, approbante Rege, & Republica Polona, promittit, & Ordinibus Fœderati Belgii certiſſime pollicetur, ac ſpondet hiſce præſentibus, incolas & ſubditos Fœderati Belgii cum navibus, mercaturis, & mercibus ſuis verſus Civitatem Gedanenſem, et fluvium Viſtulam navigantes, et mercaturam facientes, neque iubente, neque adſtipulante Rege, Regnove, aut Republica Polona ullis vel in acceſſu, vel in abſceſſu Portoriis, ſive Pfundtzoll, datis vectigalibus, additamentis, vulgo Zulage, aliisve oneribus quocunque nomine nuncupatis, aut nunc, aut poſthac oneratum iri, aut oneratos manſuros ultra, aut plus, quam incolae, aut ſubditi loci, aliive exteri, ibidem locorum commercantes, qui nimirum onerati fuerint (ſi ullo unquam tempore cuiquam exterorum minus, quam propri-

ANNO 1670. propriis incolis, aut ſubditis impoſitum fuerit) hoc tempore onerati, aut poſthac onerandi ſunt. Præterea incolas et ſubditos prædictos Fœderati Belgii, neque in Perſonis propriis, neque in navibus, mercaturis, et mercibus poſthac amplius aut gravius oneratum iri, quam hodie gravati ſunt, nec permiſſum iri, ut aut illic, aut in Sinubus, aliis fluminibus, aquis dulcibus, lacubus, aut ſtagnis, et habis recentibus, vulgo Friſche-haben (per quae mercibus ex Polonia, Litvania, Boruſſia, et aliis locis verſus Viſtulam, et Civitatem Gedanenſem euntibus, atque abinde exeuntibus, et redeuntibus tranſitus patet) a quoquam alio, ulla nova onera, contra vetus inſtitutum, et receptum morem introducantur, exigantur-ve. Porro pollicetur, atque ſpondet praedictus Dominus Reſidens de Bije ſe procuraturum, ut omnia hoc inſtrumento expreſſa, et quidquid ad hoc negotium pertinet, inter dictos Dominos Procuratores Celſorum et Praepotentum Dominorum Ordinum Generalium, ab una, et Nobilem et Ampliſſimum Virum Dominum Chriſtianum Schroderum Civitatis Gedanenſis Deputatum, nomine eiusdem Civitatis ab altera Parte convenit, non ſolum a Rege, verum etiam a Regno, et Republica Polona, quam primum fieri potuerit, approbentur, et rati habeantur, prout eiusdem Inſtrumenti ex Belgico in Latinum idioma verſi, tenor hic ſequitur inſertus.

Notum teſtatumque ſit omnibus et ſingulis vigore praeſentis inſtrumenti, quod inter Generoſos, Nobiles, atque Ampliſſimos Viros Dominos, Vilhelmum a Lintelo Toparcham in Eza, et Borchgrave, Joannem de Witt Conſiliarium et Penſionarium Hollandiae, et Veſtfriſiae, atque Horatium Knyff omnes in Conſeſſu Celſorum et Praepotentium Dominorum Ordinum Confœderati Belgii Provinciarum Geldriae, Hollandiae, et Friſiae nomine Legatos Ordinarios, eorundem Ordinum Confœderati Belgii ab una, et Nobilem atque Ampliſſimum Virum Dominum Chriſtianum Schroderum Civitatis Gedanenſis Deputatum ab altera parte, praegnantibus de cauſis ad id moventibus reciproce cautum, ſtipulatumque eſt, prout ſupradictus Dominus Deputatus nomine ſuorum *D*ominorum Committentium ad approbandum, et ratihabendum promittit, Celſitudinibusque ſuis hiſce Præſentibus ſpondet, incolas, et ſubditos Fœderati Belgii, cum navibus, mercaturis, et mercibus ſuis verſus Civitatem Gedanenſem, et fluvium Viſtulam navigantes, et mercaturam exercentes, nullis vel in acceſſu, vel receſſu teloneis, portoriis dictis Pfundtzoll, datiis, & additamentis ſive Zulagen, aliisve impoſitionibus, atque oneribus, quocunque etiam nomine nuncupatis, aut nunc, aut in poſterum onoratum iri, aut oneratos manſuros ulterius, aut plus, quam incolae, aut ſubditi proprii, aliive exterorum, qui quam mininum onerati fuerint, (ſi ullo unquam tempore cuipiam exterorum minus, quam propriis incolis, aut ſubditis impoſitum fuerit) hoc tempore onerati, aut poſthac onerandi ſunt. Praeterea incolas et ſubditos praedictos Fœderati Belgii, neque in Perſonis propriis, neque in navibus, mercaturis, et mercibus ſuis poſthac amplius, aut gravius oneratum iri, quam hoc ipſo tempore gravati ſunt, nec permiſſum iri, ut aut ibidem, aut in ullis fluminibus, aquis dulcibus, lacubus, aut habis recentibus alias Friſche-haben (qua mercibus verſus Civitatem Gedanenſem advehendis, aut inde exportandis tranſitus patet) ſive ſit intra, ſive extra eorundem territorium, a quoquam alio ulla nova onera contra morem antiquo uſu receptum introducantur, vel exigantur. Porro pollicetur, ac ſpondet ſaepius dictus *D*ominus *D*eputatus, ſe effecturum, ut omnia, quae permiſſa ſunt nomine bene memoratorum *D*ominorum ſuorum Committentium, non tantum approbentur, ſed et curaturum, ut eodem nomine Regiae Maieſtatis Poloniae quantocius ratihabeantur. Actum Hagae in Batavis decimo die Julii, anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi ſexti. In veritatis robur hoc inſtrumentum ſolitis Sigillis, ac ſubſcriptionibus, tum ſupramemoratorum *D*ominorum Procuratorum, quam *D*omini *D*eputati eſt firmatum, ac munitum, ſubſignatum, et ſigillatum, modo et forma, ut ſequitur. ANNO 1670.

*Vilhelm von Lintelo* (L.S.)
*Chriſtian Schroder* (L.S.)
*Joann de Witt* (L.S.)
*H. Knyff* (L.S.)

In cuius rei fidem hoc inſtrumentum ſolitis Sigillis & ſubſcriptionibus *D*ominorum Reſidentis, & Procuratorum Confœderati Belgii corroboratum eſt. Actum Hagae in Batavis duodecimo Julii, anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto, ſubſignatum, & ſigillatum erat, ut ſequitur.

*N. de Bije* (L.S.)
*Vilhelmus a Lintelo* (L.S.)
*Joann de Witt* (L.S.)
*H. Knyff* (L.S.)
*J. Schulenborch* (L.S.)

ANNO 1670.

## IV.

### *Tractatus Hollandicus cum Gedanenſibus Anno 1656. die 22. Septembris habitus, per Legatum Hollandicum Joan. de Witt exhibitus* Anno 1670. *Indidem.*

Nos Proconſules, & Conſules Civitatis Gedanenſis notum, teſtatumque facimus, quorum intereſt, Univerſis, & ſingulis. Quod cum die decima Julii Anni præſentis Hagæ in Batavis inter Generoſos Nobiles, & Ampliſſimos Viros Dominos Wilhelmum a Lintelo Toparcham in Eza, & Borchgrave, Joannem de Witt Conſiliarium, & Penſionarium Hollandiæ, Weſtfriſiæque, atque Horatium Knyff omnes in Conſeſſu Celſorum, & Præpotentium Dominorum Ordinum Confæderati Belgii, a parte eorundem Dominorum Ordinum, & Nobilem, atque Ampliſſimum Virum Dominum Chriſtianum Schroderum a parte iſtius Civitatis prægnantibus de cauſis ad id moventibus cautum, ſtipulatumque fuerit, & ſupradictus ad probationem, & ratihabitionem noſtram certas promiſſiones, & ſponſiones interpoſuerit, prout in Inſtrumento deſuper confecto, & ſolitis Sigillis ac ſubſcriptionibus tam ſupramemoratorum Dominorum Ordinum Generalium, quam Deputati noſtri firmato, ac ſigillato latius patet, Nos habito cum cæteris huius Civitatis Ordinibus conſilio, ac re tota probe, ac diligenter conſiderata, præfatum Inſtrumentum de die decima Julii, ſponſioneſque, ac promiſſiones Deputati noſtri in eodem contentas approbandas, & ratificandas eſſe duximus, prout vigore præſentium ratificamus, & approbamus in eum, qui ſequitur modum ac tenorem.

Incolæ, & ſubditi Fœderati Belgii cum navibus, mercaturis, & mercibus ſuis verſus Civitatem iſtam navigantes, & mercaturam exercentes, nullis vel in acceſſu, vel in receſſu teloneis, portoriis, datiis, ac additamentis ſive Zulagen, aliiſve impoſitionibus atque oneribus quocunque etiam nomine nuncupatis, aut nunc, aut inpoſterum onerabuntur ulterius, aut plus, quam Incolæ, & ſubditi proprii, aliive Exterorum, qui quam minimum onerati fuerint (ſi ullo unquam tempore cuipiam Exterorum minus quam propriis Incolis aut ſubditis impoſitum fuerit) hoc tempore onerati, aut poſthac onerandi ſunt. Præterea Incolæ, & ſubditi prædicti Fœderati Belgii, neque in Perſonis propriis, neqve in navibus, mercaturis, & mercibus ſuis poſthac amplius, aut gravius onerabuntur, quam hoc ipſo tempore gravati ſunt, nimirum æqualiter cum aliis exteris, aut propriis Incolis, ita ut non teneantur plus oneris ferre, quam quod iſtis imponetur. *P*orro pro bono commerciorum hæc quoque Civitas, quantum in ipſa eſt, omnibus modis obviabit, & impediet, ne ibidem a quopiam alio ulla nova onera, contra morem antiquo uſu receptum introducantur, vel exigantur. Quæ ſupra memorata omnia libertatibus, & prærogativis, quæ vigore vetuſtorum Statutorum Hanſeaticorum, & in ſpecie Legum municipalium, Privilegiorum, & Jurium fundamentalium iſtius Civitatis Civibus eiusdem præ omnibus aliis Exteris, in negotiando, commercando, uſu viarum publicarum, & fluminum, ut et aliis in rebus competunt, nulla ratione efficere, aut præiudicare debent. Operam quoque dabit Civitas, ut deſuper ratificatio Regiæ Maieſtatis *P*oloniæ, & *S*veciæ, quam primum fieri poterit, impetretur. In cuius rei fidem Nos ſupradicti Proconſules, & Conſules hoc Inſtrumentum approbatorium, & ratificatorium Sigillo noſtro, prout in talibus a Nobis fieri conſvevit, muniri, ac roborari curavimus. Actum Gedani Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto, die vigeſima ſecunda *S*eptembris.

ANNO 1670.

## V.

### *Ratificatio Gedanenſium Tractatus cum Hollandis 22. Sept. An. 1656. initi, per Legatum Hollandicum Joannem de Witt porrecta* 1670. Indidem.

Nos Proconſules & Conſules Civitatis Gedanenſis notum, teſtatumque facimus, quorum intereſt, Univerſis, & ſingulis. Quandoquidem Celſi & Præpotentes Domini Ordines Fœderati Belgii continuis & ſeriis Officiis noſtris permoti non pauca Senatus-Conſulta fecerunt, Civitati iſti inter has rerum anguſtias, in Statu ac libertatibus ſuis conſervandæ, quorum nonnulla executioni mandata ſunt, inprimis vero ad ſedulam Inſtantiam noſtram ſubſidium pecuniarium antehac promiſſum realiter extradi curarunt, Civitatemque iſtam de ferendis ſuppetiis, & oneribus illius ſublevandis, durante hoc bello, & inpoſterum, ſi quæ aliunde, quod Deus clementer avertat, calamitas ingruat, benigne & gratioſiſſime aſſecurarunt. Quod viciſſim pro bono & commodo Incolarum & ſubditorum Fœderati Belgii, habito cum cæteris huius locitatis Ordinibus conſilio, & re tota

ANNO 1670.

tota probe, & diligenter conſiderata, ſpopondimus, & promiſimus, tam noſtro, quam huius Civitatis Ordinum nomine, in eum, qui ſequitur, tenorem.

Incolæ & ſubditi Fœderati Belgii cum navibus, & mercaturis, & mercibus ſuis verſus Civitatem Gedanenſem navigantes, & mercaturam exercentes, nullis vel in acceſſu vel in receſſu teloneis, portoriis, datiis, & additamentis, ſive Zulage, aliiſve impoſitionibus, atque oneribus quocunque nomine nuncupatis, aut nunc aut impoſterum onerabuntur ulterius, aut plus, quam Incolæ, aut ſubditi proprii, aliique exterorum, qui quam minime onerati fuerint, (ſi ullo unquam tempore cuipiam exterorum minus, quam propriis Incolis aut ſubditis impoſitum fuerit) hoc tempore onerati, aut poſthac onerandi ſunt. Præterea ſpondent Ordines Civitatis Gedanenſis, quod thelonea hactenus ibidem uſitata, non augebuntur, neque ulla nova telonea contra morem antiquo uſu receptum introducentur, vel exigentur. Similiter Incolæ & ſubditi Fœderati Belgii hoc tempore Gedani commorantes, aut quibus poſthac ibi commorari contingat, nullis contributionibus, taxis, impoſitionibus, aliisve oneribus perſonalibus, ſive realibus, ordinariis, ſive extraordinariis, præſentibus, vel de novo, requirente id neceſſitate imponendis, quæ ad mercaturam non ſpectant, cuiuscunque ſint nominis, ulterius onerati manſuri ſunt, quam incolæ, & ſubditi proprii, aliive exterorum, qui quam minimum onerati fuerint, (ſi ullo unquam tempore cuipiam exterorum minus, quam propriis incolis, aut ſubditis impoſitum fuerit) & impoſterum onerabuntur. Quæ ſupra memorata omnia libertatibus, & prærogativis, quæ vigore vetuſtorum Statutorum Hanſeaticorum, & in ſpecie Legum municipalium, Privilegiorum, & Jurium fundamentalium Civitatis Gedanenſis Civibus eiusdem pro omnibus aliis exteris, in negotiando, commercando, uſu viarum publicarum, & fluminum, ut & aliis in rebus competunt, nulla ratione officere, aut præiudicare debent. Operam quoque dabunt Civitatis Ordines, ut deſuper Ratificatio Regiæ Maieſtatis Poloniæ & Sveciæ, quamprimum fieri poterit, impetretur. In cuius rei fidem Nos ſupra dicti Proconſul, & Conſules præſens Inſtrumentum Sigillo noſtro, prout in talibus a Nobis fieri conſvevit, muniri, ac roborari curavimus. Actum Gedani Anno 1656. die 22. Septembris.

VI.

ANNO 1670.

*Reſponſum ex Cancellaria Regni Poloniæ Excellentiſſimo Domino Joanni de Witt Celſorum, & Præpotentium Fœderati Belgii Ordinum Legato extraordinario.* Datum Varſaviæ die 16. Decembris 1670. *Indidem fol. 94.*

Sacra Regia Maieſtas Poloniæ ad Propoſitionem Excellentiſſimi Domini Joannis de Witt Senatoris Urbis Dordrechtanæ Celſorum, & Potentium Dominorum Fœderati Belgii Generalium Ordinum Legati extraordinarii, Plenipotentia ſufficienti inſtructi, poſt varios congreſſus cum Reverendiſſimo, & Excellentiſſimis Dominis Andrea Olſzowſki Epiſcopo Culmenſi, & Pomeſaniæ Procancellario Regni, & Chriſtophoro Pac Supremo M. D. Litvaniæ Cancellario, habitaque ultro, citroque colloquia, audita deſuper Dominorum Senatorum Regni, & M. D. Litvaniæ Lateri ſuo aſſidentium ſententia, tale Reſponſum decernere dignata eſt. Primo quidem congratulationem ſuæ ad Regnum felicis Electionis, ſolennisque rite peractæ coronationis, atque aſſecutionis ex Auguſta Domo Regiæ Conſortis ex amico pectore depromptam libenti, & grato affectu accipit, proſequiturque S. R. Maieſtas, Deum orans, cuius bonitati, & Providentiæ Regiam Fortunam, & incrementa ſua accepta refert, ut quod illius dextera operata eſt, id non Poloniæ duntaxat, ſed univerſæ Chriſtianitatis, ac præſertim omnium Regni amicorum, quos inter, Celſos, & Potentes Fœderati Belgii Ordines, ex vi mutuæ amicitiæ, ab Anteceſſoribus ſuis cultæ, & ad ſe derivatæ, non poſtremo Loco cenſet, bono, commodoque feliciter vertat. Deinde Propoſitionem ipſam quod attinet, cum hæc ad quatuor principalia Puncta referatur, & primum quidem defenſivi Fœderis, cum ex Variis rationibus, ac impedimentis, ab utrinque ſeſe interponentibus ad finalem, ac abſolutam concluſionem deduci ad præſens non poſſit, illud in aliud opportunius tempus, & ad conſenſum explicitum totius Reipublicæ differtur, ea tamen intentione, quod ſi ante Tractatus iſtius reaſſumptionem, concluſionemque Celſis, & Potentibus Ordinibus aliquod bellum, eorumque Dominiis, ac Subditis contra fas, & Jus Gentium ab aliquo in Orbe Chriſtiano inferatur, extunc S. R. Maieſtas de eo notitia accepta, ſi requiſita fuerit, amicam operam officiorum impendet, quo pax, & ſecuritas alte memoratis Fœderatis Ordinibus conſervetur, &

Anno 1670. violentiæ, bellaque Mediis pacificis avertantur, & præcuſtodiantur, dummodo ſimilem curam Celſi, & Præpotentes Fœderati Belgii Ordines iuxta Declarationem a Domino Legato in Scripto datam, reciproce in ſe recipiant, ac recepiſſe Sereniſſimæ Regiæ Maieſtati ſignificent, ut caſu quo S. R. Maieſtati, eiusque Dominiis, ac ſubditis, contra Fas, & Jus Gentium ab aliquo in Orbe bellum inferatur; extunc Celſi, & Potentes Fœderati Belgii Ordines de eo notitia accepta, ſi requiſiti fuerint, amicam operam officiorum impendant, quo Pax, & ſecuritas Regi, & Reipublicæ præcuſtodiantur. Secundum Punctum Libertatem Navigationis, ac liberum eius intercurſum in Mari Baltico, & Septemtrionali reſpiciens, ex quo Sereniſſima Regia Maieſtas Poloniæ, & Reſpublica Polona nulla Claſſe vel navigatione ad præſens utitur: ideo res in ſuſpenſo relinquitur. Tertium Punctum Promotionis, & Auctionis Utilitatum ex Commerciis bene ordinatis in Publicum redundantium, cum circa id negotium Emporia, & Civitates Pruſſiæ cum ſuis Juribus, & Privilegiis ſint accerſendæ, audiendæque, ideo ad ulteriorem tractationem differri debet. Interea tamen Sacra Regia Maieſtas Celſos, & Potentes Fœderati Belgii Ordines certiores reddi vult, quod eorum Subditis liberum erit, Provincias, Emporia, & Portus Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Litvaniæ, & annexarum Provinciarum cum Mercibus ſuis tam Terra, quam Mari adire, ibique verſari, ac Negotia ſua, & Commercia exercere, dum modo vectigalia conſveta pendant. Qui Negotiatores iisdem Libertatibus, Immunitatibus, & Privilegiis gaudebunt, & fruentur, quibus Populi cuiuſcunque exteræ Gentis in dictis Provinciis, Emporiis, Civitatibus commorantes, & commercia exercentes gaudent, & fruuntur. Ita tamen, ut Sacræ Regiæ Maieſtati, & Reipublicæ Polonæ Summa Poteſtas in ſuis Ditionibus, Dominiis, Portubus, atque quævis pro neceſſitate, reque nata ſtatuendi, & innovandi auctoritas ſalva, & illæſa maneat, ac ut viciſſim eadem æqualitas ex parte Celſorum, & Præpotentum Ordinum Fœderatorum, erga ſubditos Sacræ Regiæ Maieſtatis prædicto modo obſervetur. Ad quartum Punctum approbationis Tractatus certi inter Celſos, & Potentes Fœderatos Ordines, & Civitatem Gedanenſem, præhabito Sereniſſimi, & Potentiſſimi Regis Joannis Casimiri, ſub tempus belli Svetici dato Gedanenſibus Conſenſu in Anno 1656. intercedentis, ea de re informationem a Magiſtratu Gedananſi Sacra Regia Maieſtas requiret, quibus auditis, quod ex utriusque Partis commodo, & utilitate maxime videbitur, illud cum ad præſens tractari non poſſit, alio opportuno tempore tractari, & cum reliquis Punctis ſuperius prætactis pro exigentia rei, concludi poterit. Libertas etiam, & ſecuritas a Juribus caducis in Civitate Gedanenſi Fœderati Belgii Ordinum ſubditis per ulteriorem Tractatum conceſſibilis videtur. De reliquo, prout ex antiquo arcta amicitia, neceſſitudo, ac vicinitas, ac ſinceræ communicationis fides inter Reges, & Rempublicam Polonam, ac Fœderatos Belgii Ordines intemerate fuit exercita, ita eandem ſinceram arctam, & conſtantem amicitiam, neceſſitudinem, & communicationis fidem, pro mutua utriusque Gentis ſalute, tranquillitate, Pace, & commerciis, Sereniſſima Regia Maieſtas Anteceſſorum ſuorum laudabili exemplo, conſervabit, omnibusque ſtudiis, & officiis, mutuo promovere contendet. Anno 1670.

*Andreas Olſzowſki Epiſcopus Culmenſis, & Pomeſaniæ, Procancellarius Poloniæ.*

(.LS.) *Cancellariæ Regni Minoris.*

*Ad Mandatum Sacræ Regiæ Maieſtatis proprium.*

VII.

## *Literæ S. Regiæ Maieſtatis ad Ordines Fœderati Belgii. Indidem.*

Michael Dei Gratia Rex Poloniæ, M. Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Kyoviæ, Volhyniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czerniechoviæque, &c. Celſi, & Potentes Fœderati Belgii Ordines Generales Domini Amici noſtri chariſſimi. Pergrata Nobis accidit ea ſtudii, & propenſiſſimæ voluntatis teſtificatio, quam publica legatione, nomine Celſitudinum Veſtrarum exhibuit Nobis Magnificus Joannes de Witt Dortrechtanus Senator, Legatus Extraordinarius. Sane nihil maiori voto deſideramus, quam, ut divina ordinante Clementia Liberi Populi ſuffragiis in Regalem evecti Thronum, & ornatiſſimo ex Auguſta Domo matrimonio cumulati, quæ utraque Celſitudinum Veſtrarum Legatio Nobis, atque Orbi Chriſtiano læta evenire vovet, auguraturque expectationi publicæ, & benevolis ſtudiis reſpondeamus. Amicitiam porro cum Celſitudinibus V. V. mutuæque communicationis fidem, & antiqua

ANNO 1670. qua Jura colere, ac reciprocis plus ultra promovere officiis in animo Nobis est. Id ipsum uberius vobis explicabit, optimæque nostræ voluntatis erga Celsitudines vestras fidus erit interpres alte memoratus Magnificus Legatus Extraordinarius, qui prudentia, dexteritate, & in exequendis Mandatis diligenti cura functus, omnes numeros Legati implevit, gloriamque nomini suo, ac imprimis Amplissimæ Reipublicae vestrae comparavit. Bonam interim Valetudinem, prosperosque rerum Successus Celsitudinibus vestris a Deo apprecamur. Datum Varsaviae die XV. Mensis Dec. Anno Domini MDCLXX. Regni nostri Anno secundo. Vester bonus Amicus.

MICHAEL *Rex.*

VIII.

1671. *Ordinum Fœderati Belgii promissi Regii Acceptatio, & Reversalium Legati Extraordinarii Ratificatio.* Dat. Hagæ Comitum die 9. Junii. Anno 1671. *Indidem Fol. 240.*

MICHAEL Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae &c.

*Significamus præsentibus Literis nostris, quorum interest, universis, & singulis. Oblatas esse ad Acta Metrices Regni Cancellariæ minoris Literas pargameneas, ab Ordinibus Generalibus Fœderati Belgii datas, & transmissas Anno præsenti, die Mensis Julii redditas, quatuor Chartas magnas in folio habentes, filo sericeo rubro aurato consutas, Sigillo magno pensili in pixide grandi lignea contento, cera vero rubra intro contenta expresso obsignatas, integras, & ne in minimo vitiatas, prorsus omni suspicione vacuas. Quarum tenor sequitur, estque talis.*

Ordines Generales Fœderati Belgii. Universis, & singulis has visuris, lecturisve salutem. Notum facimus, nos perpensis, et examinatis tam promissione, et sponsione a Serenissimo, Potentissimoque Principe, ac *D*omino, *D*omino MICHAELE Rege Poloniae etc. Varsaviae die decimo sexto Decembris Anni millesimi sexcentesimi septuagesimi, *D*omino Joanni de Witt civitatis *D*ordrechtanae Senatori etc. Legato nostro extraordinario ad alte memoratum Regem, et Rempulicam Poloniae nostro nomine data, factaque, quam repromissione, et sponsione ab eodem *D*omino Joanne de Witt Serenissimae Regiae Maiestati Suae nostro nomine eodem die data, factaque, quarum tenor is est, qui hic verbotenus sequitur. ANNO 1671.

*Inseritur*

*Responsum ex Cancellaria Regni Poloniæ Excellentissimo Domino Joanni de Witt, &c.* ut supra.

Cum Ego infra scriptus Celsorum, ac Potentium Ordinum Fœderati Belgii ad Sacram Regiam Maiestatem, & *S*erenissimam Rempublicam Poloniæ Legatus Extraordinarius, hodierna die Responsum ex Cancellaria Regni Poloniæ super certa Puncta Propositionis meæ accepturus sim, in quo alte memorata *S*acra Regia Maiestas declarare dignata est, quod si Celsis, Potentibus Ordinibus præ recensitis, eorumque Dominiis, ac subditis aliquod bellum contra fas, & Jus Gentium ab aliquo in Orbe Christiano inferatur, extunc Sacra Regia Maiestas præmemorata, de eo notitia accepta, si requisita fuerit, amicam officiorum operam impendet, quo Pax, & *S*ecuritas alte memoratis Fœderatis Ordinibus conservetur, violentia, bellaque mediis pacificis avertantur, & præcustodiantur, vice versa promitto, & spondeo, similem curam Celsos, Potentes Fœderati Belgii Ordines reciproce in se recepturos, et recepisse Sacræ Regiæ Maiestati significaturos, ut casu quo Sacræ Regiæ Maiestati Poloniæ, eiusque subditis, et Dominiis contra fas, et Jus Gentium ab aliquo in Orbe bellum inferatur, extunc Celsi Potentes Fœderati Belgii Ordines de eo notitia accepta, si requisiti fuerint, amicam officiorum operam impendent, quo Pax, et Securitas Regi, et Reipublicæ Polonæ conservetur, et violentiæ, bellaque mediis pacificis avertantur, et præcustodiantur. In aliis etiam Punctis, quæ reciprocam obligationem requirere videntur, eandem æqualitatem a Celsis, Potentibus Ordinibus servatum iri, nec non de sincera, arcta, et constanti amicitia, necessitudine, et communicationis fide pro mutua utriusque Gentis salute, tranquillitate, *P*ace, et Commerciis retinendis, et omnibus studiis, officiisque promovendis, ex Parte, et Nomine Celsi-Potentum Fœderati Belgii Ordinum, ipsosque hoc idem ratificaturos spondeo. In cuius rei evidens testimonium præsentes Reversales manu propria subscripsi, *S*igilloque meo solito munivi, hodie decima sexta Mensis Decembris St. nov. millesimo sexcentesimo septuagesimo. Varsaviæ in Domo habitationis meæ.

Proinde acceptasse, quemadmdum tenore, et vigore harum acceptamus prædictam Promissionem, Sponsionemque ab

ANNO 1671. alte memorato Sereniſſimo Rege præfato Domino de Witt Legato noſtro Extraordinario noſtro nomine datam, factamque, et ratam habuiſſe, et approbaſſe, prout tenore, et vigore harum ratam habemus, et approbamus præfatam Repromiſſionem, Sponſionemque ab eodem Domino Joanne de Witt noſtro nomine alte memorato Sereniſſimo Regi datam, factamque, idque in omnibus, & ſingulis Articulis, et Clauſulis præfatarum Promiſſionum, Sponſionumque ſpondentes, Nos omnia in iis contenta inviolabiliter ſervaturos, et impleturos, neque paſſuros, ut a quoquam ullo modo infringantur, lædantur, aut violentur. In quorum fidem et robur haſce per Conſeſſus noſtri Præſidem ſignari, a Graphiario ſubſcribi, et maiori Sigillo noſtro muniri fecimus. Dabantur Hagæ Comitum die nono Menſis Jun. Anni milleſimi ſexenteſimi ſeptuageſimi primi.

*Joannes Baro de Rude*

*Ad Mandatum alte memoratorum Dominorum Ordinum Generalium.* *Gaſp.*

# TRANSYLVANIA.

## I.

1588. *Diploma* SIGISMUNDI III. *Regis, quo Balthazari Battori Indigenatum Regni confert, eidemque dat poteſtatem redimendi Epiſcopatum Curonienſem.* Dat. Cracoviæ 13. Junii Anno 1588. *Ex Archivo Regni. Lib. 105. Num. 106. fol 51.*

SIGISMUNDUS III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque, &c. nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex. Significamus univerſis, & ſingulis, præſentibus, & futuris harum notitiam habituris. Cum voluntate Divina, atque unanimi Regni Ordinum conſenſu Sereniſſimo Diuæ memoriæ STEPHANO Regi, in Regno hoc noſtro Poloniæ ſucceſſerimus, non modo propter mutuam neceſſitudinem, quæ vivo illo Nobiſcum intercedebat, verum propter ſingularia etiam eius in Regnum noſtrum beneficia, eam benevolentiam, quam memoriæ eius debere Nos intelligebamus, non minus propinquis quoque ipſius a Nobis præſtandam, eosdemque omnibus rebus ornandos, amplectendosque Nobis Nos ſtatuiſſe. Quo animo cum erga omnes eos eſſemus, tum maxime erga Illuſtrem, & Magnificum Balthaſarem Battori de Somlio eiusdem divæ memoriæ Regis Fratris Filium, eſſe Nos debere intelligebamus, ut quem non modo ipſius Sereniſſimi Patrui eius memoria, verum propria etiam in Rempublicam Regni noſtri merita, quæ partim vivo Patruo, partim Nobis ipſis in Regem iam Electis varia præſtitit, Nobis commendarent. Cum enim in omnibus Sereniſſimi STEPHANI Regis expeditionibus contra Magnum Moſcoviæ Ducem non ſolum interfuiſſe, verum Hungarico omni militi in iis præfuiſſe, præclaramque atque utilem operam, cum ipſi Sereniſſimo Regi Patruo ſuo, tum univerſæ Reipublicæ Eum præſtitiſſe omnium teſtimonio ante accepiſſemus, tum vero ſub primum noſtrum in Regnum ingreſſum, virtutem eius præſentes etiam cognovimus. Nam cum a factioſis aliquot, qui a reliquorum Ordinum, univerſique fere Regni noſtri conſenſu ſe ſeiunxerant, Illuſtris etiam Archidux MAXIMILIANUS nominatus, vi atque armis Regnum occupare conatus fuiſſet, cum iuſto equitum, ac peditum Hungarorum numero ab Illuſtri Tranſylvaniæ Principe auxilio Nobis miſſus, & quis animus ſuus in Nos, ac communem Rempublicam Regni noſtri eſſet, ſatis declaravit, & deinde in prælio Byczinenſi, in quo Illuſtriſſimus Archidux MAXIMILIANUS ipſe captus fuit, & omnia pericula fortiſſimo animo pro noſtra, Regnique noſtri dignitate adiit, & ita ſe geſſit, quemadmodum is gerere ſe debebat, qui tantum Regem Patruum habuiſſet. Quo ipſius in Rempublicam animo, atque meritis, cum in Conventu felicis Coronationis noſtræ omnes Regni noſtri Ordines adducti, unanimi conſenſu a Nobis petiiſſent, ut eius Patriæ, pro qua ille toties vitam ipſam in diſcrimen adducere non dubitaſſet, Nos publico etiam Decreto Civem, atque Indigenam eum faceremus nunc, ut non modo nomine, verum re ipſa etiam Regni huius indigena eſſet, certumque aliquod Domicilium in eo haberet, faciendum Nobis putavimus. Cumque bona Epiſcopatus Curonienſis, quæ ante ab Illuſtri olim Principe MAGNO Holſatiæ Duce poſſeſſa eſſent, nunc ab Illuſtri Principe Domino GEORGIO FRIDERICO in Pruſſia &c. Duce, Cognato noſtro chariſſimo, in certa pecuniæ Summa, a Sereniſſimo olim Daniæ Rege, qui Fratre MAGNO Duce mortuo, controverſiam de iis moverat, redempta poſſideatur, ut eadem pecuniæ Summa ab Illuſtritate eius idem Illuſtris & Magnificus Balthaſar Battori de Somlio commemorata Bona redimat, eademque ad extrema

ANNO 1588.

ANNO 1588. vitæ ſuæ tempora poſſideat, deferendum illi putavimus, quemadmodum quidem deferimus, & conſentimus præſentibus hiſce. Ita nimirum ut cum commemoratam ſummam eidem Illuſtri in Pruſſia Duci numerarit, ipſe deinde commemorata Bona cum omnibus ad ea antiquitus pertinentibus, iuribus, nominatim vero omnibus Caſtris, Oppidis, Villis, prædiis, adſcriptitiis, colonis, omnibusque ſubditis, iuribus patronatus, tabernis, molendinis, fluminibus, rivulis, ſtagnis, lacubus, piſcaturis, venationibus, aucupiis, cum omnibus agris, ſylvis, & nemoribus, quaeque illis continentur, cenſibus denique, reditibus, cunctisque in univerſum utilitatibus, quæ vel nunc in iisdem bonis ſunt, vel inpoſterum cuiusquam ingenio, atque induſtria inſtitui in illis poterint, ad extrema vitae eius tempora poſſideat, teneat, iisque utatur, fruatur. Promittentes pro Nobis, & Succeſſoribus noſtris verbo noſtro Regio, nunquam Nos, Succeſſoresque noſtros eundem Illuſtrem & Magnificum Balthaſarem Battori, cuiuscunque neceſſitatis, aut utilitatis, vel publicæ, vel privatæ noſtræ cauſa, eorum bonorum poſſeſſione moturos, redempturos, aut moveri, redimive ab aliis paſſuros. Poſt mortem etiam eius Hæredes ipſius non prius inde dimoturos, quam Summa Illuſtri in Pruſſia Duci numerata, integre, & plene reſtituta iis fuerit. In cuius rei fidem &c. Datum Cracoviæ die tredecima Menſis Junii, Anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo octavo. Regni noſtri primo.

SIGISMUNDUS *Rex.*

II.

1654. *Diploma* JOANNIS CASIMIRI *Regis, quo Illuſtri* FRANCISCO *Rakoci Principi Transylvaniæ, eiuſque Fratribus Indigenatum Regni confert.* Dat. Varſaviæ in Comitiis Regni Generalibus die 27. Maii. *Ex Arch. Regni Lib. 160. n. 161. fol. 152.*

*In Nomine Domini Amen.*

Ad perpetuam rei memoriam.

NOS JOANNES CASIMIRUS, DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, *Ruſſiæ*, Pruſſiæ, Maſoviæ, *Samogitiæ*, Livoniæ, *Smolenſciæ*, Czerniechoviæque, nec non *Svecorum*, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex. Univerſis, & ſingulis præſentis, & futuri ævi cuiuſvis *Status*, & Conditionis hominibus præſentium notitiam habituris, notum teſtatumque facimus. Magnas ac Illuſtres Proſapias, quæ inter Orbis decora, inter humanarum rerum faſtigia numerantur, arctis non poſſe definiri limitibus, quin eorum ſplendor non vicinos duntaxat, ſed remotiores etiam Populos repleat fulgore, & nobiliſſimi generis claritudo Heroicis virtutibus cumulata, animos conciliet exterorum. Non uni etenim Regno, aut Provinciæ vivere eos compertum eſt, quos inſignis virtus ſupra mortalium ſortem ſublimavit. *Sed* quemadmodum illis popularium ſuorum mancipat voluntates; ita Vicinorum quoque allicit ſtudia, ut aliis Imperio præeſſe, aliis amore ineſſe mereantur. Talem ſemper eſſe cenſuimus Principem Rakociorum in Tranſylvania Familiam, quæ Dominatum illius Provinciæ ſola virtute, & inſignibus meritis partum publico Chriſtianitatis commodo etiamnum feliciſſime conſervat. Illa enim tot hucuſque, & tales virtute conſpicuos Principes edidit, qui ſumma prudentia, dexteritate, & fortitudine labentes Hungariæ reliquias ab interitu conſervarunt, aut poſtliminio recuperarunt. Quorum quamvis cæteros reticeamus, ſilentio tamen præterire non poſſumus magni Nominis Heroem Illuſtriſſimum *Sigismundum* Rakocium rebus fortiter geſtis per Europam Celeberrimum, meretur is Regium noſtrum ſuffragium, ut iam pridem a Sereniſſimo olim RUDOLPHO Imperatore ob Heroica facta Aquilæ Imperialis ornamentum retulit. Teſtante vel ſic Orbe Chriſtiano ſe uni Racociorum Familiæ debere, quidquid in Hungaria reliqui, quidquid immunis a Barbarorum ingluvie remanſerit. Atque ſicut inſignibus geſtis Orbis totius in ſe convertit, ita Regni quoque noſtri amorem provocavit, quem vel iure merito ei debere cenſemus, quandoquidem hæc ipſa familia ſincere ſemper amica propenſione, magno optimæ Voluntatis niſu, utiliter eius fortunæ obſecundavit. Quod etſi pluries teſtati ſunt Illuſtres Principes, Avus, Paterque moderni Illuſtriſſimi GEORGII Tranſylvani Principis, nullus tamen ipſo, ſive animi gratitudinem, ſive optimae, & circumſpectæ Vicinitatis ſtudium ſpectemus, inſignius, dum Copiarum noſtrarum auxilium in rem ſuam, & Colligatorum ſuorum expertus, Nobis invicem rebellium Coſacorum Tartaris ſociatorum inſolentiam refrænare adnitentibus non exiguis copiis, ad Zvancium adſiſtentiam præbuit, cui tam benevolo offi-

ANNO 1654.

Anno cio reſponſura Reſpublica prænominatam
1654. Illuſtrem Rakociorum Familiam, armorum gloriæ conſociatam, ad conſortium etiam Legum, Juriumque ſuorum, & prærogativarum cenſuit adſcribendam. Non quod ſplendoris aliquid eidem addere intendat, quo peregrino minime egere clariſſima *Proſapia* poteſt, ſed ut ſe ei quodammodo impertiri videatur, pro cuius integritate tam zeloſe pugnare parata erat. Nec ſane indecorum Principibus Familiis, quæ populis Leges dant, aliorum Jura capeſſere, cum hic non tantum honoris reciproca attendatur acceſſio, ſed virtutis etiam, & eius comitis gloriæ in ius capeſſendæ Authoramentum. Unde hæc ipſa Polonæ Nobilitatis Inſignia magni ſemper Principes ambierunt, magni Heroes meruerunt, quin, & Ipſe Sereniſſimus olim Stephanus Bathorius *Rex* Prædeceſſor noſter nunquam intermorituræ memoriæ Regnatrici ſuæ Domui eadem accomodare non dubitavit. Cuius decora, & in Rempublicam noſtram cumulata merita, id ipſum abunde teſtantur. Quod quidem totum cum derivatione Bathorei ſangvinis Jure conſangvineo in Illuſtriſſimam Rakociorum Familiam procul dubio redundaſſe videtur. Quamobrem eidem vel ſic gratificari cupientes, memorati Illuſtriſſimi Georgii Rakocy Tranſylvaniæ Principis Filium Illuſtrem Franciscum Rakocium, omnesque illius Fratres legitimos naſcituros, eiuſque, & eorundem utriuſq; ſexus legitimos deſcendentes pro Indigenis, & Nobilibus Regni noſtri, recipiendos, & declarandos eſſe duximus, uti quidem recipimus, & declaramus præſenti Diplomate noſtro ita, ut præfatus Illuſtris Franciscus Rakocius, eiuſque Fratres naſcituri, nec non omnes, & ſinguli utriuſque ſexus eius, & eorum legitimi deſcendentes, pro veris legitimis Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ Indigenis, & Nobilibus habeantur, omnibuſque immunitatibus, Juribus, Libertatibus, Prærogativis Nobiles Polonos concernentibus licite, & libere fruantur, ac utantur, aliiſque prænominatis, uti frui poſſint, & valeant perpetuo, & in ævum. Volumus autem, ut ſi præfatum Illuſtrem Franciscum Rakocium, aut quempiam ex his, ad quos præſentis Diplomatis noſtri gratia extenditur, ad Principatum Tranſylvaniæ aſcendere contigerit, extunc voce Activa in Comitiis eligendi Regis, is ipſe careat, nec ad dictam Electionem propria in perſona intervenire poſſit, cæterum omnibus immunitatibus, prærogativis, Nobiles Polonos concernentibus ſemper ſalvis. Te-
nebuntur etiam ii, ad quos præſens Diplo- Anno 1654.
ma pertinet, ex Illuſtri Rakociorum Familia oriundi, Regno huic Juramentum fidelitatis præſtare, quoties aliquas poſſeſſiones in Regno, vel Magno Ducatu Litvaniæ acquirere voluerint, iis exceptis, qui poſt præſtitum Maiorum ſuorum Juramentum ſemel domicilium in Regno, vel Magno Ducatu Litvaniæ figere decreverint. Quoniam vero præſenti Conſtitutione Comitiorum Regni Generalium Varſavienſium Die XXIII. Menſis Junii Anno Domini MDCLIV. de eiuſmodi Indigenatu ſancita, certis de cauſis dictæ Illuſtriſſimæ Familiæ Rakociorum nomen expreſſum non eſt, ſed in ſecretiori Diplomate ad Archivum ab Ordinibus Regni dato, exprimitur: Nos eidem Conſtitutioni inhærentes, ac communi totius Reipublicæ Conſenſui, hiſce Literis noſtris per vim Legis exprimendum cenſuimus. Ad notitiam omnium quorum intereſt, præſertim vero Dignitariorum, Officialium, Nobilium, & Univerſorum Regni, & Magni Ducatus cuiuslibet ſtatus, & conditionis hominum de omnibus, & ſingulis Diplomatis huius noſtri contentis deducentes mandamus, ut eundem Illuſtriſſimum Franciscum Rakocy circa omnes Nobilis Poloni Immunitates, Jura, Libertates, Prærogativas una cum eius Fratribus legitime naſcituris, eiusque & eorum deſcendentibus legitimis utriusque ſexus conſervent, & ab omnibus conſervari curent perpetuo, & in ævum. In cuius rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas, Sigillo Maieſtatis noſtræ communiri mandavimus. Datum Varſaviæ Die 27. Menſis Junii Anno Domini MDCLIV. in Comitiis *Regni* Generalibus, Regnorum noſtrorum Poloniæ, & Sveciæ VII. Præſentibus Reverendiſſimo, *Reverendis*, Magnificis, Generoſis, Andrea a Leſzno Leſzczynſki Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato Nato, Regni Primate, Primoque Principe, Alberto Nicolao ab Olexow Gniewoſz Vladislavienſi, & Pomeraniæ, Joanne Gembicki Culmenſi, & Pomeſaniæ, Epiſcopis, Vladislao a Myrow Myſzkowſki Sandomirienſi, Grodecenſi, Drachinenſi, Mechienenſi, Moſcienſi, Nicolao Pac Trocenſi, Staniſlao a Potok Potocki Kiiovienſi, Supremo Exercitus Regni Generali, Scalenſi, Diminenſi, Sigismundo Tarło Lublinenſi, Maximiliano Brzozowſki Brzeſtenſi Litvaniæ, Tłumaczenſi, Sigismundo Opacki Derpatenſi, Piaseczenſi, Palatinis, & Capitaneis noſtris, Staniſlao a Popow Witowſki Sandomirienſi, Lublinenſi, Knyſynenſi, Zwolnen-

ANNO 1654. nensi, Michaele de Tarnow Woynicensi, Christophoro Gembicki Gnesnensi, Hieronymo Wierzbowski Siradiensi, Oswiecimensi, Nicolao Radzieiowski Lanciciensi, Andrea Fredro Leopoliensi, Maximiliano de Thenczyn Ossolinski Czeczeznensi, Stanislao Laskowski Podlachiæ, Referendario Regni, Eustachio Wołowicz Smolenscensi. Petro Grodzicki Zakroczymensi, Castellanis, & Capitaneis nostris, Stephano de Pilcza Korycinski Supremo Regni Cancellario, Varsaviensi, Oycoviensi, Volbramensi, Andrea Trzebicki Regni, Episcopo nominato Præmisliensi, Abbate Czervinensi, Leone Casimiro Sapieha M. D. Litvaniæ Vicecancellariis, Slonimensi, Boguslao de Leszno Leszczynski Regni, Generali Maioris Poloniæ, Samborensi, Miedzyrzecensi, Ostrzensi, Ociecensi, Vincentio Corvino Gąsiewski Magni Ducatus Litvaniæ Supremis Thesaurariis, Campiductore Generali Magni Ducatus Litvaniæ, Joanne Łacki Curiæ Magni Ducatus Litvaniæ Mareschalco, Joanne Rylski Cubiculario Regni, Kapinosowiensi, Christophoro Pac Vexillifero M. Ducatus Litvaniæ, Joanne in Zamoscie Pocillatore Calissiensi, Stephano Wydzga Secretario Maiore, Abbate Siecieckoviensi, Nicolao Prazmowski Referendario, Præposito Cracoviensi, Thoma Lezenski Notario Thesauri *Regni*, Abbate Vachocensi, Alberto Korycinski Canonico Cracoviensi, Alberto Gorayski Præposito Posnanensi, Cancellariæ Regni *Regentibus*, Vilhelmo Buttler Thesaurario Curiæ *Regni*, aliisque Officialibus Regni, & M. D. Litvaniæ, Christophoro Grzymaltowski Calissiensi præsentium Comitiorum Regni Generalium Nuntiorum Terrestrium Mareschalco. Petro Ozga Leopoliensi, Alberto Lipski Ravensi, Succamerariis, Joanne Gninski Gnesnensi, Adamo Dzierzek Zydaczoviensi, Stanislao Brzuska Nurensi, Castrensibus Capitaneis, Mathia Dembicki Sandomiriensi, Nicolao Bieganski Leopoliensi, Vexilliferis, Stanislao Szucki Sandomiriensi, Stanislao Domaszewski Lukoviensi, Judicibus Terrestribus. Nicolao Rey Cracoviensi, Alberto Krosnowski Podoliæ, Dapiferis. Samuele Korycinski Cracoviensi, Joanne Szumowski Chelmensi, Pocillatoribus. Stanislao Chrząstowski Cracoviensi, Joanne Daleszynski Posnaniensi, Subiudicibus, Petro Tuchołka Pomeraniæ, Stanislao Pętkowski Varsaviensi Notariis Terrestribus. Jacobo Brzeski Sandomiriensi, Hyacintho Szembek Podoliæ, Venatoribus. Adamo Biskapski Cracoviensi *Subdapifero*, Martino Brigłowski *Pincerna* Cracoviensi, Alexandro Zamoyski Gladifero Siradiensi, Nicolao Janicki Tribuno Zydaczoviensi, Gabriele Prazmowski Thesaurario Varsaviensi, aliisque compluribus Officialibus, & Nuntiis Terrestribus Regni, & M. D. Litvaniæ. Joanne Bełzecki, Joanne Olszowski, Alberto Bieczynski, Andrea Miastkowski, cæterisque Aulicis nostris. Stanislao Lipski, Stanislao Sławinski, Hieronymo Pinocci Metricante *Regni*, Hieronymo Dunin, Mathia Cielecki, Petro Raszewski, Alexandro *Radzi*szowski, Andrea Mniszech Secretariis nostris. Christophoro Palecki, Nicolao Trykacz, Joanne Komorski, Joanne Ianicki, Alberto Bleszynski, Francisco Olsinowski, Georgio Sigismundo Tynicki Cancellariæ *Regni*, & Diplomatis huius Notario.

JOANNES CASIMIRVS *Rex.*

(S.L.)

*Albertus Korycinski Canonicus Cracoviensis, Regens Cancellariæ Maioris Regni.*

III.

## *Diploma eiusdem Indigenatus datum eidem ab Ordinibus Regni.*

In Nomine Domini Amen.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

NOs Senatores tam Spirituales, quam Saeculares, nec non Equestris Ordinis Terrestres Nuntii Regni Poloniae, & Magni Ducatus Litvaniae pro Comitiis praesentibus Varsaviae celebratis congregati. Universis, & singulis, quorum interest, Notum, testatumque facimus Reipublicae Poloniae institutis, ac moribus inter publica Imperiorum decora, praecipuo, ac principe haberi loco, non ea, quae Bellona ponit Victricium Aquilarum Trophaea, sed quae socialis fides inconcussae amicitiae, erigit monimenta. Nimirum enim ipsum numen praepotens ad agendam, tuendamque vitam, longe ante ferrum, mutua societate armavit genus humanum, & cum a mortalibus in Regna discessum esset, eam demum firmam eis dedit loricam, quam mutua Gentium texeret concordia, nec stabiles, duraturosque esse voluit triumphos, nisi quos ageret laureata benevolentia Populorum. Hinc est, quod aetate hac, qua perduellionibus laborat Orbis, & perfidia saeculi vitium esse caepit, etsi Respublica nostra, victoria cum maximis ab Orbe condito triumphis conferenda auctam se videat, praeclaram tamen erga se fidem, dignam-

Anno 1654. que omnis posteritatis memoria amicitiam Illustrissimi Domini Georgii Rakocii Transylvaniae Principis Partium Regni Hungariae Domini, & Siculorum Comitis, peculiari habeat ratione cariorem. Is enim eo temporis intervallo, quo tumultuantis militiae Zaporohiensis periura vecordia, barbaras circum Nationes in Poloniam armasset communi perfidia, alios vero Principes, ac Dynastas, non iam audaci dumtaxat, sed aucto viribus, & multis formidando scelere tentaret, tantum abest, ut virtutem, integritatemque suam labefactari pateretur, ut potius Legationes inprimis Polonas solenni, ac summo semper honore acciperet, deinde fortunam magis Poloniae, quam ulla rationum suarum momenta sequi statueret, palamque vicinis etiam potentissimis Polonorum armis uniri eligeret, copiasque vicissim suas in praeclarum Reipublicae Poloniae usum ad Zwanecium, & Soczawam mittere non dubitaret. Denique in eius Poloniae sinu, quam veluti decumano fluctu undique quati videbat, tanquam in portu longe tutissimo, & tranquillo Pignora, posteritatemque Illustrissimae suae Rakocianae Domus, Proceresque optime dese meritos, missis eam in rem ad universam Rempublicam legationibus, ambiverit collocare. Enimvero iudicavit Respublica universa rebus huiuscemodi instaurari sibi in Alpibus, ab Inclito Heroe isto monumenta Domus Batoreae, cuius, quemadmodum Regii Sangvinis Haeres Rakociana existit Familia, ita in eo erga Nomen Polonum summa voluntas ac fiducia plane Batorea conspicitur instaurari. Quod si is Rakocii Nominis splendor, ea rerum gestarum gloria semper, ut amplissima ubique Terrarum meruerit ornamenta, faciendum tanto libentius universi decrevimus, ut clarissimam eandem Familiam, quam maxima voluntatis erga eam nostra testificatione prosequamur, atque quemadmodum immortalis memoriae Heros Sigismundus Rakoci summa belli, pacisque gloria, Sacri Romani Imperii Aquilam a Rudolpho donatam Imperatore, Rakocianis intulit stematibus, tum prout deinde Illustrissimus Georgius Rakoci, primus virtute Domi, militiaeque eximia effecit, ut Transylvania omnis se, fortunasque suas ei crederet, atque illud Nobile Christianitatis propugnaculum rerum suarum clavum in Rakociana Domo reponeret, ita Illustrissimum Principem Georgium Rakoci secundum meritum id censuimus, ut clarissima eiusdem Illustrissimae Rakocianae Familiae decora, Posteritatemque suam omnem, illa Regum aemula *P*olona Nobilitate coronemus. Quocirca eius- Anno
dem praefati Illustrissimi Transylvaniae 1654.
*P*rincipis Georgii Rakoci Filium, Illustrem Franciscum Rakocii, omnemque eius caeteram utriusque saexus prolem, hoc est dicti Illustrissimi *P*rincipis Georgii Filios, ac Filias, legitime natos seu nascituros, ac posteros de lumbis eius, & eorum legitime descendentes, pro veris, & indubitatis Nobilibus, & Indigenis Reipublicae *P*olonae, & Magni Ducatus Litvaniae, Ditionumque innexarum, recipimus, & declaramus, omnesque immunitates, Jura, libertates, praerogativas, quibus Nobiles *P*oloni, & Magni Ducatus Litvaniae, uti, ac frui solent, eisdem concedimus, & impertimur, ita ut iis licite, libere, & pro rerum suarum exigentia uti, frui, & gaudere possint, & valeant perpetue, & in ævum praesenti Diplomate, recessione, declaratione, conceptione ad id mediante. Quoniam autem libera Serenissimorum Poloniae Regum Electio, pro pupilla habetur Polonæ libertatis, cautum hoc ipso Diplomate nostro volumus, ut quando praefatum Illustrem Franciscum Rakoci, aut quempiam ex liberis, & posteritate praefati Illustrissimi Principis Georgii Rakocii ad Principatum Transylvaniæ evehi contigerit, tunc evectus ad dictum Transylvaniæ Principatum, neque vocem activam in Comitiis eligendi Regis Poloniæ, neque ad eadem Electionis Comitia in propria persona veniendi, neque ad ea copias suas ullo praetextu mittendi habebit potestatem. Cæteris Juribus, libertatibus, immunitatibus, aditu ad honores, & dignitates, prærogativisque omnibus Nobiles huius Reipublicæ spectantibus semper salvis. Tenebuntur etiam praefatus Illustris Franciscus, cæterique Illustrissimi Principis Georgii Rakoci posteri, ad quos praesens Diploma pertinet, Juramentum fidelitatis Reipublicæ huic, pro se ac suis descendentibus praestare, praesertim cum in Dominiis, Ditionibusque eiusdem Reipublicæ Bona, Possessionesque obtinere voluerint, iis exceptis, qui post praestitum a maioribus suis eiusmodi iuramentum, domicilium intra Dominia, Ditionesque Reipublicæ figere voluerint. Cum autem institutum, ac Jure Reipublicæ nostræ sancitum sit, ut indigenatus omnes, Constitutione Comitiorum, & Lege publica decernantur, praesentis autem Indigenatus Decretum, certis de causis non in volumen Legum referre; verum secretioribus Tabulis, seu scripto peculiari comprehensum, in Archivo Regni visum sit reponere, ideo hoc ipso praesenti Diplomate, de praefato Decreto, scriptoque

in

ANNO 1654. in Archivum, vice, & in vim Legis publicæ illato, ac de plena Ordinum omnium, totiusque Reipublicæ voluntate, placuit fidem facere, adeoque ad notitiam omnium, quorum interest, nunc existentium, & futurorum, præsertim vero Dignitariorum, Officialium, ac universorum Regni, & Magni Ducatus Litvaniæ omnia, & singula Diplomatis huius contenta, Ordinumque omnium, & Reipublicæ Decretum perpetuum, ut eundem Illustrem Franciscum Rakoci, omnesque alios supramemorati Illustrissimi Principis Transylvaniæ Georgii Rakoci, utriusque sexus legitimos posteros pro veris, ac indubitatis Reipublicæ Polonæ, & Magni Ducatus Litvaniae, Ditionumque annexarum Indigenis, & Nobilibus recognoscant, & habeant, & circa omnes Equestris Ordinis immunitates, Jura, libertates, praerogativas, conservent, & de iis respondeant, ac ab omnibus responderi, & conservari, curent. In quorum fidem praesentes manibus Illustrissimi Principis, & Reverendissimi Domini Andreae Comitis de Leszno Dei, & Apostolicae sedis Gratia Archiepiscopi Gnesnensis, Legati Nati, Regni Poloniae Primatis, primique Principis, nec non Generosi, ac Magnifici Domini Christophori Grzymaltowski Equestris Ordinis Nuntiorum Terrestrium Marschalci subscriptas, & Sigillis munitas damus. Varsaviae in Comitiis Regni Generalibus die 23. Mensis Junii Anno Domini 1654. Praesentibus praefati Illustrissimi, & Reverendiss. Regni Primatis, & primi Principis Officialibus, & Aulae Familiaribus, Magnifico, Perillustribus, Admodum Reverendis, & Generosis, Alexandro Sielski Castellano Krywinensi, Capitaneo Stężycensi, Supremo Marschalco, Martiano Wituski Scholastico Gnesnensi, Cracoviensi, Łancicienſi, Głogovienſi, Canonico, Praeposito Narvensi Cancellario, Felice Rzeszowski Custode Culmensi, Plocensi, Łowicienſi, Camerae Praefecto, & Referendario, Bartholomaeo Łempicki Gnesnensi, Vladislavienſi, Lowicienſi Crucifero, Vladislao Markowski Gnesnensi, Custode Kurzelovienſi, Thesaurario, Stanislao Niewiarowski, Poznanienſi, Oeconomo, Stanislao Trzebuchowski Vladislavienſi, Alberto Pigłowski *Poznanienſi*, Canonicis, Michaele de Ulina Ulinski *Praeposito Parznenſi*, Andrea Miaskowski Dapifero Halicienſi, Sacrae Regiae Maiestatis Secretariis, Hyeronimo Skłodzianowski Vexillifero Ciechanovienſi, Janovienſi, Skwierniewscenſi, Christophoro Ruszkowski Dapifero Brestenſi, Łyszkovienſi, *Paulo* Studzinski *Pocillatore* Gostinenſi, Marschalco Curiae, *Piaskovienſi*, Alberto Sokołowski Gladifero Łancicienſi, Martino de Pigłowice *Pigłowski* Gubernatore Łowicienſi Hastatorum Equitum, Christophoro Niedziałkowski Vice-Dapifero Nurenſi Velitum, Nicolao Wolski *Peditum*, *Praefectis*, Joanne de Zelazna *Przcinski* Dapifero, Stephano Ordiniec Inciſore, Mathia *Prusinowski Praefecto* Stabuli, Alberto Czarnotulski Judice Łowicienſi, Joanne Babski Zdynenſi, Martiano Mlekicki Kapinenſi, Joanne Chodowski Chrozbinenſi, Staniſlao Kucharski Michovienſi, Capitaneis, Bykowski, Andrea Sarnowski.

ANNO 1654.

IV.

*Articuli Pacis* GEORGIO *Principi Transylvaniæ præscripti, quibus ille pro damnis Regno illatis ad centum quinquaginta Imperialium nummorum millia condemnatur, ac præterea Donativum Hano Tattarorum dare, & Regem, ac Rempublicam solemni Legatione deprecari iubetur. &c.* Actum in Castris versus Czarny Ostrow d. 22. Julii. *Cum Ratificatione eiusdem Principis. Ex Archivo Regni Lib. sub Lit. X.B.O. Fol. 2.* 1657.

Transactio conventa & mutuo studio complexa, per Illustrissimos, Excellentissimosque Dominos Dominos Generales Excercitus Poloni, Illustrissimum, Excellentissimumque Dominum Stanislaum a Potok Potocki Palatinum Terrarum Kiioviæ Generalem, Exercituumque Regni Supremum Ducem, Crasnostavienſem Capitaneum, & Robczycenſem Praefectum, Illustrissimum, Excellentissimumque Dominum Georgium Comitem in Wisnicz, & Jaroslaw Lubomirscium Marschalcum Supremum, Ducemque Campestrem Regni, Generalem Minoris Poloniæ, Cracovienſem Capitaneum, Scepusienſem, Chmielnicenſem, Nizynenſem, Casimirienſem, Olsztynenſem Praefectum. Praesentibus Illustrissimis ac Magnificis Dominis, Dominis Regni Senatoribus, eiusdemque Officialibus, praesertim vero Praesente Illustrissimo, & Magnifico Domino Stephano in Czarna Czarniecki Palatino Terrarum Russiæ, Petricovienſi Capitaneo, Kovelenſi, Ratinenſi, Praefecto. Illustribus, & Magnificis Dominis Daniele Stempkowski in Nieswicz & Czarkow, Braclavienſi, Capitaneo Włodzimirienſi, Nicolao in Zywotow Swiatopełk Czetwertynski, Minscenſi,

Anno 1657. ſcenſi, Alexandro Cetner Halicienſi, Caſtellanis, Magnifico & Generoſo Joanne Sobieſki Supremo Regni Vexillifero, Jaworovienſi Præfecto, Magnifico & Generoſo Domino Joanne Sapieha Notario Generali Exercituum Regni, Capitaneo Słonimenſi, Magnifico & Generoſo Domino Andrea de Potok Potocki Caſtrorum Regni Exercituum Metatore, Capitaneo Vinnicenſi, Illuſtri & Magnifico Domino Demetrio Georgio Korybut in Zbaraz Duce Wiſzniowiecio, Excubiarum Regni Exercituum Supremo Præfecto, cæterisque Præſentibus Capitaneis, Colonellis, Rothmagiſtris, Vicepræfectis Vexillorum, Militibus Regni, Equitibusque Polonis, quorum omnium manibus, Inſtrumentum tranſactæ Conventionis eſt confirmatum inferiùs, nec non præſente, & in connotandis, formandisque (decernente Conſilio Illuſtriſſimorum & Excellentiſſimorum Generalium, Senatorumque Regni) Pactis modernis, Officio Notariatus ſui fungente Generoſo Domino Samuele de Obodno Obodzinſki Secretario Sacræ Regiæ Maieſtatis. Illuſtriſſimi vero & Excellentiſſimi Exercitus Regni Supremi Ducis Notario Generali, nomine Sacræ, Sereniſſimæque Poloniæ, & Sveciæ Regiæ Maieſtatis, Domini Noſtri Clementiſſimi, & tam nomine Exercitus Regni, quam etiam Exercitus Magni Ducatus Litvaniæ, præſentis ad hunc Actum, Perſonamque Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini Pauli Sapieha Palatini Vilnenſis, Magni Ducatus Litvaniæ Supremi Generalis, Orſzanenſis Capitanei, Wołpenſis Præfecti, per Magnificos & Generoſos Dominos, Dominos, Alexandrum Hilarium Połubinſki Notarium Campeſtrem Exercitus Magni Ducatus Litvaniæ, Samuelem Kmiczyc Vexilliferum Orſzanenſem, Kraſnoſielnenſem Præfectum, repræſentantis. Per Illuſtriſſimum quoque & Magnificum Dominum Michaelem Mikes de Zapola Cancellarium Illuſtriſſimi, & Celſiſſimi Principis Tranſylvaniæ nomine, & ex commiſſo eiusdem Fœderatarum (ſociato Pactorum modernorum nexu) Gentium utrarumque Inſtrumento præſenti, exhibita, æternæque Paci cum Sereniſſimo Rege Domino noſtro Clementiſſimo, ac inclyta Republica Polona, & cum Illuſtriſſimo, Celſiſſimoque Principe, Domino Georgio Rakocy Principe Tranſylvaniæ Partium Regni Hungariæ Domino, Siculorum Comite, ſacrata.

Cum humanæ actiones feliciori eventu, & omine gaudeant ſemper, longeque ſint gratiores Cœlo, dum illo fautrice ac teſte, pervulgantur. Prima exinde a Nobis Deo Maximo plantatur præſenti hora palma, quod inter micantia Gentium arma, ſublatis cruentis victoriis, coruſcare fecerit publicæ quietis ſolem. Et licetſi inflicta furente Marte Reipublicae noſtrae vulnera, merito ſanari ferociori pharmaco deberent, aſſiſtente Nobis cæpti contra nos belli cenſura, quia tamen pietate magis, quam armis, exercendaque etiam cum hoſtibus amicitia, quam ſangvinis abuſu, ſtipata Religio Chriſtiana conſignatur, ideo Nos imitati eas, quibus ornatur Chriſtianitas, virtutes, ductique Creatoris noſtri exemplo, quod ille ſolus feliciſſimus Theſaurus Pacis, inter maximas diſcordiarum caligines, facem præferat concordiæ mortalibus ſuis, atrocem Bellonam, in tranquillam Pacem vero, & ſincero affectu cum Illuſtriſſimo, & Celſiſſimo Principe, tenore ſequenti commutamus. Anno 1657.

Quantum igitur attinet mutui voti noſtri, ut Fœdere æterno formetur ſecuræ, honeſtaeque Pacis nobiscum ſtabilimentum, convulſaque amicitia Gentium, ut redintegretur, quae hactenus inveteratam, vel naturalem penitus conſvetudinem mutui amoris poſſidebat, augebitur hiſce (praeſenti bello exorto) derelictus nexus noſter, dum liberalitate animorum certabunt laeſi, Maieſtasque offenſa Sereniſſimi Regis Domini noſtri Clementiſſimi ſolenni Legatione, ac melioris affectus devotione per Illuſtriſſimum & Celſiſſimum Principem, quam primum redierit in Tranſilvaniam, conciliabitur.

Vt ad calcem, optatumque finem Pacis reducatur ſuſceptum bellum, & Gentium ex utroque fuſus cohibeatur ſanguis, hoc fundamentum primum adiunget, adſtringetque Sereniſſimum Regem Dominum noſtrum Clementiſſimum, Illuſtriſſimo & Celſiſſimo Principi, dum omnia Fœdera ſua, inimica Nobis tam publicis, quam privatis molitionibus combinata, reſcindet, ab hinc defacto cum omnibus & colligatis ſecum in perniciem Reipublicae noſtrae coniunctionibus ad modernum bellum ſuſcitatis, abrenuntiabit. Cavetur tamen, & ſervatur Illuſtriſſimo & Celſiſſimo Principi, per antiqua cum Gentibus, Imperiis, & Provinciis, Amicitia, defenſionibus publicis Gentium, privatisque commodis, & correſpondentiis accommodata, niſi forte ſub ſpecie eiusdem amicitiae aliqua media, & conſpirationes, in praeiudicium Reipublicae noſtrae, aliquando, & quandocunque poſt Conventionem praeſentem ſtruerentur. Obſervabitque Illuſtriſſimus, & Celſiſſimus Princeps, æque cum Ami-

ANNO 1657. Amicis & Inimicis noſtris non tantum nomen, ſed etiam rem ipſam amicitiae, ita ut nullum favorem, atque auxilium, diſcrepantibus a Nobis ſit exhibiturus contra Nos, neque contra ſocios noſtros, Fœderatosque nobis colligatos inſurrecturus, niſi directe vel indirecte petatur a quopiam Fœderato noſtro hoſtilitate, vel notabili iniuria.

Cum ſemper augeat ferventiorem amicitiam conniventia inter amicos occaſionum, & neceſſitantium rerum, ideo non carebit Sereniſſimus noſter Rex ac Dominus Clementiſſimus ab Illuſtriſſimo Celſiſſimoque Principe tanquam Confœderato, & Amico ſibi Principe, certis copiarum ſuppetiis, requirente belli neceſſitate, quoties occaſio poſtulaverit. Reciprocantibus mutuo ex parte Sereniſſimi Regis Domini noſtri Clementiſſimi ſuppetiis urgente neceſſitate Illuſtriſſimi, & Celſiſſimi Principis, neutri tamen parti Fœderatorum modernorum auxilia porrigentur, nec Nos pro Illuſtriſſimo, Celſiſſimoque Principe, nec Illuſtriſſimum Celſiſſimumque Principem pro nobis Pacta de ſuppetiis ſancita obligabunt, ſi vel noſtri, vel eiusdem Celſiſſimi Principis Fœderati Partem aliquam praeſenti transactione fœderatam ad invicem ſibi laceſſere, & bello afficere velint.

Cum Illuſtriſſimo Duce Krymenſi Conſociato Fratre Sereniſſimi Regis Domini noſtri Clementiſſimi impreſſa vi Pactorum, quoniam recitatur coniunctio talis, ut mutuas cuicunque parti exhibitas ab aliquo cenſeamus iniurias, easque tum vindicemus, tum etiam in componendo, notitiae partium, ac debitis obſervantiis nil detrahamus, multum intereſſe videmus, ad conſervandam cum Illuſtriſſimo Duce Krymenſi amicitiam Regni, quatenus remiſſior fiat ex illata mutua iniuria, ut tam ipſe, quam Supremus Veſirius, Proceresque Krymenſes, condigna convenientique Legatione Illuſtriſſimi & Celſiſſimi Principis pro genio eiusdem, generoſa humanitate relaxenturi.

Satisfaciet intentioni Pacis Illuſtriſſimus, ac Celſiſſimus Princeps, dum Praeſidia Cracoviae & Breſtiae collata, realiter abducet, liberaque de plano fortalitia praenominata Regni ab impedimentis hoſtilibus faciet, nullamque incolis civitatum, templis, monaſteriis, Nobilium depoſitis iniuriam, et expilationem, tempore abducendorum praeſidiorum eſt illaturus. Quae praeſidia ſalvo conductu militum noſtrorum ad fines Tranſylvaniae, cum omni ſecuritate, cum ſignis, & armis, & ſupellectili propria, introducta ſecum ad praefatas civitates, vel ibi ſine iniuria comparata, depoſitaque per quoscunque ex parte Illuſtriſſimi, Celſiſſimique Principis relicta exportabuntur, & Praeſidiarii libere tranſibunt, & deducentur. Praeſidium vero Sveticum, quoniam ad requiſitionem Illuſtriſſimi, & Celſiſſimi Principis conceſſum eſt Cracoviae, cum Generali maiore Virtzio abscedere debet protinus. Ita tamen ut Literis Paſſus, & Salvo Conductu, Sacrae Regiae Maieſtatis Domini noſtri Clementiſſimi ad Confinium per ipſum eligendum, muniatur. Qui etiam Generalis Virtzius, absque ulla iniuria exemplo praeſidiariorum Tranſylvaniorum exibit. ANNO 1657.

Peſſimum exemplum perfidiae prima, & maxima Imperiorum, ex proditoribus naſcentibus labes, ne inpoſterum pullulet inter Cives Regni, repudiari, & relegari hi omnes ab Illuſtriſſimo, & Celſiſſimo *P*rincipe debent, qui praeſenti bello, partes Illuſtriſſimi ſequebantur: ſuperiori vero tempore ante aſſumptum bellum famulantes Illuſtriſſimo, non ſunt vertendi ad ſimilem paenam. Ante relegationem tamen proditorum *P*atriae noſtrae, liberum erit illis, Clementiam Sereniſſimi Regis Domini Noſtri clementiſſimi deprecari, quibus remittere de culpa, ſi nolit Sereniſſimus, relegari confeſtim ab Illuſtriſſimo, Celſiſſimoque *P*rincipe debent.

Per importatum Regno noſtro bellum, quoniam publica, & privata noſtra multum ſunt corrupta, nihil aequius, quam diminuta reſarcire, damnisque explicatis, quibus conſcientia, Divinaque inſtituta refuſionem ſanciverunt, concedere recompenſas, ſaltem unius millionis, & ducentorum millium Florenorum pro ſtipendio militum, de aerario Illuſtriſſimi erogatione.

Captivi utriusque ſexus, Saeculares, & Spirituales, ex Civibus Reipublicae, tum etiam plebei Civitatum, Villarumque Incolae, & Coloni, domibus reperti, & ab Exercitu Tranſylvanico intercepti, belloque ſaeviente capti inter pugnas, & concertationes partium, dimitti libere debent: Si qui etiam ex parte Illuſtriſſ. & Celſiſſ. Principis captivi ſint in partibus Sereniſſimi Regis, reciproce libere relaxabuntur.

Reditus Illuſtriſſimo, & Celſiſſimo *P*rincipi cum ſuo Exercitu ad Tranſylvaniam hac parte, atque paſſu Regni continuabitur, quo commodius utrique *P*arti, & Illuſtriſſimis, Excellentiſſimisque Generalibus Exercitus *P*oloni viſum fuerit, qui ex ratione ſecurioris tranſitus certum numerum militum, & in vim pacti

ANNO 1657. Fœderis applicabunt Illuſtriſſimo, & Celſiſſimo *P*rincipi.

Ratificationem *P*actorum, compoſitaeque modernae *P*acis, Legatus Illuſtriſſimi, & Celſiſſimi *P*rincipis, de quo meminimus, ad primam conditionem conſcriptae inter Nos Conventionis, a Sereniſſimo Rege noſtro, ac Domino clementiſſimo, & Senatus Conſulto duraturi in aeternum cum Inclyta Republica *P*olona Fœderis ſolito more, & ordine Regni, eſt promoturus, atque effective obtenturus.

Haec omnia quae nunc paciſcuntur, & quibus explicata arma moderna interdicuntur, quo firmius copulentur, arctiori ſtringentur utrarumque *P*artium fide, ut Commiſſarii ab Illuſtriſſimo, & Celſiſſimo *P*rincipe, Illuſtriſſimisque, & Excellentiſſimis Generalibus Exercitus *P*oloni, deſignati, ſtatuta haec *P*acta veneratione Maieſtatis Divinae, praeſtito Juramento Deo Auctori Summo optimarum rerum, & noſtrae inſtitutae Amicitiae Fœderatae, approbabunt, quod Illuſtriſſimus, et Celſiſſimus *P*rinceps, obſervaturum ſe omnia, quae ſunt inſcripta modo, Literis ſeorſivis cavebit de praeſenti. Atque haec quae ſancivimus, efficaciter completa nunc, et in futurum, ſublimi per orbem perſonabunt triumpho, bellatas amicitias noſtras indulſiſſe ſibi aeterna pacis ſecuritate. In quorum fidem nomina noſtra ponimus ſcripta, Sigilloque Inſtrumentum praeſens muniri iuſſimus. Dabantur in Caſtris verſus Czarny Oſtrow ſitis, Die vigeſima ſecunda Julii Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo.

*Staniſlaus a Potok Potocki, Palatinus Kyoviæ, Exercituum Regni Generalis.*
*Stephanus in Czarna Czarniecki Palatinus Terrarum Ruſſiæ.*
*Daniel Stempkowſki in Nieſwicz, & Czarnkow Caſtellanus Bractawienſis, Capitaneus Vlodimirienſis.*
*Joann. Sobieſki Vexillifer Supremus Regni.*
*Andr. a Potok Potocki Caſtrorum Metator Regni Vinicenſis Præfect.*
*Michael Mikes de Zapola Cancellarius Illuſtriſſimi Celſiſſimique Principis Tranſylvaniæ.*
*Georgius in Wiſnicz & Jaroſtaw Lubomirſki Mareſchalcus Supremus Regni, Dux Campeſtris.*
*Alexander Hilari Potubinſki Notarius Campeſtris Magni Ducat. Litvaniæ, Winnicenſis Præfectus.*
*Demetrius Georgius in Zbaraz, & Wiſniowiec Wiſniowiecki Excubiarum Regni Præfectus, Capitaneus Luceorienſis.*
*Sebaſtianus Machowſki, Colonellus Sacræ Regiæ Maieſtatis.*
*Zygmunt Hinek Topor Chorągwi Imći Pana Marſzałka Wielkiego y Hetmana Polnego Porucznik Uſarſki.*
*Simon Kaiwecki Vexillifer Novogrodienſis, Caſtrorum Metator Exercitus, Rothm. Sacræ Regiæ Maieſtatis.*
*Bidzinſki Vicepræfectus Vexilli Vexilliferi Supremi Regni Poloniæ.*

## *Juramentum Commiſſariorum* GEORGII *Principis Tranſylvaniæ.*

Nos Commiſſari Deputati, ab Illuſtriſſimo, et Celſiſſimo Principe Domino GEORGIO Rakocy Tranſilvaniae *P*rincipe, *P*artium Regni Hungariae Domino, et Siculorum Comite, tum etiam ab Exercitu eiusdem Celſiſſimi, ad praeſtandum ſuper *P*acta tranſacta, et Conventa, Juramentum Corporale, et ſuper haec omnia, pro *P*arte Sereniſſimi Regis *P*oloniae, atque Sveciae, Magnique Ducis Litvaniae, etc. JOANNIS CASIMIRI, ſancita, nec non pro parte Illuſtriſſimi ac Celſiſſimi Principis Tranſylvaniae, Domini noſtri Clementiſſimi, Inſtrumento Tranſactionis in Caſtris Polonicis verſus Czarny Oſtrow die 22. Julii, Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo inſcripta, Reipublicæque univerſæ Polonæ Fœderatæ aeterna cum Tranſylvanis Pace applicata, Juramus Deo, Sanctiſſimaeque Trinitati: Quia haec omnia, quaecunque Literis praenominatis Pactorum, inter utrasque Gentes eſt impreſſum, et ſtabilitum, ſancte, et inviolate

in

Anno 1657. in omnibus conditionibus, punctis, clausulis, servabimus, adimplebimus, et in perpetuum observabimus. Spondemusque pro Nobis, ac nomine Illustrisimi, et Celsisimi Principis, totiusque Provinciae, et Exercitus nostri, eadem omnia, quae pepigimus modo, nec directo, neque indirecto aliquo contractu, convulsionem Pactorum, in toto vel in parte Nos violaturos. Sic Nos Deus, et pure Pactorum Conventorum Intentio assumpta adiuvet. Dabantur in Castris loco die et Anno, ut supra.

## Georgii *Principis Transylvaniæ Ratificatio, & Approbatio Transactionis ex Formula, quæ ei data fuit ab Illustrissimis Poloni Exercitus Ducibus.*

Nos Georgius Rakoci Dei Gratia Princeps Transylvaniae, Partium Regni Hungariæ *D*ominus, & Siculorum Comes. Inhærendo per omnia, & in omnibus conditionibus, punctis, clausulis transactionis, Instrumento Principali expressis, stabilitisque in Castris Polonicis, versus Czarny Ostrow, die 22. Julii, Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo positis, quæ transactio ab invicem pacta, tam Serenissimum Joannem Casimirum Poloniae, & Sveciae Regem, Magnumque Ducem Litvaniae &c. et universam Inclytam Rempublicam Polonam, tam Exercitum Regni, Magnique Ducatus Litvaniae ad intro contenta obligavit, quam etiam Nos conduxit, sanctoq; Fœdere amicitiae perpetuae, est copulata, spondemus constanter pro Nobis, totaque Provincia Transylvanica, et Dominiis nostris, Nos ea omnia inviolate observaturos, neque directe sive indirecte Pactorum sancitorum convulsionem facturos, dummodo a Serenisimo Poloniae, et Sveciae Rege, Senatuque, et Ordinibus Regni rata, uti speramus, adimpleta, & inviolata omnia habeantur, ac Legato nostro Diplomate Regni, pro consvetudine Legis, et Gentis, caveantur, quaecunque Solennitas, atque vis conventae nostrae Transactionis servanda, in perpetuum decrevit, Juramentisque corporalibus Commissariorum, utraque a parte locatorum, solidavit. Et quod est reliquum, neque in eo adimplendo deficiemus, iuxta tempus nostrorum Commissariorum declaratum, quod damnis illatis, sæviente bello nostro, in vim refusionis est institutum, Pactisque promulgatum. Dicta Commissariorum, fidemque stipulatam nostrorum Illustrissimis, & Excellentisimis Dominis Generalibus exhibitam, in toto ratificantes. Dabantur in Castris nostris ad fluvium Borek, positis, die vigesima secunda Julii, anno ut supra. Anno 1657.

Georgius Rakoci.

## *Juramentum Commissariorum Deputatorum ab Illustrissimis Exercitus Poloni Generalibus.*

Nos Commissarii Deputati ab Illustrisimis Excellentissimisque *D*ominis Generalibus Exercitus Poloni, tum etiam, & Exercitu Magni Ducatus Litvaniæ, ad præstandum super Pacta transacta & conventa iuramentum corporale, & super hæc omnia pro parte Sereniissimi Regis *D*omini nostri Clementissimi sancita, nec non pro parte Illustrissimi ac Celsissimi Principis Transylvaniæ, Instrumento transactionis, in Castris versus Czarny Ostrow die 22 Julii Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo inscripta, Reipublicæque universæ Polonæ Fœderatæ, æterna cum Transylvanis Pace applicata, iuramus *D*eo, Sanctissimæque Trinitati. *Quia haec omnia, quæcunque Literis prænominatis Pactorum, inter utrasque Gentes, est impressum, & stabilitum, sancte & inviolate, in omnibus conditionibus, punctis, clausulis, servabimus, adimplebimus, & in perpetuum observabimus. *S*pondemusque pro Nobis, ac nomine Sereniissimi Regis *D*omini nostri Clementissimi, totiusque Reipublicae nostrae, Exercitusque Regni, & Magni *D*ucatus Litvaniae, eadem omnia, quae modo pepigimus, nec directo neque indirecto aliquo Contractu, convulsionem Pactorum, in toto vel in parte, Nos violaturos. Sic nos *D*eus & pure Pactorum conventorum intentio assumpta adiuvet.

* *Sic in Archivo.*

# FINIS PARTIS PRIMÆ.

# SILESIA.

# TOMI PRIMI
# PARS SECVNDA
## PROVINCIÆ
## QVÆ OLIM SUB IMPERIO POLONO ERANT.

## SILESIA.

I.

ANNO 1067. *Diploma Fundationis Goravienſis Eccleſiæ datum a* RAPHAELE *Hieroſolimitanæ militiæ Supremo Tetrarcha, &* BOLESLAO *Regc Poloniæ.* Datum Poſnaniæ die Martis poſt Dom. Jubilate anno 1067.

*Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.*

RAPHAEL Hieroſolimitanæ Militiæ Supremus Tetrarcha, Signo vivificae Crucis Chriſti initiatus, ac benedicto gladio, quo in Montis Oliveti horto D. Malchi auriculam Beatiſſimus Petrus abſcidiſſe creditur, ſuccinctus, Sanctiſſimi in Chriſto Patris Domini NICOLAI Papæ II. per & infra Poloniam ad Civitatem Bregam, & Glogoviam, ubi rapidiſſimum flumen Odra Regnum Polonicum ab Inferiori Sileſia diſſimitat, (*a*) & curſu ſuo ſeiungit adverſus inhærentem ſuperſtitionem falſorum Deorum iuratus Bellator. Dein BOLESLAUS Divina propitiatione Rex Poloniæ, Dux Opoliæ, Poſnaniæ, Glogoviæ, in Gora, & Steina Dominus &c.

Recognoſcimus, & fatemur per præſentes Literas noſtras coram univerſis præſentibus & futuris, Dominationibus, ac eorum ſubditis in, & extra Civitatem Goram, dominaturis, & per totum Dominium noſtrum Polonicum inhabitandis. Quia Nos utrinque Spiritu Divino afflati inter duas Archiepiſcopales Eccleſias, Gneſnenſem, & Cracovienſem, ſeptem vero Epiſcopales in Regno noſtro Polonico, videlicet Vratiſlavienſem, Vladiſlavienſem, Poſnanienſem, Plocenſem, Lubucenſem, Chełmenſ. & Camenſem a Miecziſlau, & Boleſlao Chabri Filio ſuo, uno eodem tempore olim circa annum gratiæ nongenteſimum ſexageſimum ſextum ad Orthodoxam Religionem dilatandam, ſtudioſe conditas, & fundatas, terminisque earundem per fluvios, & ſigna diſtinctis, etiam Eccleſiam Provincialem Divæ Catharinæ Virgini, & Invictiſſimæ Martyri, Beato, & Glorioſo Apoſtolo Jacobo Maiori, Inclytiſſimo Michaeli Archangelo, Divo, & conſtantiſſimo Martyri Georgio dicatam, & intitulatam in Civitate noſtra Gora duntaxat loco paluſtri, uberi, & fructuoſo verſus Glogoviam, quam luſtris ſex præterlapſis noſter fidelis Maurus de Malta diſpulſa gentilitatis tenebra, toti Guranæ Provinciæ ſalutari animarum remedio frequentandam erexit, & Ludovicus modeſtus Satrapes Regni prælaute undiquaque dotavit, non ſolum Diœceſi Poſnanienſi perpetuo ſubiectam eſſe, ac ſemper fore annumeravimus, verum etiam tres Eccleſias vicinas in Villis *Sanualda*, *Oſtavia*, *Szabin* noviſſime erectas, pariterque omnes alias in Terra Goravienſi ubilibet cis torrentem Barycz ab Herrnſtad, usque ad Caſtrum Vrauſtadienſe poſterius Deo volente ſuperædificandas præliminate veluti filiales, & novellas una cum univerſis Eccleſiaſticis Miniſtris ſuis, quoad ſpiritualem circumſpectionem prædictæ Eccleſiæ in Gora, eiusdemque Miniſtro tanquam ſubordinato Vicario noſtro, in perpetuum paterne ſubiecimus, eum pro conſcientia aggravantes, ut ipſe infra divinarum Legum Limites ſui ipſius bene memor, Reverendorum Dominorum ſuorum Epiſcoporum Poſnanienſium Paſtoralis ſollicitudinis vices, ita laudabiliter ſuppleat, eisdem omnem reverentiam, & obedientiam præſtiturus, ut

ANNO 1067.

(*a*) *Brevi eam quoque Sileſiæ Partem, quæ trans Oderam eſt, ad Regnum Poloniæ adiunctam fuiſſe, patet ex diviſione huius Provinciæ facta inter Poſteros* BOLESLAI CRIVOUSTI.

Anno 1067. ut de ſuo ordinario domeſtico, & circumforaneo Officio exequendo ipſis, & in tremendo die Judicii coram Deo ſtrictiſſimam rationem reddere poſſit, ac valeat, quem ideo pleniſſimis favoribus Regalibus proſequimur, & perpetuis cumulamus prærogativis hiſce ſpecialiter exaratis.

Atque imprimis memoratum Vicarium, & Eccleſiæ noſtræ Provincialis in Gora quemlibet legitimum Miniſtrum hac prima prærogativa refocillamus, ac æterne circumvallamus, ut ipſe in aſſumendis, & deponendis Conſulibus, Prætoribus, & aliis Officioſis perſonis, ratione Orthodoxae fidei promovendæ, Eccleſiaſticæ tutelæ perpetuandæ gratia, ſemper noſtram Regiam perſonam Regali ſacerdotio coram univerſa Communitate Gorenſi repræſentet, & irrefragabili voto ſolus gaudeat, ſecundum quod, ac ſi Nobis annuentibus, incunctanter procedatur.

Secundam prærogativam impartimur, ut ſicut præfatæ Eccleſiae Miniſter, ita & ſubditi eius Incolae, omnes per dimidiam plateam in contiguo fundo Eccleſiae ab ipſa Chirurgia iuxta circumforaneam Paleſtram, ad Vratiſlavienſem Portam, vel ubicunque inpoſterum ſub Eccleſiaſtica Jurisdictione in Gora cohabitaturi, licet ſparſim illegitimi, cuncta artificia, & mercaturas diverſas in domiciliis ſuis tantum modo exerceant, cereviſiam bis coctam braxent, eandemque, ſicut & quoſvis alios liquores potabiles, absque tamen extrinſeco indice, libere divendant, & propinent, ab univerſis teloneis, vectigalibus, exactionibus, contributionibus, vel quibuslibet oneribus, tam publicis, quam privatis, nunc, & in aevum futuris immunes, liberi, & omnimode exempti cum ſpeciali noſtrae Maieſtatis Privilegio, ne intra limina ſua ulli hominum liceat offenſive, ſub privatione dextrae manus arma vibrare, quin minus ſub paena colli aliquem interficere, nec ullum fugitivum, quantumvis criminoſisſimum, ibi vel in Eccleſia, aut Caemeterio quaerere. Secus qui agere praeſumpſerit, & in flagranti crimine comprehenſus fuerit, trium dierum intervallo praeſcripta paena irremiſſibiliter omnino puniendus eſt.

Item cum eadem libertate, & immunitate ad hancce Eccleſiam Miniſtro in perpetuum uſum ſuperaddidimus, & ſponte, mente, & corpore ſani reſignavimus duo fructifera allodia, cum quatuor Colonis, in vico noſtro antiqua Gora penes viam, qua itur ad Burgam Tranſylvianam. Item indulſimus eidem pro quibusvis pecoribus communia paſcua, lignorum liberam caeſuram, cunctorum animalium, volatiliumque in ſylvis, & piſcium in aquis licitam capturam circa Goram. Anno 1067.

Rurſum Lege Divina, & praxi univerſae Eccleſiae, fertones petronales, decimas manipulares in colendis, & tractu temporis innovandis agris, de omnibus fructibus Terrae, quotannis a militibus fideliter perſolvendas ex adſcriptis Villis *Graba*, *Sedicz*, *Codiecza*, parva, & magna *Kloda*, ambabus *Baraczina*, *Elgota*, duabus *Fubeldorff*, antiqua *Gora*, *Negota*, *Gola*, *Jaſtrzemba*, *Gabiſvona*, *Slavoczicz*, *Sielazno* adiudicavimus ſæculis innumerabilibus, Subditi vero eorundum ex præfatis Villis unusquisque a quolibet manſo ſuo, quem colit, tenebitur ſingulis annis pro termino Sancti Michaelis in puro grano inferre unam integram, & confertam metretam ſiliginis, totidem tritici, ubi ſeminatur, & avenæ unicuique menſuræ uno argento adiuncto. Reliqui autem Milites in remotioribus Villis, videlicet *Renocina*, *Cztrnina*, *Groszina*, *Tarpa*, *Narta*, *Cunerciwalda*, *Szitla*, *Miecha*, *Cutla*, *Oſedno*, tantummodo a quolibet allodio ſuo unam votivam Marcam, unusquisque annuatim contribuendo patebunt. Aſt eorum subiecti ruricolae pro qualibet aniverſaria Dedicatione Eccleſiæ Gorenſis Dominica prima poſt Feſtum Michaelis incidente, quilibet offeret binam ſexagenam ovorum cum duabus gallinis. Similiter in Villa Glinea novem coloni, quilibet tot ova, duas gallinas, & unum fertonem Eccleſiæ Gorenſi tenentur, caeteri vero ad Oratorium S. Georgii reddere.

Haec igitur omnia, & ſingula, litera ad literam, in parte, & in toto, de verbo ad verbum, tam in ſpecie, quam in genere, ut ſempiternae firmitatis robur habeant, & quemadmodum nunc a Nobis, ita & per ſaecula ab omnibus noſtris Succeſſoribus, & cunctis ſubditis ſemel pro ſemper edicta, ſancte, & inviolate conſerventur; Nos ſupradicti Coathletae, cum Eminentiſſimo Domino Theodoro Epiſcopo Poſnanienſe, & provido Conſulatu Gorenſi in teſtimonium Praeſentes propriis manibus ſubſcriptas Literas aſſvetorum noſtrorum Sigillorum ſub appenſione conſtanter munivimus. Actum, & Datum Poſnaniæ, die Martis poſt Dominicam Jubilate, Anno Donini MLXVII.

Raphael *ut ſupra.*

BOLESLAUS *Rex Poloniæ.*

*Theodorus Epiſcopus Poſnanienſis.*

*Berchtoldus Conſul, & Proconſules Civitatis Gorenſis.*

*Au-*

ANNO 1267. *Authenticum Teſtimonium, quo confirmatur præcedens Diploma genuinum, & ſincerum eſſe.*

*Sereniſſimi, ac Reverendiſſimi Principis, & Domini Domini* CAROLI JOSEPHI *Archiducis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, Generalis Militiæ Hieroſolymitanæ, Ordinis B. M. Teutonicorum in Pruſſia Adminiſtratoris, ac eiusdem per Germaniam, & Italiam, Partesque tranſmarinas Magni Magiſtri, Epiſcopi Paſſavienſis, Olomucenſis, & Vratiſlavienſis, Comitis Tyrolis, & Goritiæ, & Landgravii Alſatiæ &c. Conſiliarii Conſiſtorialis Epiſcopatus Vratisſlavienſis &c. Univerſis, & ſingulis notum, perſpectumque ſit, comparuiſſe hodie coram Nobis Reverendum, doctiſſimum ſincere Nobis dilectum Albertum Georgium Weierzig Archipresbyterum, & Parochum Guravienſem, Nobisque publicum in Originali Inſtrumentum ſequentis tenoris, iuxta propriæ manus ſubſcriptionem, & quatuor Sigillorum appenſionem exhibuiſſe, & deſuper humillime rogaſſe, quatenus huius ita exhibiti in Originali Inſtrumenti authenticam copiam elargiri dignaremur. Nos eiusmodi petitioni inclinati ſubſequentem copiam vidimus, legimus, cumque ſuo Originali collationavimus, illique omnino conſonam, & de verbo ad verbum concordare reperimus, uti ſequens tenor in ſe continet. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi &c. ut ſupra.*

*In cuius rei fidem vidimatam, & authentice repertam copiam præſentem manu propria ſubſcripſimus, & conſueto Conſiſtoriali Epiſcopatus Vratiſlavienſis Sigillo communiri iuſſimus. Vratiſlaviæ in Inſula Divo Joanni Sacra. Die nona Julii, Anno poſt partum Virginis milleſimo ſexenteſimo ſexageſimo tertio.*

*Mathias Joannes Stepetius.*

*Joannes Henricus Heyman.*

*Vladiſlaus a Winter.*

(L.S.) *Conſiſtorii Vratiſlavienſis.*

II.

*Literæ Boleſlai Filii* VIADISLAI *Ducis Poloniæ, quibus Thomæ Epiſcopo Vratiſlavienſi pro villa Marmon dat alias certas villas.* Dat. in Dankow 16. Febr. 1267. *Sub Tranſumpto Nicolai Abbatis Monaſterii B. M. V. in arena Vratiſlavienſi.* Dat. 12. Nov. 1401. *Ex Archivo Regni Lib. 3. Num. 4. fol. 13.* ANNO 1267.

*Nicolaus miſeratione divina Abbas Monaſterii Beatæ Virginis Glorioſæ in Arena Vratiſlavienſi, Ordinis Beati Auguſtini Canonicorum Regularium, univerſis, & ſingulis, quibus noſſe fuerit opportunum, præſentibus recognoſcimus, Nos pridem vidiſſe Literam pergameni condam Illuſtris Principis, & Domini, Domini* BOLESLAI *Filii* VLADISLAI *Dei Gratia Ducis Poloniæ, ſalvam, ſanam, & integram, omnique vitio carentem, ipſius Sigillo ſigillatam, per omnia huiuſmodi ſub tenore.*

In Nomine Domini Amen.

Quoniam ab humana facilius elabuntur memoria, quæ nec ſcripto, nec voce teſtium firmiter perennantur, ideoque res digna memoriæ in ſcriptum redigit, ne quod caneſcens contraxit antiquitas, de facili valeat per ætatem poſteram infirmari. Nos igitur BOLESLAUS filius VLADISLAI Dei Gratia Dux Poloniæ notum facimus univerſis præſentibus, & poſteris, quod concurrente conſenſu noſtro, & Baronum noſtrorum ex una parte, nec non Venerabilis Patris Domini THOMÆ Dei Gratia Vratiſlavienſis Epiſcopi, & ſui Capituli ex altera, placuerit Nobis pro commutatione Villæ Beati Joannis, & Eccleſiæ Vratiſlavienſis Murmon, quam ex eadem commutatione in noſtram proprietatem recepimus, & poſſeſſionem, conferre, & aſſignare in perpetuum præfato Epiſcopo, & Eccleſiæ Vratiſlavienſi Villas Ducatus noſtri ſitas circa Milich, quarum una vocatur *Zdunki*, & alias *Zdatkowo*, & dedimus ei licentiam Villas easdem locandi Jure theutonico, cum libertate, quæ ſibi viſa eſt, competere. Noviſſime a Beato Joanne meritum, & gratiam ſperantes, ex plena noſtra libertate, quam ad præfatum Dominum Epiſcopum habemus, qui puro affectu Nos diligens, noſtra ſemper negotia fideliter procuravit, contulimus ei facultatem omnimodam in eisdem Villis locandi forum, & Civitatem liberam cum tabernis, & macellis liberis, & cum pleno Jure penitus, & libertate fori, & Civitatis. Excipientes homines Civitatis, & Villarum earundem a prewodi, Powoz, & Stroſza, nec non a poteſtate Caſtellanorum, & Camerariorum, & a iudiciis eorundem, & ab omnibus ſervitutibus, quæ in Jure Polonico fieri conſveverunt, ſeu quæ foro, & Jure Civitatis poſſent contraire videri, nihil Nobis omnino in eis relinquentes, excepta moneta, in qua nihil habebit Dominus

Anno 1267. Episcopus dictus, & eo salvo, quod ubi agetur de causis sangvinis, videlicet decapitationis, vel membri amissionis, in talibus duntaxat causis per Judicem Domini Episcopi Vratislavienſis, Nobis ratione Dominii, pars tertia placationum fideliter præsentabit. Reliquæ vero duæ partes secundum arbitrium Domini Episcopi Vratislavienſis, Nobis ratione Dominii pars tertia placationum fideliter præsentabit. Reliquæ vero duæ partes secundum arbitrium Domini Episcopi remanebunt, ut autem dictæ Civitatis, & fori libertates in perpetuum illibate permaneant, & inconcusse, præsentem chartam Sigilli nostri munimine confirmamus. Datum in Dankow anno Gratiæ MCCLXVII. quartodecimo Calendas Martii præsentibus his testibus Predpolio Palatino Posnanienſi, Simone Castellano Gnesnenſi, Joanne Castellano Calisienſi, Comite Catoslao Ihpstone Succamerario, Mathia Secretario nostro. *Acta sunt hæc in Vratislavia in Domo solitæ habitationis nostræ Monasterii prædicti. Anno Domini millesimo quadringentesimo primo, duodecima Mensis Novembris. In cuius fidem, & testimonium Sigillum nostrum præsentibus est subappensum.*

III.

1346. Vladislai *Ducis Bithomienſis Pactum cum* Casimiro *Rege de non recipiendis neque fovendis hostibus Regis.* Dat. in Bithom 15. Febr. 1346. *Ex Originali Sigill. 7.*

Noverint universi præsentem Literam inspecturi, quod Nos Vladislaus Dei Gratia Dux Bithomienſis Ordinationem cum inclito Domino Casimiro Rege Poloniæ Fratre nostro super Pace habenda talem fecimus, & in hunc modum, promittentes eidem Domino Regi Poloniæ sine dolo, nullos æmulos suos, & præcipue Dominum Regem Bohemiæ, Marchionem Moraviæ, Joannem Ducem, chariſſimos suos Filios, Nicolaum Ducem Opaviæ, ac eorum Capitaneum, sive Capitaneos, aliquam potentiam habentes, & generaliter omnes præfato Domino Regi Poloniæ adversantes, sibi in dampnum in nostras munitiones intromittere, vel fovere tamdiu, donec inter ipsum Dominum Regem Poloniæ parte ex una, & Dominum Regem Bohemiæ, parte ex altera fuerit concordatum, pro quo quidem nostri fideles subscribi duxerunt, Nobiscum eidem Domino Regi Poloniæ compromittendum, videlicet Dominus Joannes Samborii, Dominus Fridericus Advocatus Thostenſis, Dominus Adam Sedharnowitz, Vincentius Samborii, Nicolaus Advocatus Lithom, cum Consulibus, & Civium universitate. In cuius rei evidentiam præsentes conscribi fecimus sub nostri Sigilli munimine, & nostrorum supradictorum fidelium Nobiscum compromittentium Sigillis duximus roborandas. Datum Bithom in Crastino Sancti Valentini sub An. Incarnationis Domini millesimo trecentesimo quadragesimo sexto. Anno 1346.

IV.

*Promissio* Caroli IV. *Imperatoris tanquam Regis Bohemiæ, quod non velit laborare apud Sedem Apostolicam pro Scissione Episcopatus Vratislavienſis a Metropoli Gnesnenſi facienda.* Datum Nurembergæ 7. Calend. August. 1360. *Ex Arch. Regni.* 1360.

Carolus IV. &c. Notum facimus, &c. Quod illius amoris, & favorosi affectus intuitu, quo Magnificum, & Excellentem Principem Dominum Casimirum, Regem Poloniæ Illustrem, Fratrem nostrum Cariſſimum pia benignitate prosequimur, pro Nobis Hæredibus, & Succeſſoribus nostris Bohemiæ Regibus, eidem Fratri nostro de certa scientia tenore præsentium promittimus absque dolo, quod pro scissione Vratislavienſis Episcopatus a Gnesnenſi Metropoli facienda, pro parte nostra, vel eorundem Succeſſorum nostrorum apud Sedem Apostolicam nunquam laborabitur, quibuscunque temporibus affuturis. Præsentium sub tenore. Datum Nuremberg. Anno 1360. Indict. XIII. VII. Calend. August. Regnorum nostrorum anno Romani XV. Bohemiæ XIV. Imperii vero VI.

Ladislai *Ducis Opolienſis Literae de tradenda Filia sua nuptui* Alexandro *Duci Litvaniæ.* Dat. in Nepolomice Fer. quarta ante Festum Sanct. Margarethæ 1386. *Ex Originali.* Vide Tomum III. Part. I. ad An. 1386. 1386.

*Inducia inter* Vladislaum *Regem Poloniæ, &* Conradum *Ducem Sleſiæ.* Dat. in Melicz, d. B. Donati Mart. An 1391. *Ex Originali.* Vide Tom. II. tit. Supplementum Tom. I. Part. II. ad An. 1391. 1391.

*Indu-*

ANNO 1393. *Inducia* VLADISLAI *Ducis Opolienſis cum* VLADISLAO *Rege Poloniæ.* Dat. in nova Civitate Korczyn 26. Julii Anno 1393. *Ex Originali.* Vide ibidem ad An. 1393.

1395. *Fœdus inter* VENCESLAUM *Rom. & Bohemiæ Regem, ac* VLADISLAUM *Regem Poloniæ, quo præfatus Rex* VENCESLAUS *promittit (ratione Ducatus Sileſiæ) ſe Regi Poloniæ cum ſexcentis Lanceis, & totidem Baliſtariis intra ſpatium unius Menſis, poſtquam requiſitus fuerit, contra quosvis hoſtes auxilio futurum.* Datum Pragæ 25. Junii. *Ex Originali.* Vide tit. Bohemia Num. 7. fol. 6.

V.

1396. BOLKO & BENHARDUS *Duces Opolienſes cum Joanne Epiſcopo Fratre ſuo, ſubmittunt ſe* VLADISLAO *Regi Poloniæ.* Dat. ante Opol die 5. Aug. An. 1396. *Ex Originali Sigil. 9.*

NOS BOLKO & BENHARDUS Fratres germani Dei Gratia Duces, & Domini Opolienſes nomine noſtro, & Reverendi in Chriſto Patris ac Domini, Domini JOANNIS eadem Gratia Epiſcopi Caminenſis Fratris noſtri cariſſimi extra Limites Terrarum noſtrarum pro tunc exiſtentes, Univerſis, & ſingulis, ad quorum viſus, auditus, ſeu lecturæ notitiam pervenerit præſens ſcriptum, cupimus, fore notum. Quod eo tempore, quo Sereniſſimus Princeps, & Dominus Dominus VLADISLAUS Rex Poloniæ, Supremus Princeps Litvaniæ, & Hæres Ruſſiæ manu forti, & potenti veniens Opol circumvallaverat obſidendo, Nos cum eodem Domino Rege, auxilio tamen, & conſilio intervenientibus Illuſtrium Principum Ducum Sleſiæ, chariſſimorum noſtrorum Amicorum Venceslai Dei Gratia Epiſcopi Vratislavienſis, Conradi Domini Olsnenſis, & Kozlenſis, & Przemkonis Domini Opaviæ ratione materiæ quarumlibet diſcordiarum ſopiti, & concordati ſiſtimus in hunc modum videlicet, quod præfatum Sereniſſimum Principem Dominum Regem, ut Nos circa Terras, & Caſtra, Opolinenſe, Głogovienſe, Strelitz, & Dominia, quæ Illuſtris Principis Ducis LADISLAI Patrui noſtri ſunt, ſine impedimento permittat pacifice, & quiete, cum præſcriptis Principibus duximus rogitandum. Sic expreſſe, quod Nos easdem Terras, & Caſtra occupare, & habere debemus, una cum prædicto Domino Joanne Epiſcopo Caminenſi Fratre noſtro, ut Patruus noſter Dominus LADISLAUS diebus vitæ ſuæ, nullam poteſtatem nocendi, & impediendi ipſi Domino Regi, Regno ſuo Poloniæ, & omnibus Dominiis, & Regnicolis Regni Poloniæ de Terris, & Fortalitiis præmiſſis habere debebit, quovis modo, etiam captivi ex utraque parte in tractu Domini Regis ad circumvallandum Opol, & per tempus, quo Dominus Rex ante Opol moram traxit, liberi, & ſoluti eſſe debebunt, & hoc idem Nos facere debemus cum illis captivis, qui ad Nos dinoſcuntur ſine dolo. Inſuper cum Fratre noſtro præſcripto ordinare, & diſponere debemus, ut de omnibus noſtris Terris nulla cibaria, & neceſſaria ſuper Caſtrum Bolesławicz venient, & nihilominus præfato Caſtro nullum conſilium, ſeu auxilium pecunialiter, vel quocunque alio modo contra Dominum Regem faciemus, & Terrigenas noſtros de eodem Caſtro Mandato noſtro revocabimus, & deſcendere faciemus, & nullum Terrigenam noſtrum deinceps dictum Caſtrum contra Dominum Regem Poloniæ aſcendere permittemus, ſine dolo. Item Domini Duces Sleſiæ non debent juvare contra prædictum Caſtrum Boleſławicz, eo modo, quo & Nos Duces BOLKO & BENHARDUS cum Fratre noſtro, ut præfertur, ſuper quibus Nos BOLKO & BENHARDUS noſtro, & Fratris noſtri Domini JOANNIS Nomine Illuſtres Principes amicos noſtros cariſſimos Dominum Venceslaum Epiſcopum Vratislavienſem, Dominum Ludovicum Bregenſem, Dominum Conradum Olśniczenſem, & Koſzlenſem, & Dominum Przemkonem Opaviæ duximus obligandos, quod prætacta, præmiſſa rata tenere debeamus, etſi ipſa, quod abſit, tenta non fuerint, ex tunc præſcripti Principes Amici noſtri pro Nobis fideiubentes, & eorum quilibet cum viginti haſtis prætacto Domino Regi ſubſidium, & iuvamen contra Nos facere debebunt, atque poſſunt, nec Nobis auxilio, & ſubſidio præfati Principes debent quocunque modo ſubvenire, fraude, & dolo quibusvis procul motis. Hæc notantur explicando ex præfatis hominibus Ducum prædictorum Domino Regi in ſubſidium dirigendis, cibaria, pocula, equis pabula miniſtrarentur, quodſi

ANNO 1654.

ANNO 1396. in quantum ipsos in Regno Poloniæ iacere continget, & morari. Si autem in Ducátu Opolienſi ſuam habere ſtationem, extunc ipſimet ſibi de cibariis, poculis, & pabulis potius providebunt, munitione tamen Dominorum de *P*olonia mediante. In præmiſſis tamen omnibus ſine præiudicio Sereniſſimi Principis, & Domini, Domini VENCESLAI Regis Bohemiæ, noſtri Domini Hæreditarii, & Principum præſcriptorum providendo, ſuper quibus omnibus, & ſingulis articulis, & punctis Nos præfati BOLKO, & BENHARDUS Duces, noſtro, & Fratris noſtri chariſſimi Domini JOANNIS Caminensis Epiſcopi nomine noſtram voluntatem adhibentes, ipſa rata, atque firma tenere promittimus, & adimplere fideliter ſine dolo. Nos quoque præfati Principes fideiuſſorio nomine promittimus præſcripto Sereniſſimo Principi Domino VLADISLAO Regi POLONIÆ iuxta dicta iuvamina, & ſubsidia noſtros homines, ut præfertur, dirigendos pro eo, ut præmiſſa per Duces BOLKONEM, & BENHARDUM, & JOANNEM Epiſcopum Caminenſem, Fratres prædictos in omnibus articulis, & punctis ſine dolo, & fraude fideliter obſerventur. Inſuper, ſi & Nos præfati Duces BOLKO, & BENHARDUS una cum Fratre noſtro Duce JOANNE Epiſcopo Caminensi omnia ſupra ſcripta, quod absit, non conſervemus, extunc Nos Proconſules, Conſules, & Communitates ſubſcriptarum Civitatum, videlicet Opol, Strelicz, & Crapitz cum Brigenis ad eaſdem pertinentibus promittimus Nobilibus, & Validis Dominis, Domino Spitkoni Palatino Cracoviensi, Domino Petro Kmitæ Caſtellano Lublinensi, Domino Petro Szafraniec *S*ubdapifero Cracoviensi, & Domino Vincentio de Granow Caſtellano Naklensi, Nomine, & ex parte Sereniſſimi Principis, ac Domini Domini VLADISLAI Regis, nec non ipsius Regni Poloniæ, quod ipſos, & ſuos Adiutores in eaſdem Civitates immittere volumus, & debemus, & ipsis consilio, & auxilio adhærere, quamdiu materia diſcordiarum duraverit adverſus Ducem VLADISLAUM de Opol, ſeu etiam Duces BOLKONEM, BENHARDUM, & Dominum IOANNEM Fratrem ipſorum Epiſcopum Caminenſem, noſtros Dominos prænotatos, hoc tamen conditionaliter adiuncto, ſi præfata omnia & ſingula non fuerint tenta, & pro nata, ut præmittitur, noſtra fidelitate adveniente, ſine dolo etiam nihilominus Nos BOLKO, & BENHARDUS Dominus, noſtro, & Fratris noſtri Domini IOANNIS Epiſcopi Caminensis Nomine, harum ſub Sigillis noſtris pendentibus ſpecialem dedimus, promittentes Domino *S*pitkoni Palatino Cracoviensi, quia ipſum litigioſe non contendemus ratione, & prætextu Terrarum, & Civitatum *Oleſchna* & *Lubtinecz*, prout in alia noſtra Litera deſuper confecta clarius continetur. In quorum teſtimonium, & evidentiam pleniorem *S*igilla noſtra, videlicet BOLKONIS, BENHARDI, Venceslai Epiſcopi, Ludovici, Conradi, & Przemkonis Ducum, ac etiam Civitatum, videlicet Opol, Strelicz, & Crapitz appenſa ſunt. Datum ante Opol die Dominico in Craſtino ſancti Dominici Confeſſoris Anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo ſexto. ANNO 1396.

VI.

*Przemiſlaus, Bolko, aliique Duces Sileſiae, promittunt Joannem Epiſcopum Caminenſem, Ducem Opolienſem, a Rege Poloniae in ſervitutem aſſertum, & ad fideiuſſionem illorum dimiſſum, nihil contra Regem, & Regnum Poloniae tentaturum, et ſi contra factum quid fuerit, ſeſe vades futuros, & ſponte in poteſtatem Regis venturos.* Dat. Theſchinii An. 1399. *In Conductu Paſchae. Ex Originali Sigil. 6.* 1399.

NOS Przemiſlaus Dei Gratia Dux Theſchinienſis, & Dominus maioris Głogoviæ, Przemilaus, & Bolko ſui Hæredes, Joannes Dux Uſiwuicenſis, Bolko, & Benhardus Duces Opolienſes, ad Univerſorum notitiam per hæc Scripta deducimus. Quomodo Sereniſſimus Princeps, & Dominus, Dominus VLADISLAUS Dei Gratia Rex Poloniæ ad noſtræ cautionis fideiuſſoriæ, per noſtram, & Chriſtianicam ſponſionem, Illuſtrem Principem Dominum Joannem Epiſcopum Caminenſem, & Ducem Opolienſem Fratrem noſtrum, & Patruum aliquibus ex cauſis in Kaliſz areſtatum, ad manus noſtras de areſto dimitti fecit, ſub Conditionibus infraſcriptis, his videlicet, quod idem Dominus Joannes Epiſcopus, ſingulis controverſiarum materiis cum ipſo Domino Rege, & Domina Regina, & Regno Poloniæ, ex eorum Regnicolis hactenus habitis, & ſignanter in facto huius areſti omnino ſuffocatis, deletis, ſuppreſſis, in nihilum redactis, & extinctis cum ipſo Domino Rege, Regina, Regniculis eorum in puritate amicitiæ debet vivere, eisque fideliter favendo, nullas lites, contro-

Anno troversiarum materias, iurgia, aut guerras iudiciales, actuales, & belligeras cum ipsis, Domino Rege, Domina Regina, Regniculis, & singulis ipsorum tam spiritualibus, quam sæcularibus, nec per se ipsum, nec per alios amicos, aut quascunque personas intermedias cuiuscunque Conditionis, vel Status, Ecclesiasticas, vel sæculares animando, ut præmittitur, de hactenus inter Dominum Regem, Dominam Reginam, Regnum ipsorum, & Regniculas, & ipsum *D*ominum Joannem habitis, transactis, discussis, determinatis, & præcipue de facto dicti aresti, sicut præmittitur, & sine omni occasione tam spirituali, quam sæculari, annullatis ad vitæ suæ tempora quovis modo innovare, sed potius *D*omino Regi, *D*ominæ Reginæ, & Regno *D*ucali decentia servire, omnesque Regnicolas tam sæculares, quam spirituales, Mercatores, & quoscunque Subditos ipsorum, ut ipsos, sinceris prosequi favoribus, nec eos tam in propriis Terris, quam alienis, nec per se, nec per alios quocunque modo mittere perturbare, imo pro ipsis se favorabiliter opponere, et eis assistere viscerosa caritate; et ut præmissorum maior certitudo habeatur, Nos Przemislaus *D*ei Gratia *D*ux Thessinensis, et quilibet nostrum persona, fide, sub fide, et honore nostris, et in verbo *D*ucali promittimus, et cautione fideiussoria astringimur, quod omnia præscripta ipse *D*ominus Joannes in omnibus eorum punctis, articulis, conditionibus, et clausulis sine dolo, et fraude firmiter observabit, nec ea quomodolibet violabit. In casu autem, quod *D*eus avertat, quo ipsa non conservaret, et ea aliquomodo per se, per amicos, vel per quascunque alias personas violaret, extunc Nos Przemislaus, et quilibet nostrum in fide, et honore ut supra, promittimus, omnes, et singuli, quemlibet ex nostris cum decem equis, et duobus militibus, seu feudalibus Civitatem Cracoviensem intrare, et inde non exire, nisi æqualis per Nos fiat restitutio deperditi pro talibus dampnis, et incommodis, quæ ex violatione nostræ promissionis procedent per dictum Dominum Joannem Patruum nostrum, & Fratrem, tali tamen Conditione, quod post percepta dampna, & incommoda, quæ veridice, & probabiliter possunt decerni, Dominus Rex, Domina Regina, vel Regnum, alicui ex Nobis infra duos menses literatorie insinuare, & tunc si noster Patruus, vel unus ex Nobis infra alios immediate sequentes duos menses a notitia literalis insinuationis innocentiam suam, & nostram in his nequierimus ostendere, vel dampna secundum æquitatem Juris, & iustitiæ reformare, vel de huiusmodi dampnis infra prænominatos duos sequentes menses satisfacere, tunc omni semota excusatione, modo, & forma, ut præmittitur, reddimus Nos omni dolo, & fraude exclusa, obligatione astrictos. Si autem condigna per Nos fiet infra idem spatium duorum mensium dampnorum, & incommodorum refusio, tunc ab omni impetitione, & obstagio debemus amicabiliter supportari. Et si aliquis in susceptis dampnis Nos malitiose, & fraudulenter vellet gravare, tunc cum ipso stare debemus, et volumus decreto duorum vel trium Poloniæ Principum sæcularium, quos Dominus Rex, Regina, aut Regnum una Nobiscum duxerit eligendos, nihilominus si nostro Fratri in rebus Ecclesiasticis, inter ipsum vel alios Clericos versantibus publica iustitia competeret, ratione talis petitionis suæ iustitiæ in hoc casu omnino volumus esse liberi, & immunes, in præmissis tamen omnibus punctis, Conditionibus, & clausulis, & quod infra Regni Poloniæ Limites, nullus Cathedralis Ecclesiæ curam, idem Dominus Joannes Frater noster impetrare, aut acceptare debeat, absque obtentu, & gratia Regiæ Maiestatis, duntaxat volumus obligari, quodque mutuis Obligationibus, Inscriptionibus, Confœderationibus, Compromissionibus Principum non intendimus, nec volumus Dominum Joannem Fratrem nostrum præsenti cautione fideiussoria, ac Christianica sponsione esse privatum, vel quacunque libertate Principum quovis modo destitutum. Hæc omnia, & singula Nos Bolko, & Benhardus, ut supra promittimus quod ratione nostri Germani Domini Joannis Episcopi, de facto sui Aresti, de conclusionibus aliarum causarum superius expressatarum, nullam penitus contra Dominum Regem, *D*ominam Reginam, & Regniculas tam sæculares, quam spirituales volumus, & debemus habere actionem. In quorum omnium testimonium præsentem Literam nostris appensis Sigillis duximus roborandam. *D*atum Theschinii Anno *D*omini millesimo trecentesimo nonagesimo nono, in conductu Paschæ. Anno 1399.

Venceslaus *Rom. & Bohemiæ Rex compromittit in* Vladislaum *Regem Poloniæ de controversiis, quas cum Ducibus Silesiæ habet.* Dat. in Karlstein An. 1405. die 8. Maii. *Ex Originali.* Vide Bohemia num. 8. fol. 8. 1405.

ANNO 1417. VLADISLAI *Regis Poloniæ ad Conſules Civitatis Vratiſlavienſis Literæ, ut mercatores ad Tartaros, & Valachos proficiſcentes viis ſolitis, & antiquis progrediantur.* Datum in Kraſnyſtaw Feria ſecunda proxima poſt Feſtum Diviſionis Apoſtolorum ſub tranſumpto Benedicti Abbatis Monaſterii in Arena Vratiſlavienſi. *Ex Archivo.* Lib. 3. ſub Lit. C.

*Nos Benedictus divina favente clementia Abbas Monaſterii Beatæ Mariæ Virginis Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Auguſtini, in Arena Vratiſlavienſi, notum facimus omnibus, quibus incumbit, Nos vidiſſe, auſcultaſſe, manibusque noſtris contrectaſſe quasdam Literas miſſiles in papiro exaratas, emanatasque ab Illuſtriſſimo, Potentiſſimoque Principe, ac Domino, Domino* VLADISLAO *Rege Poloniæ, Litvaniæque Principe &c. bonæ memoriæ ad honorabiles Conſules Civitatis Vratiſlavienſis ſanas, & integras, omnique ſuſpicione ſiniſtra carentes de verbo ad verbum in hunc, qui ſequitur, modum.*

VLADISLAUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Litvaniæque Princeps Supremus, & Hæres Ruſſiæ &c. Famoſis Viris Conſulibus, Civitatis Vratiſlavienſis grate Nobis dilectis. Famoſi, & providi viri, grate Nobis dilecti, ut quospiam non lateat, nec quenquam ignorantiæ excuſet occaſio, univerſis negotiatoribus, & mercatoribus partium quarumcunque inſinuandum cenſuimus, antique & diutinus in Regno noſtro, & Terris Ruſſiæ firmiter obſervare Generalis Conſtitutionis edictum, quod inadvertentia exigente fere prolapſum fuerat, & neglectum, de unanimi Prælatorum, & Baronum noſtrorum Conſiliariorum voto, ſcientia, conſilio, voluntate, & conſenſu modo reintegrandum diſpoſuimus, & pro rato, ac firmo ſtatuimus obſervandum, decernentes, & tenere inconcuſſe volentes, quod omnes mercatores, & homines cuiuscunque ſtatus, conditionis, aut eminentiæ extiterint, ad partes gentilium Tartarorum, ceu Valachorum, gratia mercandi, ſeu negotiationes ſuas exercendi ſe transferre volentes, non aliis novæ adinventionis ſtratis, ſed antiquis, & diutinus inſtitutis viis publicis, & apertis, puta per Terras Ruſſiæ, earumque Civitates Leopolienſem, & conſequenter alias ad Luckam, nec ad aliqua loca, ſeu civitates devias deſcendendo proficiſcantur, & procedant ſub pœna retentionis rerum, mercantiarum quarumcunque, & Bonorum, quæ a contravenientibus huic noſtro edicto recipi, in vim perditionis arreſtari faciemus. Datum in Kraſnyſtaw feria ſecunda proxima poſt Feſtum Diviſionis Apoſtolorum. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimo ſeptimo, ad Relationem Zbignei Scholaſtici, & Canonici Sandomirienſis Prothonotarii. *In cuius rei teſtimonium Sigillum Abbatiæ noſtræ vræfatæ duximus appendi Præſentibus. Datum feria quarta poſt Simonis, & Judæ Apoſtoloram Anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo nono.* ANNO 1417.

VII.

BOLKO *Dux Theſchinenſis recognoſcit datas ſibi eſſe mutuo a* VLADISLAO *Rege mille ſexagenas latorum groſſorum Pragenſium.* Datum in Lelow feria ſexta ante Dominicam Lætare. *Ex Originali.* 1418.

NOS BOLKO Dei Gratia Dux Theſſinenſis, & Dominus Glogoviæ Maioris &c. Recognoſcimus tenore præſentium, quibus expedit univerſis. Nos Sereniſſimo Principi Domino VLADISLAO Regi Poloniæ &c. Domino noſtro gratioſo in mille ſexagenis latorum groſſorum Pragenſium numeri Polonicalis, ſexaginta groſſos in ſexagenam quamlibet computando, quas ab eo neceſſitate Nobis incumbente mutuo recepimus, debitorie obligari, quas quidem mille ſexagenas prædicto Domino VLADISLAO Regi, Domino noſtro gratioſo exolvere promittimus, a die datæ præſentium ad unius Anni decurſum, in verbo noſtro Ducali totaliter, & ad plenum. Quodſi, quod abſit, adimplere neglexerimus, extunc quodcunque competens, & rationabile damnum ipſe Dominus Rex, vel Regnum ipſius perceperit, ipſo facto in Nos totaliter redundabit. Harum quibus Sigillum noſtrum appenſum eſt, teſtimonio Literarum. Datum in Lelow feria ſexta ante Dominicam Lætare. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimo octavo.

VIII.

*Reſponſum* SIGISMUNDI *Imper. ad Legationem* VLADISLAI *Poloniæ Regis, reſtituendæ Sileſiæ cauſa miſſam, datum. Ex Archivo Regni Cracovien.* 1421.

QUAMVIS de benevolentia, & oblatione ampliſſima, quæ Nobis ex parte Fratris noſtri Illuſtriſſimi VLADISLAI Polo-

ANNO 1421. Poloniæ Regis, per Vos denuntiata est, admodum gratulemur, quamvis optimam suam voluntatem in reductionem Bohemicam conceptam commendemus, & summa efferamus, dignamque reputemus laude, insideat quoque animo nostro plena rectitudo, & voluntas, ut & Fœdera cum Rege Poloniæ inita observemus, & si quæ a Nobis neglecta, aut transgressa sunt, instauremus, Slesiæ tamen terras, in vim obsservationis Fœderum, dare & inscribere, parum iustum, parumque honestum danti, & accipienti censemus. Vt vero amantissimus Frater noster VLADISLAUS Polonorum Rex, plenum experimentum sumat, quanto Nos zelo, quanta affectione, et in fidei, Christianitatisque Rempublicam, et in sui honoris amplitudinem, et profectum agamur, Filiam nostram unicam ELISABETH duorum Regnorum Dote locupletem, præfato Fratri nostro VLADISLAO Regi, motu proprio, non rogati, cæterorum Principum eam precantium, et signanter ALBERTI Austriæ Ducis, (cuius ob eam rem ad Nos priores Vobis venere Legati) affinitate neglecta in Vxorem exhibemus, gratius Regi vestro, quam cuicunque alteri Regi, aut Principi, eam locaturi. Cum qua non Slesiæ tantummodo, quam expetitis, ora, sed et duorum Hungariæ, et Bohemiæ Regnorum, in ipsam recidet hæreditas. Nobis, qui alteram prolem non habemus, sed neque amplius (de quo Consors a Vobis, si libet, conveniri poterit) habituri, fatis absumptis. Quod si Regi vestro Filia nostra, quasi parum nubilis, et iuvencula admodum, velut annum tantummodo undecimum supergressa, pro ætatis, in qua vester Rex versatur, conditione, visa fuerit, retinemus alteram Filiam, non secus, quam si ex Nobis genita foret, Charam, cum cuius coniugio terra Slesiæ Rex vester iustissime poterit potiri, Offkam, Glotem nostram, Germani nostri VENCESLAI Bohemiæ Regis relictam, apud Presburg commorantem, quam Regi vestro Nos desponsaturos, *D*otisque nomine, terram Slesiæ, cum centum florenorum millibus inscripturos Nos pollicemur. Vobis videre placeat formam eius, atque ætatem viridem, quo facilius id, quod ingerimus, accipi, vel refutari possit.

1438. BERNARDUS, JOANNES, & NICOLAUS *Duces Opolienses reconciliant sibi* VLADISLAUM *Regem Poloniæ, & Electionem* CASIMIRI *Fratris eius in Regem Bohemiæ approbant.* Dat. in Campo ante Strzelce Feria secunda proxima post Festum S. Francisci Anno 1438. *Ex Originali.* Sigill. 3. Vide tit. Bohemia Num 9. fol. 8. ANNO 1438.

*Literae* VLADISLAI *Poloniae, & Hungariae Regis, quibus concedit Civitati Vratislavienſi libertatem faciendi mercaturam in Regno Poloniae. Ex Archivo Regni. Lib. 3. Num. 4.* 1441.

*Nos Benedictus divina favente clementia Abbas Monasterii Beatæ Mariæ Virginis Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Augustini in Arena Vratislavienſi, notum facimus omnibus, quibus incumbit, Nos vidisse, auscultasse, manibusque nostris contrectasse quasdam Literas in pergameno scriptas, Sigillo appenso Illustrissimi, & Potentissimi Principis, & Domini, Domini* VLADISLAI *olim Regis Hungariæ, Poloniæ, &c. munitas, non vitiatas, neque cancellatas, omnique suspicione sinistra carentes, integras, & per omnia sanas de verbo ad verbum in hunc, qui sequitur, modum.*

In Nomine *D*omini Amen.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Ne error oblivionis gestis sub tempore versantibus inolescat, alta Regum, & Principum decreverunt consilia ea Literarum apicibus, & testium annotatione perennari, Proinde Nos VLADISLAUS *D*ei Gratia Rex Hungariæ, Poloniae, *D*almatiae, Croatiae, &c. Rex, Litvaniaeque Princeps Supremus, & Haeres Russiae significamus tenore praesentium, quibus expedit Universis praesentibus, & futuris, præsentium notitiam habituris, & audituris, quomodo volentes Regni nostri Poloniae conditionem facere meliorem, & fructus thesauri nostri, telonea, proventusque alios nostros cupientes feliciter adaugere. Consideratis vero fidelibus servitiis, multiplicibus, & pluribus obsequiis, quibus famosi, & circumspecti Cives Civitatis Vratislavienſis grate Nobis fideles dilecti, et praesertim a primaevo felici nostro ingressu in hoc inclitum Regnum nostrum Hungariae, nostrae placere meruerunt Maiestati, et in futurum auctô fidelitatis servitio praestantius poterint Nobis, et nostris Successoribus complacere. Ipsis igitur Civibus, et omnibus Incolis Civitatis dictae Vratislavienſis horum intuitu, de nostra Regali innata clementia, ex consilio *D*ominorum

ANNO 1441. nostrorum Consiliariorum, cum omnibus ipsorum mercibus, seu mercantiis, quibuscunque dicantur nominibus, et bobus in, et per Regnum nostrum Poloniae, Civitatesque, puta Cracovienſem, Posnanienſem, Sandomirienſem, Lublinenſem, et quascunque alias, ad usque in *D*ucatum nostrum Litvaniae, ac Regnum nostrum Hungariae, ire, equitare, et fluitare plenam damus, et omnimodam, tenore praesentium perpetuis temporibus concedimus libertatem, Juribus tamen nostris Regalibus per omnia semper salvis. In cuius rei testimonium Sigillum nostrum praesentibus de certa nostra scientia, et voluntate speciali, est appensum. Act. et *D*at. Budae die Sabbathi proxima post Festum Sancti Stanislai in Maio. Anno *D*omini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo primo. Relatio Magnifici Petri Szczekocin R. P. Vicecancellari. In cuius rei testimonium Sigillum Abbatiae nostrae praesentibus duximus appendendum. *D*atum in loco habitationis nostrae consveto dicti Monasterii feria tertia post Simonis, et Judae Apostolorum Anno *D*omini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo nono.

## IX.

*Eædem Literæ* VLADISLAI *Poloniæ, & Hungariæ Regis, sub Transumpto* JOANNIS *Episcopi Vratislavienſis.* Dat. Budæ d. Sabbathi proxima post Festum S. Stanislai Anno 1441. *Ex Archivo Regni.*

JOANNES *D*ei Gratia Episcopus Vratislavienſis etc. Universis, et singulis quibus nosse fuerit opportunum. Notum facimus per praesentes, Nos quasdam Literas in pergameno conscriptas, Sigillo rotundo intus de cera rubea, armis incliti Regni Poloniae, et scriptura circumferentialiter obsignato, et cordula sericea rubei, et nigri coloris subappendente sigillatas, Nobisque per providum Petrum Hawolt Notarium Civitatis Vratislavienſis, nomine totius Consulatus eiusdem Civitatis productas, vidisse, in manibusque nostris habuisse, et legisse, easdemque tunc integras, non cancellatas, et omni prorsus suspicione carentes notavimus, quarum quidem Literarum tenor de verbo ad verbum sequitur, et est talis.

In Nomine *D*omini Amen.

*Ad perpetuam Rei memoriam.*

Ne error oblivionis gestis sub tempore versantibus inoleret, alta Regum, et Principum decreverunt consilia, ea Literarum apicibus, et testium annotatione perennari. Proinde Nos VLADISLAUS *D*ei Gratia Hungariae, Poloniae, *D*almatiae, Croatiae, etc. Rex, Litvaniaeque Princeps Supremus, et Haeres Russiae. Significamus tenore praesentium, quibus expedit Universis, praesentibus, et futuris, praesentium notitiam habituris, et audituris. Quomodo volentes Regni nostri Poloniae conditionem facere meliorem, et fructus thesauri nostri, telonea, proventusque alios nostros cupientes feliciter adaugere; Consideratis vero fidelibus servitiis, multiplicibus, et pluribus obsequiis, quibus famosi, et circumspecti Cives Civitatis Vratislavienſis grate Nobis fideles dilecti, et praesertim a primo felici nostro ingressu in hoc inclitum Regnum nostrum Hungariae, nostrae placere meruerunt Maiestati, et in futurum aucto fidelitatis servitio praestantius poterint Nobis, et nostris Successoribus complacere, ipsis igitur Civibus, et omnibus Incolis Civitatis dictae Wratislavienſis, horum intuitu de nostra Regali innata Clementia, et consilio *D*ominorum nostrorum Consiliariorum, cum omnibus ipsorum mercibus, seu mercantiis, quibuscunque dicantur nominibus, et bobus, in et per Regnum nostrum Poloniae, Civitatesque, puta Cracovienſem, Posnanienſem, Sandomirienſem, Lublinenſem, et quascunque alias adusque in Ducatum nostrum Litvaniae, ac Regnum nostrum Hungariae ire, equitare, et fluitare plenam damus, et omnimodam tenore praesentium perpetuis temporibus concedimus libertatem, Juribus tamen nostris Regalibus per omnia semper salvis. In cuius rei testimonium Sigillum nostrum praesentibus de certa nostra scientia, et voluntate speciali est appensum. Actum, et *D*atum Budae die Sabbathi proxima post Festum Sancti Stanislai in Maio Anno *D*omini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo Primo. *Subtus autem versus dextram in fine erat scriptum.* Relatio Magnifici Petri de Szczekocin Regni Poloniae Vicecancellarii. In quorum fidem, et testimonium Sigillum nostrum praesentibus est subappensum. *D*atum Vratislaviae die quinta Mensis Aprilis Anno *D*omini milleſimo quadringenteſimo Octogeſimo quinto. ANNO 1441.

*Redintegratio Pacis, & Vnionis Ducum Sileſiæ cum* CASIMIRO *Rege, & Regno Poloniæ.* Actum Cracoviæ proxima die ante Dominicam Carniſprivii. An. 1447. 1447.

*Ex*

ANNO 1447. *Ex Originali.* Sigil. 9. Vide Tom. II. tit. Supplem. Tom. I. Part. II. ad an. 1447.

1458. *Inducia a Sacra Regia Maiestate Ducibus Opolienſibus conceſſæ. Ex Archivo Regni.* Ibidem ad Annum 1458.

1460. *Literæ Pacis perpetuæ* CONRADI *Albi Ducis Sileſiæ cum* CASIMIRO *Rege Poloniæ.* Dat. in Wolow, Sabbatho poſt Aſſumptionis B. V. M. Anno 1460. *Ex Originali.* Ibidem ad An. 1460.

X.

1462. GEORGII *Regis Bohemiæ ad* CASIMIRUM *Regem Poloniæ Literæ Deprecationis pro Civibus Lignicenſibus.* Dat. Pragæ die 22. Maii. an. 1462. *Ex Archivo Regni. Lib. 3. Num. 4. Fol. 634.*

GEORGIUS DEI Gratia Rex Bohemiæ, & Marchio Moraviæ &c. Sereniſſimo Principi Domino CASIMIRO eadem Gratia Regi Poloniæ, Magno Duci Litvaniæ, Hæredique Ruſſiæ &c. Fratri noſtro Chariſſimo, ſalutem, & proſperos ad Vota ſucceſſus. Sereniſſime Princeps. Conqueſti Nobis ſunt fideles noſtri dilecti Cives Lignicenſes, qui Nomine & Vice cuiusdam Nobilis Raphaelis Leſzczinſki inquietantur, & per Terras, & Dominia veſtra merces exercere, & victum quærere prohibentur, cum tamen, ut ipſi aſſerunt, inter Illuſtrem olim Eliſabeth Ducem Sleſiæ in Legnicz, & dictum Raphaelem concordia facta fuiſſet per Nobilem Staniſlaum de Oſtrorog, cum igitur inter Nos utrinque Pax & amicitiæ Fœdus firmata ſint, non dignum eſt, ut etiam ſubditi noſtri mutua ſeſe charitate, & pace proſequantur. Rogamus F. V. ne cives noſtros Lignicenſes prætextu inſtantiarum dicti Raphaelis, aut alterius cuiuscunque inquietare pariantur, ſed potius, ut illi ſecuri & quieti Terras & Dominia veſtra, cum mercibus, & aliis rebus V. F. protecti Salvo Conductu tranſeant, absque quavis inquietatione, & iactura, & ea res, quæ dictum Raphaelem concernit, ſuſpenſa ſit, quoad Nos ſimul conſtituti, de his & aliis, quod iuſtum fuerit, concludemus. Nos etiam idem ſubditis veſtris parati ſumus efficere, nec intentioni noſtræ eſt, ut quisque iure contempto, ius ſibi in re propria dicat, ſed inter ſubditos noſtros pace mutua, & amicitia tractabili vivatur. Datum Pragæ die XXII. Maii. Regni noſtri anno quarto. ANNO 1462.

1471. *Literæ Salvi Conductus Victorino Duci Monſterburgenſi a Rege datæ.* Cracoviæ ante Nativit. B. M. V. Feria quinta proxima *Vide Tom. II. tit. Supplementum Tom. I. partis II.*

1471. *Literæ Inducіarum a Sacra Regia Maieſtate Ducibus Sileſiæ, & Civitati Vratiſlavienſi conceſſarum.* Dat. Cracoviæ feria quarta proxima ante Nativitatis B. M. V. *Ibidem.*

1471. *Literæ reverſales a Ducibus Sileſiæ, & Civitate Vratiſlavienſi S. R. Maieſtati datæ.* Cracoviæ feria quarta proxima ante Nativitatis B. M. V. *Ibidem.*

1473. *Mandatum* CASIMIRI *Regis ad componendas Controverſias cum* CONRADO *Albo Duce Sileſiæ.* Datum in Brzeſcie Sabbatho in Octava S. Stephani Protomart. *Ibidem.*

XI.

1473. *Salvus Conductus* CONRADO *Duci Sleſiæ ad veniendum ad Comitia Regni in Kaliſz celebranda, datus. Ex Archivo Regni. Lib. 3. Num. 4. Fol. 574.*

CASIMIRUS DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, &c. Significamus tenore præſentium univerſis & ſingulis, quibus expedit, horum notitiam habituris: Quomodo de conſilio, & certa ſcientia noſtrorum Prælatorum, & Baronum, Præclaro Principi Domino CONRADO Duci Sleſiæ, Olsnenſi, & Coſlenſi, Fratri noſtro dilecto, ipſiusque Conſiliariis familiaribus, & Comitivæ ſecum ad Dietam in Kaliſz per nos inſtitutam pro Feſto Sancti Michaelis proxime affuturo advenientibus in numero cum centum quinquaginta equis, & totidem Perſonis, plenam ſecuritatem, & noſtrum Regalem Salvum Conductum dedimus, & conceſſimus, damusque, & concedimus per præſentes ad huiuscemodi Dietam, & locum libere veniendi, ibique ſtandi, & morandi, negotia quoque ſua diſponendi, & tractandi, et ipſis negotiis diſpoſi-

ANNO 1473. positis, vel indispositis, ad propria sine quovis impedimento, corporibus, et rebus per omnia salvis, remeandi, et redeundi. Promittentes nostro verbo Regio, quod huiusmodi securitas tam ex parte nostra, quam omnium, et singulorum subditorum nostrorum eidem Domino Duci Conrado, et ipsius Comitivæ, ut praemissum, fideliter observabitur, absque omni dolo.

XII.

1501. *Diploma* VLADISLAI *Hungariæ, & Bohemiæ Regis, quo* SIGISMUNDO *Duci Fratri suo Ducatum Oppaviæ donat.* Dat. Budæ 8. Decembr. *Ex Archivo Regni Lib. sub Lit. RR. Fol. 7.*

NOS VLADISLAUS *D*ei Gratia Hungariæ, & Bohemiæ, *D*almatiæ, Croatiæ, Karriæ, Serviæ, Gallitiæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque Rex, nec non Silesiæ, & Lucemburgensis *D*ux, Marchioque Moraviæ, & Lusatiæ &c. Notum facimus tenore præsentium Universis. Etsi omnibus superna dispositione in alta dignitatis specula constitutis, maxime conveniat, ut cunctos a se dependentes, & in se sperantes dextro, ut aiunt, oculo respiciant, & singulari quadam benevolentia complectantur, pulchrum tamen & laudabile arbitramur, ut horum, quos sibi aut lex naturæ, aut sangvinis necessitudo coniunxit, maiorum rationem habeant, ac eos non solum clementioribus, & mentis, & corporis oculis intueantur, & ardentiori amore officiosissime prosequantur, verum etiam ipsum largitatis, & munificentiæ suæ fontem illis aperiant, fortunas omnes cum eis partiantur, & omnia communia existiment, sic quippe ad nominis sui splendorem, & *D*ignitatis gloriam cumulum non mediocrem adiicient, & cunctorum, amorem, quo tutius semper, quam timore imperatur, sibi mirifice concilient, atque Principatum suum efficient longe stabiliorem. Haec Nos considerantes Illustrissimum Principem Dominum SIGISMUNDUM Ducem Fratrem nostrum germanum charissimum natum minorem, post obitum Serenissimi Principis Domini CASIMIRI Regis Poloniæ, &c. utriusq; nostrum Genitoris charissimi, claræ memoriæ absque aliquo certo, firmoque, & convenienti Principatu ac *S*tatu (ut Regiam deceret sobolem) remansisse, atque ad Nos præcipue inter reliquos Fratres seu Germanos suos, tanquam Seniorem Fratrem convolasse. Nos itaque de eius adventu non mediocriter lætificati, & ut par est, fraterna moti charitate, de statu etiam suo, quantum ex tempore licuit consulendum, rationemque habendam duximus. Proinde inter cætera nostræ munificentiæ & benevolentiæ signa, eidem Illustrissimo Domino SIGISMUNDO Duci iam ostensa, Ducatum etiam nostrum Oppaviæ in Ducatu nostro Silesiæ habitum, quem quidem Ducatum a Fidele nostro Illustri JOANNE Corvino Duce Opaviæ, & Regnorum nostrorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Bano, tamquam legitimo possessore, & hærede pro Castris, Castellis, Oppidis, & aliis Bonis, ac Juribus possessionariis Magnifici quondam Mathiæ Pangracz de Dengeleg, per eiusdem obitum, & defectum, terminis ad Nos, terramque Regni nostri Hungariæ devolutum, per viam concambii, & certi Contractus libere habuimus, simul cum Castro, & Civitate Oppaviæ, ac etiam cum Castro Hradecz vocato, nec non Vasallis, Oppidis, Villis, Colonis, Allodiis, Censibus, Juribus, Jurisdictionibus, Libertatibus, cunctisque aliis fructibus, utilitatibus, & pertinentiis ad eundem Ducatum Oppaviæ spectantibus, sub infra scriptis pactis, articulis, & conditionibus fidem Illustrissimo Domino SIGISMUNDO *D*uci Germano nostro charissimo de nostris manibus liberaliter dedimus, donavimus, & assignavimus, damusque, donamus, & assignamus Præsentium per vigorem. Pacta vero, & Conditiones, quibus hanc illi fecimus Donationem, huiusmodi sunt tenoris.

ANNO 1501.

Inprimis quia licet Oppavia, & totus ipse Ducatus loci eiusdem cum Castris, Vasallis, & Villis, & Allodiis, cæterisque Bonis ad eundem *D*ucatum pertinentibus de Jure antiquo ad Regnum, & Coronam Bohemiæ pertinere debeant, tamen ex quo nunc, & in præsentiarum vigore certæ Inscriptionis, & Obligationis ad Coronam huius Regni nostri Hungariæ spectat, tenetur, & possidetur, ob hoc nolentes ipsorum Regnorum, & Coronarum eorundem Juribus, quandoquidem utrisque æque simus obnoxii, derogare, vel eisdem Regnis præiudicium facere; quæ inter eadem zizaniam seminare, & odii, aut contentionis materiam ponere, & relinquere possunt, volumus idcirco, & decernimus, atque a parte declaramus, quod durante huiusmodi Inscriptione, & Obligatione, Serenissimo Principi quondam Domino MATHIÆ immediato Prædecessori nostro bonae memoriae, & Regno, ac Coronae Hungariae de toto Ducatu Silesiae, & Marchionatu Moraviae superioribus annis facta, præfatus Dominus Dux

eun-

ANNO 1501. eundem Ducatum Oppaviæ simul cum universis suis pertinentiis a Nobis, tanquam a Rege, & Corona Hungariae, vel Successoribus nostris Regibus Hungariæ teneat, & recognoscat, Haeredesque sui teneant, & recognoscant. Postea vero quam praedicti Ducatus Silesiae, & Marchionatus Moraviae sit, vel etiam idem *D*ucatus Silesiae seorsim redimeretur, vel redimetur, & a tali Obligatione, vel Inscriptione cum bona, & libera voluntate, atque consensu nostro, & Successorum nostrorum Regum Hungariae, & simul etiam eiusdem Regni Hungariae liberabuntur, et absolventur, vel liberabitur, et absolvetur, in eo casu similiter a Nobis tanquam a Rege Bohemiae, vel Successoribus nostris Regibus Bohemiae, et a Corona eiusdem Regni Bohemiae teneat, et recognoscat, haeredesque sui teneant, et recognoscant. Et ita idem Dominus Dux se facturum, et observaturum, atque etiam Haeredes suos facturos, et observaturos promisit, et obligavit. Item quod idem Dominus Dux, instar aliorum Ducum, et Principum, ac etiam Praelatorum, et Baronum atque Nobilium, et Vasallorum praedicti Ducatus nostri Silesiae se erga eius Haeredes, et Successores nostros cum eodem *D*ucatu Oppaviae, ac Castris, Civitatibus, et Vasallis universis tenet, et conservat, nec non Nobis, Haeredibusque, et *S*uccessoribus nostris debitae, ac solitae fidelitatis, & obedientiae homagium, et iuramentum praestet, prout iam de facto praestitit, et ad idem faciendum etiam Filii, et Haeredes sui erunt semper, et exnunc obligati esse intelligantur. Item quod onera & servitia, aliaque omnia, quae caeteri Principes, et *D*uces praedicti *D*ucatus nostri Silesiae pro Nobis, et pro nostro Imperio, ac voluntate, Successorumque Nostrorum, de Jure et consvetudine, aut forte etiam de nova Constitutione, et ordinatione ferre, facereque tenentur, vel tenebuntur, etiam ipse *D*ominus *D*ux SIGISMUNDUS, Haeredesque sui pro rata, et conditione sua, ac qualitate eiusdem *D*ucatus Oppaviae, et pertinentiarum suarum, similiter ferre, facereque debeant, et teneantur. Item quod idem *D*ominus *D*ux Juribus, Legibus, et consvetudinibus, nec non ordinationibus eiusdem *D*ucatus Silesiae, et Patriae eiusdem, quoad subditos suos stare, parere, et obedire teneatur, et sit obligatus, suique Haeredes teneantur, et sint obligati. Item quodsi successu temporum eundem Dominum Ducem DEI Providentia, cuius manus non est abbreviata, ad Regiae *D*ignitatis culmen, Filiis masculis legitimis ex se nondum susceptis evehi, exaltarique contingat, in hoc casu praesentis nostri Beneficii, et Fraternae charitatis immemor non existat, sed absque omni dilatione, atque difficultate, et quaesita occasione vel alicuius novitatis adinventione praedictum *D*ucatum Oppaviae cum suis pertinentiis integre Nobis, aut Haeredibus, vel Successoribus nostris remittere, et resignare debeat, et teneatur; hoc tamen adiecto, quod si eundem *D*ominum *D*ucem in Statu, et sub Titulo *D*ucali plures Filios masculos, quam unum, aut duos, puta tres, vel quatuor, ex femore suo legitime susceptos habere, et sic ad Regium Fastigium *D*ivina *D*ispositione assumi contingat, in hoc casu licebit eidem uni ex eisdem Filiis suis, cui maluerit, de *D*ucatu ipso Oppaviae, et toto eo Statu, sub modis et conditionibus, oneribusque suprascriptis libere et pro arbitrio suo providere, si vero unum aut duos duntaxat Filios haberet, quia alter succedere in Regno deberet, et alteri facile etiam alter aliter providere posset, in eo casu praefatus *D*ucatus totaliter, et integre ordine superius declarato, ad Nos, Haeredesque, et Successores nostros Reges, absque omni prorsus dilatione, et difficultate devolvatur, et descendat. Similiter etiam, si quod absit, et *D*eus avertere dignetur, absque Haeredibus masculis eundem *D*ominum *D*ucem decedere contingat, *D*ucatus ipse ut supra, ad Nos, Haeredesque et Successores nostros Reges devolvatur. Item si praefatus *D*ominus *D*ux alicui ex Filiis suis de huiusmodi *D*ucatu modo, quo supra Provisionem fecerit, et illum ad Regiam *D*ignitatem exaltari, vel etiam absque Haeredibus masculis decedere contingat, *D*ucatus ipse pari modo ad Nos, Haeredesque, et Successores nostros devolvatur. Item si eundem *D*ominum *D*ucem in Statu et sub nomine tituloque tantum *D*ucali remanere, et non relictis Filiis masculis, vel etiam relictis, et illis postea desinentibus, Filias tantummodo Faeminas similiter legitime susceptas post se relinquere contingat, in hoc casu de plenitudine nostrae Regiae potestatis annuimus, et concedimus, ut non obstante consvetudine Patriae, caeterorumque *D*ucum, et Principum praedicti *D*ucatus nostri Silesiae, quaelibet illarum Filiarum duplicatam Dotem ex ipso *D*ucatu Oppaviae habere, percipereque libere valeat. Et eiusmodi duplicatam *D*otem persolvere Nos, Haeredesque, vel *S*uccessores nostri erimus, et erunt vigore praesentium obligati. *D*ucatus autem ipse nihilominus modo praemisso

ANNO 1501.

ANNO 1501. missō ad Nos, Haeredesque, et Succeſſores noſtros eo facto revertatur. Item ſi tractu temporum eundem *Dominum Ducem* gravi aliqua neceſſitate, quae legem non habet, laborare, premique contingat, licebit eidem ad evitandum illam, *Ducatum* ipſum Opaviae in totō vel in parte vendere, vel impignorare, aut etiam commutare, debebit tamen, et tenebitur imprimis Nos, aut Haeredes, vel Succeſſores noſtros Reges, ante unum integrum annum de hoc praemonere, et requirere. Si ſcilicet emere, vel etiam pro pignore recipere voluerimus, aut Haeredes, vel Succeſſores noſtri voluerint, ita videlicet quod durante praedicta inſcriptione, ac obligatione, de *Ducatu* Sileſiæ, ac Marchionatu Moraviae, Nos ut Regem Hungariae, aut Haeredes, vel Succeſſores noſtros requirat, et praemoneat. Et ſi Nos, aut Haeredes, vel Succeſſores noſtri infra ſpatium praedicti unius anni emere, vel pro pignore ad Nos recipere non curaverimus, vel recuſaverimus, aut noſtri Haeredes, vel Succeſſores non curaverint, vel recuſabunt, in hoc caſu poſtea, cuicunque voluerit, vel potuerit, liberam vendendi, vel impignorandi, aut etiam commutandi, cum ſolitis oneribus, habebit facultatem. Non tamen aliis niſi ſubditis noſtris, et ſub Coronis praedictorum Regnorum noſtrorum Hungariae, vel Bohemiae habitantibus, vendere, vel impignorare, aut commutare poſſit. Quae omnia praemiſſa, et praemiſſorum ſingula praefatus Dominus Dux in omnibus capitulis, articulis, clauſulis, et punctis pro ſe, Haeredibusque, et Succeſſoribus ſuis acceptavit, laudavit, approbavit, et ratificavit, atque in verbo ſuo Ducali, ac ſub fide ſua Chriſtiana, atque ſub honore, et humanitate ſuis inviolabiliter et inconcuſſe ſine omni dolo et fraude, atque quaeſita occaſione obſervare promiſit, atque ad obſervantiam eorundem ſe per patentes Literas ſuas obligavit. In cuius rei teſtimonium, fidem, et robur praeſentes Literas noſtras patentes Sigilli noſtri ſecreti, quo ut Rex Hungariae utimur, appenſione, et ad maiorem cautelam etiam propriae manus noſtrae ſubſcriptione ſignatas et munitas eidem Domino Duci ſuperius concedendas, duximus. Datum Budae in Feſto Conceptionis Beatiſſimae Virginis Mariae Anno Domini milleſimo quingenteſimo primo. Regnorum noſtrorum Hungariae Anno duodecimo, Bohemiae vero trigeſimo ſecundo.

VLADISLAUS *Rex.*

*Manu propria.*

*Marchionatus Luſatiæ Inferioris a* VLADISLAO *Hungariæ, & Bohemiæ Rege confertur Duci* SIGISMUNDO *Fratri.* Dat. Budæ feria ſexta, die S. Bonifacii Anno 1504. *Ex Originali. Vide Bohemia Num. 22. fol. 25.* ANNO 1504.

XIII.

SIGISMUNDI I. *Regis Poloniæ Confirmatio Innovationis Privilegii Civibus Opavienſibus ſuper depoſitione mercium conceſſi.* Dat. Cracoviæ Sabbatho ante Dominicam Palmarum 1507. *Ex Archivo Regni Lib. 15. Num. 16. fol. 51.* 1507.

SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Dominus, & Hæres, nec non in Sileſia, Oppaviæ, & Maioris Głogoviæ, &c. Dux. Significamus tenore præſentium quibus expedit Univerſis. Quia pro parte circumſpectorum Civium Civitatis noſtræ Oppaviæ, ſubditorum fidelium dilectorum noſtrorum, petitio fuit Nobis porrecta, ut Literas infraſcriptas ſuper generali tranſitu, & depoſitione mercium, & aliarum rerum per Anteceſſores noſtros ipſis Civibus Oppavienſibus conceſſas ratificare, innovare, approbare, & confirmare dignaremur. Quarum quidem Literarum ſequitur tenor. VLADISLAUS Dei Gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, Marchio Moraviæ, Dux Sileſiæ, & Lucemburgenſis, ac Marchio Luſatiæ, &c. Ad perpetuam rei memoriam notum facimus tenore præſentium quibus expedit Univerſis. Quod conſtituti in præſentia noſtra circumſpecti Cives Civitatis Oppaviæ, fideles Nobis dilecti, Maieſtati noſtræ Literas quasdem ſuper generali tranſitu, & depoſitione mercium, ac aliarum rerum exhibuerunt olim a Sereniſſimo Principe Domino VENCESLAO Rege Bohemiæ, Cracovienſi, & Sandecenſi Duce, Marchioneque Moraviæ &c. Prædeceſſore noſtro felicis memoriæ ipſis, ac præfatæ Civitati Oppavienſi conceſſas ſanas, integras, non cancellatas, non raſas, verum omni vitio, & ſuſpicione prorſus carentes, ſupplicantes Nobis cum omni humilitate, quatenus præfatas Literas, ſic ut præmiſſum eſt, ipſis conceſſas ratificare, innovare, approbare, & gratioſe confirmare dignaremur. Quarum quidem Literarum tenor de verbo ad verbum ſequitur,

ANNO quitur, & est talis. Nos VENCESLAUS
1507. Dei Gratia Rex Bohemiæ, Dux Cracovienſis, & Sandecenſis, Marchioque Moraviæ tenore præſentium notum facimus Univerſis tam præſentibus, quam futuris. Quod Nos dilectos Cives noſtros de Oppavia proſequentes favore benivolo, & gratitudine ſpeciali, eisdem Civibus noſtris favorabiliter duximus concedendum, quod in ipſa Civitate Oppavia plumbi, vini, pannorum, Salis, & aliarum omnium mercium, quarum ibidem generalem tranſitum ſtatuimus, depoſitioni, quod Nyderlag vulgariter dicitur, per triduum Decreto habeatur, ita, quod quæcunque merces ad ipſam Civitatem venerint, extra eam infra tres dies alias non ducantur. In cuius rei teſtimonium præſentes Literas fieri, & Sigillorum noſtrorum munimine fecimus liberaliter communiri. Datum Brunæ per manus Magiſtri Joannis Sacenſis Præpoſiti, Prothonotarii noſtri Moraviæ, Anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſexto, decimo octavo Calendas Decembris, Indictionis decimæ. Nos itaque ipſorum precibus inclinati, attendentesque ipſorum petitiones eſſe honeſtas, iuſtas, & rationabiles ob fidelia eorum ſervitia, quibus ſe Nobis, & Prædeceſſoribus noſtris, & Coronæ noſtræ Bohemiæ memorati Cives paratos ſemper, & promptos exhibuerunt, ipſorum huiuscemodi Literas de noſtra Regia benignitate tanquam Rex Bohemiæ, & Dux Sileſiæ, Marchioque Moraviæ, in omnibus earum clauſulis, Articulis, & punctis innovare, approbare, & ratificare inſtituimus. Quemadmodum innovamus, approbamus, & ratificamus per præſentes, volentes præfatos Cives Oppavienſes, qui nunc ſunt, & ſucceſſu temporis in futurum erunt, omnibus prærogativis, gratiis, donationibus ipſis per Prædeceſſores noſtros conceſſis, & per Nos innovatis, approbatis, & ratificatis, perpetuis temporibus absque noſtro, omniumque noſtrorum Succeſſorum, ac aliarum Perſonarum quovis impedimento, quiete, & pacifice frui, potiri, & gaudere, præcipueque in tranſitu, & depoſitione mercium, & aliarum rerum in præfatis Literis Regis VENCESLAI clarius expreſſarum. Quod ſi quis auſu temerario huiuſcemodi noſtrorum Prædeceſſorum generalis tranſitus, & depoſitorii conceſſionem, hancque noſtram innovationem, & approbationem infringere, aut eidem quovis quæſito colore contraire tentaverit, & quomodolibet præſumpſerit, aut eundem generalem tranſitum, & depoſitorium Civitati prædictæ ſic, ut præmiſſum eſt, datum, & conceſ-



ſum pertranſiverit, vel quovis modo de- ANNO
clinaverit, poterint præfati Cives Oppa- 1507.
vienſes, & eorum poſteritas huiuſcemodi praevaricatores, & rebelles una cum omnibus, & ſingulis bonis, & rebus ipſorum, ſive ſint equi, boves, oves, vina, plumbum, aut aliæ quæcunque merces, in poteſtatem ipſarum in præfato Ducatu Oppavienſi, vel in aliis generaliter locis, quæ tunc, dum ipſis huiuscemodi prærogativæ, gratiæ, & Donationes per Prædeceſſores noſtros datæ, & conceſſæ ſunt, ad Ducatum Oppavienſem antiquitus pertinebant, recipere, areſtare, detinere, ſicque areſtata, detenta, & recepta iuxta Jura, & Conſtitutiones deſuper ſancitas tractare, & ad quos volunt, uſus convertere, & hoc totiens, quotiens huiusmodi generalis tranſitus, & depoſitorii tranſgreſſionem, & declinationem per quoſcunque fieri contingat omnibus, & ſingulis noſtris ſubditis per, & infra Ducatum noſtrum Sileſiæ ubilibet conſtitutis, Spiritualibus, & Sæcularibus, cuiuſcunque dignitatis, conditionis, & ſtatus fuerint, fidelibus noſtris dilectis diſtricte Mandatis noſtris Regiis præcipientes, ut memoratos Cives Oppavienſes iuxta huiusmodi gratiam ipſis conceſſam, ac noſtram Innovationem manutenere, protegere, & defenſare omnibus modis teneantur, ac debeant, ipſisq; favore, & auxilio, quotieſcunque neceſſitas expoſceret, & requirere eos ducerent, auxiliis opportunis aſſiſtant, noſtræ gratiæ Regiæ ſub obtentu. In quorum quidem omnium fidem, ac firmitatem perpetuam præſentes Literas fieri, Sigillique noſtri maioris, quo tanquam Hungariæ, & Bohemiæ Rex utimur, appenſione muniri præcepimus, datas Budae Sabbatho ante Dominicam Palmarum Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quarto, Regnorum noſtrorum Hungariae decimo quarto, Bohemiae vero triceſimo tertio. *Ex Commiſſione propria Regiæ Maieſtatis*, Nos itaque SIGISMUNDUS Rex Poloniae &c. & Oppaviae Dux, ſubditorum praedictorum noſtrorum Oppavienſium precibus annuentes, & non minus eorum ſervitia fidelia attendentes, quibus ſe Nobis Cives praedicti commendatos reddiderunt, ipſis de certa noſtra ſcientia, atque virtute, & benignitate, authoritateque Maieſtatis noſtrae Regiae, & Ducali Oppaviae, Literas praeinſertas, velut iuſtas, & efficaces in omnibus eorum clauſulis, Articulis, innovare, approbare, & ratificare decrevimus, prout innovamus, approbamus, & ratificamus, decernentes eas valere perpetuo, tenore praeſentium mediante. In cuius rei teſtimonium &c. Datum Cracoviae Sabbatho ante Dominicam Palmarum.

ANNO 1507. Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptimo.

*Joannes de Laſko Præpoſitus Poſnanienſis, & Regni Poloniæ Cancellarius.*

XIV.

1510. SIGISMUNDI I. *Poloniæ Regis Approbatio Privilegii Abbati Vratiſlavienſi per* CASIMIRUM *Regem conceſſi.* Dat. in Conventione Piotrcovienſi Generali feria quarta proxima poſt Feſtum S. Mathiæ. An. 1510. *Ex Archivo Regni Lib. 15. n. 16. fol. 395.*

SIGISMUNDUS Rex Poloniæ etc. Quia Venerabilis & Religioſus Jac. Abbas Monaſterii Sancti Vincentii, extra muros Vratiſlavienſes ſiti, Ordinis Præmonſtratenſis, depoſuit coram Nobis cum querimonia, qualiter Magnificus Jaroſlaus de Lasko Palatinus Lancicienſis, & in Boleſtawiec Tenutarius ſincere Nobis dilectus, eiuſdem Monaſterii ſui ſubditos de Villis Opatow, & Słup ad inconſvetos labores compellit, & aſtringit, ſed quia idem ipſe Abbas, exhibitis coram Nobis Literis infraſcriptis ſuper exemptionem Subditorum Monaſterii prædicti ab inconſvetis laboribus petiit illas per Nos, & confirmari, & approbari. Quarum ſequitur tenor. CASIMIRUS *D*ei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque *D*ominus & Hæres etc. Significamus tenore præſentium quibus expedit Univerſis. Quomodo querelis Religioſi Joannis Abbatis Sancti Vincentii extra Muros Vratiſlavienſes toties aures noſtræ Maieſtatis pulſantibus permoti, ſuper gravaminibus, & angariis, quibus Generoſus *P*aulus Balicki Tenutarius in Boleſtawiec Bona Monaſterii ipſius licentioſe impetere, & moleſtare conſveverat, tranquillitati eorum conſulendo, ne in *D*ivini cultus adminiſtratione huiusmodi perturbationibus diſtraherentur, talem facimus ordinationem. Quod ipſe Capitaneus de cætero homines Villarum Conventus antedicti ad inſolitos labores ſtringere, & artare non debeat, præterquam eos, quos pro ſtructuris & reformatione Caſtri prædicti, circa manuteriam, prout ex antiquo faciebant, laborare ſint aſtricti. Volumus præterea, quod homines libertatos ad cuſtodiam Caſtri, & emptionem Baliſtarum inconſvetam amplius non trahat, niſi cum ſuſpicio de hoſtilitate emerſerit notabilis, propter quam niſi liberi in *D*omibus ſuis Baliſtas teneant, ut neceſſitate occurrente præſto ſint, & occurrant pro ipſius Caſtri conſervatione, & pro tanto Tibi Generoſo Paulo ſupraſcripto Balicki, & aliis Tenutariis Caſtri Boleſtawiec pro tempore ſtrictiſſime mandamus, quatenus dictum Joannem Abbatem, Bonaque, & ſubditos Conventus ſui, circa noſtram Ordinationem relinquere debeatis, nihil eorum contra eos intentantes, quibus Jura ipſorum, & Libertates lædi poſſent, aut infringi, pro gratia noſtra ſecus facere non auſuri. *D*at. in Conventione Piotrcovienſi Generali Feria quarta poſt Feſtum Sanctæ Luciæ Anno *D*omini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo quarto. *Relatio Venerabilis Creſlai de Curoziwanki Regni Poloniæ Cancellarii.* Nos itaque SIGISMUNDUS Rex conſiderantes Literas præinſertas fore iuſtas, Petitionibusque dicti Jacobi Abbatis benigniter annuentes, illas gratas, & ratas habentes, in omnibus earum punctis, clauſulis, articulis, & conditionibus, de certa ſcientia, & ſingulari gratia Regiis noſtris, approbandas, & confirmandas duximus, confirmamusque, & approbamus per Præſentes, decernentes illas robur debitæ firmitatis obtinere, tenore Præſentium mediante. Quapropter Tibi Magnifico Jaroſlao Palatino Lancicienſi, & Tenutario prædicto, aliisque Caſtri prædicti Boleſtawiec Tenutariis pro tempore exiſtentibus mandamus, quatenus prædictos homines, & ſubditos Monaſterii prædicti de Villis prædictis ad Opatow & Słup, ad inconſvetos labores, & angarias non compellatis, nec compelli faciatis, quin imo eos iuxta vim, tenorem, & continentiam Literarum ſupra ſcriptarum in eorum libertate, & conſvetudine conſervetis, & conſervari curetis, aliterque non facturi pro gratia noſtra. Harum &c. Datum in Conventione Piotrcovienſi generali Feria quarta proxima poſt Feſtum S. Mathiæ Apoſtoli, Anno Domini milleſimo quingenteſimo decimo, Regni noſtri Anno quarto. ANNO 1510.

XV.

*Prohibitio viæ Mercatoribus in Sileſiam.* Dat. Crac. 24. April. 1511. *Ex Archivo Regni.* 1511.

SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae &c. Famati fideles dilecti. Vigilantem curam, & ſollicitudinem ad incrementa ſubditorum noſtrorum habentes, praeſertim quod Vratiſlavienſes, depoſitorium in ſua Civitate, ad opprimendas negotiationes ſubditorum noſtrorum inſtituerunt, ſic Con-

ANNO 1511. Conſiliariis noſtris omnibus conſentientibus, decernimus, ut nemo ſubditorum noſtrorum a Feſto S. Urbani proximo, & deinceps negotiandi cauſa Vratiſlaviam, & in Sileſiam ſub amiſſione omnium bonorum ſuorum, & paena capitis tranſeat, nec ullas merces, victualiaque illuc importet, aut devehi ſinat, ac procuret, ſed aut Cracoviam, aut Poſnaniam, & Caliſſiam, ubi antiquitus emporia ſunt conſtituta. Mandamus igitur vobis, ut publico Edicto in Civitate veſtra hanc Inhibitionem noſtram denuntietis, ne quisquam, per ignorantiam in paenas ſupradictas incidat. Nam non ſolum eum, qui Mandatum hoc noſtrum in Vratiſlaviam, & Sileſiam cum mercibus, & cæteris aliis commeatus rebus, equisque, ac bobus proficiſcens, transgreſſus fuerit, uti temerarium pœnis præmiſſis irremiſſibiliter puniendum aggrediemur, ſed etiam vos, quorum negligentia, & incurabilitate, & potius perfidia iſtud accideret. Itaque ſub pœnis non aliter facturi. Datum Cracoviæ vigeſima quarta Aprilis Anno *Domini* 1511.

XVI.

*Prohibitio Vratiſlavienſibus Mercaturæ in Polonia. Ex Archivo Regni.*

*Famoſi Viri.*

Noveritis, nec dubium habeatis, quod Nos Regnicolis noſtris omnibus prohibuimus negotiationem in Civitate veſtra, nolentes ut quispiam noſtrorum vobiscum, aut cum aliquo veſtrorum commerciorum communitatem habeat. Vobis etiam et omnibus Civibus veſtris prohibemus negotiationem in Regno noſtro, ut a modo deinceps nullas mercancias, vel per vos ipſos, vel alium quempiam ex Civitate veſtra in Regnum noſtrum ducere, ac importare, neque etiam in regno noſtro aliquas emere, et inde quocunque modo, et colore in uſum veſtrum exportare audeatis, ſub pœna amiſſionis earundem rerum, et mercantiarum. Ne autem quispiam veſtrum ſe eius noſtræ Conſtitutionis ignorare praetendat, et incautus in pœnam conſtitutam incidat, hortamur vos, ut publico Edicto iſtud in Civitate veſtra edici, publicarique faciatis, quandoquidem nemini veſtratium, quicunque auſu temerario cum mercibus, ut praemiſſum eſt, in Regnum noſtrum ingreſſus fuerit, vel e Regno noſtro egredi voluerit, parcetur. Datum 24. Aprilis.

XVII.

SIGISMUNDUS *Rex Poloniæ* VLADISLAO *Hungariæ, & Bohemiæ Regi de Emporio Vratiſlavienſi. Ex Archivo Regni.* ANNO 1511.

Perſpeximus ex literis Maieſtatis Veſtrae eandem ſollicitam eſſe, quod adverſus Emporium Wratiſlavienſe per Maieſtatem Veſtram inſtauratum, ſeu potius denuo eis datum, ex totius Regni noſtri decreto conſtituerimus, ne quisquam ſubditorum noſtrorum ad eos mercandi cauſa vadat. Poſtulatque a Nobis Maieſtas veſtra, ut aliquantiſper ab hac Conſtitutione exequenda abſtineamus, donec experientia iudicet, cedat nec ne Emporium hoc in damnum ſubditorum noſtrorum. Sereniſſime Rex: non reprehendimus, quod Maieſtas veſtra conſulit utilitatibus ſuorum ſubditorum, quibus & Nos pro illorum erga Nos obſervantia, omnia fortunarum incrementa favemus, ſed debito ſtringimur, ut contra, indemnitati noſtrorum ſubditorum proſpiciamus, præcipue quod magis noſtra intereſt, ut amplitudinis Regni noſtri, poſt cuius tergum aliæ nationes pace & otio fruuntur, rationem habeamus, quam unius Civitatis, & maxime, cum non careamus portubus, ex quibus omnia Regno noſtro ſubminiſtrari poterunt. Tamen ob amorem veſtræ Maieſtatis ab hoc Edicto tantiſper ſuperſedebimus, quam diu a Wratiſlavienſibus executio eorum Emporii facta non fuerit. Cupimus, Maieſtatem veſtram una cum feliciſſimis natis ſuis, feliciſſime valere.

XVIII.

*Literæ* SIGISMUNDI I. *Regis, quibus Incolas Ducatus Oppavienſis a iuramento ſibi præſtito liberos facit.* Dat. Cracoviæ Feria ſexta ante Dominicam Reminiſcere. *Ex Archivo Regni Lib. 17. n. 18. fol. 16.*

SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus *Dux* Litvaniæ, Ruſſiæ, *Pruſſiæque* &c. Dominus, & Hæres. Significamus tenore Præſentium univerſis, & ſingulis præſentibus, & futuris, præſentes viſuris, ſeu lecturis, quibus expedit. Quia ſubditi noſtri cuiuscunque ſtatus, & conditionis, excellentiæ, ac eminentiæ, & ordinis Ducatus Opavienſis, nec non & Civitatum virtutis bonitate clarentium, integritatem fidei, qua Nobis obſtricti, obligatique, medio *Sa*cramento, ſive fidei ſponſione fuerunt ab initio, quo *Du*catus præfatus Opavienſis noſtræ poteſtati traditus extitit, uſque in hactenus Nobis ſervaverunt,

Anno 1511. cum tamen Sereniſſimo Principi, & Domino Vladislao Dei Gratia Hungariæ, Bohemiæque &c, Regi, Fratri noſtro chariſſimo ex Contractibus inter Nos habitis, & exiſtentibus, *D*ucatu eodem Oppavienſi ſponte, ac de bona voluntate cedendum decrevimus, cedimuſque, omnes ſubditos eiuſdem Ducatus, ſic ut præmiſſum eſt, Sacramento, ac ſponſione fidei Nobis quomodocunque obnoxios, ſuæ Serenitati reddimus, eosdem a *S*acramento Nobis præſtito abſolvimus, & liberamus, abſolutoſq; perpetuo promulgamus tenore præſentium mediante. Harum, quibus Sigillum noſtrum eſt ſubappenſum, teſtimonio Literarum. Datum Cracoviæ feria ſexta ante Dominicam Reminiſcere proxima Anno Domini milleſimo quingenteſimo undecimo. Regni quinto.

### Sigismundi *Regis Poloniæ Commendatio fidelitatis ſubditorum Ducatus Oppavienſis Vide tom. II. tit. Supplementum tom. I. p. II.*

### XIX.

*Conſtitutiones pro Mercatoribus Regni factæ, occaſione prohibitionis exercendi Mercaturam cum Vratiſlavienſibus.* Dat. Cracoviæ feria quinta ante Feſtum S. Thomæ Apoſt. *Ex Archivo Regni Lib. 17. Num. 18. fol. 90.*

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniae etc. Famoſi fideles noſtri dilecti. Prohibitionem negotiationis cum Vratiſlavienſibus, ſuperiori tempore per Nos, ex magna utilitate factam, ratam habentes, et ab omnibus, ſub paenis ad hoc conſtitutis, et promulgatis ſervari realiter volentes, cum Conſiliariis noſtris, hunc, qui inferius ſequitur, modum, noſtris Regni Mercatoribus negotiantibus extra Regnum, et externis etiam Mercatoribus in Regnum noſtrum negotiationis cauſa veniendi, conſtituimus, et ſervari ſub paenis ſuper hoc vallatis volumus; et praecipimus. In primis enim communi Mercatorum noſtrorum utilitati proſpicientes, atque conſulentes de gratia noſtra ſpeciali, ita ordinavimus, quod quilibet Mercator Regni noſtri, perſona, corpore, et rebus, mercantiisque generis cuiuslibet, in Sileſiam, ac Germaniam, nec non Bohemiam, et Italiam, ac Głogoviam Magnam, Gorlicz, Legnitz, Opoliam, Niſſam, Bergam, aliasque Civitates Sileſiae, et Oppida, praeter ſolam Vratiſlaviam, a qua omnes abſtinere omnino ſub paenis teneantur, libere tranſire, et negotiari poſſunt, ſed cum Vratiſlavienſibus, nec manifeſtas, nec occultas, ſub amiſſione omnium rerum, et vitae periculo negotiationes, ſive intelligentias exerceant, et exercere audeant. Anno 1511.

Item ſtatuimus, quod nullus Mercatorum Regni noſtri tranſire, aut proficiſci debet in aliquem locum, aut Civitatem, quae cum Vratiſlavienſibus ligam, confœderationemque, et intelligentiam occultam, ſeu manifeſtam haberet, vel eisdem adhaerentiam faceret, in hoc noviter eorum illicite excogitato depoſitorio, ſeu emporio.

Item cum aliquis Mercator velit ire in Sileſiam cum Mercibus, aut perſona ſua, debet ſe prius ſemper indicere, et manifeſtare Conſulibus, et tunc ipſi Conſules debent illi proponere, quod poſsit ire in Civitatem aliquam, quam praetactus Mercator nominare proprio nomine tenebitur, ad quam ſolus ire, vel ſua bona mittere, vel ducere praetendit, et in hoc Juramentum corporale praeſtare debebit, quod negotia ſua cum negotiatoribus expedire velit, qui non ſunt Cives Vratiſlavienſes, nec cum ipſis Vratiſlavienſibus aliquam intelligentiam, aut commercium, vel confœderationem habuit, et hoc quilibet Mercator firmiter tenere debet, nullam penitus cum ipſis Vratiſlavienſibus, aut occultam conſpirationem nec per ſe, nec per alium aliquo modo fallaci, aut excogitari poſſibili facere, aut fieri procurare debet.

Item quod quilibet Mercator poteſt libere, et ſecure tranſire in Bohemiam, Moraviam cum rebus, et perſona ſua, ea tamen conditione, ut cum nullo Cive Vratiſlavienſe in locis, aut Civitatibus, per quae, vel per quas iturus eſt, aliquam actionem, aut negotiationem habeat, aut fieri procuret, ſub paena ſupranominata, & etiam quod in tota Germania, aut partibus Italiae, nullibi locorum cum Civibus Vratiſlavienſibus quicquam negotii, aut commercii habeat, aut faciat, ſed ipſos ab omni contubernio, et ſocietate penitus excludat.

Item quod quorumque locorum Mercator cum perſona, & rebus ſuis tranſierit, in quacunque Civitate Sleſiæ, aut in partibus Germaniæ fuerit, nullam rem, aut mercem ab aliquo emere, aut comparare debet, quæ res ex Civitate Vratiſlavienſi veniret, vel duceretur, aut ibi fieret, vel pararetur, nullam penitus excipientes, nec ipſam, ſive ſit parva, ſive magna, in Regnum Poloniæ ducere, aut portare præſumat ſub pæna ſupra tacta,

Item quilibet Mercator ex partibus Germaniæ, Italiæ, Sleſiae, Moraviae, Hungariae,

ANNO 1511. gariae, Bohemiae debet habere liberum, & ſecurum tranſitum in Regnum Poloniae cum perſona, & rebus ſuis, ad ea loca, ad quae ab antiquo ire conſveverat, & ibidem vendere, aut emere res ſuas, & negotiationes, ac alias vectiones exercere, & e contra libere e Regno cum rebus, et negotiationibus exigere, ſolutis, et expeditis omnibus datiis, et teloneis, quae merito ſolvere, et dare debent, exceptis tamen Civibus, et Mercatoribus Vratislavienſibus, quorum nullus in Regnum Poloniae tranſire, nec ſervos, aut factores ſuos mittere debet ſub paena amiſſionis vitae, et Bonorum, ſed tamen Civis, aut mercator Vratislavienſis poterit, vel ipſe ſolus ire, vel ſervum ſuum mittere in Poloniam ad emovenda debita ſua, ante hanc noſtram prohibitionem contracta, et facta, prout ipſe melius poterit, et ſciverit, tali tamen conditione, quod ſe in finibus, et graniciebus Regni, et in locis teloneorum indicat, et manifeſtet, et a Capitaneo loci, vel Teloneatore, cedulam Recognitionis accipere curet ad loca, vel Civitates, ad quae, vel quas proficiſci intendit, et poſtquam ad locum ſtatutum pervenerit, debet ſe iterum Conſulatui illius loci indicere, et manifeſtare, quod ſolum gratia amovendorum debitorum ſuorum venerit, quae ante hanc prohibitionem contraxerat, et id Juramento corporali firmare debet, quod inter aliud agere velit, nec aliquos Contractus, aut negotiationes novas quovis modo, nec per ſe, nec per alium, ſed ſolum praedicta debita emovere. Poſtea vero licitum erit ſibi, libere, et ſecure ex Regno diſcedere, ex quo Nos ipſis Civibus Vratiſlavienſibus Literas Univerſales et Generales dare dignati ſumus, quod debita ſua emovere libere poſſint, ut ſupra tactum fuit.

Item dum aliquem Mercatorem contingit ire in Sileſiam, aut aliqua loca ſupradicta, et eſſet coniectura ſuper eum, aut ſuſpicio, quod commercaretur, aut per ſe, aut per aliquam aliam ſubmiſſam perſonam cum Vratiſlavienſi aliquo, extunc dum redierit in Civitatem ſuam, debet per Conſulatum de eo moneri, et ſibi replicari, quod eſt iſta talis ſuſpicio de te, ille vero debet ſe iuſtificare debite omnibus modis, et finaliter Juramento, et ubi defuerit in probationibus debitis, extunc omnes merces debent confiſcari Fiſco noſtro Regio.

Vt autem Conſtitutiones ſupradictæ omnes, ab omnibus, & ſingulis per Nos matura deliberatione factæ, ſancte, & inviolabiliter obſerventur, mandamus vobis, omnino habere volentes, ut ipſas Conſtitutiones, & Ordinationes in Civitate veſtra, omnibus mercatoribus, mercaturas excercentibus, in Prætorio veſtro, eisdem ad vos accitis, vocatisque aperte publicetis, & manifeſtetis, ut ita, ſicut conſtitutum, ordinatumque eſt, inviolabiliter obſervetur, & teneantur ſub pœnis præmiſſis, in foro vero publico omnibus publicetis, quod omnibus conceſſum ſit ire ad loca, ut præmiſſum eſt, præterquam Vratiſlaviam, ita tamen, ut quilibet extra Regnum ire volens, Proconſuli, et Conſulibus ſuum tranſitum nuntiet, et informatus, uti in Articulis eſt præmiſſis, vadat, aliter vero faciens vitæ periculo et bonorum puniendus erit, ſic facturi pro gratia noſtra. Datum Cracoviæ Feria quinta, ante Feſtum Sancti Thomæ Apoſtoli proxima, Anno 1511. ANNO 1511.

## XX.

*Conſtitutiones pro reſtauranda Pace publica inter Regnum Poloniæ, & Sileſiam in Conventu Pragenſi factæ. Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. F. Fol. 211.* 1512.

Capita et articuli ſuper explodendis tam ex Regno Poloniæ, quam etiam Ducatu Sleſiæ prædonibus, et inſtauranda, ac ſtabilienda inter hanc utramq; Ditionem publica Pace, facti in Conventu Pragenſi, pro Dominica *Miſericordia* per Magnificos Dominos Bergam Magiſtrum Curiae, et Praeceſlaum Protonotarium, Supremos, ac Georgium Zabkam in Conicz Comitem, Vicecancellarium Bohemiae Regni, per Sereniſſimum Rom. Regem deſignatos, et Reverendum Dominum Staniſlaum Tarlo Archidiaconum Lublinenſem, et Canonicum Cracovienſem, Sereniſſimi Domini Poloniae etc. Regis Oratorem, et ſubinde in Dieta Vratiſlavienſi pro Dominica Jubilate omnium Ordinum Ducatus Sleſiae aſſenſu ratihabiti, ea tamen Lege, in quantum illos quoque Sereniſſimus Dominus Rex Poloniae voluerit probare.

Primo quod tam in Sacrae Romanorum, quam Poloniae Maieſtatum, utrobique Bohemiae, Poloniaeque Regnis, Sleſiae, et adiunctis Provinciis alterutrius Dominorum Regum, Regnorum, et ſubditorum eorundem diffidatores, hoſtes, homicidae, raptores, ſeu damnificatores, nec non profugi, ſive rebelles ſubditi, quicunque in alterius Regum Regnis, et Ditionibus, ubi primum ad ipſum ab altera earum Maieſtatum, aut Capitaneis ipſorum Provincialibus, ſive ſubditis alteri

ANNO 1512. teri parti insinuatum, vel per ipsosmet perveſtigatum fuerit, per amplius nequaquam foveri, & aſſecurari, multo minus eorundem Regum permiſſu per ſubditos ipſorum ulla hoſpitalitate, adiutatione, ſive receptatione, quocunque prætextu, aut colore, directe, vel indirecte, publice, vel occulte interteneri, ſed ubicunque graſſatores, & contrariatores ubilibet in præfatis Regnis, & Ditionibus deprehenſi fuerint, contra eos iuſſu Regio, & directione, atque intendentia Officialium utrobique parti læſæ, atque deferenti iuſtitia immediate, & irrecuſabiliter permitti, atque adminiſtrari, aut etiam citra partium requiſitionem de iis, ut communibus hoſtibus a Capitaneis, & Magiſtratibus ubicunque per ſe ipſos ex officio inquiri, inſequi, & capitaliter procedi debeat.

Caſu autem, quo aliquis ex Officialibus, aut ſubditis utrarumque Maieſtatum receptatione, aſſecuratione, hoſpitatione-que præmiſſorum contrariatorum, aut omiſſione inſecutionis, captivationis, ſive animadverſionis in eosdem ſcienter contravenerit, in tales utrobique, ſive delati forent a parte altera, ſive alias veriſimili ſuſpicatione deprehenſi, capitali ſupplicio irremiſſibiliter debet animadverti.

Si unus, vel plures Incolæ Regni Bohemiæ, Marchionatus Moraviæ, & Ducatus Sileſiæ in communi Regno Poloniæ, vel ſingularibus perſonis eius Regni, & ſubditis privatim hoſpitalitatem denuntiabit, vel denunitabunt, tum ſtatim Præfectus, vel Capitaneus, aut Officialis illius loci, & Diſtrictus, cui diffidatio indicta eſt, generales Præfectos, & Capitaneos Regni Bohemiæ, Marchionatus Moraviæ, & Ducatus Sileſiæ ea de re certiores reddere, & ipſis exemplar diffidatoriarum Literarum transmittere debebit. Quibus acceptis Literis Præfecti, & Capitanei in Regno Bohemiæ, Marchionatu Moraviæ, Ducatuque Sileſiæ talem, vel tales diffidatorem, vel diffidatores pro publico hoſte, vel hoſtibus iudicare, promulgare, & publicare, ac omnibus, & ſingulis Incolis prædictorum Regni, Marchionatus, & Ducatus, cuiuſcunque ordinis, & conditionis extiterint, eius, vel eorum conſvetudinem interdicere, & ne a quocunque hoſpitio recipiantur, aut iuventur conſilio, aut re aliqua alia, prohibere, & cavere, & bona diffidantium applicare fiſco, & Cameræ Regiæ, & demum in hoſpites, ſocios, conſocios, & complices pari ſeveritate animadvertere conabuntur, nam tali facta divulgatione, & interminatione neminem ignorantiæ excuſatio ſublevare poterit. ANNO 1512.

Si vero contingat viceverſa, quod unus vel plures incolæ Regni Poloniæ, nec non aliarum Terrarum Ditioni Regni Poloniæ ſubiectarum, in communi Regno Bohemiæ, Marchionatui Moraviæ, aut Ducatui Sileſiæ, vel ſingularibus perſonis eius Regni, & prædictarum Provinciarum incolis, & ſubditis hoſtiliratem denuntiabit, vel denuntiabunt, ſimiliter etiam, ut ſupra expreſſum eſt, Præfectus, & Capitaneus illius loci, & Diſtrictus, cui diffidatio indicta eſt, generales Præfectos, & Capitaneos Regni Poloniæ ea de re certiores facere, & ipſis exemplar diffidatoriarum Literarum transmittere debebit. Quibus acceptis Præfecti, & Capitanei per Regnum Poloniæ, & Terras eidem Regno ſubiectas talem, vel tales diffidatorem, vel diffidatores etiam pro publico hoſte, vel hoſtibus iudicare, promulgare, publicare, ac omnibus, & ſingulis incolis prædicti Regni, & pertinentiarum eiusdem, cuiuscunque ordinis, & conditionis extiterint, eius, vel eorum conſvetudinem interdicere, & ne a quorumque hoſpitio recipiantur, aut iuventur conſilio, aut re aliqua alia, prohibere, & cavere, & bona diffidantium applicare fiſco, & Cameræ Regiæ, & perinde in hoſpites, ſocios, conſcios, & complices, parique ſeveritate animadvertere tenebuntur, ignorantiæ excuſatione univerſis penitus ſublata.

Singulatim vero, ſi quispiam Capitaneus, aut Magiſtratus in huiusmodi caſibus damnificatis ſubitam iuſtitiam adminiſtrare cunctaretur, aut etiam extra id ex officio, inquiſitione, & animadverſione debita non procederet, tales præfatarum Maieſtatum punitioni immediate obnoxii, & rei eſſe debent. Vt autem præcipuus diffidationum, & graſſationum fomes, quo huiusmodi latrocinia inprimis aluntur, e medio tollatur, coerceaturque licentia, & impunitas hoſpitandi, quæ inter hæc Regna pernicioſe hactenus duravit, finaliter inter Nos convenit, ut quicunque promotores, detentores, hoſpitatores, & complices dictorum maleficiorum huiusmodi, ex fuga captivorum, aut veraci intimatione ſpoliatorum, qui captivi vel ſpoliati bonæ fidei, & integræ famæ forent, ſive aliis ita apertis indiciis, ut tam manifeſtarium factum ulteriore probatione non egeat, utrobique deprehenſi forent, idem citra ulteriorem purgandi ſui admiſſionem, & indulgentiam, ſpoliatis, & damnificatis ad reſuſionem, & ſatisfactionem probabiliorum damnorum de bonis ſuis teneantur

ANNO 1512. neantur, aut quodsi in bonis tantum non habeant, secundum qualitatem delicti corporis punitione luant, atque compensent. Si vero tales ad damnificationem, seu irruptionem, evidentem, adque enormem occasionem voluntarie, & scienter præbuerint, iidem tam parti ad refusionem damnorum, ut iam expressum est, quam superioritati suæ ad sumendum de eis pro modo delicti supplicium, citra evasionem subiaceant.

Si vero aliqui huiusmodi hospitatorum aut complicum, non similiter manifestis, et apertis indiciis sine huiusmodi grassatorum, et damnatorum confessatis, aut quaestionibus, serius alias fuerint delati, et de huiusmodi maleficio suspecti potius, quam convicti, contra tales tam ex delatione damnificatorum, vel alterius Superioritatis Officialium, quam ex officio per Capitaneos, aut Magistratus eius Regni, aut Ditionis, in qua fuerit, evocatos, hac tamen differentia, et moderatione debet procedi, ut si forent Nobilitares, aut alioqui possessionati Cives, antehac in talibus non infamati, neque anterioribus confessatis suspecti, videlicet in casu negationis sese proprio eorum Iuramento coram supremo eius Ditionis Magistratu publica huiusmodi infamatione exonerare, et purgare queant. Sin vero iidem anterioribus infamiae, aut confessatorum praeiudiciis confessi, et semi manifestarii forent, ita tamen, ut huiusmodi confessata non omnimode certum facti iudicium praebere possent, talis, vel tales etiamnum ad purgationem sui medio Iuramento mettertia manu integrae famae possessionatorum vicinorum admitti, aut si in utroque casu in purgatione defecerint, debitae Capitis animadversioni subiici, et subiacere debent. Casu autem, si quis ex Regno Poloniae ausu temerario contra Ius, et aequitatem, et publica in utraque istorum Regnorum Fœdera in Regnum Bohemiae, Marchionatum Moraviae, vel Ducatum Silesiae excursionem, et impressionem faceret, et sibi mercatores, et vectores depraedaret, aut detineret, homines occideret, vel abduceret, pecora abigeret, incendio saeviret, aut alio quovis modo damnum, et iniuriam inferret, et sic aestuans animi libidine, patrato nefario scelere rursum se in Poloniam, vel cum praeda securus, fugiens insequentium manus in consveta hospitia, et solita diverticula reciperet, tum in Regno Poloniae, et Praefecti illius Territorii vel Districtus, et omnes Incolae, totaque vicinitas continuo damnum, & iniuriam passis, aut insequentibus praevaricatores, & violatores communium Fœderum, quoties admoniti, evocatique fuerint, debebunt ferre opem, adesse armis fortiter, ac graviter insequi, & inquirere noxios, & turbatores publicae Pacis, & tranquillitatis. Et si sui tuendi causa in aliqua Castra, seu Fortalitia, aut loca abdita & natura munita profugerint, accuratius, & diligentius insistere, & ipsos eorumque hospites, socios, conscios, complices, oppugnare, & ita simul omnes ad deditionem, & debitum supplicium, & emendam, ac recompensationem damnorum illatorum cogere. Si quis autem negligentiorem, & remissiorem in ferendo auxilio offensis, & persequendo hostes, & damnificatores se exhibuerint, hi se indignationem sui Regis, & severam animadversionem irremissibiliter subituros esse sciant. Identidem debere observari decernentes, & mandantes, in praesumentes, & ausuros tale quicquam ex Bohemiae Regno, Moraviae Marchionatu, & Ducatu Sleſiae contra Regnum Poloniae, & eius subditos, & Incolas. Si vero contingeret, aut per subordinationem Superioritatis, aut alioquin per privatim damnificatos, aut diffidatos, contra praemissos diffidatores, malefactores, hospitatores, aut complices captivandos, sive etiam iam tum captos, & convictos in alterutrum Regnum, aut Ditionem super postulatione iustitiae mitti, aut requiri, iidem postulatores non solum ad executionem iustitiae pro ratione delicti cum omnibus in tali facto necessariis admitti, & provideri, verum etiam tam in loco administrandae iustitiae, quam in reditu ad propria assecurati, & omnimode tuti, atque inviolabiles esse debeant. Casu etiam quo utroque, seu alterutro Regno, seu Ditione aliquis ex nobilitate, aut alias zelo honestatis, & studio supprimendorum huiusmodi publicorum maleficiorum, aut iussu Magistratus sui, aut motu proprio in, vel post designationem direptionum, aut aliarum damnificationum, sive alios huiusmodi publicos praedones, & grassatores insequeretur, prout id ipsum ad eradicationem diffidationum, & meliorem bonae vicinitatis stabilitionem in utroque Regno per amplius observari convenit, atque antehac in Ditione Sleſiae communi consensu est tentum, & introductum, idque sibi a quoquam ut inhonestum exprobraretur, talis inculpatio, seu obiectio nulli cuiuscunque status in honore suo offensiva, aut praeiudicialis esse debet, sed talis exprobrator ad revocationem probri una cum aliquali carceris punitione, & resusione impensorum cogi, atque laesum rogare debet, ut sibi talem mendacem imputationem

Anno 1512. propter Deum dimittere velit, prout hoc etiam antehac per Sereniſſimum Dominum Poloniæ Regem in Generali Conventu Piotrcovienſi Anno Domini 1512. ut ſtatutum laudi, eſt introductum, & ſancitum.

Ut autem ſemel amputetur generalis ea occaſio ſuppullulantium diffidationum, quæ hactenus ex defectu aſſequendæ iuſtitiæ utrobique invaluit, utque cuique ex utroque Regno debita, & indilata iuſtitiæ adminiſtratio ſufficienter, & citra præcluſionem, aut ſuperfluam dilationem pateat finaliter, & concluſive, convenit, ut ſi Regnicola Poloniæ contra indigenam Bohemiæ, & Sleſiæ, aut e converſo, actionem iniuriarum, violentiarum, ſuper, Spoliatione, ſeu ſimilium, bona fixa non concernentium habeat, eidem ab Iudice competenti, cui reus ſubiacet, permiſſione ſubitarii iudicii de ſimplici, & plano per Præfectos, & Magiſtratus accuſati, in promptu citra indulgentiam ſuperfluarum dilationum, aut evaſionum omnimode æquitas exhiberi debebit. Si autem actio bona fixa concerneret, id apud accuſati Superioritatem, aut Magiſtratus requiri, & inibi ſecundum conſvetudinem uniuſcuiuſque *Di*tionis procedi debet, ut quilibet citra dilationem executionem iuſtitiæ obtinere queat, quod per ſuperioritatem, & Magiſtratus fideliter provideri, & dirigi par eſt.

Inſuper ad ulteriorem evitationem vicinalium differentiarum in antea vetitum, & pænaliter prohibitum eſſe debet, ne alterutrius Regni, aut Ditionis, atque Superioritatis, & ſubiecti citra exhibitam literariam probationem licentiæ a priori Domino, ſeu Magiſtratu, cui ſuberant obtentæ, in ſubditos ſuſcipiantur, ſub mulcta quinquaginta florenorum Hungaricalium ſuper receptore adiudicatione Magiſtratus exigenda, & ſubitaria executione facienda, ita ut dimidium eius mulctæ Magiſtratui, dimidium vero priori Domino cedat. Si autem huiusmodi receptor ad talem mulctam in facultatibus deficiat, loco mulctæ quatuor ſeptimanarum captivatione puniri debet.

Finaliter conventum, & cautum eſt, ut nullus incola eorum Regnorum, & pertinentiarum eorundem, cuiuscunque conditionis exiſtat, neminem ex qualicunque cauſa, ſeu prætextu Salvo Conductu providere, ſeu aſſecurare, facultatem habere debeat, niſi cum præſcia voluntate Domini, & Hæredis ſui, & partis adverſæ.

XXI. Anno 1515.

Vladislaus *Hungariæ, & Bohemiæ Rex tollit, & abolet Emporium Vratiſlavienſe in præiudicium Regni Poloniæ conſtitutum.* Dat. Poſonii 28. April. Anno 1515. *Ex Originali. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. 20. Num. 21. fol. 14.*

Vladislaus Dei Gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galleciæ, Ladomiriæ, Cumaniæ, Bulgariaeque Rex, Marchio Moraviæ, Dux Sileſiæ, & Lucemburgenſis, ac Marchio Luſatiæ. Significamus tenore Præſentium Univerſis. Quod quemadmodum ſuperiore tempore Sacra Maieſtas fraterna, videlicet Sereniſſimus Princeps Dominus Sigismundus eadem Gratia Poloniæ Rex, & Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque &c. Dominus, & Hæres, Germanus noſter chariſſimus ſolenni Edicto ſuo Civibus, & incolis Civitatis Vratiſlavienſis, ſubditis noſtris in Regnum ſuum Poloniæ, aliaque Dominia ſibi ſubiecta, & ſubditis ſuis Incolis eiusdem ingreſſum, mutuaque hinc inde commercia propter Emporii Vratiſlavienſis de novo inſtitutionem de certa ſcientia, & conceſſione, Privilegiisque noſtris ſpecialibus, uti creditur, non ſine damno Incolarum Regni Poloniæ factam, ſub pœnis areſti, & confiſcationis Bonorum prohibere dignatus erat, in præſentia tamen ad noſtram fraternam Interceſſionem Sacra ſua Maieſtas hoc idem Edictum ſuum relaxare, & deponere dignata eſt, ſubditis noſtris præfatis in Regnum ſuæ Maieſtatis, ſuis quoque Vratiſlaviam liberum ingreſſum, & mutua utrinque Commercia admittendo, et concedendo, ſecundum quod tempore noſtrarum, ſuarumque fraternarum Maieſtatum, Sereniſſimorum olim Dominorum Joannis Alberti, & ſucceſſive Alexandri Poloniæ Regum Prædeceſſorum eis, ac felicis huius ſui regiminis, usque ad prohibitionem præfatam libere ſemper fuerat, utrisque ſubditis Dominorum iſtorum, et conſvetum, dummodo Vratiſlavienſes eodem Emporio ſuo contra conſvetudinem priſcis temporibus obſervatam, in præiudicium Poloniæ Regni de cætero non utantur temporibus aeternis, eosdem ſuditos fraternae Maieſtatis cum mercibus, et ſine, undequaque ad ſe venientes, Vratiſlaviam, et per eam ad vicinas, et alias quaſcunque Urbes, aliaque mercaturae loca libere, et ſine quovis impedimento, vel gravamine negotiandi gratia, totiens, quotiens

ANNO 1515. tiens opus habuerint, ire, redireque permittendo, prout iidem ipsi Cives, et subditi nostri Vratislavienses, nulla proinde gravamina, vel impedimenta superius expressa unquam se deinceps praemissorum occasione illaturos, Literis suis specialibus de certa scientia nostra, eidem fraternae Maiestati, suaeque Maiestatis Successoribus, et Regno Poloniae libere inscripserunt, obligaveruntque. Ita Nos quoque fraternam ipsam Maiestatem, & suæ Maiestatis fraternæ Successores, volentes de præmissis omnibus perpetuo observandis efficere certiorem, ac certiores hoc idem Emporium Vratislavienſe per Nos, uti præfertur, de novo institutum deponimus, abolemus, nullumq; deinceps facimus, ac pollicemur, Nosque & Successores nostros obligamus præsentibus, quod huiusmodi concessione nostra super Emporium præfatum de novo concessa ipsos cives, & incolas Vratislavienses subditos nostros, Emporioque eorum præfato in damnum Regni Poloniæ, & incolarum eius nunquam deinde uti permittemus, neque Successores nostri permittere debebunt, declarantes, decernentesque, prout declaramus, & decernimus auctoritate nostra Regia, Emporium ipsum Vratislavienſe eo modo, prout supra scriptum est, nullum amplius robur iam exnunc habiturum tenore Præsentium mediante. In quorum omnium, & singulorum fidem, testimonium, atque robur perpetuo valiturum has fieri, Sigillique nostri appensione muniri præcepimus. Datum Posonii, XXVII. Aprilis Anno 1515. Regnorum autem nostrorum Hungariæ vigesimo quinto, Bohemiæ vero quadragesimo quarto.

VLADISLAUS *Rex.*

*Vladislaus Sterberg in Bechina supremus Regni Bohemiæ Cancellarius.*

XXII.

*Vratislavienses abdicant se Emporio, quod ex concessione* VLADISLAI *Hungariæ, & Bohemiæ Regis habebant, cautione interposita, quod eo deinceps nunquam utentur.* Actum & Datum Sabbatho ante Dominicam Jubilate. *Ex Originali. Exstat in Archivo Cancell. Regni Lib. 20. Num. 21. Fol. 15.*

NOs Proconsul, & Consules, totaq; Communitas civium, & incolarum Civitatis Vratislavienſ. recognoscimus Præsentibus. Quod licet superiori tempore certis respectibus permoti Literas, & concessiones Emporii nostri Vratislavienſis constitutionem, & ordinationem in se continentes, apud Serenissimum Principem, & Dominum Dominum VLADISLAUM DEI Gratia Hungariæ, Bohemiæ Regem, Dominum nostrum clementissimum feliciter modernum impetrassemus, vigore quarum quidem Literarum nullos extunc negotiatores cum mercibus, & sine his undequaque ad se venientes negotiandi gratia, ad alias quascunque vrbes ire, redireque permittere debebamus, prout nec permittebamus in effectum, propter quod Serenissimus, & Invictissimus Princeps, & Dominus SIGISMUNDUS Poloniæ Rex, & Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæque Dominus, & Hæres, ratus Emporium nostrum huiusmodi quidpiam incommodi & damni subditis, & incolis Regni, aliorumque Dominiorum suorum illaturum, Nobis, ac universis incolis, & negotiatoribus nostris in Regnum suum, aliaque Dominia, subditis quoque suis quibuscunque Vratislaviam ad Nos ingressum, & mutua huiusmodi commercia sub pœnis aresti, & confiscationis Bonorum penitus prohibere, interdicereque dignatus erat. Quam quidem prohibitionem suam, & in Nos, & in singulos nostrum, uti præfertur, decretam, & extensam, quia in præsentiarum idem Serenissimus Princeps, & Dominus Dominus SIGISMUNDUS DEI Gratia Rex Poloniæ, ad interceſſionem præfati Domini nostri Hæreditarii Hungariæ, & Bohemiæ &c. Regis Germani sui charissimi, & instantes preces nostras, vtpote omnium, & singulorum incolarum Civitatis Vratislavienſis, relaxare dignatus est, Nobis liberum in Regnum suum, & subditis suis Vratislaviam ad Nos ingressum, mutuaque hinc inde Commercia admittendo, & concedendo, iuxta veterem consvetudinem diutius obſervatam, & prout tempore felicis regiminis Serenissimorum olim Principum Dominorum, JOANNIS ALBERTI, & successive ALEXANDRI, Sacræque huius Maiestatis Regis Poloniæ feliciter modernæ superius expressæ, usque ad hanc prohibitionis prædictæ publicationem, Nobis una, & incolis Poloniæ Regni liberum id semper fuerat, & consvetum, Nos quoque providentes, ne de cætero Sacræ suæ Maiestati, & Regno eius Poloniæ displicere proinde videamur, hoc idem Emporium nostrum de certa scientia, pariter & assensu præfati Serenissimi Principis, & Domini Domini VLADISLAI DEI Gratia Hungariæ, & Bohemiæ &c. ANNO 1515.

ANNO 1515. Regis, Domini noſtri hæreditarii, in toto reiecimus, & illi renuntiavimus, ac renuntiamus temporibus æviternis, & pollicemur, ſeque, & Succeſſores noſtros unanimiter inſcribimus Præſentibus, & obligamus, quod ipſo Emporio noſtro uti frui nunquam deinceps debebimus, neque Succeſſores noſtri debebunt perpetuo, & in ævum, quin potius omnes, & ſingulos negotiatores cum mercibus, & ſine his de Regno Poloniæ, & alias undequaque ad Nos venientes, ultra Civitatem Vratiſlavienſem, & per eam ad alia mercaturæ loca, vicinasque quascunque vrbes negotiandi gratia libere, & ſine quovis impedimento, & gravamine totiens, quotiens opus fuerit, ire, redireque permittemus, Succeſſoresque noſtri permittere debebunt perpetuo, ac in ævum tenore Præſentium mediante, prout, & Sacra Maieſtas Sereniſſimi Principis Domini VLADISLAI Dei Gratia Hungariæ, & Bohemiæ &c. Regis, Domini noſtri gratioſiſſimi Literis ſuis ſpecialibus id ipſum de Nobis fraternæ ſuæ Maieſtati Regiæ Poloniae polliceri, aſſecurareque dignata eſt. Et nihilominus Sereniſſimus praefatus Rex Poloniae, & Suae Maieſtatis Succeſſores in futurum, contra praedictam prohibitionem non facient, neque facient, ſi & in quantum Nos, & Succeſſores noſtri in, & contra ſuam Maieſtatem, & ipſius Dominia, & ſuae Maieſtatis Succeſſores, & ipſorum ſimiliter Dominia taliter ſe conſervaverimus, & geſſerimus, ac conſervaverint, & geſſerint, prout ſe geſſimus, & conſervavimus, & noſtri Praedeceſſores ſe geſſerunt, et conſervaverunt per omnia tempora, usque ad praefatam prohibitionem per ipſum Sereniſſimum Regem Poloniae contra Nos factam, et promulgatam. In cuius rei teſtimonium, et evidentiam praeſentes ſcribi, Sigillique noſtri Civilis Vratiſlavienſis appenſione voluimus communiri. Actum, et Datum Sabbatho ante Dominicam Jubilate. Anno Domini milleſimo quingenteſimo quintodecimo.

## XXIII.

*Relaxatio Edicti contra Vratiſlavienſes lati.* Datum Poſonii die Dominico Conductus Paſchæ. Anno 1515. *Ex Archivo Regni Lib. 20. Num. 21. Fol. 13.*

SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Ruſſiæ, Pruſſiaeque &c. Dominus, et Haeres. Significamus praeſentibus Literis noſtris quorum intereſt vniverſis. Quod quemadmodum ſuperiori tempore Cives, et Incolae civitatis Vratiſlavienſis, ut accepimus, de conſenſu, et conceſſione, Privilegioque ſpeciali fraternae Maieſtatis, videlicet Sereniſſimi Principis Domini VLADISLAI eadem Gratia Hungariae, et Bohemiae etc. Regis, Germani noſtri chariſſimi, tanquam Domini eorum haereditarii Emporium apud ſe in eadem Civitate Vartislavienſi in terminum conſvetum inſtituerant, univerſos ſubditos noſtros cum mercibus, et ſine his undequaque ad ſe venientes ad alia mercaturae loca negotiandi gratia ultra idem Emporium ſuum ire, redireque prohibentes non ſine detrimento, & damno eorundem ſubditorum noſtrorum, ita Nos quoque eisdem Vratiſlavienſibus in Regnum noſtrum, ſubditis vero noſtris Vratiſlaviam ingreſſum, et mutua hincinde commercia, ut ſub pœnis areſti, ita confiſcationis bonorum, ſolenni Edicto noſtro prohibueramus, in præſentiarum tamen ad vota, et interceſſiones eiusdem fraternae Maieſtatis, ipſorumque Vratiſlavienſinm preces diligentes, hoc idem Edictum noſtrum, et prohibitionem huiusmodi relaxandam duximus, et relaxamus praeſentibus, ipſis Vratiſlavienſibus in Dominia noſtra, et ſubdidis noſtris Vratiſlaviam liberum ingreſſum, et mutua hincinde commercia, tam in Dominiis noſtris, quam Vratiſlaviae, et alias ubilibet de novo iterum admittentes, et concedentes, ita tamen, quod ipſi Vratiſlavienſes Emporio ſuo huiusmodi decreto non utantur unquam deinceps, perpetuis temporibus in futurum, quoscunque ſubditos noſtros toties, quoties opus fuerit, ultra Civitatem Vratiſlavienſem, et per eam ad alia quaecunque loca, mercaturae negotiandi gratia libere, et ſine quovis impedimento, vel gravamine ſemper deinde permiſſuri, non aliter, quam antea, et tempore fraternarum Maieſtatum, Sereniſſimorum olim Principum Dominorum JOANNIS ALBERTI, ſucceſſive, et ALEXANDRI Germanorum, et Praedeceſſorum noſtrorum Poloniae Regum, noſtri quoque felicis huius regiminis, usque ad hanc prohibitionem noſtram ſuperius expreſſam, liberum eis fuerat utrinque, ac conſvetum, prout etiam fraterna Maieſtas Hungariae, et Bohemiae etc. Rex, et iuxta, Cives praedicti Vratiſlavienſes Literis ſuis ſpecialibus ſuper praemiſſis omnibus, obſervandum Nos aſſecuraverunt, et propterea omnibus, et ſingulis dictae Civitatis Vratiſlavienſis inibi, et quibusvis incolis ad Regnum noſtrum modo praemiſſo veniendi, mercandi, et redeundi teno-

ANNO 1515.

ANNO 1515. tenore praesentium liberam concedimus facultatem, omnium Officialium, et subditorum nostrorum quovis impedimento, et contradictione nullatenus obstante, ac etiam ipsos praefatos Vratislavienses iuxta praedictam nostram concessionem in futurum conservabimus, et Successores nostri conservabunt, si et in quantum ipsi in Nos, et Dominia nostra se taliter conservaverint, et gesserint, prout se ante praedictam prohibitionem nostram contra eos factam, et antea gesserunt, et conservabant. Harum, quibus Sigillum nostrum subimpressum, testimonio Litterarum. Datum Posonii die Dominico Conductus Paschae. Anno Domini MDXV. Regni vero nostri nono.

*Relatio Magnifici Christophori de Szydlowiec Castellani Sandomirienſis, & R. P. Cancellarii. Tum Siradienſis, Sochaczovienſis, Gostenſisque Capitanei, ac Magni Opatow Domini & Hæredis.*

XXIV.

*Literæ Universales* SIGISMUNDI *Regis super Relaxatione Edicti contra Vratislavienses lati.* Dat. Posonii feria quarta proxima post Festum S. Stanislai. *Ibidem fol. 16.*

Universis, & singulis Capitaneis, Tenutariis, Teloneatoribus, & eorum vices gerentibus, caeterisque subditis nostris per, & intra universum Regnum ubilibet constitutis fidelibus dilectis gratiam Regiam. Fideles dilecti. Innotescimus Vobis ad vota, & instantes intercessiones fraternæ Maiestatis, videlicet Sereniſſimi Principis Domini VLADISLAI eadem Gratia Hungariæ, & Bohemiæ &c. Regis Germani nostri chariſſimi, Edictum nostrum, quo mediante superiori tempore Civibus, & Incolis Civitatis Vratislavienſis propter Emporii eorum institutionem in Civitate Vratislavienſi praefata, de certa scientia, & concessione speciali eiusdem fraternæ Maiestatis, ut accepimus, non sine damno subditorum nostrorum factam in Regnum nostrum, ac etiam subditis nostris Vratislaviam negotiandi gratia hincinde ingressum, mutuaque commercia sub pœnis aresti, & confiscationis bonorum prohibueramus, in praesentiarum Nos relaxasse eisdem Vratislavienſibus, & subditis nostris hincinde tam in Regno nostro, quam Vratislaviæ, vel alias ubilibet ultra eam eadem commercia antehac eis invicem conſveta admittentes, & eo potiſſimum, quia ANNO 1515. ipsi Cives Vratislavienses Emporio suo praefato nunquam deinceps uti debebunt perpetuis temporibus in futurum. Pro tanto mandamus Vobis habere volentes, quatenus eosdem Vratislavienses in Dominiis nostris, nostrosque subditos Vratislaviæ, & ultra eam commercia sua exercere permittatis, iuxta veterem conſvetudinem diutius observatam, & prout tempore fraternarum Maiestatum Sereniſſimorum olim Principum Dominorum JOANNIS ALBERTI, & succeſſive ALEXANDRI Germanorum, et Praedeceſſorum nostrorum, nostri quoque felicis huius regiminis usque ad tempus prohibitionis nostræ huiusmodi, id ipsum fuerat eis utrinque liberum, & conſvetum. Volumus insuper, & mandamus, ut hanc nostram prohibitionis prædictæ relaxationem, in locis ad id conſvetis publicari, & proclamari, ac ad notitiam singulorum, quorum interest, deduci faciatis, secus non facturi pro gratia nostra. Dat. Posonii feria quarta proxima post Festum Sancti Staniſlai, in Anno Domini MDXV. Regni vero nostri nono.

*Commiſſio propria Maiestatis Regiæ.*

*Pacta Sponsalia inter* FRIDERICUM *Ducem Lignicenſem, & Sereniſſimam* ELISABETH SIGISMUNDI I. *Regis Poloniæ Sororem germanam per Oratores inita.* Dat. Cracoviæ die 12. Septemb. Anno 1515. *Ex Originali. Vide Tom. II. Tit. Supplementum Tom. I. Part II. ad Ann. 1515.*

SIGISMUNDI I. *Regis eorundem Pactorum Approbatio.* Dat. Cracoviæ 12. Septemb. *Ex Originali ibidem ad Ann. 1515.*

XXV.

SIGISMUNDI I. *Regis ad Vratislavienses Literæ in negotio Metropolitani Gneſnenſis. Ex Archivo Regni Lib. Legationum ſub Lit. E. fol. 170.*

Petenti, & requirenti Scripta nostra Reverendiſſimo Domino Jo. Archiepiſcopo Gneſnenſi, qui (ut sui debiti est) de statu, & dignitate Vratislavienſis Eccleſiæ sollicitus est, quique eius casus, tam praeteritos, quam praesentes, longo Nobis sermone, & dolenter explicuit, mirati sumus

Anno 1517. tantam ineſſe vobis dulcedinem, cum Perſonis Eccleſiaſticis conflictandi, ut vobis nullo fere tempore cum Clero conveniat, unde etiam alii quidam impotentiores, occaſionem capiunt Eccleſiam vexandi, utrumque ea res habet, quando non ignari ſumus eandem Eccleſiam a Maioribus noſtris inclytis Poloniæ Regibus, & Monarchis conditam eſſe, atque fundatam, tunc, cum Civitas Vratiſlavienſis necdum oppiduli quidem nomen obtineret, ſitque Nobis permoleſtum, vos rebus novis ſtudere, quæ, & odioſæ ſunt, & Eccleſiæ Dei adverſæ, ſub eo præſertim tempore, quo anni Sereniſſimi Principis Domini Ludovici Hungariæ, & Bohemiæ Regis, nepotis noſtri chariſſimi, Domini temporalis veſtri, cuius tutela ad Nos quoque pertinet, plenam, & perfectam ætatem nondum attigerunt. Vos hortandos duximus, & hortamur præſentibus, ut ab huiuſmodi inceptis, vobis ipſis temperare velitis, & per quietem, quam Deus vobis conceſſit, non quærere ſeminaria earum litium, quæ probroſos, & infelices exitus vobis allatura ſunt. Alioquin non poterimus præfati Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi propoſitum, non ſolum probare, ſed ſtudio quoque ipſius, & ſedulitati in defendendis Eccleſiæ Juribus, cuius Nos a Maioribus noſtris Fundatores ſumus, pro Regia noſtra in Eccleſias, & Eccleſiaſticas Perſonas benivolentia non adeſſe. In hoc facietis rem Nobis placitam, vobis vero ipſis non incommodam.

XXVI.

1517. *Eiusdem ad Duces, & Status Sileſiæ de moneta Svidnicenſi. Ibidem fol. 188.*

Illuſtres Principes, & Domini Affines noſtri chariſſimi, ac Magnifici, Generoſi, Nobiles, Famati, ſincere Nobis dilecti. Jam pridem cum nova moneta in Civitate Svidnicenſi cœpta fuit excudi, viſum erat omnibus Conſiliariis, & Regnicolis noſtris in manifeſtum damnum Regni noſtri fieri, quod eadem moneta non ſub Signis ſolitis Sereniſſimi Domini Hungariæ, & Bohemiæ &c. Regis, ſed adinſtar, & tantam ſimilitudinem monetæ noſtræ fieret, ut per ſimplices, & Literarum ignaros nullo modo a noſtra dignoſci poſſit. Quare de communi omnium conſilio illam e Regno noſtro proſcribi fecimus, & publico Edicto capi ab omnibus ſubditis noſtris vetuimus, intelligentes eam, ſi expendi permitteretur, ingens diſpendium Nobis, & noſtris ſubditis allaturam, & proinde poſtulamus a Veſtris DD. Univerſis, ut hanc rem Nobis noxiam ita ſiſtere, & providere velint, quo deinceps moneta ipſa, & non excudatur, & excuſa ad Regnum noſtrum non inferatur, alioquin Nos omnes illos, apud quos reperietur, graviſſimis pœnis affici, ferreque diutius non poterimus, quin viciſſim ſtatuamus aliquid, quo damnum Nobis illatum iis, quorum culpa eſſet, refunderetur, ut Nos commodo Regni noſtri non defuiſſe videremur. Habemus tamen hanc fidem de veſtris DD. quod pro virtute, & benevolentia ſua in Nos, hæc iuſta poſtulata noſtra exequentur. Quæ bene valeant. Anno 1517.

Sigismundi I. *Regis Poloniæ Literæ ad Duces Sileſiæ de Jure ſuo in Regnum Bohemiæ. Vide Tit. Bohemia fol. 29.* 1526.

XXVII.

*Prohibitio commerciorum cum Sileſia. Ex Archivo Regni Lib. 29. Num. 30. fol. 787.* 1527.

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Dominus, & Hæres. Univerſis, & ſingulis Principibus tam Spiritualibus quam Sæcularibus &c. ſincere, & fidelibus Nobis dilectis, Salutem, & Gratiam noſtram Regiam. Sincere & Fideles Dilecti. Manifeſtum vobis, & cuilibet veſtrum facimus per præſentes, quia conſiderantes, ac Nobiſcum reputantes, varias, & multiplices iniurias, et gravamina, quæ ex Sileſia Regno, et ſubditis noſtris inferuntur, præſertim moneta Svidnicenſis, quæ longo tempore in magna copia in Regnum Noſtrum inferebatur, & etiamnum infertur, cum maximo detrimento ſubditorum noſtrorum, et Reipublicæ ipſius Regni noſtri, ad quam prohibendam cum per hoc omne tempus nihil operæ, et ſtudii praetermiſerimus, nec quicquam tamen proficere potuerimus, ac proinde nullum aliud remedium ob eam ipſam monetam ſiſtendam reſtare videtur, quam omne commercium cum ea tota vicinia prohibendum, de Conſilio univerſi Senatus, et inſtantia Regnicolarum noſtrorum inhibitionem, & occluſionem omnium itinerum in Sileſiam non ſolum prorogandam, ſed etiam diligentius cuſtodiendam eſſe decrevimus, ac ut eadem inhibitio, et occluſio, ſuum debitum ſortiatur effectum, vobis omnibus, et ſingulis ſupradictis, cuiuſcunque Ordinis, et conditionis exiſtentibus, ſtrictiſſime mandamus, ut eam inhibitionem, et occluſi-

ANNO 1527. Occlusionem firmissime observetis, ita quod nemo audeat, in Silesiam res, et Merces aliquas, tam grandes, quam exiguas, cuiuscunq; qualitatis fuerint, praeterquam Sal nostrum Regium vehere, et inferre, sed nec ad alias quoque quascunque remotiores partes, easdem res, et merces de Regno nostro per ipsam Silesiam ducere, et Boves etiam ad aliqua alia loca, extra ipsum Regnum nostrum, praeterquam ad ea, quae iam pridem per Nos designata, et per Literas nostras Universales, ante biennium omnibus notificata sunt, pellere quovis modo, prætextu, et colore praesumat, nedum sub amissione ipsorum Boum, merciumque, et rerum, quas contra praesentem Inhibitionem nostram de Regno nostro quispiam duxerit, verum etiam Bonorum suorum omnium confiscatione. Liberum autem esse debet Mercatoribus, aliisque hominibus ex Silesia, & ex aliis extraneis partibus quibuscunque, ad Civitates, & Oppida Regni nostri, ad ea videlicet, ad quæ ab antiquo ire consveverant, cum rebus, & mercibus suis quibuscunque venire, & ibidem emere, aut vendere, resque, & negotiationes suas, ac alias actiones licitas cum nostris subditis exercere, & contra e Regno libere cum Bobus, rebus, & mercibus, solutis datiis, & teloneis debitis exire, subditis vero nostris licebit ad alias Provincias, & Regna, præterquam ad Silesiam res, & merces quascunque de Regno transmittere, & ducere, dum modo per ipsam Silesiam non transmittant, nec duci, aut vehi faciant. Et quia non verentur plurimi hanc prohibitionem, & occlusionem viæ in Silesiam multiplicibus modis transgredi, in contemptum Decretorum, & mandatorum nostrorum, & in pessimum inobedientiæ exemplum, volentes tam Custodes, quam etiam Negotiatores hanc ipsam prohibitionem nostram transgredientes severius coercere, statuimus cum universis Consiliariis, & Terrarum Nuntiis in Generali Conventu Cracovienſi proxime præterito congregatis, quod quicunque deinceps compertus fuerit, eandem prohibitionem nostram transeundo cum mercibus, aut frumentis qualibuscunque in Silesiam ultra fines Regni nostri, transgressus esse, & capite, & Bonis omnibus puniri debet. Qui vero non fuerit in transgrediendo deprehensus, sed vel furtim, vel conniventia Capitaneorum transgressus, & dehinc Domum reversus, si testibus idoneis convictus fuerit, eam transgressionem commisisse, pæna capitis punietur. Si autem quispiam Capitaneorum permiserit aliquem contra ipsam Prohibitionem nostram Silesiam transire, & Capitaneatus sui Officio privari, & alia, quæ Nobis condigna videbitur, animadversione puniri debebit. Si vero fuerit Capitaneus, qui Bona nostra habuerit oppignorata, perdere debebit absque ulla spe veniæ, Summas omnes pecuniarum, quas in ipsis Bonis nostris habuerit inscriptas, eademque Bona ad Nos ipso facto devolvi debebunt. Quodsi Burgrabius, Vicecapitaneus, aut Notarius Capitanei modo supradicto excesserit, & idoneo testimonio convictus fuerit, quod aliquem contra prohibitionem nostram transire in Silesiam permisisset, quovis colore, & prætextu, illum eius Dominus vel evincere, vel ad pænam Capitis, & Bonorum Nobis extradere debebit, atque huic Constitutioni, & Decreto nostro universi homines tam nostri, quam subditorum nostrorum Spiritualium, & Sæcularium subiacebunt, nec quisque exemptus esse debebit. Proinde Vobis locorum Capitaneis, ac Proconsulibus, & Consulibus Civitatum, & Oppidorum severe præcipimus, ut hanc nostram Constitutionem, ac Edictum, ubique in omnibus locis publicis, ad quæ homines frequenter convenire solent, denuntiari, & proclamari faciatis, ne aliquis ignorantiam prætendens, aliquid contra eam Constitutionem nostram committat, & pænas suprascriptas incurrat. Vos vero Capitanei in custodiendis, & perveſtigandis locis omnibus, ac itineribus, ne quis eandem prohibitionem nostram transgrediatur, curam, & diligentiam omnem adhibeatis, & quoscunque offenderitis, vel deprehenderitis in minima quaque re contra hanc prohibitionem nostram excessisse, illius res, & ipsummet capiatis, & usque ad Instructionem, & Documentum nostrum detineatis sub pænis contra Capitaneos, & Officiales negligentes statutis, & pro gratia nostra non aliter facturi. Dat. Cracoviæ Sabbatho proximo ante Dominicam Conductus Paschæ Anno Domini MDXXVII. Regni vero nostri Anno XXI. ANNO 1527.

*Ad Mandatum Regiæ Maiestatis proprium.*

## XXVIII.

SIGISMUNDI I. *Regis Responsum Vratislavienſibus datum, quo eis prohibet, ne Monasterium S. Vincentii in suburbio Vratislavienſi situm demoliri audeant.* 1533. *Ex Archi-*

ANNO 1533. *Archivo Regni Lib. Legationum sub Lit. E. Fol. 354.*

*Famati grati nobis dilecti.*

Accepimus Literas veſtras, quibus Nobis declaratis controverſiam veſtram cum Abbate Monaſterii S. Vincentii, de transferendo ipſo Conventu eius intra mœnia Civitatis, & Monaſterio ipſorum demoliendo, propterea, quod officere defenſioni civitatis deberet, poſtulatisque a Nobis, ut ea bona, quæ hoc ipſum Monaſterium in Regno noſtro habet, nihilominus ad eosdem Monachos, ut prius, pertinerent, & ſpectarent. Nos quidem probamus diligentiam veſtram de providenda civitate veſtra, in his omnium rerum turbis, & diſcriminibus, verum ut hæc proviſio incipi deberet a demoliendis ædibus ſacris, non commendamus. Talia enim fieri non conſueverunt, niſi in extremis, etiam apud Gentiles, nedum apud Chriſtianos, etſi quando id obſervatum eſt, nunc obſervari debet maxime, cum ſatis ſuperque indignationem DEI adverſus Nos provocavimus. Itaque cum hoc Monaſterium Sancti Vincentii ſit a Prædeceſſoribus noſtris fundatum, eoque ſic ſtante fuit Civitas veſtra hactenus ſalva, & incolumis, non cenſemus, neque conſentimus ut adhuc, antequam aliquod evidens periculum immineat, demoliretur, quod ſi aliquod tale diſcrimen inſtaret, ut ita facto opus eſſet, non multum negotii, neque laboris caperet ipſius Monaſterii demolitio. Haec pro virtute & prudentia veſtra expendatis.

XXIX.

1540. SIGISMUNDUS *Rex Conventionem inter Oratores* FERDINANDI *Romanorum Regis, & Conſiliarios Regni Poloniæ de mutuis controverſiis dirimendis factam approbat, promittitque ſe Edictum Prohibitionis itinerum in Hungariam, & Sileſiam antiquaturum, cum damna ſuis ſubditis reſarcita fuerint.* Dat. Cracoviæ 6. Mart. 1540. *Ex Archivo Regni.*

SIGISMUNDUS *D*ei Gratia Rex Poloniæ, Magnus *D*ux Litvaniæ &c. Univerſis, & ſingulis, &c. teſtatum facimus. Quod accepto reſponſo a Nobis Oratores Sereniſſimi *D*omini Romanorum Regis in congreſſum, colloquiumque nonnullorum Regni noſtri Senatorum, & Conſiliariorum venire poſtularunt; quod cum iis de die, deque loco convenire cuperent, ubi ſopiri omnes controverſiæ, & tam Sereniſſimi Domini Romanorum Regis, quam noſtrorum hominum animi tranquillari poſſent. Quam ad rem ſe plenum, & ſufficiens a *S*ereniſſimo Domino Romanorum Rege ſuo mandatum habere affirmabant, quod quidem coram his ipſis Regni noſtri Senatoribus, & Conſiliariis, qui fuerant per Nos deſignati, poſt ea protulerunt, atque ita cum eis conſentientibus animis convenerunt, ut de omnibus iſtis controverſiis, iniuriis, damnis, prædis, rapinis, ſpoliis, quæ utrinque interceſſerunt, cognoſcendi dies præfiniretur proxima ſancti Galli in Civitate noſtra Wſchowa. Quo quidem Sereniſſimus Dominus Romanorum Rex octo Viros, Nos alios totidem cum plena poteſtate mittere debemus, qui Judices agant Commiſſarios, & contentiones dirimant, controverſias diſceptent, damna, iniurias, prædas, rapinas, ſpolia, & cætera id genus incommoda, iuxta eas, quæ datæ ſunt prius Glogoviam inſtructiones, & quæ poſtea dabuntur, ſarciri utcunque curent, & vel amice tranſigant omnia, vel Juris via cognoſcant: ita tamen, ut non tam perſonarum, quam locorum, ubi, vel unde iniuriae factae ſunt, ratio habeatur: ut, ſi quae ſint a quocunque tandem, vel in Hungaria, vel in Sleſia, vel in quibuscunq; locis, quae ſunt Ditiones Sereniſſimi Domini Romanorum Regis, factae noſtris iniuriae, reſarciantur. Similiter Commiſſarii quoque noſtri ſarciri curabunt, ſi quid eiusmodi in Regno noſtro a quocunque factum eſt.

ANNO 1540.

Quod ſi quae cauſae paulo magis difficiles fuerint, quae in eo conventu terminari non poſſint, tum utraque pars ad ſuum Regem referet, quodque inter Nos, & *S*ereniſſimum Dominum Romanorum Regem convenerit, id ratum erit, & firmum, ac utriusq; noſtrum *D*ecreto homines utriusque noſtrum ſtare oportebit.

Haec cum ita eſſent, per omnes Sereniſſimi Domini Romanorum Regis, & Senatores, ac Conſiliarios Regni noſtri tractata, quoniam expedire utriusq; noſtrum hominibus viſa ſunt, atque ad gratiam, concordiam, amicitiam inter eos conciliandam pertinere, libenter ad ea conſenſimus, ac praeterea polliciti ſumus fore, ut deinceps in manu, poteſtateque noſtra, et Senatorum, Conſiliariorumq; noſtrorum antiquatio, ſive relaxatio Edicti noſtri ſit, de non exportandis ex Regno in Hungariam, et Sileſiam per noſtros mercatores, mercibus, neque inde in Regnum noſtrum importandis. Quod ſi plene fuerit hominibus noſtris de damnis, iniuriis, prae-

Anno 1540. praedis, rapinis, ita, ut Commissarii nostri, & Nos Reges constituerimus, satisfactum, tum vero erit voluntas nostra Edicti huius, seu Interdicti inducendi, antiquandi, relaxandi. Sin minus erit ita satisfactum, Edictum hoc nostrum Nos induci nequaquam patiamur. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium hæc scribi, Sigilloque nostro obsignari fecimus. Datum Cracoviæ in Comitiis Generalibus Regni. 5. die mensis Martii, Anno Domini 1540.

*Idem Conventioni prædictæ adscribit Articulum, ut duobus Mensibus ante Conventum Wschovensem utraque pars libellos iniuriarum, & damnorum, ad loca hic designata mittat.*

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniæ etc. Universis, et singulis, quorum interest, planum, testatumque facimus. Quod in his Literis de die, deque loco Conventus, qui proxime habendus est, inter Nos, et Oratores Sereniſſimi Domini Romanorum Regis convenit, oblivione quadam accidit, ut qua de re tam inter illos, quam inter Senatores, et Consiliarios Regni nostri nominatim cautum erat, non adscriberetur illud, quod adscribendum postea curavimus, quod duobus mensibus ante Wschovensem Conventum libelli iniuriarum, et damnorum, quæ data sunt hominibus nostris, in Arcem Sereniſſimi Domini Romanorum Regis Pragensem conscripti mitti debent, ut aliquanto ante sciri possent, qui in Jus vocabuntur. Quibus de rebus causam eos dicere oporteat. Hoc ipsum homines quoque Sereniſſimi Domini Romanorum Regis facere tenebuntur, ut et ipsi duobus ante mensibus, quam in Civitate nostra Wschovensi Conventus hic habebitur, libellos iniuriarum, et damnorum, quæ acceperant, in Arcem nostram Cracoviensem conscriptos mittant. Quo ex nostris quoque hominibus, qui erunt in iudicium vocati, non omnino ad causam dicendam veniant imparati. Hæc etsi in literis illis per oblivionem scripta non sunt, pro eo tamen, ac si scripta essent, haberi voluimus. Quo plus autem fidei tribuatur literis his nostris, signo eas nostro obsignari iussimus. Datum Cracoviæ VI. Martii. Anno Domini 1540.

## XXX.

1557. *Responsum* Ferdinandi *Roman. &c. Regis ad Legationem* Sigismundi Augusti *Regis Poloniæ de rebus, & negotiis Silesiacis. Ex Archivo Regni Lib. sub Lit. P. Fol. 59.* Anno 1557.

Sacra Romanorum, Ungariæ, Bohemiæ, &c. Regia Maiestas, Dominus noster clementissimus, benigne, ac benevole intellexit ea, quæ Sereniſſimi ac Potentissimi Principis Domini, Domini Sigismundi Augusti Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, ac Russiæ, Prussiæ, Filii, & Consangvinei Maiestatis suæ chariſſimi nomine, Reverendus Dominus Martinus Cromerus, Canonicus Cracovienſis, Serenitatis suæ Secretarius, & Orator, tum verbo, tum scripto, de rebus, & negotiis Silesicis proposuit. Cumque huiusmodi omnia ad utriusque Regnorum, & subditorum commoda inprimis spectare videantur, nihil aliud æque exoptat Regia eius Maiestas, quam ut omnes mutuæ controversiæ inter Silesios, & Polonos amicabiliter componantur, seu, iure mediante, dirimantur. Quod ut eo citius, & facilius fieri possit, Maiestas Eius Regia præfato Oratori mentem, & voluntatem suam in hunc, qui sequitur, modum, declarandam duxit.

Et quantum ad primum articulum de controversiis finium, ultro, citroque tam inter Silesios, quam inter Polonos, arbitratur quoque Eius Maiestas Regia, ut futura æstate Conventus Commissariorum duplices instituantur, alter de finibus regundis, simulque disceptandis iis iniuriis, quæ non nisi in re præsente recte diiudicari possunt, sed tamen ut is potestatem habeat amice componendi, iuridice definiendi controversias finium, atque etiam iniurias circa controversos fines utrinque exortas. Alter vero generalis, & principalior de caeteris omnibus, de quibus hactenus aliqua fuit controversia, tam inter Regnum Poloniæ, quam inter Ducatum Silesiæ, atque ut is præterea possit, si supradicti Commissarii limitum de ferenda sententia, sive interloquutoria, sive difinitiva, discrepent, toties, quoties opus fuerit, sententia sua, quæ iuri, & æquitati consona videbitur, litem absolvere, & de tractandæ concordiæ modo cognoscere.

Tempus vero idoneum, quo utrinque Commissariorum Conventus conveniant, præfigendum esse eius Maiestati videtur, Festum S. Viti proxime futurum, quæ erit quindecima Mensis Junii.

Cumque Silesia Poloniam quinque tractibus attingat, annuit Maiestas Eius Regia Serenitati Regis Poloniæ, ut quinque locis diversis eodem tempore Commissarii deputentur, ita, quod ad quemlibet

ANNO 1557. iſtorum tractuum, tres ex Polonis, & tres ex Sileſiis Commiſſarii ad ſupra dictas controverſias determinandas conſtituantur, in quibus vero locis iidem Commiſſarii convenire, ac incipere, & functionem ſuam finire debeant, Regia Eius Maieſtas hoc in Sereniſſimum Dominum Regem Poloniæ, & Epiſcopum Vratiſlavienſem, ut de eo ſimul conveniant, reiicit.

Alter vero principalior Conventus, ac Generalis inſtituatur in eo loco, quem antiqua conſvetudo, & acta præſcribunt. Accommodatior tamen videtur locus oppidum Wſchowa.

Cæterum, ut tanto maiori cum fructu prædicti Commiſſarii, negotia eis commiſſa tractare, & ad optatum finem deducere poſſint, Maieſtas Eius Regia, ad abſolvendas huiusmodi controverſias, adprime utile fore exiſtimat, ut quilibet Commiſſariorum calleat latinum, Bohemicum, vel Polonicum idioma, aut alterum ex illis, utque æqualis numerus Equitum in quolibet Diſtrictu perluſtrandorum finium conſtituatur, de quo tamen numero conſtituendo Maieſtas Eius Regia Epiſcopo Vratiſlavienſi committet, ut de eo cum Sereniſſimo Domino Rege Poloniæ concordet.

Quodſi vero aliquis Commiſſariorum legitima cauſa impeditus abfuerit, exiſtimat Maieſtas Eius Regia, ut Collegæ Eius alium ſubdelegent, qui par ſit conditione, atque dignitate illius, cui ſubdelegatur. Sic videtur Eius Maieſtati Regiæ, ut querelæ, & controverſiæ, quæ in futuris Conventibus Commiſſariorum definiri debebunt, ad minus ſex ſeptimanis ante diem Conventus, e Polonia quidem ad ſupremum Capitaneum Sileſiæ, Epiſcopum Vratiſlavienſem, e Sileſia vero ad Capitaneum, & Arcem Cracovienſem duplicatæ transmittantur, cum inſertis cauſis earum querelarum. Adſcribatur quoque: ex quo Palatinatu, vel Territorio ſit is, contra quem querela exhibetur. Suffragia Commiſſariorum, alternatim ferenda eſſe, arbitratur Maieſtas Eius Regia. Quodque ad terminos motos pertinet, ut reſtituantur, tranſgreſſores vero iuxta legis normam præſcriptam puniantur. Putat quoque Eius Maieſtas, concordandum eſſe de forma iuramenti teſtium, ne convenientibus Commiſſariis, prolixior deſuper diſputatio ſuboriatur. Inſolita vero cum ſit, ac magno cum periculo conſvetudo, in aliquibus Regionibus, in finibus regundis teſtium producendorum ratio, teſtes enim contra iuris communis diſpoſitionem in alterius iurant animam, arbitratur Eius Maieſtas Regia conſultius eſſe, ut propter commune bonum, & utilitatem iuris Communis forma obſervetur. ANNO 1557.

Quantum ad ſecundum Articulum de libertate commerciorum, clementer etiam Maieſtas Regia intellexit, prætendere Cracovienſes Privilegium quoddam antiquum, in quo Sereniſſimus Dominus Rex Poloniæ tum Cracovienſibus, tum Poſnanienſibus, non cognita cauſa, cum hactenus Vratiſlavienſes nullam hac de re litem, & actionem moviſſent, nihil quicquam denegare potuiſſet. Paratos autem fuiſſe, & eſſe Cracovienſes, & Poſnanienſes, etiamnum ea de re ſuſcipere iudicium Regis ſui, ſecundum præſcripta Pactorum publicorum, & ſui Privilegii, ſed neminem hactenus extitiſſe, qui ſubditis Regis Poloniæ litem intentaſſet. Permoleſtum quoque eſſe ſubditis Regni Poloniæ, quod ipſi Urbem Viennenſem, & in Hungaria Caſſoviam cum mercibus ſuis transgredi non permittantur.

Maieſtas Eius Regia benigne in memoria habet, quid in Pactis, atque Fœderibus de libertate Commerciorum cautum ſit, eo ſcilicet in loco, & articulo. *Volumus præterea vias, & flumina publica, nec non commercia, & negotiationes mutuas per Regna, & Provincias noſtras, omnibus, & ſingulis Regnicolis, Provincialibus, & ſubditis noſtris, tam terra, quam aqua, utrinque libera eſſe, nec ullis unquam interdictis, arreſtationibus, ſeu repreſſaliorum conceſſionibus impediri, ſed utriusque noſtrum ſubditos in alterius Regnis, ac Dominiis, libero tranſitu, & fide publica (quem Salvum Conductum vocant) non minus, quam proprios cuiusquam ſubditos, gaudere, ac frui poſſe, & debere &c.* Ex quo liquet, quam clare, & aperte, libertas commerciorum in Pactis, & Fœderibus contineatur, quæ etiam de novo, ab alterutra parte labefactari debere non videntur. Nec videtur Cracovienſes prætenſo ſuo Privilegio aliquatenus iuvari poſſe, cum illud tam antiquum eſſe non credatur, ut Pactis Conventis derogare valeat, quin etiam ſi antiquum eſſet, quod nihilominus per non uſum iam pridem amiſſum denuo eſſet. Et ut maxime tale aliquod Privilegium haberent, per quod eis vis deponendarum mercium competere poſſe videretur, fide digna tamen relatione intelligitur, illud non aliter, niſi cum illa exceptione expreſſa conceſſum eſſe, quod extraneis mercatoribus libere liceat recta via merces ſuas Lublinum, Sandomiriumque convehere. Unde neceſſario infertur, quod, etiamſi tale Privilegium Cracovienſes habuiſſent, nihilominus eo ſemetipſos indignos feciſſent, & privaſ-

ANNO 1575 privassent, quod eodem privilegio abutentes, extraneos mercatores, præsertim vero Maiestatis Eius Regiæ subditos Vratislavienses, prætextu eiusdem, neque Lublinum, neque Sandomirium, cum mercibus suis proficisci permiserunt. Quod vero Cracovienses exemplo Viennensium libertatem commerciorum probare volunt, longe diversa est ratio. Constat enim Vienensium Privilegium esse antiquissimum, & eos secundum illius tenorem ab immemorabili tempore semper fuisse, in quieta quasi possessione, & usu. At Cracovienses contra Fœdera, & Pacta inita denuo conatos fuisse, tale ius deponendarum mercium introducere. Eoq; longe durius, & severius contra Maiestatis suæ Regiæ subditos uti, quam in ullo alio loco, taliter privilegiato, fieri soleat. Maiestas enim eius Regia suorum querimoniis frequenter edocetur, quod Vratislaviensibus, non solum magna iniuria Cracoviæ in mercibus illorum consignandis, & occludendis inferatur, sed etiam Lublinum proficisci, quod per viginti milliaria a Cracovia distat, ex mera quadam invidia prohiberi asseruntur. Posnanii, & Calissii quoque merces suas per totum octiduum deponere (ut dicitur) coguntur. Quin etiam Maiestati eius refertur, quod extra nundinas solennes subditis Maiestatis eius, neque in parva, neque in magna quantitate, mercaturam exercere, mercesque suas divendere permittatur, quod non solum Viennæ extraneis etiam mercatoribus, saltem in magna quantitate, concedituir, verum etiam, exceptis suæ Maiestatis subditis, præsertim Silesiis, aliisque diversarum nationum hominibus, ut Turcis, Tartaris, Armenis, Judaeis, etiam Cracoviæ, liberum esse affirmatur.

Quod quidem cum nedum Pactis Conventis, verum etiam bonæ vicinitatis Juribus conservandis parum idoneum videatur, Maiestas Eius Regia plane confidit, quod citra mentem, & voluntatem Serenissimi Domini Regis Poloniæ, Filii, & Consangvinei Maiestatis suæ charissimi hactenus acciderit. Et quod Serenitas Eius de istis clarius edocta, pro singulari erga Maiestatem eius observantia filiali, amice, & benovole assensura, & curatura sit, ut vel Cracovienses ab hoc suo instituto protinus discedant, vel si citra Juris dispositionem ab eo dimoveri non possent, controversia huiusmodi per Deputatos utriusque Regis Commissarios ex æquo, & bono, fine debito determinetur. Ac interim executio prætensi Privilegii Cracovienssium, Posnanienssium, & Calissienssium contra transgressores ad tempus usque concordiæ, vel declarationis Commissariorum, differatur. ANNO 1557.

In quo quidem eius Serenitas Regia, Eius Regiæ Maiestati rem pergratam, & Regiæ eius Celsitudini dignam, est factura. Quam etiam Maiestas eius Regia omni Paterna sua benevolentia, & amicitiæ genere diligenter recompensare studebit.

## XXXI.

CAROLI *Archiducis Austriæ ad Archiepiscopum Gnesnensem, Metropolitanum suum Literæ, quibus Episcopatum Vratislaviensem tutelari patrocinio Regis Poloniæ commendat, suggeritque, ut is Feuda Ducum Silesiæ in suam redigat potestatem.* Dat. Nissiæ 14. Augusti 1619. *Ex Authentico.* 1619.

*Illustrissime, & Reverendissime Domine: Amice charissime.*

Provocavit Nos Reverendissimam Dominationem Vestram hisce temporibus compellare Literis, tum ea, quam sedi Metropolitanæ antiquitus debemus, connexio, tum Reverendissimæ Dominationis Vestræ, quam ex Generosissimo, Magnifico, fideliter Nobis dilecto, Sigismundo Opacki de Opaca, Regiæ Poloniæ, & Sveciæ Maiestatis, & Dilectionis Camerario, & supremo stabuli Præfecto, nec non nostro Camerario, uberrime accepimus, pia, & paterna prorsus erga afflictam Ecclesiam nostram sollicitudo. Experimur etenim, quanta industria hostes Religionis Catholicæ, ad Nos opprimendum sese coniungant, nec Nos ad propulsandum alia methodo potentius accingi arbitramur, nisi ea, quam superna unitas cunabulis Episcopatus nostri Vratislaviensis primitus indiderat, cuniunctione vicissim coalescentes; quam in rem sedulo, & antiquioribus incumbemus curis. Præterea censemus Reverendissimam Domin. Vest. abunde perspexisse, quo in discrimine Ecclesia nostra Vratislaviensis, quinimo totus, qui supersest, Catholicus status, calamitoso hoc furiarum hæreticarum sæculo volutetur: & quemadmodum virus pestilentissimum seditionis, & persecutionis ad funestam Catholicorum exstirpationem dietim gravius serpat, et invalescat; non adeo, quod diversos ritus a nostratibus sectari studeant; sed magis, ut illius rei prætextu, ad bona Ecclesiastica aditum sibi parent, ea diripiant, rem suam per illa augeant, atque hanc Patriam, quæ olim

ANNO 1619. olim pro Romana Ecclesia sæpe arma contra Hussitas induit, adflictent, confundant, gravissimaque ruina involvant. Incredibile enim est, quanta insania Principes, præsertim huius Provinciæ, in Bohemiæ Religionis tendiculas prolabantur: in perniciem Regis Serenissimi, et eversionem Catholicæ Religionis coniurent; Articulos vere sacrilegos, quibus Magistratum tam Ecclesiasticum, quam Sæcularem, obruere gestiunt, unanimi suffragio constituant, quemadmodum Reverendissima Dominatio vestra ex incluso Conclusionum Bohemicarum exemplo fusius intelliget, et nisi Christianorum Regum, ac Principum potentia comprimatur, brevi futurum est, ut nulla sit subditorum erga Principes, et Antistites obedientia, nullus ordo, nulla superioritas, nulla religio, nisi quam pessimus quisque libidine sui animi susceperit. Quæ clades finibus nostris adeo vix coercebitur, quin etiam ad vicinum Poloniæ exuberet, atque erumpat Regnum. Cui ut pestifero, ita communi malo, extrema hac rerum vicissitudine aliunde facilius, & latius occurri non posse videmus, quam ex tutelari patrocinio contermini Poloniæ Regni: Inde etenim orbata nostra Ecclesia defensionem Jure quasi suo petit, unde olim fundationem accepit, nec fieri posse autumat, ut mater filiæ suæ oblivisci, multominus eidem deesse unquam possit. Qua fiducia in Reverendissima Dominatione Vestra innixi, consilium, quod sese rebus sic afflictis insinuat, eidem exponere, trutinæque, & censuræ eius porrigere duximus. Duces, & Magistratus, qui non tam imitatores, quam authores turbarum Bohemicarum contra Regem suum sese exhibent, per feloniam commissam, ut vasalli omnibus suis feudis de iure exciderunt: Executio duntaxat desideratur, quæ non in congruo forsitan possit contingere modo. Conclusum est proxima Vratislavienſi Dieta, confinia Silesiæ, Regno Poloniæ contermina, omni ex parte fossis, & fortificationibus circumdare, est autem circa huiusmodi quæstiones finium talis confusio, ut undiquaque in lite, & incerto consistant, adeo ut nullo in loco, absque controversia & læsione finitimi fundi, id ipsum effici valeat. Quo quidem ex opere, veluti novo, & suspecto, non modo inclytum Poloniæ Regnum iniuriam allegare, verum etiam illi, qui in limine Regni habitant, de fundorum suorum dispendio, iustam querelam, & gravamen depromere possent, sub hac ansa; si Serenissimus Rex FERDINANDUS, cum offensis illis Regni Poloniæ Incolis, vel certe aliis, qui ad hoc negotium aptiores esse videantur, irruptiones in possessiones Principum conterminas pro executione, ea committeret lege, ut viribus, & sumtibus suis, feuda, iuris, & facti dispositione caduca reciperent, & tamdiu eadem (subiectione tamen Regi FERDINANDO salva) usurparent, quoadusque refusionem cum lucro inde excipere, & reportare possent. Super quo quidem, antequam cum Serenissimo Fratre nostro FERDINANDO, ea de re quicquam communicemus, nobis prius Reverendissimae Dominationis Vestrae implorandum duximus, & prudens consilium, & præsens auxilium. Præterea Reverendissimam Dominationem Vestram enixe rogamus, ut ea, qua plurimum pollet, & potest, authoritate, immo celebri suo in protegendo divino cultu fervore, & in Ecclesiam nostram, iam iam præcipitatam, patrocinio, Serenissimum SIGISMUNDUM III. Regem Poloniæ, & Sveciæ, Magnum Ducem Litvaniæ, Russiæ, &c. Dominum Affinem, & Patrem nostrum observandissimum, & disponere & cohortari non intermittat, ut sua Maiestas Regia Regno suo appropinquantem, & iam minitantem tam ingentem Christianæ Religionis cladem grassari, & tam pia avorum suorum ad æternam Dei gloriam a stirpe fundata sacraria, possessiones, & bona a religiosissimis Principibus, locis sanctis, & personis Ecclesiasticis collata, nefandis applicari, & misere distrahi profanationibus non concedat: quin potius pro Regia Sua Virtute, omni quo possit, studio adniti dignetur, ut in causa Religionis, periculum maxime ad eandem pertinens, brachio, & viribus suis, quibus ad defendendam Ecclesiæ salutem, cum inclytis Regni sui Optimatibus a Deo præ aliis mundi Rectoribus cumulatissime adaucta existit, mature succurrat: Serenisimam Domum nostram unicam in hisce partibus Religionis Catholicæ, *pro ea, quæ ad Serenissimam Poloniæ progeniem redundat, Successione*, Hæreditariis Regnis, & Dominiis, ob causam Dei, tam turpiter & immerito exui non admittat. Nos vicissim hoc, non modo erga Maiestatem suam Regiam, verum etiam erga Reverendissimam Dominationem vestram, cui omne, quidquid inde in effectu boni in communem Religionis causam derivabitur, gratum, & acceptum feremus, cum tota Serenisima Familia nostra omni, quo par est studio, & officio rependere enitemur. Datum in Civitate Residentiæ nostræ Episcopalis Nyssæ, 14. Augusti. Anno 1619.

ANNO 1619.

XXXII.

ANNO 1652. XXXII.

*Commissariorum* FERDINANDI III. *Imp. Literæ, quibus testantur se accepisse a* JOANNE CASIMIRO *Rege Poloniæ summam undecies centum millium florenorum Rhenensium pro Ducatibus Opoliensi, & Ratiboriensi.* Dat. Vratislaviæ 15. Januar. An. 1652. *Ex Archivo Regni Lib. 164. Num. 165. fol. 16.*

JOANNES CASIMIRUS *Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. Significamus &c. Oblatas esse ad Acta Cancellariæ nostræ Minoris Regni per manus Venerabilis Stanislai Sarnowski Abbatis Suleiovienſis, Præpositi Varsavienſis, Canonici Cracovienſis, Secretarii nostri, Literas infrascriptas Præsidis, & constitutorum Consiliariorum Cameræ Superioris, & Inferioris Silesiæ, manibus Horatii Phorno, Julii Ferdinandi L. Baronis de Jaroshyn, Gotfredi a Sbisch, Mich. Velli de Salhausen, Joannis Ludovici a Friessen, Joannis Fluske subscriptas, sanas, salvas, illæsas, omnique suspicionis nota carentes, & Sigillo appenso Sacræ Cæsareæ Maiestatis munitas; quarum Literarum tenor de verbo ad verbum sequitur, estque talis.* Sacræ Romanæ Cæsareæ, Hungariæ, Bohemiæ, Regiæque Maiestatis Domini, Domini FERDINANDI III. clementissimi Domini nostri Nos N. N. Præses, et constituti Consiliarii Cameræ Superioris, et Inferioris Silesiae, tenore praesentium recognoscimus, fatemur, et notum facimus, quibus expedit Universis, ac singulis. Quandoquidem praememorata Sacra Caesarea Maiestas Serenissimo, et Potentissimo quondam Domino, Domino VLADISLAO IV. Poloniae, et Sveciae, Gottorum, Vandalorumque Regi, Magno Duci Litvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniae, Smolenſciae, et Czernichoviae etc. tutorio nomine filii sui dilectissimi, Serenissimi piae memoriae Principis SIGISMUNDI CASIMIRI Poloniae, et Sveciae Principis, vigore Contractus inter Plenipotentes earundem Maiestatum, Dominorum Principum, Principalium suorum Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto die nona Mensis Maii initi, ac deinceps per antedictas Sacras Caesaream, Regiasque Maiestates ipsasmet de dato Viennae, et Varsoviae trigesima eiusdem Mensis Maii, et anni millesimi sexcentesimi quadragesimi quinti pleniſſime roborati, Ducatus Opolienſem, et Ratiborienſem pro undecies centum millibus florenorum Rhenensium cum omnibus Juribus, quibus praedicta Sacra Caesarea Maiestas veluti particularis in Silesia Princeps illos habuit, tenuit, possedit, et uti fruitus est, ad spatium quinquaginta annorum (prout haec omnia expressius in praenominato Contractu continentur) Jure hypotecario, et antichraeseos reali, et actuali possessione tradendos iudicavit, iique Ducatus Opolienſis, et Ratiborienſis etiam die trigesima Mensis Maii Anni memorati millesimi sexcentesimi quadragesimi quinti realiter, & actualiter per suos Sacræ Maiestatis Plenipotentes traditi sunt, Sacra vero Regia Maiestas Poloniæ ad persolvenda illa undecies centum millia florenorum Rhenensium inprimis Summam illam quingentorum millium florenorum Rhenensium per dictam Sacram Cæsaream Maiestatem, ratione Dotium Sereniſſimarum olim Poloniæ, & Sveciæ Reginarum ANNÆ, & CONSTANTIÆ Amitarum, tum quoque CÆCILIÆ Renatæ Sororis germanæ dictæ Sacræ Cæsareæ, Regiæque Maiestatis, nec non certam Summam pecuniarum per Sereniſſimum, Potentiſſimum, & Invictiſſimum divæ memoriæ Parentem dictæ Sacræ Cæsareæ Maiestatis mutuo, videlicet in specie centum millium Ducatorum Hungaricalium acceptorum, super Civitatem, ac totum Dominium Wittingat (alias Trebonium) in Regno Bohemiæ situm, legitime assignatam, inscriptam, & assecuratam ad hos prætactos Ducatus Opolienſem, & Ratiborienſem rite, & omnimodo transportavit, ac devolvit, suoque Juri, quod super Civitatem, ac totum Dominium Wittingat, ratione Summæ antedictæ habuit (prout vigore supramemorati Contractus expresse conventum, & cautum est) renuntiavit, cessit, Reversalibus cavit, ac omnia Instrumenta dictam hypotecam Trebonenſem concernentia restituit. Deinde præter hanc quingentorum millium florenorum Rhenensium sic in prædictos Ducatus Opolienſem, & Ratiborienſem transportatam, ac devolutam Summam, Sac. Reg. Maiestas Poloniæ, aliam Summam, scilicet ducentorum millium Ducatorum, seu aureorum Hungaricalium, qui in valore currente efficiunt, sexies centum millia floren. Rhenensium, ad sæpedictæ Sacræ Cæsareæ Maiestatis quæstoratum Vratislavienſem, videlicet in specie Ducatorum, seu aureorum Hungaricalium quinquaginta millia, centum, & sexaginta octo, in specie Imperialium talerorum centies nonaginta unum mille, centum, & octuaginta, in specie grossorum argenteorum, quinquaginta tria millia quadringentos, & triginta unum flo-

Anno 1652. renum Rhenenſem, & in moneta Provinciæ valida, centies novem millia ducentos nonaginta quinque florenos Rhenenſes, diverſis vicibus per ſuos Plenipotentes enumeravit, adeoque ut circa haec, quaecunque a parte Sacrae Regiae Maieſtatis Poloniae ſaepius memorato Contractu Sacrae Caeſareae, Regiaeq; Maieſtati ratione exolutionis praeſtanda erant, omnibus, & ſingulis ſit factum ſatis, nihilque amplius ſolvendum, & faciendum ſuperſit. Quapropter omnes, & ſingulos quorum intereſt, aut intereſſe poteſt ratione Summae illius ſexies centum millium florenorum Rhenenſium in praedictis ſpeciebus enumeratorum ſimul, ac illarum Summarum ex Wittingatt, ſeu Trebonio ſuper Ducatus Opolienſem, & Ratiborienſem vigore multoties denominati Contractus tranſportatarum devolutarum, & paulo ante ſpecificatarum, quae ſimul ſumptae in univerſum faciunt undecies centum millium florenorum Rhenenſium nomine dictae Sacrae Caeſareae, Regiaeque Maieſtatis ex Mandato, & poteſtate ab eadem Sacra Caeiarea Regiaque Maieſtate Nobis ſpecialiter datis legitime, ſufficientiſſime, & in optima, qua fieri ſoleat, & debeat, Juris forma quietamus, & ſecuramus. In quorum fidem hanc quittanciam praedictae Sacrae Cæſareæ, Regiaeq; Maieſtatis Sigillo Nobis clementiſſime concredito corroboravimus, eamque manibus propriis ſubſcripſimus. Data in Arce Caeſarea, ac Regia Vratiſlavienſi die decima quinta Menſis Januarii Anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi ſecundi.

*Horatius Forno ex Commiſſione Sacræ Cæſareæ Regiæ Maieſtatis propria.*

*Julius Ferdinandus L. Baro de Jaroſkin.*

*Godefredus a Sebiſch.*

*Mich. Velli de Salhauſen.*

*Joannes Ludovicus a Trieſſen, manu propria.*

*Joannes Flueſke manu propria.*

*Sigillum in funiculo cæruleo ſericeo Penſile.*

*Quas quidem Literas ad Acta præſentia ſuſcipi, iisque inſeri mandavimus. In quorum fidem &c. Actum Varſaviæ Sabbatho intra octavas Feſti Sacratiſſimi Corporis Chriſti Domini Anno eiusdem 1655.*

# POMERANIA.

Anno 1343.

## I.

BOGUSLAI, BARNINI, WARCISLAI *Ducum Pomeraniæ Pactum cum* CASIMIRO *Rege Poloniæ, quo* BOGUSLAUS *propter ſpem connubii cum* ELISABETHA CASIMIRI *Filia, promittit ſe cum quadringentis Galeatis Regi contra quoſvis hoſtes præſto futurum.* Dat. & Act. Poſnaniæ die 28. Febr. An. 1343. *Ex Originali Sigil. 12.*

*In Nomine Domini Amen.*

NOs BUGGEZLAUS, BARNYM, & WAREZLAUS Dei Gratia *Duces* Stetinenſes, Slaviæ, Caſſubiorum, & Pomeraniæ, Principesque Ruianorum univerſis, ad quorum notitiam præſens Scriptum pervenerit, notum eſſe cupimus, lucidius proteſtantes, quod Nos accedente pleno conſenſu Matris noſtræ chariſſimæ, Dominæ ELISABETH, & habito noſtrorum fidelium maturo conſilio, pluribus ipſorum curſibus tranſactis, cum Illuſtri Principe Domino KAZIMIRO Magnifico Rege Poloniæ Nobis dilecto, ſinceris affectibus etiam Contractum amicitiæ deſideravimus conformare. Hunc autem, ut certis indiciis firmum, experti eundem Dominum noſtrum Regem eſſe ad noſtra deſideria inclinatum, volentem Filiam ſuam ELIABETH Illuſtrem, Nobis BUGGEZLAO Duci præfato matrimonialiter more Regio deſponſare, ortu Puellam Regiam, ex Gratia Dei cordis deſiderio legitime Nobis habere elegimus in Uxorem, ipſum autem Dominum noſtrum Regem exnunc in Patrem Nobis chariſſimum acceptamus, cui ſubiectione filiali temporibus noſtræ vitæ in ſingulis volumus ſolempniter obedire, promittimus igitur per Præſentes, ſincere data noſtra fide, eidem Domino noſtro Regi fideliter aſſiſtere, & eundem conſilio, auxilio, & favore cum quadringentis Galeatis bonorum armatorum quibuslibet occaſionibus, & dilationibus poſteritatis, velut Patrem filios contra quemlibet hominem, & perſonam, & ſpecialiter contra Cruciferos de Domo Teutonica, quoad uſque vixerimus, adiuvare, quotiens, & quandocunque per ipſum Dominum Regem, ſeu per Literas ſuas, vel eius certos Nuntios a die Nobis notificationis, infra quatuor ſeptimanas ſequentes fuerimus requiſiti, quod per eum etiam Nobis impendi cupimus viceverſa, ſed quod Nos aliquem homi-

ANNO 1343. hominem parvum, vel magnum, cuiuscunque honoris, religionis, conditionis, aut ſtatus exiſtat, per Terras, & locos noſtræ Ditioni ſubiectos verſus Cruciferos prædictos contra præfatum Dominum Regem, aut ſuos Coadiutores tranſire aliquomodo permittemus, & ut in hoc ſubſidio faciendo iſta ordinatio clarior appareret, promittimus, quod, quandocunque idem Dominus Rex, vel ipſius Exercitus Nobis tranſiens in auxilium, intraverit metas Terrarum noſtrarum, ipſi Domino Regi, & Exercitui eius de expenſis curabimus providere, quod ipſum Nobis per prænominatum Dominum Regem æquanimiter cupimus obſervari. In Terris vero inimicorum ſibi quilibet provideat de expenſis. Demum ex quo adiuvante Domino Caſtra, vel Civitates, acquiſierimus ſub inimicis, ea communiter, vel diviſim, ad cuiuscunque Dominium ex noſtris pertinuerunt ab antiquo, ad eundem revertantur. Sin autem ad nullum a principio pertinuerint, tunc inter Nos utrinque iuxta multitudinem Exercitus prius expreſſam, dividantur, aut unus ex Nobis data alteri portione pecuniali ea ipſe communiter, vel diviſim obtinebit. Nihilominus autem de Dotis qualitate hoc volumus firmiter obſervare, quod, quandocunque prædicta Filia ELISABETH Regia, Nobis actualiter fuerit deſponſata, extunc eidem, aut per eam Nuntio ſuper hoc deputato ſpecialiter in terris, reditibus, civitatibus, teloneis, caſtris, & villis duorum millium ſexagenarum latorum groſſorum Pragenſium, ſexaginta groſſos pro qualibet ſexagena computando, reditus puri, & examinati argenti, in Terris noſtris Pomeraniæ, cauſa Dotis propter Nuptias dabimus temporibus vitæ ſuæ poſſidere. Quos quidem reditus, ſi in ipſa Terra Pomeraniæ plenarie monſtrare nequiverimus, in alia noſtra Terra viciniori ipſi Pomeraniæ, dare, & aſſignare curabimus bona fide, dolo, & fraude ſemotis, in terris, reditibus, civitatibus, teloneis, caſtris, & villis, ac eandem Conſortem noſtram chariſſimam immittere, poſſidere, & percipere cum utilitatibus, fructibus, & proventibus univerſis, & tot eosdem reditus, civitates, caſtra, aut villas cauſa Dotis, ut ſupra præmittitur, aſſignatas. Nos, & Fratres noſtri BARNIM cum noſtra Conſorte prædicta dividere. Qui Fratres noſtri prænominati ad hoc faciendum ſpecialem conſenſum præbuerunt, ſe in Præſentibus ſponte, & libere ſubmiſerunt. Etſi humanitus aliquid in Nobis continget divina permiſſione, prædicta Filia Domini Regis ELISABETH Conſors noſtra chariſſima, quocunque voluerit, cum iisdem duobus millibus ſexagenarum reditibus groſſorum Pragenſium prædictorum, in quibuscunque Civitatibus, Caſtris, Teloneis, & Villis fuerint aſſignati, & prout ei placuerit dividere, eandem etiam Conſortem noſtram, ut eſt naturale, ex quo continget prius, quam Nos decedere, prædicti omnes reditus ad Nos, & ad noſtros Fratres, & eorum Hæredes redeant iurisdictione cuiuslibet non obſtante, cum Duces Fratres noſtri ſuperius nominati, ſi aliquid in Nobis, ut præmittitur, prius, quam de ipſa humanitus contingeret evenire, aut eorum Hæredes redimere a prædicta noſtra Conſorte Terram prætactam decreverint, & non ante habere, niſi datis viginti millibus ſexagenarum groſſorum Pragenſium latorum nomine Dotis noſtræ Conſorti prædictæ, de Terra eadem, & reditibus incunctanter, & non aliter, quod cum eadem pecunia viginti millibus ſexagenarum groſſorum prænominatorum, ipſam cum prædicta pecunia in propriis dampnis, & expenſis in locum, ubi eidem Conſorti noſtræ tutius, et ſecurius videbitur expedire, conducere teneantur. Præterea in primo ingreſſu præmiſſæ noſtræ Conſortis in Terram, pro nunc eiusdem Terræ Nobiles, Cives Civitatum, et Incolæ univerſi debitum fidelitatis omagium eidem, aut ſuo Nuntio ſpecialiter ſuper hoc deputato præſtabunt, iuramento de obedientia, reverentia, & honore obſervandis ſpecialiter ſe aſtringendo. Hæc autem omnia, & ſingula ipſi Domino Regi, & noſtræ Conſorti ELISABETH data fide noſtra Sacroſanctis Evangeliis manu tactis promittimus adimplere, & firmiter obſervare, quam amicitia ſic ſolempniter ordinatam, prout in omnibus ſuis clauſulis ſuperius continetur, Nos BARNYM, & WARZLAUS ſub eodem iuramento bona fide, dolo, & fraude ceſſantibus, ratam, & gratam habentes, plenarie promittimus firmiter, & inviolabiliter obſervare. In quorum omnium evidentiam pleniorem Sigillorum munimine Illuſtris Dominae ELISABETH Matris noſtrae chariſſimae, ac noſtris, noſtrorumque Nobilium Heningi de Pudebzk, Ulrici de Dewitz, & Filii ſui Erhardi, Sigfridi, Ludonis, Nicolai Troyen, Rudolphi de Hwuenkarchen, & Rudolphi Patrui, qui eiusdem cognominis, Jeſko de Slawa militum, Bertoldi Praepoſiti in Borgin, Bernhardi Lubersdorff noſtrorum Capellanorum: Arnoldi de Oſta, Henrici Bobelin Marſchalci, Nicolai Konlner, Laurentii filii Jeſconis de Slawa, fecimus communiri. Actum, & Datum Poſnaniae Anno Domini milleſimo

ANNO 1343.

ANNO trecenteſimo quadrageſimo tertio in die 1390. S. Mathiae Apoſtoli.

II.

WARCISLAUS *Dux Pomeraniæ recognoſcit ſe præſtitiſſe Homagium, & fidelitatis Juramentum* VLADISLAO *Regi, & Regno Poloniæ, ſpondetque pro* BOGUSLAO *Fratre, nec non pro* BARNINO *tertio Fratre ſuo, ſi ad ſacros Ordines promotus non fuerit, eos idem Homagium, prout debent, & tenentur, facturos.* Dat. in Pyſdri feria quarta proxima poſt Dominicam omnium Sanctorum. *Ex Originali.*

NOS WARCISLAUS Dei Gratia Dux Stetinenſis, Pomeraniæ, Caſſubiæ, Slavoniæ, Rugiæque Princeps. Recognoſcimus Nos feciſſe, ac tenore præſentium facimus homagiale, & fidelitatis Juramentum Inclito Principi, & Domino, Domino VLADISLAO Regi, & Regno, ac Coronæ Poloniæ, ſimiliter Frater noſter BOGUSLAUS facere tenetur, ſimillime tertius Frater noſter BARNIM, ſi ad ſacros Ordines præpoſitus non fuerit, facere debet, & tenetur, pro quo Nos WARCISLAUS prædictus promittimus, & Frater noſter BOGUSLAUS veniens homagium facere debet, & pro Fratre BARNIM promittere debet. Etiam promittimus eidem Domino Regi, & Regno Poloniæ omnem aſſiſtentiam, unanimia conſilia, auxilia, & favores, corpore, & rebus impendere cum effectu, contra, & adverſus Magiſtrum, qui pro tempore fuerit, & Ordinem Cruciferorum Domus Theutonicæ de Pruſſia, nec unquam volumus aliquam Concordiam, vel Treugas Pacis inire cum eodem Magiſtro, & Ordine praedictis, contra, vel praeter ſcientiam, & voluntatem Domini Regis, & Regni Poloniæ prædictorum. Item promittimus, quod iuxta poſſe noſtrum non permittemus, nec permittere volumus Gentes armorum cuiuscunque Nationis per paſſus, Loca, Caſtra, Civitates, & Dominia noſtra pertranſire in ſubſidium Cruciferorum, Magiſtri, & Ordinis, & in nocumentum, & dampnum Domini Regis, & Regni Poloniæ prædictorum, nec eidem Magiſtro, & Ordini prædictis, qui pro tempore fuerint, præſtabimus, nec præſtare volumus auxilia, conſilia, & favores contra prædictum Dominum Regem, & Regnum Poloniæ prædictum. Etiamſi contigerit de noſtris ſubditis aliquem areſtare, vel captivare de venientibus in ſubſidium prædictorum Magiſtri, & Ordinis, & in dampnum Domini Regis, & Regni Poloniæ prædictorum, iſtud non erit contra Nos, nec pro malo habere volumus eidem, etiamſi aliqui eſſent in Terra noſtra, vel in quacunque parte, qui prædicto Domino noſtro Regi, & Regno Poloniæ vellent contrariari, hoc contra Nos eſſe debet. Promittimus inſuper eidem Domino Regi, & Regno Poloniæ prædictis, quod poſtquam ipſe Dominus noſter Rex dederit Nobis Caſtrum Bidgoſzcza, alias Branborg cum Oppido, & Terra, prout in ſuis Limitibus ab antiquo ſunt diſtincta, extunc reſtituemus ſibi, & Regno Poloniæ prædicto, aut cui ipſe Dominus Rex mandaverit, Caſtrum Nakel, cum omnibus ſuis pertinentiis, occaſione, & dilatione quibuslibet procul motis, hominesque, & terrigenas Naklenſes, quos pronunc habemus loco pignorum, in eorum Juribus tenebimus, & fovebimus, ſicut eos invenimus, & prout tenti fuerunt tempore ab antiquo, nec Capitaneum præficiemus in dicto Nakel, niſi terrigenam Regni Poloniæ memorati. Per has autem Literas noſtras, aliis noſtris Literis dicto Domino noſtro Regi, & Regno Poloniæ per Nos praeſens datis, nolumus in aliquo derogare, & hæc omnia, & ſingula ſupraſcripta bona fide, ſine dolo, & fraude cum Fratribus noſtris prædictis promittimus effectualiter adimplere, ad quæ præmiſſa, & quodlibet præmiſſorum, Nos, Hæredes, & Succeſſores noſtros præſentibus aſtringimus, ſtrictius obligando. In quorum omnium teſtimonium præmiſſorum, & evidentiam plenioram, præſentem Literam Sigilli noſtri munimine ex certa noſtra ſcientia juſſimus roborari. Datum & Actum in Pyſdry feria quarta proxima poſt diem Omnium Sanctorum, Anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo. Præſentibus Nobilibus Viris Dominis Sandzivogio Palatino Kaliſienſi, & Capitaneo Maioris Poloniae Generali, Sandzivogio Gneſnenſi, Domeratho Poſnanienſi, Vincentio Naklenſi, Caſtellanis, Drogoſſio Judice Cracovienſi, Ludolpho de Waſchow, Mathia de Raczyn, Theodrico de Born, Henningo de Wedel, Ekardo de Wolde, Waczkone de Bork, aliisque multis fide dignis teſtibus ad praemiſſa.

ANNO 1390.

III.

WARCISLAUS *Junior Dux Pomeraniæ fatetur datum ſibi eſſe a* VLADISLAO *Rege Caſtrum Regni* 1393.

ANNO 1393. *Regni Nakel ad beneplacitum Regium. Ex Originali.*

WARCISLAUS Junior Dei Gratia Stetinenſis, Pomeraniae, Slaviae, Caſſubiae Dux, ac Rugianorum Princeps. Univerſis, & ſingulis praeſentium notitiam habituris. Significamus nomine noſtro, nec non Fratrum, & Haeredum noſtrorum, harum per tenorem. Quod Sereniſſimus Princeps, ac Dominus noſter, Dominus VLADISLAUS Rex Poloniae &c. volentes Nos tanquam Fratres, ac Servitores ſuae Maieſtatis proſequi gratia ſpeciali, Caſtrum ſuum, & Regni ſui Poloniae Nakel nuncupatum, cum omnibus eius pertinentiis, quibuſcunque nominibus appellentur, dedit, & contulit Nobis ad tenendum, usque ad ſuae beneplacitum voluntatis. Quod quidem Caſtrum Nakel cum pertinentiis ſuis ipſi Domino Regi, vel praeclarae Principi Dominae HEDVIGI Reginae Conſorti ſuae, aut Capitaneo, vel alicui Palatinorum de Maiori Polonia, quicunque illorum cum Litera ipſius Domini Regis, aut Reginae ad Nos, vel ad Fratres noſtos, aut Burgravium noſtrum eiusdem Caſtri deſtinatus fuerit, dum per ipſos, aut alterum ipſorum pro parte praefati Domini Regis, aut Reginae requiſiti fuerimus, praedictum Caſtrum cum ſuis pertinentiis debebimus, & debemus Nos, vel alter noſtrum, aut Burgravius ipſius Caſtri, qui pro tempore ſint, reſtituere, & reddere bona fide, omni dolo, fraude, & dilationibus procul motis, ad quod Nos obligamus faciendum tenore praeſentium mediante. In cuius rei teſtimonium Sigillum noſtrum praeſentibus eſt appenſum. Actum, & Datum Craeoviae feria ſecunda poſt Dominicam *Reminiſcere* ſub Anno Domini milleſimo tretenteſimo nonageſimo tertio.

IV.

1403. BOGUSLAUS *Pomeraniae Dux fatetur ſe in familiam* VLADISLAI *Regis adſcitum eſſe, cum ſtipendio annuo octingentarum Marcarum, pro quo cum centum lanceatis Viris Regi ſervire debet. Actum in nova Civitate Korczyn. Ex Originali.*

NOS BOGUSLAUS Dei Gratia Stetinenſis, Pomeraniae, Slaviae, Caſſubiaeque Dux, *Rugiae*que Princeps coram Univerſis, & ſingulis praeſentia inſpecturis, ſeu etiam audituris, publice, & manifeſte profitemur, quomodo victorioſiſſimus, & glorioſiſſimus Dominus, & Dominus VLADISLAUS Dei Gratia *Rex* Poloniae, Nos gratioſe, & praecordialiter in familiam Curiae ſuae ſuſcepit. Quapropter Nobis libere, & ſpontanee largitus eſt octingentas Marcas latorum groſſorum numeri Polonicalis, Nobis annuatim ſolvendas, quarum octingentarum Marcarum medietatem in Feſto S. Michaelis, proxime a data praeſentium venturo, reliquam vero medietatem ſuper Feſto S. Staniſlai Nobis ſolvere tenetur, & Nobis ſolvere debet realiter cum effectu. Pro quibus octigentis Marcis Nobis ſic, ut praemittitur, miniſtrandis, & donandis Nos BOGUSLAUS praememoratus dicto Domino *Regi* Nos ad ſervitia ſua poſtulanti, cum centum lanceatis Viris valentibus ſibi indefeſſe ſervire debemus, tali tamen ſub conditione, & cautela, quod cum Nos BOGUSLAUS praenominatus metas, & *Regiones* dicti *Regni* una cum dictis noſtris lanceatis pertingemus, quod tunc dictus *Rex* Nobis, & dictis noſtris lanceatis, & vaſallis neceſſaria, & correquiſita, quae Nobis expedire dignoſcuntur, exponere, ordinare, providere debeat, aut Nobis, & noſtris ſuper quamlibet lanceam quinque Marcas groſſorum Polonicalis monetae donare debet, & ſtudioſe miniſtrare. In arbitrio tamen Domini *Regis* ſtabit, an neceſſaria, & correquiſita miniſtrare voluerit, aut ſuper quamlibet lanceam, ut praemittitur, quinque Marcas velit miniſtrare. Inſuper ſi Nos BOGUSLAUS praememoratus auxilii, & adiutorii praenominati *Regis* indigeremus, tunc praedictus Dominus Poloniae *Rex* Nobis amicoſe in noſtris poſtulationibus, & requiſitionibus ſubvenire debeat indefeſſe, et totali cordis conamine auxiliari. In quorum omnium, et ſingulorum rei teſtimonium, praeſentia maiori noſtro Sigillo ex vera noſtra ſcientia fecimus roborari. Act. et Dat. in Nova Civitate alias Korczyn, feria quarta proxima poſt Feſtum S. Bartholomæi Apoſtoli, Anno *Domini* milleſimo quatercenteſimo tertio. ANNO 1403.

V.

BOGUSLAUS *Dux Pomeraniae fatetur ſibi a* VLADISLAO *Rege Arces, quoad vixerit, conceſſas eſſe, pro quibus promittit ſe propriis ſumptibus contra Cruciferos intra fines Maioris Poloniae militaturum.* Dat. ante Caſtrum Mariemborg feria ſexta infra Octavas S. Bartholomæi, Am. 1410. *Ex Originali.* 1410.

BOGUSLAUS Dei Gratia Stetinenſis, Pomeraniae, Caſſubiae, Slaviae Dux,

ANNO 1410. Rugiæque Princeps. Ad universorum notitiam per hæc scripta deducimus tam præsentium, quam futurorum. Quomodo Sereniſſimus Princeps, & Dominus, Dominus VLADISLAUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Litvaniæque Princeps Supremus, & Hæres Ruſſiæ, &c. Dominus, & Frater noſter gratioſus, Nobis hæc Caſtra, & Terras infra ſcriptas, primo Caſtrum Buthow, cum Oppido, Villis ad ipſum pertinentibus, Caſtrum Czlochow cum Oppido, & cum dimidia Terra prædicti Caſtri, cuius medietas ad ipſum Caſtrum Czlochow pertinebit, & alia medietas circa Oppidum Choynica debet remanere. Item Oppidum Fredelant cum omnibus pertinentiis, item Oppidum Baldemborg cum omnibus pertinentiis, item Oppidum Hamerſtein cum omnibus pertinentiis, item Caſtrum Schibelben, & Oppidum ſimiliter cum omnibus pertinentiis ad ipſum ſpectantibus, ad tempora vitæ noſtræ contulit, & conceſſit. Cui quidem Domino VLADISLAO Regi Poloniæ &c. & Coronæ ipſius Poloniæ, & Succeſſoribus eius pro tam munifica Donatione gratam, & debitam reddere volentes recompenſam, primo, & principaliter ſub fide, & honore noſtris in Verbo *D*ucali promittimus, quod cum eisdem Terris, Caſtris, Fortalitiis, Oppidis, & Bonis aliis, quæ Nobis contulit, & conceſſit ad tempora vitæ noſtræ, ut præfertur, ſibi, & ſuis Succeſſoribus ad Regnum Poloniæ, & Terras Pruſſiæ ſpectantibus, quam diu vixerimus, adhærere volumus, & eum nunquam, & aliquibus exquiſitis, & adiunctis de novo coloribus deſerere, ſed in præſenti guerra, etiamſi ad tempora vitæ noſtræ duraverit, aut ſi aliqui *D*omino Regi Poloniæ Fratri noſtro cariſſimo hoſtiliter reſiſtere, & rebelliſare in Terra, & Dominio Cruciferorum de Pruſſia voluerint, priusquam dictam Terram, & Dominium dicto Cruciferorum de Pruſſia ſibi una cum ſubſidio noſtro acquireret, & pacifice poſſideret, cum tota noſtra potentia, & omnibus noſtris ſubditis adiuvare promittimus propriis laboribus, dampnis, & expenſis, uſque ad metas Terrarum, & Dominiorum *Konigsburg* ſubditas, & ſubiectas. Dum autem Exercitum Terrarum noſtrarum ad defenſionem Terrarum Regni Poloniæ, & ſubiectos ipſius in ſubſidium educere contigerit, extunc intra terminos, & metas Maioris Poloniæ prædictum ſubſidium propriis laboribus, dampnis, & expenſis, faciemus. Si autem ultra metas Maioris Poloniæ, & ad metas aliarum Terrarum Regni Poloniae, vel extra idem, Domino Regi, & Succeſſoribus eius Nos facere contigerit, praedictus Dominus Rex, & ſui Succeſſores eisdem noſtris hominibus, eodem modo, quo ſubditis caeterorum Principum Regni ſui, utpote Ducum Maſoviae ſtipendia, & ſubſidia facere, & pro dampnis ſtare tenebitur cum ſuis Succeſſoribus, & debebit. In aliis autem guerris, ſi quae cum Rege Hungariae idem Dominus Rex, et Regnum eius Poloniae, et aliae Terrae propius habuerint, tale faciemus moderamen. Nam dum ipſe Dominus Rex Poloniae ab eodem Domino Rege Hungariae guerras evitare non poterit, extunc Nos praedicto Domino Regi Hungariae intimare debemus, et eum ad hoc inducere, quod cum Domino Rege Poloniae praedicto ad iuſtitiam, et aequalitatem ſe remitteret, et ſi hoc ipſum facere nollet, extunc cum omnibus noſtris ſubditis eidem Domino VLADISLAO Regi, et ipſius Succeſſoribus debita ſubſidia faciemus. Similiter ſi praedictus Dominus Rex Poloniae cum eodem Rege Hungariae ad iuſtitiam, et aequalitatem ſe remittere noluerit, tunc Nos a ſubſidio praedicto Domino Regi Poloniae faciendo contra praedictum Regem Hungariae debemus ſupportare, et ſtare in quiete, nec aliqua ſubſidia ſibi facere contra Regem Hungariae, aut Regi Hungariae contra Regem Poloniae miniſtrare. Inſuper promittimus, quod, quotiescunque opportunum fuerit Domino Regi Poloniae, imminentibus ſibi aliquibus guerris, et neceſſitatibus eadem Caſtra, Fortalitia, Civitates, et Oppida Nobis per ipſum Dominum Regem Poloniae conceſſa, pro defenſione armatorum, et ſubditorum, ac conſervatione, et refugio ipſa aperire, illo etiam ſpecialiter expreſſo, et adiecto, quod Cives, Nobiles, et Vaſalli earundem Terrarum Nobis per ipſum Dominum Regem conceſſarum, tantummodo ad tempora vitæ noſtræ, et non poſteris noſtris debitae fidei, et obedientiae homagium praeſtare tenebuntur, poſt obitum autem noſtrum ab onere iuramenti, et homagii Nobis praeſtiti ſint liberi, et nulli alteri, praeter Dominum Regem, et Conſortem ipſius Poloniae, ad homagium, et ſubiectionem debitam obligati: eo etiam non omiſſo, quod nos efficere, et committere fideliter promittimus, quod omnes Capitanei, et Officiales noſtri, et Procuratores Civitatum, et Terrarum earundem Nobis per ipſum Dominum Regem conceſſarum, easdem Terras, Civitates, et Caſtra ipſi Domino Regi, aut Succeſſoribus ipſius, ſeu Coronae Poloniae ſine contradictione, fraude, et dolo, atque dilatione, ad requiſitionem dicti Domini Re-

ANNO 1410.

ANNO 1410. Regis, vel Succeſſoribus eius debebunt reſignare, nihil Juris pro noſtris Succeſſoribus, pro ſe, aut eorum dampnis per adinventiones aliquas vindicando. Harum, quibus Sigillum noſtrum eſt appenſum, teſtimonio Literarum. Datum ante Caſtrum Mariemborg feria ſexta infra Octavas S. Bartholomæi Anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimo.

VI.

*Proceres Pomeraniæ fideiubent* VLADISLAO *Regi pro* BOGUSLAO *Duce ſuo, quod ſtabit promiſſis.* Sub eodem dato. *Ex Originali Sigil. 7.*

Nos Heninghus de Wolde, Mylas de Czytczenicze, Nicolaus Kameke, Berhardus de Dewicze Comes, Heninghus de Beloko, Heninghus Waholt Capitaneus in Quarkeborgh, & Heninghus de Laghe, bona, & pura fide, ſine dolo, & fraude, ſub fide, & honore noſtro promittimus pro Illuſtriſſimo Principe, & Domino, Domino BOGUSLAO Dei Gratia Duce Stetinenſi, Slaviæ, Caſſubiæ, Pomeraniæ, Rugiæque Principe, Domino noſtro glorioſiſſimo, quod ea firmiter tenebit, & ſervabit, nec ea unquam violabit, quæ Sereniſſimo Principi Domino, & Domino VLADISLAO Dei Gratia Regi Poloniæ &c. Domino noſtro gratioſo ratione Donationis Caſtrorum, & Terrarum ſibi per eundem Dominum Regem Poloniæ factæ, prout in Literis eiusdem Domini BOGUSLAI continetur plenius, & expreſſius, ſe adſtrinxit, & inſcriptit in omnibus clauſulis, conditionibus, articulis, promiſſionibus, atque punctis. Harum, quibus Sigilla noſtra ſunt appenſa, teſtimonio Literarum. Dat. in Caſtro Mariemborg in loco ſtationis noſtræ campeſtri, feria ſexta infra octavas S. Bartholomæi Apoſtoli glorioſi Anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimo.

VII.

*Promiſſio* BOGUSLAI *Ducis Pomeraniæ, quod* CASIMIRUM SVANTIBORII *Ducis Filium a* VLADISLAO *Rege captum, & ad fidem ſuam dimiſſum ſiſtet ad tempus conſtitutum.* Sub eodem dato. *Ex Originali Sigil. 10.*

BOGUSLAUS Dei Gratia Stetinenſis, Pomeraniæ, Slaviæ, Caſſubiæ Dux, Rugiæque Princeps una cum Baronibus noſtris infraſcriptis, videlicet Heningo de Wolde, Mylas de Czytczenicze, Nicolao Kameſzen, Milite Gherardo de Wielze, Comite Heningo Kaghen, Heningo Borken, & Petro Slazencep. Significamus tenore præſentium, quomodo ad fidem, promiſſionem, & ad manus, ac ad fideiuſſoriam cautionem Præclarum Principem Dominum KASIMIRUM Ducem Stetinenſem, filium Domini Ducis SWETHOBORII in conflictu cum Cruciferis habito, captum, & detentum a Sereniſſimo Principe, & Domino, *D*omino VLADISLAO Rege Poloniæ Fratre, & *D*omino noſtro gratioſo ſobrigavimus, & recepimus de captivitate memorata, quem ſub fide, & honore Chriſtiani ad manus horum infra ſcriptorum Baronum, videlicet Criſtini Caſtellani Cracovienſis, Sandzivogii de Oſtrorog Poſnanienſis, Nicolai de Muhalow Sandomirienſis, Mathiæ de Wanſoſthm, Palatinorum, Vincentii de Granow Caſtellani Naklenſis, Capitanei Maioris Poloniæ, & Thorunenſis, Petri Szafraniecz Subcamerarii Cracovienſis, & Zbignei Marſchalci Regni Poloniæ, vel eius, qui tunc fuerit Cracoviæ Capitaneus in Feſtro S. Martini nunc inſtantis in Caſtro Cracovienſi Chriſtianice ſtatuere promittimus, nulla penitus excuſatione obſiſtente, quæ interdum exquiſitis coloribus talibus factis immiſcere ſunt ſolitæ, utpote ſimulatione infirmitatis, viarum diſtrictibus, captivitatum ordinationibus propriis, aut *D*ominorum, ſub quorum *D*ominio conſiſtit, prohibitionibus, aut etiam Eccleſiaſticarum perſonarum, utpote *D*omini Papæ, & aliarum tutamentis, & aliis adinventionibus quocunque colore palliatis, quæ etiam occaſiones puritate promiſſionis Chriſtianae mortificari debent, ut nunquam pollicitationibus tam notabilibus, & tam claris interponi. Si autem, quod abſit, eundem *D*ucem KASIMIRUM ad tempus prædictum, & locum ſtatuere non potuerimus, vel noluerimus, extunc omnes ſimul loco ipſius in termino, & loco prædictis ſtatui Chriſtianice promittimus, ſine dolo, & fraude, ullis occaſionibus ſuperius hic deſcriptis, & aliis interiectis. Si autem, quod *D*eus auferat, Nos in loco, & termino ſupradictis ſtatuere recuſaverimus, neglexerimus, & noluerimus, extunc omnibus monitionibus, improperiis, correptionibus tanquam fidei fragi omnium ſubditorum *D*omini Regis Poloniæ Nos ſubmittimus, omnique fide, & honore abiudicati, ab omnibus probis volumus recenſeri. Si autem Nos, BOGUSLAUM, & quemlibet noſtrum, ſimul, vel ſucceſſive interim decedere continget, extunc noſtros Hæredes, & Succeſſores obligamus ad com-

Anno 1410. plementum omnium præmissorum, qui sub his imprecationibus in præsenti Litera conscriptis prædicta omnia tenebuntur adimplere. *Dat.* in Castris Marienburg feria sexta infra octavas S. Bartholomæi An. *Domini* millesimo quadringentesimo decimo.

VIII.

1455. Erici *Stetinensis, Pomeraniæ &c. Ducis Literæ, quibus testatur creditam esse fidei suæ a* Casimiro *Rege Arcem Butow cum Civitate Lowenburg.* Dat. feria sexta ante trium Regum. Anno 1455. *Ex Originali. Extat in Archivo Cancell. Regni Lib. Legationum Lit. E. Fol. 297.*

Nos Ericus Dei Gratia Stetinensis, Pomeraniæ, Cassubiæ, Vandaliæ Dux, & Princeps Rugiæ publice recognoscimus, notumque facimus, omnibus & singulis has fide dignas Literas visuris, audituris, lecturis, vel ad quorum præsentiam deductæ fuerint, Nos ad bonam custodiam, & fideles manus accepisse, traditamque esse Arcem Butow, una cum oppido ibidem consistente, nec non civitatem Lowenburgk, cum universis suis pertinentiis, villis, molendinis, pratis, pascuis, lacubus, &c. ex manibus, & potestate Famigeratorum, Providorumque Proconsulum, & Consulum Civitatis Gedanensis, de Commissione Serenissimi Principis, ac Potentissimi Domini, Domini Casimiri Regis Poloniæ, Magni Ducis Litvaniæ, Russiæ, Prussiæque Domini, & Hæredis, occasione præsidiorum, & assistentiæ pro eodem Domino Rege, in his præsentibus suis, terrarumque suarum bellis, atque guerris, pro summo nostro posse præstandorum, eisdemque Arcibus, & Civitatibus, eorumque utilitatibus utemur, & fruemur, cum omnibus censibus, & proventibus, exceptis villis Nicudorp, Ramelow, & Kubomse, cum omnibus suis usifructibus, proventibus, & censibus, feudalibus, iudiciisque, una cum molendino tonsorio iuxta oppidum Lowenburgk sito, & alia quædam bona, ac libertates, quibus iam nominata Civitas Lowenburgensis, plenarie, & sine quavis contradictione. & malevolentia, uti, & frui debet, ad voluntatem suprascripti Domini Regis, & beneplacitum eius, prout clarius literis supranominatis de Lowenburgk, per Nos datis demonstratur. Quæ quidem oppida, & Arcem, cum omnibus suis attinentiis superius tactis, tenere, illisque uti, & frui volumus, & debemus, ad præli- Anno bati Domini Regis, vel præmemoratorum 1455. Proconsulum, ac Consulum Civitatis Gedanensis voluntatem, & beneplacitum duntaxat, & quandocunque ab illius gratia, sive a prænominatis Proconsulibus, ac Consulibus, huiusmodi arcem, & oppida, cum omnibus suis pertinentiis suprascriptis relinquere moniti fuerimus, in omni forma, & mensura, quemadmodum Nobis ea ab eis tradita sunt, sine eorum diminutione, in eodem valore, & absque prævaricatione cuiuslibet rei mobilis, reliquorumque bonorum, simul & Arcem, atque oppida Nobis tradita, & concessa, sub conservatione omnium in valore pristino relinquenda erunt, & omittenda. Promittimus proinde Nos Ericus Dux, atque Princeps prænominatus, pro Nobis, & Successoribus nostris sub nostra Principis veritate, fide, & honore, & Christiana pollicitatione, ad suprascripti Domini Regis, vel sæpius nominatorum Proconsulum, atque Consulum Civitatis Gedanensis, qui modo sunt, & quibuslibet temporibus futuris erunt, quam primum monitionem, atque requisitionem habuerimus, sæpe dictam Arcem, atque Oppida, cum omnibus suis attinentiis præscriptis, omni dolo, fraude, sensu perverso, dilatione, calculo, damnorumque perceptorum, & impensarum, expensarumque obinde factarum, vel quibuslibet similibus, per quæ huiusmodi restitutio impediri, vel differri possit, omnino remotis, sine hypothecatione, impignoratione, & obligatione, libere, & absque impedimento, & sine omni medio, dimittere, restituere, atque relinquere. In evidentiam veritatis Nos Ericus Dux, & Princeps, præfatus nostrum Principis Sigillum his nostris literis, certa de nostra scientia, & voluntate, appendere fecimus, præsentibus ibidem testibus bene genitis, Nobilibus, Constantibus, & Efficacibus Mickos, Massino, Henunge, Cepel, Hemukeber, Gerardo Deuthe, Tidemano de Borun, Henungo Augustini &c. Nostris fidelibus, ac Consiliariis dilectis. Anno post Nativitatem Christi millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, feria sexta ante trium Regum.

1460. *Fœdus inter* Ludovicum *Comitem Palatinum Rheni, Inferioris, Superiorisque Bavariæ Ducem, &* Casimirum *Regem Poloniæ, quo comprehenduntur Duces Masoviæ, Pomeraniæ, Stolpiæ, aliique Principes Regi,* &

ANNO 1460. & *Regno Poloniæ ſubiecti.* Dat. in Landshut Feria quinta poſt Feſtum S. Margarethæ. An. 1460. *Ex Originali. Vide Bavaria Num. 2. Fol. 382.*

1460. *Confœderatio inter eosdem, qua itidem continentur Duces Maſoviæ,* ERICUS *Stetinenſis, & Pomeraniæ Duces, Epiſcopus Caminenſis, aliique Principes, qui in auctoritate Regis Poloniæ ſunt.* Dat. in Landshut feria quarta proxima ante Feſtum Nativitatis B. M. V. Anno 1460. *Ex Originali. Ibidem Num. 3. fol. 383.*

IX.

1466. ERICUS *Dux Stetinenſis, & Pomeraniæ, accepta in Matrimonium* SOPHIA CASIMIRI *Regis Filia renovat Pacta Maiorum ſuorum cum Regibus, & Regno Poloniæ inita, promittitque, ſe tranſitum hoſtibus Regni per Ditiones ſuas non permiſſurum.* Dat. in Bidgoſtia feria quarta intra Octavas Aſſumptionis B. M. V. *Ex Originali.*

In Nomine Domini Amen.

*Ad æternam rei memoriam.*

NOS ERICUS Dei Gratia Stetinenſis, Pomeraniae, Caſſubiae, Slaviae Dux, Rugiaeque Princeps. Ad univerſorum praeſentiam, tam futurorum, quam praeſentium harum ſerie mediante deductum eſſe volumus. Cum inter alias ſaluberrimas curas, et multiplices ſollicitudines, quae miniſterio Principis incumbunt, meditandum, et ſummopere effectui commendandum convenit, ut veteris amicitiæ Praedeceſſorum connexi nodi, et priſci Fœderis dudum conceptae unionis nova amicitia, et recenti Literarum vultu innoventur, et obſerventur. Penſitatis enim, et in animo revolutis ſingulari affectu, pura benevolentia, et dilectione, quibus olim Sereniſſimi Reges Poloniae divae recordationis Illuſtres Principes olim Pomeraniae, Stetinenſes, et Stolpenſes Duces, Praedeceſſores noſtros fraterno proſequebantur favore, et officio, ut non ſolum mutua charitas, et amicitiae munus inter eos alterutrum vigebat, verum quidem ea mutuis praeſidiis, armis, et adiumentis adverſum communes hoſtes effectibus comprobavere. Nosque non ſolum imitatione Praedeceſſorum noſtrorum, verum et idemptitate carnis, et affinitate ſanguinis penſatis, quibus cum Sereniſſimo Principe, et Domino CASIMIRO Dei Gratia Rege Poloniae, Magno Duce Litvaniae, Ruſſiae, Pruſſiaeque Domino, et Haerede Nobis gratioſo, ex ſuſcepto Conthoralis noſtrae chariſſimae praeclarae Principis Dominae SOPHIÆ Duciſſae Pomeraniae thoro feliciter iuncti ſumus, antiqua Fœdera, et veteres colligationes reſumendum movemur. Horum praetextu ad gloriam, et laudem Salvatoris noſtri de certa noſtra ſcientia, ac animo expreſſo, omniumque Principum Spiritualium, et Saecularium, Prælatorum, Baronum, Conſiliariorum, Militarium, Procerum, Vaſallorum, Omagialium, ac omnium noſtrorum Ducatuum ſubditorum, voto, & nominibus, eorumque conſiliis, ac votis conformibus in eam rem concurrentibus, cum præfato Domino CASIMIRO Rege Poloniæ, ſuisque Poſteris, & Succeſſoribus Regibus Poloniæ Fœdus puræ amicitiæ, unionem fraternam, perpetuamque, & indiſſolubilem intelligentiam dudum ſolidatam ſuſcepimus, inivimus, firmavimus, præſentiumque tenore ſuſcipimus, inimus, eligimus, & irrefragabili nodo ſtipulamus, nec non omnes, & ſingulas Confœderationes, Colligationes, Inſcriptiones, Literas, Munimenta, & Privilegia, ſub quibuscunque titulis, & datis confectas, & emanatas, quibus prædeceſſores noſtri Duces Stetinenſes, & Pomeraniæ cum Anteceſſoribus Regibus Poloniæ connexi, & Confœderati eſſe dinoſcuntur, in omnibus eorum ſententiis, capitulis, conditionibus, poſitionibus, & articulis, quæ, et quas praeſentibus habere volumus pro inſertis, roboramus, innovamus, gratificamus, confirmamus, et perhennamus praeſentis ſcripti patrocinio mediante, perpetuis temporibus, et æviternis duraturas, et ultra praemiſſa ſpecialiter addito, et adiuncto, quod ſi nonnulli hoſtes, Gentes, ac Armigeri per Terras, et Poſſeſſiones noſtras, contra, et adverſus memoratum Dominum Regem CASIMIRUM, ſuos Succeſſores, Regnum, et Terras Pruſſiae proficiſci, et ire conati fuerint, promittimus, et praeſentibus ſpondemus, quod ingreſſum, tranſitum, et meatum huiuscemodi Gentibus armorum, et hoſtibus praefati Domini Regis, et ſuorum Dominiorum omnimodo noſtro poſſe inhibebimus, praecludemus, tutabimur, fideliterque, et conſtanter defenſabimus. Quae omnia, et ſingula praemiſſa Nos praefatus ERI-



ANNO 1466.

ANNO 1466. cus Dux promittimus, ſpondemus, et pollicemur praeſentibus verbo Ducali, et bona fide, omni dolo, tergiverſatione, et impedimento in his ceſſantibus, pure, et ſincere tenere, ſervare, et adimplere, nec ipſis, aut ipſorum alicui verbo, nutu, facto, vel opere per ſe, vel per alium, ſeu alios, publice, vel occulte, directe, vel indirecte contraire. Vt autem haec omnia robur firmitatis obtineant, praeſentes Sigillo noſtro iuſſimus communiri. Actum, et Datum in Bidgoſtia feria quarta infra octavas Feſti Aſſumptionis Mariae Virginis glorioſiſſimae. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſexto. Praeſentibus Generoſis, Validis, et Nobilibus Viris, Dominis, Alberto, et Ludovico Comitibus de Everſteen, et Dominis de Novogarden, Domino, et Magiſtro Nicolao Dametzen Scholaſtico Eccleſiae Caminenſis, in Eccleſiis Stetinenſi, et Colbergenſi Canonico, Cancellario noſtro, Nicolao Jachym, Henrico, Bernardo, Joanne Fratribus, et Patruis condictis de Borken, Caſtellanis in Labcze, Siffrido Wopersnowe, Berardo, et Berardo condictis de Belaben, Martino Tzevitzen Rudnigero Maſſoven. Nicolao Colre, Egghardo Mandeniel, Petro Glaſznappen, noſtris Conſiliariis, et quam pluribus aliis noſtris fidelibus fide dignis, et dilectis.

1471. *Literæ* FRIDERICI *Imp. ad* CASIMIRUM *Regem Poloniæ, quibus eum orat, ut* FRIDERICO *Electori Brandeburgenſi cui in contumaciam* ERICKONIS, & VRATISLAI *Ducum Ducatus Pomeraniæ (Regibus, & Regno Poloniæ obnoxios) in feudum contulit, favere velit, nec eum per ſubditos ſuos in dictis Dominiis turbari permittat.* Dat. in Oppido Grecz die 9. Jan. Anno 1471. *Ex Archivo Regni. Vide Marchia Brandeburgenſis. fol. 411.*

1490. *Pacta Matrimonialia inter* BOGUSLAUM *Ducem Pomeraniæ, &* ANNAM CASIMIRI *Regis Poloniæ Filiam.* Actum in Grodno die 7. Mart. An. 1490. *Ex Archivo Regni. Vide Tom. II. tit. Supplementum Tom. I. part. II.*

1490. CASIMIRI *Regis Pactorum eorundem Approbatio.* Sub eodem dato. *Ex Archivo Regni. Vide ibidem.* ANNO 1490.

BOGUSLAUS *Dux Pomeraniæ* ANNÆ *Vxori ſuæ ſummam 64000 aureorum Hungaricalium in certis Civitatibus, Dotis, & Contradotis nomine inſcribit.* Dat. in Stetin 1. Febr. An. 1491. *Ex Originali. Ibidem.* 1491.

*Ordines Pomeraniæ approbant Inſcriptionem Dotis, & Dotalitii a* BOGUSLAO *Duce Sereniſſimæ* ANNÆ *Coniugi ſuæ factam.* Dat. Stetini 1. Febr. An. 1491. *Ex Originali. Sigil. 26. Ibidem.* 1491.

X.

*Renovatio Amicitiæ, & Confœderationis inter* SIGISMUNDUM I. *Regem, Regnumque Poloniæ ab una, &* HENRICUM *Megapolenſem, nec non* GEORGIUM, & BARNINUM *Duces Pomeraniæ parte ab altera per Commiſſarios utrinque delegatos facta.* Dat. in Civitate Gdanenſi feria quarta poſt Dominicam Lætare. Anno 1524. *Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. N. R. fol 25.* 1524.

In Nomine Domini Amen.

*Ad futuram rei memoriam.*

NOS JOANNES *Dei*, et Apoſtolicæ Sedis Gratia Sanctæ Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, et Primas, Legatusque Natus, Mathias Cuiavienſis, et Pomeranienſis, ac Joannes Culmenſis eadem Gratia Eccleſiarum Epiſcopi, Staniſlaus de Coſcielecz Palatinus Caliſſienſis, Mariemburgenſis, Bidgoſtienſis, et Stumenſis Capitaneus, Georgius Bayſen Palatinus Marienburgenſis, et Capitaneus Gneſnenſis, Achatius Czema Succamerarius Pomeraniæ, et Capitaneus Schlochovienſis, Sereniſſimi Principis, et *Domini*, *Domini* SIGISMUNDI *Dei* Gratia Regis Poloniæ, Magni *Ducis* Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque etc. *Domini*, et Hæredis, *Domini* noſtri gratioſiſſimi, nomine Sacræ Maieſtatis ſuæ, inclitique Regni Poloniæ parte ex una, et Nos Georgius Comes de Eberthen, et *Dominus* in Naugarthon, Nosque utriusque Juris *Doctores* Nicolaus Marſalki, ac Valentinus de Stogetin, Capita-

ANNO 1524. pitaneusque in Locie, nomine Illustrissimorum Principum, et *D*ominorum nostrorum, *D*omini HENRICI *D*ei Gratia Megapolensis, Principis Vandalorum, et Comitis Sverinensis, Terrarumque Rosthockii, et Stargardiæ *D*omini, ac *D*ominorum GEORGII, et BARNINI eadem Gratia *D*ucum Stetinensium, Pomeraniæ, Cassubiæ, Sclavoniæ, et Rugiae, ac Comitum in Guskaw etc. Consiliarii, et Oratores, proque Illustritatum suarum parte altera, ad faciendos, et innovandos ultra naturalis, et sangvinis vinculi necessitudinem Fœderis, et amicitiae Inscriptiones inter eandem Sacram Regiam Maiestatem *D*omini nostri gratiosissimi, Regnumque, et Terras incliti Regni, et Illustrissimos praefatos Principes, eorumque Terras in hac Civitate Gedanensi, ex speciali Commissione praefatorum ex utraque parte *D*ominorum nostrorum feliciter congregati.

Significamus tenore praesentium, quibus expedit Universis, praesentibus, et futuris, harum notitiam habituris. Quia praefati *D*omini nostri partis utriusque intelligentes rebus publicis quorumlibet *D*ominiorum, societatem, et amicitiam vicinorum, coniunctiones, Confœderationesque non parum conducere. Quas quidem Coniunctiones amicitiarum, et vicinae societatis Confœderationes divae, felicisque memoriae praefatorum *D*ominorum nostrorum Praedecessores inter se, et eorum *D*ominia inscribere, firmareque consveverunt, prout id ex monumentis literariis in thesauris partium ipsarum, utrorumque *D*ominorum eorundem nostrorum existentibus evidenter constat, ad huiusmodi coniunctiones, et innovationes amicitiae, praesentemque Confœderationem animis bene deliberatis facile accesserunt, idcirco Nos vigore Mandatorum scriptorum sub appensis Sigillis, Nobis partis utriusque Oratoribus datorum, et concessorum, praemissis, et habitis inter Nos mutuis consiliis, deliberationibus, et Tractatibus amicabilibus, tandem devenimus ad conditiones, et Articulos per praefatos *D*ominos nostros hinc inde firmandos, et observandos, inferius descriptos.

Inprimis ut unusquisque praefatorum *D*ominorum nostrorum, eorumque Successores sint, et esse debeant in amicitia perpetua, harum vigore literarum, coniuncti, et Confœderati aeviterne, sic quod unus alteri assistat consiliis, praesidiisque opportunis, favore, et auxiliis, et quilibet pro posse suo adversus quemlibet hostem Regno, *D*ucatibus, et Terris eorundem *D*ominorum nostrorum propinquius adiacentem, in omni eventu, et specialiter, si *D*ominus Magister Prussiae cum Ordine suo, aut Illustris *D*ominus JOACHIMUS Marchio Brandeburgensis, Elector Imperii, vel eorum Successores, Haeredes, complices, fautores, auxiliatores, et adhaerentes aliquem ex praefatis *D*ominis Confœderatis, aut eorum Terras, et *D*ominia impeterent, aut alia quacunque via hostiliter invadere, seu molestare, simul, vel divisim voluerint, molestaverintque, aut invaserint in effectu. Contra paganos autem, haereticos, et schismaticos, et in remotioribus agentes, pro virtutis suae arbitrio, et beneplacito praefati *D*omini Confœderati Principes Sereniss*i*mo Domino nostro Regi Poloniae assistent, et opitulabuntur, et e contra. ANNO 1524.

Quae quidem praesidia, et auxilia, et reliqua assistentiae officia quisque Confœderatorum confœderato suo expensis propriis praestabit, et cum Exercitus eorundem praesidiorum, auxiliatorumque limites Terrarum, ac Dominiorum ipsius Confœderati, in cuius favorem hunc suum ducit Exercitum, progressione attigerit, extunc Dominus Terræ illius, cui praesidium missum est, eosdem auxiliatores suos in confinibus Terræ suæ, per certum conductorem suum excipiet, qui eis in progrediendo de pacifico transitu, habendoque commeatu, iusto auxiliatorum pretio, æreque ipsorum proprio comparando consulet, & assistet. Item si quis in prælio, aut extra illud modo prædicto militando contra hostem alterius captus, vel detentus, aus alias in obligationem receptus fuerit, illi per partem, ad quam praesidium fuerit missum, consuletur, & suffragabitur, & idcirco omnes, & singuli captivi ex hostibus quacunque ratione capti, in potestate, & manu ipsius Domini, cui praesidium latum est, vicissim esse debent.

Cæterum Deo Optimo Maximo expugnationem Arcium, Castrorum, Civitatum, Oppidorum, & quorumvis aliorum locorum concedente, ea omnia, & singula, illi, ad quem ex Confœderatis quondam pertinebant, venient restituenda, casu vero, quo nulli Confœderatorum ea prius pertinuissent, tunc nihilominus illi Confœderatorum cedent, in cuius favorem praesidium hoc fuerit missum.

Praeterea quia Confœderatorum interest, ut unus alterius rerum curam habeat, quapropter ordinavimus inter Nos, & præsentibus ordinamus, quod nunquam deinceps aliquis Confœderatorum prædictorum bellum cuicunque hosti suo indicet, insciis, & inconsultis Confœderatis

ANNO 1524. tis ſuis ſupra expreſſis. Fortaſſis enim viæ, & modi per Confœderatos, communicato ad invicem conſilio, inveniri poſſunt, quibus mediantibus absque bello, iniuria Confœderati poterit emendari, niſi tunc aliquis Confœderatorum inopinate invaderetur.

Item ut nullus Confœderatorum Gentes ſive ſuas, ſive alienas adverſus aliquem Confœderatorum per loca Dominiorum ſuorum hoſtili molimine proficiſci conantes tranſire, redireque permittat, pro virium ſuarum poſſibilitate, neque illas quoquo modo occulte, vel manifeſte adiuvet, ut hoſti ad uſum, & Confœderato ad damnum pervenirent.

Et quoniam iacula prævisa minus feriunt, ſtatutum eſt, intereſſe Fœderatos præfatos, ut hincinde pro vero, & indubitato Fœdere obſervetur, ut quoties aliquis Confœderatorum præſentiret aliquas inſidias parari contra aliquem ex Confœderatis, vel Dominia illius, extunc quilibet Confœderatorum iuxta poſſe ſuum ſe opponat, ut id induſtria, vel viribus avertat, & nihilominus alter alterum, quantocius poterit, præmoneat, quatenus rebus ſuis tempeſtive provideat.

Item liberum eſſe debebit, ut quilibet Confœderatorum prædictorum ære ſuo proprio in Dominiis alterius ad ſuam neceſſitatem Gentes totiens, quotiens volet, conducere valeat ultra debitum Confœderationis ſubſidium ſupra expreſſum, cum ſcientia tamen, præſcripto, & ordinatione eius Principis, ex cuius Dominio Gentes conducendæ erunt.

Item quilibet Confœderatorum providebit in confinibus Dominiorum ſuorum, ne latrocinia, cædes, ſpolia, invaſiones, excurſiones, detentiones, & depactationes alterutrius ſubditorum fierent, & quod pro commiſſis damnis, iniuriis, & exceſſibus, Judices Commiſſarii utrinque delegandi rebus utrorumque Dominiorum expoſcentibus omni triennio in Oppido Choynicze ſimul convenient pro die Sancti Galli proxime futuro inchoando, & ſic conſequenter pro eodem die de triennio in triennium oppreſſis, iniuriatis, & damnificatis cum plena poteſtate, tam in criminalibus, quam civilibus iuſtitiam indilatam miniſtraturi.

Ut autem expeditius partes iuſtitiæ ſuæ remedium aſſequantur, idcirco de quolibet Dominio querelæ iudicialiter definiendæ, hincinde modo infra ſcripto mittendæ ſunt, utpote ſi quis ſubditorum Sereniſſimi Domini noſtri Regis a quopiam ex ſubditis Illuſtriſſimorum Principum prædictorum iniuria afficitur, is querelam ſuam in manus Domini Palatini Pomeraniæ pro tempore exiſtentis tempeſtive mittet, & curabit dictus Dominus Palatinus huiusmodi libellos querelarum in manus Domini Præfecti Stolpenſis deſtinare, & in hoc per quartale unius anni die Conventionis prædictæ prævenient. ANNO 1524.

Similiter facturi ſunt ſubditi Dominorum Principum Pomeraniæ, qui querelas ſuas contra ſubditos Sereniſſimi Domini noſtri Regis Poloniæ ad Dominum Præfectum Stolpenſem deferent, qui huiusmodi libellos ſubditorum Dominorum ſuorum ad Palatinum Pomeraniæ tempore præſcripto mittere curabit.

Qui quidem duo Officiales prædicti tandem Dominorum ſuorum ſubditos, tam actores, quam reos ad locum, & diem Conventionis prædictæ iudicialiter comparere iubebunt, qui ſi comparere noluerint, extunc in contumaciam non comparentes, nihilominus Judices Commiſſarii parti querenti iuſtitiam miniſtrabunt, ſecundum quod ius, & æquitas dictaverit. Similiter de actoribus non comparentibus eſt intelligendum. Itidem obſervandum erit, ut ſi quis de Terris Poloniæ, aut ex Ducatu Pomeraniæ cum alterutrius ſubditis in dicto Conventu iure experiri vellet, querelas ſuas in manus Capitanei Poſnanienſis pro tempore exiſtentis mittat, ut in omnibus formula ſupra ſcripta ab utraque parte obſervetur. Similiter Dominis Confœderatis provideri debet, ut in manutenendis limitibus utraque Dominia concernentibus æquitas obſervetur, nec unus alium de poſſeſſione vetuſta, et uſu aliquorum bonorum, vel aliquarum pertinentiarum eiiciat, niſi authoritate Principis loci adhibita, in cuius ſcilicet Dominio bona fuerint ſituata.

Item licet Domini Confœderationis prædictæ ex innata ſua virtute, neceſſitudine, & affinitate hincinde habita, unus alterius commodis cavere ſoleant, tamen cupientes ex hac nova Confœderatione, & amicitiæ vinculo, quo ſibi utrinque iam tandem magis, ac magis affici delegerunt, commodum, & incrementum reportare; ſtatutum eſt utrinque deinde obſervandum, ut ſubditi ipſorum Confœderatorum, Succeſſorumque eorundem mutua, ac libera, & ſecura hincinde Commercia in Dominiis, Diſtrictibus, atque Locis Confœderatorum prædictorum, terra mariq; quærere, & exercere valeant quolibet impedimento remoto, totiens quotiens ſubditis, & mercatoribus ipſorum Dominorum Confœderatorum expedire, & convenire videbitur, ſalvis tamen Juribus Patriæ, ſecundum quod in aliquo Dominiorum dictorum *D*ominorum Confœderatorum hactenus fuit obſervatum.

Et

ANNO 1524. Et quia ex profugis colonis inter utriuſque ſubditos differentia, atque controverſia plerumque oriri ſolet ; ſtatutum eſt, ut quicunque ab hoc Confœderationis tempore intra quinque annos Jure repetitus fuerit, ipſi repetenti, quantum Jus de ipſo profugo ſibi competierit, ſine qualibet renitentia reſtituatur, elapſo vero huiusmodi quinquennio a tempore ſcientiæ computando, quam ſcientiam hic, qui repetitionem facit, medio ſuo Juramento probabit, pro præſcripto habeatur, ſi ſic, ut præfertur, minime probaverit.

Reliquum eſt, quod transgreſſoribus, & quibuscunque aliis quocunque facinore, exceſſu, ſive comminationibus, atque inimicitiarum denuntiationibus, aut alia quavis ſuſpicione notatis non eſt dandus Salvus Conductus per aliquem Confœderatorum, niſi cautione prius recepta de ſtando, & parendo Juri in loco delicti, ubi eundem Dominus Loci novo Salvo Conductu ſuo providebit. Et ſi talis Juri, & rei iudicatæ parere, ſatisfacereque noluerit, extunc talis tanquam proſcriptus apud Confœderatos, eorumque ſubditos non eſt deinceps fovendus, & contra ipſum capiendum, puniendumque auxilium, & conſilium ſit præſtandum. Quos Fœderis, Coniunctionis, & Amicitiæ modos, conditiones, & articulos ſupra ſcriptos ſic concorditer concluſos, & pro commodo Dominorum noſtrorum præſcriptorum ſtabilitos ſpecialiter Sereniſſimus Dominus noſter Rex ſupra nominatus per Literas patentes perpetuas, Sigillo Regni ſui munitas approbare, confirmare, acceptare, & ad perpetuam rei memoriam inſcribere dignabitur, duplicatas concedendo, unas per ſuam Serenitatem ad præfatum Dominum Megapolenſem, alteras ad præfatos Dominos Pomeraniæ Duces dirigendas. Specialiter etiam præfati Domini Duces, videlicet Megapolenſis ſuas, & Pomeranienſes præfati ſuas ſub ipſorum Ducalibus Sigillis ſubappenſis eidem Sereniſſimo Domino noſtro Regi Poloniæ dabunt, & mittent.

Quæ quidem Literæ pro utraque Parte, & per quemlibet Dominorum Confœderatorum ſcribendæ, dandæ, & mittendæ, ſcribi debebunt de conſilio, & aſſenſu Prælatorum Status utriuſque Conſiliariorum, & Baronum, Domini Confœderati tales Literas ſcribentis, dantisque ſubditorum. Quodque eiusmodi Literæ Fœderum, & Societatum perpetuarum non ſolum ad præſentes feliciter regnantes, & dominantes Dominos Confœderatos, ſed etiam ad Succeſſores eorundem perpetuos referantur, ſcribantur, & intelligantur. In quorum omnium ſupra ſcriptorum teſtimonium Sigilla noſtra, tam ex parte noſtra Oratorum Sacræ Regiæ Maieſtatis, quam ex parte Oratorum Dominorum Ducum ſupra ſcriptorum Præſentibus ſunt ſubappenſa. Act. & Dat. in Civitate Gdanenſi feria quarta poſt Dominicam Lætare proxima Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo quarto. ANNO 1524.

## XI.

*Fœdus inter* SIGISMUNDUM I. *Regem Poloniæ, &* HENRICUM *Megapolenſ. nec non* GEORGIUM, *&* BARNINUM *Duces Pomeraniæ initum, quo ſibi mutua auxilia contra hoſtes ſuos promittunt. Cætera.* Act. & Dat. in Oppido Piotrkow in Conventu Generali die S. Priſcæ An. 1525. *Ex Archivo Regni Lib. 27. Num. 28. fol. 213. Item fol. 217. Item Lib. 28. Num. 29. fol. 97.* 1525.

In Nomine Domini Amen.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Omnes humanæ actiones, quæ hac lege fiunt, ut nunquam ab hominum memoria diſcedant, ſed perpetua ſerie decurrentes ſempiterna permaneant, nulla ratione melius ſtabiliri, & firmari poſſunt, quam ſi Literarum monumentis memoriæ proditæ ab interitu vindicentur. Atque ideo Nos SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Terrarumque Cracovienſis, Sandomirienſis, Siradienſis, Lancicienſis, Cuiaviæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Culmenſis, Elbingenſis, & Pomeraniæ Dominus, & Hæres &c. præſentium Literarum teſtimonio apud omnes homines, qui nunc ſunt, & futuri ſunt, teſtatum eſſe volumus, & profitemur. Quod inter alia ſtatus noſtri, Regnique, & Dominiorum noſtrorum negotia, quæ recenſendo, & memoria repetendo in animo revolvimus, & cum Conſiliariis noſtris deliberando, & conſultando inſtituimus, & decrevimus ad fulciendas res noſtras, & Regni noſtri, ut in pace, & tranquillitate, quoad fieri poteſt, gubernatæ permaneant, & retineantur: id etiam non minus conſentaneum, & utile, quam neceſſarium viſum eſt faciendum, ut cum Illuſtriſſimis Principibus Dominis HENRICO Megapolenſi Wandalorum Principe, Comite Sverinenſi, Terrarumque Roſtochii, & Stargardiæ Domino, Dominis GEORGIO, BARNINO, Stetinen. Pomeraniæ, Caſſubiæ, Sclavoniæ &c. Du-

ANNO 1525. cibus, Principibus Rugiæ, ac Comitibus in Guſkaw, Fœdus, ſocietatem, & amicitiam ineamus, quam noſtros maiores etiam cum maioribus eorum tenuiſſe, & ſervaſſe Literæ ultro, citroque deſuper confectæ, atque in ſcriniis repertæ teſtantur, quibus permoti paulo ſuperiori tempore Reverendiſſimum, & Reverendos in Chriſto Patres Dominos Joannem Eccleſiæ Gneſnenſis Archiepiſcopum, Legatum Natum, et Primatem, Mathiam Cuiavienſem, Pomeraniæ, Joannem Culmenſem, Epiſcopos, Magnificosque, & Generoſos Staniſlaum de Coſcielec Palatinum Caliſienſem, Marienburgenſem, Bidgoſtienſem, & Strumenſem Capitaneum, Georgium de Baiſen Palatinum Marienburgenſem, & Gneſnenſem Capitaneum, & Achatium Czema Succamerarium Pomeraniæ, & Capitaneum Slochovienſem, Oratores, & Conſiliarios noſtros ad tractandum, & componendum de modo, & ordine eiuſce amicitiæ, & ſocietatis deſignatos miſimus, quorum ſtudio, & opera, poſteaquam cum Oratoribus, & Conſiliariis eorundem Dominorum Ducum, Magnifico Georgio Comite de Eberſteg, et Domino in Nawgarten, et utriusque Juris Doctoribus, Nicolao Marſchalci, et Valentino de Stogontin, Capitaneoque in Loczyc convenerunt, eo res deducta eſt, ut compoſitis rebus, et deſcriptis omnibus Articulis in hoc Fœdere, et ſocietate inter Nos, et ipſos Dominos Duces pactis, et ad Nos partium Sigillis obſignatis, perlatis, ipſos de conſilio, et aſſenſu Prælatorum, Baronum, et Conſiliariorum noſtrorum ſtatus utriusque approbatos ad memoriam ſempiternam confirmaremus, eo tenore, qui ſequitur.

Inprimis autem Nos, et Succeſſores noſtri cum ſupradictis Illuſtriſſimis Dominis HENRICO Megapolenſi etc. ac GEORGIO, et BARNINO Stetinen. et Pomeraniæ etc. Ducibus, eorumque Succeſſoribus eſſe volumus harum ſerie Literarum in amicitia perpetua coniuncti, et Confœderati, eisque, ac eorum Succeſſoribus conſilio, favore, et auxilio opportuno pro poſſe noſtro, adverſus quemlibet hoſtem Ducatibus, et Terris illorum propinquius adiacentem aſſiſtemus, in omni eventu, et præſertim, ſi Illuſtris Dominus JOACHIMUS Marchio Brandeburgenſis, Elector Romani Imperii, aut eius Succeſſores, Hæredes, complices, fautores, auxiliatores, et adhærentes illos, vel Terras, et *D*ominia illorum impeteret, aut alia quacunque via hoſtiliter invadere, ſeu moleſtare ſimul, vel diviſim vellet, atque in effectu moleſtaverit, aut invaſerit. Similiter ipſi quoque Principes, et *D*omini prædicti, eorumque Succeſſores eſſe debent Nobiſcum, et cum noſtris Succeſſoribus Regibus Poloniae in amicitia perpetua coniuncti, et Confœderati, Nobisque, et noſtris Succeſſoribus conſilio, auxilio, et favore pro poſſe ſuo adverſus quemlibet hoſtem Regno, Terris, et *D*ominiis noſtris propinquius adiacentem, in omni eventu aſſiſtent, et ſi ſpecialiter *D*ominus Magiſter Ordinis Sanctæ Mariae Theutonicorum de Pruſſia cum Ordine ſuo, vel eius Succeſſores, Haeredes, complices, fautores, auxiliatores, et adhærentes Nos, Succeſſoresque noſtros, vel Regnum, Terras, et *D*ominia noſtra impeteret, aut alia quacunque via hoſtiliter invadere, ſeu moleſtare, ſingulariter, vel coniunctim vellet, atque in effectu moleſtaverit, aut invaſerit. Contra Paganos autem, haereticos, et ſchiſmaticos, in remotioribus agentes, Nos, Succeſſoresque noſtri pro virtutis noſtrae arbitrio, et beneplacito praefatis *D*ominis *D*ucibus aſſiſtemus, et opitulabimur, quemadmodum et ipſi quoque, eorumque Succeſſores viciſſim Nobis, et noſtris Succeſſoribus contra eosdem infideles, haereticos, et ſchiſmaticos in remotioribus agentes pro virtutis ſuae arbitrio, et beneplacito, aſſiſtent, et auxilia ferent. ANNO 1525.

Ea autem auxilia, & reliqua aſſiſtentiae officia Nos eisdem *D*ominis *D*ucibus expenſis noſtis praeſtabimus, et Succeſſores noſtri praeſtabunt. Cum vero Exercitus noſter, vel Succeſſorum noſtrorum, quem in auxilium praefatis *D*ominis *D*ucibus mittemus, ad eorum fines pervenerit, illum mox hi ipſi *D*omini *D*uces, et eorum Succeſſores per ſuum Conductorem excipient, qui eidem Exercitui in eius profectione de quieto, et ſecuro tranſitu, deque habendo commeatu iuſto eiusdem Exercitus pretio, ac aere eius proprio comparando, conſulet, et providebit, eique aſſiſtet.

Quodſi in bello, ad quod Gentes noſtras in auxilium praefatis *D*ominis *D*ucibus mittere Nos, aut Succeſſores noſtros contigerit, aliquis de Exercitu noſtro, vel eorundem Succeſſorum noſtrorum ſive praeliando, vel aliis modis extra praelium ipſis *D*ominis *D*ucibus militando, captus, vel detentus, aut alias in obligationem receptus, ſeu ſponſione fidei obſtrictus fuerit, illi per eosdem *D*ominos *D*uces, vel eorum Succeſſores conſuletur, et ſuffragabitur. Et propterea etiam in manu, et poteſtate eorundem Dominorum Ducum omnes, et ſinguli captivi ex hoſtibus, quacunque ratione capti, eſſe debebunt.

Inſu-

ANNO 1525. Insuper Deo Optimo Maximo expugnationem aliquarum Arcium, Castrorum, Civitatum, et quorumvis aliorum locorum concedente in eo bello, ad quod praesidium per Nos, vel Successores nostros dictis Dominis Ducibus fuerit missum, ea omnia, et singula in eo ipso bello expugnata, si prius ad ipsos *D*ominos Duces, vel eorum Praedecessores pertinuerunt, eis erunt relinquenda. Si vero nec ad illos, nec ad Nos, aut Praedecessores nostros spectabant, nihilominus ipsis Dominis Ducibus, et eorum Successoribus cedent, et cedere debebunt.

Et quia Confœderatorum interest mutuam rerum, & actionum suarum curam habere, non indicemus bellum Nos, & nostri Successores ex vi, & ordinatione horum Fœderum cuicunque hosti nostro, Regnique, & Dominiorum nostrorum, insciis, & inconsultis praefatis Dominis Ducibus, aut eorum Successoribus, fortasse enim communicato cum illis consilio viæ, & modi invenientur, per quos iniuria Nobis, Regnoque, & Dominiis nostris illata resarciri, & pro illa debita satisfactio citra vim armorum impendi poterit, nisi forte Nos inopinati, seu ex insperato invaderemur, Successoresque, aut Regnum, & Dominia nostra invaderentur.

Non permittemus etiam Nos, & Successores nostri pro virium nostrarum facultate transire, & redire Gentes, sive nostras, sive alienas adversus praefatos Dominos Duces, aut eorum Successores per loca Regni, & Dominiorum nostrorum hostili molimine proficisci conantes, neque illas quoquo modo occulte, vel manifeste adiuvabimus, ut hosti ad usum, ipsis vero Dominis Ducibus, aut eorum Successoribus ad damnum pervenirent. Et quoniam iacula praevisa minus feriunt, conatusque hostium praesciti, & cogniti non ita graves, & noxii, ut subiti, & inopinati esse solent, pollicemur pro Nobis, & nostris Successoribus, quod quotiescunque praesenserimus aliquas insidias parari ipsis Dominis Ducibus, vel eorum Dominiis, opponemus Nos pro posse nostro, ut eas ipsas insidias avertamus industria, vel viribus nostris, & nihilominus eosdem Dominos Duces, quam primum poterimus, praemonebimus, ut rebus suis tempestive provideant, suæque & Dominorum suorum indemnitati prospiciant.

Liberum autem esse debebit ipsis Dominis Ducibus praedictis, & eorum Successoribus ultra debitum Confœderationis subsidium, totiens quotiens voluerint, Gentes in Regno, & Dominiis nostris ære ipsorum proprio ad eorum necessitatem conducere, cum scientia tamen, praescripto, & ordinatione nostra, & Successorum nostrorum. ANNO 1525.

Item providebimus, & providere curabimus in confinibus Regni, & Dominiorum nostrorum, ne fiant latrocinia, cædes, spolia, invasiones, excursiones, & captivitates inter nostros, & dictorum *D*ominorum *D*ucum subditos. Pro commissis autem damnis, iniuriis, & excessibus Judices nostros Commissarios omni triennio ad Oppidum nostrum Choynicze ad diem S. Galli, a Festo ipsius S. Galli proxime praeterito inchoando, & sic consequenter pro eodem die de triennio in triennium designabimus, & mittemus, ipsi etiam *D*omini *D*uces praefati, eorumque Successores suos Judices Commissarios illuc in Choynicze de triennio in triennium, uti praemissum est, pro tempore supra expresso designabunt, & mittent, qui simul cum nostris convenientes, oppressis, iniuriatis, & dampnificatis communibus subditis nostris cum plena potestate, tam in criminalibus, quam civilibus causis iustitiam indilatam ministrabunt.

Vt autem subditi dictorum *D*ominorum *D*ucum, quibus per subditos nostros facta fuerit iniuria, & damnum, expeditius iustitiam debitam consequantur, mittent querelas suas contra ipsos subditos nostros ad praefectum Stolpensem, qui illas ad Magnificum Palatinum Pomeraniæ modernum, & pro tempore existentem mittere curabit, ita ut prius uno quartali anni, quam praefatus Conventus agetur, huiusmodi querelæ ad manus ipsius Palatini perveniant. Similiter etiam subditi nostri querelas suas contra subditos ipsorum *D*ominorum *D*ucum ad eundem Palatinum Pomeraniæ pro tempore existentem mittent, vel deferent, qui illas ad Praefectum Stolpensem uno quartali anni, antequam ipsa Conventio Choynicensis inchoabitur, perferri curabit.

Qui quidem Palatinus Pomeraniæ modernus, & pro tempore existens subditos nostros tam actores, quam reos ad locum, & diem conventionis praedictæ coram nostris, & ipsorum *D*ominorum *D*ucum Judicibus Commissariis iudicialiter comparare iubebit, qui si fuerint rei, & comparere noluerint, vel temere neglexerint, nihilominus ipsi communes Commissarii parti querenti iustitiam de illis ministrabunt, secundum quod ius, & æquitas dictaverit, & similiter de actoribus non comparentibus facient. Idem observandum erit, si quis de terris nostris Poloniæ, aut ex *D*ucatu Pomeraniæ cum alterutrius subditis in dicto Choynicensi Conventu actiones suas iure prosequi voluerit,

ANNO 1525. luerit, is enim querelas ſuas in manus Capitanei Maioris Poloniæ Generalis, qui fuerit pro tempore, tempeſtive mittere curabit, & in omnibus ſupradicta formula ab utraque parte obſervanda erit.

Item providebimus, & providere curabimus, ut in manutenendis limitibus noſtra, & dictorum *D*ominorum *D*ucum *D*ominia concernentibus, æquitas obſervetur, & quod nemo ſubditorum noſtrorum aliquem ſubditum eorundem *D*ominorum *D*ucum de poſſeſſione vetuſta, & uſu aliquorum bonorum, vel aliquarum pertinentiarum in *D*ominiis ipſorum *D*ominorum *D*ucum exiſtentium eiiciat, niſi auctoritate illorum adhibita.

Volentes autem Nos ex ea coniunctione, & affinitate, quæ cum prædictis *D*ominis *D*ucibus Nobis intercedit, commoditatibus non ſolum ſuarum Illuſtritatum, verum etiam ſubditorum earundem proſpicere, conceſſimus, & harum ſerie Literarum concedimus, Succeſſoresque noſtri concedent, & permittent vigore Ordinationis, Statuti, & Fœderum cum eisdem *D*ominis *D*ucibus initorum eam facultatem ipſorum ſubditis, ut poſſint in Regnum, & *D*ominia noſtra, terra, & mari venire, & cum ſubditis noſtris mercari, ac negotiationes exercere libere, & ſecure ſine quovis impedimento, quandocunque, & quotiescunque illis expediens, & conveniens viſum fuerit, ſalvis tamen iuribus Regni, et *D*ominiorum noſtrorum, prout in illis hactenus fuit obſervatum.

Et quia pro Colonis profugis inter ſubditos utriusque *D*ominii differentia, et controverſia ſolet plerumque ſuboriri, conſtitutum eſt, ut ab hoc Confœderationis tempore, quicunque profugus fuerit, infra quinque annos a ſuo *D*omino iure repetitus, eidem repetenti, in quantum Jus ſibi ad ipſum competierit, ſine omni renitentia reſtituatur, ſed lapſo quinquennio a tempore ſcientiæ computando, quam ſcientiam ſubditum ſuum repetens ſuo corporali iuramento probare debebit, poſſeſſor huiusmodi profugi præſcriptione quinquennali repellet ab actione repetentem, niſi repetens iuramento ſuo probaverit ſe non permiſiſſe a tempore ſcientiæ ſuæ tranſire præſcriptionem quinque annorum.

Reliquum eſt, quod transgreſſoribus, et aliis quibuscunq; quocunq; facinore, exceſſu, ſive comminationibus, atque inimicitiarum denuntiationibus, aut alia quavis ſuſpicione notatis Salvum Conductum non dabimus, nec dari faciemus, niſi cautione prius ab eis, aut aliquo eorum recepta, de ſtando, & parendo Juri in eo loco, in quo in ipſis Dominiis prædictorum Dominorum Ducum deliquerint, ubi hi ipſi Domini Duces, & eorum Succeſſores eisdem transgreſſoribus, & aliis quibuscunque notatis, ac ſuſpectis, ad eos, vel ad eorum loca, et Dominia venturis de novo Salvo Conductu providebunt, & ſi tales Iuri, vel rei iudicatæ parere, et ſatisfacere noluerint, pro proſcriptis apud Nos, et Succeſſores, ſubditosque noſtros haberi, cenſeri, et reputari debebunt, nec amplius in Regno & Dominiis noſtris foveri poterint, ad illosque capiendos, & debita animadverſione puniendos auxilium, & conſilium ubilibet in Regno, & Dominiis noſtris præſtabimus, & præſtare faciemus, noſtrique Succeſſores præſtabunt, & præſtari facient. ANNO 1525.

Quos quidem Fœderis, Coniunctionis, & Amicitiæ modos, conditiones, articulos ſupraſcriptos ſic, uti præmiſſum eſt, concluſos, & confectos, & pro communi bono, ac tranquillo, & quieto ſtatu Regni, ſubditorumque noſtrorum, & etiam Dominiorum, & ſubditorum ipſorum Dominorum Ducum prædictorum ſtabilitos, Nos SIGISMUNDUS Rex Poloniæ, & Magnus Dux Litvaniæ &c. pollicemur verbo noſtro Regio de conſilio, & aſſenſu Prælatorum, & Procerum, Conſiliariorum noſtrorum ſtatus utriusque in omnibus punctis firmiter tenere, implere, & inviolabiliter obſervare, Hæredesque, & Succeſſores noſtri obſervabunt perpetuo, & in ævum. In cuius rei fidem, & teſtimonium præſentibus Sigillum noſtrum appendi fecimus. Actum & Datum in Oppido noſtro Piotrkow in Conventu Generali die S. Priſcæ Virginis. Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto. Regni noſtri An. decimo octavo. Præſentibus Reverendiſſimo, ac Reverendis in Chriſto Patribus, & Dominis Joanne Archiepiſcopo Gneſnenſe Legato nato, & Primate, Petro Tomicki Cracovienſi, & Poſnanienſi Epiſcopo, & Regni Poloniæ Vicecancellario, Mathia Vladiſlavienſi, Raphaele Plocenſi, Andrea Premiſlienſi, Jacobo Chelmenſi, & Laurentio Camenecenſi, Epiſcopis, nec non Magnificis, Venerabilibus, & Generoſis Nicolao de Dambrowica Caſtellano Cracovienſi, Chriſtophoro de Szydłowiec Palatino, & Capitaneo Cracovienſi, & Regni noſtri Cancellario, ac Siradienſi, Sochaczovienſi, Goſtinenſi, novæ Civitatis Korczyn, Schidłovienſi, ac Sambinenſi Capitaneo, ac in magna Opatow Domi-

Anno 1525. Domino, Andrea de Tanczyn Sandomirienſi, ac Belſenſi, Chełmenſi Capitaneo, Staniſlao de Koſcielec Caliſſienſi, ac Mariemburgenſi, Bidgoſtienſi, & Słumenſi Capitaneo, Jaroſlao Laſko Siradienſi, Andrea de Oporow Junivladiſlavienſi, Otto de Chodecz Ruſſiæ Generali, Halicienſique, & Colomienſi Capitaneo, & Præfecto militum noſtrorum in Terris Ruſſiæ, Joanne Bochotnicki de Oleſnica Lublinen. Andrea de Nyſzycze Plocenſi, Andrea de Kutno Ravenſi, Palatinis, Luca de Gorka Poſnanſi, & Capitaneo Maioris Poloniæ Generali, Nicolao de Szydłowiec Sandomirienſi, ac Regni noſtri Theſaurario, ac Radomienſi, Olſtinenſi, Krzepicenſi, Oſwiaczymenſi, & Zatorienſi Capitaneo, Venceſlao de Oſtrorog Caliſſienſi, Joanne Comite de Tarnow Woynicenſi, Vincentio Swidwa de Szamotuły Gneſnenſi, & Capitaneo Krasnoſtavienſi, Jacobo de Przeramb Siradienſi, Joanne de Oporow Lancicienſi, & Capitaneo Kruſvicienſi, Petro de Sluzewo Junivladiſlavienſi, Januſſio Swirizowſki Viſſicienſi, ac Robczycenſi, ac Trebowlienſi Capitaneo, Georgio Krupſki de Orchowo Leopolienſi, & Capitaneo Hrodlenſi, Joanne de Tarnow Biecenſi, & Capitaneo Pilsnen. Adam de Drzewica Radomien. Joanne Kobylenſki Roſperien. Joanne de Wieczuna Plocen. & Capitaneo Bratkianen. Staniſlao de Sprowa Zarnovien. & Capitaneo Opocznen. Mathia Goſtynſki Srzemen. Petro Gorſki Naklen. Capitaneo Wſchoven. Nicolao Ruſſocki Breſten. & Lancicien. ac Pzedecen. Capitaneo, Hieronimo Rosdrazewſki Przemiſlien. Joanne Rosdrazewſki Camenen. Nicolao de Niſczyce Roſpirien. & Capitaneo Plocen. Caſtellanis, Staniſlao de Chodecz Marſchalco Regni noſtri, ac Leopolien. Capitaneo, Joanne Latalſki Gneſnen. Cracovien. Poſnanien. & Lancicien. Joanne Karnkowſki Scarbimirien. Præpoſitis, Staniſlao Gorecki Cuſtode Plocen. & Præpoſito Caliſſien. Joanne Choienſki Cracovien. Joanne Gorſki Poſnanien. Archidiaconis, Nicolao Jamoſczki Sandomirien. Bernardo Wapowſki Cracovien. Cantoribus, Staniſlao Tarło Canonico Cracovien. Secretariis noſtris, Sylveſtro Ozarowſki Succammerario noſtro, ac Zawichoſten. Capitaneo, Joanne Tarło de Sczekarzowicze Inciſore Regni noſtri, & aliis quam plurimis dignitariis, Aulicisque noſtris teſtibus circa præmiſſa fide dignis ſincere, & fidelibus nobis dilectis. Datum per manus præfati Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Petri Cracovien. & Poſnanien. Epiſcopi, & Regni noſtri Vice Cancellarii ſincere nobis dilecti. Anno 1525.

*Petrus Epiſcopus, & Vicecancellarius.*

*Relatio eiusdem Reverendi in Chriſto Patris Domini Epiſcopi Cracovien. & Poſnanien. & Regni Poloniæ Vicecancellarii.*

## XII.

*Diploma* Sigismundi I. *Regis, quo Arcem Büthow, & Civitatem Lawenburg Ducibus Pomeraniæ in feudum confert.* Act. & Dat. in Civitate Gdanenſi die 3. Maii Anno 1526. *Ex Arch. Regni Lib. 28. Num. 29. fol. 785.* 1526.

In Nomine Domini Amen.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Nos Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Dominus, & Hæres. Univerſis, & ſingulis præſentibus, & futuris, harum ſeriem inſpecturis, manifeſtum facimus. Quia vigentibus olim bellis inter Sereniſſimum felicis memoriæ Casimirum Regem Parentem, & Prædeceſſorem noſtrum, ac inter Ordinem dictum S. Mariæ Theutonicorum in Pruſſia, Illuſtris olim Princeps Dominus Ericus Stetinenſis, Pomeraniæ, Caſſubiæ, Wandaliæ Dux, & Princeps Rugiæ, multa in ipſis bellis, & controverſiis favoris, benevolentiæ, & obſequii ſui erga prædictum Sereniſſimum Parentem noſtrum officia exhibere, & ſuppetias non vulgares illius Maieſtati defunctæ adverſus hoſtes eius præſtare ſolitus erat, ac ob eam cauſam illi Arcem Bütow, una cum oppido ibidem conſiſtente, nec non Civitatem Lawenburg cum univerſis fructibus, & proventibus ad illam pertinentibus, idem Sereniſſimus Parens noſter ad arbitrium, & beneplacitum ſuum conceſſerat, ut id ex Literis, & aliis monumentis abunde conſtat. Deinde vero ad eam benevolentiam, & coniunctionem, quæ inter Sereniſſimos Prædeceſſores, & prædictum Dominum Ducem Ericum, & poſteros eius interceſſerat, etiam affinitas, & neceſſitudo acceſſit, quæ ad hæc usque tempora mutuis officiis, & amore coaluit, ita ut prædictas Arces, & Oppida repetita quidem aliquoties, tamen non gravatim, & Nos, & Sereniſſimi Fratres, ac Prædeceſſores noſtri poſſideri a nominatis Ducibus Pomeraniæ, citra iurium Regni

ANNO 1526. sui detrimentum ferebant. Cum postremo Nos ad has Terras nostras Prussiæ venientes invisseret officiosissime Illustris Princeps Dominus GEORGIUS Stetinensis, Pomeraniæ, Cassubiæ, Vandaliæ Dux, & Princeps Rugiæ, Nepos noster ex Sorore Charissimus, & suam, ac Illustris Fratris sui Germani Domini BARNINI singularem erga Nos propensionem animi, & observantiam declaravit, remisitque Nobis, & Successoribus nostris de Dote Illustrissimæ olim Dominæ Annæ Sororis nostræ a præfato Serenissimo Domino Rege Casimiro Patre nostro promissa, quatuordecim millia aureorum Hungaricalium: volentes vicissim erga Illustritates eorum uberiorem amorem nostrum testari, & illas, earumque Successores Nobis, ac Regno nostro arctiori benevolentia, & coniunctione devincire, attamen iuribus Regni nostri non deesse, illis, & earum Hæredibus masculis, Arces, & Oppida prædicta Bütow, & Lawenburg, cum omnibus, & singulis eorum Subditis, Vasallis, fructibus, libertatibus, eminentiis, censibus, proventibus, Juribus, & pertinentiis universis, sicuti illa ad arbitrium, & beneplacitum, ut dictum est, Serenissimorum Prædecessorum nostrorum, & nostrum, hactenus usu, & fructu tenuerunt, de consilio, & consensu Dominorum Consiliariorum, tam Spiritualium, quam Scæularium Regni nostri, tenenda, habenda, fruenda, utenda, & possidenda in perpetuum Jure Feudi pro Nobis, & Successoribus nostris Regibus Poloniæ dedimus, & concessimus, ac illos de eis ipsis Arcibus, & Oppidis Bütow, & Lawenberg investivimus, & tenore præsentium damus, & concedimus, illosque, & eorum Hæredes de ampliori gratia, & benevolentia nostra ab omni iuramento, nec non tributis, & exactionibus quibuscunque, Nobis, & posteris nostris ratione dictarum Arcium, & Oppidorum præstandis dimittimus, & liberos facimus. Pollicemur præterea dictos Principes in prædictis Arcibus, & eorum pertinentiis, quantum in Nobis est, defendere, et tueri. Tenebuntur tamen, et obligati esse debent præfati Domini Duces, et eorum Successores ad singulas Successorum nostrorum Regum Poloniae Coronationes, vel venire ipsi, vel Consiliarios, aut Officiales suos mittere, qui hoc ipsum Jus feudale de praefatis Arcibus, & Oppidis ad Regnum nostrum pertinens, ita ut iam dictum est, recognoscent, et litteras eius Recognitionis, et Renovationis ipsius feudi, quae gratis illis debent dari, a Nobis Regibus accipient. Quod si aliqua legitima causa impediti hoc officium, et debitum in Coronationibus Successorum nostrorum non fecerint, nihil ea negligentia illis detrimenti afferre debebit, dummodo alio brevi tempore post Coronationem id praestare curaverint. Ubi vero ipsi Principes Domini GEORGIUS, & BARNINUS Duces Pomeraniae sine legitimis masculis Feudi Haeredibus, vel eorum legitimi masculi Feudi Haeredes non relicta prole virili decederent, Stirpsque, et progenies eorum mascula, et legitima deficeret, ex tunc praedictae Arces, et Oppida Bütow, et Lawenburg cum omnibus suis bonis, subditis, Vasallis, fructibus, libertatibus, iuribus, eminentiis, et pertinentiis universis, ac cum pleno iure, et possessione citra omnem difficultatem ad Nos, et Posteros nostros Reges Poloniae redire debebunt: salva tamen interim perpetua Jurisdictione proventibus, decimis, seu Episcopalibus, cum Villis, bonis, et piscaturis, ac libertatibus ad Reverendum Dominum Episcopum, et Ecclesiam Vladislavienſem ex antiquo pertinentibus. In cuius rei testimonium Sigillum nostrum praesentibus est appensum. Actum, et datum in Civitate nostra Gedanensi die Inventionis S. Crucis, anno Domini 1526. Regni nostri anno vigesimo. Praesentibus Reverendis in Christo Patribus, Dominis, Petro Tomicki Cracovien. et Regni nostri Vicecancellario, Mathia Drzewicki, Vladislavien. Joanne Latalski Posnanien. Mauritio Ferber Varmien. Andrea Erzivilio Premislien. et Joanne Konopacki Culmen. Episcopis, nec non Magnificis, Venerabilibus, et Generosis Christophoro de Szydłowiec Palatino, et Capitaneo Cracovien. et Regni nostri Cancellar. ac Siradien. Sochaczovienſi, Gostinenſi, Novae Civitatis Korczyn, Sambinen. et Lukovien. Capitaneo. *Stanislao* de Koscielec Posnanien. ac Marienburgen. Bidgostien. et *Stumen.* Capitaneo, Andrea de Tańczyn *Sandomirien.* et Belsen. Chelmen. Krasnostavien. Rathen. Capitaneo, Hieronimo de Lasko *Siradien.* Joanne de Lusianis Culmen. et Capitaneo Radzinen. Georgio de Bayſen Marienburgen. et Gnewen. Capitaneo, Georgio de Konopath Pomeraniae, et *Svecen.* Capitaneo, Palatinis: Luca de Gorka Posnanien. et Capitaneo Maioris Poloniae Generali, Nicolao de *Szydłowiec Sandomirien.* et Regni nostri Thesaurario, ac Radomien. Oswiacimen. Zatorien. Krzepicen. et Olstinen. Capitaneo, Joanne Comite de Jarnow Woynicen. et Capitaneo *Sandomirien.* Joanne de Koscielec Lancicien. et *Capitaneo* Tucholien. Petro de *Sluzewo* Junivladislavien. Joanne de Tarnow *Sandecen.* et *Capitaneo* Pilznen-

ANNO 1526.

ANNO 1526. Pilznen. Januſſio Swirczewſki Wiſlicien. ac Robczycen. et Trebovlien. Capitaneo, Staniſlao de Sprowa Biecen. et Capitaneo Opocznen. Joanne de Thanczyn Lublinen. Ludovico de Mortangen Elbingen. et Capitaneo Pokrzywnicen. Joanne de Wieczna Plocen. et Capitaneo Bratianen. Joanne Rozdrażewſki Camenen. Caſtellanis; Nicolao Działynſki Dobrzynen. et Capitaneo Brodnicen. Georgio Targowſki Culmen. et in Tolkemit Capitaneo, Michaele Zeliſławſki Marienburgen. et Novenen. Capitaneo, et Achatio Czema Pomeraniae, et Capitaneo Slochovien. Succamerariis. Joanne Karnkowſki Cracovien. et Scarbimirien. Praepoſito, Joanne Choienſki utriusque Juris Doctore, Archidiacono Cracovien. Nicolao Zamoyſki Woynicien. Tarnovien. Praepoſito, Canonicoque Cracovien. Staniſlao Tarło de Szczekarzowicze Archidiacono Lublinen. et Canonico Cracovien. Secretariis noſtris, Nicolao Tomicki Tribuno Lancicien. ac Coſten. Pisdren. et Coninen. Capitaneo, Praefecto Stabuli noſtri, Sylveſtro Ożarowſki Succamerario noſtro, ac Zawichoſten. Capitaneo, Joanne Tarło de Szczekarzowicze Inciſore Regni noſtri, et Simone Chlewicki Magiſtro Coquinae noſtrae, caeterisque Dignitariis, Officialibus, et Aulicis noſtris teſtibus circa praemiſſa fide dignis ſincere devotis, et fidelibus dilectis. Dat. per manus praefati Reverendi in Chriſto Patris Domini Petri de Tomicze Epiſcopi Cracovien. et Regni noſtri Vicecancellarii, ſincere Nobis dilecti.

*Relatio eiusdem Reverendi in Chriſto Patris Domini Petri Tomicki Epiſcopi Cracovien. & R. P. Vicecancellarii.*

XIII.

*Literæ* SIGISMUNDI *Regis ad Duces Pomeraniæ, ut Epiſcopo Vladiſlavienſi Decimas ſolvant.* Dat. Gedani 30. Jun. 1526. *Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. E. fol. 304.*

SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Dominus, & Hæres. Illuſtriſſimis Principibus, Dominis GEORGIO, & BARNINO, Stetinen. Caſſubiæ, Vandaliæ Ducibus, Principibus Rugiæ &c Nepotibus noſtris chariſſimis Regii noſtri amoris incrementum, & felices ſemper ſucceſſus. Illuſtriſſimi Principes, Domini Nepotes noſtri chariſſimi. Dum Veſtra Celſitudo Illuſtriſſime Princeps, Domine GEORGI hic apud Nos Gdani ageret, inter alios Tractatus, quos cum eadem habuimus, & concluſimus, Reverendi Domini Mathiæ Epiſcopi Vladiſlavienſis ſincere Nobis dilecti, & ſuæ P. Eccleſiæ, tanquam eius Patronus, obliti non fuimus. Nam inter alios Articulos ita ordinatum eſſe meminimus, ut Veſtra Illuſtr. Celſitudo ipſum Dominum Epiſcopum, & ſuæ P. Eccleſiam, ſeu Bona Eccleſiæ ſuæ in Diſtrictu Lavenburgenſi exiſtentia, in vetuſtis immunitatibus conſervaret, & conſervari ab Officialibus faceret, & quæ eidem iuſte dari, & ſolvi ſolita ſunt, a ſubditis Veſtræ Illuſtr. ut eadem ſolvi, & tribui faceret, ac ſuæ Paternitatis Jurisdictionem paſtoralem manuteneret; præfatus ſiquidem Dominus Epiſcopus exiſtimans a Veſtra Illuſtr. Celſitudine ita mandatum, & ordinatum eſſe, ut ſibi ea, quæ ad ipſum in eo Diſtrictu pertineant, dari, & ſolvi deberent, tum etiam ut iuſtitiam de plano in omnibus haberet, miſiſſe ſe illuc, pro exigendis Epiſcopalibus, & ut Lacus quoque Lebſko uſum iuxta privilegiorum ſuorum tenorem, ac diſpoſitionem recuperaret, nihil tamen ſe aſſequutum teſtatus eſt. Quia vero iniquum eſſet, præfatum Epiſcopum, ac ſuam Eccleſiam debita iuſtitia, & proventibus deſtituere, non conveniret Nobis, qui Eccleſiæ illius Patronus ſumus, rem ſilentio tranſire, præſertim quod Veſtrarum Illuſtr. mentis eſſe non credimus, ut nedum Eccleſiis, ſed nec cuipiam alteri aliquid, quod ſuum eſt, auferatur, aut denegetur. Veſtris itaque Illuſtr. commendamus iuſtitiam præfati Domini Epiſcopi, & Eccleſiæ ſuæ, easdem ex affectu petentes, velint eum ordinem ponere, & Officialibus illius Diſtrictus præcipere, ut ea reddi faciant Domino Epiſcopo, & Eccleſiæ ſuæ, quæ ad ipſam iuſta obſervatione pertinet, & bona, & ſubditos ſuos in tuitione ſua, atque iuſtitia conſervet, Jurisdictionemque Eccleſiaſticam ſuæ P. tueantur, atque uſum Lacus Lebſko permittant, ne quid iuſtis Privilegiis Eccleſiaſticis abrogetur. Quam quidem ob rem Veſtræ Illuſtr. non parum gratificabuntur ex ſtudio iuſtitiæ, & meritum a Deo, & famæ amplitudinem merebuntur, quas Illuſtr. Celſitudines veſtras bene valere cupimus. Ex Gedano ultima Iunii 1526. ANNO 1526.

XIV.

*Pomeraniæ Duces Feudum ſuum præſtabunt* SIGISMUNDO II. *Regi, cum ad ætatem legitimam pervenerit. Ex Archivo Regni.* 1530.

SIGISMUNDUS Rex Poloniæ &c. Significamus tenore Præſentium, & teſtamur

Anno ſtamur univerſis. Quod Illuſtris Prin-
1530. ceps, Dominus Barninus Stetinenſis, Pomeraniæ, Caſſubiæ, Vandaliæ, &c. Dux, Princeps Rugiæ &c. cum Illuſtri Principe Domino Philippo Nepote ſuo, recognoſcere volentes Feudum Sereniſſimo Filio noſtro prope iam duos annos in Regem coronato, quo ratione Caſtri & Oppidi Bütow, ac Civitatis Lavemberg Regno noſtro ſunt devincti, miſerant huc loco ſuo Nobilem, ac Generoſum Iacobum Vubeſer Capitaneum in Lavenburg, Conſiliarium, & Oratorem ſuum, qui Officio recognoſcendi dicti Feudi illarum nomine faceret ſatis. Quæ res cum Nobis hoc tempore minime adhuc neceſſaria viſa eſt, cum Sereniſſimus Filius noſter nondum aliquid in Regno, & Dominiis noſtris Imperii, præter Nomen Regale habeat, Nobis hucuſque ipſis adminiſtrationem Dominii tam in Regno, quam cæteris Provinciis noſtris retinentibus, differendam eam ipſam feudalem officii recognitionem in illud uſque tempus duximus, cum Sereniſſimus Filius noſter plenam ætatem adeptus, Iure dominandi, & gubernatione debita tam in Regno, quam in reliquis Dominiis potietur.

Eam tamen diligentem Dominationum ſuarum ſedulitatem, & debiti præſtandi vigilantiam, Nos et nunc gratam habuimus, et deinceps ſemper acceptam una cum Sereniſſimo Filio noſtro habere volumus. In cuius rei fidem, ac teſtimonium praeſentes Literas ſcribi, et Signo noſtro Regio obſignari fecimus. Datum Cracoviae Anno 1530.

XV.

1539. *Literæ* Sigismundi I. *ad* Joachimum *Marchionem Brandeburgenſem, & Pomeraniæ Ducem, ut Epiſcopo Poſnanienſi decimam pecuniariam fertonum ſolvi faciat. Ex Archivo Regni. Lib. Legationum Lit. H. Fol. 7.*

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque &c. Dominus & Hæres.

*Illuſtris Princeps & Domine Gener & Nepos noſter Chariſſime.*

Ex certis quibusdam Bonis Illuſtritatis Veſtræ ſubditorum, primis adhuc temporibus ſolvebatur ſemper decima pecuniaria, fertonum appellant, Reverendo Domino Epiſcopo Poſnanienſi, ea iam annis aliquot dari eſt intermiſſa, contemptu quodam & temeritate. Magnopere poſtulamus ab Illuſtritate Veſtra, ut pro eo, ac facere decet Chriſtianum Principem, edicat ſuis, ne quid ſibi alienum uſurpent, ſed ita ut Deus ipſe præcepit, reddant, quæ Cæſaris ſunt, Cæſari, quæ autem Dei, Deo. Et apud Deum Illuſtritas Veſtra æquitate hac ſua gratiam inibit, & Nobis hoc tempore nihil facere poterit gratius, cum præſtationum, quæ antiquitus debentur vel Nobis, vel noſtris, donec præeſſe Nos eius Regni populis Deus permiſerit, ademptum nihil omnino, pro eo, ac debemus, ſtudemus. Felicem eſſe, & recte ſanam Illuſtritatem veſtram optamus. Datum Cracoviæ 8. die Martii. Anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo nono. Anno 1539.

Sigismundus *Rex.*

XVI.

*Confirmatio Feudi Ducum Pomeraniæ ſuper Arcem Bütow cum oppido, & oppidum Lawenburg cum ſuis territoriis.* Datum Cracoviæ die 20. Septembr. 1549. *Ex Archivo Regni. Lib. 59. Num. 60. Fol. 200.* 1549.

Sigismundus Augustus Dei Gratia Rex Poloniæ, M. Dux Litvaniæ, nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciae, Cuiaviæ, Ruſſiæ, totius Pruſſiæ, Maſoviae, Samogitiae, Culmenſis, Elbingenſis, Pomeraniæque &c. Dominus, & Hæres. Significamus præſentibus Literis, quorum intereſt univerſis praeſentibus & futuris. Quod cum arx Bütow cum oppido, & oppidum Lawenburg cum ſuis territoriis a divo Parente noſtro Sigismundo Rege, Gedani anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto, die Inventionis Sanctae Crucis Illuſtribus Principibus Georgio, & Barninio Ducibus Pomeraniae &c. in Feudum pro ipſis, & maſculis ipſorum Hæredibus agnatis tantum conceſſa ſint, cum omni iure, vaſallis, officiis, ſubditis, fructibus, & proventibus, ea conditione, ut iidem Domini Duces, & eorum agnati haeredes Maſculi, pro ſe quisque id ipſum Feudum Regibus Poloniae pro tempore exiſtentibus, & Regno per ſe, vel per Oratores & Conſiliarios ſuos, & Patentia Diplomata acceptum ferant, & recognoſcant, & Inveſtituram, ſeu Confirmationem eiusdem Feudi, quae gratis eis debet dari, ab ipſis petant, atque id quidem circa coronationem Regis cuiusque, vel ſi legitimum impedimentum intervenerit, non multo poſt fieri debeat. Miſerunt ad nos Illuſtres Domini Barninus idem, & Philippus Fratris eius Filius, Duces moderni Pomeraniae, &c. propinqui noſtri

chariſ-

ANNO 1549. chariſſimi, nobilem, & eruditum Balthaſarem de Wolde Juris Doctorem, Conſiliarium, & Oratorem ſuum cum ſufficienti mandato & literis. Ac primum quidem moram tot annorum a Coronatione noſtra interpoſitam purgarunt, quod oſtenderent divo Parenti noſtro, quoad ipſe viveret, Regnumque adminiſtraret, ſupervacaneum factu id viſum eſſe, ut ipſi a nobis Confirmationem eiusmodi peterent; poſt eius vero Maieſtatis obitum per Nos ſtetiſſe, quominus ipſi Pactis conventis hucusque ſatisfacerent. Deinde per eundem Oratorem, & literas ſuas coniunctim ſcriptas, & ſignatas, & ab eo Nobis traditas, in propatulo ſupradictas Præfecturas, ſeu Territoria Bütovienſe, & Lawenburgenſe a Nobis & Regno noſtro in Feudum ſe habere profeſſi ſunt, & recognoverunt, & Inveſtituram eorundem Territoriorum, ſeu Confirmationem Feudi ſupradicti officioſe a Nobis petiverunt, pollicentes Ducali ſuo verbo, omnia ſe noviter facturos eſſe, ad quæ ex iisdem illis litteris Feudi, & Pactis conventis obligarentur. Nos igitur ſatisfactionem eorundem Illuſtrium Principum, & Propinquorum noſtrorum accipientes, & iuſtis eorum precibus locum dantes, ſupramemoratum Feudum, ſicuti a divo Parente noſtro olim conſtitutum eſt, libere ab omni ſervitio, & iuramento, nec non tributis, & exactionibus quibuscunque Nobis & Poſteris noſtris ratione dictarum Arcium & Oppidorum præſtandis, ipſis & maſculis eorum Hæredibus agnatis concedimus, approbamus, confirmamus, & innovamus, ac de iisdem Arce, Oppidis, atque Territoriis Bütow & Lawenburg, quemadmodum ea hactenus poſſederunt, eos per harum litterarum traditionem inveſtimus, & pollicemur præterea prædictos Principes in prædictis Arcibus, & eorum pertinentiis, quantum in Nobis eſt, defendere, ac tueri: ea conditione, ut deficientibus eorum Hæredibus agnatis maſculis, dictæ Præfecturæ cum omni iure, fructibus, & proventibus, ad Nos, Succeſſoresque noſtros Reges, & Regnum Poloniæ ſine ulla controverſia, & contradictione cuiusquam revertantur, ſalva tamen ſemper perpetua iurisdictione proventibus, decimis, ſeu Epiſcopalibus, cum villis, bonis, & piſcaturis, ac libertatibus, ad Reverendum Dominum Epiſcopum Wladiſlavienſem, & Eccleſiam eius Wladiſlavienſem ex antiquo pertinentibus. In cuius rei fidem & teſtimonium manu noſtra præſentibus ſubſcripſimus, & Sigillum noſtrum appendi iuſſimus. Datum Cracoviæ vigeſima die Septembris, Anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono. Regni noſtri vigeſimo. Præſentibus Reverendis in Chriſto Patribus, Dominis, Samuele Maciejowſki Cracovien. & Regni noſtri Cancellario, Andrea Zebrzydowſki Vladiſlavien. Andrea Noſkowſki Plocen. Leonardo Słowczewſki Camenecen. Epiſcopis, nec non Magnificis, Generoſis, ac Venerabilibus Joanne Comite in Tarnow Caſtellano Cracovien. Exercituum Regni noſtri Supremo, ac Sandomirien. Strienſi, Lubaczevienſique Capitaneo, Joanne Comite de Tanczin Sandomirienſi, Curiæ noſtræ Marſchalco, ac Lublinen. Lelovienſique Capitaneo. Joanne de Mielecz Podoliæ, & Chmielnicenſi Capitaneo, Andrea Comite de Tenczin Lublinenſi, ac Sniatinenſi & Rohatinenſi Capitaneo, Nicolao de Sieniawa Belzen. ac Regni noſtri exercituum Campeſtri, Halicien. Colomienſique Capitaneo, Palatinis. Petro Zborowſki Sandomirien. & Capitaneo Sanocen. Spitcone de Tarnow Woynicien. Regni noſtri Theſaurario, ac Krzepicenſi, Brzeznicen. Krzeſtovienſique Capitaneo, Staniſlao Maciejowſki Lublinen. & Lubomlen. Zawichoſtenſique Capitaneo, & Sereniſſimæ Dominæ Coniugis noſtræ Curiæ Magiſtro, Bernardo Macieiowſki Radomienſi, & Magno Procuratore Cracovien. Georgio Konarſki Międzyriecen. Joanne Komorowſki Polanecen. Nicolao Lutomierſki Czechovien. Nicolao Radzieiowſki Goſtinen. Caſtellanis, Sigismundo Volſki Gladifero Cracovien. Jacobo Uchańſki Decano Plocenſi, & Valentino Dębińſki Burgrabio Cracovien. Referendariis Curiæ noſtræ, Andrea Czarnkowſki Præpoſito Gneſnenſi, & Scholaſtico, Joanne Przerębſki Præpoſito, Philippo Padniewſki Cantore, Staniſlao Volſki Cuſtode, Andrea Przeczławſki Decano Poſnanien. Martino Cromero Juris utriusque Doctore, Cuſtode Viſlicien. Canonicis Cracovienſibus, Secretariis noſtris, Joanne Lubomirſki Theſaurario Curiæ noſtræ, Nicolao Mniſzech de Magna Kunczyce Lucovien. Socalienſique Capitaneo, Cubiculi noſtri Præfecto, ac aliis quam plurimis Officialibus ſubditis noſtris. Datum per manus eiusdem Reverendi in Chriſto Patris Samuelis Macieiowſki Epiſcopi Cracovien. & Regni Poloniæ Cancellarii ſincere nobis dilecti.

ANNO 1549.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS
*Rex.*

*Deſignatio finium inter Poloniam, & Pomeraniam, per Nuntios Re-*

ANNO 1549. *Regis Poloniæ facta.* Actum feria tertia post Dominicam Cantate. *Vide Librum sub titulo: Limites Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ &c. Fol. 22.*

## XVII.

1552. *Fœdus inter* SIGISMUNDUM AUGUSTUM *Regem Poloniæ, &* BARNYMUM, *ac* PHILIPPUM *Pomeraniæ, &c. Duces initum.* Dat. Gedani Sabbatho proximo ante Festum Assumpt. B. M. . . 1552. *Ex Origin. Sigil. 2. Extat in Arch. Cancel. Regni Lib. 62. Num. 63. fol. 296.*

In Nomine Domini Amen.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Etsi naturalis quaedem est Societas homini cum homine: sic tamen hominum natura depravata est, ut variis cupiditatibus incensi, & odiis inflammati in mutuam ruant perniciem, ita, ut non modo debiliores a potentioribus opprimantur, verum etiam aperti a callidioribus circumveniantur. Quibus malis occurrens humana ratio, non modo in singulis Civitatibus, Regnis, & Imperiis, communia consilia instituit, sed etiam Civitates, Regna, Gentesque, & Reges earum, atque Principes, inter ipsos Fœderibus, & societatibus mutuis devinxit, atque sociavit, quo tutiores essent contra vim, & fraudem consiliis, opeque mutua. Proinde Nos SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiaviæ, Culmen. Elbingen. Pomeraniæque &c. Dominus, & Hæres. Et Nos BARNYMUS Stetinen. Pomeraniæ, Cassuborum, Sclavorum &c. Dux, & Rugiæ Princeps. Significamus præsentibus Literis nostris, tam his, qui nunc sunt, quam futuris. Quod cum in Civitate nostra Regia Gdano, una cum Oratore, & Mandatario Illustris Domini PHILIPPI Stetinen. Pomeraniæ, Cassuborum, Sclavorum, &c. Ducis, Consobrini, & Patruelis nostri charissimi convenissemus, innixi vetustis inter Maiores utrinque nostros ictis Fœderibus, revocantesque in memoriam, & Fœdus, quod ante viginti septem annos, in hac ipsa Civitate, inter Divum SIGISMUNDUM Regem Poloniæ Patrem nostrum desideratissimum, & Illustrem olim Dominum GEORGIUM Ducem supramemorati Illustris Domini PHILIPPI absentis Patrem tunc præsentem, & Nos BARNYMUM, atque etiam Illustrem Dominum HENRICUM Ducem Mechelburgensem &c. absentem per Procuratores, & Mandatarios nostros ictum fuit, nunc idipsum nihil addendo, nihil detrahendo, neque mutando, neque in aliquo prorsus ab eis recedendo innovandum, atque stabiliendum inter Nos esse duximus. Nos quidem SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex, & Nos BARNYMUS Dux suprascripti per Nos ipsi præsentes, Illustrissimus vero Dominus PHILIPPUS Dux alterius nostrum Consobrinus, alterius vero Patruelis per Procuratorem, & Mandatarium suum, in hunc modum, qui sequitur. Inprimis unusquisque præfatorum Dominorum nostrorum, eorumque Successores sint, & esse debeant in amicitia perpetua, harum vigore Literarum coniuncti, & Confœderati æviterne, sic quod unus alteri assistat consiliis, præsidiisque opportunis, favore, & auxiliis, quilibet pro posse suo adversus quemlibet hostem Regno, Ducatibus, & Terris eorundem Dominiorum nostrorum propinquius adiacentem, in omni eventu, & specialiter si Dominus Magister Prussiæ cum Ordine suo, aut Illustris Dominus JOACHIMUS Brandeburgen. Elector Imperii, vel eorum Successores, Hæredes, complices, fautores, auxiliatores, & adhærentes aliquem ex Nobis, aut Terras nostras, & Dominia impeteret, aut alia quacunque via hostiliter invadere, seu molestare, simul, vel divisim voluerint, molestaverintque, aut invaserint in effectu. Contra paganos autem, hæreticos, & sismaticos, in remotioribus agentes, pro virtutis suæ arbitrio, & beneplacito, præfati Domini Confœderati Principes Nobis SIGISMUNDO AUGUSTO Poloniæ Regi, & Successoribus nostris assistent, & opitulabuntur, & e contra. Quæ quidem præsidia, & auxilia, & reliqua assistentiæ officia, quilibet nostrum mutuo expensis propriis præstabit. Et cum exercitus eorundem præsidiorum, auxiliatorumque limites Terrarum, ac Dominiorum ipsius Confœderati, in cuius favorem hunc suum ducet Exercitum, progressus attigerit, extunc Dominus Terræ illius, cui praesidium sit missum, eosdem auxiliatores suos, in confinibus terrae suae per certum Conductorem suum excipiet, qui eis in progrediendo de pacifico transitu, habendoque Commeatu, iusto auxiliatorum pretio, æreque proprio ipsorum comparando consulet, & assistet. Item si quis in prælio, aut extra illud, modo prædicto militando contra hostem ANNO 1552.

ANNO 1552. hostem alterius captus, vel detentus, aut alias in obligationem receptus fuerit, illi per partem, ad quam praesidium fuerit missum, consuletur, & suffragabitur. Et idcirco omnes, et singuli captivi ex hostibus, quacunque ratione capti, in potestate, et manu illius Domini, cui praesidium latum est, vicissim esse debent. Caeterum Deo Optimo Maximo expugnationem castrorum, Arcium, Civitatum, Oppidorum, et quorumvis aliorum locorum concedente, ea omnia, et singula illi, ad quem quondam pertinebant, venient restituenda. Casu vero quo ad nullum ex Confœderatis ea prius pertinuissent, tum nihilominus illi Confœderatorum cedent, in cuius favorem praesidium hoc fuerit missum. Praeterea quia Confœderatorum interest, ut unus alterius rerum curam habeat, quapropter ordinavimus inter Nos, et praesentibus ordinamus, quod nunquam deinceps aliquis nostrum bellum cuicunque hosti indicet, insciis, et inconsultis Confœderatis aliis supra expressis; fortasse enim modi, et viae per Nos, communicato adinvicem consilio, inveniri possent, quibus mediantibus abs bello iniuria affecti Confœderati poterit emendari, nisi tunc aliquis nostrum inopinate invaderetur. Item ut nullus nostrum Gentes sive suas, sive alienas adversus aliquem Confœderatorum, per loca Dominiorum suorum hostili molimine proficisci conantes transire, redireque permittat, pro virium suarum possibilitate, neque illas quoquo modo occulte, vel manifeste adiuvet, ut hosti ad usum, et Confœderato ad damnum pervenirent. Et quoniam iacula praevisa minus feriunt, statutum est inter Nos Confœderatos praefatos, hinc inde pro vero, & indubitato Fœdere observando, ut quoties aliquis nostrum praesentiret aliquas insidias parari contra aliquem ex Confœderatis, vel contra Dominia illius, ex tunc quilibet nostrum iuxta posse suum se opponet, ut id industria vel viribus avertat, & nihilominus alter alterum quanto citius poterit, praemoneat, quo rebus suis tempestive provideat. Item liberum esse debebit, ut quilibet nostrum Confœderatorum praedictorum ære suo proprio in Dominiis alterius ad suam necessitatem gentes, toties, quoties volet, conducere valeat, ultra debitum Confœderationis subsidium supra expressum, cum scientia tamen, praescripto, & ordinatione eius Principis, ex cuius Dominio gentes conducendae erunt. Item quilibet nostrum providebit in Confinibus Dominiorum suorum, ne latrocinia, caedes, spolia, invasiones, excursiones, detentiones, & depactationes alterutrius subditorum fiant, & quod pro commissis damnis, iniuriis, & excessibus Judices Commissarii utrinque delegandi rebus utrorumque Dominiorum poscentibus, omni triennio in oppido Choynicze simul conveniant, pro die Sancti Gaili proxime futuro inchoando, & sic consequenter pro eodem die de triennio in triennium oppressis, iniuriatis, & damna passis cum plena potestate, tam in criminalibus, quam civilibus iustitiam indilatam ministraturi. Ut autem expeditius partes iustitiae suae remedium assequantur, idcirco de quolibet Dominio querelae iudicialiter diffiniendae hinc inde modo infra scripto mittendae sunt, utpote si quis subditorum nostrorum, videlicet SIGISMUNDI AUGUSTI Regis a quopiam ex subditis Illustrium Principum praedictorum iniuria afficitur, is querelam suam in manus Palatini Pomeraniae, pro tempore existentis, tempestive mittet. Et curabit dictus Palatinus huiusmodi libellos querelarum in manus Praefecti Stolpensis destinare, & in hoc per quartalem unius anni, diem praedictae Conventionis praeveniet. Similiter facturi sunt subditi Illustrium Dominorum Principum Pomeraniae, qui querelas suas contra subditos nostros ad Praefectum Stolpensem deferent, qui huiusmodi libellos subditorum, Dominiorum suorum ad Palatinum Pomeraniae tempore praescripto mittere curabit. Qui quidem duo Officiales praedicti, tandem nostros, & supradictorum Illustrium Principum subditos, tam actores, quam reos ad locum, & diem Conventionis praedictae iudicialiter comparere iubebunt. Qui si comparere noluerint, extunc in contumaciam non comparentes nihilominus Judices Commissarii, Parti conquerenti iustitiam ministrabunt, secundum quod Jus, & aequitas dictaverit. Similiter de Actoribus non comparentibus est intelligendum. Itidem observandum erit, si quis de Terris Poloniae, aut ex Ducatu Pomeraniae cum alterutrius subditis, in dicto conventu iure experiri vellet, querelas suas in manus Capitanei Posnanensis pro tempore existentis mittat, ut in omnibus formula supra scripta, ab utraque parte servetur. Similiter a Nobis utrinque provideri debet, ut in manutenendis limitibus utraque Dominia concernentibus aequitas observetur, nec unus alium de possessione vetusta, & usu aliquorum bonorum, vel aliquarum pertinentiarum eiiciat, nisi Authoritate Principis loci adhibita, in cuius scilicet Dominio ea bona fuerint sita. Item licet Nos, & supradicti Principes Confœderationis praedictae ex innata virtute,

ANNO 1552. virtute, neceſſitudine, et propinquitate noſtra mutua hinc inde habita, unus alterius commodis cavere ſoleamus, tamen cupientes ex hac nova Confœderatione, et amicitiae vinculo, quo Nobis utrinque iam tandem magis, ac magis affici delegimus, commodum, & incrementum reportare, ſtatutum eſt, utrinque deinde obſervandum, ut ſubditi utrinque noſtrum, Succeſſorumque noſtrorum mutua, ac libera & ſecura hinc inde commercia in Dominiis, diſtrictibus, atque locis cuiuslibet noſtrum terra, marique quærere, & exercere valeant, quolibet impedimento remoto toties, quoties ſubditis, & mercatoribus utrinque noſtris expedire, & convenire videbitur. Salvis tamen Iuribus Patriæ, ſecundum quod in aliquo Dominiorum utrinque noſtrorum hactenus fuit obſervatum. Et quia propter profugos Colonos inter communes ſubditos differentia, atque controverſia oriri plerumque ſolet, ſtatutum eſt, ut quicunque ab hoc Confœderationis tempore infra quinque annos Iure repetiti fuerint, ipſi repetenti, in quantum ius in ipſum profugum ſibi competierit, ſine qualibet renitentia reſtituatur. Elapſo vero huiusmodi quinquenio a tempore ſcientiæ computando, quam ſcientiam is, qui repetitionem facit, medio ſuo iuramento probabit, pro præſcripto habeatur, ſi ſic, ut præfertur, minime probaverit. Reliquum eſt, quod tranſgreſſoribus, & quibuſcunque aliis, quocunque facinore, exceſſu, ſive comminationibus, atque inimicitiarum, & hoſtilitatum denuntiationibus, aut alia quavis ſuſpicione notatis, non eſt dandus Salvus Conductus per aliquem noſtrum, niſi cautione prius recepta de ſtando, & parendo Iuri in loco delicti, ubi eidem venturo Dominus loci de novo Salvo Conductu ſuo providebit. Et ſi talis Iuri vel rei iudicatæ parere, ſatisfacereque noluerit, extunc talis tanquam proſcriptus apud Nos Confœderatos ſupraſcriptos, noſtroſque utrinque ſubditos non eſt deinceps fovendus, & ad talem comprehendendum, puniendumque auxilium & conſilium eſt præſtandum. Quos Fœderum coniunctionis, & amicitiæ modos, conditiones, & articulos ſupraſcriptos, ſic mutuo conſenſu concluſos, & pro commodo ſubditorum utrinque noſtrorum ſtabilitos, Nos SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex Poloniæ, & BARNYMUS Stetinen. Pomeraniæ &c. Dux pro Nobis, & nomine ſupra ſcripti Illuſtriſſimi Domini Philippi Stetinen. Pomeraniæ &c. Ducis Literis his patentibus approbamus, ratificamus, & confirmamus, & perpetuo inter Nos utrinque, & ſubditos communes duraturos decernimus præſentibus. In quorum omnium ſupraſcriptorum teſtimonium, Nos SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillum Regni noſtri ſubappendi fecimus. Nos quoque BARNYMUS Dux noſtro, & Illuſtriſſimi Domini Nepotis noſtri PHILIPPI Ducis nominibus Sigillis noſtris præſentes conſignari fecimus. Dat. in Civitate noſtra Gedanenſi Sabbato proximo ante Feſtum Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ. Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo, Regni noſtri vigeſimo tertio. Ex parte noſtra Præſentibus Reverendis in Xto Patribus, Magnificis, Generoſis, Nobilibus, &, Venerabilibus Andrea Zebrzydowſki Cracov. Ioanne Droiewſki Wladiſlavien. Andrea Noſkowſki Plocen. Staniſlao Hoſio Varmienſi, Ioan. Lubodzieſki Culm. Electo Eccleſiarum Epiſcopis. Ioanne in Tharnow Caſtellano Cracovienſi, Regni noſtri Exercituum Supremo, ac Sandomirienſi, Sterienſi, Lubaczovienſique, Petro Kmitha in Wiſznicze Comitibus, Cracovienſi, Regni noſtri Supremo Marſchalco, ac Cracovienſi, Scepuſienſi, Præmiſlienſi, Colenſique, Ioanne de Labiſchin Poſnanienſi, ac Iunivladiſlavienſi, Schluchovienſique, Ioanne de Kościelecz Lancicienſi, Breſtenſi, Kovalienſi, & Bobrovienſi, Ianuſſio de Kościelecz, Breſtenſi Maioris Poloniæ, Naclenſique, Petro de Dambrowica, Terrarum Ruſſiæ Generali, ac Radomienſi, Felice Srzeńſki de Sokołowo Plocenſi, ac Mariemburgenſi, Lomzenſi, Viſnenſique, Staniſlao Koſtka de Stangenberg Culmenſi, Terrarum Pruſſiæ Theſaurario, Golubenſi, Derſchovienſique, Achacio Czema Mariemburgenſi, Mewenſi, & Stumenſi, Palatinis, & Capitaneis, Petro Czarnkowſki Poſnanienſi, Staniſlao Macieiowſki Woynicenſi, Lubomlienſi, & Zawichoſtenſi, Eraſmo de Kretkow Gneſnenſi, & Piſdrensi, Bartholomæo Zebrzydowſki Breſtensi, & Diboviensi, Andrea de Kościelecz Inovladiſlaviensi, & Bidgoſtiensi, Staniſlao Comite de Tanczyn Leopoliensi, ac Lublinensi, Spitkone Iordan de Zakliczyn Sandecensi, Regni noſtri Theſaurario, Eraſmo Krotowſki Rogoznensi, Venceſlao Zaremba Naklensi, & Graboviensi, Floriano Zebrzydowſki Oświecimensi, Ioanne Lutomierſki Brzezinensi, Curiæ noſtræ Theſaurario, Burgrabio Cracoviensi, ac Lanciciensi, Georgio a Konopath Culmensi, & Szwecenſi, Fabiano Czema Gedanensi, Tucholiensi, & Stargardiensi, Caſtellanis, & Capitaneis, Ioanne

ANNO 1552.

Anno 1552. ne Ocieſzyno Regni noſtri Cancellario, Succamerario, Burgrabioque Cracoviensi, ac Sandecensi, & Olſztinensi Capitaneo, Ioanne Przerębſki Vicecancellario Regni noſtri, Præposito Cracoviensi, Ioanne Sirakowſki Curiæ noſtræ Referendario, Martino Cromero Cracovienſi, Petro Arciechowſki Præpoſito Stobnicenſi, & Varſchavienſi, Cauſarum Podlaſchenſium Referendario, Ioanne Wiſſocki Gneſnenſi, et Abbate Landenſi, Thoma Pſzonka Poltovienſi, Canonicis, Secretariis noſtris, & aliis quam plurimis fide dignis, iuxta præmiſſa exiſtentibus. Ex parte vero Illuſtr. Principum Barnimi, et Philippi Pomeraniae Ducum, Generoſis, et Nobilibus, Balthazaro a Valde Iuris utriusque Doctore, et Legato Illuſtr. Ducis Philippi. Ludovico Comite ab Eberſteyn Domino in Newgartten, Bartholomaeo Szchwaven Capitaneo in Buthow, Rudigiero Maſzow Marſchalco, Ioanne Falk Iuris utriusque Doctore, Cancellarioque, Iacobo Podkammer Praefecto Greyfenbergenſi, Georgio Rhamel Praefecto Stolpenſi, Macke Borek in Panſin, Martino Teſſentz Capitaneo in Lowenburgk, Szchwabenberg Iuris utriusque Doctore, Nicolao Podkamer Capitaneo Stetinenſi, Iacobo Munchow, Georgio Hrockow, Ottone Glaſenap, Chriſtiano Mandunel, Ioachimo Below in Poeſt, Sebaſtiano a Wedel, Iacobo Rhamel, Bernhardo a Dewitz, Adriano Borek, Ioachimo a Wedel, Georgio a Wedel in Krempczow, Daniele Borek, Chriſtophoro Padwile Capitaneo in Colbacz, Georgio Fleming, Mathaeo Teſzmitz, Egidio Fleming, Antonio Maſſow, Ottone Fleming, Michaele Glaſenap, Petro Klieſt in Wiczow, Chriſtophoro Klieſt, Rudigero Maſſow in Woblans, Martino Wobeſſer, Ioachimo Podkamer, Martino Cithwicz in Mutten, Laurentio Podkamer, Petro Stoyentin, Hemingo Koller, Caſparo Narnice Capitaneo in Belburgk, Ioanne Schwade, Marco Samel, Richardo Fleming, Marco a Valdé, Conſiliariis, Gerardo Below, Hadriano Woien, et Chriſtophoro Lablun, Secretariis, teſtibus circa praemiſſa. Datum per manus Magnifici Ioannis de Ocieſzyno Regni Poloniae Cancellarii, Succamerarii, Burgrabiique Cracovienſis, atque Sandecenſis, & Olsztinenſ. Capitanei ſincere Nobis dilecti.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS *Rex.*

XVIII.

*Regia Maieſtas prorogat tempus præſtandi Homagii Ducibus Pomeraniæ ad Comitia Regni.*

*Lib. Legationum Lit. W. Fol. 149.*

Anno 1577.

Stephanus DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. Illuſtris Princeps Affinis noſter chariſſime. Quod ad dandam confirmationem noſtram ſuper Præfecturam Lawenburgenſem, & Bütovienſem tempus, primam diem Septembris, & locum Marienburgum Illuſtritatibus veſtris deſignaverimus, id a Nobis eo conſilio factum eſt, quod Illuſtritas veſtra una cum aliis Fratribus ſuis a Nobis id antea poſtulavit, ut, dum in his terris verſaremur, negotium illud propter loci vicinitatem, maiore cum Illuſtritatum veſtrarum commoditate perficeretur, verum cum hoc tempore poſtulat a Nobis Illuſtritas veſtra, ut idem negotium ad ſpatium duorum menſium differamus, Nos igitur, ut ipſi ea in re ſatisfaciamus, libenter illud ad publica Regni Comitia differimus, quæ ſub iſtis duobus ſequentibus menſibus indicere, & celebrare ſtatuimus. Bene valere Illuſtritatem veſtram cupimus. Datum in Caſtris ad Gedanum 28. die menſis Auguſti. Anno Domini MDLXXVII. Regni vero noſtri anno ſecundo.

STEPHANUS *Rex.*

XIX.

*Ducis Pomeraniæ ad Regiam Maieſtatem Literæ, quibus petit, ut pro accipienda Confirmatione Feudi Præfecturarum Lawenburgenſis, & Bütovienſis locum & diem Comitiorum ei ſignificet. Lib. Legationuu Lit. W. Fol. 188.*

Sereniſſimo, ac Potentiſſimo Principi Domino Stephano, Regi Poloniæ, Magno Duci Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque &c. Principi Tranſylvaniæ, Affini, & Vicino noſtro chariſſimo.

*Sereniſſime, & Potentiſſime Rex, Domine Affinis, & Vicine chariſſime.*

Recepimus Regiæ Maieſtatis Veſtræ Literas reſponſorias in Caſtris ad Gedanum 28. die Auguſti datas, in quibus Regia Maieſtas Veſtra peramice ſignificat, cum petierimus tempus accipiendæ a Regia Maieſtate veſtra Confirmationis ſuper Præfecturis Lawenburgenſi, & Bütovienſi ad Menſes duos prorogari, & Regia Maieſtas veſtra intra duos menſes Regni Comitia indicere, & celebrare ſtatuerit, ſe negotium id eo libenter dif-

Anno 1577. ferre. Pro qua quidem declaratione Regiæ Maiestatis Vestræ Nostro, & Illustrissimorum Fratrum nostrorum Pomeraniæ Ducum nomine gratias habemus summas. Ac cum Nos, & Fratres nostros deceat præfixi a Regia Maiestate Vestra temporis habere rationem, lubentissimi etiam id facimus. Peramanter, & sedulo petimus, ut Regia Maiestas Vestra in loco, ubi nunc agit, Provinciis nostris vicino, si dandæ Nobis, & Fratribus nostris Confirmationis commoditas (quod totum Regiæ Maiestatis Vestræ arbitrio libenter permittimus) non est, ut certum Nobis & tempus, & locum, vel Comitiorum, vel alium amice designare velit, quando, & quo Legatos nostros pleno cum mandato ablegare debeamus. Quam petitionem, ut benigne Regia Maiestas Vestra interpretetur, obnixe petimus: cuius quidem Nos unicam eam habuimus causam, ne commoditatis incerti, Regiæ Maiestati Vestræ aliis occupatæ negotiis gravissimis, molestiam exhiberemus: cum Regiæ Maiestatis Vestræ voluntati, & opportunitati non accommodare, illique semper, grata facere animum induxerimus. Quod superest, Regiam Maiestatem Vestram felici valetudinis, & rerum omnium statu frui optamus, Datæ Ruppin 13. Septembris, Anno 1577.

Joannes Fridericus *DEI Gratia Dux Stetinensium, Pomeranorum, Cassubiorum, & Vandalorum, Princeps Rugiæ, & Comes Gutzkoviæ.*

Joannes Fridericus.
*manu propria.*

## XX.

1578. *Plenipotentia Nuntiorum Pomeranicorum, ab illis Ducibus ad petendam recognitionem super Præfecturas Lawenburgensem, & Bütoviensem, data. Ex Archivo Regni. Lib. Legationum Lit. W. Fol. 279.*

Nos Joannes Fridericus, Bogislaus, Ernestus Ludovicus, Barnimus, & Casimirus, Fratres, Dei Gratia Duces Stettinensium, Pomeranorum, Cassuborum, & Vandalorum, Principes Rugiæ, et Comites Gutzkowiae, notum, ac testatum facimus. Posteaquam Nobis vi, et vigore Pactorum inter inclytum Poloniæ Regnum, ac Ducalem Domum Stetinensem Pomeranicam initorum incumbat a Poloniæ Regibus tempore Coronationis, vel post, super duas Præfecturas: Lawenburg, et Bütow, quas possidemus, cum adiacentibus Civitatibus, et Arcibus, aliisque pertinentiis, recognitionem petere. Et nunc Sereniſſimus, ac Potentiſſimus Princeps, et Dominus Stephanus, Dominus Affinis noster chariſſimus, in Regem Poloniæ, Magnumque Litvaniæ Ducem sit electus, et coronatus, Suaque Regia Maiestas hunc recognitionis actum ad Comitia Varsaviæ Mense Januario indicta reiecerit; Nos ea de causa Consiliarios, et dilectos fideles nostros Henricum Ramel in Wusterwitz, et Nicolaum Pichtium Juris utriusque Doctorem ablegasse, iisque in mandatis dedisse, ut vigore pactorum prædictam recognitionem a Regia Maiestate Sua nostro nomine petant, et quodcunque nostrarum est partium, ad effectum perducant. Quemadmodum etiam hisce literis nostris ad eiusmodi actum plenissimum mandatum, ac potestatem nostram omni meliori forma, et modo, quo de iure, vel consvetudine fieri potest, ipsis tribuimus, atque elargimur. Itaque amanter, et obnixe rogamus, ut Regia Maiestas Sua plenam illis in hac parte fidem, perinde, ac Nobismet ipsis habeat, ac in hoc negotio se erga Nos taliter declaret, præstetque, sicut de Regia Maiestate Sua fiduciam concepimus, et æquitatis, fœderum, ac vicinitatis ratio exigit. Deferimus Nos vicissim Regiæ Maiestati Suæ omnia studia, et officia nostra. In testimonium maioris fidei has literas nostras appenso nostro Sigillo munivimus. Datæ in Arce nostra Stetinensi 13. die Januarii Anno 1578. Anno 1578.

Joannes Fridericus *manu propria.* Bogislaus *manu propria.*

Ernestus Ludovicus *manu propria.* Barnimus *manu propia.*

Casimirus *manu propria.*

## XXI.

*Assecuratio Jurium & Libertatum Districtibus Bütovienſi & Lawenburgenſi conceſſa.* Posnan. 1657. die 19. Decembr. *Ex Archivo Regni.*

Joannes Casimirus DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniae, Smolensciae, Czernichoviaeque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Haereditarius Rex.

Significamus praesentibus Literis nostris, quorum interest universis, & singulis. Quandoquidem publicis rationibus

Anno 1657. bus ita expoſcentibus eo adducti ſumus, ut Sereniſſimo Friderico Wilhelmo Marchioni Brandenburgenſi S. R. I. Archicamerario, & Principi Electori, Magdeburgi, in Pruſſia, Juliæ, Cliviæ, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiorum, Vandalorumque, nec non in Sileſia Croſnæ, & Carnoviæ *Duci*, Burgrabio Norimbergenſi, Principi Halberſtadii, & Mindæ, Comiti Marcæ, & Ravensburg, Domino in Ravenſtein, vigore Tranſactionis nuper initæ, ictique cum ſua Serenitate Electorali, ac eiusdem Succeſſoribus per lineam rectam deſcendentibus Fœderis perpetui, Leoburgenſem, & Bithovienſem *Diſtrictus* in Feudum concederemus (prout id in Inſtrumento eiusdem Fœderis, & Pactorum latius expreſſum continetur) ut eo pronior noſtra in conſervandis unicuique Juribus, Privilegiis, Libertatibus, ac Prærogativis conſtare poſſit voluntas, & ſtudium, hoc præſenti noſtro Regio Reſcripto cautum volumus, nihil dicta Infeudatione eorum Diſtrictuum, Juribus, Privilegiis, Immunitatibus, & Libertatibus eorundem Diſtrictuum Bitovienſis, & Leoburgenſis, præſertim vero omnis Status Equeſtris eſſe, nec fore detractum, imo unicuique Jura, iuxta ſuam conditionem & ſtatum conſervata eſſe, ac conſervanda fore, quod præſentibus Literis declaramus, cavemus, & aſſecuramus. Præterea cum præfati Diſtrictus Leoburgenſis, & Bitovienſis ſint e corpore Regni huius, nihil huiusmodi Infeudatione, Prærogativis, Juribus, & Immunitatibus cuiusquam ex Indigenis dictorum Diſtrictuum imminutum eſſe quoquo modo declaramus, imo eosdem Nobiles, pro veris Regni Poloniæ Indigenis, recognoſcimus, habemus, haberique, & recognoſci ab omnibus volumus. Ac in virtute earundem Immunitatum, quæ totius Regni huius Poloniæ Nobilitati, ac Equeſtri Ordini, ab antiquiſſimo tempore, quoquo modo competunt, ad eumque pertinere dignoſcuntur, cunctos prædictorum Diſtrictuum, Leoburgenſis, & Bitovienſis Nobiles Indigenas, iisdem uti, frui, ac gaudere debere, nullis penitus exceptis (quæ hic pro inſertis, & expreſſis habere volumus) tanquam illis ipſis Prærogativis comprehenſos, & Albo Nobilitatis inſertos, ac omnium Muniorum, Dignitatum tam publicarum, quam privatarum, univerſalium, & particularium, Senatoriarum, & Equeſtrium, nec non quorumvis beneficiorum, Spiritualium, & Sæcularium, omnisque gratiæ capaces eſſe, foreque ſemper declaramus, & ſpecificamus. Inſuper quo iſta maius robur firmitatis habere queant, recipimus Nos, Regioque Verbo ſpondemus, in id cura noſtra incubituros, ut hæc ipſa Declaratio, praeſenti noſtro Reſcripto comprehenſa, & inſerta, proximorum Comitiorum Regni ſancito probetur, & confirmetur, & omnia quae ad praedictae Nobilitatis Leoburgenſis, & Bitovienſis Diſtrictus Incolarum de Nobis, & Republica bene meritorum, ornamenta, ſecuritatem, commoda, et emolumenta pertinebunt, ſanciantur in iisdem Comitiis. In quorum fidem praeſentes manu noſtra ſubſcriptas Sigillo Regni communiri iuſſimus. Dat. Poſnaniae die 19. Menſis Decembris Anno Domini 1657. Regnorum noſtrorum Poloniae 9. Sveciae vero X. anno. Anno 1657.

JOANNES CASIMIRUS *Rex.*

# MARCHIA NOVA.

## I.

*Dobrogoſtius, Arnoldus, Ulricus, & Bartholdus, Comites de Dreſen (Drieſen) recognoſcunt ſe Caſtra Dreſen (Drieſen) & Santhok, ad Coronam Regni Poloniæ antiquitus pertinentia a* Casimiro *Rege in Feudum accepiſſe, fidelitatemque eidem Regi, & Succeſſoribus eius promittunt.* Dat. Cracoviæ, 22. Julii, Anno 1365. *Ex Originali. ſub Sigil. 4.* 1365.

*In Nomine Domini Amen.*

Cum de iure quilibet potius ſuo Domino naturali, quam extraneo fideliter obedientiam in omnibus licitis, & honeſtis exhibere teneatur, noverint igitur tam præſens ætas, quam futura. Quod Nos Dobrogoſt una cum Fratribus noſtris, videlicet Arnoldo, Ulrico, & Bartholdo Comite de Dreſen, vero zelo iuſtitiæ inclinati, conſiderantes geſta Progenitorum noſtrorum, quomodo, & qualiter ipſi cum caſtris, videlicet Dreſen & Santhok ad Coronam Regni Poloniæ ab olim pertinebant, & quæ intra Limites eiusdem Regni ſunt incluſa, cum Territoriis eis iunctis, eadem Caſtra, videlicet Dreſen, & Santhok cum adiacentiis ipſorum exnunc ab Excellentiſſimo Principe Domino noſtro, Domino Casimiro Illuſtri Rege Poloniæ, in Feudum verum recipimus, ſibi, & ſuæ Coronæ de eisdem Caſtris Homagium facientes, promittentes fide bona, & absque fraude totius doli, eundem Dominum Regem, & eius Succeſſores contra quemlibet hoſtem iuvare, tueri,

ANNO 1365. ac pro viribus defensare, & nusquam deserere etiam in adversis, etiam ad nostra Castra intromittere Gentem suam volumus, & spodemus pro expugnatione Civitatum, & Terrarum sub hostibus degentium quotiens, & quando sibi, & suo Capitaneo videbitur expedire. In cuius rei testimonium præsentes fieri iussimus, Sigillorum nostrorum munimine roboratas. Actum & Datum Cracoviæ die Sanctæ Mariæ Magdalenæ Anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo quinto. Præsentibus Venceslao Nemodlimensi, Henrico Zaganensi Magnificis Principibus, Joanne Cracoviensi, Floriano Lancicien-si, Cancellariis, Andrea Palatino Cracoviensi, Wirzbanta Posnanienſi, Sandziwogio Naklensi, Castellanis. Nicolao dicto Strala de Grundzens, Predbovio de Breste, & aliis multis fide dignis.

II.

1369. *Petrus Episcopus Lubucensis cum suo Capitulo recognoscit Casimirum Regem Poloniæ esse Dominum, & Patronum Ecclesiæ suæ Lubucensis, eidemque fructus perceptos, & expensas litis remittit.* Dat. Cracoviæ die 25. Junii Anno 1369. *Ex Origin.*

In Christi Nomine Amen.

Nos Petrus Dei, et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Lubucensis, ad universorum notitiam deducimus per praesentes, quod orta dudum inter Dominum Henricum bonae memoriae Episcopum Lubucensem, Praedecessorem nostrum, et Capitulum suum Lubucense ab una, ac Serenissimum Principem Dominum KASIMIRUM Regem Poloniae Illustrem parte ab altera, materia quaestionis super occupatione, detentione, seu spoliatione bonorum, Villarum, Jurium, Jurisdictionum Ecclesiae nostrae Lubucensis in ipsius Regis Poloniae Dominio, et Regno constitutis, et in Romana Curia diutius ventilata, quamvis pro praedicto Praedecessore nostro, et Capitulo ipsius, ac contra Dominum Regem pridem lata fuit Sententia definitiva per Reverendissimum Patrem Dominum Nicolaum, olim Episcopum Tusculanum, Cardinalem, cui eadem causa, cum per Sanctissimum Patrem Dominum INNOCENTIUM Papam Sextum, tum per Dominum URBANUM Papam Quintum immediatum Successorem suum fuerat delegata, tamen quia appellatione interposita pro parte dicti Domini Regis ad Sedem Apostolicam, ab eadem ipsa Sententia multipliciter videbatur impugnari; Nos una cum Capitulo nostro volentes Nobis, et Ecclesiae nostrae consultius providere, mediantibus Reverendis Patribus Dominis Jaroslao Archiepiscopo Gnesnensi, nec non Floriano Cracovienſi, et Ioanne Posnanienſi, Episcopis, per Concordiam in Kalisz quarta feria infra Octavas Epiphan. Domini sub An. Nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo sexagesimo octavo praesentibus, & consentientibus Dominis Iacobo Engilgari, Petro de Loslavia, Ioan. Conoplath, Nicolao de Bork, et Nicolao Baran, Canonicis Ecclesiae, et Procuratoribus Capituli Lubucensis factam, et sub Sigillis Regalibus Serenissimorum Principum, Dominorum Regum Hungariae, et Poloniae, nec non nostris, et Capituli nostri Lubucensis praedicti roboratam, omnem materiam quaestionis duximus sopiendam. Verum quia per oblivionem in dicta Concordia de infrascriptis Articulis mentio aliqualis non habetur, pro qua timetur dicto Domino nostro Regi Poloniae, vel ipsius Regnicolis in futurum, de quo toto corde doleremus, posse praeiudicium generari, promittimus tenore praesentium, et spondemus dictum *D*ominum Regem, ac ipsius, Terras, et homines, cuiuscunque conditionis existant, ullatenus vigore dictae Sententiae ullo unquam tempore impetere, molestare, vel quomodolibet impedire, imo praefatae Sententiae renuntiavimus, et renuntiamus expresse per praesentes. Item recognoscimus dictum *D*ominum Regem Poloniae nostrum, et Ecclesiae nostræ verum Dominum, et Patronum, et ideo perceptaomnia, et singula, ac expensas, ad quas dictus *D*ominus Rex Nobis, et Capitulo nostro praedicto per dictam Sententiam fuerat condempnatus, ponimus in gratiam eiusdem *D*omini Regis, sperantes indubie ipsum virtute Nobilitatis suae etiam non coactum, Nos, et Ecclesiam nostram Magnificentia Regia consolari, qui etiamsi nihil faceret, quod non credimus, pro eisdem, ipsa tamen percepta, et expensas ab eodem *D*omino Rege petere nolumus in vita, vel morte, nec notamus eundem propter hoc, vel suos homines, sive Terras incidisse in aliquas Suspensionis, Excommunicationis, vel Interdicti finaliter latas, ab homine latas, canone, vel statuto, etsi forte notari possint incidisse quoquomodo, consentimus ipsos homines, & Terras suas ab eisdem absolvi etiam ad cautelam per quemlibet superiorem idoneum, & Interdictum huiusmodi relaxari. In quorum omnium evidentiam pleniorem præsen-

ANNO 1369.

Anno 1369. sentes Literas in forma publica inscribi, & per Notarium publicum infrascriptum scribi fecimus, & nostri Sigilli appensione muniri. Actum, & Datum Cracoviæ in Domo habitationis Reverendi in Christo Patris Domini Iaroslai divina providentia Sanctæ Gnesnensis Ecclesiæ Archiepiscopi, die 25. Mensis Iunii hora vesperarum, vel quasi. Anno Domini 1369. Indictione septima. Præsentibns Reverendis Patribus, & Dominis, præfato Domino Iaroslao Archiepiscopo Gnesnensi, Dobrogostio Decretorum Doctore, Præposito, Arnaldo de Taucina Scholastico Cracovienси, Belczone Scholastico Gnesnensi, Clemente Archidiacono Calisiensi, Gnesnensis Diæcesis, Ioanne de Lessis Præposito Lubucensi, Stanislao de Skrzyny Canonico Cracovienси, & aliis pluribus fide dignis testibus ad præmissa.

Et ego Nicolaus quondam Michaelis de Radkowiecz Clericus Vratislavienсis Diæcesis, publicus authoritate Imperiali Notarius, præmissæ Concordiæ restaurationi, sive renuntiationi, recognitioni, acconsensui aliis omnibus, & singulis superius expressatis, dum sic agerentur, & fierent una cum prænominatis testibus, & Notario publico infrascripto præsens interfui, eaque omnia, & singula sic fieri vidi, & audivi, rogatus scripsi, & in hanc publicam formam redegi, me subscribens cum Sigillo dicti Domini Episcopi Lubucensis Signo, & manu, quibus utor, in fidem, & testimonium omnium præmissorum.

Et ego Amboldus Ioannis de Campino Clericus Gnesnensis Diæcesis, publicus Authoritate Apostolica, & Imperiali Notarius, præmissis omnibus, & singulis una cum prænominatis testibus, et Notario publico suprascripto præsens interfui, et requisitus hic me subscripsi, præsens instrumentum publicum consignando meo signo, et nomine consveto in testimonium præmissorum, et præfatus Dominus Petrus Episcopus Lubucensis præsentibus decrevit, et mandavit Sigillum ipsius appendendum.

Anno 1369.

III.

*Homagium Ulrici Hæredis de Dresno (Driessen)* Vladislao *Regi, & Regno Poloniæ præstitum.* An. 1402. *Ex Originali.* 1402.

Nos Ulricus Hæres de Dresno ad universorum notitiam per hæc scripta deducimus: quod matura deliberatione, non aliquo errore seducti, sed ex certa scientia, voluntateque ultronea de consilio Genitricis nostræ carissimæ, Serenissimum Principem, *D*ominum Vladislaum Regem Poloniæ, Dominum nostrum gratiosissimum in *D*ominum nostrum recepimus, sibique, & eius Coronæ, ac Regno Poloniæ cum Castro nostro *D*rezno perpetuo, & homagialiter una cum Successoribus nostris, tanquam vero *D*omino nostro, & Hæredi adhærere, & subici, ac verus subditus, & Regnicola ipsius esse promittimus, & eius Dominationi subiicimur, ut præmittitur homagialiter tenore Præsentium mediante. Cui quidem *D*omino Vladislao, & eius Regno homagium, & subiectionis, ac obedientiæ debitum super fidelitate tenenda præstitimus per Nos, & Successores nostros inviolabiliter, & perpetuo tenendum more solito, & consveto. Ita quod præter ipsum *D*ominum Vladislaum, & eius Successores, ac Coronam Regni Poloniæ, nullum Dominum, aut Hæredem, & Protectorem debemus quaeritare, sed ipsis tanquam verus subditus, & homagialis fideliter adhærere, & eos ab omnibus insultibus quorumlibet inimicorum præmunire. Eo etiam non obmisso, quod de Castro nostro prædicto *D*rezno toto nostro posse de commodis ipsius *D*omini Regis, & Terrarum eius curabimus providere, & ipsum, ac Terras ipsius ab omnibus incommodis, dispendiis, atque dampnis toto posse nostro, ut præmittitur, præmunire. Eo specialiter addito, & expresso, quod si Nos mori sine Prole contigerit, extunc prædictum Castrum nostrum *D*rezno ad ipsum Dominum Regem Poloniae, & Coronam ipsius devolvetur. Similiter si Proles nostrae, si quas Nos habere continget, sine Liberis, & Succedaneis morientur, Castrum praedictum ad ipsum *D*ominum Regem, et Coronam ipsius perpetue pertinebit, quod ad manus Domini Regis Nobis decedentibus, ut præmit-

ANNO 1402. titur, tenebitur, & regetur, cui quidem Domino Regi Burgrabius noſter præſens una cum Conſorte, & Comite noſtris, cum eodem Caſtro noſtro ad manus Sandziwogii de Oſtrorog promiſſionem facient, ſimiliter & cæteri Burgrabii in ipſo Caſtro eligendi, & ſtatuendi pro parte Domini Regis, ipſi Domino Sandziwogio promiſſiones ſuper obedientia, & fidelitate tenenda cum ipſo Caſtro facient fideliter, & præſtabunt, promittentes inſuper, quod pro neceſſitate ipſius Domini VLADISLAI Regis, & Coronæ Regni Poloniæ, prædictum Caſtrum noſtrum Dreſno, ad repellendas quorumlibet inimicorum ipſorum inſidias volumus concedere, & ipſum ſibi tanquam proprium eius, quotienscunque opus fuerit, aperire. Harum quibus Sigillum noſtrum appenſum eſt teſtimonio Literarum. Actum in Raczanſz feria quinta ipſo die Corporis Chriſti Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſecundo, præſentibus his Venerabilibus in Chriſto Patribus, Dominis, Domino Nicolao de Curow Archiepiſcopo Gneſnenſi, Domino Joanne Vladiſlavienſi, Alberto Poſnanienſi, & Domino Jacobo Plocenſi, Epiſcopis, Magnificisque Viris Dominis Sandzivogio Swidwa Poſnanienſi, & Sandzivogio de Schulino Kaliſienſi, Palatinis, multisque aliis noſtris fidis, & amicis.

IV.

*Oppignoratio Novæ Marchiæ* VLADISLAO *Regi Poloniæ a* SIGISMUNDO *Hungariæ Rege facta.* Dat. Cracoviæ feria tertia proxima poſt Dominicam Invocavit. Anno. 1402. *Ex Originali. Sigil. 4.*

NOs Sandzivogius de Schubino Palatinus Caliſſienſis, Moſciez de Staniſchow Caſtellanus Poſnanienſis, cum Hugone Fratre germano, & Mathias de Labiſchino ad vniverſorum notitiam per hæc ſcripta deducimus. Quomodo Magnificus Dominus Stiborius de Stiborzycze Comes Pozoniæ amicus noſter cariſſimus ex parte Sereniſſimi Principis Domini SIGISMUNDI Regis Hungariæ &c. cum plena poteſtate, quam ſibi contulit, ad obligandum Terram Novæ Marchiæ ad Excellentiſſimum Principem Dominum VLADISLAUM Regem Poloniæ Dominum noſtrum gratioſiſſimum veniens, infraſcriptum ordinem cum ipſa Celſitudine fecit, pro cuius maiori firmitate Nos eidem Domino VLADISLAO Regi Poloniæ, & ipſius Regno in fide iuſſoriam locavit conditionem. In quo Ordine taliter extitit definitum, quod eidem Domino VLADISLAO Regi Poloniæ, & ipſius Regno Terram Novæ Marchiæ cum omnibus Civitatibus, Caſtris, Munitionibus, Oppidis, Villis, Prædiis, Dotibus, Juribus, Dominiis, pertinentiis, cohærentiis, & appendiis quibuslibet, nec non Feudis, & Feudalibus, Vaſallis, Homagialibus, cum quibus ipſam Dominus SIGISMUNDUS Rex Hungariæ tenuit, nihil penitus excludendo, nomine eiusdem Domini SIGISMUNDI Regis Hungariæ, in deceſm millibus Marcarum numeri Polonicalis latorum groſſorum, idem Dominus Stiborius obligavit, cuius poſſeſſionem duabus ſeptimanis poſt Feſtum Paſchæ proxime affuturum eius Celſitudini, vel ipſius Capitaneo ad hoc per eum deputato dare promiſit ſine dolo, cui etiam Domino VLADISLAO ad Feſtum Sancti Georgii proxime venturum omnes Vaſallos, Feudales, Homagiales, Terrigenas, Nobiles, & Cives Civitatum eiusdem terræ Novæ Marchiæ ad præſtandum Homagium ſuper fidelitate tenenda per ſe, vel per alium adducere ſe aſtrinxit. Ipſe autem Dominus VLADISLAUS Rex Poloniæ pro hac vice quatuor millia Marcarum ad rationem eorundem decem millium aſſignavit, numerata iam defacto. In quibus idem Dominus Stiborius ipſum, & Regnum ipſius certum reddere cupiens, ipſius Celſitudini pura fide, & inviolabili ſponſione una Nobiſcum promiſit, quod ſi aliquo caſu, ſeu eventu interveniente, utpote ſi Domino SIGISMUNDO Regi Hungariæ, aut eidem Domino Stiborio mors, aut captivitas, quod Deus auferat, acciderit, ita quod poſſeſſionem eiusdem Terræ Novæ Marchiæ ad tempus præſcriptum, videlicet duabus ſeptimanis poſt Feſtum Paſchæ eidem Domino VLADISLAO, & eius Regno dare differret, aut non poſſet, extunc Nos manu conventa, & in ſolidum prædicta quatuor millia Marcarum eidem Domino VLADISLAO Regi Poloniæ in Cracovia, duabus ſeptimanis poſt Feſtum Paſchæ proximum promittimus reſtituere, & reponere ſine dolo. Ipſe autem Dominus Stiborius omnia Bona hæreditaria, & poſſeſſiones tam proprias, quam etiam Fratris, & Filiaſtrorum ſuorum, quæ in Regno Poloniæ obtinet, eidem Domino VLADISLAO Regi Poloniæ, & Regno ipſius ſine omni contradictione, ac ſine ſpe reſtitutionis debet perpetuo reſignare. Nos autem ſi prædicta quatuor millia Marcarum numeri Polonicalis latorum groſſorum, ad tempus prædictum eidem Domino VLADISLAO reſtituere, & reponere neglexerimus, extunc Nos Sandzivogius

ANNO 1402.

ANNO 1402. vogius Palatinus Calisiensis, possessionem Oppidi Pleschow cum omnibus Villis, & pertinentiis ipsius, &c. & Nos Moscicz cum Hugone Fratre nostro omnium Bonorum nostrorum, & possessionum quarumlibet præter Oppidum Stanschow. Nos vero Mathias de Lubischin similiter omnium Bonorum hæreditariorum, ac possessionum quarumlibet nostrarum excepto solo Oppido Labischin intromissiones, seu possessiones eidem Domino VLADISLAO, vel cui ipsius Serenitas commiserit, dare Nos submittimus, & submisimus firmiter per hæc scripta. Quæ quidem Bona utriusque nostrum hic descripta, si ab ipso Domino VLADISLAO in quatuor millibus Marcarum prædictarum infra biennium non liberaverimus, extunc ipsa Bona nostra huiusmodi ad ipsum Dominum Regem VLADISLAUM, & eius Regnum perpetuo pertinebunt, quæ ipsius Celsitudini tenore Præsentium exnunc, prout extunc perpetue resignamus. In cuius rei testimonium Sigilla nostra Præsentibus sunt appensa. Datum Cracoviæ feria tertia proxima post Dominicam Invocavit. Anno Domino millesimo quadringentesimo secundo.

1422. *Instrumenta tria prolatorum testium super limitatione finium Regni Poloniæ, & Marchiæ Novæ.* Vide Librum sub tit. *Limites Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ ex Originalibus, & exemplis authenticis descripti &c. fol. 4.*

# MOLDAVIA ET VALACHIA.

1387. *Die Translationis S. Stanislai.*

Literae quibus continetur Petri Palatini Moldaviae cum Gente sua subiectio, & fidelitatis Homagium VLADISLAO Regi, Reginae & Successoribus eorum, Regnoque Poloniae praestitum, iuramentumque eius corporale, quod secundum consvetudinem Orientalis Ecclesiae, signum vitae in manibus Cypriani Metropolitae Kiiovienſis osculatus praestitit. (a)

(a) *Literæ Homagiales Palatinorum Maldaviæ scriptæ sunt lingua Valachica, cuius neminem gnarum Cracoviæ, cum in Tabulario Reipublicæ Instrumentorum Originalium Exemplaria conficerem, reperire potui: inde est, quod illarum Summarium tantum ex Regesto, quod in eodem Tabulario extat, descriptum hic subiungitur.*

Consiliarii Petri Palatini Moldaviae Homagium VLADISLAO Regi, & HEDVIGI Reginae praestitum confirmant, seque, & Gentem suam Regi, & Regno Poloniae fideles subditos fore pollicentur, & iurant ritu Orientalis Ecclesiae signum vitae in manibus Cypriani Metropolitae Kiiovienſis exosculati. ANNO 1387.

I.

1389. *Miricii Palatini Transalpini Fœdus cum* VLADISLAO *Rege Poloniæ contra Regem Hungariæ, & alios hostes, per Oratores initum.* Dat. in Radom feria sexta post diem Conceptionis B. M. V. 1389. *Ex Originali. Sigil. 3.*

Nos Magnus, et Romanus Hericzski Comites Illustris Principis Domini Miricii Woiewodæ Transalpini etc. nec non Dugoyus Magnifici Principis Domini Petri Woiewodæ Muldanensis Marschalcus, Ambasiatores. Recognoscimus tenore præsentium publice profitentes, quod dum ad Serenissimum Principem Dominum VLADISLAUM Regem Poloniæ &c. in Legationis officio fuimus destinati, cum eodem Domino VLADISLAO Rege, nomine, & pro parte præfati Domini Miricii Domini nostri, cuius Potestatem habuimus in Nos transfusam, huiusmodi ordinationem fecimus, Fœdus amicitiæ inviolabilis iniendo ab utraque parte, temporibus perpetuis servandum irrefragabiliter, & tenendum, & ipsum Dominum VLADISLAUM Regem supradictus Dominus Miricius Woiewoda pro toto suo posse, atque potentia, dum ipsius auxilium affectans postulaverit, ab insultu, & hostili incursu Regis Hungarorum, ac ipsius Omagialium, & quorumlibet hominum sibi subditorum, debet, & tenebitur omnimode adiuvare, contra alios vero prædicti Domini VLADISLAI Regis æmulos, aut iniuriatores quoslibet iuxta sui liberi arbitrii beneplacitum ipsum iuvabit, quemadmodum amico facere expedit, atque decet, idemque Dominus VLADISLAUS Rex ad prædicti Domini Miricii Woiewodæ postulationis affectum, ipsum contra præfatum Regem Hungariæ, & quoslibet sibi subditos pro toto suo posse, & potentia debet, & tenebitur adiuvare, contra alios vero sæpedicti Domini Miricii Woiewodæ æmulos, aut iniuriatores quoslibet, iuxta sui liberi arbitrii beneplacitum sibi auxiliabitur, ut amicus. Promittimus insuper, quod super huiusmodi Confœderatione, & inviolabilis

Anno 1389. labilis amicitiæ coordinatione, ad medium quadrageſimæ proxime nunc inſtans, aut octo dies poſt hoc, impedimento aliquo legitimo interveniente, ad maiorem præmiſſorum firmitatis evidentiam ſupradictus Dominus Miricius Literam ſuam maiori Sigillo ſigillatam mittet in Moldaviam per ipſius bonos Nuntios, & ſolempnes, cui quidem Literæ tenoris ſimilem memoratus Dominus Vladislaus Rex ſub ipſius titulo, & Sigillo maiori tempore prænotato ad locum præmiſſum tenebitur deſtinare per ipſius ſolempnes Nuntios pari modo præſentium ſub noſtris Sigillis teſtimonio Literarum. Dat. in Radom feria ſexta poſt diem Conceptionis B. M. V. Anno Domini milleſimo trecenteſimo octuageſimo nono.

II.

1390. *Fœdus perpetuum Miricii Palatini Tranſalpini cum* Vladislao *Rege Poloniæ contra Regem Hungariæ, & alios hoſtes.* Dat. in Lublin. 20. Jan. 1390. *Ex Originali.*

Miricius Dei Gratia Woiewoda Tranſalpinus, Ffogoras, & Omlas Dux Severini, Comes Terrarum Dobrodicii Deſpotus, & Triſtri Dominus, harum notitiam habituris tam præſentibus, quam futuris. Significamus quibus expedit Univerſis, quod ſinceræ mentis affectu cupientes inire inviolabilis amicitiæ Fœdera, & volentes cum Sereniſſimo Principe Domino Vladislao Dei Gratia Rege Poloniarum, nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiaviæ, Litvaniæ, Provinciæ Supremo, Pomeraniæ, Ruſſiæque Domino, & Hærede de Baronum noſtrorum unanimi conſilio ordinationem huiusmodi parte ab utraque temporibus perpetuis ſervandam irrefragibiliter fecimus, & facimus, ipſam noſtrarum Literarum robore confirmantes, ſcilicet quod memoratum Sereniſſimum Principem Dominum Vladislaum Poloniæ &c. Regem toto noſtro poſſe, atque potentia, dum affectando noſtrum auxilium poſtulaverit, & homines ſibi ſubditos ab inſultu, & hoſtili incurſu Regis Hungariæ, ac ipſius Omagialium, & quorumlibet hominum ſibi ſubditorum conſtantiſſime volumus adiuvare, contra alios vero prædicti Domini Regis æmulos, aut iniuriatores quoslibet ipſum iuxta noſtri arbitrii beneplacitum iuvare promittimus, & ſpondemus, quemadmodum amicum facere expedit, atque decet, idemque Dominus Rex ad noſtræ poſtulationis affectum contra Regem Hungariæ, & ipſius ſubditos pro toto ipſis poſſe, atque potentia Nos debet, & tenebitur adiuvare. Contra alios vero noſtros æmulos iuxta ipſius liberi arbitrii beneplacitum, ut de Nobis praemiſſum eſt, Nobis auxiliabitur, ut amicus. In cuius rei teſtimonium, firmitatemque perpetuam Literas noſtras praeſentes dedimus privilegiales pendenti, & authentici Sigilli noſtri maioris munimine roboratas. Dat. in Lublin in Vigilia S. Agnetis Virginis glorioſae An. D. milleſimo trecenteſimo nonageſimo. Anno 1390.

III.

*Unio, & Confœderatio inter eosdem per Oratores facta.* Dat. in Soczczow 15. Novembr. 1390. *Ex Originali.*

Nos Romanus Hericzki, & Kadlus Sadky Ambaſiatores, & Nuntii ſpeciales ad infraſcripta. Univerſis, & ſingulis, ad quos praeſentes pervenerint. Volumus eſſe notum, quod cum ex ſpeciali commiſſione, & Mandato Illuſtriſſimi praedicti *D*omini Miricii Woiewodae Tranſalpini &c. *D*omini noſtri gratioſi, authoritateque ipſius plenaria ex parte una cum ſtrenuis militibus *D*ominis Gervaſio de *D*alowicz, & Benſzone de Zabokruc etiam plenum Mandatum, & ſpecialem commiſſionem habentibus, Sereniſſimi Principis *D*omini Vladislai Poloniae &c. Regis incliti ex parte altera, ſuper unione, & Confœderatione inviolabilis amicitiae inter praedictos *D*ominos noſtros hactenus contractae, et in futurum dante *D*omino quo ad eiusdem unionis plenitudinem feliciter contrahendae, in partibus Moldaviae Oppidi Soczczow perſonalem efficaciter celebraſſemus conventionem, aſſignatis, prout promiſſum erat, alterutrum Literis, ſuper huiusmodi *C*onfœderatione confectis, authenticatis, & ſigillatis, decrevimus, fecimus, & prout utrique parti noſtrum melius, & ſanctius viſum fuit, diſpoſuimus, deliberationeque habita diligenti, invenimus quosdam Articulos, qui ipſam unionem in ſuis conditionibus efficacius ſolitabunt: ſcilicet quod praefatus *D*ominus Rex Poloniae ullas Brigas, neque guerras contra Regem Hungariae, ac ſubditos ſuos moveat, nec mevore incipiat quoquam, niſi prius ſignificatis *D*omino noſtro Miricio Woiewodae, et eius conſilio ſingulis earundem brigarum, ſeu guerrarum qualitatibus; eaedemque per ipſius Regalis *D*ignitatis conſilium ſint appro-

Anno 1390. approbatae. Insuper si aliquae treugae Pacis, vel Induciae, aut concordiæ inter praefatum Miricium Woiewodam *D*ominum nostrum, & Regem Hungariae sunt actae, scilicet vel receptae ad tempus, vel in perpetuum ordinatae, vel quomodolibet decisae ipso *D*omino Rege Poloniarum non excluso, easdem praenominatus *D*ominus Rex ratificare, gratificare, & acceptare debebit, atque gratas, ratas, & acceptas habere debeat in singulis suis clausulis, distinctionibus, atque punctis, per robur sui Sigilli auctentici, ad tempus, vel in perpetuum, prout huiusmodi ordinatio postulaverit, confirmando. Item ut haec felix unio in singulis suis pactionibus, & condictionibus irretractabiliter perseveret, decrevimus, quod quicunque Confœderatorum qualitercunque in praesentem unionem, & Confœderationem sit receptus, ab ipsius unionis vinculo, & pactis quomodolibet deliraret, extunc eundem delirantem caeterae ipsius unionis partes solempni monitione praemissa sic efficaciter, & serioſe debent, & possint inducere, ut praefatae unionis compromissi servet plenitudinem, atque teneat inconcusse. Et quia ut inter praemissos Principes *D*ominos nostros ab utraque parte super propositis articulis specialis per meliorationem ipsorum habeatur deliberatio, ad oppidum Soczczow in Festo Beati Joannis Baptistae proxime affuturum cum omnibus Literis, & Sigillis ipsius de ipsa Confœderatione alterutrorum datis, volumus cum praemissis dicti *D*omini Regis Ambasiatoribus, quemodmodum promittentes bona nostra fide, ac spondentes praetactos articulos *D*omini nostri Woiewodae, ac nostris nominibus in eorum testimonium gratificare, ratificare, atque Sigilli sui robore confirmare, inclusis nihilominus Literis, ac singulis earum clausulis ipsius desuper Confœderatione, ut praemittitur, datis, ut ipsa integra unionis compositio in unam Literam authenticam redigatur, & sigillatas Literas ab utraque parte una pars alteri assignet, atque pristinas restituat, omnibus dolo, fraude, & detractione procul motis. Ad maiorem autem horum evidentiam praesentia fieri fecimus nostrorum Sigillorum appensione roborantes. *D*at. in Soczczow in Festo Sanctae Gertrudis Virginis Anno *D*omini millesimo trecentesimo nonagesimo.

IV.

1391. *Miricii Palatini Transalpini Fœderum præcedentium Approbatio, & Confirmatio.* Dat. in Lemburga die 6. Julii 1391. *Ex Originali.* Anno 1391.

Miricius Dei Gratia Woiewoda Transalpinus, Ffogaras, & Omlas Comes, Tristri Dominus, ac Territorii Dobrodicii Despotus &c. Significamus, quibus expedit, Universis, quod cupientes inire Fœdera inviolabilis amicitiæ cum Serenissimo Principe, Domino Vladislao Rege Poloniæ &c. de Baronum nostrorum unanimi consilio ordinationem huiusmodi fecimus, alias atque pridem temporibus perpetuis ab utraque parte tenendam, & irrefragabiliter observandam, quod memoratum *D*ominum Vladislaum Regem toto nostro posse, atque potentia, dum nostrum auxilium postulaverit, ac homines sibi subditos ab insultu, & hostili incursu Regis Hungariæ, ac ipsius omagialium, & quorumlibet hominum sibi subiectorum, contra alios vero prædicti Domini Vladislai Regis æmulos, aut iniuriatores quoslibet, ipsum iuxta arbitrii nostri beneplacitum iuvare promittimus, & spondemus, quemadmodum amico facere expedit, atque decet. Idemque Dominus Vladislaus Rex ad nostram postulationem contra Regem Hungariæ, & ipsius subditos pro toto ipsius posse, atque potentia Nos debet, & tenebitur adiuvare, contra alios vero nostros æmulos iuxta ipsius liberi arbitrii beneplacitum Nobis auxiliabitur, ut amicus. Quas quidem priores nostras Literas, & obligationes gratas, & ratas habentes, ipsas tanquam earum tenor de verbo ad verbum præsentibus esset intersertus, approbamus, ratificamus, & vigore præsentium confirmamus, adiicientes, & adiungentes, quod si quis ex nostris motionem aliquam facere, & se Nobis opponere præsumpserit, aut attemptaverit aliquid contra eundem Dominum Vladislaum, talem volumus una cum iam dicto Vladislao Rege, & ipse Nobiscum compensando debite tollere. In cuius rei evidentiam, & perpetuam firmitatem Sigillum nostrum maius per Maynam, & Volculum Comites nostros fideles Præsentibus appendi fecimus. Dat. in Lemburga in Octava Beatorum Petri et Pauli Apostolorum An. Domini millesimo trecentesimo nonagesimo primo.

Juramentum fidelitatis Vladislao Regi, Regnoque Poloniæ a Romano Palatino Moldaviæ, & Consiliariis eius præstitum. 1393.

Valachi Nobiles pollicentur Stephanum Palatinum ad Vladislaum Regem cum Consiliariis suis venturum, & 1395.

ANNO 1395. Juramentum fidelitatis eidem præſtiturum, quod ſi aliqui Conſiliarii non venerint, coram Legatis Regiis Juramentum præſtare debebunt.

1395. Homagium, & fidelitatis Juramentum Stephani Palatini Moldaviæ VLADISLAO Regi, & Regno Poloniæ præſtitum.

1400. Iwaſko Petri Palatini Moldaviæ Filius, & Wilczo fideiubent Regi pro Romano Fratre ſuo.

1400. Idem VLADISLAO Regi, & VITOLDO Duci fidelitatem, ſi dominatum paternum recuperaverit, promittit, condonatque Regi, & Regno Terram Sepinenſem iuxta ſuos antiquos limites, & pecuniam, quam Regi mutuo dederat, remittit.

1402. Alexander Palatinus Moldaviæ promittit fidelitatem VLADISLAO Regi, & Regno Poloniæ.

1404. Idem VLADISLAO Regi, Reginæ, & Filiis eorum, ac Regno Poloniæ Homagium præſtat. Cameneci Sigil. 15.

1407. Literæ eiusdem, quibus Homagium VLADISLAO Regi, & Regno Poloniæ præſtitum confirmat.

## V.

1411. *Miricii Palatini Tranſalpini Unio, & Confœderatio cum* VLADISLAO *Rege Poloniæ contra Regem Ungariæ, & alios hoſtes.* Datum in Imoiow, Anno 1411. *Ex Originali Sigil. 11.*

*In Nomine Domini Amen.*

Nos Muche Woiewoda Tranſalpinus &c. Tenore præſentium ſignificamus tam præſentibus, quam futuris quibus expedit Univerſis, quod cupientes inire Fœdera inviolabilis amicitiæ cum Excellentiſſimo Principe Domino VLADISLAO Rege Poloniæ &c. de Baronum noſtrorum unanimi conſilio pro eo talem fecimus ordinationem, alias, atque pridem temporibus perpetuis ab utraque parte firmiſſime tenendam, & irrefragabiliter obſervandam, quod memoratum Dominum VLADISLAUM Regem toto noſtro poſſe, atque potentia, dum, & quotiescunque auxilium noſtrum poſtulaverit, ac homines ſibi ſubditos ab inſultu, & hoſtili incurſu Regis Ungariæ, ac ipſius Homagialium, & quorumlibet hominum ſibi ſubiectorum, contra alios vero prædicti Domini VLADISLAI æmulos, aut iniuriatores quorumlibet ipſius iuxta arbitrii noſtri beneplacitum iuvare promittimus, & ſpondemus, quemadmodum amice facere expedit, atque decet. Imo multo magis iam quia conſangvinitatis amor hoc facere compellit amicos, idemque Dominus VLADISLAUS Rex ad noſtram poſtulationem ſignanter contra Regem Ungariæ, & ipſius ſubditos pro toto ipſius poſſe, atque potentia Nos debet, imo tenebitur adiuvare. In caſu autem ſi idem Ungariæ Rex hoſtiliter inſurgeret, aut ſui contra ſæpefatum Dominum VLADISLAUM Regem &c. extunc Nos hoſtiliter ſpondemus, imo promittimus noſtra cum gente fines Regni Ungariæ fortiter conſtringere incendio, & omni malo. Dum autem prædictus Rex Ungariæ &c. Nos, aut noſtram Terram hoſtiliter attemptaverit ſubintrare, extunc præfatus Dominus VLADISLAUS Rex hæc omnia ſupradicta Nobis toto poſſe, atque potentia debeat, & teneatur adiuvare. Contra alios vero noſtros æmulos iuxta ipſius liberi arbitrii beneplacitum Nobis auxiliabitur, tanquam amicus ſemper facere conſvevit, quemadmodum etiam priores noſtras Literas obligationarias gratas, & ratas habentes tanquam ipſas de verbo ad verbum ratificamus, & confirmamus vigore præſentium mediante, adiicientes autem, & adiungentes, quod ſi quis ex noſtris motionem aliquam facere, & ſe Nobis opponere præſumpſerit, aut attemptaverit aliquid contra eundem Dominum VLADISLAUM Regem, talem volumus una cum iam dicto Domino VLADISLAO Rege tempore Nobiscum expoſcendo coercere, & omnino funditus deſtruere, usque ad ultimum quadrantem, quemadmodum conſangvinitas, & inviolabilis amor, & amicitia iam Nos conſtringit, & ſemper facere compellit. Datum in Civitate noſtra Imoiow die Dominico *Vocem Jucunditatis.* Anno Domini milleſimo quadringenteſimo undecimo, ad perpetuæ unionis, circa roborationem confœderationis, amicitiam, ac bonitatem, præſentes fieri duximus noſtri Sigilli maioris munimine roboratas. ANNO 1411.

1419. Homagium Alexandri Palatini Valachiæ VLADISLAO Regi factum, & promiſſio auxiliorum contra omnes hoſtes, præcipue vero contra Regem Ungariæ.

1421. Alexander Palatinus Moldaviae cum Elia Palatino fratre ſuo, Ringalae Sorori VLADISLAI Regis obligat ad vitae eius tempora Oppida Sereth, & Rotkowiec cum omnibus pertinentiis, & proventibus, ac inſuper ſexcentos Ducatos, ſeu florenos rubeos Hungaricales promittit ſe eidem annuatim ſub pœna

dupli

ANNO dupli soluturum. Datum die 13. Decembris. 1421.

Literae quibus continetur Homagium VLADISLAO Regi, & Regno Poloniae ab Helia Palatino Moldaviae praestitum. Die 3. Junii. 1433.

VLADISLAUS Rex Poloniae concedit impunitatem Alexandro Palatino Moldaviae ratione rupti Fœderis, & damnorum. 1433.

Consiliarii Regni Poloniae approbant Pacta inter VLADISLAUM Regem, Successoresque eius, & Regnum Poloniae ab una, & Stephanum Palatinum Moldaviae, Successoresque suos ab altera parte per Michaelem Buczacki Castellanum, & Capitaneum Halicienſem facta, & Homagium ab eodem Palatino Regi, & Regno Poloniae praestitum, ratum habent. 1433.

VLADISLAUS Rex Poloniae confirmat Stephano Palatino possessionem Terrae Moldaviae, donatque ei Terras Cerzon, Cmielow, & territoria inter Sniatyn, & Sepin sita, habentia suos limites a fluvio Potoczyn, usque ad magnum fluvium Dniestr. Datum Lanciciae, die 13. Decembr. 1433.

Stephanus Palatinus Moldaviae testatur, se feciſſe Juramentum fidelitatis VLADISLAO Regi coram Nuntio eius Michaele Buczacki Capitaneo Halicienſi cum promiſſione, quod se sistet Regi in Russia, vel ubi vocatus fuerit, ut idem Juramentum iterum praestet. 1434.

Helias Palatinus testatur se concordiam iniviſſe cum Stephano Fratre, promittitque cum eo pariter fidelitatem VLADISLAO Regi Poloniae. 1435.

Homagium Heliae Palatini Moldaviae Regi, & Regno Poloniae praestitum. 1435.

Consiliarii Moldaviae Homagium Heliæ Palatini sui VLADISLAO Regi, & Regno Leopoli praestitum confirmant, & auxilia contra omnes hostes promittunt. Sigil. 35. 1436.

Literae, quibus Terra Sepinenſis cum Arcibus, & Oppidis Chocim, Czenin, & Chmielow VLADISLAO Regi, & Regno Poloniae ab Helia Palatino Moldaviae in vim compensationis damnorum, per Alexandrum Patrem suum in Colomienſi, & Sniatinenſi Territoriis datorum, redditur cum obligatione restitutionis Privilegiorum super praefatam Terram a Regibus Poloniae eidem concessorum. 1437.

Fœdus Heliae Palatini Moldaviae cum CASIMIRO Magno Duce, & Magno Ducatu Litvaniae initum. Vide Tom. III. Par. I. ad An. 1442. ANNO 1442.

Homagium a Consiliariis Heliae Palatini, suo, & omnium Incolarum Terrae Moldaviae nomine, VLADISLAO Regi Poloniae, & CASIMIRO Fratri eius, nec non Successoribus eorum, Regnoque Poloniae praestitum die 8. Septembr. 1443.

Literae Heliae Palatini Moldaviae, quibus Juramentum fidelitatis a Consiliariis suis, suo, & omnium Incolarum Moldaviae nomine VLADISLAO Regi, & CASIMIRO Fratri eius, nec non Successoribus eorum, ac Regno Poloniae Leopoli praestitum, approbat, promittitque auxilia Regi, & Regno contra omnes hostes. 1443.

Manka Uxor Heliae Palatini Moldaviae cum Capitaneo Chocimenſi, Arces Chocim, Czeczori, & Chmielow committit fidei Joannis de Czyzow Castellani, & Capitanei Cracovienſis, & Petri Odrowąz Palatini, & Capitanei Russiae. 1444.

Consiliarii Moldaviae approbant Homagium Heliae Palatini sui VLADISLAO Regi, & Regno Poloniae factum. Sigil. 33. 1444.

Stephanus Palatinus Moldaviae Pacta Maiorum suorum cum Regibus, & Regno Poloniae inita approbat, promittitque se iturum ad praestandum Homagium, quocunque a Rege vocatus fuerit. 1445.

Alexander Palatinus Moldaviae cum Consiliariis suis promittit, Regno Poloniae auxilia contra omnes hostes, & se contra eos in persona praesto fore. 1445.

Unio, & Confœderatio Stephani Palatini Moldaviae cum CASIMIRO Magno Duce Litvaniae. Dat. in Jassis 25. Junii. Vide Tom. III. part. I. ad an. 1447. 1447.

Consiliarii, & Nobiles Moldaviae cum Petro Palatino Juramentum fidelitatis apud Chocimum praestant CASIMIRO Regi, & Regno Poloniae, etiam pro absentibus, & posteris, etiamsi Palatini eorum fidem mutarent. 1448.

Petrus Palatinus Moldaviae Juramento interpositio promittit se fidelem fore CASIMIRO Regi, & Regno Poloniae. 1448.

Alexander Palatinus Moldaviae coram Oratoribus Regiis, Magnifico de Koniecpole Castellano Sandecenſi, & Joanne de Wiſnicz Kmita Sandomirienſi, & Premiſlienſi Capitaneo Homagium praestat, promittitque se more Maiorum suorum Regi in Terras Russiae venienti idem Homagium praestiturum, in loco, ad quem 1453.

ANNO 1453. quem vocatus fuerit, praeſertim vero Cameneci, & Sniatini.

1455. Idem cum Conſiliariis ſuis coram Andrea Odrowąz, et aliis Proceribus Regni CASIMIRO Regi Homagium praeſtat, promittitque ſe Juramentum fidelitatis coram ipſo Rege facturum in loco, ad quem vocatus fuerit. Die 6. Octobr.

1456. Homagium Petri Palatini Moldaviae CASIMIRO Regi, et Regno Poloniae praeſtitum. Contra hoſtes Regni in propria perſona totis viribus Regi auxilio erit, Inſcriptiones cum Regno a Praedeceſſoribus ſuis factas obſervabit, et cum nullo alio Fœdus inibit. Homagium in perſona ſua in Colomia, vel in Kamieniec Regi praeſenti praeſtabit, eidemque contra Pruſſos bellum gerenti quadringentos boves annuatim dabit. Filios Sahmet Hani Tartarorum Regi extradet, Legatos ad Regem quotannis cum muneribus Regi dignis, ratione penſionis homagialis mittet, Mariam relictam olim Heliae Moldaviae Palatini viduam circa Oppidum Szereth, et Villam Olchowiec, aliasque Villas conſervabit. De Chocim, et Czeczony, et quae eidem Mariae ſubiecta ſunt, cum Rege tranſiget. Anaſtaſiam Filiam ſuam, cui Rex voluerit, Nuptui dabit etc. Dat. Szocaviae 29. Junii.

VI.

1459. *Articuli Conventionis inter Oratores* CASIMIRI *Regis, & Stephanum Palatinum Moldaviae. Mutuae iniuriae ad deciſionem Regis in Terras Ruſſiae venturi differuntur. Palatinus Caſtrum Cuthin non infeſtabit, nec aliquem cum Terra ſua Moldavia pro Domino ſuo habebit, ſed ſoli Domino Regi, & Regno Poloniae ſerviet &c.* Dat. in rippa fluvii Dnieſtr An. 1459. *Ex Arch. Regni. Lib. 3. num. 4. fol. 118.*

Nos Stephanus Woiewoda Dei Gratia Dominus Terrarum Moldaviae, recognoſcimus tenore Praeſentium, quibus expedit, univerſis, praeſentibus, et futuris. Quomodo Magnifici Domini Andreas Odrowąſz Palatinus, et Capitaneus Ruſſiae Generalis, et Hryczko de Pomorzany Podoliae, et Capitaneus Trembovlienſis cum plena, et omnimoda facultate, et poteſtate miſſi, cum Literis Credentialibus, et Pargameneis, cum Sigillo appenſo Sereniſſimi Regis Poloniae Domini noſtri glorioſiſſimi Ambaſiatores Nobiſcum omnia, et ſingula bella, diſcordias, praedationes, combuſtiones, et ſanguinis effuſiones, inter Terras Podoliae, Ruſſiae, et Moldaviae hactenus factas tractarunt, et concordaverunt modo tali: Quod omnes diſcordiae, bella, praedationes, furta, incendia, et effuſiones ſanguinis ceſſare omnino debent, & amplius non committi. Si quis autem praefatae Terrae Moldaviae noſtrae *D*ominorum, aut Incolarum aliquid mali in Terris Ruſſiae, et Podoliae fecerit, furto, praedatione, et alio aliquo malo facto commiſerit, per hoc bellum non debet inſtaurari, ſed in metis debet iuſtitia fieri more ſolito, et a diu tenta conſvetudine, cum tali pacis fractore. Illa autem, quae in tali diſcordia, et bello moderno facta, et commiſſa ſunt, ad Domini noſtri glorioſiſſimi Regis adventum in Terras Ruſſiae debent ſuſpendi, et in praeſentia Domini noſtri Regis, aut Dominorum per Suam Serenitatem ad hoc ſpecialiter deputatorum, Nobiſcum facta Conventione iudicabunt, et unicuique parti iuſtitia miniſtrabitur copioſa. Caeterum promittimus Caſtrum Cuthin in poſſeſſione, et pace intacta dimittere, et nullo modo excogitato vexare per violentiam, cum teloneo Cuthinenſi ad ipſum ab antiquo ſpectante, cum Oppido, et libera piſcatura in flumine Nieſtr, poterintque de Caſtro laboratores convenire pro ipſorum neceſſitate, et neceſſaria ligna, faenum, et alia ipſis opportuna in Oppidum ad forum adducta, nullas violentias faciendo, nec alicui aliquid violenter recipiendo, Mercatores, terrigenas, homines, et nuntios quoſcunque circa navigium non areſtando, ſed recepto teloneo, et Naulo, alias Przewoz iuſto libere permittere, iuxta antiquam conſvetudinem. Si vero cuipiam aliquam iniuriam, ſeu violentiam de Terra noſtra Moldaviae alicui ſubdito de Caſtro fecerint, illud debemus Domino Hriczkoni Palatino praefato per noſtrum Nuntium nuntiare, ſeu intimare, ut Nobis pro eo iuſtitia fiat, prout ſibi haec iuſtitia facienda iam commiſſa eſt, uſque ad noſtri glorioſiſſimi Regis informationem. Et interea vel his ſic ſtantibus, Petrus Woiewoda non debeat in Cuthino morari, nec illuc equitare, ſeu viſitare perſona propria, nec propius Terras Moldaviae morari, quam in Smotricz, ad praefatam Domini noſtri Regis informationem. Promittimus inſuper *D*ominis Valachis, qui ex Conſenſu Regiae Maieſtatis Petro Woiewodae ſerviunt, Bona ipſorum paterna, et iuſta reſtituere, et ipſos honorare iuxta merita ipſorum. *D*enique promittimus, et pollicemur, quod omnes, et ſinguli mercatores, et inſtitores per Terras

ANNO 1459.

ras

Anno ras Moldaviae, ire, transire, morari,
1459. et negotia sua disponere poterint, salvis, seu solutis teloneis iustis. Promittimus demum, quod nullas Nobis alias partes quaerere, nec aliquem pro *D*omino nostro habere cum Terra Moldaviae, sed solum *D*omino Regi, & Regno Poloniae servire, et contra Paganos, dum, quod *D*eus auferat, necesse fuerit, in auxilium transire tenebimur, et adveniente *D*omino Rege in Terras Russiae, iuxta quod Nobiscum sua Serenitas concluserit, omnia tenere, et inviolabiliter servare promittimus sub fide, et honore, et iuramento nostris, et *D*ominus Rex debet Nos favore prosequi, et defensare, prout subditum suum, iuxta consvetudinem antiquam. Harum, quibus Sigillum nostrum, et Baronum, et Consiliariorum nostrorum, *D*omini Valachi, *D*omini *D*obroch Cancellarii nostri, *D*omini Albi Spatarii, *D*omini Lasari Magni, *D*omini Thomae Lochindae, *D*omini Cusmae, *D*omini Bochtae, *D*omini Saches Spatarii nostri, *D*omini Stolnici, *D*omini Boerani Commissi, *D*omini Luscho Godicki, et *D*omini Olonethae sunt appensa, testimonio Literarum. *D*at. in rippa fluminis Niestr, prope Villam Owerkielowicze Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono Feria quarta post Conductum Paschae.

1462. Stephani Palatini Moldaviæ promissio fidelitatis Casimiro Regi, & Regno Poloniæ, & quod eo inscio nihil de Moldavia alienabit.

1462. Idem eidem promittit fidelitatem, & quod Tartaros captivos non dimittet, neque cuipiam tradet, præterquam ipsi Regi, si voluerit.

1462. Juramentum fidelitatis Casimiro Regi, et Regno Poloniae a Metropolita, et aliis Commissariis Moldaviae cum Stephano Palatino praestitum, quem illi in fide, et officio permansurum pollicentur.

1470. Literae Stephani Palatini Moldaviae, quibus promittit Casimiro Regi fidelitatem, et auxilia pro viribus, contra quosvis hostes, et quod more Maiorum suorum, cum a Rege ad praestandum Juramentum vocatus fuerit, Cameneciam, Colomiam, vel Sniatinum personaliter sit venturus, neque bellum aliquod susceperus, neque de re aliqua transacturus sit, sine consensu Regis.

1479. Literae Homagii Casimiro Regi a Stephano Palatino Moldaviae praestiti cum promissione, quod ipse in persona sua Regi solenniter iurabit post sex Menses apud Colomiam, cum vocatus fuerit.

*Homagium* Casimiro *Regi, & Successoribus eius, Regnoque Poloniæ a Stephano Palatino Moldaviæ Colomiæ præstitum* d. 15. Sept. 1485. Anno 1485.

Gratiosissime Rex, ego Homagium praesto, et iuro, ac etiam promitto fideliter sine dolo, et fraude Vestrae Serenitati, Successoribusque Serenitatis Vestræ Regibus, et Sacrae Coronae Regni Poloniae cum omnibus Terris, Baronibus, et hominibus meis fidelitatem, esseque fidelis, et obediens Serenitati Vestrae, Successoribus, et Coronae Poloniae Regni, sic me *D*eus adiuvet, et Sancta Christi Crux.

*Verba Regis.*

Nos te, et Terras tuas in nostram protectionem recipimus, et circa omnes *D*ignitates, et Jura omnia Terrarum tuarum, tanquam Palatinum nostrum relinquimus.

*Juramentum Incolarum Moldaviæ.*

Nos Barones, Vasalli, et tota Terra Moldaviae praestamus Homagium nostro, et totius Communitatis Terrae Moldaviae nomine, Sereniſſimo *P*rincipi, Domino Kazimiro, et Successoribus Regibus Poloniae, et Coronae Regni *P*oloniae, promittimusque, et iuramus omnem fidelitatem, subiectionem, et obedientiam in perpetuum Serenitati suae, Regno, et *R*egibus *P*oloniae: ita nos *D*eus adiuvet, et Sancta Christi Crux.

VII.

*Sacra Regia Maiestas Poloniæ, interventu* Vladislai *Hungariæ, & Bohemiæ Regis Germani sui, Pacem donat Palatino Moldaviæ. Ex Archiv. Regni Lib. sub Lit. H. H. fol. 185.* 1499.

In Nomine Domini Amen.

Nos Joannes Albertus *D*ei Gratia Rex Poloniae, Supremus *D*ux Litvaniae, Russiae, Prussiaeque *D*ominus, & Haeres. Significamus tenore praesentium, Universis quibus expedit, easdem inspecturis, et lectas audituris bonis quibuslibet. Quomodo cum superioribus & praeteritis temporibus certa inimicitia, et notabilis discordia, notoriumque bellum fuit, inter Maiestatem nostram, et Magnificum Stephanum Woiewodam *D*ei Gratia *D*ominum Terrae Moldaviae, amicum sincere Nobis dilectum,

ANNO 1499. Nos interventu Sereniſſimi Principis, et Domini VLADISLAI eadem Gratia Hungariae, et Bohemiae Regis, Germani noſtri chariſſimi, præfato Stephano Woiewodæ amico noſtro ſincere dilecto, eiusque Filiis, ac Filiorum filiis, Boiaris, & ſubditis ipſorum Terræ Moldaviæ, omnes offenſas, iniurias, & damna, quæ Nobis his temporibus ſuperioribus fecerat, dimiſimus, & dimittimus, ipſique Pacem, & Treugam perpetuam concedimus, & relinquimus pro omnibus prædictis, & aliis quibusvis præteritis damnis, offenſis, & iniuriis, quæ Nobis, & noſtris ſubditis in antea usque in hactenus fecit. Et ſimiliter in noſtram Maieſtatem, & Illuſtriſſimos Principes, Dominos ALEXANDRUM eadem gratia Magnum Ducem Litvaniæ, & Ducem SIGISMUNDUM Germanos noſtros cariſſimos, & Stephanum Woiewodam amicum noſtrum ſincere Nobis dilectum, & ex utraque parte noſtros Succeſſores debet eſſe Pax perpetua. Itaque amodo, & in antea Stephano Woiewodæ, & Filiis, Succeſſoribusque, & ſubditis ipſius erit integrum, & ſecurum, ut viverent, & dominarentur in Terra Moldaviæ, ſine quovis noſtro impedimento, et ſimiliter ſine impedimento prædictorum Principum ALEXANDRI, & SIGISMUNDI Ducum, & Filiorum, Succeſſorum, ac ſubditorum noſtrorum. Nos Rex præfatus cum præfatis Germanis noſtris, ac omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Prælatis Spiritualibus, omnibusque Conſiliariis, & ſubditis noſtris, iuramus, & promittimus Stephano Woiewodæ Amico noſtro ſincere dilecto, & Filiis eius, & ſubditis ſuis in Terra Moldaviæ per Deum unum, & Genitricem eius, ac ſub noſtra Fide Chriſtiana, Germanorumque noſtrorum prædictorum, ac omnium Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, omniumque Prælatorum, & Conſiliariorum noſtrorum, quia amodo, & in antea cum præfato Stephano Woiewoda Amico noſtro ſincere dilecto, & Filiis eius, ac Filiorum Filiis, & Boiaris, ac omnibus ſubditis eorum Terræ Moldavienſis pro prædictis omnibus offenſis, & damnis, & aliis quibuſcunque damnis, iniuriis, & offenſis, ſub quocunque tempore factis usque in hunc diem debemus habere, & ſervare perpetuam, inviolatam, & infractam pacem, & tranquillitatem; & ſimiliter Stephanum Woiewodam, & Filios eius, ac Filiorum Filios eorum, & ſubditos ſuos Terræ ipſius Moldaviæ ab omnibus inimicis eius, ab omni parte, gladio, conſilio, & hominibus, ac tota potentia noſtra ſemper ſecundum poſſibilitatem noſtram Nos debemus, & Succeſſores noſtri debebunt tueri, & defendere, & ſimiliter Stephanus Woiewoda, & Succeſſores ſui cum tota eius potentia, Nobis Regi, & Regno Poloniæ, & Succeſſoribus noſtris, contra quemlibet inimicum noſtrum ſemper conſilio, & auxilio eſſe debent, ſecundum eorum poſſibilitatem. Item promittimus etiam Nos cum Germanis noſtris ſupraſcriptis, & omnibus Conſiliariis præfato Stephano Woiewodæ, Filiisque ipſius, ac Filiorum Filiis, ipſorum Boiaris, & ſubditis eorum Terræ Moldaviæ, quod eſſe debemus amicis ipſorum amici, & inimicis ipſorum inimici. Et ſimili modo Stephanus Woiewoda, & Filii ipſius, et Filii Filiorum eorum, et ſubditi ipſorum amicis noſtris, et amicis Germanorum noſtrorum, et ſubditorum, et amicorum Terrarum noſtrarum eſſe debent amici, et inimicis noſtris, ipſorumque Germanorum noſtrorum inimici ſemper. Item nullum inimicum Stephani Woiewodæ, quicunque inimicus eius vellet ſe nominare Dominum Terræ eius Moldaviæ, qui veniret ad Nos, et Terras noſtras, aut ſubditos noſtros, aut ad quemcunque alium, qui pertinent ad Regnum noſtrum Poloniæ, Nos non debemus huiusmodi hominem ſuſcipere, neque locum, neque victum nullibi in Terris noſtris, neque apud aliquem ſubditorum noſtrorum dare debemus, ſed talem hominem ubicunque audiremus, aut inveniremus in Terris noſtris, aut apud quemcunque ſubditorum noſtrorum, Nos debemus eum licentiare de Terris noſtris, ita quod ulterius in eisdem morari non debeat. Item ſi continget, quod fugeret aliquis Familiarium ex ſubditis præfati Stephani Woiewodæ ad Nos, aut ad quemcunque in Terris noſtris ſubditum noſtrum, tunc talis apud Nos exiſtens quærere debet gratiam a Domino ſuo Stephano Woiewoda per ſe, vel noſtram interventionem, extunc ſi ſibi dimitteret Stephanus Woiewoda, eidem eſſe debet tutum, et ſecurum redire ad ipſum Stephanum Woiewodam, et ſi ſibi non dimittet offenſam Stephanus Woiewoda, tunc Nos talem non debemus ſervare in Terris noſtris, nec occulte, nec manifeſte. Item promittimus Stephano Woiewodæ, ſi contigerit ex aliqua permiſſione divina quod Deus auferat, quod Stephanus Woiewoda ab aliquo hoſte potente, cui reſiſtere non poſſet, expulſus exiret de Terra ſua, ſive ad Hungariam, ſive ad Regnum noſtrum Poloniæ, tunc Terræ noſtræ debent eſſe apertæ Stephano Woiewodæ, et Uxori eius Kniehini, et Filiis earum, et Boiaris eius, et uxoribus, et cum ſubditis, ſervis, theſau-

ANNO 1499.

ANNO 1499. fauris ipſorum, ac cum omnibus, quæ ad eosdem pertinent, et ipſi debent venire ad Nos, et Terras noſtras, aut ad noſtras civitates, et caſtra, ubicunque in praedicto Regno noſtro manere eis placuerit, tunc Nos ipſum Stephanum Woiewodam, et Kniehinam, ac Filios eius, Boiaros, ſubditos, et ſervos ipſorum diligere, et in gratia, ac honore tenere debemus, et erit ſibi ſecurum, benevolum, et apertum de Terris noſtris Terram ſuam Moldavienſem recuperare. In tali caſu Nos Rex ſupraſcriptus debemus eum iuvare, cum omnibus potentiis, et viribus noſtris, et ipſum e contra ad Patriam ſuam praedictam Terram Moldaviae reponere, et locare, et cum ſibi Deus concedet, recuperare, e contra Patriam ſuam Terram eandem Moldaviae, tunc eidem amico noſtro Stephano Woiewodae e contra eſſe debet ſecurum, benevolum, et apertum ſine omni damno exire de Terris noſtris cum ipſius Kniehina, cum Filiis, et omnibus Boiaris ipſius, et uxoribus, ac ſervis, univerſisque ipſorum theſauris, et aliis omnibus rebus his, quae circa ſe habebunt, e contra ad ſuam Patriam Terram Moldaviae. Item promiſi & promittimus, quod Stephano Woiewodae, et Filiis ipſius, et Filiorum Filiis ipſorum, et Terræ ipſius Moldaviae nunquam ſibi aliquod damnum, neq; laeſionem, aut inimicitiam faciemus, neq; opere, neq; conſilio, neq; manifeſte, neque occulte. Et ſi intelligeremus ex aliqua parte, a quibuſcunque eius inimicis aliquod malum, aut damnum, aut impedimentum, tunc Nos Stephano Woiewodae, et Filiis eius, et Terrae ipſius Moldaviae totum hoc debemus ſignificare, detegere, et intimare. Et ſimiliter Stephanus Woiewoda Nobis, et noſtris Terris, nullum damnum, nec impedimentum facere debet, neque opere, neque conſilio, neque manifeſte, neque occulte, et ſi ipſe intelligeret aliquod damnum, malum, aut impedimentum, a quibuſcunque noſtris inimicis, tunc ipſe Stephanus Woiewoda debet Nobis ſimiliter detegere, manifeſtare, intimare, et ſignificare. Item quandocunque voluerimus una cum Sereniſſimo Principe Domino VLADISLAO Rege Hungariae, Germano noſtro bellum movere, et expeditionem bellicam facere, ſive Domino favente iſtud facere deliberaverimus, et ad eandem perſonaliter proficiſceremur, cum totis viribus, et potentiis noſtris contra Imperatorem Turcorum, et Terras ipſius, et Germanus noſter Dominus VLADISLAUS Rex Hungariae protunc temporis etiam proficiſceretur, et tranſiret per Terram Baſſarabiae, et illic tranſfretaret, et navigaret per Danubium in Terram Imperatoris Turcorum, tunc etiam eodem tempore debemus navigare, et transfretare per Danubium ſimiliter in Terram Imperatoris Turcorum, ſed in porta alias Przewoz, qui vulgariter nuncupatur obluczicza, aut ubi commodius videbitur, intelligendo ſe cum Sereniſſimo Domino Rege Hungariae, et cum Stephano Woiewoda, quomodo melius, et eommodius videbitur, et tunc etiam debet Stephanus Woiewoda ſolus in propria perſona, et cum tota ſua potentia Terrae Moldavienſis, et Succeſſores ſui tenebuntur proficiſci una Nobiſcum contra Imperatorem Turcorum. Item ſi, quod Deus auferat, quod protunc eſſet grandi infirmitate detentus, quod non poſſet ſolus in propria perſona una Nobiſcum proficiſci, tunc Filius ſuus propria in perſona, aut ille, quem ipſe Stephanus Woiewoda mittet, una Nobiſcum proficiſci debet, et cum tota ſua potentia Terrae Moldaviae. Item ad illud tempus expeditionis Nos ſupraſcripti Sereniſſimi Domini, VLADISLAUS Hungariae, et Bohemiae, et JOANNES ALBERTUS Poloniae, Reges, promittimus Stephano Woiewodae ipſum defendere ſemper, et Terram ipſius Moldaviae ab Imperatore Turcorum, et ſemper cum eo, et penes eum ſtare, et auxilium ei dare contra praefatum Imperatorem Turcorum. Item ipſe Stephanus Woiewoda ad hoc etiam tempus, et per iſtud tempus, quomodocunque audiverit tranſitum Turcorum, tunc ipſe quantocius poterit, ambobus Nobis Regibus debet dare ſcire, et intimare de ipſis Turcis, quibus contra Nos neque auxilium, neque conſilium dare debet. Sed pro poſſe ſuo illis erit, et eſſe debet inimicus. Item Mercatoribus Stephani Woiewodae a Terra Moldaviae erit, et eſſe debet ſecurum, et apertum per Terras ire, equitare, et mercari, ſolutis tamen teloneis debitis, iuxta antiquam legem, et ſecundum depoſitoria antiqua. Item ſimiliter Stephanus Woiewoda debet permittere per Terram Moldaviae noſtros Mercatores de Terris noſtris, ut tranſirent ſecure, et benevole mercando, ſolutis tamen theloneis debitis, iuxta antiquam legem, et ſecundum depoſitoria antiqua. Item quantum contingit Limites granicierum ex utraque parte, Nos debemus committere Capitaneo Camenecenſi, et pro tempore exiſtentibus Capitaneis Camenecenſibus, ita videlicet, ſi aliquando contingeret, alicui ex ſubditis, aut cuicunque de Terra ipſius Stephani Woiewodae Moldaviae quodcunque damnum, aut

Anno 1499. quaecunque Iniuria a ſuditis noſtris, aut quocunque ex Terris noſtris, et ſic ille, cui erit iniuria, debet requirere Juſtitiam a Capitaneo Camenecen. et Capitaneus Camenecenſis debet habere poteſtatem ſuper quolibet ſubdito noſtro facere Juſtitiam, et compellere eundem, qui culpabilis fuerit, ad ſatisfaciendum illi, cui iniuria facta fuerit, ſubdito, et homini de Terra Moldaviæ. Et ſimiliter quando contingeret aliqua iniuria cuicunque ſubdito noſtro a ſubditis Stephani Woiewodae Terrae Moldavienſis, tunc ipſe, cui facta fuerit iniuria, debet requirere Juſtitiam a Capitaneo Chocimenſi, et Czarnovicenſi, et Capitaneus pro tempore exiſtens Chocimenſis, aut Czarnovicenſis, et illi debent habere poteſtatem ſuper quolibet ſubdito Stephani Woiewodæ facere iuſtitiam ſubditis noſtris, habendo Deum præ oculis. Item quando contingeret aliqua notabilis iniuria, ſive diſcordia inter Capitaneos, aut ſubditos hincinde noſtros, tunc de eo Nos debemus ſignificare Stephano Woiewodæ per aliquem hominem noſtrum. Et ſimiliter Stephanus Woiewoda debet Nobis ſignificare, tunc ex utraque parte debemus mittere, & deputare Conſiliarios, ut iſtud reviderent, & iuſtitiam debitam facerent indilatam. Et nihilominus propter huiusmodi diſcordias, & diſſenſiones prænominatas ſubditorum noſtrorum ex utraque parte quomodolibet exoriundas, Pax, & Concordia præmiſſa fracta non intelligatur. Quæ omnia, & ſingula ſupraſcripta Nos Joannes Albertus Dei Gratia Poloniæ Rex, in omnibus punctis, Conditionibus, & Articulis, rata, & grata habere in fidem noſtram Regiam promittimus, una cum Illuſtriſſimis Principibus Dominis, Magno Duce Litvaniæ, & Sigismundo ſimiliter Duce, Germanis noſtris chariſſimis ſupraſcriptis, & omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Viris Eccleſiaſticis, atque omnibus Baronibus ſubditis noſtris, & omnibus ad Nos pertinentibus, eidem Stephano, Woiewodæ Filiis, Filiorumque eorundem Filiis, & Hæredibus, & Succeſſoribus ſuis, firmiter, inviolabiliter, & illæſe obſervare, tenere, & adimplere, ac obſervari, teneri, & adimpleri facere, ſine omni ſortilegio, & excuſatione cauteloſa qualicunque. Harum noſtrarum, quas ad maiorem ſecuritatem, & præmiſſorum omnium firmiorem ſtabilitatem, & fidem Sigillo noſtro, ac Prælatorum, & Baronum noſtrorum Nobiſcum exiſtentium communiri fecimus, vigore, & teſtimonio Literarum mediante. Datum Cracoviæ Feria ſecunda in Craſtino Feſti Beatorum Tiburtii, & Valeriani Martyrum, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo nono. Anno 1499.

Et Nos Fridericus Miſeratione Divina Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Sanctæ Luciæ in ſeptem ſoliis Presbiter Cardinalis, Archiepiſcopus Gneſnenſis, & Primas, ac Epiſcopus Cracovienſis, Andreas Roża Archiepiſcopus Leopolienſis, Creſlaus Vladiſlavienſis, Cancellarius, Vincentius Plocenſis, Vicecancellarius Regni Poloniæ, Joannes Poſnanienſis, Lucas Varmienſis, & Mathias Chełmenſis, Dei Gratia Epiſcopi, Joannes Amor de Tarnow Caſtellanus Cracovienſis, Spytek de Jaroſlaw Cracovienſis, Nicolaus de Oſtrow Sandomirienſis, Sandivogius de Czarnkow Caliſſienſis, Ambroſius de Pampow Siradienſis, & Capitaneus Maioris Poloniæ Generalis, Nicolaus de Bayzen Marienbergenſis, Jacobus de Buczacz Ruſſiæ Generalis, Petrus Myſzkowſki Belſenſis, Palatini. Ioannes de Oſtrorog Poſnanienſis, Raphael de Leſzno Gneſnenſis, Nicolaus de Kurozwanki Siradienſis, Zawiſſius de Kunradziec Plocenſis, Staniſlaus Kmita de Wiſnicze Præmiſlienſis, Staniſlaus de Chodecz Leopolienſis, Caſtellani, cum præfato Sereniſſimo Principe, & Domino Ioanne Alberto Dei Gratia Rege Poloniæ &c. Domino noſtro gratioſiſſimo, hic ad præſens Cracoviæ conſtituti, promittimus ſub fide Noſtra Chriſtiana penes præfatum Sereniſſimum Dominum noſtrum Regem, omnia ſupraſcripta in omnibus punctis, conditionibus, & Articulis ſupraſcripto Magnifico Domino Woiewodæ Moldavienſi, & Filiis, Filiorumque Filiis, atque Boiaris, & ſubditis ſuis, firmiter, & inconcuſſe tenere, & obſervare, ſine omni dolo, & fraude. In fidem præmiſſorum ſigilla noſtra cum Sigillis eiusdem Sereniſſimi Domini noſtri Regis præſentibus fecimus ſubappendi.

VIII.

*Conditiones Pacis inter* Sigismundum I. *Regem Poloniæ, & Bohdanum Palatinum Moldaviæ per Oratores* Vladislai *Hungariæ Regis conditæ. Bohdanus Literas Sponſaliorum Eliſabeth Sororis* Alexandri *Regis reſtituet, & Matrimonii illius memoria abolebitur. Controverſias de Finibus* Vladislaus *Hungariæ Rex decidat. Bohdanus de Turcarum conatibus Regem certiorem faciet &c.* Datum in Kamieniec 23. Januar. 1510. 1510.

ANNO 1510. *Ex Archivo Theſauri Regni.*

In Nomine Domini Amen.

NOS SIGISMUNDUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. Significamus tenore præſentium Univerſis, & ſingulis, præſentes Literas lecturis, ſeu audituris. Quia etſi longe ante actis temporibus inter Sereniſſimos Reges Poloniæ, & Dominos Terræ Moldaviæ, fuerit integra, certaque, ac perpetua Pax, & tranquillitas: cum tamen nuper ortum fuiſſet grave, & pernicioſum bellum inter Nos ab una, & amicum noſtrum Magnificum Dominum Joannem Bohdanum Woiewodam, Dominum Terræ Moldaviæ ab altera partibus, videreturque idem bellum indies plus creſcere, & augeri debere, non ſine magno damno totius Chriſtianitatis: Sereniſſimus Princeps Dominus VLADISLAUS eadem Gratia Hungariæ, & Bohemiæ &c. Rex, Frater noſter chariſſimus ſciens, & animo ſuo revolvens, quod magna, atque innumera mala fieri poſſent in Republica Chriſtiana, ſi tam atrox, & grave bellum eſſet ulterius duraturum: quantaque præberetur occaſio, atque audacia infidelibus, & præſertim immaniſſimis Turcis invadendi, & occupandi Dominia Chriſtiana, cum cognoſcerent, quod vicini ſibi Domini bella gerunt, & diſcordant inter ſe invicem: de conſilio univerſorum Conſiliariorum Regni ſui, & Sacræ Coronæ Hungariæ, pro officio Regis Catholici, & amore Chriſtianæ Religionis cupiens, ut pacati inter ſe Principes Chriſtiani, concordibus votis, & animis converterent arma, & vires ſuas contra Paganos in eorum exterminium, & ruinam: miſit Oratores, & Conſiliarios ſuos ad dirimendum, & continendum hoc ipſum bellum, Magnificos Oſvaldum de Kolowrat Comitem Comaronienſem Caſtellanum Caſtrorum Thſata, & Comaron, & Bernabam Belaii, Banum Caſtri Zewrenienſis, cum plena, & integra poteſtate, qui ſua cura, & diligentia effecerunt, quod arma utrinque ſunt depoſita, atque Exercitus, & homines ex Caſtris reducti.

Nos deinde miſimus in Kamieniec Conſiliarios noſtros, ſincere, & devote Nobis dilectos: Magnificum, Reverendum, Generoſum, & Venerabilem Staniſlaum de Chodecz Marſchalcum Regni noſtri, Leopolienſem, & Camenecenſem Capitaneum, Joannem de Laſko Coadiutorem perpetuum Eccleſiæ Gneſnenſis, & Regni noſtri Cancellarium, Georgium Czupſki Caſtellanum, & Capitaneum Belſenſem, & Petrum Thomiczki iuris Pontificii Doctorem, Archidiaconum Cracovienſem, Secretarium noſtrum, cum ſufficienti poteſtate, & Mandato, ſimul cum præfatis Oratoribus Sereniſſimi Domini VLADISLAI Hungariæ, & Bohemiæ &c. Regis Fratris noſtri amantiſſimi. Qui diu, ac multum tractantes, & conferentes cum Conſiliariis, & Boiaris Magnifici D. Bohdani Woiewodæ, Domini Terræ Moldaviæ, a quo cum plena, & ſufficienti poteſtate erant miſſi, videlicet cum Dominis Joanne Tentull, Logofieth, Thador Capitaneo, Iſaac Capitaneo, et Iwancone Piehar, medio eorundem Conſiliariorum fraternæ Maieſtatis Hungariæ, ſubque eorum præſentia, Pacem perpetuam, atque Concordiam inter Nos, et eundem Magnificum Dominum Bohdanum Woiewodam fecerunt, et firmarunt. Nos etiam ſimiliter differentias, ac inimicitias inter Nos, et Terras noſtras, et præfatum Magnificum Dominum Bohdanum Woiewodam, et Terram eius Moldavienſem exortas, compoſuimus, atque extinximus, componimusque, et extinguimus tenore præſentium mediante in vim pacis, et tranquillitatis perpetuæ ſub modis, et articulis infraſcriptis. ANNO 1510.

Inprimis de rebus Eccleſiæ Rohatinenſis, quæcunque invenientur in veritate, ſive ſint de auro, ſive de argento, ſive ſint veſtes ſacræ, et alia ornamenta, Magnificus Bohdanus Woiewoda, omnes debet reſtituere ſine fraude, et dolo.

Idem fiat de rebus aliarum Eccleſiarum, ut quæcunque invenientur, utrinque reſtituantur.

Similiter et de campanis, quotquot reperientur ab utraque parte, ut reſtituantur.

Item de binis Literis, quæ ſunt ſub magnis Sigillis datæ a Sereniſſimo olim Principe Domino ALEXANDRO Rege Poloniæ, Fratre noſtro chariſſimo, et a Conſiliariis eius Maieſtatis Magnifico Domino Woiewodæ, de Sorore noſtra Illuſtriſſima Reginula ELISABETH, idem Dominus Bohdanus Woiewoda mittere illas debet in manus Sereniſſimi Principis Domini VLADISLAI Hungariæ, et Bohemiæ etc. Regis Fratris noſtri chariſſimi per ſuos Nuntios, et eius matrimonii ab hinc in poſterum nunquam recordari debet, ita ut ſe id facturum promiſit eiusdem Sereniſſimi Fratris noſtri Oratoribus Magnificis Oſwaldo Charlaczki, et Barnabæ Belai Bano Zevrenienſi.

Item pro impenſa, quam fecimus in exercitus noſtros, qui profecti erant in Terram Moldavienſem, Boiari Magnifici Domini Bohdani Woiewodæ nullo modo

ANNO 1510. quidquam dare voluerunt, ſed reiecerunt in Sereniſſimum Principem Dominum VLADISLAUM Regem, et Dominos Conſiliarios Regni Ungariæ. Nos etiam id eodem modo repoſuimus in eundem Sereniſſimum Dominum VLADISLAUM, et Dominos Conſiliarios Regni Ungariæ.

Item de quodam Petro, qui ſe nominat filium Woiewodæ, et de omnibus Moldavis, qui de Terra Moldavienſi fugerunt in Regnum noſtrum Poloniae, ſi apud Nos, et in Terris noſtris ſervari debeant, nec ne, id etiam repoſuimus in Sereniſſimum Dominum VLADISLAUM Regem, et Dominos Conſiliarios Regni Hungariae.

Item homines captivi, qui ſunt detenti in praeliis, et cuſtodiis, et quibuscunque in locis, Nobiles, Coloni, et pauperes homines, utrinque reſtitui debent.

Item Nobiles, Coloni, pauperes homines, et Cives cuiuscunque nationis, et linguae, qui ſunt abducti, recepti de Rohatin, eos omnes Magnificus Dominus Bohdanus Woiewoda Moldavienſis, liberos dimittere debet cum omnibus eorum bonis, quae ſecum habuerint.

Item omnes homines, qui ſunt abducti de Terris Regni noſtri Poloniae, et etiam de parte Pokucie, eos omnes homines idem Dominus Bohdanus Woiewoda dimittere debet, a maximo ad minimum cum omni eo, quod penes ſe habebunt.

Item Nos etiam SIGISMUNDUS Rex Poloniae etc. omnes homines de Terra Moldavienſi receptos, cuiuscunque ſint nationis, et linguae, a maximo ad minimum cum omni eo, quod penes ſe habebunt, dimittere debemus, et de Regno noſtro Poloniae, et de Magno Ducatu Litvaniae.

Item damna, quae utrinque ſunt facta per ignem, et praedas, quantumcunque fuerint gravia, et magna, utraque ex parte, decretum eſt, ut neutra pars alteri parti in memoriam adducat.

Item de illa parte Pokucie, pro qua eſt differentia inter Nos, et Magnificum Dominum Bohdanum Woiewodam, ita ut antea pactum erat, repoſuimus in Sereniſſimum Principem Dominum VLADISLAUM Hungariae, et Bohemiae Regem, et Dominos Conſiliarios Regni Ungariae ita, ut quemcunque diem praefinierit eius Maieſtas, pro illo ipſo die miſſura erit Conſiliarios ſuos, quos, et quotcunque mittere dignabitur. Nos etiam pro eodem ipſo die, et tempore, quatuor Conſiliarios noſtros miſſuri ſumus, et ſimiliter Magnificus Dominus Bohdanus Woiewoda, quatuor Conſiliarios ſuos mittere debebit, pro eodem ipſo die, et tempore. Iidem autem Conſiliarii Regni Ungariae, reviſuri ſunt, et reformaturi praefatam particulam Terrae, ita ut fuit temporibus veterum Sereniſſimorum Principum Regum Poloniae, et Woiewodarum, ac Dominorum Terrae Moldavienſis. Quod ſi aliqua partium praedictarum in termino, et die ſtatuto non comparuerit, perdere debeat Jus ſuum, et cauſam, niſi quod Deus avertat, accidat tunc alicui partium aliqua magna, gravis, et notabilis iniuria, ac impedimentum, vel vis hoſtilis, vel caſus ſiniſter. ANNO 1510.

Item damna in hominibus, & pecoribus facta in Terris Regni noſtri, & in Terra Moldavienſi per ſubditos, & milites mercenarios noſtros, ſimulque per ſervitores, & ſubditos Magnifici Domini Bohdani Woiewodae Moldavienſis, ab eo tempore, quo factae erant Induciae inter Nos, & eundem Dominum Bohdanum Woiewodam, medio Oratorum fraternae Maieſtatis Hungariae, ea omnia damna, quaecunque iuſte, & ſufficienter probata fuerint, reſtitui debent, & exolvi, & illi mali homines, qui eadem damna fecerunt, utrinque puniri.

Item ſi quando Magnificus Dominus Bohdanus Woiewoda intellexerit de Turcis, aut aliis hoſtibus, qui vellent vaſtare terras noſtras, id Nobis, vel Capitaneis caſtrorum noſtrorum, qui ſunt in limitibus, ſignificare debebit, neque conſilium, neque auxilium eisdem Turcis, & aliis inimicis noſtris, & Regni noſtri Poloniae, praebebit, occulte, aut manifeſte. Sed pro poſſe ſuo erit illis inimicus, excepta Regia Maieſtate, & Sacra Corona Regni Hungariae. Similiter, & Nos SIGISMUNDUS Rex, ſiquando praeſenſerimus aliquod malum imminere Magnifico Domino Bohdano Woiewodae, & Terrae eius Moldavienſi, a quibuſvis eius hoſtibus, de hoc illum ſumus reddituri certiorem. Neque Conſilium, neque auxilium eisdem eius, & Terrae eius Moldavienſis hoſtibus praebebimus, occulte aut manifeſte, ſed pro poſſe noſtro erimus illis inimici, excepta Regia Maieſtate, & Sacra Corona Regni Hungariae.

Item nullum inimicum noſtrum, quicunque appellaverit ſe Dominum Regni Poloniae, vel Magni Ducatus Litvaniae, vel aliarum Terrarum noſtrarum, & veniret ad Magnificum Dominum Bohdanum Woiewodam, aut ad aliquos ſubditos ipſius, idem Magnificus Dominus Bohdanus Woiewoda, & Succeſſores ipſius, non debet ſuſcipere, neque locum, neque victum illi praebere, nec apud ſe, nec apud aliquem ſubditorum ſuorum

ANNO 1510. ſuorum. Sed talis homo, ubicunque auditus, & repertus fuerit in Terra ipſius, aut apud quemcunque ſubditorum ipſius, debet illum dimittere, & expellere de Terra ſua, ut per nullum tempus maneat in terra ipſius. Similiter, & Nos SIGISMUNDUS Rex, noſtrique Succeſſores nullum inimicum Magnifici D. Bohdani Woiewodæ, quicunque ſe nominaret Dominum Terræ Moldavienſis, & veniret ad Nos, vel ad Regnum noſtrum Poloniæ, vel ad Magnum Ducatum Litvaniæ, et alias Terras noſtras, vel ad aliquem ſubditorum noſtrorum, ab hinc in poſterum non ſuſcipiemus, neque locum, neque victum illi dabimus in Terris noſtris, nec apud quemcunque ſubditorum noſtrorum, ſed talis homo, ubicunque auditus, & repertus fuerit in Terris noſtris, aut apud quemcunque ſubditorum noſtrorum, eum Nos dimittere, & foras expellere debemus de Terris noſtris, ita ut nullo tempore maneat ſub Dominiis noſtris.

Item ſi contingeret, quod fugeret aliquis Nobilis, aut ſervitor noſter ad Magnificum D. Bohdanum Woiewodam, aut in Terram ipſius, vel ad quemcunque ſubditum ipſius, ab hinc in poſterum talis debet petere ſibi pacem, & gratiam a Nobis, per ſe, vel per interceſſionem eiusdem Domini Bohdani Woiewodæ. Et ſi impetaverit ſibi pacem, & gratiam apud Nos, erit illi tutum, & ſecurum redire ad Nos. Sin vero pacem, & gratiam non habuerit, ex tunc Magnificus Dominus Bohdanus Woiewoda illum non ſervabit, nec apud ſe, nec in Terra ſua, nec occulte, nec manifeſte. Idem ſi contingeret, quod fugerit aliquis Nobilis, ſive ſervitor Magnifici D. Bohdani Woiewodæ ad Nos, aut in Regnum noſtrum Poloniæ, ſeu in Magnum Ducatum Litvaniæ, vel ad quemcunque ſubditorum noſtrorum, ab hinc in poſterum, talis debet quærere pacem, & gratiam a D. ſuo Bohdano Woiewoda per ſe, vel interventu noſtro, & ſi impetraverit ſibi pacem, & gratiam ab eodem D. Bohdano Woiewoda, erit illi tutum, & liberum redire ad ipſum Dominum ſuum. Sin vero non dimittetur ei offenſa, Nos non debemus ſervare illum, nec apud Nos, nec in Terris noſtris, neque manere permittemus occulte, aut manifeſte.

Item ſi contingeret ex aliqua permiſſione divina, quod Deus avertat, quod Magnificus Dominus Bohdanus Woiewoda ab aliquo hoſte potente, cui reſiſtere non poſſet, exire de Terra ſua ad Regnum Poloniæ, vel Magnum Ducatum Litvaniæ, ſeu in aliquas Terras, Civitates, & Caſtra noſtra, Terræ noſtræ erunt illi apertae, & Matri ipſius, Uxori ipſius, pueris ipſius, Sororibus ipſius, Boiaris ipſius cum eorum Coniugibus, cum ſubditis ipſius, cum ſervis ipſius, & cum omnibus ad eum ſpectantibus poterit venire ad Nos, & Regnum noſtrum Poloniæ, ſeu Magnum Ducatum Litvaniæ, aut ad Civitates, Caſtra, & ubicunque in Regno noſtro Poloniæ, aut Magno Ducatu Litvaniæ morari volet. Nosque tunc eundem Bohdanum Woiewodam, & Matrem ipſius, coniugem ipſius, pueros ipſius, Sorores ipſius, Boiaros ipſius cum eorum Uxoribus, ſervos, & ſubditos ipſius diligere debemus, ac in gratia, & honore tenere, eritque illi ſecurum, liberum, & apertum de Regno noſtro Poloniæ, ſeu Magno Ducatu Litvaniæ, viceverſa recuperare Patriam, & Terram ſuam Moldavienſem. Nosque in tali caſu debemus illum iuvare cum omni potentia, & viribus noſtris potentioribus, ut poſſit recuperare eandem Patriam, & Terram ſuam Moldavienſem. Et cum D. Deus adiuverit illum, ut recuperet eandem ipſam hæreditatem ſuam Terram Moldavienſem, erit illi liberum, ſecurum, & apertum, ſine omni damno, exire de Terris noſtris cum Matre ſua, cum Coniuge ſua, cum liberis, & Sororibus ſuis, cum Boiaris ſuis, & eorum uxoribus, ac pueris, cum omnibus ſervis ſuis, cum univerſo theſauro, & omnibus rebus ſuis, quas habuerit, & iterum redire in Patriam ſuam, Terram ſuam Moldavienſem. ANNO 1510.

Item Mercatoribus de Terris noſtris, & de Magno Ducatu Litvaniæ, liberum eſſe debet, & apertum, ire in Terram Moldavienſem, & mercari, nec non in Turciam, & Terram Beſſarabum, ſeu Tranſalpinam ſolutis vectigalibus ſecundum antiquas leges, & depoſitoria, absque præiudicio vectigalium, & depoſitoriorum. Similiter Mercatoribus de Terra Moldavienſi liberum eſſe debet, & apertum ire, & mercari in Terris Regni noſtri, & Magni Ducatus Litvaniæ, ſolutis veris vectigalibus, ſecundum antiquas conſvetudines, & depoſitoria, ſine præiudicio vectigalium, & depoſitoriorum.

Item iuſtitia miniſtrari debet pro iniuriis, & debitis ab utraque parte.

Item mali homines utrinque puniri debent, ne utraque pars illos conſervare debet in damnum, & iniuriam alterius.

Item ſi aliqui ſubditi noſtri habuerint iniuriam a Terra, & ſubditis Magnifici D. Bohdani Woiewodæ, hi petere debent iuſtitiam a Capitaneis Chocimenſibus, Czarnovienſibus, & Sorocenſibus, iidemque Capitan. habituri ſunt plenam poteſtatem miniſtrandi

Anno 1510. ſtrandi iuſtitiam unicuique ſubditorum noſtrorum. Similiter, ſi qui ſubditi Magnifici D. Bohdani Woiewodæ habuerint aliquam iniuriam a ſubditis noſtris de Halicenſi, & Podoliæ Terris, hi petere debent iuſtitiam a Capitaneis Camenecenſibus, & Halicienſibus Qui habituri ſunt plenam authoritatem iuſtitiam miniſtrandi omnibus ſubditis eiusdem D. Bohdani Woiewodæ, de omnibus hominibus, qui ſunt in Halicienſi, & Podoliæ Terris.

Item, ſi quando acciderit aliqua iniuria & differentia inter noſtros, & Magnifici Domini Bohdani Woiewodæ Capitaneos, extunc tam Nos, quam idem D. Bohdanus Woiewoda mittere debebimus Conſiliarios noſtros, qui eiusmodi iniurias, & differentias componant, atque utrinque iuſtitiam faciant.

Item Sereniſſimus Princeps D. Vladislaus Dei Gratia Hungariæ, & Bohemiæ &c. Rex, Frater noſter chariſſimus omnes Articulos ſupra dictos, tum & ipſam Pacem perpetuam ſic Literis ſuis utrique parti dandis deſcribet, ut totum id, quod eſt concluſum, & ſupra ſcriptum, utrinque teneretur, & impleretur, Paxque ipſa perpetua teneatur inviolabiliter, & æviterne. Quæ omnia, et ſingula ſupra ſcripta Nos Sigismundus Rex Poloniæ ſupra dictus, iuravimus, et iuramus, promiſimus, et promittimus pro Nobis, et Succeſſoribus noſtris tenere, implereque, et obſervare firmiter, inviolabiliter, integre, et illæſe ſine omni fraude. Similiter iuravimus Pacem, et Concordiam perpetuam cum Magnifico Domino Bohdano Woiewoda Moldavienſi, et Succeſſoribus ipſius, et Terra eius Moldavienſi tenere, et obſervare firmiter, inviolabiliter, integre, et illæſe, ſine omni fraude, et dolo, ſub noſtro iuramento, et fide noſtra Chriſtiana, et ſub iuramento, atque fide omnium Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, et Prælatorum Spiritualium, et Conſiliariorum noſtrorum, nec non Conſiliariorum Maiorum, et Minorum. In quorum omnium, et ſingulorum firmius robur, et teſtimonium, noſtrum maius, et Conſiliariorum noſtrorum Sigilla Præſentibus appendi mandavimus.

## IX.

1518. *Renovatio Fœderum cum Woiewoda Moldaviæ in Conventu Regni Generali Cracoviæ facta. Ex Arch. Reg. Lib. 21. n. 22. fol. 284.*

In Nomine Domini Amen.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Nos Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiaviæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, ac Culmenſis, Elbingen. Pomeraniæque &c. Dominus, & Hæres. Manifeſtum facimus univerſis, & ſingulis præſentes lecturis, ſeu audituris. Quia cum Magnificus Dominus Joannes Stephanus Woiewoda Terræ Moldavien. Amicus ſincere Nobis Dilectus, ſedem Patris ſui, Magnifici olim Joannis Bohdani Woiewodæ aſſecutus, a Nobis per ſuum Nobilem Lucam Kirſza Oratorem, & Officialem ſuum, qui Kumiennik dicitur, poſtulaſſet, ut cum eo antiqua Fœdera, & Inſcriptiones, quæ cum eodem Patre ſuo olim Bohdano Woiewoda fecimus, innovaremus, & confirmaremus. Nos cognoſcentes cuilibet etiam Potentiſſimo Domino multum expedire Concordiam, & Fœdus mutuum cum aliis vicinis Dominiis, & præſertim his utriusque noſtrum, propter invaleſcentem indies magis hoſtium Chriſtianorum potentiam, æquum cenſuimus illa renovare, & confirmare, renovamusque, et confirmamus harum ſerie Literarum, & volumus Nos Sigismundus Rex Fœdus, & Pacem perpetuam tenere, & habere, eum eodem Magnifico Stephano Woiewoda, & Petro eius Fratre, ac Terra Moldavien. pollicemurque verbo noſtro Regio pro Nobis, Succeſſoribus noſtris, & Conſiliariis Eccleſiaſticis, & Sæcularibus, ac univerſis ſubditis Regni, & Dominiorum noſtrorum eandem Pacem perpetuam cum ipſo Magnifico Stephano Woiewoda, & Petro Fratre eius, pueris ipſorum, pueris puerorum, & Succeſſoribus ipſorum, Boiaris, & univerſis ſubditis, ac Terra eorum Moldavienſi tenere, & inviolabiliter obſervare in perpetuum, Regnumque, & Dominia noſtra, ac Conſiliarii, & omnes ſubditi noſtri tenebunt, & obſervabunt, ipſeque Stephanus Woiewoda, & Petrus eius Frater ſecuri eſſe debent, & imperabunt in Terra ſua Moldavienſi, absque ullo noſtro, liberorum, Succeſſorumque, et ſubditorum Regni, & Dominiorum noſtrorum impedimento nunc, & in poſterum. Anno 1518.

Pollicemur inſuper, quod Stephano Woiewodæ, & Petro eius Fratri, pueris ipſorum, & Terræ eius Moldavienſi contra omnes illorum inimicos conſilio, et auxilio noſtro aſſiſtemus, et conſilia, atque auxilia noſtra illis pro poſſe noſtro præſtabimus, ipſosque ab iisdem inimicis tuebimur, et defendemus armis, et Gentibus noſtris, et Succeſſores noſtri defendent. Et ſimiliter Woiewoda Stephanus, et Petrus eius Frater, Succeſſoresque ipſorum, Nobis, Succeſſoribusque noſtris

ANNO 1518. nostris contra Tartaros, et omnes hostes nostros assistent, et consilia, atque auxilia sua pro posse suo præstabunt armis, et gentibus.

Pollicemur etiam cum Consiliariis nostris Stephano Woiewodæ, & Petro eius Fratri, pueris ipsorum, & pueris puerorum ipsorum, Boiaris, & subditis ipsorum, ac Terræ eorum Moldavienſi, quod inimicis ipsorum erimus inimici, & amicis ipsorum erimus, & esse volumus semper amici. Ipse etiam Stephanus Woiewoda, & Petrus eius Frater, pueri ipsorum, pueri puerorum ipsorum, & subditi ipsorum Terræ Moldavienſis erunt, & esse debent nostris amicis amici, & nostris inimicis semper inimici.

Item quod nullum inimicum Stephani Woiewodæ, & Petri eius Fratris, qui se appellaret Dominum Terræ Moldavienſ. & veniret ad Nos, aut subditos Regni, & Dominiorum nostrorum, suscipiemus, nec locum usquam illi, aut victum dabimus in Terris nostris, & apud subditos nostros, sed ubi talis homo compertus foret in Terris nostris apud quemcunque ex subditis nostris, abire illum, & pellere de Terris nostris mandabimus, ut nullo tempore maneat in Dominiis nostris, nec illum fovebimus, nec tenebimus in damnum Stephani Woiewodæ, & Petri eius Fratris, Successorumque & subditorum ipsorum, ac Terræ Moldavienſis occulte, seu manifeste. Similiter Stephanus Woiewoda, & Petrus eius Frater nullum inimicum nostrum, qui se appellaret Dominum Terræ Russiæ, aut Podoliæ, ad se, aut aliquem ex subditis suis Terræ Moldavienſis venientem suscipient, nec locum usque illi, aut victum dabunt in Terra sua Moldavien. et apud subditos suos, sed ubicunque talis homo repertus foret in Terra eorum Moldavien. apud quemcunque ex subditis ipsorum, abire illum, et pellere de Terra, et Dominio suo mandabunt, ut nullo tempore maneat in Dominio ipsorum, nec illum tenebunt, nec fovebunt in damnum nostrum, Successorum, ac subditorum nostrorum, Regnique, ac Dominiorum nostrorum occulte, seu manifeste. Et si contingeret, quod aliquis Boiarus, aut servus Stephani Woiewodæ profugeret ad Nos, et Terras, aut subditos nostros, is poterit quærere sibi gratiam apud Dominum suum Stephanum Woiewodam per se, aut per intercessionem nostram. Et si eam obtinebit, liberum illi erit, et securum reverti ad Dominum suum Stephanum Woiewodam. Quod si gratiam, et veniam consequi non posset, Nos illum non servabimus apud Nos, et subditos nostros in Terris, et Dominiis nostris, neque occulte, neque manifeste. Similiter si contingeret, quod aliquis Nobilis servitor, aut subditus noster fugeret ad Stephanum Woiewodam, et Petrum eius Fratrem, aut quemcunque subditum in Terra ipsorum, is quæret gratiam apud Nos per se ipsum, aut intercessione dicti Stephani Woiewodæ, et si illam obtinuerit, erit illi liberum, et securum redire ad Nos, Regnumque, ac Dominia nostra, quod si gratiam, et veniam nostram consequi non posset, Stephanus Woiewoda, et Petrus eius Frater illum non servabunt apud se, et subditos suos in Terra eorum Moldavienſi nec occulte, nec manifeste. ANNO 1518.

Etiam pollicemur Stephano Woiewodæ amicò nostro, quod si contingeret ex permissione Divina, quod procul absit, ipsum, & Petrum eius Fratrem propter potentiam alicuius validi hostis, cui resistere non posset, exire de Terra sua ad Regnum Poloniæ, aut alia Dominia nostra, tunc in eo casu Terræ nostræ apertæ erunt illis, & uxoribus eorum, & matri eorum, sororibus, & liberis eorum, & universæ Familiæ, seu Generi ipsorum, & Boiaris ipsorum cum uxoribus, cum liberis, & subditis eorundem, cum thesauris, & rebus omnibus, quæ ad eos spectant, liberumque erit eis venire ad Nos, Terras, Castra, & Civitates nostras, & manere libere, & secure, ubicunque illis visum fuerit. Nosque in eo casu ipsum Stephanum Woiewodam, & Petrum eius Fratrem, ac Matrem ipsorum, Coniuges ipsorum, liberos ipsorum, cum vxoribus, cum pueris ipsorum gratia, & benevolentia nostra prosequemur, & in gratia, ac honore conservabimus. Habebuntque ipsi libertatem in Terris nostris manentes recuperare Terram suam ipsam Moldavienſem, & cum id facere voluerint, Nos SIGISMUNDUS Rex viribus, & potentiis nostris illos adiuvabimus, ut repetere, & recuperare possent Terram ipsam suam Moldavienſem, & cum Dominus Deus adiuverit, quod eandem Terram suam recuperabunt, liberum erit, & securum, & apertum ipsi Stephano Woiewodæ, & Petro eius Fratri amicis nostris absque omni incommodo, & damno, exire de Terris nostris cum Matre, & Coniugibus suis, cum liberis suis, cum sororibus suis, cum universo genere suo, & omnibus Boiaris suis, ac vxoribus eorum, pueris, & servis eorum, thesauris eorum, & omnibus, quæ habuerint, ad Terram suam Moldavienſem.

Item pollicemur Stephano Woiewodæ,

Anno 1518. & Petro eius Fratri, & pueris eorum, ac pueris puerorum ipsorum, & Terræ Moldavienſis, quod nullum damnum, & impedimentum illis faciemus, nec ullam hoſtilitatem, ſeu inimicitiam cum illis facto, aut Conſilio occulte, aut manifeſte habebimus. Et ſi intellexerimus undecunque, aut a quibuscunque inimicis aliquod malum, aut damnum illis imminere, id Nos Stephano Woiewodæ, & Petro eius Fratri, & liberis illorum, ac Terræ Moldavienſis, ſignificabimus, & ſimiliter Stephanus Woiewoda, & Petrus eius Frater, & liberi, ac ſubditi ipſorum nullum detrimentum, & damnum Nobis, & Terris noſtris inferre, nullas quoque inimicitias Nobiscum exercere debent facto, aut conſilio occulte, aut manifeſte. Et ſi intellexerint aliquod malum a noſtris hoſtibus Nobis imminere, ipſe Stephanus Woiewoda, & Petrus eius Frater debent Nobis illud indicare, & ſignificare.

Præterea ſi quando Nos generalem expeditionem una cum Sereniſſimo Principe Domino Ludovico Hungariæ, & Bohemiæ &c. Rege Nepote noſtro chariſſimo, prout id cum Dei auxilio facere intendimus, facere voluerimus, contra Turcorum Imperatorem, & Terram illius, Nosque ipſi in perſonis noſtris cum omnibus potentiis Dominiorum noſtrorum in eandem expeditionem proficiſcemur, ipſe Sereniſſimus Nepos noſter Dominus Ludovicus Rex ibit in Terram Beſſarabiæ, & Tranſalpinam, illicque Danubium traiiciet, Nos etiam ibimus in Terram Cæſaris Turcorum, & habita mutua intelligentia cum eodem Sereniſſimo Domino Ludovico Rege Nepote noſtro chariſſimo, & Magnifico Stephano Woiewoda, & Petro eius Fratre illac ibimus, & Danubium traiiciemus, qua Nobis melius, & utilius videbitur. Et tunc Stephanus Woiewoda ſolus in perſona ſua cum tota Terra ſua Moldavienſe una Nobiscum contra eundem Imperatorem Turcorum ire debebit, niſi, quod abſit, gravi infirmitate detineretur, propter quam ſolus in perſona ſua ire Nobiscum non poſſet, quia tunc, & in eo caſu Petrum ſuum Fratrem cum omnibus ſuis potentiis mittere Nobiscum, et expedire debebit.

Priusquam vero eiusmodi generalem expeditionem contra Cæſarem Turcorum faciamus, Nos Sigismundus Rex una cum Sereniſſimo Nepote noſtro Domino Ludovico ipſum Stephanum Woiewodam, & Petrum eius Fratrem, ac Terram Moldavienſem protegemus ab eodem Cæſare Turcorum, & defendemus, illisque contra ipſum aſſiſtemus, & auxilium præſtabimus. Anno 1518.

Similiter quoque Stephanus Woiewoda cum Petro Fratre ſuo, quæcunque nova interim audierit de Turcis, Nobis illa, & dicto Sereniſſimo Nepoti noſtro Domino Regi Ludovico, quantum poterit, ſignificare debebit, & neque conſilium, neque auxilium ipſe Stephanus Woiewoda, & Petrus eius Frater dabunt Turcis adverſum Nos, ſed quantum maxime poterint, erunt illis inimici.

Quodſi Stephanus Woiewoda, & Petrus eius Frater per Turcorum Imperatorem, & eius exercitum oppreſſi cogerentur vi, & armis dare auxilia contra Terras noſtras, ipſique magnæ potentiæ reſiſtere non valentes ferrent auxilia Turcis adverſus Terram noſtram, Fœdus, & Pax perpetua inter Nos propterea violari, & rumpi non debet, in quantum conſtaret illos vi coactos fuiſſe.

Item mercatoribus Stephani Woiewoda e Terra Moldavienſi liberum erit, & ſecurum ire per Terras noſtras, & mercari, ac negotia ſua exercere ſolutis vectigalibus in theloneis conſvetis, & ſervato iure antiquorum Emporiorum, ſeu Depoſitoriorum.

Et ſimiliter noſtris mercatoribus, & ſubditis liberum eſſe debet, & ſecurum, & apertum ire per Terram Moldavienſem, ac mercari, & negotia exercere, ſolutis vectigalibus, & teloneis antiquis, & ſervato iure antiquorum Depoſitoriorum.

Si quæ autem iniuriæ, & damna evenient inter ſubditos utriusque circa fines, Nos cognitionem illarum Camenecen. & Halicien. Capitaneis pro tempore exiſtentibus committemus, ſic quod cum facta fuerit aliqua iniuria, aut damnum alicui ſubdito de Terra Moldavien. ab aliquo ſubdito noſtro, is cui facta erit iniuria, petere debet iuſtitiam a Capitaneis Camenecen. & Halicien. & hi ipſi Capitanei habebunt poteſtatem in unumquemque ſubditum noſtrum, ut facere poſſint cum eis iuſtitiam Deum præ oculis habentes, hominibus Stephani Woiewodæ de Terra Moldavien. Similiter ſi cuipiam ex ſubditis noſtris facta erit iniuria, aut damnum a ſubditis, aut aliquo homine Stephani Woiewodæ, & Terræ Moldavien. is petere debet iuſtitiam a Capitaneis Chocimen. & Czarnovien. illi vero poteſtatem, & auctoritatem habere debent a Domino ſuo Stephano Woiewoda de omnibus Deum præ oculis habendo iuſtitiam miniſtrare.

Quod ſi aliqua gravis magna iniuria, et diſſenſio accideret inter Capitaneos noſtros,

Anno 1518. noſtros, et ipſius Stephani Woiewodæ, Nos id Stephano Woiewodæ ſignificabimus, & illi Nobis viciſſim, et uterque noſtrum Oratores, et Conſiliarios ſuos ſolennes mittere debebit, qui ſimul convenientes de eiusmodi iniuria, et differentia cognoſcant, et iuſtitiam faciant. Eæ autem iniuriæ, et damna, quæ utrinque inter ſubditos evenerint, hoc Fœdus, et Pacem perpetuam inter Nos violare, et frangere non debent.

Conventus vero ad componendum, et cognoſcendum utrinque de eiusmodi iniuriis, et damnis fieri debet in locis conſvetis, ubi hactenus fuit tentus, et habitus.

Hæc omnia ſupra dicta Nos Sigismundus Rex Poloniæ, et Magnus Dux Litvaniæ etc. pollicemur verbo noſtro Regio, cum omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Conſiliariis Eccleſiaſticis, et ſæcularibus, et ſubditis Regni, et Dominiorum noſtrorum amico noſtro Magnifico Stephano Woiewodæ Terræ Moldavien. et Petro eius Fratri, pueris illorum, et pueris puerorum ipſorum, omnibus hæredibus, et ſubditis ipſorum firmiter tenere, implere, et inviolabiliter obſervare ſine fraude, et dolo, Succeſſoresque, et ſubditi noſtri obſervabunt. In cuius rei Fidem, et Teſtimonium noſtrum, et Conſiliariorum Regni noſtri Sigillum noſtrum præſentibus appendi fecimus. Actum, et Dat. Cracoviæ in Conventu Generali feria tertia proxima poſt Dominicam Oculi An. Domini milleſimo quingenteſimo decimo octavo. Regni noſtri An. duodecimo, Præſentibus Reverendiſſimo, et Reverendis in Chriſto Patribus Dominis, Joanne Archiepiſcopo Gneſnen. Legato nato, et Primate, Joanne Cracovien. Mathia Vladillavien. Eraſmo Plocen. Petro Premiſlien. et Regni noſtri Vicecancellario, Joanne Culmen. Epiſcopis, nec non Magnificis, Venerabilibus, et Generoſis Spithkone de Jaroſtaw Caſtellano Cracovien. Chriſtophoro de Szydłowiecz Palatino, et Capitaneo Cracovien. et Regni noſtri Cancellario, Nicolao de Dabrowica Sandomirien. et Exercituum Regni noſtri Capitaneo Generali, Joanne Iaranth de Brudzewo Lancicien. Othe de Chodecz Ruſſiæ, et Capitaneo Halicien. et Colomien. Andrea de Thanczyn Lublinen. et Chełmen. ac Rathnen. Capitaneo, Andrea de Niſczyce Plocen. Palatinis. Nicolao de Szydłowiec Sandomirien. et Regni noſtri Theſaurario, et Capitaneo Radomien. et Olſtinen. Nicolao Iordan de Zakliczyn Wonicen. et Scepuſien. Oſſwianczymien. Zatorien. Capitaneo, ac Procuratori Cracovien. Generali, Georgio Krupſki de Orchow Leopolien. et Capitaneo Belſen. Ioanne Bochotnicki de Leſznicza Viſlicien. Staniſlao Milecki Zawihoſten. Staniſlao de Sprowa Zarnovien. et Capitaneo Opocznen. Victorino de Szienno Małogoſten. Nicolao Cikowſki Polanecen. et Gladifero, ac Burgrabio Cracovien. Nicolao Kuropatwa de Laezuchow Chełmen. et Petro Kryſki Sierpecen. et Capitaneo Plocen. Caſtellanis, Staniſlao de Chodecz Marſchalco Regni noſtri, et Capitaneo Leopolien. Ioanne Latalſki Gneſnen. Cracovien. Lancicien. Andrea Krzycki Sreden. et S. Michaelis Plocen. et Canonico Cracovien. Præpoſitis, Staniſlao Chroberſki Pincerna, et Capitaneo Chrzeſchovien. Derſlao Zaliwſki Magiſtro Coquinæ, Silveſtro Ozarowſki Succamerario, Capitaneo Zawihoſten. Burgrabiis Cracovien. Nicolao Thomiczki Præfecto Stabuli Curiæ noſtræ, et Capitaneo Coſten. Petro Kmitha de Wiſznice Præmiſlien. Staniſlao de Pilcza Grodecen. Staniſlao de Pilcza Sanocen. Capitaneis, cæterisque Officialibus, Dignitariis, et Aulicis noſtris ſincere, et fidelibus dilectis. Dat. per manus præfati Reverendi in Chriſto Patris Domini Petri Epiſcopi Præmiſlien. Regni noſtri Vicecancellarii ſincere Nobis dilecti. Anno 1518.

X.

*Conditiones Pacis perpetuæ a Sacra Regia Maieſtate Joanni Petro Palatino Moldaviæ datæ.* Actum in Conventu Generali Piotrcovienſi die 13. Decembr. Anno 1527. *Ex Archivo Regni Lib. 31. Num. 32. Fol. 278. Item Lib. ſub Lit. I.I.I. Fol. 91.* 1527.

In Nomine Domini Amen.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Nos Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ &c. Manifeſtum facimus univerſis, & ſingulis, præſentes Literas lecturis, vel audituris. Quia cum Magnificus Dominus Jon Petrus Woiewoda Terræ Moldavienſis, amicus ſincere Nobis dilectus, Sedem Patris ſui Stephani Woiewodæ, & Fratris ſui Joannis Bohdani, ac Nepotis ſui, Joannis Stephani Woiewodæ nuper defuncti aſſecutus, per Nobiles Uladum Capitaneum Chocimen. & Thomam Bernowſki Capitaneum Czarnovien. cum alias, tum etiamnum in hoc Generali Regni noſtri Conventu a Nobis poſtulaſſet, ut cum eo antiqua Fœdera,

Annora, & Inſcriptiones, quæ cum Patre 1527. olim ſuo Stephano, & Fratre Bohdano, ac Nepote Stephano Woiewoda fecimus, innovaremus, & confirmaremus; Nos cognoſcentes cuilibet etiam potentiſſimo Domino multum expedire Concordiam, & Fœdus mutuum cum aliis vicinis Dominiis, & præſertim his utriusque noſtrum, propter invaleſcentem in dies magis hoſtium Chriſtianorum potentiam, æquum cenſuimus eadem ipſa Fœdera, & Inſcriptiones renovare, & confirmare, renovamusque, & confirmamus, harum ſerie Literarum, & volumus Nos Sigismundus Rex Fœdus, & Pacem perpetuam tenere, & habere cum eodem Magnifico Jon Petro Woiewoda, ac Terra eius Moldavien. Pollicemurque Verbo noſtro Regio, pro Nobis, & noſtris Succeſſoribus, & Conſiliariis Eccleſiaſticis, & Sæcularibus, ac univerſis ſubditis Regni, & Dominiorum noſtrorum, eandem Pacem perpetuam cum ipſo Magnifico Jon Petro Wbiewoda, eiusque pueris, & puerorum pueris, ac Succeſſoribus ipſius, ac Boiaris, & univerſis ſubditis ipſius, ac Terra eius Moldavienſi tenere, & inviolabiter obſervare in perpetuum, Regnumque & Dominia noſtra, ac Conſiliarii, & omnes ſubditi noſtri tenebunt, & obſervabunt, ipſeque Jon Petrus Woiewoda ſecurus eſſe debebit, & imperabit in Terra ſua Moldavienſe abſque ullo noſtro, liberorum, Succeſſorumque, & ſubditorum Regni, & Dominiorum noſtrorum impedimento, nunc, et in poſterum.

Pollicemur inſuper, quod Jon Petro Woiewodæ, pueris ipſius, puerorum eius pueris, ſubditis, ac Terræ eius Moldavienſi contra Tartaros, et omnes alios illius inimicos, conſilio, & auxilio noſtro aſſiſtemus, & conſilia, atque auxilia noſtra illi pro poſſe noſtro præſtabimus, armis, & gentibus noſtris, & Succeſſores noſtri præſtabunt.

Et ſimiliter Jon Petrus ipſe Woiewoda, Succeſſoresque ipſius, Nobis, Succeſſoribusque noſtris contra Tartaros, & omnes hoſtes noſtros aſſiſtere, & conſilia, atque auxilia ſua pro poſſe ſuo præſtabunt armis, & gentibus.

Pollicemur etiam cum Conſiliariis, & ſubditis noſtris Jon Petro Woiewodæ, eiusque pueris, & pueris puerorum ipſius, Boiaris, & ſubditis ipſius, ac Terræ eius Moldavien. quod inimicis ipſius erimus inimici, et amicis ipſius, erimus, et eſſe volumus ſemper amici.

Ipſe etiam Jon Petrus Woiewoda, pueri ipſius, et pueri puerorum ipſius, ac ſubditi eius Terræ Moldavien. erunt, et eſſe debebunt noſtris amicis amici, et noſtris inimicis ſemper inimici. Anno 1527.

Item quod nullum inimicum Jon Petri Woiewodæ, qui ſe appellaret Dominum Terræ Moldavienſis, et veniret ad Nos, aut ſubditos Regni, et Dominiorum noſtrorum ſuſcipiemus, nec locum usquam illi, aut victum dabimus in Terris noſtris, et apud ſubditos noſtros, ſed ubi talis homo compertus foret in Terris noſtris apud quemcunque ex ſubditis noſtris, abire illum, et pellere de Terris noſtris mandabimus, ut nullo tempore maneat in Dominiis noſtris, nec illum fovebimus, nec tenebimus in damnum Jon Petri Woiewodæ, Succeſſorumque, ac ſubditorum ipſius, ac Terræ Moldavien. occulte, ſeu manifeſte.

Similiter Jon Petrus Woiewoda nullum inimicum noſtrum, qui ſe appellaret Dominum Terræ Ruſſiæ, aut Podoliæ, ad ſe, vel ad aliquem ex ſubditis ſuis Terræ Moldavien. venientem ſuſcipiet, nec locum usquam illi, aut victum dabit in Terra ſua Moldavienſe, et apud ſubditos ſuos, ſed ubicunque talis homo repertus foret in Terra eius Moldavienſe apud quemcunque ex ſubditis ipſius, abire illum, et pellere de Terra, et Dominio ſuo mandabit, ut nullo tempore maneat in Dominio ipſius, nec illum tenebit, nec fovebit in damnum noſtrum, Succeſſorum, ac ſubditorum noſtrorum, Regnique, et Dominiorum noſtrorum occulte vel manifeſte.

Et ſi contingeret, quod aliquis Boiarus, aut ſervus Jon Petri Woiewodæ profugeret ad Nos, et Terras, aut ſubditos noſtros, is quærere ſibi poterit gratiam apud Dominum ſuum Jon Petrum Woiewodam, per ſe, aut per interceſſionem noſtram, et ſi eam obtinebit, liberum erit illi, et ſecurum reverti ad Dominum ſuum Jon Petrum Woiewodam, quod ſi gratiam, et veniam conſequi non poſſet, Nos illum non ſervabimus apud Nos, et ſubditos noſtros, in Terris, et Dominiis noſtris, neque occulte, neque manifeſte.

Similiter ſi contingeret, quod aliquis Nobilis ſervitor, aut ſubditus noſter fugeret ad Jon Petrum Woiewodam, aut quemcunque ſubditum in Terra ipſius, is quaeret gratiam apud Nos per ſe ipſum, aut interceſſione dicti Jon Petri Woiewodæ, et ſi illam obtinuerit, erit liberum, et ſecurum redire ad Nos, Regnumque, ac Dominia noſtra. Quod ſi gratiam, et veniam noſtram conſequi non poſſet, Jon Petrus Woiewoda illum non ſervabit apud ſe, et ſubditos ſuos in Terra eius Moldavienſe, nec occulte, nec manifeſte.

Item

ANNO 1527. Item pollicemur Ion Petro Woiewodæ, et pueris eius, puerorumque ipsius pueris, et Terræ Moldavienſi, quod nullum damnum, et impedimentum illi faciemus, nec ullam hoſtilitatem, ſeu inimicitiam cum illo facto, aut Conſilio occulte vel manifeſte habebimus. Et ſi intellexerimus undecunque, aut a quibuſcunque inimicis aliquod malum, aut damnum illi imminere, id Nos Ion Petro Woiewodæ, ac liberis eius, et Terræ Moldavien. ſignificabimus.

Et ſimiliter Ion Petrus Woiewoda, et liberi, ac ſubditi ipſius nullum detrimentum, et damnum Nobis, et noſtris Terris inferre, nullasque inimicitias Nobiscum exercere debent facto, aut conſilio, occulte ſeu manifeſte. Et ſi intellexerit aliquod malum a noſtris hoſtibus Nobis imminere, ipſe Ion Petrus Woiewoda debet Nobis illud indicare, et ſignificare.

Præterea ſi quando Nos generalem expeditionem, una cum Sereniſſimo Principe Domino Rege Hungariæ facere voluerimus contra Turcorum Imperatorem, et Terram illius, et Nos ipſi in perſonis noſtris cum omnibus potentiis Dominiorum noſtrorum in eandem expeditionem proficiſci, tunc Ion Petrus Woiewoda ſolus in perſona ſua, cum omnibus potentiis ſuis, et tota Terra ſua Moldavien. una Nobiſcum contra eundem Turcorum Imperatorem ire debebit, niſi, quod abſit, gravi infirmitate detineretur, propter quam ſolus in perſona ſua ire non poſſet, quia tunc, et eo caſu Præfectum ſuum cum omnibus Potentiis ſuis, mittere Nobiſcum, et expedire debebit.

Priusquam vero generalem eiusmodi expeditionem contra Caeſarem Turcorum faciamus, Nos SIGISMUNDUS Rex una cum Sereniſſimo Domino Rege Hungariae, ipſi Ion Petro Woiewodae, ac eius Terrae Moldavien. contra eundem Caeſarem Turcorum aſſiſtemus, et auxilium praeſtabimus. Similiter quoque Ion Petrus Woiewoda, quaecunque interim audierit de Turcis, Nobis illa, et dicto Sereniſſimo Domino Regi Hungariae, quantum poterit, ſignificare debebit, et neque conſilium, neque auxilium ipſe Ion Woiewoda dabit Turcis adverſum Nos, ſed quantum maxime poterit, erit illis inimicus.

Quodſi Turcorum Imperator ſolus in perſona ſua, cum valido exercitu veniens cogeret vi, et armis Ion Petrum Woiewodam dare ſibi auxilia contra Terras noſtras, ipſeque magnae illius potentiae reſiſtere non valens ferret auxilia Turcis adverſus Terram noſtram, Fœdus, et Pax perpetua inter Nos propterea violari, et rumpi non debet, in quantum conſtaret ipſum Ion Petrum Woiewodam vi ad hoc coactum fuiſſe. ANNO 1527.

Etiam pollicemur Ion Petro Woiewodae, quod ſi contingeret ex permiſſione divina, quod abſit, ipſum propter potentiam alicuius validi hoſtis, cui reſiſtere non poſſet, exire de Terra ſua ad Regnum Poloniae, aut alia Dominia noſtra, tunc, et eo caſu Terrae noſtrae apertae erunt illi, eiusque uxori, liberis, et univerſæ Familiæ, ſeu generi ipſius, & Boiaris ipſius cum uxoribus liberis, & ſubditis eorundem cum theſauris, & rebus omnibus, quæ ad eos ſpectant, liberum erit eis venire ad Nos, Terras, Caſtra, & Civitates noſtras, & manere libere, & ſecure, ubicunque eis viſum fuerit, Nosque in eo caſu ipſum Jon Petrum Woiewodam, ac Coniugem, liberosque ipſius, ac Boiaros cum uxoribus, cum pueris ipſorum, gratia, & benevolentia noſtra proſequemur, ac in gratia, & honore conſervabimus, habebitque ipſe Jon Petrus Woiewoda libertatem in Terris noſtris manens recuperare Terram ſuam Moldavienſem, & cum id facere voluerit, Nos SIGISMUNDUS Rex viribus, & potentiis noſtris, illum adiuvabimus, ut repetere, & recuperare poſſet ipſam Terram ſuam Moldavienſem, & cum Dominus Deus adiuverit, quod eandem Terram ſuam recuperabit, liberum erit, & ſecurum, & apertum ipſi Jon Petro Woiewodæ amico noſtro, absque omni incommodo, & damno, exire de Terris noſtris, cum Coniuge, liberis, & cum univerſo genere, & omnibus Boiaris ſuis, ac uxoribus eorundem, pueris, & ſervis, ac theſauris ipſorum, & omnibus, quæ habuerint, ad Terram ſuam Moldavienſem.

Item Mercatoribus Jon Petri Woiewodæ de Terra Moldavien. liberum erit, & ſecurum ire per Terras noſtras, & mercari, ac Negotia ſua exercere, ſolutis vectigalibus, & theloneis conſvetis, & ſervato Iure antiquorum Emporiorum, ſeu Depoſitorum.

Et ſimiliter noſtris Mercatoribus, & ſubditis liberum eſſe debet, ſecurum, & apertum ire per Terram Moldavienſem, & mercari, & Negotia exercere, ſolutis vectigalibus, & theloneis antiquis, & ſervato Iure antiquorum emporiorum, & depoſitorum.

Si quæ autem iniuriæ, & damna evenient inter ſubditos utriusque circa fines, Nos cognitionem illorum Camenecenſi, & Halicienſi Capitaneis, pro tempore exiſtentibus committemus, ſic quod tum facta fuerit aliqua iniuria, aut damum alicui ſubdito de Terra Moldavienſi ab aliquo ſubdito noſtro is, cui facta fuerit in-

Anno 1527. iuria, petere debet iuſtitiam a Capitaneo Camenecenſi, & Halicienſi, & hi ipſi Capitanei habebunt poteſtatem in unumquemque ſubditum noſtrum, ut facere poſſint cum eis iuſtitiam, Deum præ oculis habentes, hominibus Ion Petri Woiewodæ de Terra Moldavienſi.

Similiter ſi cuipiam ex ſubditis noſtris facta erit iniuria, aut damnum a ſubditis, aut aliquo homine Petri Woiewodæ, & Terræ Moldavienſis, is petere debet iuſtitiam a Capitaneis Chocimenſi, & Czarnovienſi, illi vero autoritatem, & poteſtatem habere debent a Domino Ion Petro Woiewoda de omnibus, Deum præ oculis habentes, iuſtitiam miniſtrare.

Quod ſi aliqua magna, & gravis iniuria, et diſſenſio accideret inter Capitaneos noſtros, et ipſius Jon Petri Woiewodæ, Nos id Jon Petro Woiewodæ ſignificabimus, et ille Nobis viciſſim, et uterque noſtrum Oratores, et Conſiliarios ſuos ſolennes mittere debebit, qui ſimul convenientes de eiusmodi iniuria, et differentia cognoſcant, et iuſtitiam faciant. Hæ autem iniuriæ, et damna, quæ utrinque inter ſubditos evenerint, hoc Fœdus, et Pacem perpetuam inter Nos violare, et frangere non debent. Conventus vero ad componendum et cognoſcendum utrinque de eiusmodi iniuriis, et damnis fieri debet in locis conſvetis, in quibus hactenus fuit tentus, et habitus.

Hæc omnia ſupradicta Nos Sigismundus Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ etc. pollicemur verbo noſtro Regio, cum omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis Conſiliariis, Eccleſiaſticis, & Sæcularibus, & ſubditis Regni, & Dominiorum noſtrorum, amico noſtro Magnifico Jon Petro Woiewodæ Moldavienſi, eiusque pueris, puerorumque ipſius pueris, ac omnibus hæredibus, & ſubditis ipſius, firmiter tenere, implere, & inviolabiliter obſervare ſine fraude, & dolo, Succeſſoresque, & ſubditi noſtri obſervabunt. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & evidentius Teſtimonium, Sigillum noſtrum, ac etiam Sigilla Conſiliariorum noſtrorum præſentibus ſunt appenſa. Actum, & datum in Conventu Piotrcovienſi generali die S. Luciæ, Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſeptimo. Regni vero noſtri Anno XXI. Præſentibus Reverendiſſimo, et Reverendis in Chriſto Patribus Dominis, Joanne Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato nato, & Primate, Petro Cracovien. & Regni Vicecancellario, Mathia Vladiſlavien. Joanne Poſnanien. Andrea Plocen. Joanne Premiſlien. Epiſcopis, nec non Magnificis, Venerabilibus, & Generoſis, Chriſtophoro de Szydłowiec Caſtellano, & Capitaneo Cracovien. & Regni noſtri Cancellario, ac Siradien. novæ Civitatis Korczyn, Goſtinen. Sochaczovien. Lucovien. Capitaneo, Andrea de Thańczyn Cracovien. & Belſen. Chełmen. Rathnen. & Craſſnoſtavien. Capitaneo, Otta de Chodecz Sandomirien. et Capitaneo Chalicien. Andrea de Oporow Junivladiſlavien. & Capitaneo Cruſvicien. Joanne Comite de Tharnow Ruſſiæ Generali, & Excercituum Regni noſtri ſupremo Ductore, & Capitaneo Sandomirien. Joanne Bochotnicki de Olechnicza Lublinen. & Andrea de Wiſzczyce Plocen. Palatinis, Luca de Gorka Poſnanien. & Capitaneo Maioris Poloniæ Generali, Nicolao de Schidlowicz Sandomirien. & Theſaurario Regni noſtri, ac Radomien. Oſviecimen. Zathorien. Krzepinen. Olſztinen. Grodecen. Capitaneo, Staniſlao Thomicki Caliſſien. Jocobo de Przeramb Siradien. Vincentio Swidwa de Schamotuły Gneſnen. Joanne de Thanczin Lublinen. Staniſlao de Sprowa Biecen. & Capitaneo Opocznen. Adamo de Drzewica Radomien. & Capitaneo Inovladien. Joanne de Vieczwna Plocen. & Capitaneo Brathianen. Hieronimo Roſdrazewſki Rogoſn. Martino Myszkowſki Vielunen. Nicolao de Koſſowice Biechovien. & Lancicien. ac Prædecen. Capitaneo, Joanne Kobylewſki Roſpirien. Nicolao Cikowſki Polanecen. Andrea Krotoſki Kovalien. Felice Srzenſki Dobrzinen. Caſtellanis, Staniſlao de Chodecz Marſchalco Regni noſtri, & Leopolien. ac Lubaczovien. Capitaneo, Ioanne de Laſko Gneſnen. & Lancicien. Praepoſito, Joanne Choienſki Præpoſito Poſnanien. & Archidiacono, Bernhardo Wapowſki Cantore, Joanne Gorſki Archidiacono Poſnanien. Nicolao Zamoſki Præpoſito Tharnovien. Cantore Sandomir. Staniſlao Tarło de Szczekarzowicze Archidiacono Lublinen. Canonicis Cracovien. Eccleſiæ, Secretariis noſtris, Silveſtro Ozarowſki Succamerario noſtro, & Capitaneo Zavihoſten. Martino Sborowſki Pincerna Regni noſtri, Joanne Tarło de Szczekarzowice Structore menſæ noſtræ, Nicolao Thomicki Tribuno Lancicien. Præfecto Stabuli noſtri, & Coſten. Piſdren. Coninen. Capitaneo, Simone Chlewicki Magiſtro Coquinæ noſtræ, cæterisque quam plurimis Dignitariis, Officialibus, & Aulicis noſtris teſtibus ad præmiſſa fide dignis, ſincere devotis, et fidelibus dilectis. Datum per manus præfati Magnifici Chriſtophori de Schidłowiecz Caſtellani, & Capitanei Cracovien. & Regni noſtri Cancellarii ſincere Nobis dilecti.

Anno 1527.

XI.

ANNO 1539.

## XI.

*Literæ Pacis perpetuæ a* SIGISMUNDO *Rege, Stephano Palatino Moldaviæ datæ.* Cracoviæ in Conventu Regni Generali Anno 1539. die 10. Februar. *Ex Archivo Regni.*

Universis, et singulis, quorum interest, manifestum facimus, quod Nos adducti precibus Serenissimorum Romanorum, et Hungariæ Regum, Domini FERDINANDI, et JOANNIS, alterius Consanguinei, alterius Affinis nostri charissimi, Magnifico Joanni Comiti in Tarnow Castellano Cracovienſi, Sandomirienſi, et Exercituum Regni nostri Capitaneo, plenam potestatem dedimus de Pace transigendi cum Magnifico Domino Petro Waywoda Valachiæ, qui quidem Pacem his conditionibus inter Nos, et illum confecit.

Ut serventur, quæ Pace, Confœderationeque facta inter Serenissimos Dominos VLADISLAUM Avum, et CASIMIRUM Patrem nostrum, Reges Poloniæ, et Magnificos, Stephanum, et Bogdanum Waywodas Valachiæ inter Terras utrinque fuerunt constituta.

Ut Coloni omnes tam nostri, quam subditorum nostrorum belli tempore capti, una cum pecoribus, atque omnibus facultatibus similiter restituantur.

Ut in Ditione nostra ultra Dniestr fluvium in Terra Maiestatis Regiæ nemo Valachorum stationes habeat, nisi de consensu Capitaneorum, aut Tenutariorum nostrorum, vel fundi Dominorum.

Ut molendinorum, quæ in Terra nostra extruxit Waywoda, usum fructum tantum habeat ad nostrum, aut Successorum nostrorum beneplacitum.

Ut Conventus, in quibus Jus administretur, iuxta morem antiquum celebrentur.

Ut malefactores, Pacis turbatores, qui damnum dederint, qui furtum fecerint, pœnas legibus dent.

Ut profugi neutrobi receptum habeant, sed iis, a quibus fugerint, restituantur.

Ut Terra Pokucie ita, ut semper fuit propria, sit nostra, Successorumque nostrorum, & haereditaria.

Ut serventur utrinque ea, quae de iustitia administranda, aliis Literis scripta sunt.

Ut in Ditione nostra, Camenecensis, & Halicienſis Capitanei, in Valachia vero Choczimenſis, & Czarnovienſis iuri dicendo præsint, atque secundum ea, quae aliis in Literis constituentur, iustitiam administrent.

Ut mercatoribus utrinque libera sit mercandi facultas.

Ut quibus antiquitus solebant itineribus uti, iis nunc quoque libere uti liceat.

Ut non alia, quam prisca vectigalia nostri Mercatores dare necesse habeant.

Ut non alii fines, limitesque terminentur, quam qui fuerunt priscis temporibus inter Regnum, et Valachiam terminati, & Privilegiis sunt descripti.

Ut caetera omnia inter Regnum, & Ditionem nostram, Terramque Valachiae contracta, quamvis hic expressa non sint, utrinque tamen inviolata serventur.

Has conditiones Petrus Waywoda cum Consiliariis suis, cunctoque Ordine Equestri se, Successoresque suos sancte, inviolateque observaturum iureiurando interposito promisit, &c.

Nos itaque, qui ab effundendo Christiano sangvine multum abhorremus, in gratiam Serenissimorum Principum, de quibus initio fecimus mentionem, Pacem, quam tanto studio Petrus Waywoda a Nobis petebat, per Magnificum Ioannem Comitem in Tarnow Castellanum Cracovienſem, Sandomirienſem, & Exercituum Regni nostri Capitaneum, praescriptis Conditionibus ei concessimus, quaeque ille nomine nostro cum Waywoda egit, ea rata, & grata habuimus. Quoniam vero fato quodam evenit, ut non ita multo post in Petri locum sufficeretur Magnificus Dominus Stephanus Waywoda Valachiae, quandoquidem & is a Nobis petiit, ut his ipsis conditionibus Pacem cum eo firmaremus, pro eo animo, quo sumus erga illos, qui Nobiscum una Christum Crucifixum adorant, quos amicitia potius coniunctos, quam aliqua re a Nobis disiunctos, & alienatos volumus, ferimus non inviti, ut dato iureiurando, Nos, Successoresque nostros has ipsas Pacis conditiones cum Magnifico D. Stephano Waywoda Valachiae, & Successoribus eius sancte, inviolateque observaturos promitteremus, quod ipsum praesenti Diplomate nostro promittimus, cui ut fides tanto maior habeatur, manu nostra subscripsimus, Signumque nostrum apponi iussimus. Dat. Cracoviae Anno 1539. die 20. Febr.

SIGISMUNDUS *Rex.*

ANNO 1539.

## XII.

*Responsum nomine Sacræ Maiestatis per Ablegatum eius, Woiewodæ* 1540.

ANNO 1540. *wodæ Moldavienſi datum. Ex Arch. Regni.*

Maieſtas Regia Dominus noſter gratioſiſſimus eius ſemper animi fuit, & eſt, ut erga veſtram Magnificentiam veram amicitiam conſervet, & in omnibus rebus oſtendat, idque ſemper cogitavit, ut Terra veſtræ Magnificentiæ in Pace, & in bona defenſione contra hoſtes paganos conſiſtat, quod ex hoc quisque, & inprimis veſtra Magnificentia facile potuit cognoſcere, quod in omni eius neceſſitate contra eosdem paganos Exercitum ſuum, quem in Podolia contra Tartarorum excurſiones ſervare conſvevit, ad veſtræ Magnificentiæ defenſionem ſemper paratum eſſe voluit, & omnia æque libenter ſemper faceret, quae cognoſceret ad veſtræ Magnificentiæ, & eius Terræ bonum, & pacificum ſtatum pertinere.

Attamen ex quibusdam cauſis ſua Maieſtas cognoſcit, quod veſtra Magnificentia non ſatis amicum animum erga ſuam Maieſtatem gerit, & præſertim ex hoc, quod ſuæ Maieſtati hoſtium Oratores, & Nuntii ſæpe veniunt ad veſtram Magnificentiam, cum quibus, quia vicini non ſunt, nihil commune videt ſua Maieſtas eſſe Veſtræ Magnificentiæ. Cognovit id ipſum ſua Maieſtas ex Imperatore Tartaro, cum quo Pacem faciens, veſtramque Magnificentiam in eandem Pacem includere volens, ut omnes ſuæ Maieſtatis amici, & Confœderati, etiam veſtræ Magnificentiæ eſſent amici, poſt longos ſuper ipſa re tractatus, quoniam diu in hoc ſuæ Maieſtatis voluntati contradicebat, tandem victus multis perſvaſionibus intimavit ſuæ Maieſtati, id ſe quidem facere velle, ut ſit veſtræ Magnificentiæ amicus, hoc tamen adiecit, quod veſtra Magnificentia non ſit ſuæ Maieſtati integre amicus.

Et propterea ſua Maieſtas conſiderans tam ſua, quam veſtræ Magnificentiæ Dominia paganis vicina eſſe, & intelligens communem, ſive coniunctam utriusque defenſionem contra eosdem hoſtes, utrique parti multo utiliores eſſe, quam ſeparatam, vel diviſam, optat a veſtra Magnificentia per me, ut erga ſuam Maieſtatem, & ſuæ Maieſtatis Dominia talem amicitiam omnibus in rebus oſtendere velit, qualem ex ſua Maieſtate cognoſcit, & qualem neceſſitas utriusque poſtulare videtur. Quemadmodum enim non dubitat Maieſtas ſua ſuam amicitiam ad defenſionem contra hoſtes veſtræ Magnificentiæ utiliorem eſſe, quam aliorum Principum, qui vicini non ſunt, ita etiam credit amicitiam veſtræ Magnificentiae quoad defenſionem ſuae Maieſtatis Dominiis non inutilem eſſe futuram. ANNO 1540.

Ubi autem talis conſenſus amicitiae ab utraque parte conſervabitur, omnia multo melius ad utramque partem eventura eſſe non dubitat in bellicis actionibus contra paganos, ſentient enim meliorem reſiſtentiam ab utraq; parte futuram, quam ſi per diſcordiam mutuum auxilium deeſſe in communi neceſſitate viderent.

Et ut haec ipſa amicitia inter Magnificentiam veſtram, & Imperatorem Tartarum per Maieſtatem Regiam incepta, & facta, firma, & perpetua eſſe poſſit, Magnificentia veſtra det ſalvum Conductum Nuntiis Imperatoris in manus meas, ut ſub eodem Salvo Conductu ad veſtram Magnificentiam ſecuri veniant, & ipſam amicitiam confirment.

Commiſit item mihi ſua Maieſtas, ut cum veſtra Magnificentia conſtituerem tempus, & locum, quando conventuri eſſemus in confinibus Terrarum, ut ſatisfieret veſtrae Magnificentiae deſiderio de fugitivis hominibus, de quibus apud ſuam Maieſtatem veſtra Magnificentia queſta eſt, quod a Feſto Aſſumptionis Beatiſſimae Virginis Mariae in Podoliam profugiſſent, et ſicuti ſua Maieſtas promiſit, ſe facturam poſt Conventum Cracovienſem, iamque mihi dedit ſua Maieſtas Literas ad omnes Capitaneos veſtrae Magnificentiae finitimos, ut ad diem per veſtram Magnificentiam mecum conſtitutam venirent, ut auditis partium querelis, & reſponſis iuſtitiam faciamus de reſtitutione hominum fugitivorum.

XIII.

*Homagium, & Juramentum fidelitatis, & perpetuæ ſubiectionis Petri Alexandri Palatini Moldaviæ, pro ſe, & Succeſſoribus ſuis* SIGISMUNDO AUGUSTO *Regi, & Regno præſtitum. Gravi urgente bello, totis viribus ipſe in perſona ſua, alias vero Comitatu ſeptem millium, ex quo a Rege, aut ab alterutro Duce requiſitus fuerit, Reipulicæ ſervire debet. &c. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ.* 1552.

Ego Petrus Alexander Palatinus Terrarum Moldaviæ, & Valachiæ a Sacra Regia Maieſtate electus, & conſtitutus cum omnibus Conſiliariis Maioribus, & Minoribus, ac aliis univerſis ſubditis noſtris Terrarum Valachiæ, iuro Domino Deo in Sancta Trinitate Uni, Divæ Virgini Mariæ, & omnibus Sanctis, quod me

ANNO 1552. me ad Pacem perpetuam tenendam obligo cum omnibus Succeſſoribus meis Palatinis Valachiæ, fidemque, reverentiam, perſeverantiam, conſtantiam ſervitiorum, & obedientiam in omnibus, more homagiali debitam, Sacræ Regiæ Maieſtati, Sereniſſimo Principi Domino, Domino SIGISMUNDO AUGUSTO Regi Poloniæ &c. Domino meo Clementiſſimo, & Sacræ Regiæ Maieſtatis Succeſſoribus Regibus Poloniæ & Conſiliariis Sacrae Regiae Maieſtatis, & Coronæ Primariis, & Maioribus, Secundariis, & Minoribus, nec non univerſæ Coronæ Poloniæ, ſervabo, manutenebo, & cuſtodiam, ac obediens ero, & dicto audiens, ſubiectusque cum omnibus Conſiliariis, et univerſis ſubditis meis Terræ Moldaviæ, et Valachiæ ad omne Mandatum Sacræ Regiæ Maieſtatis, et Succeſſorum eius in perpetuum. Præterea contra omnes hoſtes Sanctæ Crucis, ac Sacræ Regiae Maieſtatis, et Coronae, quicunqunque auderent ex quacunque cauſa Regnum, et Dominia eius hoſtiliter invadere, et armis laceſſere, conſilio, et auxilio ſecundum poſſibilitatem potentiae meae adero, et Gentes meas in ſubſidium mittere, et omni modo Sacram Regiam Maieſtatem, et Regnum iuvare tenebor, et ſum obligatus. Quodſi vero grave aliquod bellum ingrueret, eo caſu totis viribus, et cum univerſo Exercitu meo ipſe praeſens adeſſe, et caput meum contra omnes hoſtes Sacrae Regiae Maieſtatis, et Dominiorum eius opponere debebo, idque non ſolum iuſſu Sacrae Regiae Maieſtatis, ſed etiam ad requiſitionem Ducum Exercitus Regni, tam Supremi ſcilicet, quam Campeſtris Ducis, facere, et adimplere nunc, et in poſterum tenebor, cum omnibus Succeſſoribus meis, ac obligatus ero. In aliis vero minus gravibus neceſſitatibus Coronae Poloniae, poſtquam ab alterutro Ducum Exercitus Regni requiſitus ero, teneor, et obligatus ſum Exercitum ſeptem millium hominum bello idoneorum, contra quoscunque hoſtes auxilio mittere, in locum, ubi ſecundum exigentiam neceſſitatis iuſſus fuero. Nulla etiam Pacta cum extraneo aliquo Domino, neque cum hominibus quibuscunque, et cuiuscunque fidei fuerint, aliqua Fœdera, & Condictamina faciam, et inibo de quibuscunque rebus ſive meis privatis, ſive generalibus, ad Terram videlicet Valachiae pertinentibus, nihilque omnino agam, et conſtituam cum Conſiliariis meis ſine conſilio, conſenſu, et Mandato Sacrae Regiae Maieſtatis, et Conſiliariorum eius. Inſuper omnes Inſcriptiones, Conventiones, Pacta, per Anteceſſores noſtros Palatinos Valachiae cum Regibus Poloniae facta, et iuramenta tam vetera, quam recentiora ab iisdem praeſtita, in omnibus eorum punctis ſervare, manutenere, et adimplere, atque iuxta ea omnia Nos gerere cum Succeſſoribus noſtris, et cum tota Terra Valachiae promittimus, et pollicemur. Et cum pervenerimus ad Sedem Palatinatus noſtri Moldavienſis, debebimus, prout obligamur per praeſentes Literas, omnia hic ſuperius expreſſa iuramento noſtro, ſimul cum Conſiliariis omnibus Terrarum Valachiae denuo roborare, et confirmare. Quod ſi etiam ad haec puncta ſuperius deſcripta, alias aliquas conditiones Sacrae Regiae Maieſtati addere viſum fuerit, illas etiam recipere, et Juramento noſtro corporali confirmare tenebimur. Quae omnia ſuperius deſcripta, et conſtituta, me facturum, et impleturum iuro Domino Deo in Sancta Trinitate Uni, & omnibus Sanctis eius, & ſic me Dominus Deus in Sancta Trinitate Unus adiuvet, et Sancta Crux. Quod ſi haec omnia ſic conſtituta, ſancita, condicta, et per Nos promiſſa non fecerimus, nec impleverimus, et contra Dominum noſtrum Regem, et Coronam Poloniae aliquid agere tentaverimus, aut egerimus, Dominus Deus Omnipotens in Trinitate Unus non adiuvet Nos, ſed occidat Nos in corpore, et in anima. Actum ſuper Dnieſtrum ad Civitatem Bakuta. Praeſentibus Generoſis, et Nobilibus Dominis Mathia Włodkone Vexillifero, et Capitaneo, Joanne Herborth Succamerario Camenecenſe, Bernardo Prethficem Trembovlienſe, Hieronimo Lanckoronſki, Georgio Jazłowiecki Czarnogrodecenſe, Joanne Starzechowſki Drohicenſe, Capitaneis. Alexandro Sieniawſki Succammerario Halicienſe, Joanne Kamieniecki Palatinide Podoliae, Nicolao Sieniawſki Palatinide Belſenſi, Jacobo Podzanowſki Tribuno Halicienſe, Staniſlao Zamoyſki Venatore Chełmenſe, Staniſlao Tarło, Staniſlao Straſſio, Staniſlao Łyſkowſki, Nicolao Dobruchowſki, Jacobo Podwyſocki, Lamparto Gnoinſki, Felice Ziemicki, Chriſtophoro Wilkowſki, Matuſſio Kaſzowſki, Hieronimo Piſarſki, Antonio Mora Hiſpano, Chriſtophoro Wielogłowſki Pedeſtrium Rothmagiſtro: ex parte vero Alexandri Palatini Moldaviae, qui cum eo ſimul iurarunt, Niegwyło Hetman Magno, Dan Theſaurario, Mogilda Legoffech, Moczog Marſchallo, Niegny Staroſta in Sorock, Mochila Claviero &c. & aliis numero 60. Dat. ut ſupra feria ſecunda ante Nativitatem B.M.V. Anno Domini 1552.

ANNO 1569.

XIV.

*Homagium, & perpetuæ fidelitatis Juramentum Bogdani Alexandrowicz Palatini Moldaviæ. Ex Archivo Thesauri Regni. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. Legationum Lit. V. fol. 421.*

Ego Bogdanus Alexandrowicz Palatinus Terrarum Moldaviæ, & Valachiæ, cum Consiliariis Maioribus, & omnibus subditis meis Terrarum Moldaviæ, & Valachiæ iuro Domino Deo, & omnibus Sanctis, quod Pacem perpetuam una cum Successoribus meis Palatinis Valachiæ manutenebo, servabo, & custodiam, fidemq; reverentiam, perseverantiam, ac obedientiam in omnibus more feudatario Sac. Reg. Maiestati Serenissimo Principi Domino SIGISMUNDO AUGUSTO Regi Poloniæ, Domino meo Clementissimo, & suæ Regiæ Maiestatis Successoribus, nec non Consiliariis S. R. Maiestatis Maioribus, Minoribus & Inferioribus, ac Coronæ Poloniæ servabo, ac dicto audiens ero cum omnibus Consiliariis, universisque subditis meis Terrarum Moldaviæ, & Valachiæ, ad quodvis Mandatum Sacræ Regiæ Maiestatis, & Successorum eius. Contra omnes hostes Sanctæ Crucis, & suæ Regiæ Maiestatis, & Regni, quicunque, & ex quacunque causa assurgerent, & Dominia Sac. Reg. Maiestat. violenter invaderent, Nos pro posse nostro adesse, & auxilio, consilioque iuvare debebimus, Gentesque nostras mittere, atque omni modo auxiliari, & iuvare tenebimur. Quod si vero grave aliquod bellum ingrueret, totis viribus in persona nostra cum omni Exercitu, & hominibus Terræ Moldaviæ debebo, & obligatus sum caput meum opponere contra omnes hostes Sacræ Regiæ Maiestatis, & Dominiorum eius, excipiendo tamen Imperatorem Turcorum, cum quo Regia Maiestas, & Corona Poloniæ ab antiquis temporibus bonam amicitiam, & vicinitatem colit: in aliis vero Regni necessitatibus Exercitu septem millium hominum bello idoneorum ad locum, ubi necessitas postulaverit, mittendorum succurere debeo, & tenebor in perpetuum cum Successoribus meis, idque non tantum iussu Sacræ Regiæ Maiestatis, sed etiam ad quamlibet requisitionem Ducum Exercitus Regni, Supremi scilicet, & Campestris Ducis facere debeo, & sum obligatus cum omnibus Successoribus meis Palatinis Moldaviæ. Præterea nulla Pacta cum extraneo aliquo Domino, neque cum hominibus quibuscunque, & cuiuscunque fidei fuerint, aliqua Fœdera, & Condictamina faciam, & inibo de quibuscunque rebus, sive meis privatis, sive generalibus, ad Terram videlicet Valachiæ pertinentibus, nihilque omnino agam, & constituam cum Consiliariis meis, sine consilio, consensu, & Mandato Sacræ Regiæ Maiestatis, & Consiliariorum eius. Insuper omnes Inscriptiones, Conventiones, Pacta per Antecessores nostros Palatinos Valachiæ cum Regibus Poloniæ facta, & Juramenta tam vetera, quam recentiora ab iisdem præstita, in omnibus eorum punctis servare, manutenere, & adimplere, atque iuxta ea omnia Nos gerere cum Successoribus nostris, & cum tota Terra Valachiæ promittimus, & pollicemur. Quæ omnia superius descripta, & constituta me facturum, & impleturum iuro Domino Deo in Sancta Trinitate Uni, & omnibus Sanctis Eius, & sic me Dominus DEUS in Sancta Trinitate Unus adiuvet, & Sancta Crux. Quodsi hæc omnia sic constituta, sancita, & per Nos promissa non fecerimus, nec impleverimus, & contra Dominum nostrum Regem, & Coronam Poloniæ aliquid agere tentaverimus, aut egerimus, Dominus Deus Omnipotens in Trinitate Unus non adiuvet Nos, sed occidat Nos in corpore, & in anima.

ANNO 1569.

XV.

*Diploma Indigenatus Magnifico Vasilio Palatino Moldaviæ concessi.* Datum Varsaviæ in Conventu Generali die 24. Decembr. 1650. *Ex Archivo Regni Lib. 157. Num. 158. Fol. 138.* 1650.

Nos JOANNES CASIMIRUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Czernichoviæque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex.

In Nomine Domini Amen.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Universis, & singulis præsentes Literas inspecturis, notum, testatumque esse volumus. Nihil aliud ad illustrandam Imperii amplitudinem maius, aut præclarius Regibus contingere potuit, quam quod ea potestate prædiți sint, ut non solum homines privatos, sed etiam in altiori fortuna constitutos, beneficentia sua condecorare possint: ideoque non obscuros, & reconditos Principum favores esse decet, sed quemadmodum sol omnibus oritur, & maria cunctis patent, ita beneficia Regum, non inter angustos aliquos

ANNO 1650. quos terminos, sed in conspectum, & admirationem Orbis universi oportet prodire, vt non subditi, et subiecti populi tantum, sed externi etiam, & finitimi, munificentia Principum illustrari possint. Inde certe est, quod quotiescunque celeberrimam Regni nostri originem, divorumque Prædecessorum, præcipue vero Jagielloniadum imagines recolimus, & qua tandem ratione illi amplitudinem nominis sui eo usque provexerint, ut ex parva Magnam fecerint Rempublicam, nullam certe maiorem causam fuisse animadvertimus, quam quod in opprimendis ferro triumphali hostibus, fortes ac strenui, in ordinandis vero Civibus exteris, ac finitimis benefici, ac liberales semper videri studuerint, cum nihil magis, & Maiestatem Principum stabilire, hominumque animos augere, & sociare possit, quam in diversos populos collata beneficentiæ argumenta. Quapropter ubi Nos divina bonitas Paternis, avitisque simul præesse voluit sceptris, partam virtute Maiorum nostrorum gloriam, & retinere, et eo magis provehere cupientes (iisdem enim artibus Imperia retinentur, quibus parta sunt) quemadmodum Cives, subditosque nostros indefessa liberalitate, ita exteros, ac finitimos, continua beneficentiæ nostræ contestatione, & ampliſſimis quibusvis honoribus ducimus afficiendos. Quod perpetuum, ac singulare institutum nostrum, cum in permultis aliis, tum præcipue in Magnifico Moldaviæ Palatino Vasilio, cum præcipua quadam voluntatis nostræ significatione sequimur, utpote in eo, qui evidentissimis semper argumentis fidem, constantiam, integritatemque suam, tam Serenissimo olim Regi VLADISLAO IV. Prædecessori, ac Fratri nostro chariſſimo, quam Nobismet ipsis, universæque Reipublicæ abunde testatus est, qui toto Præfecturæ suæ tempore, quo Moldaviæ præfuit, hucusque & vicinitatis Jura cum Provinciis nostris finitimis firmiter manutenuit, aversisque sæpe Barbarorum incursionibus a finibus Poloniæ, constantem, sinceramque cum Ducibus nostris coluit, & servavit amicitiam, quod ille non pacato tantum, & tranquillo, sed turbato etiam, ac difficili Reipublicæ tempore, universæ Genti Nobis subiectæ exhibere studuit, permultos Nobiles Polonos furore Scythico in captivitatem abreptos, industria, ac interdum ære, vel fideiussione sua Patriæ, fortunis, ac libertati restituens, ita ut Ducum quoque nostrorum liberationis potissima pars is idem Magnificus Palatinus censeri mereatur. Quibus certe omnibus præ oculis habitis, facile eo animum inclinavimus, ut eum præsenti nostro Diplomate, in gremium Regni nostri receptum, pro vero ac legitimo Indigena, & Nobili Regni, Magnique Ducatus Litvaniæ declaremus, prout declaramus, ut omnimoda gratia, libertate, immunitatibus, prærogativis, in Dominiis nostris cum Hæredibus, ac posteris suis legitimis, utriusque sexus natis, & nascituris, uti, ac frui possit. Cum vero in Constitutione Indigenatus declaratoria, nomen præmemorati Magnifici Palatini expressum non sit, ideo hoc Rescriptum nostrum ubique locorum robur, ac firmitudinem legis habere volumus. Quod ad notitiam omnium, quorum interest, præsertim vero Dignitariorum, Officialium, ac universis Equestris Ordinis Regni, Magnique Ducatus Litvaniæ hominibus ad notitiam deducentes mandamus, ut eundem Magnificum Palatinum, circa omnes immunitates, libertates, prærogativas conservent, conservarique ab omnibus studeant. In cuius rei fidem præsentes manu nostra subscripsimus, & Sigillo Regni communiri mandavimus. Datum Varsaviæ in Conventu Regni Generali die vigesima quarta Mensis Decembris. Anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo. Regnorum nostrorum Poloniæ secundo, Sveciæ vero tertio anno. ANNO 1650.

JOANNES CASIMIRUS *Rex.*

*Albertus Kadzidłowski Capitan. Radzieiovien. Secretarius Regiæ Maiestatis.*

XVI.

*Diploma Indigenatus Georgii Stephani Palatini Moldaviæ. Ex Arch. Thesauri Regni. Extat in Arch. Cancel. Regni Lib. 160. Num. 161. fol. 152.* 1654.

In Nomine Domini Amen.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

NOS JOANNES CASIMIRUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Czernichoviæque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex. Universis, & singulis, qui nunc sunt, & futuri sunt, notum, testatumque facimus. Nihil æque Sereniſſimis Anteceſſoribus nostris cordi haesisse, quam mutuam vicinitatis coniunctionem, hanc armorum labore partam, hanc Legum robore firmatam, ita coluere, ut nihil magis congruum æstimarint, quam concordes vicinos Regali sua prosequi benevolentia, & licet undequaque septi vicinis, undequaque hoc Sereniſſimi Anteceſſores nostri observa-

ANNO 1654. rint, potiſſimum autem a parte Ottomanica, a qua Regnum noſtrum totius Chriſtianitatis antemurale capitaliſſimo ethnici hoſtis odio impeti ſolet. Hinc cum Illuſtriſſimis Palatinis Moldaviarum ita proceſſum, ut rarus ex illis extiterit, qui cum inclita Republica noſtra ſtricto amicitiæ non ligaretur vinculo, ut ita mutuo contra fædifragam barbariem coniuncti nexu mutuo ingruentibus invigilarent periculis. Cum igitur Illuſtriſſimus Georgius Stephanus Palatinatu Moldaviæ obtento, eam in noſtram Regiam Maieſtatem, Regnumque noſtrum, ac univerſam Rempublicam a primordiis Dominii ſui teſtaretur amicitiam, qua non niſi optimi vicini Iura tractari conſvevere, non ingruum duximus eius votis Regia noſtra reſpondere propenſione, & ſinceram illius in Nos obſervantiam pari complecti affectu. Nihil enim æque Regium eſt, quam bonæ vicinitatis Iura tueri, & viſceribus Regni ſui tales inſerere ſurculos, quales invictæ potentiæ duraturae gloriae huius inclitae Reipublicae poſſent ſuffragari. Hoc illud eſt regale officium ſic concreditam Regni fovere Spartam, ut ita non tantum Avitis Proſapiarum ſuarum fulgeat honoribus, ſed & aliunde quaeſitas plantas pro ampliori decore Patriae, favore Regio ſuis inferat fulgoribus. Satis equidem ſplendoris Illuſtriſſimus Georgius Stephanus Palatinus Moldaviae de ſua nactus origine, qui ab atavis, avisque hanc fertiliſſimam Moldaviae glebam ita incoluit, ut poſt diverſa Palatinatus iſtius munia in Illuſtriſſimo Parente ſuo Stephano Logofeti Supremi Vidli: Terrarum Moldaviae Cancellarii munus feliciſſime ſuſtinuerit, illudque idem officium bono regimine, virtute immutabili, omnibus approbantibus ita geſſerit, ut illud idem ad Illuſtriſſimum Georgium Stephanum cariſſimum Filium, cariſſimus Genitor ſic dirigentibus aſtris transmittere videretur, ſed cum fulgor lucernae Illuſtriſſimi huius Georgii Stephani tanto nequiret comprehendi modio, effulſit meritis ſuis in illud ſolium Palatinatus Moldaviarum, in quo nunc, & Terris illis optimo regimine, & noſtrae Regiae Maieſtati, Regnoque noſtro optima reſplendet coniunctione. Reſplenduit ſane, dum proxime praeterito Anno coniunctis cum parte Exercitus noſtri manibus non incruentum Palatinatum ita a rebelli ſubditorum noſtrorum colluvione ſtrenue, & generoſe tutatus eſt, ut hoſtium multitudo aliquoties caede, & longe, lateque effuſa ſtrage eundem non tantum victorem, ſed fideliſſimum etiam ſocium, & amicum Reipublicae noſtrae confeſſa fuerit, abunde ille virtutem, generoſitatemque, imperterriti animi robur, caeterasque impigre, atque ad res ſtrenue, fortiterque conficiendas idonea meritis praeſtitit argumenta, cum in Soczaviano bellicoſi martis theatro ita in obſidenda ſervili Coſacorum fece nituerit, ut ea ipſius cum noſtra Legione coniunctio non tantum initia gubernationis ipſius firmaverit, ſed etiam Reipublicae Poloniae multum gloriae, hoſtibus vero victis, & ad conditiones Pacis, caeſo ipſorum ductore Timotheo, redactis, plurimum damni, & diſpendii attulerit. Hunc igitur Illuſtriſſimum Georgium Stephanum Palatinum Moldavienſem pro vero Indigena, Nobili Polono, & Magni Ducatus Litvaniae declaramus, volentes, quatenus ipſe cum cariſſima prole ſua utriusque ſexus tam nata, quam naſcitura omnibus Iuribus, praerogativis, immunitatibus, libertatibus veri Nobilis, Poloni gaudeat, & utatur perpetuo, & in aevum, ut hac aurea illectus Regni noſtri libertate, quam maxime, etiam Principes omnibus rebus praeferendam cenſuere, bene Nobis, bene univerſae Reipublicae velle minime deſiſtat. Quemadmodum quidem conſtantiae, ſedulitatis, amicaeque cum Republica coniunctionis documentum ſatis egregium praeſtitit, dum ad Zwaniec contra potentem Tartarorum cum rebellibus Coſacis coniunctionem, Nobis, ac univerſo Exercitui ſuppetias tuliſſet, eoque non contentus, etiam proxime praeterito veris tempore, ita auxiliatricibus copiis Magnificum Staniſl. Potok a Potocki Palatinum, & Generalem Kiiovienſem Exercitus pro illo tempore Generalem Campeſtrem iuvit, ut nihil in eo defuturum fore arbitremur, quod integerrimum huius Reipublicae amicum deceat. Poſtquam tamen is idem Illuſtriſſimus Palatinus Moldaviarum poſſeſſiones aliquas in Regno noſtro, vel Magno Ducatu Litvaniae obtinuerit, Iuramentum fidelitatis noſtrae Regiae Maieſtati, & univerſae Reipublicae praeſtare tenebitur. Quoniam vero praeſenti Conſtitutione in praeſentibus Comitiis Regni ſancitis huius Illuſtriſſimi Palatini Moldaviarum nomen non exprimitur, hoc reſcripto noſtro, quod vim Legis habere volumus, exprimendum cenſuimus. Quae omnia, & ſingula Diplomatis huius noſtri ad notitiam omnium, quorum intereſt, potiſſimum vero Dignitariorum, Officialium, ac univerſis Equeſtris Ordinis Regni, Magnique Ducatus Litvaniae hominibus deducentes, mandavimus, declarantes, ut eundem Illuſtriſſimum Georgium Stephanum

ANNO 1654.

ANNO 1654. phanum Palatinum Moldaviarum circa omnes Nobilis Poloni immunitates, Iura, Libertates, praerogativas conſervent, & ab omnibus conſervari ſtudeant. In cuius rei fidem praeſentes manu noſtra ſubſcriptas Sigillo Maieſtatis noſtræ Regiae communiri mandavimus. Datum in Urbe noſtra Regia Varſavienſi ſub tempus Comitiorum Regni noſtri die ultima Menſis Iunii Anno reſtauratae ſalutis milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quarto. Regnorum noſtrorum Poloniae ſexto, Sveciae vero ſeptimo Anno.

IOANNES CASIMIRUS *Rex.*

*Albertus Korycinſki Canonicus Cracovienſis Regens Cancel. Maioris Regni.*

# BESSARABIA.

1396. *Vladi Palatini Beſſarabiæ, & Comitis Severinenſis Homagium* VLADISLAO *Poloniæ, & Hungariæ Regi præſtitum. Ex Originali.*

In Nomine Domini Amen.

VLAD Waywoda Beſſarabiae, nec non Comes de Severino etc. Significamus univerſis, quibus expedit, praeſentium notitiam habituris. Quod mente gratuita attendentes, et non immemori cordis recolentes benignarum promotionum, et gratiarum multiplicium indicia, quibus Sereniſſimi Principes, et Domini noſtri Domini VLADISLAUS Rex Poloniae, Litvaniaeque Princeps Supremus, et Haeres Ruſſiae etc. et Conſors ipſius HEDVIGIS Regina Poloniae, et Haeres Ungariae Regnorum nata ſuperſtes inclyti LUDOVICI olim Regis Ungariae, Nos, et Dominia noſtra proſequuntur, et praeſertim quomodo ipſi Domini Rex, et Regina nuper Woiewodatum Beſſarabiae, et Dominia, quae in Regno Ungariae obtinemus, donaverunt, et Literis ſuis ratificaverunt Nobis, et perpetuo confirmarunt; quapropter dignum arbitramur, et non incongruum, ut ipſis tanto perſeverantiori conſtantia obſequamur, quo magis per eorum promotiones Dominiorum culmina conſcendiſſe, et ANI multiplicibus Nos gratiis eorum inveni- 139( mus conſolatos, et quia pridem Regnum Hungariae ad memoratam Dominam HEDVIGEM Reginam Poloniae, et Haeredem dicti Regni Hungariae unicam, et ſuperſtitem, et conſequenter ad praefatum Dominum VLADISLAUM Regem Poloniae Conthoralem ipſius iure haereditario eſſe comperimus devolutum, prout hoc ipſum in Literis dicti LUDOVICI Regis, et Regnicolarum Hungariae, et Poloniae Regnorum praedictorum ſuper eo confectis intelleximus fuiſſe, et eſſe conditionatum, ſicque etiam Nos, et Dominia noſtra dictis Dominis VLADISLAO Regi Poloniae, et HEDVIGI Reginae, et Regno eorum Poloniae, et Hungariae in ſubditos obligamur. Igitur ex certa noſtra ſcientia fide bona ſine dolo, et fraude exnunc tenore praeſentium Nos eorundem Dominorum VLADISLAI Regis, et HEDVIGIS Reginae, ac ipſorum liberorum, Haeredum, Regum, et Reginarum Poloniae, et Hungariae, Regnorum cum omnibus Dominiis, et ſubditis noſtris facimus, ſubiicimus, et perpetuos omagiales fore confitemur. Promittentes eadem bona fide ipſis Dominis VLADISLAO Regi, et HEDVIGI Reginae, ac eorum liberis, et Haeredibus praedictis, quod ipſis Nos Dominia, et ſubditi noſtri iam dicti a die datae praeſentium perpetuo fideliter obediemus, aſſiſtemus, conſilio, auxilio, et favore, omnibus eorum inimicis, et adverſariis, dum et quoties ſciverimus, Nos cum tota potentia noſtra obices ponemus. Inimicos eorum non fovebimus, Regna ipſorum, et quaevis Dominia contra voluntatem ipſorum non impetemus, neque vendicabimus, ac etiam cauſas, et controverſias, atque incommoda per quoscunque adverſarios eorum, contra ipſos verbo, vel facto mota, vel movenda removebimus. Decus quoque, et honoris, ac commodorum incrementa ipſis undique operabimur, noſtrum totum iuxta poſſe. Harum, quibus Sigillum noſtrum praeſentibus eſt appenſum, teſtimonio Literarum. Datum in Oppido Argiſch ipſo die Sanctae, et Individuae Trinitatis Anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſexto.

# FINIS TOMI PRIMI.

# ERRATA.

Fol. 57. linquentibus lege delinquentibus. f. 74. audiant lege audeant. f. 90. affecti lege effecti. f. 109. Camecenſis lege Camenecenſis. f. 141. orationibus lege rationibus. f. 205. Nuptas lege Nuptias, f. 272. petionem lege petitionem. f. 274. maculos lege maſculos. f. 275. nobus lege nobis. f. 289. Comitis lege Comitiis. f. 289. egatum lege Legatum. f. 289. liberatibus lege libertatibus, f. 318. trerentorum lege trecentorum. f. 326. graat lege grata. f. 339. Marechallus lege Mareſchallus. f. 350. a ſubveniendum lege ad ſubveniendum. f. 377. Hiſpaniæ lege Hafniæ. f. 399. edem lege eiusdem. f. 424. verum lege veſtrum. f. 457. Skuſa lege Skala. f. 480. debit lege debebit. f. 503 libarum lege liberum. f. 398. mevore lege movere. f. 601. Cmielow lege Chmielow.

# INDEX CHRONOLOGICUS LITERARUM DOCUMENTORUM MONUMENTORUMQUE, QUAE IN HOC PRIMO VOLUMINE CONTINENTUR.

## *PARS I.*

## BOHEMIA.


ANNO 1255. *Premislaus Rex Bohemiæ deprecationem S. Stanislai, de cuius Corpore Brachium opera Boleslai Cracoviæ, & Sandomiriæ Ducis obtinuerat, tempore expeditionis suæ contra Prussos expertus, condonat universæ Poloniæ acceptam ab ea iniuriam. Dat. Pragæ, Indictione 13. quarto Nonas Octobr. 1255. Ex Originali.*

1335. *Instauratio, & Declaratio Pacis inter Casimirum Poloniæ, & Joannem Bohemiæ Reges. Dat. in Vissegrado 19. Novembris Anno 1335. Ex Archivo Regni. Lib. 3. n. 4. folio 466. Item Lib. Legationum Lit. F. fol. 217.*

1337. *Compacta inter Poloniæ, & Bohemiæ Reges, quibus modus præscribitur, quo controversiæ inter utriusque Partis subditos dirimi debeant. Act. & Dat. Posnaniæ die 12. Martii, Anno 1337. Ex Archivo Regni. Lib. Legationum sub Lit. F. fol. 216.*

1341. *Declaratio Unionis, Amicitiæ, & necessitudinis inter Casimirum Poloniæ Regem, & Joannem Regem Bohemiæ, & Filium Eius Carolum Marchionem Moraviæ. Dat. 13. Julii Anno 1341. Ex Archivo Regni Lib. 3. n. 4. fol. 487.*

1346. *Induciæ inter Joannem Regem Bohemiæ, & Carolum Marchionem Moraviæ, & Joannem Ducem Carinthiæ Filios Eius ab una, & Casimirum Poloniæ Regem ab altera parte. Dat. in Pysdry feria tertia proxima ante Nativitatem Mariæ. Anno 1346. Ex Originali. Sigill. 6.*

1360. *Promissio Caroli IV. Imp. tanquam Regis Bohemiæ, quod non velit laborare apud sedem Apostolicam pro scissione Vratislaviensis Episcopatus a Gnesnensi Metropoli facienda. Die 7. Call. Augusti An. 1360. Ex Archivo Regni. vide Tom. I. Partem II. tit. Silesia ad Annum 1360.* ANNO 1395.

*Oratores Venceslai Rom. & Bohemiæ Regis ad conficiendum Fœdus cum Vladislao Rege Poloniæ missi, testantur se hoc ipsum Fœdus confeciſſe, conditionibus in eo expressis. Dat. Cracoviæ ipso die Corporis Christi. Anno 1395. Ex Originali Sigill. 2.*

*Fœdus inter Venceslaum Rom. & Bohemiæ Regem, & Vladislaum Regem Poloniæ concluſum, quo præfatus Rex Venceslaus pollicetur se Regi Poloniæ cum sexcentis Lanceis, & totidem Balistariis, toties quoties ab eo requisitus fuerit, fideliter contra quosvis hostes auxilio futurum &c. Dat. Pragæ 25. Junii Anno 1395. Ex Originali.* 1395.

*Venceslaus Rom. & Bohemiæ Rex, compromittit in Vladislaum Regem Poloniæ de controversiis inter ipsum, & Duces Opolienses &c. ejusque iudicio se pariturum promittit. Dat in Karlstein die 18. Maji An. 1405. Ex Originali.* 1405.

*Responsum Sigismundi Imp. ad Legationem Vladislai Poloniæ Regis, restituendæ Silesiæ causa missam, datum. Ex Archivo Regni. Vide Tom. I. Partem II. tit. Silesia ad Annum 1421.* 1421.

*Bernhardi, Joannis, & Nicolai Ducum Opoliensium, nec non Boleslai Glogoviensium, & Opoliensium, item Venceslai Opaviæ, & Ratiboriæ Ducum Conventio (uno exemplo) cum Vladislao Rege,* 1438.

*Rege Poloniæ, ejusque in Regem Bohemiæ Electo Fratre Casimiro, qua præfati Duces Casimirum pro Rege Bohemiæ agnoscunt. Act. & Dat. in Campo ante Strzelcze feria secunda proxima post S. Francisci, An. 1438. Ex Originali Sigill. 3.*

ANNO 1438. *Responsum Vladislai Regis Poloniæ ad Legationem Alberti Imp. qua rogabatur, ut in Regem Bohemiæ Electum Fratrem Casimirum, a susceptione Regni illius dehortaretur. Anno 1438. Ex Archivo Cap. Cracov.*

1460. *Georgii Regis Bohemiæ Mandatum ad Conventum Bithomiensem pro ineunda Pace cum Casimiro Rege Poloniæ, An. 1460. Ex Originali. Extat in Archivo Cancell. Regni Lib. 3. n. 4. fol. 470.*

1460. *Fœdus inter Casimirum Poloniæ, & Georgium Bohemiæ Reges in Conventu Bithomiensi per Oratores ipsorum sancitum, quo veteres inter utraque Regna Inscriptiones confirmantur, Articulis ad Duces Masoviæ spectantibus exceptis, societas contra omnes hostes constituitur, controversiæ vero de certis Castris, & de Dote Reginæ Elisabeth ad Conventum Regum personalem Glogoviæ celebrandum reiiciuntur. Dat. in Bythom die 29. Novembr. Anno 1460. Ex Originali. Extat in Archivo Cancell. Regni Lib. 3. n. 4. fol. 471.*

1460. *Exemplar ejusdem Fœderis ex parte Oratorum Regis Bohemiæ. Ex Originali.*

1460. *Georgii Regis Bohemiæ Articulorum in Conventione Bithomiensi conditorum Approbatio, & Promissio, quod non instabit pro Ducibus, & Ducatibus Masoviæ, neque eos petet. Dat. in Olomucz in Vigilia Nativitatis Christi. An. 1460. Ex Originali Vid. Cod. Dipl. Tom. III. tit. Masovia ad An. 1460.*

1461. *Casimiri Regis ad Archiepiscopum Gnesnensem Literæ, ut Conventionem in Terris Maioris Poloniæ instituat, ex cuius sententia vult capere consilium de rationibus, quibus Fœdus cum Rege Bohemiæ iniri posset. An. 1461. Ex Archivo Regni Cracov. Extat. in Archivo Cancell. Regni Lib. 3. n. 4. fol. 142.*

1462. *Georgii Regis Bohemiæ ad Casimirum Regem Poloniæ Literæ Deprecationis pro Civitate Lignicensi. Dat. Pragæ, die 22. Maji, Anno 1462. Ex Archivo Regni. Lib. 3. n. 4. fol. 634 Vide Tom. I. Partem II. tit. Silesia ad Annum 1462.*

1462. *Tractatus Fœderis inter Georgium Bohemiæ, & Casimirum Poloniæ Reges, in Conventu eorum personali concluſi. Alter alteri in propria Persona cum omni potentia sua contra Turcas subsidio veniet. Rex Poloniæ Dotem Elisabethæ Reginæ vivente Rege Bohemiæ non repetet, &c. Dat. Glogoviæ ipso die Ascensionis Domini Anno 1462. Ex Originali.*

*Exemplar eiusdem Fœderis ex parte Casimiri Regis Poloniæ. Ex Originali.* ANNO 1462.

*Proceres Regni Bahemiæ Confœderati significant Casimiro Regi Poloniæ, Georgium quondam Regem Bohemiæ a Paulo II. tanquam hæreticum excommunicatum esse, & Regno privatum, seque ab illo recessisse, flagitantque, ut Rex Poloniæ eorum Patrocinium suscipiat, cum Coniunx eius, & Filii sint veri, & legitimi Hæredes Regni Bohemiæ. Dat. in Nova Domo Sabbatho post SS. Philippi, & Jacobi Apostolorum An 1467. Ex Originali Sigill. 15.* 1467.

*Literæ Eorundem ad Proceres Regni Poloniæ in eodem negotio, sub eodem dato. Ex Originali. Sigil.. 15.* 1467.

*Pauli II. Papæ, ad Casimirum Regem Literæ: Vitio ei vertit, quod per Oratores suos cum Georgio Rege Bohemiæ excommunicato Tractatus habuerit. Datum Romæ 31. Decemb. Anno 1470. Ex Archivo Thesauri Regni.* 1470.

*Oratores statuum, & Ordinum Regni Bohemiæ ex Comitiis Cuthanensibus missi, Vladislaum Casimiri Regis Poloniæ Primogenitum, post mortem Georgii, in Regem Bohemiæ Electum, ad præfatum Regnum postulant. Dat. Cracoviæ, 29. Junii, Anno 1471. Ex Originali Sigill. 2.* 1471.

*Inducia inter Mathiam Hungariæ, Vladislaum Bohemiæ, & Casimirum Poloniæ Reges. Dat. in Antiqua Villa feria secunda proxima ante Festum Cathedræ Beati Petri, Anno 1474. Ex Originali Sigill. 6. Vide tit. Hungaria ad Annum 1474.* 1474.

*Tractatus Fœderis inter Vladislaum Bohemiæ, Filium, & Casimirum Poloniæ, Patrem, Reges, & Regna ipsorum concluſi, contra Mathiam Regem Hungariæ. Dat. Pragæ 23. Aprilis Anno 1489. Ex Originali. Cum Sigill. Vlad. Regis & aliis Sigill. 34.* 1489.

*Diploma Vladislai Hungariæ & Bohemiæ Regis, quo Sigismundo Duci Fratri suo Ducatum Opaviæ donat. Dat. Budæ 8. Decemb. An. 1501. Ex Archivo Regni Lib. sub Lit. R. P. fol. 7. Vide tit. Silesia ad Annum 1501.* 1501.

*Marchionatus Lusatiæ Inferioris a Vladislao Hungariæ, & Bohemiæ Rege, confertur Duci Sigismundo Fratri. Dat. Budæ Feria sexta, Die S. Bonifacii, An. 1504. Ex Originali.* 1504.

*Tracta-*

ANNO 1507. *Tractatus Fœderis perpetui inter Vladislaum Hungariæ, & Bohemiæ, ac Sigismundum Poloniæ Reges, Fratres, nec non Hæredes & Regna eornm, per Oratores Regis Poloniæ concluſi. Dat. Budæ, Feria ſexta proxima ante Feſtum Sanct. Trinitatis, Anno 1507. Ex Originali Vide tit. Hurgaria ad Annum 1507.*

1507. *Vladiſlai Hungariæ, & Bohemiæ Regis, Fœderis eiuſdem Approbatio ſub eodem dato. Ex Originali. Ibid. ad An. 1507.*

1509. *Innovatio & Confirmatio eiuſdem Fœderis, a Sigiſmundo Rege Poloniæ in Conſilio Generali Piotrcovienſi facta. An. 1509. die 1. April: Ex Originali. ibid. Annum 1509.*

1517. *Sigiſmundus I. Rex Poloniæ Tutor, & Protector Ludovici Regis, & Regni Bohemiæ, promittit ſe Jura, & Conſvetudines eiuſdem Regni conſervaturum. Dat. in Arce Braclavienſi Feria ſexta, die S. Galli, Anno 1517. Ex Archivo Regni Lib. 19. n. 20. folio 566. Item Lib. 21. n, 22. fol. 15.*

1518. *Sigiſmundi I. Poloniæ Regis Literæ plenæ poteſtatis Oratoribus ſuis datæ ad eligendum Regem Romanorum. Ex Archivo Regni. Lib. Legationum Lit. E. fol. 90.*

1518. *Eiuſdem Mandatum ad Conventum Regni Bohemiæ. An. 1518. Ex Archivo Regni.*

1519. *Sigiſmundus I. Rex Poloniæ Mandata, & Legatos mittit ad eligendum Regem Romanorum. Dat. Cracoviæ die 22. Maji An. 1519. Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. E. fol. 115.*

1525. *Sigiſmundi I. Regis Poloniæ ad ſtatus Regni Bohemiæ Literæ, ut Regi ſuo, & Regno Hungariæ contra Turcas ſubſidio eant. Dat. Cracoviæ Dominica proxima ante Feſtum S. Mariæ Magdalenæ. 1525. Ex Archivo Regni Lib. 26. n. 27. fol. 208.*

1526. *Idem ad Status & Ordines Regni Bohemiæ, de Jure ſuo in Regnum Bohemiæ. Ex Archivo Theſauri Regni. Eiuſdem ad Duces Sileſiæ (uno exemplo) Literæ in eodem negotio. Indidem. Eiuſdem ad Conſiliarios Regni Bohemiæ (uno exemplo) in eodem negotio. Indidem.*

1527. *Ferdinandi Bohemiæ Regis Declaratio Articulorum Fœderis inter Caſimirum Poloniæ, & Georgium Bohemiae Reges, Anno 1462. initi, ſibique per Oratorem Sigiſmundi Poloniæ Regis exhibiti. Articulum primum de ſocietate belli contra Turcas ad Ordines Regni ſui reiicit, alterum vero de ſocietate contra omnes, exceptione Caroli Imp. Fratris ſui reſtringit. Articulum deniq; de Judicibus, qui controverſias in finibus utriuſque Sileſiæ, & utriuſque Poloniæ dirimant, ita intelligi vult, ut ii de communi Partium conſenſu eligantur. Dat. Pragæ feria quarta poſt Dominicam Oculi. Anno 1527. Ex Originali.*

*Compacta inter Ferdinandum Rom. Hungariæ, & Bohemiæ Regem, & Sigismundum I. Regem Poloniæ, pro felici & tranquillo ſtatu Regnorum Bohemiæ, & Poloniæ in Conventione Glogovienſi per Commiſſarios ab utrinque delegatos inita, cum Ratificatione eorundem Ferdinandi Regis. Dat. Vratiſlaviæ 17. Junii An. 1538. Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. G. fol. 14.* ANNO 1538.

*Mandatum Ferdinandi Rom. Regis ad Dietam Glogovienſem pro componendis Controverſiis, inter Regnum Poloniæ ab una, & Regnum Bohemiæ, eique annexas Provincias ab altera parte. Dat Viennæ, die 20. Menſis Septembr. An. 1539. Ex Archivo Regni Lib. 6. Lit. F. fol. 228.* 1539.

# HUNGARIA.

*Tranſumptum trium Literarum Ludovici Regis Hungariæ, ſub nomine Januſſii Decretorum Doctoris, Decanii & Cancellarii Cracovienſis, in forma vidimus editum:* 1355.

*Primis Literis promittit Ludovicus Rex non repetiturum ſe debitum, quod ei Caſimirus ratione Regni Ruthenorum debebat, priuſquam idem integram eiusdem Regni poſſeſſionem adeptus fuerit. Budæ Die 24. Januarii An. 1355.*

*Alteris permittit, ut ſal ex Regno Poloniæ in Regnum Hungariæ uſque ad Civitatem Sarus advehi poſſit. Budæ in Feſto Converſionis S. Pauli Apoſtoli An, 1355.*

*Tertiis Literis Ludovicus Rex pollicetur ſe Caſimiro Regi contra Litvanos in ſubſidium venturum, vel ipſe ſi venire non potuerit, maiores quam antea Copias miſſurum. Dat. Budæ die 24. Januar. Anno 1355. Tranſumpti An. eodem Kalend. Septembr. Ex Autographo ſub Sigil. Civitatis Cracovien.*

*Tranſumptum Literarum, quibus continetur Juramentum a Proceribus, Regni Hungariæ Caſimiro Regi Poloniæ præſtitum, quo illi Pacta inter eundem Caſimirum, & Carolum Hungariæ Regem, de ſucceſſione Filiorum eiuſdem Regni Hungariæ, in Regnum Poloniæ inita confirmant. Dat in Zadoch in Vigilia SS. Philippi, & Jacobi An. 1355. datum vero Inſtrumenti Cracoviæ 5. Calend. Octobr. 1357. Ex Autographo.* 1355.

# INDEX


ANNO

1369. *Fœdus inter Ludovicum Hungariæ, & Casimirum Poloniæ Reges, Budæ in Conventu Eorum personali sancitum, quo vetera Pacta confirmant, & societatem ineunt contra omnes, eos hostiliter aggredi volentes, præcipue vero contra Carolum Imperatorem. Dat. Budæ, feria quarta Cinerum. An. 1369. Ex Originali.*

1386. *Elisabeth Regina Hungariæ promittit Vladislao Regi Poloniæ Genero suo auxilia, & defensionem contra omnes hostes, cum tota potentia Regni sui. Dat. Budæ in Vigilia Pentecostes, An. 1386. Ex Orignali.*

1403. *Ordinum Regni Hungariæ, cum Ordinibus Regni Poloniæ Fœdus perpetuum, quo vetera Pacta inter Maiores suos inita renovant, & confirmant, ac mutuam sibi invicem opem, & defensionem promittunt*, cætera. *Dat. in Oppido Zalatuak Zagrabiensis Diœcesis, die 4. Aprilis An. 1403. Ex Originali, Sigill. 51. Extat in Archivo Cancell. Regni, Lib. Legationum, sub Lit. C. fol. 3.*

1410. *Literæ Vladislai Regis Poloniæ, quibus præstat securitatem Sigismundo Regi Hungarorum agendi iter cum mille quingentis Equitibus per Ditiones suas in Prussiam, componendæ inter se, & Cruciferos Pacis causa. Dat. Cracoviæ in Dominica vocem Jucunditatis An. 1410. Ex Originali.*

1411. *Proceres Hungariæ promittunt se daturos duodecim Commissarios, qui cum totidem Commissariis Regni Poloniæ Conventu in Nova Villa instituto, omnes Controversias, quæ inter Sigismundum Hungariæ, & Vladislaum Poloniæ Reges, Regnaque eorum intercedunt, componendi, & definiendi plenam habebunt potestatem. Dat. in Iglavia, feria tertia proxima ante Dominicam Palmarum, An. 1411. Ex Originali Sigill. 9.*

1411. *Vladislaus Rex Poloniæ approbat Pacta inter suos, & Sigismundi Regis Hungariæ Oratores, de Induciis servandis, & de modo stabiliendæ Pacis perpetuæ condicta. Dat. Cracoviæ feria sexta proxima ante Festum B. Andreæ Apostoli, An. 1411. Ex Originali.*

1412. *Fœdus inter Sigismundum Rom. & Hungariæ, & Vladislaum Poloniæ Reges, in Conventu eorum Personali in Liblio, sancitum, die 15. Mart. An. 1412. Ex Originali. Extat. in Archivo Cancell. Regni, Lib. Legationum Lit. C. fol. 3.*

1412. *Juramentum Sigismundi Rom. Regis, quo Fœdus cum Vladislao Rege Poloniæ ictum confirmat. Dat. in Liblio, feria quarta proxima post Dominicam Lætare, Anno 1412. Ex Originali.*

ANNO

1415. *Eiusdem Literæ, quibus Fœdus prædictum denuo comprobat. Dat. Constantiæ, die 20. Mensis April. An. 1415. Ex Originali.*

1415. *Concilium Constantiense Regnum Hungariæ patrocinio Regis Poloniæ commendat. Dat. Constantiæ die 16. Augusti, Anno 1415. Ex Originali.*

1423. *Renovatio, & Confirmatio Fœderis inter Sigismundum Rom. Hugariæ &c. Regem, & Vladislaum Regem Poloniæ, nec non Vitoldum Magnum Ducem Litvaniæ, An. 1412. concluſi, in Conventu eorum personali in Kiersmark facta, feria tertia post Dominicam Ramis Palmarum. An. 1423 Ex Originali Sigil. 25.*

1440. *Recognitio Oratorum Regni Hungariæ, quod Vladislaum Regem Poloniæ, in Regem Hungariæ electum esse denuntiaverint, cum stipulatione mutuæ ex Pacto defensionis contra omnes utriusque Regni hostes. Dat. & Act. Cracoviæ, die 9. Mart. An. 1440. Ex Originali Sigill. 5.*

1440. *Ordines Regni Hungariæ renovant, & approbant susceptionem Vladislai Regis Poloniæ in Regnum Hungariæ, non obstante Coronatione Infantis Filii Alberti olim Regis, per procurationem Elisabeth Reginæ facta. Dat. Budæ, ipso die SS. Petri & Pauli Apostolorum An 1440. Ex Originali Sigill. 88.*

1440. *Cum Regina Elisabeth Infantem trimestrem clam sublata Corona Regni coronasset, Coronamque abscondisset Proceres Regni Hungariæ ad coronandum Vladislaum Regem Budæ congregati, detractam ex Reliquiis Sancti Stephani Regis Coronam Electo Regi suo imponunt, eique omnia Jura Regalia competere declarant adjectis pœnis in eos, qui Coronationi huic adversari præsumerent. Dat. in Alba Regali die 17. Mensis Julii, An. 1440. Ex Originali Sigill. 65.*

1447. *Prælatorum, Baronum, & Procerum Regni Hungariæ, ad Prælatos, Magnates & Proceres Regni Poloniæ Literæ. Incommoda Regni sui denuntiant. Patriam atque avitam inter utraque Regna amicitiam, ac unionem, & Fœdus noviſſime renovatum in memoriam reducunt, commonentq; officii, tum certiores eos faciunt, quod Germanorum conatus armis propellere decreverint. Dat. Budæ die 27. Febr. An. 1447. Ex Archivo Regni Cracovienſi. Extat. in Arch. Cancel. Regni. Lib. 3. n. 4. fol. 77.*

1440. *Nicolai V. Papæ ad Sbigneum Cardinalem, Episcopum Cracovienſem Literæ, quibus dat ei potestatem tractandæ Pacis in Hungaria Dat. Romæ. die 19. Mart. An. 1449. Ex Originali*

ANNO 1471. *Casimiri Poloniæ Principis Litera diffidatoria, ad Mathiam de Hunniad Regem Hungariæ directa. Dat. Cracoviæ feria sexta in Vigilia S. Mathiæ Apostoli. Ex Archivo Regni Lib. 5. sub Lit. E. n. 6. fol. 18.*

1472. *Casimiri Regis Poloniæ Literæ plenae potestatis Oratoribus suis datae, ad tractandam Pacem inter Vladislaum Regem Bohemiae &c. Primogenitum, & Casimirum secundo genitum Natos suos, nec non Regnum Poloniae ab una, & Mathiam Regem, ac Regnum Hungariae ab altera parte. Dat. Thorunii feria tertia in Crastino SS. Innocentium. Ex Archivo Regni Lib. 5. n. 6. fol. 127.*

1472. *Induciæ annuae inter Mathiam Hungariæ, Bohemiæ, &c. & Casimirum Regem Poloniae, nec non Casimirum eius Filium, ac Regna eorum per Proceres Hungariae cum Oratore Regis Poloniae conditæ. Dat. Budae tertia die Resurrectionis Domini An. 1472. Ex Originali. cum Sigil. Matkiae Regis, & aliis Sigil. 54. Extat in Archivo Cancell. Regni Lib. 5. n. 6. fol. 73.*

1472. *Declaratio, & Limitatio earundem Induciarum, per Proceres Regni Poloniæ facta, quod non integrum annum, sed solum ad diem 24. Jun. eiusdem Anni duraturae sint, quo die Conventus Consiliariorum Regni Poloniae, Bohemiae, & Hungariae agi debet ad tractandum de Pace perpetua. Dat. Cracoviae feria quarta proxima ante Dominicam Cantate. An. 1472. Ex Originali. Sigill. 30. Extat in Archivo Cancell. Regni. Lib. 5. n. 6. Lit. E. fol. 73.*

1472. *Induciae inter Casimirum Regem Poloniae, & Natos eius, Vladislaum Regem Bohemiae Primogenitum, & Casimirum secundo genitum ex una, & Mathiam Regem Hungariae parte ex altera, per Marcum Cardinalem, Legatum Apostolicum sub interminatione anathematis indictae. Dat. in Sandecz 20. Octobr. An. 1472. Ex Originali. Extat. in Archivo Cancel. Regni Lib. 5. nro 6. fol. 92.*

1473. *Marcus Cardinalis Legatus Apostolicus, prorogat Inducias inter Mathiam Regem Hungariae &c. & Casimirum Poloniae &c. Regem, nec non Filios Eius Vladislaum primo, & Casimirum secundo Genitos, ac Regna eorum sub Censuris Ecclesiasticis. Dat. Nissæ 14. Apr. An. 1473. Ex Originali.*

1474. *Mathiae Regis Hungariae Mandatum ad tractandum cum Consiliariis Regni Poloniae de Pace & Fœdere. Dat. in Eperies feria quarta inter Octavas Festi Epiphaniarum Domini An. 1474. Ex Orginali.*

ANNO 1474. *Fœdus Pacis perpetuae inter Mathiam Hungariae &c. & Casimirum Poloniae Reges, & Regna eorum per Consiliarios utriusque sancitum. Dat. in Antiqua Villa feria secunda proxima ante Festum Cathedrae B. Petri Apostoli An. 1474. Ex Originali Sigill. 6. Extat in Archivo Cancell. Regni. Lib. Legationum sub Lit. C. fol. 29.*

1474. *Mathias Hungariae &c. Rex ratos habet Articulos Pacis perpetuæ inter se, & Casimirum Regem Poloniae, per Consiliarios utriusque Regni concluso, eosque se servaturum promittit. Dat. Bathffe die Dominico proximo post Festum B. Mathiae An. 1474. Ex Originali.*

1474. *Approbatio, & Confirmatio eiusdem Fœderis per Ordines Regni Hungariae facta. Dat. Budae 23. Apr. Anno 1474. Ex Originali Sigil. 25.*

1477. *Mathias Rex Hungariae Nicolaum Episcopum Varmiensem Regi, & Regno Poloniae subiectum in suam protectionem suscipit, eique contra praefatum Poloniae Regem auxilio se futurum promittit. Dat. 12. Mart. An. 1477. Ex Originali.*

1479. *Articuli Pacis, & Concordiae inter Casimirum Poloniae, & Mathiam Hungariae Reges per Oratores utriusque conclusae. Conventus pro componendis omnibus penitus inter Regna Poloniae, & Hungariae controversiis Siradiæ constituitur. Magister Ordinis Conditionibus Pacis perpetuae Anni 1466. stare debet. Rex Hungariae conabitur efficere, ut Nicolaus Episcopatu Varmiensi se abdicet, accipiatque Ecclesiam Culmensem in titulum, & Pomesanienſem in Commendam. Magister Ordinis & dictus Episcopus hos Articulos Pacis confirmaturi Regem Poloniae adibunt, & ab eo in gratiam recipientur, &c. Dat. Budæ feria sexta proxima ante Dominicam Ramis Palmarum An. 1479. Ex Originali Sigil. 3.*

1491. *Fœdus inter Vladislaum Regem Hungariae, & Bohemiae, ac Albertum Fratrem eius authoritate Patris Casimiri Poloniae Regis confectum, quo Vladislaus Rex Hungariæ declaratur, & Alberto Fratri suo Ducatus Glogovienſem, & Saganenſem, cum expectativa in Ducatum Olsnenſem tradit. Dat. inter Exercitus utriusque partis prope Civitatem Cassovienſem in Dominica Invocavit. An. 1491. Ex Originali. Extat in Archivo Cancel Regni, Lib. Legationum sub Lit. C. fol. 35.*

ANNO 1492. *Fœdus inter Vladiſlaum Hungariæ, & Bohemiæ, & Joannem Albertum Poloniæ Reges, Fratres, contra quosvis hoſtes, atque etiam contra Subditos utriuſque, ſi rebellarent, aut Jura Regalia iniuſte extorquerent. Dat. Budæ 5. Decembr. An. 1492. Ex Originali.*

1498. *Tractatus Fœderis perpetui inter Joannem Albertum Poloniæ, & Vladiſlaum Hungariæ, & Bohemiæ Reges, nec non Alexandrum, Magnum Ducem Litvaniæ, Fratres, per Oratores Regis Hungariæ concluſi, quo ſibi mutua ſubſidia contra omnes hoſtes pollicentur, & contra Sultanum Turcarum, ſi eis grave bellum inferret ſe in perſonis ſuis, cum omni potentia ſua auxilio ſibi invicem venturos promittunt. Rex Poloniæ rogatione Regis Hungariæ in gratiam recipit Stephanum Woiewodam Moldaviæ &c. Dat. Cracoviæ 20, Julii An. 1498. Ex Originali. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. Legationum ſub Lit. C. fol. 137. Item Lib. 9. n. 10. fol. 108.*

1498. *Joannes Albertus Poloniæ Rex ratos habet Articulos Fœderis inter ſe, & Vladislaum Hungariæ &c. Regem, nec non Alexandrum Magnum Ducem Litvaniæ, per Oratores Regis Hungariæ concluſi. Dat. Cracoviæ 20. Julii An. 1498. Ex Archivo Regni Lib. 9. n. 10. ſub Lit. I. fol. 8. & fol. 108. Item Lib. Legationum ſub Lit. C. fol. 137. Item Lib. 32. ſub Lit. H H. n. 33. fol. 170.*

1498. *Approbatio, & Confirmatio eiuſdem Fœderis per Proceres Regni Poloniæ facta. Dat. Cracoviæ 21. Julii An. 1498. Ex Archivo Regni Lib. ſub. Lit. HH. fol. 172.*

1498. *Reverſales Literæ Vladiſlai Hungariæ &c. Regis, quibus Fœdus inter ſe, & Joannem Albertum Regem Poloniæ, nec non Alexandrum, Magnum Ducem Litvaniæ per Oratores ſuos concluſum approbat, & ratificat. Dat. Budæ 1. Auguſti. An. 1498. Ex Archivo Regni Lib. ſub. Lit. HH. fol. 171.*

1498. *Vladiſlai Hungariæ, & Bohemiæ Regis Mandatum Oratoribus ſuis ad Joannem Albertum Regem Poloniæ Fratrem, pro reſtauranda Pace perpetua miſſis datum. Budæ 8. Decembr. An. 1498. Ex Originali.*

1499. *Inſtauratio, & Declaratio Fœderis perpetui inter Joannem Albertum Poloniæ, & Vladiſlaum Hungariæ, & Bohemiæ Reges, Fratres, ac Regna eorum, & Magnum Ducatum Litvaniæ concluſi. Stephanus Woiewoda Moldaviæ utrique Regi contra Turcos bellum moventi, cum omni potentia ſua præſto adſit, vel ſi ipſe ægritudine impeditus fuerit, Filium ſuum mittat. Neuter paciſcentium ſine altero, Sultano Turcarum bellum denuntiet, aut Pacem cum eo faciat, contra quem ſi cum potenti Exercitu adverſus alterutrum veniret, aut Baſſam aliquem mitteret, uterque Regum cum omnibus viribus ſuis in Perſona ſua alter alteri ſubſidia ferat. Dat. Cracoviæ 14. April. An. 1499. Ex Archivo Regni Lib. 9. ſub Lit. J. n. 10. fol. 139. Item Lib. H H. fol. 187.*

ANNO 1499. *Exemplar eiuſdem Fœderis ex parte Oratorum Regis Hungariæ. Dat. Cracoviæ Feria tertia proxima poſt Feſtum Beatorum Tiburtii, & Valeriani Martyrum An. 1499. Ex Originali. Sigil. 3.*

1499. *Approbatio, & Confirmatio eiuſdem Fœderis per Proceres Regni Hungariæ facta. Dat. Budæ feria quarta proxima ante Feſtum Pentecoſtes. Anno 1499. Ex Originali Sigill. 37.*

1507. *Fœdus perpetuæ Pacis, Amicitiæ, Unionis, Societatis, & Conſœderationis contra omnes Hoſtes inter Vladiſlaum Hungariæ, & Bohemiæ, ac Sigiſmundum, Poloniæ Reges, Fratres, nec non Hæredes, Regna, & Dominia eorum, præſertim vero inter Hungariam, Poloniam, & Magnum Ducatum Litvaniæ, per Oratores Regis Poloniæ concluſum, quo ſuperſtitibus iisdem Regibus, & eorum prole maſculina legitima, Moldavia Regno Hungariæ aſſeritur, ne vero extinctis Regum Hæredibus, bellum inter Poloniæ & Hungariæ Regna de hac Provincia oriatur, in futuro Conventu de ea conſtitui debet. Palatinus Valachiæ utrique cum Exercitu contra hoſtes aſſiſtet. Neuter Regum inſcio altero cum Turca Pacem faciet. Contra quem ambo Reges cum omni potentia ſua, mutuo ſibi auxilia ferent. Cætera. Dat. Budæ feria ſexta proxima ante Feſtum SSS. Trinitatis An. 1507. Ex Originali. ſub Sigil. Regis Vladiſlai, & aliis 18. Sigil. Conſiliariorum.*

1507. *Exemplar eiuſdem Fœderis ex parte Oratorum Regis Poloniæ. Dat. Budæ feria ſecunda proxima poſt Feſtum SSS. Trinitatis. An. 1507. Ex Originali Sigil. 4.*

1509. *Approbatio, & Ratificatio eiuſdem Fœderis per Sigiſmundum Regem Poloniæ, in Conſilio Generali Piotrcovienſi facta, die 1. April. An. 1509. Ex Originali cum Sigillo Sigiſmundi Regis, & aliis 33. Sigil. Conſiliariorum*

1510. *Sigiſmundi Regis Poloniæ Literæ plenæ poteſtatis, ad componendas controverſias inter confines Poloniæ, & Hungariæ Commiſſariis datæ die 1. Octobr. An. 1510 Ex Archivo Theſauri Regni.*


*Sigiſmun-*

ANNO 1512. *Sigismundus Rex Legatos mittit ad desponsandam sibi Illustrissimam Barbaram Stephani de Zapolia, Comitis perpetui Scepusiensis, & Regni Hungariæ Palatini Filiam. Dat. Cracoviæ 13. Januar. An. 1512. Ex Archivo Regni Lib. 17. n. 18. fol. 99.*

1512. *Dotis, & Dotalitii Serenissimæ Barbaræ Reginæ Poloniæ in certis Bonis collocatio. Act. Cracoviæ die 10. Febr. An. 1512. Ibidem fol. 110.*

1512. *Serenissimæ Barbaræ Reginæ Poloniæ Recognitio satisfactionis per Matrem, ac Germanos de Bonis omnibus sibi factæ. Ibidem fol. 130.*

1527. *Joannes Coronatus Hungariæ Rex approbat Conditiones Induciarum inter se, & Ferdinandum Hungariæ, & Bohemiæ Regem, per Oratorem Sigismundi Poloniæ Regis, cum eodem Ferdinando Rege conditas. Dat. Budæ 14. die Mensis April. An. 1527. Ex Archivo Thesauri Regni.*

1527. *Salvus Conductus Oratoribus Joannis Regis ad Conventum Olomucensem, ad tractandam Concordiam & Pacem missis, per Sigismundum Regem Poloniæ, nomine Regis Ferdinandi datus cum plena securitate. Dat. Cracoviæ Sabbatho proximo ante Dominicam Conductus Paschæ. An. 1527. Ex Archivo Thesauri Regni.*

1527. *Sigismundus Rex Poloniæ Legatos, & Mandata mittit, ad tractandam Pacem inter Joannem Hungariæ & Ferdinandum Bohemiae Reges. Dat. Cracoviæ Sabbatho proximo ante Dominicam Conductus Paschæ An. 1527. Indidem.*

1527. *Sigismundus Rex ad Prælatos & Barones Regni Hungariæ. Pollicetur se postulatis eorum satisfacturum mittendo Oratores suos ad ipsorum Conventum Generalem. Dat. Cracoviæ 31. Octobr. An. 1527. Indidem.*

1530. *Sigismundi Regis Poloniæ Literæ plenæ potestatis ad tractandam Concordiam inter Joannem Hungariæ, & Ferdinandum Bohemiæ Reges. Dat. Cracoviæ 9. Septembr. An. 1530. Ex Archivo Thesauri Regni.*

1530. *Conditiones Induciarum unius Anni, inter Joannem, & Ferdinandum Reges, per Oratores Sigismundi Regis Poloniæ, & Georgii Ducis Saxoniæ propositæ. Ex Archivo Regni. Lib. 33. Lit. I. I. n. 34. fol. 264.*

1530. *Ferdinandus Hungariae, & Bohemiae Rex approbat Inducias unius Anni inter se, & Joannem Regem, per Sigismundum Regem Poloniæ, & Georgium Ducem Saxoniæ Mediatores, conclusas. Dat. in Ehingum die 25. Novembr. An. 1530. Ex Archivo Regni.*

ANNO 1530. *Responsum a Sigismundo Rege Poloniæ datum Oratoribus Ferdinandi, & Joannis Regum Hungariæ. Indidem.*

1531. *Capitula Conditionum, quibus Maiestas Regia Poloniæ Arces in Sequestrum per Annum recipiet, iuxta Pacta, & Conclusiones in Vischegrad factas. Act. & Dat. Cracoviæ die 1. Julii An. 1531. Indidem.*

*De Castris quatuor in Hungaria in Custodiam recipiendis.*

1531. *Sigismundi I. Regis Poloniæ ex compromisso Ferdinandi & Joannis Regum de Regno Hungariæ dissidentium, Decretum, quo statuit, ut Joannes Rex Oppidum Molubach cum aliis Castris, quæ in Transylvania ceperat, sibi in sequestrum consignet. Act. & Dat. Cracoviæ 17. Julii. Anno 1531. Ex Archivo Regni.*

1532. *Literæ Regnicolarum, & Procerum, omnium Ordinum Regni Hungariæ ad Status, & Ordines Regni Poloniæ. Dat. in Kenesse in Festo Epiphaniarum An. 1532 Ex Archivo Regni.*

1538. *Edictum Sigismundi I. Regis Poloniæ, quo interdicit Commercia cum Hungaria, & Silesia. Dat. in Conventione Generali Piotrcovienſi, feria quinta ante Dominicam Invocavit. An. 1538. Ex Archivo Regni Lib. 41. n. 42. fol. 397.*

1539. *Pacta Matrimonialia inter Joannem Regem Hungariæ & Serenissimam Principem Isabellam, Sigismundi I. Regis Poloniæ Filiam. Dat. Cracoviæ 1. Januar. An. 1539. Ex Archivo Regni Lib. sub Lit. RRR. fol. 239. Item Lib. Legationum sub Lit. F. fol. 61.*

1539. *Sigismundus I. Pater, & Sigismundus II. Filius Reges Poloniæ, promittunt se soluturos ad tempora in his Literis præstituta, Dotem Serenissimæ Principis Isabellæ, ut primum securitati huius Dotis, & Contradotis a Joanne Rege Hungariæ cautum fuerit. Dat. Cracoviæ 1. Febr. An. 1539. Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. F. fol. 95.*

1539. *Obligatio Bonæ Reginæ Poloniæ, Oratoribus Regis Hungariæ in eodem negotio data. Dat. Cracoviæ 1. Febr. An. 1539. Ex Archivo Regni Lib. Legationum sub Lit. F. fol. 66. Item Lib. sub Lit. RRR.*

1539. *Oratorum Regis Hungariæ Reversales Contractus Matrimonii inter Joannem Regem Hungariæ, & Serenissimam Isabellam Sigismundi I. Poloniæ Regis Filiam initi. Dat. Cracoviæ 29. Januar. An. 1539. Ex Archivo Regni. Lib. Legationum sub Lit. F. fol. 68. Item*

*Lib. Legationum ſub Lit. RRR. fol. 243.*

ANNO 1539. *Literæ Joannis Regis Hungariæ, quibus teſtatur Reginam Iſabellam Conſortem ſuam renuntiaſſe Succeſſioni Paternæ, & Maternæ. Dat. Budæ. An. 1539. Ex Archivo Regni Lib. Legationum ſub Lit. F. fol. 73.*

1539. *Reſponſum S. R. Maieſtatis Poloniæ ad Legationem Ferdinandi Rom. Hungariæ, Bohemiæ, &c. Regis, quo cauſas exponit, cur ſubditis Regni ſui uſum Commercii cum Hungaria & Sileſia interdixerit. Ex Archivo Regni Lib. Legationum ſub Lit. F. fol. 83.*

1540. *Literæ Joannis Hungariæ Regis, quibus recognoſcit ſe accepiſſe a Sigiſmundo Rege Poloniæ pro Dote Filiæ eius Iſabellæ triginta duo millia aureorum Hungaricalium, & in paraphernis triginta octo millia aureorum, præfatamque Reginam Iſabellam renuntiaſſe Succeſſioni Paternæ, & Maternæ. Dat. Budæ in Dominica Reminiſcere An. 1540. Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. G. Fol. 62. Item. Lit. F. fol. 73.*

1540. *Dotis, & Dotalitii Sereniſſimæ Reginæ Iſabellæ, in certis Oppidis, & Arcibus per Joannem Regem Maritum eius collocatio. Dat. Budæ in Dominica Reminiſcere. An. 1540. Ex Archivo Regni. Lib. Legationum ſub Lit. G. fol. 60.*

1540. *Joannis Regis Promiſſio, quod Arcem Debreczen Reginae Iſabellae Dotis, & Contradotis nomine obligatam, intra ſpatium duorum Annorum de manibus alienis redimet. Dat. Budae in Dominica Reminiſcere An. 1540. Ex Archivo Regni. Ibidem fol. 75.*

1540. *Eiuſdem obligatio de Juramento per Præfectos Arcium Reginæ Iſabellae Obligatarum, eidem præſtando. Dat. Budae in Dominica Reminiſcere. Ibidem.*

1540. *Reverſales Oratoris Sigiſmundi I. Regis Poloniæ, quibus Inſcriptionem, & Obligationem Dotis, & Contradotis Reginae Iſabellae, a Joanne Rege factam approbat, & ratificat. Dat. Budae 25. Febr. An. 1540. Ex Archivo Regni. Lib. Legationum Lit. G. fol. 66.*

1540. *Eiuſdem promiſſio ſolutionis reliquae Dotis Dat. Budæ 28. Febr. An. 1540. Ibidem.*

1540. *Sigiſmundus Poloniae Rex. ratam habet Inſcriptionem & Obligationem Dotis, & Contradotis in Perſonam Reginæ Iſabellae Filiæ ſuae factam. Ibidem.*

1540. *Praefecti Arcium Sereniſſimae Iſabellae Hungariae Reginae Juramento fidelitatis obligantur. Dat. Budae 12. Menſis April. Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. F. fol. 145.*

1542. *Iſabellae Reginae Hungariae Approbatio, & Ratificatio Conditionum Pacis inter ſe, & Ferdinandum Rom. &c. Regem per Commiſſarios ab utraque parte delegatos ſancitae. Arx Scepuſienſis cum omnibus Civitatibus, Oppidis, & Villis ad eam ſpectantibus Reginae Iſaballae tradetur, ac praeterea duodecim millia florenorum Hungaricalium eidem in Annos ſingulos ſolventur. Alias vero Arces, quas illa in Hungaria & Tranſylvania poſſidet, Ferdinandus recipet, cui etiam praefata Regina Coronam Sacram Hungariae, qua Reges legitime electi coronari ſolent, reſtituet. Dat. Albae Juliæ die 26. Menſis Jul. An. 1542. Ex Archivo Regni Lib. Legationum ſub Lit. L. fol. 51.*

*Reſponſum Sacrae Rom. Maieſtatis ad Nuntium Sereniſſimi Principis Domini Poloniae Regis, in negotio differentiarum Subditorum eius cum Hungaris. Ex Archivo Regni Lib. 12. Lit. M. n. 13. fol. 40.* ANNO 1548.

*Inſtructio Commiſſariis ad Conventum Scepuſienſem delegatis data, die 16. April. An. 1549. Ibidem.* 1549.

*Sigiſmundi Auguſti Regis Poloniæ Mandatum, ad componendam Pacem inter Maximilianum Imp. & Joannem Electum Hungariae Regem Oratori ſuo datum. Varſaviae 26. April. An. 1570. Ex Archivo Regni Lib. Legationum ſub Lit. F. fol. 220.* 1570.

## AUSTRIA.

*Confœderatio inter Duces Auſtriae, Rudolphum, Fridericum, Albertum & Leopoldum, nec non Meinhardum Bavariae Ducem ab una, & Ludovicum Hungariae, atque Caſimirum Poloniae Reges a parte altera. Qua illi dictos Reges, Haeredes, & Terras eorum contra omnes homines cunctis viribus & ſubſtantia defendere, atque adiuvare promittunt, uti & ad nullam Brigam, vel Gverram abſque communi conſenſu movendam ſe obligant. Dat. Poſonii ultima die Decembr. An. 1362. Ex Exemplari Authentico, quod extat in Tabulario Illuſtris D. Comitis Zaluſki Referendarii Regni.* 1362.

*Erneſtus Dux Auſtriae ſuo, & Friderici Fratris nomine compromittit in Vladiſlaum Regem Poloniae de controverſiis, quas cum Sigiſmundo Rom. Rege habet. Dat. Neoſtadii die Sabbathi poſt Feſtum S. Jacobi Apoſtoli An. 1412. Ex Originali Sigil. 2.* 1412.

*Compromiſſum Sigiſmundi Rom. Regis, quo omnes ſuas cum Ducibus Auſtriae Controverſias Vladiſlai Regis Poloniae arbitrio* 1412.

bitrio submittit, eiusque iudicio se obtemperaturum, pollicetur. Dat. Budæ die proxima Sabbathi post Festum S. Jacobi Apost. An. 1412. Ex Originali.

ANNO 1439. *Alberti Rom. Hungariæ, Bohemiæ &c. Regis Literæ plenæ potestatis Oratoribus suis datæ ad conficiendam Pacem perpetuam cum Vladislao Rege Poloniæ. Dat. Strigonii Sabbatho post Festum S. Galli An. 1439. Ex Archivo Regni Lib. 38. n. 39. fol. 1.*

1453. *Casimirus Rex Poloniæ ratas habet Conditiones Contractus Matrimonialis inter se, & Elisabeth Alberti Rom. Regis Filiam, Ladislai Hungariæ, & Bohemiæ Regis Sororem per Oratores suos initi. Dat. Cracoviæ die 12. Mensis August. An. 1453. Ex Originali.*

1453. *Ladislai Hungariæ & Bohemiæ Regis Contractus eiusdem Approbatio, & Promissio, quod stabit conditionibus in eo expressis sub pœna centum millium florenorum. Dat. Viennæ 12. Mensis August. An. 1453. Ex Archivo Regni Lib. 3. n. 4. fol. 5.*

1453. *Literæ eiusdem, quibus Casimiro Regi Poloniæ Dotem centum millium aureorum Hungaricalium intra trium annorum spatium, sub pœna dupli se soluturum promittit, quod si non præstiterit, integrum erit Regi, & Coronæ Poloniæ in Terras, & Civitates eius invadere, easque retinere, usque dum tota simul ducentorum millium aureorum summa, eidem persolvatur. Dat. Viennæ 12. Aug. An. 1453. Ex Originali. Extat. in Archivo Cancell. Regni Lib. 3. Lit. C. n. 4. fol. 7. Item Lib. 5. n. 6. fol. 51.*

1453. *Casimiri Regis Poloniæ cum Ladislao Hungariæ &c. Rege Conventio, qua consentit, ut respectu summæ centum millium aureorum Hungaricalium sibi debitorum, Ducatus Austriæ ad solvenda tantum triginta duo millia hypothecæ nomine sit obligatus. Dat. Cracoviæ. die Mensis Aug. An. 1453. Ex Archivo Regni. Lib. 7. Lit. G. n. 8. fol. 104.*

1454. *Regina Elisabeth abdicat se omni Jure Successionis in Ducatum Austriæ, eique annexas Provincias, conditionibus, quæ in his Literis exprimuntur. Ex Originali. Extat in Archivo Cancell. Regni Lib. 7. n. 8. fol. 116. Item Lib. 5. n. 6. fol. 50.*

1461. *Literæ Casimiri Regis Poloniæ, quibus Reginæ Elisabeth Consorti suæ, Dotis, et Donationis propter Nuptias nomine certos Terrarum tractus, Civitates, Oppida, & Villas obligat. Dat. in Nova Civitate Korczyn in Conventione Generali Sabbatho ante Festum S. Lu-*



*ciæ An. 1461. Ex Archivo Regni Lib. 17. n. 18. fol. 84.*

*Fœdus amicitiæ, Fraternitatis & Unionis inter Casimirum Regem Poloniæ, & Albertum Archiducem Austriæ conclusum, salvo Jure Regis Poloniæ exigendi a Domo Austriaca summam ducentorum millium aureorum nummorum sibi debitam, Literisque Ladislai Hungariæ, & Bohemiæ Regis hac de re (An. 1453) datis, integris manentibus. Dat. Posnaniæ feria secunda in crastino Sanctæ & Individuæ Trinitatis. An. 1462. Ex Archivo Regni Lib. 3. Lit. C. n. 4. fol. 546.* ANNO 1462.

*Tabulæ eiusdem Fœderis ex parte Alberti Archiducis Austriæ, Dat. in Homicz die 20. Mensis Septembr. An. 1462. Ex Originali. Extat in Archivo Cancell. Regni. Lib. 3. n. 4. fol. 497.* 1462.

*Tractatus Fœderis perpetui inter Fridericum III. Imp. Hungariæ, &c. Regem, nec non Casimirum Poloniæ Regem, ac inter Liberos, Hæredes, Regna & Subditos utriusque concluſi, quo pro suo, & Successorum suorum honoris, dignitatis, ac Statuum incremento, mutuam sibi opem, auxilia, & defensionem promittunt. Dat. in Gretz die 20. Mensis Octobr. An. 1470. Ex Originali. Extat in Archivo Regni Lib. 8. Lit. H. n. 9. fol. 180.* 1470.

*Literæ Friderici Imp. quibus pollicetur se summam triginta duorum millium aureorum Hungaricalium iam olim Casimiro Poloniæ Regi ex Ducatu Austriæ debitam, intra spatium unius Anni eidem exsoluturum. Dat. Græcii 13. Octobr. An. 1471. Ex Originali.* 1471.

*Confœderatio inter Fridericum Imp. & Casimirum Regem Poloniæ, contra Mathiam Hungariæ Regem, qua tempus expeditionis condicunt, atque ut durante hoc bello uterque eorum in Castris suis præsto adsit, invicem se obligant. Dat. Nurembergæ 13. Mensis Martii An. 1474. Ex Originali. Sigill. 2.* 1474.

*Confœderatio inter eosdem præcedenti similis. Dat. in Civitate Augustensi feria quarta infra Octavam Visitationis MARIAE Virginis An. 1474. Ex Originali cum Sigill. Imp.* 1474.

*Sigismundus Rex Poloniæ Maximiliano Imp. pro agendo Viennæ personali Conventu. Dat. Posonii die 7. April. An. 1515. Ex Archivo Regni.* 1515.

*Sigismundi Poloniæ Regis Conditionum Pacis, & amicitiæ inter se, & Maximilianum Imp. cum Matthæo Cardinali Gurcensi, Oratore Imperiali in Conventu Posoniano conditarum Approbatio.* 1515.

*Dat. Posonii 20. Mensis Maji. Anno 1515. Ex Originali. Extat in Archivo Cancell. Regni Lib. 19. Lit. T. n. 20. fol. 24.*

ANNO 1515. *Articuli Contractus duplicis Matrimonii inter Vladislai Hungariae & Bohemiæ Regis Filium Ludovicum & Maximiliani Imp. Neptem Mariam, ac inter Maximiliani Nepotem Ferdinandum, et Vladislai Filiam Annam, per Sigismundum Regem Poloniæ approbati. Dat. Posonii die 20. Mensis Maji An. 1515. Ex Originali. Extat. in Archivo Regni Lib. 19. n. 20. fol. 27. Item Lib. sub Lit. V. fol. 20.*

1515. *Diploma Maximiliani Imp. quo Ludovicum Regem de consensu Vladislai Hungariæ, & Bohemiæ Regis Patris, ac Sigismundi Regis Poloniæ eius Patrui, in Filium suum arrogat, atque in Familiam Domus Austriacæ adsciscit, eumque Imperii Vicarium Generalem, & suum in eodem Imperio Successorem constituit. Dat. in Civitate Viennæ die 20. Julii An. 1515. Ex Archivo Regni.*

1515. *Renovatio, & Confirmatio Amicitiæ, & Fraternitatis inter Maximilianum I. Imp. & Sigismundum Regem Poloniæ in Conventu eorundem personnali facta. Magister Prussiæ cum suo Ordine Regi, & Regno Poloniæ perpetuo obnoxius, eisdem Juramentum fidelitatis, & obedientiæ, juxta Fœderis An. 1466. percussi Formulam præstabit. Rex Poloniæ permittit, ut ad Ordinem Teutonicum soli Germani recipiantur. Camera Judicii Imperialis Civitates Gedanensem, & Elbingensem bannire, & infestare deinceps non audebit. Imperator Moscho contra Regem, & Regnum Poloniæ non auxliabitur &c. Dat. in Civitate Viennensi die 22. Mensis Jul. An. 1515. Ex Originali.*

1515. *Maximilianus Imp. Magistrum Prussiæ, ad homagium Sigismundo Regi, & Regno Poloniæ præstandum hortatur, simulque Gedanum, ac Elbingam ex Banno dimittit. Dat. in Civitate Viennensi die 22. Mensis Jul. An. 1515. Ex Originali. Vide Cod. Dipl. Volumen III. sub An. 1515.*

1515. *Instrumentum publicorum Notariorum, quo continetur Maximiliani Imp. & Annæ Vladislai Hungariæ, & Bohemiæ Regis Filiæ Protestatio, quod licet Contractum inter se Matrimonialem per verba de præsenti facere intendant, si tamen intra annum Ferdinandus Archi-Dux Austriæ, vel Carolus Dux Burgundiæ, & Hispaniarum Princeps eandem Dominam Annam sibi desponsare voluerit, præsens Contractus Matrimonii pro casso, & nullo haberi debeat. Act. in Arce Viennensi die 22. Mensis Julii. An. 1515. Ex Originali.*

*Pacta Matrimonialia inter Ludovicum Hungariæ Regem, & Mariam Philippi Hispaniarum Regis Filiam, atque inter Maximilianum Imp. & Annam Ladislai Hungariæ, & Bohemiæ Regis Filiam inita hac conditione, quod licet inter se per verba de præsenti contraxerint, si tamen Ferdinandus Archidux Austriæ, vel Carolus Dux Burgundiæ, & Hispaniarum Princeps præfatam Dominam Annam intra spatium unius anni a dato præsenti in Uxorem ducere vellet, præsens Contractus inter Maximilianum, & dictam Annam pro casso, & nullo haberi debeat, hoc vero non eveniente, intra trimestre post, & supra annum a die præsentis Contractus computando, idem per cohabitationem coiugalem inter ipsos consummandus sit. Act. Viennæ 22. Jul. 1515. Ex Originali.* ANNO 1515.

*Carolus V. Imp. Ferdinando Archiduci Austriæ plenam facit potestatem innovandi, & confirmandi Pacta, Conventiones, & Fœdera inter S. R. Imperium, & Domum Austriæ, ac Sigismundum Poloniæ Regem, suosque Antecessores inita. Dat. in Oppido Vallisoleti die 18 Mensis Martii An. 1523. Ex Archivo Regni.* 1523.

*Responsum a Sigismundo Rege Poloniæ Nuntiis Cæsaris Caroli V. An. 1526.* 1526.

*Ferdinandi Bohemiæ Regis Declaratio Articulorum Fœderis inter Casimirum Poloniæ, & Georgium Bohemiæ Reges, An. 1462. initi, sibique per Oratorem Sigismundi Poloniæ Regis exhibiti. Articulum primum de Societate belli contra Turcas, ad Ordines Regni sui reiicit, alterum vero de Societate contra omnes, exceptione Caroli Imp. Fratris sui restringit. Articulum denique de Judicibus, qui Controversias in finibus utriusque Silesiæ, & utriusque Poloniæ dirimant, ita intelligi vult, ut ii de communi partium consensu eligantur. Dat. Pragæ Feria quarta post Dominicam Oculi. An. 1527. Ex Originali Videtit. Bohemia ad An. 1527 fol. 30.* 1527.

*Mandatum Ferdinandi Hungariæ, & Bohemiæ Regis Oratoribus suis datum ad contrahendum Matrimonium inter Filiam suam Elisabeth, & Sigismundum II. Sigismundi I. Regis Poloniæ Filium. Dat. in Civitate Imperiali Augusta die 22. Mensis Octobris An. 1530. Ex Originali. Extat in Archivo Regni Lib. 32. n. 34. fol. 26.* 1530.

*Sigismundus Rex Oratoribus suis dat plenam potestatem ad ineundum Contractum Affinitatis, & Matrimonii inter suos, & Fer-* 1530.

*& Ferdinandi Hungariæ, & Bohemiæ Regis Liberos. Dat. Cracoviæ 9. Septemb. An. 1530. Ex Archivo Thesauri Regni.*

ANNO 1530. *Conditiones futuri Matrimonii inter Sigismundum II. Sigismundi I. Poloniæ Regis Filium, & Dominam Elisabeth Ferdinandi Hungariæ, & Bohemiæ Regis Filiam, per Oratores utriusque Maiestatis in Conventu Posnanensi initæ, interposita pœna ducentorum millium aureorum per partem non facientem satis præsenti Contractui, parti tenere volenti solvendorum.. Act. & concluſum in Civitate Posnanensi die 10. Novemb. An. 1530. Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. D. fol. 175.*

1530. *Exemplar earundem Conditionum ex parte Oratorum Ferdinandi Regis. Act. in Civitate Posnania die 10. Nov. An. 1530. Ex Originali. Extat in Archivo Cancell. Regni. Lib. Legationum sub. Lit. F. fol. 87. Item Lib. 33. n. 34. fol. 261.*

1532. *Literæ Pauli Papæ III. in quibus continetur Clementis Papæ VII. Bulla Dispensationis, ut inter Sigismundum Augustum Regem, & Sereniſſimam Elisabeth, tertii consangvinitatis gradus impedimento, ac defectibus ætatum non obstantibus Sponsalia celebrari, & Matrimonium contrahi possit. Dat. Romæ die 25. Augusti An. 1532. Literæ vero Pauli Papæ III. Datæ Die 14. Decemb. Anno 1535. Ex Originali. Extat in Archivo Cancell. Regni Lib. Legationum Lit. L. fol. 129.*

1537. *Mandatum Sigismundi I. Patris, & Sigismundi II. Filii Regum Poloniæ Oratoribus suis datum, ad perficiendum Tractatum Matrimonii inter Sereniſſimam Elisabeth Ferdinandi Rom. Regis Filiam, & præfatum Sigismundum II. Regem Poloniæ. Dat. Cracoviæ Anno 1515. Ex Archivo Regni. Lib. Legationum sub Lit. F. fol. 43.*

1537. *Sigismundus II. promittit se ratum habiturum, quidquid per Sigismundum I. Patrem de eodem Matrimonio constitutum fuerit. Dat. Cracoviæ An. 1537. Ibidem.*

1538. *Compacta inter Ferdinandum Rom. Hungariæ, & Bohemiæ, Regem, & Sigismundum I. Poloniæ Regem in Conventione Glogovienſi pro tranquillo ſtatu Regnorum Bohemiæ, & Poloniæ per Commiſſarios ab utrinque delegatos facta, cum Ratificatione Ferdinandi Regis. Dat. Vratislaviæ 17 Jun. Anno 1538. Ex Archivo Regni Lib. Legationum sub Lit. S. fol. 14. Vid Boh. An. 1538. fol. 32.*

*Reſponſum S. R. M. Poloniæ ad Legationem Ferdinandi Rom. Hungariæ, Bohemiæ, &c. Regis, quo causas exponit, cur subditis Regni sui usum Commercii cum Hungaria & Sileſia interdixerit. Ex Archivo Regni. Lib. Legationum sub Lit. F. fol. 83. Vide tit. Bohemia ad Annum 1539. fol. 140.* ANNO 1539.

*Ferdinandus Rom: &c. Rex comprobat ea, quæ per Oratorem suum cum Sigismundo I. & Sigismundo Augusto Regibus Poloniæ condicta fuerunt de prorogatione Nuptiarum Sereniſſimæ Elisabeth, promittitque se daturum operam, ut Decretum Proscriptionis Alberti Marchionis Brandeburgenſis abrogetur, atque negotiorum Isabellæ Reginæ Hungariæ, & Filii eius rationem habiturum. Cætera. Dat. Viennæ 1. Jan. An. 1543. Ex Archivo Regni.* 1543.

*Conventio Sigismundi Augusti Regis Poloniæ cum Ferdinando Rom. &c. Rege, de Dote, Contradote, & Renuntiatione Sereniſſimæ Elisabeth Sponsæ suæ. Dat. Cracoviæ 14. April. 1543. Ex Originali. Extat in Archivo Cancell. Regni Lib. Legationum Lit. G.* 1543.

*Condonatio pœnæ ducentorum millium aureorum Hungaricalium a Sigismundo I. & Sigismundo Augusto Regibus Poloniæ, Ferdinando Rom. &c. Regi facta, & Prorogatio solutionis tertiæ partis summæ, Dotis nomine sibi ab eodem debitæ, ac adiecta clausula, quæ hic exprimitur. Dat. Cracoviæ die 17. Maii An. 1543. Ex Archivo Regni Lib. Legationum. Lit. G. fol. 239.* 1543.

*Fideiussio Commiſſariorum Ferdinandi Rom: Regis, quod si tertia pars Dotis Sigismundo II. Regi tempore in his Literis præstituto, numerata non fuerit, dilatio solutionis eiusdem nunc a præfato Rege permiſſa non debet præiudicare Contractui inter dictos Reges inito, quo cautum est, ut Pars non faciens satis Conditionibus Parti tenere volenti ducenta millia aureorum Hungaricalium persolvat. Dat. Cracoviæ die 17. Maii An. 1543. Indidem.* 1543.

*Ferdinandus Rom. Rex, Sigismundo Regi Poloniæ. Excusatione utitur, quod Dotem Sigismundo Augusto Regi ad tempus Pactis Matrimonialibus constitutum non miserit. Dat. Viennæ 14. August. An. 1544. Ex Originali.* 1544.

*Legatio a Cæsare Carolo V. ad Sigismundos Patrem, & Filium Reges Poloniæ, per Alfonsum de Aragonia Consiliarium & Oratorem Cæsaris dicta in Brzeſcie Litvaniæ die 2. Septem. An. 1544. Ex Archivo Regni.* 1544.

# INDEX


ANNO 1544. *Sigiſmundus Auguſtus Rex Poloniæ Ferdinando Rom. Regi ſocero ſuo. Ægre fert Dotem, contra Pacta Matrimonialia hucuſque ſibi non eſſe ſolutam. Dat. in Brzeście Litvanico die 21. Sept. An. 1544. Ex Archivo Regni.*

1544. *Sigiſmundi Auguſti Poloniæ Regis Literæ plenæ poteſtatis ad recipiendam omnem pecuniæ ſummam ex Contractu Matrimoniali a Ferdinando Rom. &c. Rege ſibi debitam. Dat. in Brzeście die 11. Oct. 1544. Ex Archivo Regni Lib. 51. n. 52. fol. 185.*

1544. *Inſtrumentum Notarii Publici, quo continetur Conſtitutio Procuratorum per Sigiſmundum Auguſtum Regem Poloniæ facta, ad exigendam a Ferdinando Rom. &c. Rege Dotem integram, nec non ſummam ducentorum millium Aureorum Hungaricalium multæ nomine ſibi ab eodem debitam. Ex Archivo Regni Lib. 51. n. 52. fol. 185.*

1545. *Quietatio Ferdinandi Rom. Regis de reddita dote Eliſabethæ Reginæ Sigiſmundi Auguſti Regis Conſorti. Dat. Cracoviæ die 10. Menſis Apr. Anno. 1545. Ex Archivo Regni Lib. 51. n. 52. fol. 188.*

1545. *Literæ Sigiſmundi Auguſti Regis Poloniæ, quibus Sereniſſimæ Eliſabeth Sponſæ ſuæ, Dotis, & Donationis propter Nuptias nomine, certos Tractus, Civitates, Caſtra, Oppida, & Villas inſcribit. Dat. Vilnæ Dominica Lætare An. 1545. Ex Archivo Regni Lib. 51. n. 52. Lit. Z. C. fol. 193.*

1545. *Renuntiatio Sereniſſimæ Reginæ Eliſabeth. Dat. Vilnæ Dominica Lætare An. 1545. Ex Archivo Regni Lib. 51. n. 52. fol. 197.*

1545. *Confirmatio Reformationis, & Renuntiationis, Sereniſſimæ Reginæ Eliſabeth per Sigiſmundum I. Regem facta. Dat. Cracoviæ feria ſexta poſt Dominicam Lætare. An. 1545. Ibidem fol. 198.*

1545. *Obligatio de Juramento Sereniſſimæ Reginæ Eliſabeth per Præfectos, & Incolas Terrarum eidem obligatarum præſtando. Dat. Cracoviæ Feria ſexta poſt Dominicam Lætare. Ibidem fol. 209.*

1545. *Recognitio Sigiſmundi Auguſti Regis, quod Dotem integram a Ferdinando Rom. Rege receperit. Dat. Cracoviæ feria 5. in Octava Corporis Chriſti An. 1545. Ex Archivo Regni Lib. 53. n. 54. fol. 131.*

1547. *Conventio, qua tranſactum eſt, ut pro bonis Paraphernalibus poſt mortem Reginæ Eliſabeth relictis, Sigiſmundus Auguſtus Rex Poloniæ triginta millia Aureorum Hungaricalium Ferdinando Rom. Regi exolvat. Dat. in Civitate Imperiali Auguſta die 26. Menſis Novemb. An. 1547. Ex Originali. Extat in Archivo Cancell. Regni Lib. Legationum Lit: O. fol. 113.*

*Recognitio Ferdinandi Rom. Regis, quod* ANNO
*triginta millia aureorum Hungaricalium* 1548.
*a Sigiſmundo Auguſto Rege, ex Tranſactione pro paraphernis, acceperit. Dat. Auguſtæ Vindelicorum die ultima Febr. 1548. Ex Originali.*

*Tractatus Fœderis inter Ferdinandum* 1549.
*Rom. Hungariæ ac Bohemiæ, & Sigiſmundum Auguſtum Poloniæ Reges, ac Regna, Provincias, Nationes, & Populos utriuſque concluſi, quo priora Pacta, & Fœdera inter Maiores ſuos inita renovant, & confirmant, ac mutua ſibi invicem contra omnes hoſtes auxilia promittunt. Milites alteri intra alterius Ditiones conſcribere liceat. Rex Poloniæ Nepoti ſuo Regis Hungarorum Filio, auxilium contra Ferdinandum non feret. Modus decidendi controverſias inter utriuſque Partis ſubditos præſcribitur. Moneta iuſto valore cudatur, eiuſque æſtimatio conſtituatur. &c. Dat. die 2. Jul. An. 1549. Ex Originali Sigil. 2.*

*Renovatio, & Confirmatio Pactorum, &* 1549.
*Fœderum inter Domum Auſtriæ, & Reges, ac Regnum Poloniæ initorum per Carolum V. Imp. facta eodem ordine, forma, modo, & tenore, iiſdemque verbis, quibus Ferdinandus Rom. Rex eadem Pacta, & Fœdera confirmavit, inſtauravit, & renovavit. Dat. Bruxellis die 12. Decemb. An. 1549. Ex Originali.*

*Pacta Matrimonialia inter Sigiſmundum* 1553.
*Auguſtum, & Catharinam Ferdinandi Rom. Regis Filiam, cuius Sponſor Pater, conſtituens Dotem centum millium florenorum Rhenenſium, intra unius Anni ſpatium ſub pœna dupli ſolvendorum. Dat. Viennæ die 23. Jun. An. 1553. Ex Originali.*

*Sigiſmundi Auguſti Regis Pactorum, &* 1553.
*Conventorum præcedentium Ratificatio, & Approbatio. Dat. Cracoviæ die 4. Aug. An. 1553. Ex Originali.*

*Idem fatetur ſe recepiſſe Dotem, centum* 1556.
*millium florenorum Rhenenſium, condonatque Ferdinando Rom. Regi multam, quam commiſerat, aliorum centum millium florenorum Rhenenſium. Dat. Varſav. die 18. Januar. An. 1556. Ex Archivo Regni. Lib. 69. n. 70. fol. 192.*

*Dotis, & Contradotis Sereniſſimæ Catha-* 1556.
*rinæ Reginæ Poloniæ in certis Terris, Civitatibus, Oppidis, & Villis Collocatio. Dat. Vilnæ die Dominico Reminiſcere. An. 1556. Ex Archivo Regni Lib. 70. n. 71. fol. 305.*


## *Acta Pacificationis Bithomienſis & Bendzinenſis.*


*Tractatus Pacis inter Rudolphum II.* 1589.
*Imper. Hungariæ, Bohemiæque Regem, & Maximi-*

ANNO 1589. *& Maximilianum Archiducem, universamque Domum Austriæ ab una, & Sigismundum III. Regem, atque Ordines Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ parte ab altera per Commissarios utrinque cum plena potestate delegatos conclusæ, quo Maximilianus inani paucorum studio in Regem Poloniæ Electus, prætenso Jure in hoc Regnum cedit, ac titulo Regis Poloniæ se abdicat. Dat. Bithomii, & Bendzini die 9. Martii An. 1589. Ex Originali. Sigil. 14.*

1589. *Ratificatio & Approbatio eiusdem Transactionis per Sigismundum III. Regem Poloniæ in Comitiis Regni Generalibus facta. Varsaviæ die 18. April. An. 1589. Ex Originali.*

1589. *Mandatum Ordinum Regni Poloniæ in eos, qui ad Juramentum, iuxta Conventionem Bendzinensem in Comitiis Generalibus delegati fuerunt. Act. Varsaviæ die 18. April. An. 1589. Ex Originali. Extat in Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. Lib. n. 167. fol. 78.*

1589. *Iuramentum Sigismundi III. Regis Poloniæ, quo eandem Transactionem confirmat. Dat. Lublini die 24. Maii An. 1589. Ex Originali.*

1589. *Juramentum Delegatorum ab Ordinibus Regni Poloniæ. Dat. Lublini die 24. Maii An. 1589. Ex Originali*

1589. *Rudolphi Imperatoris Ratificatio, & confirmatio eiusdem Transactionis. Dat. Pragæ die 26. Maii. An. 1589. Ex Originali.*

1589. *Tractatus Fœderis inter Rudolphum III. Imp. Hungariæ, &c. Bohemiæque Regem, ac Sigismundum III. Regem Poloniæ concluſi, quo priora Pacta, & Fœdera inter Domum Austriæ ac Reges & Regnum Poloniæ inita renovantur, instaurantur, & confirmantur. Dat. Pragæ die 26. Maii An. 1589. Ex Originali.*

1589. *Confirmatur Bendzinensis Transactio per Serenissimum Carolum Archiducem. Dat. in Civitate Gratz die 30. Maii An. 1589. Ex Originali.*

1589. *Confirmatio eiusdem Transactionis Serenissimi Mathiæ Archiducis. Dat. in Arce Lintzensi die 1. Junii An. 1589. Ex Originali.*

1589. *Confirmatio eiusdem Transactionis Serenissimi Ferdinandi Archiducis. Dat. Oeniponte die 5. Junii An. 1589. Ex Originali.*

1589. *Confirmatio Transactionis Serenissimi Ernesti Archiducis. Dat. Viennæ die 10. Junii An. 1589. Ex Originali.*

1589. *Juramentum Rudolphi Imp. quo eandem Transactionem confirmat. Dat. Pragæ die 10. Julii An. 1589. Ex Originali.*

*Juramentum Ordinum Regni Bohemiæ, Archiducatus Austriæ, Marchionatus Moraviæ, Ducatuum Silesiæ, & utriusque Marchionatus Lusatiæ, quo eandem Transactionem confirmant. Dat. Pragæ 10. Jul. An. 1589. Ex Originali.* ANNO 1589.

*Mandatum Ordinum Eorundem in eos, qui nomine illorum iurarunt, a Cæsarea Maiestate editum.* 1589.

*Rudolphus II. Imp. promittit se curaturum, ut Ordines Regni Hungariæ in proximis Comitiis Transactionem Bendzinensem, & Bithomiensem Juramento confirment, quam suo, & Regni sui Bohemiæ, nec non Austriæ, Moraviæ, & Silesiæ Ordinum Juramento iam confirmatam esse testatur. Dat. Pragæ die 14. Jul. An. 1589. Ex Originali.* 1589.

*Maximiliani Archiducis de Transactione per Ordines Hungariæ confirmanda, iisque, quæ ex eadem Transactione reliqua debentur, adimplendis Cautio. Dat. Vislicii 1. Sept. An. 1589. Ex Originali.* 1589.

*Regiæ Maiestatis ad summum Pontificem de conditionibus Transactionis Bendzinensis per Maximilianum Archiducum contra datam fidem non expletis Epistola. Dat. Varsaviæ 9. Jan. An. 1590. Ex Archivo Thesauri Regni.* 1590.

*Eadem de re ad Cæsaream Maiestatem. Dat. Varsaviæ die 7. Febr. An. 1590. Indidem.* 1590.

*Ad cæteros Serenissimos Archiduces uno exemplo. Dat. Varsaviæ die 7. Mart. An. 1590. Indidem.* 1590.

*Summi Pontificis Literæ, quibus ad Superiores Regiæ Maiestatis Literas respondet. Dat. Romæ die 10. Mart. An. 1590. Ex Originali.* 1590.

*Ferdinandi Archiducis ad Regiam Maiestatem Epistola. Dat. Oeniponte die 22. Martii An. 1590. Ex Archivo Thesauri Regni.* 1590.

*Ernesti Archiducis ad Regiam Maiestatem Epistola. Dat. Pragæ die 27. Mart. An. 1590. Ex Originali.* 1590.

*Literæ Rudolphi II. Imp. ad Sigismundum III. Regem. Postulat ut Oratori suo, quem mutuæ amicitiæ conservandæ causa mittit, fidem habet. Dat. Pragæ die 2. April. 1590. Ex Originali.* 1590.

*Caroli Archiducis ad Regiam Maiestatem. Dat. in Gratz die 3. April. An. 1590. Ex Originali.* 1590.

*Ad eundem Archiducis Mathiæ Literæ. Dat. Viennæ die 9 April. An. 1590. Ex Originali* 1590.

*Oratio Nomine Cæsareæ Maiestatis recitata a Daniele Printz a Buchau eiusdem Consiliario, & ad Serenissimum Poloniæ Regem Legato, die 23. April.* 1590.

*An. 1590. Ex Archivo Thesauri Regni.*

Anno 1590. *Responsum Sacræ Regiæ Maiestatis ad Legationem nomine S. Cæsareæ Maiestatis, a Magnifico Daniele Printzio a Buchau, Regni Bohemiæ Appellationum Consiliario, & eiusdem Cæsareæ Maiestatis Oratore expositam. Dat. Varsaviæ die 26. April. An. 1590. Indidem.*

1590. *Regiæ Maiestatis ad Rudolphum Imp. Literæ. Dat. Varsaviæ die 26. April. An. 1590. Indidem.*

1590. *Regiæ Maiestatis ad Ernestum Archiducem Literæ. Dat. Varsaviæ die 26. April. An. 1590. Indidem.*

1592. *Pacta Matrimonialia inter Sigismundum III. Regem Poloniæ, & Rudolphum II. Imperatorem per Oratores Regis Poloniæ conclusa, quibus Anna Caroli Archiducis Austriæ Filia, præfati Rudolphi Imp. Soror Sigismundo Regi in Matrimonium collocatur, cum Dote quadraginta quinque millium florenorum Rhenensium. Dat. Pragæ die 17. April. 1592. Ex Originali.*

1592. *Sigismundi III. Regis Pactorum eorundem Ratificatio, & Approbatio. Dat. Cracoviæ die 3. Junii An. 1592. Ex Archivo Regni Lib. 107. n. 108. fol. 141.*

1592. *Confirmatio Renuntiationis Annæ Reginæ Poloniæ per Sigismundum III. Regem Consortem suum facta. Dat. Cracoviæ die 3. Junii 1592. Ex Archivo Regni Lib. 107. n. 108. fol. 145.*

1593. *Dotis, & Contradotis Reginæ Annæ in certis Bonis collocatio. Dat. Varsaviæ in Conventione Regni Generali die 15. Junii An. 1593. Ex Originali. Extat in Archivo Regni Lib. 103. n. 104. fol. 582. Item in Archivo Magni Ducatus Litvaniæ Lib. n. 163. fol. 477.*

1598. *Maximiliani Archiducis Austriæ Transactionis Bendzinensis, & Bithomiensis Ratificatio, & Approbatio. Dat. Pragæ die 8. Maii An. 1598. Ex Originali.*

1598. *Eiusdem Juramentum de servanda eadem Transactione. Dat. Pragæ die 8. Maii 1598. Ex Originali.*

1598. *Juramentum Publicum publicorum Notariorum, quo præstiti ex Formula Transactionis Bendzinensis a Maximiliano Archiduce Juramenti testimonium dicunt. Dat. in Arce Pragensi die 8. Maii An. 1598. Ex Originali*

1598. *Literæ Rudolphi Imp. transmittentis Sigismundo III. Regi Poloniæ Ratificationem Transactionis a Maximiliano Archiduce factam, & Juramentum ex Formula eiusdem Transactionis ab eodem præstitum. Dat. Pragæ die 11. Maii An. 1598. Ex Originali.*

*Literæ Maximiliani Archiducis ad Sigismundum III. Regem Poloniæ, quibus ei significat se conditionibus, quae ad perficiendam Transactionem Bendzinensem adhuc restabant, iam satisfeciisse. Dat. Pragæ die 12 Maii An. 1598. Ex Originali.* Anno 1598.

*Philippi Hispaniarum Regis Transactionis Bendzinensis Ratihabitio, & Approbatio. Dat. Divi Laurentii die 8. Julii An. 1598. Ex Originali.* 1598.

*Rudolphi II. Imperatoris ad Sigismundum III. Literæ, in quibus mist ei Diploma Philippi Hispaniarum Regis confirmantis Transactionem Bithomiensem. Dat. Pragæ die 18. Septembris Anno 1598. Ex Originali.* 1598.

*Pacta Matrimonialia inter Sigismundum III. Regem Poloniæ, & Sereniſſimam Principem Constantiam, Caroli Archiducis Austriæ Filiam. Dat. Græcii d. 23. Octobr. An. 1605. Ex Originali. Sigil. 2.* 1605.

*Obligatio, & Inscriptio certorum Bonorum Sereniſſimæ Reginæ Constantiæ, Dotis, & Contradotis nomine facta. Dat. Varsaviæ 25. Mensis Februarii An. 1609. Ex Originali. Extat in Archivo Regni Lib. 123. n. 124. fol. 46.* 1609.

*Tractatus Fœderis perpetui inter Mathiam Rom. Imperatorem; & Sigismundum III. Poloniæ Regem, ac inter utriusque Regnorum, Provinciarum, Dominiorum Populos, & Nationes initi, quo priora Pacta, & Fœdera inter Maiores suos inita renovant, instaurant, declarant, & confirmant, mutuumque sibi invicem amorem, & auxilia promittunt, atque hæc, & alia conclusa insimul ratificant. Dat. in Arcibus Posonienſi, & Varsavienſi die 23. Mensis Martii An. 1613. Ex Originali. Sigil. 2. Extat. in Archivo Cancell. Regni Lib. 126. n. 127. fol. 3.* 1613.

*Fœdus inter Ferdinandum II. Imp. & Vladislaum IV. Regem Poloniæ, quo priora Pacta, & Fœdera inter Reges, ac Regnum Poloniæ inita renovantur, & confirmantur. Dat. in Civitate Viennenſi & Arce Regia Cracovienſi die 12. Mensis Februarii An. 1633. Ex Originali. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. 178. n. 179. fol. 109.* 1633.

*Pacta Matrimonialia inter Vladislaum IV. Poloniæ, & Sveciæ Regem, ac Sereniſſimam Principem Cæciliam Renatam Ferdinandi III. Imp. Sororem, cuius Sponsor Frater constituens Dotem centum millium florenorum Rhenenſium. Dat. Viennæ die 9. Augusti An. 1637. Ex Originali.* 1637.

Fer-

ANNO 1637. *Ferdinandi III. Imp. Pactorum eorundem Approbatio. Ratione duarum Dotium Annæ, & Conſtantiæ, necdum a Domo Auſtriæ ſolutarum, tum quod attinet ad ſummam trecentorum millium florenorum Rhenenſium, quam Pater eius Ferdinandus II. Imp. a Rege Poloniæ mutuo acceperat, Dominium Wittengau in Regno Bohemiæ ſitum, in Summa quadringentorum millium florenorum Rhenenſium Vladislao IV. obligat, cui etiam hypothecæ Dotem Cæciliæ Renatæ ſupponit. Cætera. Dat. Viennæ die 10. Aug. An. 1637. Ex Originali.*

1638. *Dotis, Contradotis, ſeu Donationis propter Nuptias, tum & Muneris Nuptialis Sereniſſimæ Dominæ Cæciliæ Renatæ, Poloniæ, & Sveciæ Reginæ in bonis infranominatis Aſſecuratio. Dat. Varſaviæ in Conventione Regni Generali die 30. April. An. 1638. Ex Archivo Regni Lib. 152. n. 153. fol. 141. Item Lib. 151 n. 152. fol. 40.*

1657. *Leopoldi Hungariæ, & Bohemiæ Regis Literæ plenæ poteſtatis Commiſſariis ſuis datæ ad concludendum Fœdus inter ſe, & Joannem Caſimirum Regem, & Regnum Poloniæ. Dat. Viennæ die 24. April. An. 1657. Ex Archivo Regni.*

1657. *Tractatus Fœderis inter Leopoldum Hungariæ, & Bohemiæ, Regem, & Joannem Caſimirum Regem Poloniæ, pro reſtauranda Pace in Polonia, & ſecuritate utriuſque Partis concluſi Viennæ 27. Maii. An. 1657. Ex Originali. Extat. in Archivo Cancell. Regni Lib. 166. n. 167. fol. 36.*

1657. *Articulus ſeparatus ſuper Electione Civitatum Cracovienſis, & Poſnanienſis, quibus Regia Maieſtas Hungariæ Præſidium Militis ſui imponere poſſit. Loco & Dato eodem. Ex Originali.*

1657. *Conventio ulterior inter eoſdem ſub eodem Dato, & Loco, de Aſſecuratione ſummæ Capitalis Regi Hungariæ, ad promovendam expeditionem Exercitus auxiliaris a Rege, & Regno Poloniæ exolvendæ. Ex Originali.*

1657. *Conventio inter Imp. & Regem Poloniæ de titulo* Potentiſsimi. *Ex Archivo Regni Lib. 166. n. 167. fol. 205.*

1659. *Mandatum, & Plenipotentia Leopoldi Imp. ad concludenda Pacta Matrimonialia, & Dotalia inter ſe, nomine Sereniſſimæ Eleonoræ Sororis ſuæ, & Michaelem Regem Poloniæ. Dat. Viennæ die 16. Decembris An. 1659. Ex Orig.*

1669. *Pacta Matrimonialia inter Michaelem Regem Poloniæ, & Eleonoram Leopoldi Imp. Sororem. Dat. Viennæ die 24. Decembr. An. 1669. Ex Originali.*

*Leopoldi Imp. Pactorum eorundem Ratificatio, & Confirmatio. Dat. die 26. Decembr. An. 1669. Ex Originali.* ANNO 1669.

*Particularis Conventio Commiſſariorum Sacræ Cæſareæ Maieſtatis cum Legato Plenipotentiario S. R. M. Poloniæ, tam de ſolutione Dotis centum millium florenorum Rhenenſium, quam de Donatione, & ſolutione aliorum qnadringentorum millium florenorum Germanicorum. Sub eodem Dato. Ex Originali.* 1669.

*Leopoldi Imp. Conventionis præcedentis Ratificatio, & Approbatio. Dat. Viennæ die 26. Decembr. An. 1669. Ex Originali* 1669.

*Tenor eorundem Pactorum Matrimonialium ex parte Legati S. R. M. Poloniæ. Sub eodem Loco & Dato. Ex Originali.* 1669.

*Michaelis Regis Poloniæ eorundem Pactorum Matrimonialium Ratificatio, & Approbatio. Dat. Varſaviæ die 23. Menſis Januarii An. 1670. Ex Orig.* 1670.

*Reformatio Sereniſſimæ Reginæ Eleonoræ. Dat. Varſaviæ die 7. Novembris An. 1670. Ex Archivo Regni Lib. 181. n. 182. fol. 51.* 1670.

*Fœdus inter Leopoldum Rom. Imp. & Joannem III. Regem Poloniæ, quo priora Pacta, & Fœdera inter Reges, & Regnum Poloniæ inita, renovantur, & confirmantur. Actum in Civitate Viennæ, & Arce Regia Varſavienſi, die 24. April. An. 1677. Ex Originali Sigil. 2.* 1677.

*Fœdus Offenſivum & Defenſivum inter Leopoldum Imp. Rom. Hungariæ, & Bohemiæ Regem, & Joannem III. Regem, & Regnum Poloniæ, Magnumque Ducatum Litvaniæ initum, quo pro mutua ſecuritate ſocietas Armorum contra Turcas conſtituitur. Actum Varſaviæ die 31. Martii. An. 1683. Cum Ratificatione ſuæ Cæſareæ Maieſtatis. Dat. in Arce Laxiburgi die 2. Maii. Ex Archivo Magni Ducatus Litvaniæ. Extat in Archivo Cancel. Regni. Lib. Actorum ab Anno 1683. ad Annum 1989. fol. 98.* 1683.

*Tractatus Fœderis Offenſivi, & Defenſivi perpetui inter Leopoldum Imp. Joannem III. Regem, Regnumq; Poloniæ, & Magnum Ducatum Litvaniæ, ac Rempublicam Venetam contra Turcam concluſi. Actum in Arce Lincenſi die 5. Menſis Martii An. 1684. Ex Originali.* 1684.

*Ratificatio, & Confirmatio eiuſdem Fœderis a Joanne III. Rege Poloniæ facta. Dat. Javoroviæ die 27. Martii An. 1684. Ex Originali.* 1684.

*Ducis Venetiarum Fœderis eiuſdem Ratificatio. Dat. 31. Martii An. 1684. Ex Originali.* 1684.

# INDEX


ANNO 1684. *Leopoldi Imp. Declaratio duorum Articulorum in ſupraſcripto Fœdere contentorum. Dat. Lincii 27. Julii An. 1684. Ex Originali.*

1684. *Ducis Venetiarum Declarationis eiuſdem Ratificatio. Dat. 12. Auguſti An. 1684. Ex Originali.*

1684. *Receſſus commutatarum Ratificationum. Dat. Viennæ 27 Septembris An. 1684. Ex Originali.*

1719. *Tractatus Fœderis Defenſivi inter Carolum Imp. ut Dominiorum ſuorum Hæreditariorum Principem, & Reges Magnæ Brittaniæ, & Poloniæ, pro conſervatione Ditionum ſuarum, nec non tuitione Jurium, & Libertatis Reipublicæ Poloniarum concluſi. Viennæ 5. Jan. 1719.*

1732. *Fœderis inter Leopoldum Imp. & Joannem III. Regem Poloniæ An. 1677. Concluſi Renovatio. Dat. Varſaviæ in Arce Regia die 3. Novebr. Anno 1732. Ex Originali.*


## DANIA.


1419. *Pacta inter Ericum Daniæ, & Vladislaum Poloniæ Reges, & Regna eorum, nec non Vitoldum Magnum Ducem, & Magnum Ducatum Litvaniæ, ad perpetuam omnium temporum memoriam, & obſervationem conſtituta. Mutua ſibi ſuis ſumptibus cum omni potentia ſua auxilia ferent. Spolia hoſtibus detracta, ex æquo divident. Terræ, & Civitates bello partæ pro Jure, ad quas antea pertinebant, Partibus cedent. Quodſi alteruter Regum Fœderi huic ſatisfacere, fidemque ſuam liberare nollet, ſubditi nihilominus ipſius Pactis præſentibus perpetuo ſtare tenebuntur. Dat. in Caſtro Haffnenſi die 23. Jun. An. 1419. Ex Originali. Sigill. 70. Extat. in Archivo Cancell. Regni Lib. Legationum ſub Lit. V. fol. 51.*

1510. *Fœdus perpetuæ Pacis, Amicitiæ, & Confœderationis inter Sigiſmundum I. Regem Poloniæ, & Joannem Regem, nec non Filium eius Chriſtiernum Electum Regem Daniæ, concluſum, quo vetera inter Reges, & Regna Daniæ, & Poloniæ Pacta renovant, & mutua ſibi contra omnes hoſtes auxilia promittunt. Dat. Crac. 19. Mart. An. 1510. Ex Originali. Cum Sigillo Sigiſmundi Regis, & 17. Sigil. Conſiliariorum. Extat in Archivo Cancell. Regni Lib. Legationum ſub Lit. V. fol. 54.*

1510. *Confœderatio perpetua inter Joannem Daniæ, Sigiſmundum Poloniæ, Reges, & Regna eorum. Datum in Arce Haffnenſi 30. Julij Anno 1510. Ex Originali. Cum Sigillo Regis Daniæ, & 7. Sigil. Conſiliariorum.*

*Fœdus inter Sigismundum I. Poloniæ, & Chriſtiernum II. Daniæ, Reges, quo priora Pacta inter Majores ſuos inita inſtaurant, & confirmant. Dat. Vilnæ die 8. Junii Anno 1516. Ex Archivo Regni. Lib. 19. ſub L. T. n. 20. f. 329.* ANNO 1516.

*Fœdus inter Sigismundum Auguſtum Poloniæ, & Fridericum II. Daniæ Reges, per Oratores utriusque contra Ericum Sveciæ Regem concluſum. Datum Stetini d. 5. Octobr. Anno 1563. Ex Originali. Extat in Archivo Cancell. Regni. Lib. Legationum Lit. V. fol. 43.* 1563.

*Mandatum Sigismundi Auguſti Regis Poloniæ.*

*Mandatum Friderici II. Regis Daniæ.*

*Friderici II. Daniæ Regis, Fœderis eiusdem Ratificatio. Dat. Friderichsburgi die 22. Febr. An. 1564. Ex Originali. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. Legationum ſub Lit. V. fol. 56.* 1564.

*Reſponſum ab eodem Sereniſſimo Danorum Rege eisdem Generoſis Petro Kloczewſki & Joan. Demetr. Solikowſki Secretariis, & Oratoribus Sereniſſimæ Regiæ Maieſtatis Poloniæ. Datum Haffniæ d. 28. April. An. 1569. Ex Archivo Regni.* 1569.

*Ejusdem ad S. R. Maieſtatem Poloniæ Literæ. Dat. Hafniæ 29. April. 1569. Ex Originali.* 1569.

*Sigismundi Auguſti Regis Literæ plenæ potestatis Oratoribus ſuis datæ ad componendam Pacem inter Daniæ, & Sveciæ Reges. Varſaviæ die 20. Septemb. An. 1570. Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. T. fol. 273.* 1570.

*Pacta inter Stephanum Poloniæ, & Fridericum II. Daniæ, Reges, quibus Epiſcopatus Curonienſis Regno Poloniæ pro Summa triginta millium Talerorum reſtituitur. Dat. in Arce Regia Cronaburga die 10. April. An. 1585. cum Confirmatione eorundem Sigismundi III. Regis. Dat. Varſaviæ in Comitiis Regni Generalibus die 17. April. An. 1589. Ex Archivo Regni.* 1589.

*Fœdus inter Fridericum III. Daniæ, & Joannem Caſimirum Poloniæ Reges, contra Carolum Guſtavum Regem Sveciæ concluſum, quo ſibi mutua auxilia etiam finito hoc bello contra eundem Sveciæ Regem promittunt. Datum Hafniæ d. 18. Julii An. 1657. Ex Originali. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. 176. num. 168. fol. 49. Item Lib. 178. num. 179. fol. 66.* 1657.

*Ratificantur eadem Pacta per Sereniſſimum Regem Daniæ. Ex Originali. Cum Sigil. Regis Daniæ, & 13. Sigillis.* 1657.

*Inſtauratio, & Corroboratio eorundem Pactorum. Dat. Hafniæ die 20. Septembris Anno 1658. Ex Original. Sigil. 3.* 1658.

# BAVARIA.

ANNO 1453. *Fœdus Unionis, & fraternæ concordiæ inter Caſimirum Regem Poloniæ, & Ludovicum Ducem Bavariæ. Dat. in Brodnica Feria quarta ante Feſtum Nativitatis B. M. V. Ex Archivo Regni. Lib. 3. n. 4. fol. 12. Item fol. 22.*

1460. *Fœdus inter Ludovicum Comitem Palatinum Rheni, Inferioris, Superioriſque Bavariæ Ducem, & Caſimirum Regem Poloniæ, quo comprehenduntur Duces Maſoviæ, Pomeraniæ, Stolpiæ, aliique Principes Regi, & Regno Poloniæ ſubiecti. Dat. in Landſhut feria quinta poſt Feſtum S. Margarethæ An. 1460. Ex Originali.*

1460. *Conſœderatio inter eoſdem, qua itidem continentur Duces Maſoviæ, Ericus Stetinenſis, & Pomeraniæ Duces, Epiſcopus Caminenſis, aliique Principes, qui in auctoritate Regis Poloniæ ſunt. Dat. in Landshut feria quarta proxima ante Feſtum Nativitatis B. M. V. An. 1460. Ex Originali. Exiat in Archivo Cancel. Regni Lib. 3. Lit. C. n. 4. fol. 461.*

1472. *Fœdus inter Caſimirum Regem Poloniæ, & Albertum Ducem Bavariæ. Commercia libera ſint. Controverſiæ inter utriuſque ſubditos per Conſiliarios ab utraque Parte delegatos in Conventu in Egra inſtituendo componantur. Quodſi inter eos non convenerit, aliquis Superarbiter ab Actore eligatur, cui uterque Principum binos Conſiliarios adiungat, ſtetur vero maioris Partis placito &c. Dat. Cracoviæ 12. Auguſti An. 1472. Ex Originali. Extat. in Archivo Cancel. Regni Lib. 5. Lit. E. n. 6. fol. 86.*

1474. *Pacta Matrimonialia inter Georgium Ludovici Ducis Bavariæ Filium, & Domicellam Hedvigem Caſimiri Regis Poloniæ Filiam. Dat. prope in Radom die 31. Decembr. An. 1474. Ex Originali. Sigil. 3. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. 5. n. 6. fol. 201.*

1475. *Dotis, & Donationis propter Nuptias Sereniſſimæ Domicellæ Hedvigis in certis Caſtris, Civitatibus, & Diſtrictibus Collocatio. Dat. in Landshut 5. Febr. 1475. Ex Originali. Sigil. 2. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. 5. n. 6. fol. 202.*

1537. *Promiſſio Sacræ Regiæ Maieſtatis perſolvendæ Dotis Comitibus Palatinis Rheni, & Ducibus Bavariæ. Dat. Cracoviæ in Comitiis Generalibus 13. Januarii. 1537. Ex Archivo Regni Lib. 39. n. 40. fol. 88.*

1544. *Literæ Ottonis, Henrici, & Philippi Comitum Palatinorum Rheni, Ducum Bavariæ, quibus recognoſcunt perſolutam ſibi eſſe a Sigiſmundo Rege Dotem integram Domicellæ Hedvigis Aviæ eorum. An. 1544. Ex Originali Sigil. 2.* ANNO 1544.

*Pacta Matrimonialia inter Sigiſmundum III. Poloniæ, & Sveciæ Regem nomine tutorio Sereniſſimæ Annæ Catharinæ Conſtantiæ Poloniæ, & Sveciæ Principis, & Philippum Gvilhelmum Ducem Neoburgicum inita Varſaviæ 4. Aprilis. Cum Ratificatione eorundem Wolffangi Gvilhelmi Comitis Palatini Rheni die 21. Junii facta An. 1642. Ex Archivo Regni Lib. 154. n. 155. fol. 214.* 1642.

*Philippi Ducis Neoburgi Inſcriptio viginti millium florenorum Rhenenſium Doni Nuptialis nomine Coniugi ſuæ facta. Ibidem fol. 131* 1642.

*Eiuſdem Promiſſio, quod Præfecti, & Officiales Civitatum, & Arcium Sereniſſimæ Annæ Conſtantiæ Catharinæ, Dotis, Contradotis, & Doni Nuptialis nomine obligatarum, Juramentum fidelitatis eidem præſtabunt. Ibidem fol. 132.* 1642.

*Eiuſdem Recognitio de accepta certa pecuniæ ſumma ad rationem Dotis. Ibidem fol. 135.* 1642.

*Cautio Eiuſdem de Succeſſione Primogeniti. Ibidem fol. 133.* 1642.

*Sereniſſima Anna Catharina Conſtantia abdicat ſe omni Jure Succeſſionis in Bona paterna, materna, & fraterna, Dat. Varſaviæ feria ſexta poſt Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ An. 1642. Ibidem fol. 130.* 1642.

*Literæ Philippi Gvilhelmi Ducis Neoburgenſis, & Annæ Conſtantiæ Poloniæ, & Sveciæ Principis, quibus promittunt, ſe intra ſpatium 4. Menſium Inventarium omnium Clenodiorum, tam eorum, quæ trecentis millibus Talerorum, quam ſupellectilis argenteæ, quæ centum millibus Talerorum æſtimata eſt, nec non aliorum clenodiorum, & ſupellectilis in auro, & argento, dono ſibi oblatæ, Regi Poloniæ tranſmiſſuros. Dat. 21. Jul. 1642 Ibidem fol. 213.* 1642.

*Pacta Dotalia inter Sereniſſimum Principem Jacobum Joannis III. Poloniæ Regis Filium natu maiorem, & Dominam Hedvigem Eliſabetham Philippi Gvilhelmi Electoris Palatini Rheni Filiam. Ex Archivo Regni. Acta Inſcriptionum ab Anno 1689. Ad Annum 1696. fol. 79.* 1691.

*Pacta Matrimonialia, & Dotalia inter Maximilianum Emmanuelem Ducem Bavariæ Electorem, & Joannem III. Regem Poloniæ, nomine Sereniſſimæ Principis Thereſiæ Cunegundæ Filiæ ſuæ inita. Act. in Arce Zolkievienſi die* 1694.

ANNO

die 19. Maii An. 1694. Cum Ratificatione eorundem Emmanuelis Electoris facta. Bruxellis die 19. Jun. Ex Originali.

1696. Maximiliani Emmanuelis Recognitio, quod Dotem integram quingentorum millium Talerorum sibi exolutam acceperit. Act. Bruxellis die 1. Febr. An. 1696. Ex Orig.

## MARCHIA BRANDEBURGENSIS.

1471. Literæ Friderici Imp. ad Casimirum Regem Poloniæ, quibus eum orat, ut Friderico Electori Brandeburg. cui in contumaciam Erickonis, & Wratislai Ducum, Ducatus Pomeraniæ (Regibus, & Regno Poloniæ obnoxios) in Feudum contulit, favere velit, nec eum per subditos suos in dictis Dominiis turbari permittat. Dat. in Oppido Grecz die 9. Januar. An. 1471 Ex Archivo Regni Lib. 5. sub. Lit. E. n. 6. fol. 2.

1473. Albertus Marchio Brandeburgensis, & Elector constituit cum Oratoribus Casimiri Regis Poloniæ locum, & tempus ad contrahendum Matrimonium inter Fridericum Filium suum, & Sophiam Regis Poloniæ Filiam. Dat. in Castro Cadoltzburgk 7. Decemb. An. 1473. Ex Originali.

1474. Mandatum Casimiri Regis Poloniæ ad faciendum Contractum Matrimonii inter Filiam suam Sophiam, & Fridericum Alberti Marchionis, & Electoris Brandeburgensis Filium. Dat. in Radom Sabbatho ante Circumcisionem Domini. An. 1474. Ex Archivo Regni Lib. sub Lit. E. n. 6. fol. 192.

1475. Pacta Matrimonialia, & Dotalia inter Fridericum Marchionem Brandeburgensem, Alberti Electoris Brandeburgensis Filium, & Sophiam Casimiri Regis Poloniæ Filiam. Act. & Dat. Posnaniæ Dominica proxima ante Festum S. Hedvigis An. 1475. Ex Orginali. Extat in Archivo Cancel. Regni. Lib. 5. n. 6. fol. 207.

1475. Dotis, & Dotalitii Illustrissimæ Sophiæ in certis Bonis Collocatio. Dat. in Cadoltzburgk die 11. Novemb. An. 1475. Ex Originali Sigil. 2. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. 5. n. 6. fol. 221.

1514. Constitutiones ad conservandam bonam vicinitatem inter Regnum Poloniæ, & Marchionatum Brandeburgensem per Commissarios ab utraque parte delegatos sancitæ. Dat. Ex Colonia 19. Ap. An. 1514. Ex Archivo Regni Crac. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. 18. n. 9. fol. 104. Item Lib. 73. n. 74. fol. 238.

1521. Sigismundus I. Rex Poloniæ Rogatione Caroli V. Imp. differt bellum, quo Joachimum Marchionem Brandeburgensem aggredi voluerat, arbitriumque causæ cum eo, præfato Imperatori defert. Dat. Cracoviæ die 6. Maii An. 1521. Ex Archivo Regni Lib. 26. n. 27. fol. 186.

ANNO

Sigismundus I. Rex Poloniæ pollicetur se persoluturum Marchionibus Brandeburgensibus Dotem Matris eorum. Dat. Cracoviæ Feria secunda post Dominicam Judica. An. 1530. Ex Originali. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. sub Lit. H. H. fol. 266. 1530.

Quietatio de Literis Dotalibus Illustrium Marchionum Brandeburgensium S. R. Maiestati restitutis, & solutio Dotis vigore Contractus. Act. Cracoviæ feria quarta proxima ante Festum S. Agnetis An. 1531. Ex Archivo Regni Lib. 32. n. 33. fol. 452. 1531.

Pauli III. Papæ Bulla Dispensationis super consangvinitate inter Joachimum Marchionem Brandeburgensem, & Hedvigem Sigismundi I. Regis Poloniæ Filiam. Dat. Romæ 10. Junii An. 1535. Ex Originali. 1535.

Pacta Matrimonialia inter Sigismundum I. Regem Poloniæ nomine Filiæ suæ Hedvigis, & Ioachimum Juniorem Marchionem Brandeburgensem inita. Vilnæ die 21. Martii An. 1535. Ex Originali. 1535.

Quietatio Joachimi Junioris Marchionis Brandeburgensis de triginta duobus millibus aureorum a Sigismundo Rege Poloniæ Dotis nomine solutorum. Dat. in Civitate Regia Cracovienſi die 9. Septembr. An. 1535. Ex Originali. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. Legationum sub Lit K. fol. 238. 1535.

Literæ Eiusdem, quibus summam sexaginta quatuor millium aureorum Dotis, & Contradotis Illustriss. Hedvigis Coniugis suæ, in Comitatu Rippinensi collocat. Dat. Cracoviæ die 9. Septembr. An. 1535. Ex Originali. 1535.

Idem recognitionem acceptæ Dotis, & Obligationem eiusdem Dotis, & Donationis propter Nuptias in Comitatu Rippinensi factam renovat, & insuper Præfecturam Buczovienſem addit, præsente Regis Oratore. Dat. Franckforduæ cis Oderam die 24. Octob. Anno 1536. Ex Originali. 1536.

Instructio Commissariis ad regundos Fines, inter Regnum & Marchionatum Brandeburgensem delegatis data Vilnæ 12. Februarii An. 1541. Ex Archivo Regni Lib. Legationum sub Lit. G. fol. 14. 1541.

Mandatum Sigismundi Regis in eodem negotio. Dat. Vilnæ 12. Feb. An. 1541.


Res-

## RESPUBLICA VENETA.

ANNO
1493. *Legatio nomine Reipublicæ Venetæ per Marcum Dandalum Doctorem, & Equitem, Oratorem, coram Alberto Rege habita Posnaniæ. Ex Arch. Regni Cracov. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. Legationum Lit. C. fol. 42.*

1502. *Legatio nomine Sereniſſimi Ducis Venetiarum Leonardi Laurendani & totius Reipublicæ Venetæ ad Alexandrum Regem Poloniæ miſſa, qua eum ad ſocietatem belli contra Turcas invitat. Ex Arch. Reg. Lib. Legationum. Lit. A. Fol. 5. Item Lit. C. fol. 130.*

1684. *Legato Veneto nomine S. R. M. datum reſponſum. Ibidem Tractatus Fœderis Offenſivi, & Defenſivi perpetui, inter Leopoldum Imperatorem, Joannem III. Regem, Regnumque Poloniæ, & Magnum Ducatum Litvaniæ, ac Rempublicam Venetam contra Turcam concluſi. Actum in Arce Lincenſi die 5. Menſis Martii An. 1684. Ex Originali. Vid. Tit. Auſtria fol. 342. Num. CXIV.*

1684. *Ducis Venetiarum Fœderis eiuſdem Ratificatio. Dat. 31. Martii An. 1684. Ex Originali. Ibidem fol. 346.*

1684. *Ducis Venetiarum Declarationis duorum Articulorum, in ſupraſcripto Fœdere contentorum per Leopoldum Imp. factæ Ratificatio Dat. 12. Auguſti An. 1684. Ex Originali. Ibidem fol. 348.*

## SAXONIA

1496. *Pacta Matrimonialia inter Joannem Albertum Regem Poloniæ, nomine Barbaræ Sororis ſuæ, & Albertum Ducem Saxoniæ, nomine Georgii Ducis ſui Filii inita, cum aſſignatione Dotis triginta duorum millium Aureorum. Dat. Cracoviæ die 11. Auguſti 1496. Ex Orig.*

1496. *Literæ Alberti Ducis Saxoniæ, quibus Civitatem Freyburg cum ſuo Territorio Sereniſſimæ Principi Barbaræ, Dotis, Contradotis, & Donationis propter Nuptias nomine obligat. Dat. in Leipſik. die 28 Novembris. An. 1496. Ex Originali. Sigil. 2.*

1550. *Mauritii Ducis Saxoniæ, & Joachimi Marchionis Brandeburgenſis Electorum Legatio ad Sigiſmundum Regem Poloniæ, qua ab eo poſtulant, ut de reſtituendo Libertati Landgravio Haſſiæ cum Cæſare agat. Ex Arch. Regni. Lib. Legationum Lit O. fol. 121.*

*Sacræ Regiæ Maieſtatis Poloniæ ad præfatam Legationem reſponſum Ibidem.*

## GALLIA.

ANNO
*Fœdus inter Ludovicum XII. Regem Galliæ, & Joannem Albertum Regem Poloniæ, nec non Vladislaum Regem Hungariæ, & Bohemiæ concluſum, quo vetuſta Fœdera inter Maiores ſuos inita renovant, atque Unionem, & Confœderationem perpetuam contra Turcas, & alios quoſcunque hoſtes, præſentes, & futuros inter ſe condicunt &c. Dat. Die 14. Julii An. 1500. Ex Authentico, quod extat in Tabulario Illuſtriſſimi Domini Comitis Joſephi Zatuſki Referendarii Regni.* 1500.

*Oratio a Joanne Monlucio Epiſcopo, & Comite Valentiæ, Caroli IX. Galliarum Regis ad Status & Ordines Reipublicæ Polonæ Magni cum plena poteſtate Legati, pro Henrico Andium, Borboniorum & Alvernorum Duce, in Campo Electionis habita. Ex Archivo Illuſtriſ: Domini Joſephi Comitis Zatuſki Referendarii Regni.* 1573.

*Diploma Electionis Henrici Regis. Ex Archivo Regni. Lib. 85. n. 86. fol. 2.* 1573.

*Confirmatio Pactorum Conventorum per Sereniſſimum Henricum Electum Regem Poloniæ. Dat. Lutetiæ Pariſiorum die X. Sep. An. 1573. Ibidem fol. 17.* 1573.

*Confirmatio, & Declaratio eorundem Pactorum per Sereniſſimum Regem Galliæ. Datum Lutetiæ Pariſiorum d. 10. Septembr: An. 1573. Indidem.* 1573.

*Juramentum Sereniſſimi Caroli Galliarum Regis. Indidem.* 1573.

*Denuntiatio Electi Regis Henrici. Dat. Pariſiis in Curia Parlamenti die 13. Septembr. An. 1573.* 1573.

*Inſtructio Legationis a Sereniſſimo Principe Domino Henrico Dei Gratia Electo Rege Poloniæ, & Magno Duce Litvaniæ &c &c. ad Status, & Ordines Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ data Generoſo Joanni a Zborow Capitaneo Odolanovienſi &c. Pariſiis die 23. Septembr. Anno MDLXXIII. Ex Archivo Regni Lib. 85. n. 86. fol. 11.* 1573.

*Literæ Fidei Electi Regis Henrici.* 1573.

*Pacta Matrimonialia inter Vladislaum IV. Regem Poloniæ, & Ludovicam Mariam Gonzagam, Ludovici XIV. Regis Galliæ Filiam adoptivam inita. Datum in Fontaine Bleau d. 26. Septembr. An. 1645. Ex Archivo Regni Lib. 155. n. 156. fol. 603.* 1645.

*Reformatio Sereniſſimæ Ludovicæ Mariæ Gonzagæ Reginæ Poloniæ. Dat. Varſaviæ die 5. Decembr. Anno 1646. Ex Archivo Regni. Lib. 155. n. 156. fol. 603.* 1646.

Anno 1555.

# DUCATUS BRUNSVICENSIS.


*Tractatus Matrimonialis inter Sigismundum Augustum Regem Poloniæ, nomine tutorio Sophiæ Sororis suæ, & inter Mandatarios, & Oratores Henrici Junioris Ducis Brunsvicensis habitus, & conclusus. Act. & Dat. Vilnæ 30. Novembr. Anno 1555. Ex Originali Sigil. 2. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. Legationum Lit. P. fol. 380. Item Lit. O. fol. 278.* 1555.

*Literæ Fidei Henrici Junioris Ducis Brunsvicensis. Dat. in Wulffenbuttel 21. Septemb. An. 1555. Ex Originali. Extat. in Archivo Cancel. Regni Lib. Legationum Lit. P. fol. 453.* 1555.

*Mandatum Sigismundi Augusti Poloniæ Regis in eodem negotio. Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. P. fol. 431.* 1555.

*Oratores Henrici Junioris Ducis Brunsvicensis promittunt præfatum Ducem, quamprimum sponsa ad eum deducta fuerit, Matrimonium secundum formam Ecclesiæ Romanæ innovaturum, & confirmaturum. Dat. Varsaviæ die 23. Mensis Januar. An. 1556. Lib. Legationum Lit. O. fol. 309.* 1556.

*Literæ Sigismundi Augusti Regis, quibus tempus solvendæ Dotis præstituit. Dat. Varsaviæ 23 Januar. An. 1556. Ex Originali.* 1556.

*Sophia Dux Brunsvicensis abdicat se omni Jure Successionis in Bona paterna, materna, & fraterna. Dat. in Arce Wolfenbuttel 25. Februarii Anno 1556. Ex Originali Sigil. 2.* 1556.

*Civitatum Jerxeim, & Schoningen cum suis Territoriis Serenissimæ Sophiæ Duci Brunsvicensi Dotis, & Donationis propter Nuptias nomine Obligatio, & Inscriptio. Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. P. fol. 398.* 1556.

*Reformationis Reversales Lib. Legationum Lit. P. fol. 425.* 1556.

*Doni Nuptialis decem millium aureorum Inscriptio. Ibidem fol. 411.* 1556.

*Henricus Junior Dux Brunsvicensis pollicetur suo, & Successorum suorum nomine, defensionem Bonorum Sophiæ Conjugi suæ in Dotem, & Contradotem obligatorum. Dat. in Wulfenbuttel die 25. Febr. An. 1556. Ex Originali.* 1556.

*Recognitio Præfectorum, & Officialium Civitatum Jerxeim, & Schoningen de Juramento fidelitatis Sophiæ Duci præstito vigore Mandati Henrici Ducis. Dat. Wulfenbuttel 25. Febr. Anno 1556. Ex Originali Sigil. 4.* 1556.

*Cautio Henrici Ducis Brunsvicensis de Successione in Ducatum Brunsvicensem Prolis Masculæ, si quam ex Matrimonio cum Sophia susceperit, non obstante, quod e priore Matrimonio Julium Filium susceperit. Dat. in Wulfenbuttel 25. Febr. An. 1556. Ex Originali.* Anno 1556.

*Sigismundi Augusti Regis Promissio, quod decedente sine Liberis Illustrissima Sophia Sorore sua, post restitutam sibi Dotem triginta duorum millium aureorum Hungaricalium Civitatibus Jerxeim, & Schoningen, nec non Salinis Libenhalensibus sit cessurus. Lib. Legationum Lit. P. fol. 426.* 1556.

*Eiusdem de Redemptione Doni Nuptialis in iisdem Civitatibus inscripti similes Literæ. Lib. Legationum Lit. P. fol. 428.* 1556.

*Recognitio Henrici Junioris Ducis Brunsvicensis, quod Dotem integram triginta duorum millium aureorum Hungaricorum a Sigismundo Augusto Rege acceperit. Dat. Wulfenbuttel. die 13. Maii An. 1558. Ex Originali.* 1558.

*Instructio Sacræ Regiæ Maiestatis nomine, Oratori ad Julium Ducem Brunsvicensem, & Luneburgensem delegato data, ne Sophiæ Henrici Ducis Brunsvicensis Parentis sui viduæ, ratione Dotalitii ab eodem in certis bonis inscripti, negotium facessat. Dat. Knissini die 7. Octobr. An. 1569. Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. V. fol. 369.* 1569.

*Stephani Poloniæ Regis ad Rudolphum Imp. Literæ, ut in causa Successionis Bonorum, post obitum Sophiæ Ducis iuxta Pacta ad se devolutorum Electores Saxoniæ, & Brandeburgensem, ac Georgium Fridericum Marchionem ab Ansbach Judices constituat. Dat. Mariemburgi die 8. Decemb. An. 1577. Ex Archivo Regni, Lib. Legationum sub Lit. W. fol. 267.* 1577.

*Procuratorium Stephani Regis Poloniæ. Dat. Grodnæ 21. Septemb. An. 1584. Ex Archivo Regni.* 1584.

*Procuratorium Julii Ducis Brunsvicensium, & Luneburgensium. Dat. Henricopoli 24. Julii 1584. Ex Archivo Regni.* 1584.

*Status causæ per Legatum, ac Mandatarium Regis Poloniæ, coram Electoribus Saxoniæ, & Brandeburgensi a Cæsarea Maiestate deputatis Commissariis exhibitus. Francofordiæ ad Oderam die 16. Maii An. 1585. Anni Juliani. Ex Archivo Regni.* 1585.

*Mandatum Stephani Regis in eodem negotio. Dat. Nepolomicii die 14. Junii An. 1585. Ex Originali.* 1585.

*Literæ Annæ Reginæ Poloniæ, quibus sortem hæreditatis post obitum Sophiæ Ducis* 1592.

ANNO

1592. *Ducis Brunſvicenſis Sororis ſuæ ſe concernentem, Sigiſmundo Poloniæ, & Sveciæ Regi donat. Dat. Varſaviæ die 7. Julii An. 1592. Ex Archivo Regni Lib. 107. n. 108. fol. 277.*

1592. *Mandatum eiuſdem pro parte Sigiſmundi III. Regis in eodem negotio. Dat. Cracov. 7. Julii 1592. Ex Archivo Regni.*

1592. *Poſtulatio Sereniſſimi Poloniæ, & Sveciæ Regis. Ex Archivo Regni*

1592. *Sacræ Maieſtatis Cæſareæ Reſolutio ad poſtulationem Sereniſſimi Sigiſmundi Poloniæ, & Sveciæ Regis, ratione fori in Curia, aut Commiſſionis in Imperio contra Dominum Ducem Brunſvicenſem. Dat. 12. Decemb. 1592. Ex Archivo Regni. Sequitur Punctum de Commiſſione Cæſarea. Datum 24. Martii. Anno 1593.*

1595. *Mandatum Sereniſſimæ Annæ Reginæ Poloniæ in eodem negotio. Datum Cracoviæ die 1. Septembr. Anno 1595. Ex Archivo Regni.*

1596. *Decretum Sacræ Cæſareæ Maieſtatis. D. Pragæ 29. Jan. An. 1596. Ex Archivo Regni.*

1596. *Literæ Sigiſmundi III. Poloniæ, & Sveciæ Regis ad Rudolphum II. Imperatorem in eodem negotio. Ex Archivo Regni.*

1600. *Reſponſum Ducis Brunſvicenſis Sacræ Cæſareæ Maieſtati datum die 20. April. An. 1600. Ex Archivo Regni.*

*Connotatio Summarum ex Regiſtro Originali per Magnificum Franciſcum Ruſocki Caſtellanum Ciechanovienſem, Sigiſmundi Auguſti Regis Commiſſarium, nec non per Commiſſarios Ducis Brunſvicenſis ſubſcripto, ac ex aliis Documentis, quæ extant in Archivo Theſauri Regni conſcripta.*

# DUCATUS MEKLENBURGENSIS.

1524. *Renovatio Amicitiæ, & Conſœderationis inter Sigiſmundum I. Regem, Regnumque Poloniæ ab una, & Henricum Megapolenſem, ac Georgium, & Barnimum Stetinenſium, Pomeraniæ &c. Duces ab altera parte, per Commiſſarios utrinque delegatos facta. Actum, & Datum in Civitate Gedanenſi feria quarta poſt Dominicam Lætare An. 1524. Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. N. R. fol. 25. Vide Partem II. tit. Pomerania ad An. 1524.*

1525. *Fœdus Sigiſmundi I. Regis cum Henrico Megapolenſi, Georgio, & Barnino Pomeraniæ &c. Ducibus initum. Act. & Dat. in Oppido Piotrkow in Conventu Generali. die S. Priſcæ Anno 1525. Ex Archivo Regni. Lib. 27. n. 28. fol. 213. Item Lib. 28. n. 29. fol. 97. Item Lib. ſub Lit. N. R. fol. 354. Vide Ibidem ad An. 1525.*

ANNO

1525. *Joannis Alberti Ducis Meklenburgenſis Renovatio, & Confirmatio Pactorum inter Sigiſmundum I. Regem Poloniæ, & Henricum Ducem Meklenburgenſem An. 1525. die 9. Decembr. initorum. Dat. Varſaviæ die 22. Januar. An. 1556. Ex Originali.*

1564. *Literæ conceſſionis adminiſtrandi Archiepiſcopatum Rigenſem Joanni Alberto Duci Megapolenſi per Sacram Regiam Maieſtatem Poloniæ datæ. Vide Codicis Diplomatici Tom. V. ad An. 1564.*

1566. *Literæ Recognitionis debiti centum millium florenorum Rhenenſium Joanni Alberto Duci Megapolenſi per Albertum Seniorem Ducem in Pruſſia factæ. Actum Regiomonti 18. April. &c. Vide Tom. IV. ad An. 1566.*

1566. *Literæ Inſcriptionis Ducis Megapolenſis, quibus pollicetur ſe nullo unquam tempore Duci, & Ducatui Pruſſiæ in præſtando auxilio defuturum eſſe. Dat. Konigſbergii 8. Maii. Ibidem.*

1569. *Conditiones Illuſtri Chriſtophoro Duci Megapolenſi ante liberationem eius, a S. R. M. propoſitæ. Vide Tom. V. ad An. 1569.*

1569. *Reſponſum eiuſdem Ducis, quo Conditiones ſibi ante ſuam liberationem a S. R. M. propoſitas gratas habet. Ibidem.*

1569. *Verba concepta, quibus Dux Megapolenſis in deprecanda culpa, & admiſſorum venia a Regia Maieſtate petenda uſus eſt. Ibidem.*

1569. *Reſponſum Sacræ Regiæ Maieſtatis ad eadem Ducis Megapolenſis verba in publica audientia datum d. 18. Feb. Ibidem.*

1569. *Reſponſum S. R. Maieſtatis datum Internuntiis Illuſtris Domini Joannis Alberti Ducis Megapolenſis in negotio Adminiſtrationis Archiepiſcopatus Rigenſis. Lublini die 14. Auguſti. Ibidem.*

# HISPANIA.

1558. *Literæ Sigiſmundi Auguſti Regis ad Philippum II. Hiſpaniæ Regem. Indigne fert Literas, Munimenta, & omnia Bona mobilia, quæ ſibi poſt obitum Reginæ Bonæ Matris ſuæ integra ſervari debuerant, per Officiales præfati Regis Philippi ablata, & Neapolim deportata eſſe, & quod Teſtamentum Reginæ Bonæ, quo Ducatum Barenſem eidem Regi Philippo donaſſe prætenditur, falſum omnino, ſuppoſititiumque ſit, & tum*

ANNO

1558. demum a quodam falsario Papagoda dicto confectum, cum Regina Bona moribunda sui potestatem amisisset. Datum Vilnæ die 17. April. An. 1558. Vide Tom II. Part. II. numerum XXV. ad Annum 1558.

1558. Mandatum eiusdem Oratori suo ad Philippum II. Regem Hispaniæ in eodem negotio datum. Vilnæ 18. April: An. 1558. Ibidem num. XXVI.

1598. Philippi Hispaniarum Regis Transactionis Bendzinensis Ratihabitio, & Approbatio. Dat. Divi Laurentii die 8. Julii An. 1598. Vide tit. Austria fol. 286. num. XCIII.

1643. Mandatum Philippi IV. Regis Hispaniarum, ratione crediti Serenissimi Regis Poloniæ in Regno Neapolitano constituti. Dat. Barcinonæ 6. Julii Anno 1643. Vide Tom. II. Partem. II. n. XXXV.

1695. Mandatum Caroli II. Regis Hispaniarum ad Proregem Neapolitanum in negotiis Reipublicæ Polonæ ratione Summarum Neapolitanarum. Vide Ibid. n. XLIII.

## HOLLANDIA.

1577. Stephani Regis Poloniæ Literæ Universales, ad arrestanda Bona Gedanensium ubivis extra Regnum existentia „ propter spoliatas per eos Hollandorum naves. Dat. in Castris ad Glovan 21. Julii Anno. 1577. Vide Tom. VIII. Partem. I. ad An. 1577.

1670. Literæ eiusdem ad Principem Aurausionensem in eodem negotio. Ibidem.

1670. Literæ ab Ordinibus Fœderati Belgii ad Sacram Regiam Maiestatem per Legatum de Witt datæ. Hagæ Comitum die 18. April 1670. Ex Archivo Regni Lib. 182. n. 183. fol. 96.

1670. Puncta Tractatus Fœderis mutui Commercii, & intercursus inter Serenissimum Regem, & Rempublicam Poloniæ ab una, & Celsipotentes Fœderati Belgii Ordines ab altera parte ineundi, Sacræ Regiæ Maiestati, & Dominis Senatoribus per Legatum de Witt proposita. Indidem fol. 97.

1670. Tractatus Hollandorum cum Gedanensibus An. 1656. die 12. Julii initus, per Legatum Hollandicum, Joannem de Witt porrectus. An. 1670. Ex Archivo Regni Lib. 182. n. 183. fol. 101.

1670. Tractatus Hollandicus cum Gedanensibus An. 1656. die 22. Septembr. habitus, per Legatum Hollandicum Joan. de Witt exhibitus An. 1670. Indidem.

1670. Ratificatio Gedanensium Tractatus cum Hollandis 22. Septembr. An. 1656. initi, per Legatum Hollandicum Joannem de Witt porrecta 1670. Indidem. ANNO 1670.

Responsum ex Cancellaria Regni Poloniæ Excellentissimo Domino Joanni de Witt Celsorum, & Præpotentium Fœderati Belgii Ordinum Legato extraordinario. Dat. Varsaviæ die 16. Decembr. 1670. Indidem fol. 94.

Literæ S. Regiæ Maiestatis ad Ordines Fœderati Belgii. Indidem.

Ordinum Fœderati Belgii promissi Regis Acceptatio, & Reversalium Legati extraordinarii Ratificatio. Dat. Hagæ Comitum die 9. Junii An. 1671. Indidem. fol. 240. 1671.

## TRANSYLVANIA.

Diploma Sigismundi III. Regis, quo Balthasari Battori Indigenatum Regni confert, cidemque dat potestatem redimendi Episcopatum Curoniensem. Dat. Cracoviæ 13. Junii. Anno. 1588. Ex Archivo Regni. Lib. 105. n. 106. fol. 51. 1588.

Diploma Joannis Casimiri Regis, quo Illustri Francisco Rakoci Principi Transylvaniæ, eiusque Fratribus Indigenatum Regni confert. Dat. Varsaviæ in Comitiis Regni Generalibus die 27. Maii. Ex Archivo Regni Lib. 160. n. 161. f. 152. 1654.

Diploma eiusdem Indigenatus datum eidem ab Ordinibus Regni.

Articuli Pacis Georgio Principi Transylvaniæ præscripti, quibus ille pro damnis Regno illatis ad centum quinquaginta Imperialium nummorum millia condemnatur, ac præterea Donativum Hano Tattarorum dare, & Regem, ac Rempublicam solenni Legatione deprecari iubetur. &c. Actum in Castris versus Czarny Ostrow die 22. Julii. Cum Ratificatione eiusdem Principis. Ex Archivo Regni Lib. sub Lit. X. B. O. fol. 2. 1657.

Juramentum Commissariorum Georgii Principis Transylvaniæ.

Georgii Principis Transylvaniæ Ratificatio, & Approbatio Transactionis ex formula, quæ ei data fuit ab Illustrissimis Poloni Exercitus Ducibus. 1657.

Juramentum Commissariorum Deputatorum ab Illustrissimis Exercitus Poloni Generalibus.

## SILESIA.

Diploma Fundationis Goraviensis Ecclesiæ datum a Raphale Hierosolimitanæ militiæ Supremo Tetrarcha, & Boleslao Rege Poloniæ. Dat. Posnaniæ die Martis post Dom. Jubilate, An. 1067. 1067.


Literæ

ANNO

1267. *Literæ Boleslai Filii Vladislai Ducis Poloniæ, quibus Thomæ Episcopo Vratislavienſi pro Villa Murmon dat alias certas Villas. Dat. in Dankow 16. Feb. 1267. ſub Tranſumpto Nicolai Abbatis Monaſterii B. M. V. in arena Vratiſlavienſi. Dat. 12. Novemb. 1401. Ex Archivo Regni Lib. 3. n. 4. fol. 13.*

1346. *Vladiſlai Ducis Bithomienſis Pactum cum Caſimiro Rege de non recipiendis, neque fovendis hoſtibus Regis. Dat. in Bithom 15. Febr. 1346. Ex Originali. Sigil. 7.*

1360. *Promiſſio Caroli IV. Imperatoris tanquam Regis Bohemiæ, quod non velit laborare apud ſedem Apoſtolicam pro ſciſſione Epiſcopatus Vratiſlavienſis a Metropoli Gneſnenſi facienda. Dat. Norembergæ 7. Calend. Auguſt 1360. Ex Archivo Regni.*

1386. *Ladiſlai Ducis Opolienſis Literæ de tradenda Filia ſua nuptui Alexandro Duci Litvaniæ. Dat. in Nepolomice feria quarta ante feſtum S. Margarethæ 1386. Ex Originali. Vide Tom. III. Part I. ad An. 1386.*

1391. *Induciæ inter Vladiſlaum Regem Poloniæ, & Conradum Ducem Sleſiæ. Dat. in Melicz die B. Donati Mart. An. 1391. Ex Originali. Vide Tom. II. tit. ſupplementum Tom. I. Part. II. ad An. 1391.*

1393. *Induciæ Vladiſlai Ducis Opolienſis cum Vladiſlao Rege Poloniæ. Dat. in Nova Civitate Korczyn 26. Julii. An. 1393. Ex Originali. Vide Ibidem Ad An. 1393.*

1395. *Fœdus inter Venceſlaum Rom. & Bohemiæ Regem, ac Vladiſlaum Regem Poloniæ, quo præfatus Rex Venceſlaus promittit (ratione Ducatus Sileſiæ) ſe Regi Poloniæ cum ſexcentis lanceis, & totidem baliſtariis intra ſpatium unius Menſis, poſtquam requiſitus fuerit, contra quoſvis hoſtes auxilio futurum. Dat. Pragæ 25. Junii. Ex Originali. Vide tit. Bohemia n. 7. fol. 6.*

1396. *Bolko, & Benhardus Duces Opolienſes cum Joanne Epiſcopo Fratre ſuo, ſubmittunt ſe Vladiſlao Regi Poloniæ. D. ante Opol. die 5. Auguſti. Anno 1396. Ex Originali Sigil. 9.*

1399. *Przemiſlaus, Bolko, aliique Duces Sileſiæ promittunt, Joannem Epiſcopum Caminenſem Ducem Opolienſem a Rege Poloniæ in ſervitutem aſſertum, & ad fideiuſſionem illorum dimiſſum, nihil contra Regem, & Regnum Poloniæ tentaturum, & ſi contra factum quid fuerit, ſeſe vades futuros, & ſponte in poteſtatem Regis venturos. Dat. Theſchinii in Conductu Paſchæ An. 1399. Ex Originali. Sigil. 6.*

1405. *Venceſlaus Rom. & Bohemiæ Rex compromittit in Vladiſlaum Regem Poloniæ de controverſiis, quas cum Ducibus Sileſiæ habet. Dat. in Karlſtein die 8. Maii. An. 1405. Ex Originali. Vide Bohemia n. 8. fol. 8.* ANNO 1405.

1417. *Vladiſlai Regis Poloniæ ad Conſules Civitatis Vratiſlavienſis Literæ, ut mercatores ad Tartaros, & Valachos proficiſcentes viis ſolitis, & antiquis progrediantur. Dat. in Kraſnyſtaw feria ſecunda proxima poſt Feſtum Diviſionis Apoſtolorum ſub tranſumpto Benedicti Abbatis Monaſterii in Arena Vratiſlavienſi. Ex Archivo Lib. 3. ſub Lit. C.*

1418. *Bolko Dux Theſchinenſis recognoſcit datas ſibi eſſe mutuo a Vladiſlao Rege mille ſexagenas latorum groſſorum Pragenſium. Dat. in Lelow feria ſexta ante Dominicam Lætare. Ex Originali.*

1421. *Reſponſum Sigiſmundi Imp. ad Legationem Vladiſlai Poloniæ Regis, reſtituendæ Sileſiæ cauſa miſſam, datum. Ex Archivo Regni Cracovienſi.*

1438. *Bernardus, Joannes, & Nicolaus, Duces Opolienſes reconciliant ſibi Vladiſlaum Regem Poloniæ, & Electionem Caſimiri Fratris eius in Regem Bohemiæ approbant. Dat. in Campo ante Strzelce feria ſecunda proxima poſt Feſt. S. Franciſci An. 1438. Ex Originali Sigil. 3. Vide tit. Bohemia n. 9. fol. 8.*

1441. *Literæ Vladiſlai Poloniæ, & Hungariæ Regis, quibus concedit Civitati Vratiſlavienſi libertatem faciendi mercaturam in Regno Poloniæ. Ex Archivo Regni Lib. 3. num. 4.*

1441. *Eædem Literæ Vladiſlai Poloniæ, & Hungariæ Regis, ſub Tranſumpto Joannis Epiſcopi Vratiſlavienſis. Dat. Budæ die Sabbathi proxima poſt Feſtum S. Staniſlai An. 1441. Ex Archivo Regni.*

1447. *Redintegratio Pacis, & Unionis Ducum Sileſiæ cum Caſimiro Rege, & Regno Poloniæ. Act. Cracoviae proxima die ante Dominicam Carniſprivii An. 1447. Ex Originali Sigil. 9. Vide Tom. II. tit. Supplementum Tom. I. Part. II. ad An. 1447.*

1458. *Induciæ a Sacra Regia Maieſtate Ducibus Opolienſibus conceſſæ. Ex Archivo Regni. Ibidem ad Anno 1458.*

1460. *Literæ Pacis perpetuæ Conradi Albi Ducis Sileſiæ cum Caſimiro Rege Poloniæ. Dat. in Wolow Sabbatho poſt Aſſumptionis B. V. M. An. 1460. Ex Originali. Ibidem ad An. 1460.*

1462. *Georgii Regis Bohemiæ ad Caſimirum Regem Poloniæ Literæ Deprecationis pro Civibus Lignicenſibus. Dat. Pragæ die 22. Maii Anno 1462. Ex Archivo Regni Lib. 3. n. 4. fol. 634.*

4171. *Literæ Salvi Conductus Victorino Duci Monſterburgenſi a Rege datæ. Cracoviæ*

# INDEX


ANNO

1471. *ante Nativit B. M. V. feria quinta proxima Vide Tom II. tit Supplementum Tom. I. Partis II.*

1471. *Literæ Induciarum a Sacra Regia Maiestate Ducibus Silesiæ, & Civitati Vratislaviensi concessarum. Dat. Cracoviæ feria quarta pròxima ante Nativitatis B. M. V. Ibidem.*

1471. *Literæ Reversales a Ducibus Silesiæ, & Civitate Vratislaviensi S. R. Maiestati datæ. Cracoviæ feria quarta proxima ante Nativitatis B. M. V. Ibidem.*

1473. *Mandatum Casimiri Regis ad componendas Controversias cum Conrado Albo Duce Silesiæ. Dat. in Oct. S. Stephani Protomart. Ibidem ad An. 1473.*

1473. *Salvus Conductus Conrado Duci Silesiæ ad veniendum ad Comitia Regni in Kalisz celebranda, datus. Ex Archivo Regni Lib. 3. n. 4. fol. 574.*

1501. *Diploma Vladislai Hungariæ, & Bohemiæ Regis, quo Sigismundo Duci Fratri suo Ducatum Oppaviæ donat. Dat. Budæ 8. Decembr. Ex Archivo Regni Lib. sub Lit. RR. fol. 7.*

1504. *Marchionatus Lusatiæ Inferioris a Vladislao Hungariæ, & Bohemiæ Rege confertur Duci Sigismundo Fratri. Dat. Budæ feria sexta, die S. Bonifacii An. 1504. Ex Originali. Vide Bohemia n. 22. fol. 25,*

1507. *Sigismundi I. Regis Poloniæ Confirmatio Innovationis Privilegii Civibus Oppaviensibus super depositione mercium concessi. Dat. Cracoviæ Sabbatho ante Dominicam Palmarum 1507. Ex Archivo Regni Lib. 15. n. 16 fol. 51.*

1510. *Sigismundi I. Poloniæ Regis Approbatio Privilegii Abbati Vratislaviensi per Casimirum Regem concessi. Dat. in Conventione Piotrcoviensi Generali feria quarta proxima post Festum S. Mathiæ An. 1510. Ex Archivo Regni Lib. 15. n. 16. fol. 395.*

1511. *Prohibitio viæ Mercatoribus in Silesiam. Dat. Cracoviæ 24. April. 1511. Ex Archivo Regni.*

1511. *Prohibitio Vratislaviensibus Mercaturæ in Polonia. Ex Archivo Regni.*

1511. *Sigismundus Rex Poloniæ Vladislao Hungariæ, & Bohemiæ Regi de emporio Vratislaviensi. Ex Archivo Regni.*

1511. *Literæ Sigismundi I. Regis, quibus Incolas Ducatus Oppaviensis a iuramento sibi præstito liberos facit. Dat. Cracoviæ Feria sexta ante Dominicam Reminiscere. Ex Archivo Regni Lib. 17. n. 18. fol. 16.*

1511. *Sigismundi Regis Poloniæ Commendatio fidelitatis subditorum Ducatus Oppaviensis. Vide Tom. II. tit. Supplementum. Tom. I. Par. II.*

ANNO

1511. *Constitutiones pro mercatoribus Regni factæ, occasione prohibitionis exercendi mercaturam cum Vratislaviensibus. Dat. Cracoviæ feria quinta ante Festum S. Thomæ Apost. Ex Archivo Regni Lib. 17. n. 18. fol. 90.*

1512. *Constitutiones pro restauranda Pace publica inter Regnum Poloniæ, & Silesiam in Conventu Pragensi factæ. Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. F. fol. 211.*

1515. *Vladislaus Hungariæ, & Bohemiæ Rex tollit, & abolet Emporium Vratislaviense in præiudicium Regni Poloniæ constitutum. Dat. Posonii 28. April. An. 1515. Ex Originali. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. 20. n. 21. fol. 14.*

1515. *Vratislavienses abdicant se Emporio, quod ex concessione Vladislai Hungariæ, & Bohemiæ Regis habebant, cautione interposita, quod eo deinceps nunquam utentur. Act. & Dat. Sabbatho ante Dominicam Jubilate. Ex Originali. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. 20. n. 21. fol. 15.*

1515. *Relaxatio Edicti contra Vratislavienses lati. Dat. Posonii die Dominico Conductus Paschæ. An. 1515. Ex Archivo Regni Lib. 20. n. 21. fol. 13.*

1515. *Literæ Universales Sigismundi Regis super Relaxatione Edicti contra Vratislavienses lati. Dat. Posonii feria quarta proxima post Festum S. Stanislai. Ibidem. fol. 16.*

1515. *Pacta Sponsalia inter Fridericum Ducem Lignicensem, et Sereniss imam Elisabeth Sigismundi I. Regis Poloniæ Sororem germanam per Oratores inita. Dat. Cracoviæ die 12. Sept. An. 1515. Ex Originali. Vide Tom. II. tit. Supplementum Tom. I. Part. II. ad An. 1515.*

1515. *Sigismundi I. Regis eorundem Pactorum Approbatio. Dat. Cracoviæ 12. Sept. Ex Originali. Ibidem ad An. 1515.*

1517. *Sigismundi I. Regis ad Vratislavienses Literæ in negotio Metropolitani Gnesnensis. Ex Archivo Regni Lib. Legationum sub Lit. E. fol. 170.*

1517. *Eiusdem ad Duces, & Status Silesiæ de moneta Svidnicensi. Ibidem fol. 188.*

1526. *Sigismundi I. Regis Poloniæ Literæ ad Duces Silesiæ de Jure suo in Regnum Bohemiæ. Vide tit. Bohemia fol. 29.*

1527. *Prohibitio commerciorum cum Silesia. Ex Archivo Regni. Lib. 29. n. 30. fol. 787.*

1533. *Sigismundi I. Regis Responsum Vratislaviensibus datum, quo eis prohibet, ne Monasterium S. Vincentii in suburbio Vratislaviensi situm demoliri audeant. Ex Archivo Regni Lib. Legationum sub Lit. E. fol. 354.*


*Sigismun-*

ANNO 1540. *Sigismundus Rex Conventionem inter Oratores Ferdinandi Romanorum Regis, & Consiliarios Regni Poloniæ de mutuis controversiis dirimendis factam approbat, promittitque se Edictum Prohibitionis itinerum in Hungariam, & Silesiam antiquaturum, cum damna suis subditis resarcita fuerint. Dat. Cracoviæ 6. Martii 1540. Ex Archivo Regni*

1540. *Idem Conventioni prædictæ adscribit Articulum, ut duobus Mensibus ante Conventum Wschovensem utraque pars libellos iniuriarum, & damnorum ad loca hic designata mittat.*

1557. *Responsum Ferdinandi Romanorum &c. Regis ad Legationem Sigismundi Augusti Regis Poloniæ de rebus, & negotiis Silesiacis. Ex Archivo Regni. Lib. sub Lit. P. fol. 59.*

1619. *Caroli Archiducis Austriæ ad Archiepiscopum Gnesnensem Metropolitanum suum Literæ, quibus Episcopatum Vratislaviensem tutelari Patrocinio Regis Poloniæ recommendat, suggeritque, ut is Feuda Ducum Silesiæ in suam redigat potestatem. Dat. Nissæ 14. August. 1619. Ex Authentico.*

1652. *Commissariorum Ferdinandi III. Imp. Literæ, quibus testantur, se accepisse a Joanne Casimiro Rege Poloniæ Summam undecies centum millium florenorum Rhenensium pro Ducatibus Opolienſi, & Ratiborienſi. Dat. Vratislaviæ 15. Jan. 1652. Ex Archivo Regni. Lib. 164. n. 165. fol. 16.*

# POMERANIA.

1343. *Boguslai, Barnini, Warcislai Ducum Pomeraniæ Pactum cum Casimiro Rege Poloniæ, quo Boguslaus propter spem connubii cum Elisabetha Casimiri Filia, promittit se cum quadringentis Galeatis Regi contra quosvis hostes præsto futurum. Dat. & Act. Posnaniæ die 28. Febr. An. 1343. Ex Originali Sigil. 12.*

1390. *Warcislaus Dux Pomeraniæ, recognoscit se præstitisse Homagium, & fidelitatis Juramentum Vladislao Regi, & Regno Poloniæ, spondetque pro Boguslao fratre, nec non pro Barnino III. Fratre suo, si ad sacros Ordines promotus non fuerit, eos idem Homagium, prout debent, & tenentur, facturos. Datum in Pysdri Feria quarta proxima post Dominicam Omnium Sanctorum. Ex Originali.*

1393. *Warcislaus Junior Dux Pomeraniæ fatetur, datum sibi esse a Vladislao Rege Castrum Regni Nakel ad beneplacitum Regium. Ex Originali.*

1403. *Boguslaus Pomeraniæ Dux fatetur se in Familiam Vladislai Regis adscitum esse, cum stipendio annuo octingentarum Marcarum, pro quo cum centum lanceatis viris Regi servire debet. Act. in nova Civitate Korczyn. Ex Originali.* ANNO 1403.

*Boguslaus Dux Pomeraniæ fatetur sibi a Vladislao Rege Arces, quoad vixerit, concessas esse, pro quibus promittit se propriis sumptibus contra Cruciferos intra fines Maioris Poloniæ militaturum. Dat. ante Castrum Marienborg feria sexta infra Octavas S. Bartholomæi An. 1410. Ex Originali.* 1410.

*Proceres Pomeraniæ fidejiubent Vladislao Regi pro Boguslao Duce suo, quod stabit promissis. Sub eodem Dato. Ex Originali Sigil. 7.* 1410.

*Promissio Boguslai Ducis Pomeraniæ, quod Casimirum Svantiborii Ducis filium a Vladislao Rege captum, & ad fidem suam dimissum sistet ad tempus constitutum. Sub eodem dato. Ex Originali. Sigil. 10.* 1410.

*Erici Stetinensis, Pomeraniæ, &c. Ducis Literæ, quibus testatur creditum esse fidei suæ a Casimiro Rege Arcem Butow. cum Civitate Lovenburg. Dat. feria sexta ante trium Regum An. 1455. Ex Originali. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. Legationum Lit. E. fol. 297.* 1455.

*Fœdus inter Ludovicum Comitem Palatinum Rheni, Inferioris, Superiorisque Bavariæ Ducem, & Casimirum Regem Poloniæ, quo comprehenduntur Duces Masoviæ, Pomeraniæ, Stolpiæ, aliique Principes Regi, & Regno Poloniæ subiecti. Dat. in Landshut feria quinta post Festum S. Margarethæ An. 1460. Ex Originali. Vide Bavaria num. 2. fol. 382.* 1460

*Confœderatio inter eosdem, qua itidem continentur Duces Masoviæ, Ericus Stetinensis, & Pomeraniæ Duces, Episcopus Caminensis, aliique Principes, qui in auctoritate Regis Poloniæ sunt. Dat. in Landshut feria quarta proxima ante Festum Nativitatis B. M. V. An. 1460. Ex Originali. Ibidem num. 3. fol. 383.* 1460

*Ericus Dux Stetinensis, & Pomeraniæ, accepta in Matrimonium Sophia Casimiri Regis Filia, renovat Pacta Maiorum suorum cum Regibus, & Regno Poloniæ inita, promittitque, se transitum hostibus Regni per Ditiones suas non permissurum. Dat. in Bidgostia feria quarta intra Octavas Assumptionis B. V. M. Ex Originali.* 1466

*Literæ Friderici Imp. ad Casimirum Regem Poloniæ, quibus eum orat, ut Friderico Electori Brandeburgensi, cui in contumaciam Erikonis, & Vratislai Ducum Ducatus Pomeraniæ (Regibus, &* 1471.

ANNO

1471. *Regno Poloniæ obnoxios) in Feudum contulit, favere velit, nec eum per subditos suos in dictis Dominiis turbari permittat. Datum in Oppido Greczi die 9. Jan. An. 1471. Ex Archivo Regni. Vide Marchia Brandeburgensis. fol. 411.*

1490. *Pacta Matrimonialia inter Boguslaum Ducem Pomeraniæ, & Annam Casimiri Regis Poloniæ Filiam. Act. in Grodno die 7. Mart. An. 1490. Ex Archivo Regni. Vide Tom. II. tit. Supplementum Tom. I. part. II.*

1490. *Casimiri Regis Pactorum eorundem Approbatio. Sub eodem dato. Ex Archivo Regni. Vide ibidem.*

1491. *Boguslaus Dux Pomeraniæ Annæ Uxori suæ summam 64000. Aureorum Hungaricalium in certis Civitatibus, Dotis, & Contradotis nomine inscribit. Dat. in Stetin. 1. Febr. An. 1491. Ex Originali. Ibidem.*

1491. *Ordines Pomeraniæ approbant Inscriptionem Dotis, & Dotalitii, a Boguslao Duce Sereniss. Annæ Coniugi suæ factam. Dat. Stetini 1. Febr. An. 1491. Ex Originali. Sigil. 26.*

1524. *Renovatio Amicitiæ, & Confœderationis Inter Sigismundum I. Regem, Regnumque Poloniæ ab una, & Henricum Megapolensem, nec non Georgium, & Barninum Duces Pomeraniæ parte ab altera, per Commissarios utrinque delegatos facta. Dat. in Civitate Gdanensi feria quarta post Dominicam Lætare Anno 1524. Ex Archivo Regni. Lib. Legat. Lit. N. R. fol. 25.*

1525. *Fœdus inter Sigismundum I. Regem Poloniæ, & Henricum Megapolensem, nec non Georgium, & Barninum Duces Pomeraniæ initum, quo sibi mutua auxilia contra hostes suos promittunt. Cætera. Act. & Dat. in Oppido Piotrkow in Conventu Generali die S. Priscæ An. 1525. Ex Archivo Regni Lib. 27. num. 28. fol. 213. Item fol. 217. Item Lib. 28. num. 29. fol. 97.*

1526. *Diploma Sigismundi I. Regis, quo Arcem Büthow, & Civitatem Lavenburg Ducibus Pomeraniæ in Feudum confert, Act. & Dat. in Civitate Gdanensi die 3. Maii An. 1526. Ex Archivo Regni Lib. 28. num. 29. fol. 785.*

1526. *Literæ Sigismundi Regis ad Duces Pomeraniæ, ut Episcopo Vladislavienſi decimas solvant. Dat. Gedani 30. Junii 1526. Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. E. fol. 304.*

1530. *Pomeraniæ Duces Feudum suum præstabunt Sigismundo II. Rege, cum ad ætatem legitimam pervenerit. Ex Archivo Regni.*

*Literæ Sigismundi I. ad Joachimum Marchionem Brandeburgensem, & Pomeraniæ Ducem, ut Episcopo Posnanienſi decimam pecuniariam fertonum solvi faciat. Ex Archivo Regni Lib. Legationum. Lit. H. fol. 7.* ANNO 1539.

*Confirmatio Feudi Ducum Pomeraniæ super Arcem Büthow cum Oppido, & Oppidum Lavenburg cum suis Territoriis. Dat. Cracoviæ die 20. Septembr. 1549. Ex Archivo Regni Lib. 59. Num. 60. fol. 200.* 1549.

*Designatio finium inter Poloniam, & Pomeraniam per Nuntios Regis Poloniæ facta. Act. feria tertia post Dominicam Cantate. Vide Lib. sub tit. Limites Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ &c. fol. 22.* 1549.

*Fœdus inter Sigismundum Augustum Regem Poloniæ, & Barninum, ac Philippum Pomeraniæ &c. Duces initum. Dat. Gedani Sabbatho proximo ante Festum Assumptionis B. M. V. 1552. Ex Originali Sigil. 2. Extat in Archivo Cancel. Regni Lib. 62. Num. 63. fol. 296.* 1552.

*Regia Maiestas prorogat tempus præstandi Homagii Ducibus Pomeraniæ ad Comitia Regni. Lib. Legationum Lit. W. fol. 149.* 1577.

*Ducis Pomeraniæ ad Regiam Maiestatem Literæ, quibus petit, ut pro accipienda Confirmatione Feudi Præfecturarum Lavenburgensis, & Butovienſis, locum, & diem Comitiorum ei significet. Lib. Legationum Lit. W. fol. 188.* 1577.

*Plenipotentia Nuntiorum Pomeranicorum ab illis Ducibus ad petendam recognitionem super Præfecturas Lavenburgensem, & Bütovienſem data. Ex Archivo Regni Lib. Legationum Lit. W. fol. 279.* 1578.

*Assecuratio Jurium, & Libertatum Districtibus Bütovienſi, & Lavenburgensi concessa. Posnaniæ die 19. Dec. 1657. Ex Archivo Regni.* 1657.


## MARCHIA NOVA.


*Dobrogostius, Arnoldus, Ulricus, & Bartholdus, Comites de Dresen (Driessen) recognoscunt se Castra Dresen (Driessen) & Santhok ad Coronam Regni Poloniæ antiquitus pertinentia a Casimiro Rege in Feudum accepisse, fidelitatemque eidem Regi, & Successoribus eius promittunt. Dat. Cracoviæ 22. Julii Anno 1365. Ex Originali sub Sigil. 4.* 1365.

*Petrus Episcopus Lubucensis cum suo Capitulo recognoscit Casimirum Regem Poloniæ esse Dominum, & Patronum Ecclesiae Lubucensis, eidemque fructus perceptos, & expensas litis remittit. Dat. Cracoviæ die 25. Jun. An. 1369. Ex Originali.* 1369.

ANNO 1402. *Homagium Ulrici Hæredis de Dreſno (Drieſſen) Vladiſlao Regi, & Regno Poloniæ præſtitum. An. 1402. Ex Origin.*

1402. *Oppignoratio Novæ Marchiæ Vladiſlao Regi Poloniæ a Sigismundo Hungariæ Rege facta. Dat. Cracoviæ feria tertia proxima poſt Dominicam Invocavit An. 1402. Ex Originali. Sigil. 4.*

1422. *Inſtrumenta tria prolatorum teſtium ſuper limitatione finium Regni Poloniæ, & Marchiæ Novæ. Vide Librum ſub tit. Limites Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ. Ex Originalibus, & exemplis authenticis deſcripti &c. fol. 4.*

# MOLDAVIA ET VALACHIA.

1389. *Miricii Palatini Tranſalpini Fœdus cum Vladiſlao Rege Poloniæ contra Regem Hungariæ, & alios hoſtes per Oratores initum. Dat. in Radom feria ſexta poſt diem Conceptionis B. M. V. 1389. Ex Originali Sigil. 3.*

1390. *Fœdus perpetuum Miricii Palatini Tranſalpini cum Vladiſlao Rege Poloniæ contra Regem Hungariæ, & alios hoſtes. Dat. in Lublin. 20. Jan. 1390. Ex Originali.*

1390. *Unio, & Confœderatio inter eosdem per Oratores facta. Dat. in Szoczczow 15. Novembr. 1390. Ex Originali.*

1391. *Miricii Palatini Tranſalpini Fœderum præcedentium Approbatio, & Confirmatio. Dat. in Lemburga 6. Jul. 1391. Ex Orig.*

1411. *Miricii Palatinii Tranſalpini Unio, & Confœderatio cum Vladiſlao Rege Poloniæ contra Regem Hungariæ, & alios hoſtes. Dat. in Imoiow An. 1411. Ex Originali Sigil. 11.*

1459. *Articuli Conventionis inter Oratores Caſimiri Regis, & Stephanum Palatinum Moldaviæ. Mutuæ iniuriæ ad deciſionem Regis in Terras Ruſſiæ venturi differuntur. Palatinus Caſtrum Cuthin non infeſtabit, nec aliquem cum Terra ſua Moldavia pro Domino ſuo habebit, ſed ſoli Domino Regi, & Regno Poloniæ ſerviet &c. Dat. in rippa fluvii Dnieſtr. An. 1459. Ex Archivo Regni Lib. 3. Num. 4. fol. 118.*

1485. *Homagium Caſimiro Regi, & Succeſſoribus eius, Regnoque Poloniæ a Stephano Palatino Moldaviæ Colomiæ præſtitum die 15. Sept. 1485.*

1499. *Sacra Regia Maieſtas Poloniæ interventu Vladiſlai Hungariæ, & Bohemiæ Regis Germani ſui, Pacem donat Palatino Moldaviæ. Ex Archivo Regni Lib. ſub Lit. H. H. fol. 185.*

*Conditiones Pacis inter Sigismundum I. Regem Poloniæ, & Bohdanum Palatinum Moldaviæ per Oratores Vladiſlai Hungariæ Regis conditæ. Bohdanus Literas Sponſaliorum Eliſabeth Sororis Alexandri Regis reſtituet, & Matrimonii illius memoria abolebitur. Controverſias de Finibus Vladiſlaus Hungariæ Rex decidat. Bohdanus de Turcarum conatibus Regem certiorem faciet &c. Dat. in Kamieniec 23. Jan, An. 1510. Ex Archivo Theſauri Regni.* ANNO 1510.

*Renovatio Fœderum cum Woiewoda Moldaviæ in Conventu Regni Generali Cracoviæ facta. Ex Arch. Reg. Lib. 21. Num. 22. fol. 284.* 1518.

*Conditiones Pacis perpetuæ a Sacræ Regia Maieſtate Joanni Petro Palatino Moldaviæ datæ. Actum in Conventu Generali Piotrcovienſi die 13. Decembr. An. 1527. Ex Arch. Regni Lib. 31. Num. 32. fol. 278. Item Lib. ſub. Lit. I. I. I. fol. 91.* 1527.

*Literæ Pacis perpetuæ a Sigismundo Rege Stephano Palatino Moldaviæ datæ. Cracoviæ in Conventu Regni Generali An. 1539. die 10. Febr. Ex Arch. Regni.* 1539.

*Reſponſum nomine Sacræ Regiæ Maieſtatis per Ablegatum eius, Woiewodæ Moldavienſi datum. Ex Arch. Reg.* 1540.

*Homagium, & Juramentum fidelitatis, & perpetuæ ſubiectionis Petri Alexandri Palatini Moldaviæ, pro ſe, & Succeſſoribus ſuis Sigismundo Auguſto Regi, & Regno præſtitum. Gravi urgente bello, totis viribus ipſe in perſona ſua, alias vero Comitatu ſeptem millium, ex quo a Rege, aut ab alterutro Duce requiſitus fuerit, Reipublicæ ſervire debet. &c. Ex Arch. Magni Ducatus Litvaniæ.* 1552.

*Homagium, & perpetuæ fidelitatis Juramentum Bohdani Alexandrowicz Palatini Moldaviæ. Ex Arch. Theſ. Reg. Extat in Arch. Canc. Reg. L. Leg. lit. V. fol. 421.* 1569.

*Diploma Indigenatus Magnifico Waſilio Palatino Moldaviæ conceſſi. Dat. Varſaviæ in Conventu Generali die 24. Decembr. 1650. Ex Arch. Regni. Lib. 157. num. 158. fol. 138.* 1650.

*Diploma Indigenatus Georgii Stephani Palatini Moldaviæ. Ex Arch. Theſauri Regni. Extat in Arch. Cancel. Regni Lib. 160. num. 161. fol. 152.* 1654

# BESSARABIA.

*Vladi Palatini Beſſarabiæ, & Comitis Severinenſis Homagium Vladiſlao Poloniæ, & Hungariæ Regi præſtitum. Ex Originali.* 1396.

# ATTESTATIO ILLUSTR. DD. COMMISSARIORUM.

Nos infrascripti testatum esse volumus, quod, cum apertio Archivi Regni vigore Resultatorum Senatus Consiliorum Cracoviæ subsecuta esset, & A. R. P. Mathias Dogiel Copiam Instrumentorum Originalium sibi factam haberet, Exemplaria eorundem Instrumentorum Originalium summa fide confecit, Nobisque præsentibus eadem Exemplaria cum suis Originalibus diligentissime, summaque fide contulit, quibus Exemplaribus, quod eadem fides, ac ipsis Monumentis Originalibus haberi debeat, præsens testimonium manibus nostris subscripsimus, & Sigillis nostris munivimus. Dat. Cracoviæ die 4. Octobr. 1755.

*Georgius Antonius Mieroszewski Canon. Cath. Crac. Custos Coron. Reg. mp.* (L.S.)

*Petrus Cœlestinus de Roxyce Zapolski Tribunus Terræ Cernensis, Castrensis Ravensis, ac Supremus Thesauri Notarius, ab Illustr. Magnifico Supremo Regni Thesaurario delegatus. mp.* (L.S.)

*Mathias Franciscus in Boguty Bogucki Vicenotarius Juratus Castrensis Cracoviensis ab Illustr. Magnifico Vexillifero Regni, Capitaneo Cracovien. ad hunc Actum delegatus.* (L.S.)

Aušros muziejus Šiauliai

## PAGINÆ.


BOHEMIA a pag. 1. ad pag. 36.
HUNGARIA a pag. 36 ad pag. 152.
AUSTRIA a pag. 152 ad pag. 352.
DANIA a pag. 352 ad pag. 382.
BAVARIA a pag. 382 ad pag. 411.
MARCHIA BRANDEBURGENSIS a pag. 411 ad pag. 435.
RESPUBLICA VENETA a pag. 435 ad pag. 441.
SAXONIA a pag. 441 ad pag. 447.
GALLIA a pag. 447 ad pag. 477.
DUCATUS BRUNSVICENSIS a pag. 477 ad pag. 510.
DUCATUS MEKLENBURGENSIS a pag. 510 ad pag. 515.
HISPANIA pag. 515.
HOLLANDIA a pag. 515 ad pag. 524.
TRANSYLVANIA a pag. 524 ad pag. 533.
SILESIA a pag. 535 ad pag. 568.
POMERANIA a pag. 568 ad pag. 593.
MARCHIA NOVA a pag. 593 ad pag. 597.
MOLDAVIA & VALACHIA a pag. 597 ad pag. 623.
BESSARABIA pag. 623.


Lietuvos TSR Centr. Biblioteka Mokslų Akademija

L18
244

L-18
2-44/1

Lietuvos TSR Mokslų akademijos
CENTRINĖ BIBLIOTEKA
L-18
2-44/1